Bibliothèque numérique
medic@

Gesner, Conrad. **Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio indices alphabetici decem super nominibus avium in totidem linguis diversis : & ante illos enumeratio avium eo ordine quo in hoc volumine continentur**

Tiguri , apud Christoph. Froschoverum, MDLV, 1555.

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?pharma_res000050x03


50
RÉS
3
Lib. I




VERSANTUR HIS TRIBUS
Pharmacopœi Parisienses
Ex Dono Magistri
BATAILLE
1763





Rés. 50

CONRADI GESNERI Tigurini medici & Philosophiæ professoris in Schola Tigurina, Historiæ Animalium Liber III. qui est de Auium natura.

ADIECTI sunt ab *initio* Indices alphabetici decem super nominibus Auium in totidem linguis diuersis: & ante illos Enumeratio Auium eo ordine quo in hoc Volumine continentur.



ECOLE SUPÉRIEURE DE PHARMACIE DE PARIS
BIBLIOTHÈQUE

CVM Priuilegijs S. Cæsareæ Maiestatis ad octennium, & Christianissimi Regis Galliarum ad decennium.

TIGVRI APVD CHRISTOPH. FROSCHOVERVM,
ANNO M. D. LV.


CONRADVS GESNERVS ÆTATIS SVÆ. XXXIX. AN. DOM. M. D. LV.

CAROLVS QVINTVS, Diuina fauente clementia, Romanorum Imperator Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, utriuſq; Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatię, Croatię, &c. Rex, Archidux Auſtrię, Dux Burgundiæ, &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, &c. Notum facimus tenore præſentium. QVOD quum expoſitum nobis fuerit ex parte noſtri & Imperij ſacri fidelis dilecti Chriſtophori Froſchoueri Typographi Tigurini, ipſum in gratiam ſtudioſorum ſuſcepiſſe imprimendum ingens opus Conradi Geſneri, de omni animalium genere, in aliquot uolumina digerendum, magno iam in illud labore & ſumptu in ſculpendis ad uiuum animantium imaginibus facto, & id opus partim iam ædidiſſe in publicum, partim uero adhuc ſub incude, & præterea Epitomen eiuſdem operis Latine & Germanice ædendum præ manibus habere: uereri autem, ne quis ipſum fructu ſuorum laborum & impenſarum priuet, huiuſmodi opera temere imitando. Itaq; à nobis ſuppliciter petijt, ut ſuæ indemnitati cauere, & ipſum Priuilegio noſtro aduerſus hanc iniuriam munire, de benignitate noſtra Imperiali dignaremur. NOS qui plurimum illis fauemus, qui ſua opera & induſtria publica ſtudia iuuare contendunt, admiſſis huiuſmodi precibus, tenore præſentium, authoritate noſtra imperiali, & ex certa ſcientia, decernimus, ſtatuimus & ordinamus, ne quis Chalcographus, Bibliopola, Mercator, Inſtitor, aut quicunque alius, cuiuſcunq; ſtatus, aut conditionis fuerit, noſter & Imperij ſacri ſubditus, quacunq; Imperij & Ditionis noſtræ fines patent, memorata opera Geſneri, ſeu aliquam eorum partem, aut quicquam inde excerptum ſiue Latine, ſiue Germanice, intra tempus octo annorū, à cuiuſuis operis prima æditione typis incudere, aut alibi excuſum, intra fines Imperij & Ditionis noſtræ adportare, uendere, diſtrahere, aut uendi ſeu diſtrahi facere, aut uænū exponere publice, uel occulte, neq; audeat, neq; præſumat, abſq; ipſius Chriſtophori Froſchoueri expreſſa uoluntate, & beneplacito. Quatenus præter librorum, ſic ad æmulationē impreſſorum, amiſſionem, quos ipſe Chriſtophorus Froſchouerus, ſuiue hæredes, ubicunq; locorum nactos, per ſe aut ſuos, adiumento Magiſtratus loci, uel citra id, ſibi uendicandi plenū ius & poteſtatem habeant, pœnam ſeu mulctam octo Marcharum auri puri Fiſco noſtro, & ipſi Chriſtophoro Froſchouero eiúsue hæredibus ex æquo irremiſſibiliter pendendam, uitare cupiant. Harum teſtimonio literarum ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datum ad Oenipontem, die quinta Menſis Ianuarij. Anno Domini, Milleſimo quingenteſimo, quinquageſimo ſecundo. Imperij noſtri trigeſimo ſecundo. Et regnorum noſtrorum trigeſimo ſexto.

Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſt. proprium.

Obernburger.



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 8 sur 825

HEnry par la grace de dieu Roy de France/ A noz amez et feaulx conseilliers/ les gens tenãs noz courtz de Parlement de Paris/ Thoulouze/Bordeaux/Rouen/Dijon/Prouẽce/Grenoble/ Chambery: Prenost de Paris/Seneschault de Lyon/ Thoulouze/ Prouence/ et a tous noz aultres Officiers ou leurs Lieutenans/ Salut. Receu auons lhumble supplication de nostre cher et bien ame Monsieur Conrad Gesner/Docteur en la faculte de Medicine a Surich. Contenant que a son grand labeur il auroit escript et compose vng liure intitulle Historia animalium. Lequel a lutillite des studieux il vouloit voluntiers imprimer/ tant en langue Latine que francoyse/et tãt leuure total/ qui est assez grant/ que le Sommaire dicelluy. Mais il doubte/ que apres ladicte impression/ par luy mise en lumiere a ses coustz et despens/plusieurs aultres Libraires ou Imprimeurs le veullent faire imprimer/ ou aulcun liure dicelluy/ en Latin ou en francoys/ ou ledict Sommaire: en privant par ce moyen ledict suppliant de sondict labeur fraiz et mises/ si par nous ne luy estoit pourueu de noz cõge/grace et prouision au cas requiz et necessaires. Pource est il que nous a ces choses cõsiderees inclinãs a la supplication et requeste dudict suppliãt/ luy anõs de grace specialle par les presentes permys et octroye/ permettõs et octroyons/ voulõs et nous plaist/ quil puisse et luy laisse imprimer ou faire imprimer/ vendre et debiter/ ledict liure en Latin et francoys/ et Sõmaire dicelluy/ en chascune desdictes langues/ par tel imprimeur ou imprimeurs que bon luy semblera/iusques a dix ans prochains ensuyuans/a commẽcer du iour que ledict oeuure sera acheue dimprimer/sans ce que durant ledict temps aultre que luy/ou ayant mission de luy/ le puisse imprimer/ ou faire imprimer/vendre ne debiter/ sur peine de mil escuz damende/ et confiscation de tous lesdictz liures ainsi imprimez sans son conge et permission. Si vous mandons et expressement enioignons/ et a chascun de vous/ si comme a luy appartiendra/ que de noz presentes grace/ conge/ permission vous faictes ledict Cõrad Gesner iouyr et vser plainement et paisiblement/ durant ledict temps de dix ans/ en faisant/ ou faisant faire expresses inhibitions et deffences de par nous/ si mestier est/ sur les peynes cy dessus/a tous imprimeurs et libraires et aultres quil appartiendra/ que durant ledict temps de dix ans ilz nayent a imprimer/ ou faire imprimer/ vendre ne debiter ledict liure/ partie ou portion dicelluy/ soit Latin ou francoys/ sans le vouloir et consentement dudict suppliant/ sur lesdictes peines de mil escuz damende/ et confiscation desdictz liures/ formes et caracteres/ qui se trouueront auoyr este faictz au contraire et en cas doppositiõ/ contredict ou debat desdictes inhibitions et deffences faictes et audict cas tenans et cõtreuenãs a icelles a ce contrainctz/ sur les peines dessuldictes/ ledict temps durant. Nonobstãt oppositions ou appellations quelzconques faictes/ ou a faire relleuees/ou a relleuer/ et sans preiudice dicelluy faictes aux parties ouyes raison et iustice. Car tel est nostre plaisir: nonobstant (cõme dessus est dict) quelzcõques letres subreptices impetrees ou a impetrer a ce contraires. De ce faire vous auons donne et donnons pouoir/puissance/auctorite/commission et mandement special par ces presentes. Mandõs commandons a tous noz iusticiers/ officiers et subiectz/ que a vous en ce faisant soit obey. Donne a Chaalons le xviij. iour de May/ lan de grace mil cinq cens cinquante deux. Et de nostre regne le sixiesme.

Par le Roy en son conseil
estably aupres la Royne
regente vous present.

Coignet.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 9 sur 825

ILLVSTRI ET GENEROSO
VIRO D. IOANNI IACOBO FVGGERO,
KIRCHBERGAE ET VVEISSENHORNI DOMINO, &c.

Domino & Mecœnati ſuo Conradus Geſnerus
Tigurinus S. D.



VICQVID LITERIS ITA PRODENDVM AC ILLVſtrandum eſt, uir ampliſſime, ut nihil præterea eo in genere deſideretur, quãtum quidem ab uno homine perfici poteſt, ad id duo maximè requiruntur, iudicium ſiue ratio & experientia. Illud à natura, uel Deo potiùs (à quo omnis natura dependet) confertur, hæc in hominis poſita arbitrio uidetur. Nam ut aliquis ratione & iudicio polleat, uel natura ingenioſus ſolersq; ſit, non penes ipſum eſt: Vt uerò multa experiatur, audiat, uideat, legat, peregrinetur, obſeruet, & inerti otio ignauiaq; ſuperior in uſum atq; experientiam omnia uocet, hoc quiſq; uel facere uel non facere poteſt: niſi ualetudo, aut fortuna, aut maior aliqua cauſa impediat. Multi ingenio præſtant, experientia deſtituti, qui rationem potius alijs gnauis & laborioſis, rerum ſcientiam acquirendi præſcribere, quàm ipſi aliquid cum laude perficere poſſunt. Sic dialectici cum rerũ cognitionem nullam profiteantur, artibus & ſcientijs omnibus modũ, ac rationem qua conſtituantur, quaq; commodè tum diſci tum doceri poſſint oſtendunt. Alij cum iudicio & ratione parum, utcunq; experientia multum ualeant, ſæpe neque delectum habere, neq; modum aut ordinem in rebus ſeruare, non ex paruis magna, non ex manifeſtis ſeu rationi ſeu ſenſibus, obſcura: nõ omnino alterum ex altero uenàri & deprehendere, non uidere res inter ſeſe cognatas, ſimiles aut diſſimiles: non denique alia huiuſmodi, quæ uiri ingenio acres & rationali methodo inſtructi præſtare poſſunt. Rarò autem contingit ut unus homo his ambobus donis pariter excellat: eò quòd ferè uni temporis tãtum detrahitur, quantũ impenditur alteri. Quamuis enim ingenium multis natura datum ſit, oportet tamẽ id quoq; bonis diſciplinis & artibus condiſcendis à puero coli ac perfici, periturum alioqui negligentia, qua fœcundiſſimi interdum agri pereunt. Plato philoſophos utcunq; ſapientes uiros, in forũ & actiones publicas ſi prodeant, prorſus ineptos ac ridiculos uulgo ſe præbere ait. An quòd ingenio illi careant? Nequaquã. ſed quoniam deſit eis rerum ciuilium uſus, & litigandi, & uarijs iudicum auditorumq; affectibus ſe accõmodandi experientia, quam illi ueluti ſe indignam aſpernantur. Hæc duo (ratio inquam & experientia) reipſa ſeparari non debent, neq; alterum ſine altero quiſquam ſibi optare: niſi fortè aliquis ſiue fortunis ſiue animo diues, idemq; otioſus & ſolitarius, ratione rerum ac contemplatione eſſe contentus, quàm ad actiones & experientias progredi malit: & contrà alius propter genus uitæ, per quod ei otioſo ac ſolitario eſſe non licet aut libet, agere potius & experiri multa uel exigua cum ratione, quàm ſumma cum intelligentia otiari, ac ſibi & Muſis uiuere, optârit. Sed ſiue reipſa ſeparentur, ſiue cogitatione ſolum contemplantis, ratio ſanè multò nobilior, magisq; honoranda fuerit, experientia fortè utilior. Quamobrem illa apud paucos & ſapientes, hæc multorum & uulgi iudicio præfertur. Author eſt Galenus hæc duo tanquã crura eſſe, quibus ars omnis innitatur abſoluaturq;, in alterutro ſeorſim omnino uacillatura. Sed è duobus cruribus nobilius dextrum eſt. nam omne dextrum ferè ſiniſtro calidius ualidiusq; eſſe aiunt: inq; cruribus & manibus, motus initium à dextris proficiſci. Vita corporibus noſtris primum à iecore, deinde etiam corde & cerebro influit. à iecore quidem utilior, hoc eſt, magis neceſſaria, & tempore prior, à corde uerò nobilior, à cerebro nobiliſſima. Sic ſolam experientiam, licet illam aliquis magis neceſſariam, utilioremq;, & fortè etiam tempore priorem eſſe affirmet, (quod tamen non omnino conceditur,) per ſe ignobilem eſſe dixerim, quæ ſi cum ratione ſuum opus peragat,

Rationis & experientiæ ad omnes artes neceſſitas, earũq; inter ſe cõparatio.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 10 sur 825

iam præſtantior fuerit, præſtantiſſima uerò ratio, quæ cum nihil ipſa particulare agat, animo interim contempletur uniuerſa, (ſiue ſimpliciter, ut primus philoſophus: ſiue quæ intra certos ſcientiarum limites concluduntur, ut architectus in ſua, alij in alijs artibus,) & cæteris quid factu ſit opus imperare, & docendo dictandoq; præeſſe nôrit. Ratio uniuerſalia præcepta complectitur, quibus tanquam ideis & exemplaribus, icones & particularia omnia inſunt potentia, ut loquuntur philoſophi, & ex hoc tanquam fonte ſcaturiunt. Hac inſtructus haud paulò facilius & breuiori tempore, experientiæ quantum ſatis eſt ſibi comparabit, quàm fieri contrà poſſet. Nam ab experientia & particularibus ad rationem ac uniuerſalia longè difficilior uia eſt: ut ardua in aduerſum fluminis nauigatio ad fontem, deorſum à fonte facilis: & ſimiliter omnis ferè deſcenſus procliuior aſcenſu. Ratio enim ſemper à ſuperioribus ſcientijs inchoans quaſi deſcendit. à particularibus uerò ad rationem aſcenſus eſt. Vt facile per uaſta maria nauigatio magnetis & nauticæ pyxidis opera dirigitur: ſine illa, ſi longius iter ſit, erratur. ad proxima uerò & quæ conſpectum non effugiunt, magnete opus non eſt. Ita ad res nobis proximas, quæq; noſtris ſenſibus uſurpantur, ratione nõ indigemus, ut neq; lumine per meridiem accenſo. At ſi quid remotius eſt, ſi obſcurius, nihil abſq; ratione perficitur. Hæc uerò ſicut magnes ad Septentrionem ſeu polum, ad Deum, hoc eſt uerè ſupremum mundi faſtigium, in quo ſolo immobili uertuntur ac mouentur omnia, ſiue ſuapte natura, ſiue diuina potius & ineffabili quadã ui influente trahenteq;, ſeſe conuertit. Hæc nobis in animo lucet, non quidem per ſe, ſed mutuata hanc lucem à ſuprema lucidiſsimaq; ſpirituali mente ac luce, ut ſuam Luna à Sole, obſcura alioqui & opaca. Sed uideo me iſta nimis altè repetere, ac inſtituti oblitum, neſcio qua uoluptate has contemplationes promouente, longius digreſſum.

Libri de animalium hiſtoria, qua ratione, quoq; ordine, & quantis laboribus ſint conſcripti.

Ad hiſtoriam animalium uenio. In hac equidem conſcribenda eadem hæc duo, quæ ad artem omnem atq; omne opus laudabile conſtituendum neceſſaria ſunt, quantũ eius omni ingenio meo ſummisq; laboribus efficere potui, coniungere ſum conatus. Quòd ſi ingenium iudiciumq; aliquando mihi defuit, in hac rerum ſingularium infinita fermè copia ac uarietate, & occupationibus meis omnino diuerſi generis, mirum non eſt: atque facilius hac parte, ni fallor, ueniam merebor apud illos qui ipſi etiam homines neq; iudicij undequaq; abſoluti ſe eſſe meminerint. Rationis quidẽ & iudicij uis in ipſo eorũ quæ conſcribuntur ordine, maximè eluceſcit. Ordo autem primum in toto, deinde per partes ſingulas conſideratur. Ego meos de Quadrupedibus & Auibus libros literarum ordine diuidere uolui, doctorum tum ueterum tum noſtræ memoriæ quorundam in hoc exempla ſecutus. Ne uerò hic ordo cognatas animantes nimium diſtraheret, eas plerunq; pariter coniunxi, ſingulis nempe poſt cõmune & præcipuum unius generis nomen deinceps cõmemoratis: ut hîc in Auium hiſtoria poſt Accipitrem uarijs accipitrum falconumq; differentijs: poſt Gallinaceas alites uillaticas, plurimis eiuſdem generis terreſtris aut aquatici auibus. Omnia equidem per ſuas claſſes ordine magis artificioſo digerere potuiſſem, id quod feci in libris qui ſolas effigies Quadrupedũ & Auium cum nomenclaturis Latinis, Italicis, Gallicis & Germanicis cõtinent. ſed alphabetica ſeries cum alijs, tum præcipuè minus exercitato lectori, quiq; genera & ſpecies non ſatis diſtinguit, ad inquirendum commodior mihi uiſa eſt. Cæterum in partibus ſingularum hiſtoriarum, quas primis octo alphabeti Latini literis plerunq; notaui atq; diſtinxi, obſeruati ordinis rationem reddidi cum in primum de animalibus librum præfarer. Sunt ſanè omnia in eis eo ordine partim naturali partim artificioſo diſpoſita, ut nihil uſquam extra ſuum & conſtitutum ſemel ab initio ordinem reperiatur, & tãquam in acie ſuum ſingula locum tueantur, ita ut ſi uel prius uel poſterius legerentur, inſtitutũ turbaretur noſtrum. Hoc etiam rationis opus fuit, ad quod genus animal quodq; pertineret uidere: item quo nomine apud ueteres Græcos, Latinos, Hebræos (neq; enim in alijs linguis monumenta habemus uetuſta) appellatum fuiſſet: & in multis magnisq; ſcriptorum diſſenſionibus uerum aut uero proximum deprehendere: & ubi uetera nomina non inueniebantur, ſolerter imponere noua. In his & alijs quæ ratione duce perficiuntur, nũquid effecerim, aliorum eſto

iudicium,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 11 sur 825

iudicium, bonorum ſcilicet ac eruditorum hominum. Rogo autem illos etiam ne præcipitem fortè aut temerariam de ſcriptis noſtris ſententiam ferant, antequam ea quæ in primum librum ad lectorem præfati ſumus legerint atq; perpenderint. His enim intellectis uelim eos in ipſis libris ſparſim quæ uoluerint deguſtare, & inde nõ tam an optimus qui in hoc genere ſcribi poſſet hic ſit liber, neq; an talis qualẽ ipſi maximè probarent, cum ſua ſit cuiq; ſententia: quàm an propoſito ac promiſsionibus meis magna ex parte ſatisfaciat experiri. Sed ut iudicio parum præſtiterim, diligentiæ certè, curæ & laboris nõ multum ſpero in me deſideratum iri. Nam & annis hactenus multis hoc inſtitutum exercui, ita ut ſi minus etiam temporis in cuiuſcunq; profeſsionis aut ſcientiæ ſtudium collocaſſem, in ea iam fortè non eſſem poſtremus. Libros ueterum ac recentiorũ in diuerſis linguis (quarum qualemcunq; notitiam Dei gratia ſum conſecutus) innumeros legi: & ſcripta authorum ſupra centum quinquaginta, quos poſt præfationem in primum librum enumero, in unum uolumen concluſi: ita ut quorundam ferè integros libros, omnium nempe qui ex profeſſo de animalibus quicquam condiderunt, ſed ordine mutato, aſſumpſerim: ex aliis paſſim quæ huius argumenti erant excerpſerim. Literas ad homines doctos in diuerſas Europæ regiones frequentiſsimas miſi, quibus animalium effigies eorumq; naturæ deſcriptiones petij, & ſæpius fruſtra, ut ſemper maior eſt illiberalium numerus. Quid dicam de laboribus illis quos domi ac foris uidendo ſubinde ſciſcitando q; quàm plurima pertuli? Sumptibus etiam pro mea tenuitate non peperci, quos ſi facere maiores potuiſſem, uel ullus Mecœnas meis ſtudijs contigiſſet propitius, multò abſolutius hoc opus euaſurum fuiſſet. quod fortaſſis in poſterum aliquando fiet, ſi Deo opt. max. uidebitur. Ego quidem quandiu uixero paulatim præcipuam hanc de animalibus Naturæ in hoc mundi theatro partem, & alteram quæ de ſtirpibus agit, ornare atq; excolere pergam, & contra noſtri ſæculi in hæc ſtudia ingratitudinem & contemptum forti animo eluctabor. Sat mihi ſolatij fuerit, utcunq; paucis ſed doctrina & uirtute præſtantibus uiris, ac tibi inter illos in primis nobiliſſime IO. IACOBE FVGGERE, non diſplicuiſſe. Dedi equidem operã ut & iucunda & utilis tota hæc tractatio eſſet, nec ad ullius priuata ſtudia eam accõmodaui, ſed in uniuerſum perodeſſe omnibus uolui. Eſt quod hîc legãt philoſophi, præſertim naturæ ſtudioſi, ſed etiam morum atq; uirtutum diſciplinæ. eſt unde medici, poetæ, grammatici, philologi & utriuſq; linguæ candidati, proficiant ac oblectentur. Ea ſanè quæ circa uictum & cibum ex ſingulis animantibus docentur, communi omniũ utilitate legentur. Primarius quidem hæc ut conderem ſcopus mihi fuit, ipſa rerum notitia, & honeſtiſsima contemplatio naturæ, quæ animis ad architecti per omnia ſummi & noſtri naturæq; domini ac patris cognitionem ac uenerationem conſcendentibus, ſeſe ſubmittens ſcalarum inſtar præbet, & ueluti per gradus in ſublime prouehit. Secundus, ut hoc ueluti communi cõmentario multa & uaria quæ de animalibus extant, pulcherrima præſertim ueterum ſcripta, interpretarer, quæ uel ex profeſſo uel obiter de illis reliquerunt. Et quoniam in ſacris quoq; literis crebra diuerſorum animalium mentio fit, & magna hactenus circa quàm plurima eorum nomina, aliis aliter interpretãtibus, diſſenſio ac ignorantia apud ipſos etiam Iudæos & eorum Rabinos fuit: in Hebraicis etiam nominibus enucleandis non mediocrem diligentiam adhibui. Reliquas utilitates taceo: hoc tantum addam, multa ſanè præclara & cognitu digna in his libris extare de affectibus, moribus, uariiſq; uirtutibus, uitijs & ingenijs animalium, quæ non tantum legentem oblectare, ſed hominem etiam docere & ſui officij admonere poſſunt. De uenatione & aucupio multa: item quomodo ali ſeruariq; debeant animantes ſingulæ. Volui autem celſitudini tuæ, clariſsime heros & Mecœnas optime, pulcherrimam huius operis partem, hoc de Auium natura uolumen dicare & conſecrare, ut & fœlicius in tui nominis auſpicio publicè appareret, & meam erga te obſeruantiam teſtaretur. Te certè unum omnium hoc munere digniſſimũ iudicaui: & multis hactenus annis, quibus in eo perficiendo elaboraui, animo meo id tibi nec temere nec immeritò deſtinaui. Nam ut cæteras in te uirtutes, quibus te Dominus Deus pleniſsimè ornauit, tuaq; in quàm plurimos mortalium beneficia

De utilitate huius operis.

Dedicatio.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 12 sur 825

& liberalitatem, & quæcunque in te laudanda sunt, ijs relinquã celebranda, qui id facere grauius locupletiusq; possunt, & te tuaq; propius ac familiarius norunt: quis nobilium & principum uirorum, tantum in bonis literis & hominibus earum studiosis fouendis ac promouendis operæ sumptusq; collocare dignatur? Neq; tu uerò in hoc solum plerosq; omnes longè post te relinquis, sed doctrina etiam & penitiore literarum cognitione, in principibus uiris rara, luculenter excellis. Testantur hoc multæ doctissimorum uirorum lucubrationes (& inter præcipuos Hieronymi Vuolfij Bibliothecæ tuæ præfecti) quas illi clarissimo nomini tuo, non tam ut splendoris aliquid illi adferrent, quàm ut authoritatem suis operibus inde mutuati compararent, inscripsêre. Testatur amplissima illa quam paras omne genus librorum BIBLIOTHECA, tanto quidem studio, ut plerosq; etiam reges in eo iam aut æques aut superes. Ac sanè regium istud opus te liberalissimum & regio uerè animo præditum heroëm uehementer decet, maiorem tuæ famæ in omnem posteritatem gloriam propagaturum, apud omnes bonos & sapiẽtes perennaturam, quàm si eundem aut multò maiorem sumptum in magnifica ædificia, uel alias res, quę uulgo hominum admirationem pariunt, conferre uoluisses. Quamobrem Deum bonorum omnium benignissimum authorem etiam atque etiam orabimus, ut & amplitudinem tuam, fortunasq; omnes, & hunc in te nũquam satis laudatum animum quàm diutissimè incolumem conseruet. Vale. Tiguri Heluetiorum, idibus Martij, anno Salutis D. M. LV.

CONRADI GESNERI AD LECTOREM PRAEFATIO.

LIBRORVM noſtrorum de animalibus prolixitatem, & ex omni genere ſcriptorum ſed non inordinatam congeriem, quanquam copioſè excuſaui in primi libri ingreſſu, atque omnem conſilij mei inſtitutiq; rationem explicaui, non deſinunt tamen quidam hæc nobis ceu uitia obijcere, quibus nunc etiam, ſi fortè illa non legerint, breuiter reſpondebo. Primum quod ad prolixitatem, fuit illa mihi ſanè laborioſa, ac maluiſſem tantis laboribus abſtinere, niſi aliud propoſitum noſtrum fuiſſet. Sic enim in uniuerſum mihi perſuadeo, nihil utilius, nihil magis optandum eſſe ſtudioſis hominibus, quàm ut in omnibus artibus, ſcientijs, hiſtorijs, & quibuſcunq; rebus utilibus quæ in libros & literas relatæ ſunt, duos extare libros, Pandectas & Epitomen. Pandectas appello uolumen maius, & diexodicam, hoc eſt plenam & copioſam tractationem, in qua omnia omnium quæ bene & utiliter dicta ſcriptáue ſunt, bono ordine congerantur. Epitomen uerò compendium illius maioris operis, in quo omnia certius breuiusq; proponantur, & rerum explicationis maior quàm uerborum habeatur cura. Sed paulò fuſiùs ſententiam meam exponam, quoniam ad communem ſtudiorum rationem utilis uidetur. Pandectas igitur in quocunque argumento conſcribi operæpretium foret, à uiro erudito, ingenioſo, diligente, laborioſo, & uariarum linguarum perito, ut transferre ex omnibus aliquid poſſet: quem uel rex aut princeps, uel diues aliquis & liberalis Mecœnas propoſito honeſtiſsimi laboris præmio foueret. Antequam uerò rem aggrederetur, diu ſecum meditari & cum uiris doctis deliberare oporteret, cum de opere uniuerſo, tum eius ordine, methodo, ac locis locorumq; partibus & particulis, ita ut tota diuiſio nõ temere, ſed ex philoſophiæ & dialecticæ præceptis inſtitueretur. Deinde operis iam inchoati ſpecimen, non multis, ſed paucis & in eo genere doctiſsimis uiris oſtendendum, illorumq; conſilio & conſenſui candide acquieſcendum. Sic igitur nobis inſtructus Pandectarum, ſi contingat, futurus author, congerat ille primum & materiam operis paret, uel ex omnibus qui id argumẽtum ex profeſſo, aut etiam obiter aliquam eius partem tractauerint libris: uel illis tantũ qui ipſi ac doctis (quorum conſilio utitur) probati fuerint. Cõgeſta deinde in locos & ordines quæq; ſuos referat, quorum tabulam ſeu breuem rationem ipſe ſibi conſcripſerit ab initio operis præfigendam: & ne quid abſq; cauſa repetatur & abundet, cum multa à multis eadem dicantur: & è conuerſo ne quid omittatur, ca ueat. Authorum nomina ubiq; adſcribat: non ſolum ut ſuum cuiq; reddatur, quod homines gratos decet, cum omnes iuuandi & bene merendi animo ſcripſerint: ſed etiam propter rerum certitudinem. plus enim aut minus cuiq; creditur, prout alius alio doctrina, aut experientia, aut quo uixit ſæculo prior aut poſterior fuerit. Et quod plurium teſtimonio confirmatur, id certè fidem magis meretur. Nominentur igitur authores, nec magna interim de ſtilo cura ſit, quanquam is inæquabilis futurus eſt. Satis enim laboris circa cætera inſumitur. Stili uerò elegãtia & æqualitas ad Epitomen magis pertinet, quæ quidem ſcribetur ut ſerie continua legatur, cum Pandectæ commentariorum potiùs loco ſint. Addat etiam uocabula & ſentẽtias, ſi ſit opus, Græcæ & Hebraicæ linguarum, quæ ut antiquiſsimæ inter cæteras, ita doctiſsimæ ſunt: & ſacri profaniq; libri his linguis cõſcripti quàm plurimi extant. Sententias uerò, id eſt coniuncta aliquot uerba quandocunq; in his linguis citauerit, mox Latinè exprimat, propter eos qui harum linguarum imperiti ſunt. Ex cæteris autẽ linguis nihil adferet, ſed quæ ex ijs placuerint Latinè reddet. Nuda tamen rerũ de quibus agitur, præſertim ſi phyſicum argumentum fuerit, in diuerſis linguis poni uocabula, laudarim. Quæ ad philologiam, Grammaticam & poëticam ſpectant, non omittat, ſed ſeparet. Quod ſi res aut ſententia eadem ad locos diuerſos quadrare uideatur, ſat fuerit in uno poſuiſſe, & à cæteris ad illum remittere. Verba & ſententias authorum, in quibus aliquid dubium, obſcurum, falſum aut corruptum eſt, quoad eius poteſt, explanare, conciliare, arguere, & emendare conetur, ubi res poſtulabit. Sæpius enim hoc facto opus non erit, cum ipſi authores inter ſe hoc præſtant, quod uel apertè fit, uel ex collatione deprehenditur. Eſt autem hoc optimum genus commentariorum, cum loca authorum collatione mutua dilucidantur, quod in Pandectis facillimè fit, cum eiuſdem argumenti ſcriptorum ſententiæ in unum omnes locum conueniant. Ita fiet ut non ſolum in Epitomen eiuſdem operis, ſed prorſus in omnes quotquot ijſdem de rebus aliquid literis mandarint authores, unũ hoc uolumẽ abſolutiſsimi commentarij uice ſit. Poſtremò non aliena tantum recitet, ſed ſumma cura omniq; ſtudio de ſuis etiam obſeruationibus, quicquid deſiderari poteſt, quicquid utile aut iucundum cognitu adinuenerit, ſcriptis ac inuentis ueterum addat. Sic abſolutæ fuerint Pandectæ ſeu Commẽtarij, quorum uſus erit præcipuè doctoribus & profeſſoribus uni alicui ſcientiæ peculiariter addictis: ac digni erunt ut tanquam theſauri in Bibliothecis aſſeruentur. Et quanquam non ſcripti ſunt ut continua lectione euoluerentur, præſertim ab illis quibus per occupationes, aut genus diuerſum ſtudiorum, aliámue ob cauſam, id facere aut non libet aut non licet: erunt tamen illis etiam utiles, ſi eis tanquam Dictionarijs uti uoluerint, ita ut una tantum de re de qua inquirunt in ipſis legant, quam propter ordinem eundem perpetuò ſeruatum reperient facile. Ex his Commentarijs poſtea fiet Epitome, ita ut certa tantum & uera, aut maximè probabilia accuratè deligãtur, & ſicut dixi rerum duntaxat cura habeatur, non etiam uerborum. Quicquid ad philologiam aut Grammaticam facit, poëtica,

Excuſatur operis prolixitas.

Optandum in omnibus ijs quæ literis prodita ſunt, duos extare libros, Pandectas in quas ordine omnia omnium diligenter ac curioſe digeſta ſint: & earum Epitomen, &c.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 14 sur 825

prouerbia, ſimilia, fabulæ, ſuperſtitioſa, ſuperflua, dubia, falſa, obſcura, pugnantia, & quicquid eſt huiuſmodi omittantur. Authorum nomina non citentur. Stilus eſto purus, elegans, & æquabilis: elocutio breuis & arguta. Nihil niſi Latinũ afferatur. Græca, Hebraica, & multò magis cæterarum linguarum uocabula omittantur. Ab hac Epitome Lector ad Pandectas tanquam cõmentarios ſe recipiet ubi uoluerit. Hæc diſcentibus aptior erit, illæ docentibus. Talem quandam rationem ferè in Iuris ciuilis prudentia ſecutus eſt Iuſtinianus: cum primum Pandectas, deinde Inſtitutiones ueluti earum Epitomen conſcribi imperauit. Et Procopius Gazæus ſophiſta in pleroſq; ueteris teſtamenti libros commentariorum ex patribus Pandectas primum, deinde compendium ædidit, quod patrueles mei typographi Latinitate donatum proximè in lucẽ dabunt. Idem olim Vincentius Belluacenſis, uir non malè de bonis literis meritus, multis magnisq; de omni philoſophia, theologia & hiſtoriis uoluminibus editis, præſtare conatus eſt. Et ego nuper amico meo Hieronymo Maſſario Italo medico excellenti author fui, ut optimos uetuſtiſſimosq; rei medicæ authores in Pandectas redigeret, quod opus iam propemodum ab eo confectum & breui Baſileæ excudendum ſpero. Sic certè ſtudiorum laboribus conſulitur, ne eadem toties apud diuerſos ſint legenda, non acquieſcente interim animo, dum aliud apud alios fortè melius inuentum iri ſperatur. Magna hæc cõmoditas eſt, omnia ſemel tãtum legi, & uno in loco, ne tempus inquirendo abeat. Sic etiam ſumptibus parcitur, quo minus multi codices ſint emendi. Poteram pluribus de huius conſilij in omnibus literis utilitate diſſerere, niſi hæc ſatis factura uiris bonis & doctis arbitrarer. Illis ſi hoc probabitur, & ego eandem in hiſce libris rationem ſecutus ſum, quam ad Pandectas quaſcunq; condendas laudaui, eadem opera prolixitatis noſtræ & tot ſcriptorum congeſtionis excuſationem admittent: præſertim cum agnoſcam rerum magnitudine copiaq; me ſuperatum, meo quoq; deſiderio non ſatisfeciſſe, & in multis tum doceri tum reprehẽdi me poſſe fatear, idq; ut fiat cupiam. Non enim tam gloriæ meæ, quàm pulcherrimi huius operis illuſtrandi auidus ſum. Cæterum Epitomen omnium cum primum fuerit commoditas, ſi non ipſe conſcribam, per eruditum ac diligentem aliquem uirum fieri curabo. Interim hiſce tanquam Pandectis & Cõmentarijs ſuper animalium natura fruantur ſtudioſi, neq; duros ſe mihi & nimium ſeueros uel operis totius æſtimatores, uel in ſingulis ſi

Excuſantur alia quædam.

quæ occurrant erratis ad ueniam difficiles præbeant. In peregrinis quarundam linguarum uocabulis lapſus ſum fortè aliquando, ſiue in orthographia tantum, ſiue quòd falſa pro ueris poſuerim, ut in Illyricis, Hiſpanicis, Italicis & alijs fortaſſe. quod ſicubi deprehendetur, culpa in illos reijcienda fuerit à quibus ſcripta uel dictata accepi. Iam ſi animalia quædam omiſſa ſunt, poterunt illa tamen ferè omnia ad genera aut ſpecies eorum quæ poſuimus referri. Fateor equidem tum icones tum hiſtorias complures accedere potuiſſe, ſi nihil in fortuna mea & alijs quibuſdam cauſis impedimenti fuiſſet. Sed hæc ipſa quæ præſtiti tam multa ſunt, ut facile ſperem non negandam mihi ueniam propter omiſſa. Quòd ſi quis indices tantum, qui nomina animalium continent ordine literarum, inſpicere, & in Latinis ac uernaculæ linguæ tantum uocabulis, quantum ex illis numerum ignoret, uel ſaltem Latinè nominare nequeat, experiri uoluerit, quanto in labore ac difficultate ſim uerſatus facile intelliget. Figurarum ſiue iconum inæqualitatem, & quòd ſæpe nulla proportione ſeruata minores factæ ſunt, quæ maiores eſſe debebant, uel contrà, in primi libri præfatione excuſaui. Culpa quidem mea non eſt: neq; hoc impediet lectorem aut ſpectatorem, cum magnitudinis differentia plerunq; à nobis adſcripta ſit. Auium quidem nomina naturasq; ante nos & pauci & breuiter attigerũt, ex quibus Gyb. Longolius Germanus, & Guilielmus Turnerus Anglus uiri doctiſsimi præcipuam merentur laudem. Miratus ſæpe ſum (inquit Longolius) Galeni tempeſtatem, cum uiris etiam magnis auium formæ cognitionesq; tam fuêre ignotæ, ut is coactus ſit alaudas ita lectoribus ſuis, citatis huc & fabulis & poetarum teſtimonijs, deſcribere, quemadmodum in ludo grammatico literatores ſolent. Idem animaduertit Ariſtotelẽ hac in parte minus quàm in alijs hiſtorijs fuiſſe diligentem. Sanqualis & immuſſuli auium Plinij ſæculo nomina ſolum tenebant. Quidam (inquit) poſt Mutium augurem uiſos non eſſe Romæ confirmauêre. Ego (quod ueriſimilius eſt) in deſidia rerum omnium non arbitror agnitos. Quod ſi olim cum libri multi de animalium natura adhuc extabant, qui iam interierunt, tam obſcura eorum natura fuit, uenia certè nos ſumus digniores qui in tanta obſcuritate & tam paucis anguſtisq; ueterum deſcriptionibus adiuti ſcribimus, ſi quando offendimus, ſi multa ignoramus. Fruſtra deſideramus Trogi de animalibus libros, ex quibus decimum citat Chariſius; qui etiam Fabiani ſeu Fauiani philoſophi de animalibus & cauſarum naturalium libros nominat. Ptolemæum aliquot libros reliquiſſe cõmentariorum de regia Alexandriæ & animalibus in ea nutritis, Athenæus refert. Apud eundem liber ſecundus Alexandri Myndij de animantibus uolucribus memoratur. Callimachi de auibus libri crebra eſt in Scholijs Ariſtophanis mentio. Ex ueteribus hi omnes interierunt, & alij complures in primi libri ingreſſu nobis enumerati. Ex recentioribus Græcis inuenio Georgij Piſidæ quædam de diuerſis animalibus ſcripta in quibuſdam Italiæ bibliothecis latitare: quæ quidem non magni momenti eſſe iudico. Mallem qui Bononiæ in cœnobio quodam occultatur Nemeſiani poetæ Latini de aucupio librum nobis tandem publicum fieri. Ego nullum ex ſcriptoribus nondum publicatis hactenus conſequutus ſum, præter Græcam paraphraſin in Oppiani Ixeutica, id eſt, de aucupio libellos, quos quidem Latinos feci & paſſim huic de auibus uolumini integros inſerui: & recentiorum quorundam Demetrij Conſtantinopolitani &

Tractationis de animalibus præſertim auibus difficultas: & eius cauſa ueterum huius argumenti aliquot librorum interitus.

Qui extent nondum publicati.

alterius

Ad Lectorem.

alterius innominati de accipitribus eorumq; cura libros similiter Græcè scriptos: item Aeliani ani-
maliũ historiam Græcam, quæ tamen interprete Petro Gillio iandudum Latinè legitur. Edoardus *Publicati quo-*
Vuottonus Anglus nuper de animaliũ differentijs libros decẽ ædidit, in quibus etiamsi suarũ ob- *dam.*
seruationum quod ad historiam nihil adferat, neq; noui aliquid doceat, laude tamen & lectione dí-
gnus est, quod pleraq; ueterum de animalibus scripta ita digesserit, ac inter se conciliârit, ut ab uno
ferè authore profecta uideantur omnia, stylo satis æquabili & puro, scholijs etiam ac emendationi-
bus utilissimis adiectis: & quod priusquam ad explicandas singulorum naturas accederet, quę com
munia & in genere dici poterãt doctissimè exposuerit. Petri Bellonij Cenomani de auibus librum
Lutetiæ hoc ipso tempore excudi audio, qui fortè iam absolutus est, ad nos quidem nondum perue
nit. In illo non dubito raras aliquot auium & icones & descriptiones haberi. Nã ille partim in Gal-
lia, partim in remotissimis orbis regionibus, quas peregrinationibus suis ei inuisere datum est, non
pauca quibus nos caremus sibi comparare potuit. Idem in libro Gallico, quem Singulares obserua
tiones inscripsit, passim aliquot auium meminit, unde nos & alia quædam & meropis effigiem mu-
tuati sumus.

CATALOGVS DOCTORVM VIRORVM, QVI AD ABSOLVENDAM AVIVM HISTORIAM liberalissimè nos adiuuerunt.

Aegidius Tschudus Claronensis, uir il-
lustris.
Guliel. Rondeletius, medicus, in Schola
Monspeliensi professor regius, cuius
nuper doctissimi absolutissimiq; de pi-
scibus libri prodiuerunt.
Hieronymus Zanchus Italus, theologiæ
& philosophię interpres in Schola Ar
gentinensi.
Hierony. Massarius Vicẽtinus medicus.
Melchior Guilãdinus Borussus medicꝰ.
Ioannes Caius Anglus medicus.
Ioannes Dryander, medicus & professor in Aca
demia Marpurgensi.
Leodigarius Grimault Normannus.
Ludouicus Lauaterus Tigurinus, Ecclesiæ mi-
nister.
Nicolaus Dalonuille diœcesis Charnoteñ.
Raphael Seilerus Augustanus CL. V. Geryo-
nis Seileri medici F.
Thomas Erastus Heluetius medicus.
Vlysses Aldrouandus Bononiensis medicus.

¶ Et præter hos alij in primo & secundo libro à me nominati, tum ab initio librorum, tum etiam cum iconibus, descriptionibus uel historijs quas singuli communicarunt, ex diuersis Germaniæ, Galliæ, Angliæ & Italiæ regionibus ad me missis. Scio etiam in Hispanijs, in Dania & remotioribus ad Septentrionem Scandinauiæ locis, multos esse doctissimos uiros ad quos fortasis nostri quoq; libri deportantur: quorum si quis liberalitate ac beneuolentia sua me prosequi, ac laboribus nostris fauere dignabitur: næ ille & mihi alacritatem & stimulũ ad reliquos de aquatilibus, serpenti bus & insectis libros citius absoluendos addiderit, & publicum in promouenda hac naturæ historia beneficium præstiterit. Rogo itaq; doctos omnes in remotissimis regionibus, qui in hos libros inciderint, primum ut æquos ac benignos censores se nobis exhibeant, deinde si quid ad eos emendandos, augendos, iconibus & descriptionibus nouis, aut quoquo modo illustrandos conferre possunt, id candidè, liberaliter matureq; ut faciant. Quod si quis non multa docere aut communicare possit, illum utcunq; pauca, & uel unum aut alterum quippiam duntaxat nobis præstitisse, gratissimum fuerit. Scribendi quidem mittendiq; occasio nõ deerit, per mercatores præcipuè, qui magna emporia frequentant, Antuerpiam, Venetias, Lugdunum, Francfordiam & alia, ad quæ etiam maiorum Germaniæ nostræ ciuitatum mercatores adire solent, per quos curari & transmitti ad me facile poterit quicquid acceperint. Ego quoq; eadem uia ad uiros doctos & liberales, quorum nomina & uoluntatem cognouero, tum scribendo, tum si quid desiderarint mittendo gratum me declarare potero.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 16 sur 825



ENVMERATIO AVIVM, EO ORDINE QVO IN HOC VOLVMINE DESCRIBVNTVR. NVMERVS adiectus paginam indicat.

A.

ACANTHIS, quã Gaza ſpinũ uel ligurinum uertit 1
¶ Accipiter, in cuius hiſtoria multa inſunt communia omnibus auibus uncorum unguiũ quæ ad prędam auium nutriuntur & inſtituuntur, accipitrum, falconum & aquilarum generis 3
Accipitrum genera & differentiæ 40
Aeſalon 43
Buteo 45
Subbuteo 48
Circus accipiter ibid.
Cîris uel cirrhis 49
Accipiter fringillarius 50
Accipiter palũbarius ibid.
Sparueriusuel niſus recentiorum 51
Tinnunculus 53
Chalcis uel cymindis, quam & hybridẽ & ptyngem uocari putant 55
Accipiter Aegyptius 56
¶ Falco in genere 57
Falcones diuerſi 63
Falco ſacer 64
Hierofalchus 66
Falco montanus 68
Falco peregrinus 69
Mediani 70
Gentiles ibid.
Falco gibboſus, & ille qui ſemper tanquam uolaturus alas extendit 71
Falco niger ibid.
Falco albus 72
Falco rubeus ibid.
Falco cui pedes cœrulei 73
Lithofalcus & dendrofalcus 74
Lanarij ibid.
Falcones mixti 75
¶ Acredula 76
Alaudę, criſtata & ſine criſta ibid.
Alcyon 84
Aluco 94
Ampelis ibid.
¶ Anas cicur & in genere ibid.
Anates feræ, & primũ in genere 100
Boſcas duplex, & phaſcas 102
Querquedula & ſimiles aues, hoc eſt anati ſimiles, ſed minores 103
Glaucium 105
Penelops ibid.
Capella auis 106
Brẽthus anatis autmergi ſpecies, et alia eiuſdẽ nominis auis mõtana ibid.
Brãta uel bernicla 107. & rurſus 109
Puffinus Anglicus 110
Anates feræ in Heluetia communes, quarum nomina Latina nobis incerta ſunt: & primũ de anate fera torquata minore ib.
Anas fera torquata maior 111
Anas fera fuſca uel media, id eſt mediæ magnitudinis 112
Anas muſcaria 114
Anates platyrhynchi, id eſt latiroſtræ 115
Aliæ quædam anates, quas Ge. Fabricius apud Miſenos nobis deſcripſit, et lacus Acronij 117
Anates quædam Germaniæ inferioris & maritimæ, Meanca, Tela, Slub, &c. anate fera minores 118
¶ Mergi in genere, quidq; ab anatibus differant: & ſeorſim de Mergo apud Latinos ueteres, & Aethyia apud Græcos 118
Rurſus de æthyia 122
Mergi diuerſi 123
Colymbus & colymbis uel urinatrix. itẽ Thraces & Dytini 124
Vria 125
Phalaris ibid.
Mergi aliquot, quorũ nomina uulgaria tantũ nobis cognita ſũt: primùm in genere, deinde de mergis uariis, hoc eſt albo nigroq; diſtinctis, ex quibus eſt anas Rheni uulgò dicta 126
Alij eiuſdem generis mergi, ex Ge. Fabricij deſcriptione 128
Cæteri mergi eiuſdem generis, hoc eſt anati formes, roſtro latiuſculo anteriùs adũco, & albo nigroq; diſtincti: ſed collo breuiore multò 128
Mergus cirrhatus ſiue longiroſtra maior: & ille qui à thymallis piſcibus uorãdis nomẽ apud Germanos habet 129
Mergi magni, Mergãſer, Gulo, Scheledracus, & Morfex ibid.
Carbo aquaticus, & Magnales 131
Colymbi maiores 133
Trapezordæ uel merguli 135
¶ Anſer domeſticus, & de anſeribus quædam in genere 136
Anſeres feri in genere 152
Vulpanſer 155
Anſerum genera diuerſa 157
Anſer Baſſanus ſiue Scoticus 158
Guſtarda auis Scotica 159
Capricalca Scotis uulgò dicta ibid.
¶ Anthus 159
¶ Apus 160
¶ Agla germana, quã herodiũ Albertus & alij quidam uocant, Aelianus chryſaëton & ſtellarem 162
Aquilæ diuerſæ quarũ ueteres meminerunt 189
Aquila anataria, quam & clangam ſeu plangam, & morphnum appellant 190
Anopæa Homeri 192
Aquila alba ſiue cygnea 193
Aquila quam percnopterum, & oripelargum, & gypæetũ uocant ibid.
Haliętus, id eſt aquila marina, Niſus ueterum 194
Melanæetus ſeu ualeria aquila 196
Oſſifraga 197
Pygargus 199
Aquilæ diuerſæ apud recentiores 200
Aquila heteropus 200
¶ Ardeę hiſtoria in genere, ubi cum cęteris ardearũ generibus, tum pelle imprimis ſiue cinereę uulgò dictæ pleraque conueniunt 201
Ardea pulla ſiue cinerea 205
Ardea alba 207
Ardea ſtellaris minor, quam botaurum uel butorium recẽtiores uocant 208
Ardea ſtellaris maior 212
Ardeæ diuerſæ ibid.
Alia quædã ardea 213
Falcinellus 214
Arquata ſiue numenius 215
¶ Aſilus 217
Aſio ibid.
¶ Attagen 219
Francolinus 223
Gallina corylorumſeu bonoſa Alberto dicta 223
Gallus paluſtris 225
¶ Auoſetta ibid.
Auriuittis 226

b

Enumeratio

B.

Baritæ 227
Bethylus ibíd.
Bubo 227
Budytæ 233

C.

Calamodytes 223
Calidris ibíd.
Capra uel capella auis 234
Capriceps ibíd.
Caprimulgus 234
Carduelis 235
Caryſtiæ aues 237
Caryocatactes ibíd.
Caſpia uel Indica auis 238
Catarractes 239
Catreus 240
Alcatraz 241
Caucalias ibíd.
Ceblepyris 241
Cebrion ibíd.
Cela 241
Celeus ibíd.
Cepphus 242
Certhias 244
Charadrius ibíd.
Chloris 247
Citrinella 248
Serinus 249
Chlorió ſeu Chloreus ibíd.
Ciconia 250
Ciconiæ ſimiles aues 261
Ciconia nigra ibíd.
Cinamomus auis 263
Cindapſus ibíd.
Cinopeon 263
Cinnyris ibíd.
Cnipológos, culicílega Gazæ 264
Cliuina ibíd.
Coccothrauſtes 264
Cœruleus 265
Colaris 266
Collurio ibíd.
Colũba domeſtica, & in genere quæ ad columbaceũ genus pertinent 267
Colũbaceo generi uniuerſo communia 293
Columbæ feræ in genere 294
Columbæ ferę quædã, porcellana, ſaxatilis, œnas 294
Liuia columba 295
Palumbes maior & minor 297
Turtur 303
Contilus 307
Coraphus ibíd.
Corcora 307
Corinta uel Cornica ibíd.
Cornix 308
Cornices diuerſæ: & primum de frugiuora 319
Cornix uaria ibíd.
Cornix aquatica et marina 319
Coruino generi communia quædam 320
Coruus 320
Corui diuerſi, aquaticus, pyrrhocorax, incendula 336
Coruus ſyluaticus 337
Coturnix 338
Ortygometra 346
Crex 347
Cuculus 348
Cureus 355
Curruca ibíd.
Cygnus 357
Cynchramus 366

D.

Dacnas 367
Dicæræ Indicæ auiculæ ibíd.
Diomedeæ aues 367
Dryops 368

E.

Edolius 368
Elaphis 369
Eleas ibíd.
Elaſas 369
Enthyſcus ibíd.
Epimachus 369
Erythropus ibíd.
Ermacos 369
Erythrotaon ibíd.
Externæ 370

F.

Ficedula & atricapilla 370
Fringilla ſiue ſpiza & phrygilus 372
Quę de fringilla recentiores ſcripſerũt ibíd.
Fringillæ ſeu Vincones diuerſi 373
Fringilla mõtana 374
Fulica ueterum ibíd.
Fulica recentiorũ 375
Fulicæ noſtræ auibus ſimiles, ut cotta Anglorũ, & Rallus Italorum 377

G.

Galbula uel galgulus 377
¶ De gallo gallinaceo & ijs omnibus quæ ad Gallinaceum genus in genere pertinent 379
Capus 411
De gallina: & de ouis tum gallinaceis tum in genere 414
De gallinis ſylueſtribus in genere, ac de nonnullis etiam particulatim 459
Gallina ruſtica 461
Meleagris ibíd.
De Meleagride recentiorũ opiniones 463
Gallina Africana ſeu Numidica ibíd.
Gallopauus uel Gallus Indicus 464
Gallina Indica diuerſa ibíd.
Gallinæ lanigeræ 466
Otis ibíd.
De otide quid ſentiant recentiores 468
Tardæ uel biſtardę hiſtoria è recentioribus 468
De tetrace, tetrice, tetraone, erythrotaone, ex ueterum ſcriptis 471
De tetrace uel tetraone, &c. ſcripta recentiorum 472
Vrogallus ibíd.
Gallus betulæ 475
Vrogallus minor, uel tetraon minor ibíd.
Grygallus maior 477
Grygallus minor 478
De ordine ſequẽtium gallinacei generis, ut uulgus ferè appellat, auium: quæ omnes ferę ſunt, gallinis uillaticis aliqua ex parte ſimiles, minores tamen, lõgis cruribus, &c. 478
De gallinulis terreſtribus, & primùm de ilis, quę uulgò Germanis Hegeſcharæ dicuntur 478
De gallinula quam noſtri uocãt Wachhũn: uel de arquata maiore & phæopode duplici, quarum alteram arquatam minorem uocaui 480
Rala uel ralla terreſtris 481
De auibus ſiue gallinulis aquaticis: lõgis cruribus, &c. quædam in genere cum tabella diuiſionis, & particulatim quædam 482
De auibus quarum ueteres mentionem fecerunt, quæ ad genus gallinaginum aquaticarũ referri poſſe uidentur 483
Ruſticula uel perdix ruſtica maior ibíd.
Ruſticula ſyluat. 486
Ruſticula ſiue gallinago minor 487
¶ De duodecim generibus gallinularum aquaticarũ, quæ circa Argentoratũ capiuntur, quarum nulli peculiare aliquod, Latinum Græcúmue nomẽ aſſignare poſſum. in genere uerò nonnihil de eis dictũ eſt ſuprà. ego Greca confinxi à coloribus, præcipuè crurum. Et primùm de erythropode 488 Rotbein
Glottis, uulgò dicta Glutt 489
Poliopus 490 Seffyt
Ochropus magnus 491 Schmirring
Rhodopus 492 Steingällyl
Hypoleucos 493 Fyſterlin
Melampus 494 Rotkinillis
Ochropus medius 495 Mattkinillis
Erythra 496 Mattkern
Ochra 497 Wynkernnell
Erythropus minor 497 Koppzie-

Auium.

Koppriegerlin
Ochropus minor 498
Riegerle
Goduuitta uel fedoa Anglorum 498
Totanus & Limosa sic dictæ aues circa Venetias. sunt autem maritimæ siue gallinulæ siue ardeolæ 499
¶Glottis ueterum 501
Gnaphalus ibid.
De gracculis uel monedulis in genere: & priuatim de illa specie quæ tota nigra est, rostro etiam & pedibus, quã Aristoteles lycon cognominat, & plerique hodie præ cæteris monedulam 501
Graculus uel cornix saxatilis 503
Steintahen
Pyrrhocorax 508
Grus 509
Gryps, ex ueteribus 521
Ex recentioribus 522
Gyges auis 523

H

Harpe 523
Harpyiæ 524
Heliodromus 526
Helorius 527
Himantopus ibid.
Hippocamptus auicula 528
Hippus auis ibid.
Hirundo domestica & in genere 528
Hirũdines diuersæ 543
Hirundines sylueſtres 544
De hirundinibus ripariis, & primũ de drepanide 545
Horion 546

I

Ibis 546
Incendiaria auis seu spinturnix 550
Ispida 550
Ityx 551
Iunco ibid.
Iynx 552
Izines 554

L

Lagopus 554
Lagopus uaria 556
Lalages 557
Lanius cinereus 557
Thornkretzer
Lanius maior 558
Warkengel
Larus 559
Larorum genera diuersa quorum mentio fit apud recentiores 562
De laris q circa aquas dulces degunt, & primum de cinereo 563
Mew/Holbrot
Sterna 564 Stirn
Spyrer
Larus piscator 565
Fischerlin/Fel
Larus niger 566
Meyngelin.
de Laris marinis, & primum de albo 566
Seemewen
Libyus 567
Linaria 567
Schöfflin
Linaria rubra 568
Schöfferle
Linurgus Oppiani ibidem
Loxias 568 Krützuogel
Luscinia 569

M

Magnales 575
Mattyeis ibid.
Melanderus 575
Memnoniæ aues ibid.
Merops 575
Merops alter 578
Merula 579
Merularũ species, uel eis cognatæ aues 582. & 583
Merula torquata 583
Passer solitarius 584
Merula aquatica 584
Miliaria 585
Miluus 585
Mollíceps 590
de Motacillis. i. caudã motitantibus diuersis auibus: & primũ quædam in genere 591
Cinclus 592
Cercion 593
Motacilla quam Germani albam cognominant 593
Motacilla flaua, & aliæ diuersæ 594
Motacillæ genus quod Germani quidã Pilwegichen uel Pilente nominant 594
Mytex 595

N

Nertos 595
Noctua 595
Noctua saxatilis 597
Steinkutz
Nyctícorax 602

O

Oce 604
Oenanthe ibid.
Onocrotalus 605
Ophiomachus 609
Ophiurus ibid.
Opilo 609
Orchilus ibid.
Oryx 609
Otus 610

P

Paradisea uel paradisi auis 611
Pardalus 614
Parra ibid.
¶De Paris diuersis, & primũ in genere 614
Parus maior 615
Parus cœruleus 616
Parus ater ibid.
Parus palustris 616
Parus cristatus 617
Parus caudatus ibid.
Parus syluaticus 617
¶Passer 618
Passer sylueſtris paruus siue torquatus 624
Passeres diuersi quorũ Græci meminerunt, ibidem.
Passer sylueſtris magnus 624
Tetrax paruus ibid.
Spermologus paruus 625
Passer troglodytes, ibi.
Passeres quidã, illi præsertim quorum nomina Germanica tantũ nobis cognita sunt. Et primũ de passere harundinario 627
Prunella passer 627
Emberiza flaua duorũ generum 628
Emberiza alba 629
Emberiza pratensis ibidem.
Passer muscatus 629
Passer stultus 630
Passeres alij, præsertim quorum Italica tenemus nomina, de antiquis Latinis aut Græcis dubitamus 630
¶Pauo 630
Pelecanus seu Platea 639
Perdix 643
Perdix maior 655
Phasianus 657
Phlexis 662
Phœnicopterus ibid.
Phœnix 663
Phoix 666
¶De Pica in genere, præcipuè uero de illa quæ uaria & caudata à caudæ longitudine cognominatur 666
Pica glãdaria, uel Garrulus auis 672
Garrulus qui circa Argentoratum Roller appellatur 674.
Garrulus Bohemicus 674
¶De Picis Martijs, & picorũ genere in uniuersum 775
Picus maximus uel niger 679
Picorũ genus uarium ex albo & nigro 680
Picus uiridis 681
Picus cinereus uel sitta 682
Picus muralis 683
Pici diuersi, Craugus, Dryops, Alcatraz, Picutus, &c. 683
Oriolus, Picus nidum suspendens 684
¶Piphallis 685
Ploas ibid.
Pluuialis 685
Porphyrio 687
Poyx 689
Porphyris ibid.
Psiphæon 689
Psittacus ibid.
Pyralis 694

R

Regulus, Trochilus 694
Rhaphus 697
Rhinoceros auis ibi.
Rhyntaces, Rhyndace 697
Rubetra ibid.
Rubecula & Rutícilla: Erithacus & Phœnicurus 697
De ijsdem ex recentioribus 698. 699. 700
Rubeculę aut Phœni-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 20 sur 825

Enum. Auium.

curo cognatæ aues di uersæ 700
Rubecula saxatilis, cyanus 701
Rubicilla siue pyrrhulas ibid.

S.

Salpinx 702
Salus uel Aegithus 702
Sarau peregrinæ aues 703
Sarin 703
Scylla ibid.
Scips 703
Seleucis ibid.
Sialendris 703
Sialis ibid.
Sincolina 703
Sirênes 704
Sitaris 706
Smerinthus ibid.
Sôdes 706
Sparasion ibid.
Spergulus 706
Sphicas ibid.
Spyngas 706
Spinturnix ibid.
Stethias 706
Strix ibid.
Struthio, Struthiocamelus 708
Sturnus 714
Stymphalides 718
Subis ibid.

T.

Tautasus 718
Tengyrus ibid.
Teleas 718
Thous ibid.
Thraces 718
Thratta 719
Tiphia ibid.
Titys 719
Tityrus ibid.
Tityras 719
Tragopanas ibid.
Todus 719
Triccus ibid.
Trochili aquatici 719
Trogon 720
¶ Turdi in genere, & priuatim de illo quē Aristoteles trichâda nominat, Gaza pilarem 720
Turdus uiscivorus 727
Turdus minor, illas uel tylas 728
Turdus minor alter, Troſtel uulgò 729
Tyrannus 730

V.

Vanellus, Vannellus 731
Vanello cognatæ aues 733
Varones ibid.
Vespertilio 733
Vespertiliones diuersi, Vulpecula 739
Vlula 740
Vlulæ genus alterum, quod quidam flammeatū cognominant 742
Voisgra 742
Vpupa 743
Vulpecula 739
Vultur 747

APPENDIX de auibus nonnullis ignotis uel innominatis, &c. 761
PARALIPOMENA quæ cōtinent auium aliquot figuras & descriptiones, in præcedentibus suis locis omissas.

FINIS.

INDICES

INDICES ALPHABETICI QVI AVIVM HVIVS VOLVMINIS NOMINA IN DI VERSIS LINGVIS CONTINENT, HEBRAICA, PERSICA, GRAECA uetera & noua, Latina, Italica, Hiſpanica, Gallica, Germanica, Anglica, Illyrica, Turcica.

HEBRAICA quibus etiam Arabica & Chaldaica adiunximus, & recentiora quædam ex uulgaribus linguis, & alia quædam incognitæ dialecti, ſed Hebraicis literis in Rabinorum libris ſcripta. Arabicis Hebraicè ſcriptis pleriſque Ar. ſyllabam appoſuimus: Latinè uerò ſcriptis, quæ plurima in medicorum libris leguntur, notam nullam adiecimus, præſertim cum de non paucis Arabicáne eſſent dubitaremus. articulum al uel a. qui frequenter Arabicis dictionibus præponitur, quod ad literarum ordinem plerunq; negleximus. Ch. nota Chaldaicum deſignat. Quod ad literarum ordinem & Orthographiam in pleriſq; mihi incognitam, coniecturis uſus ſum: & Latinè ſcripta quæ ab ſ. incipiebant, ad ש retuli, quæ à t. uel th. ad ת &c. Arabum quidem interpretes multas uoces è Græcis ita peruerterunt, ut cuius ſint linguæ, non facilè appareat.

א

אבי 202
abka coruus 321
abenagi 764
adicaſugeg 380
aduduc Auicēnæ 227. 602
adoram 764
aduzaruz egi 380
adduuta 94
אורז Ar. 136
אוזיה 195.521
achal 164
אטלקחא Ar. 268
אטליפא Ch. 734
אי 227
איה 585.586.747
איים 740
akeμius 576
alacona 321
anacanati 764
אנפה 244.201.471
afabyhuc 764
azuri 715
azedaraz 764
aztor 764
aridam uel aradã 164. 747
aſcebete 94
alaſafir 618
aſsikakak 764
אשטורגל 163

ב

באשק Ar. 358
babebot 618
בבגח Ar. 202
albegath 764
albucalmum 483
burachet 94
בוחא Ch. 357
baltat 94
belez 197
balazub Ar. 641
belſchiat 675
banchem 348
בפאש Ar. 734
באזי Ar. 4
albazi Auicennę 4.69
bar 94
ברבור 379
ברגוא 521
barar 94
barbaiũ Auicēnæ oſsifraga 199
beſeher 94
Vuoſzhe Saracenis. 136
albaſach 764
bat uel bath 94
בת יענה 709
בת בנפא Ch. 586
בת נעמיתא Ch. 709

ג

גארח Ar. 586
גבר 380
גבריא Ch. ibid.
gagila 164
gigeg 380.414
algadem 308
geceid Auicennæ 78
guaraſcen, uide in ע
algardaione 528
genges 765
algueſim 298
גוזל 268
giaziudiuch 380
guidez 308
gaudes ibid.

ד

דאה 57.585.586.747
digegi uel digedi 414
דוביפה 460
dorache 339
dura 675
alduragi 220
duram 303
duraz 220.303
דזאבוה Ar. 268
דיה 586.746
דיה רגגית 201
דיותא Ch. 251.586
dic Saracen. 380
darharcaria 576
alderariz 657
¶ Euchem 348

ה

חבן 630
חבור 380
haberi 765
alhabari 466
alhada 586
alhedud 744
חרחר Ar. 460
alhudud 744
חובן 630
hududub Auicēnę 227
hachoac Alberto pro cornice
חחפא 460
חיורון 202
hakik 348
hacokoz 744
haukeb 164
hamam 268
hemame Saraceñ. 268
hamen 268
hanabroch 77
har 94
harbe 227
alhaſſafir 618
haſtaialga 690

ז

זיז 460
זמג Ar. 119
זרזיר 4.163.380

ח

alchabegi 655
alchubugi ibid.
alchaugi 370
חדא Ar. 586
חדרותא Ch. 250
חדריתא 251
חטופיתא Ch. 560
chym 523.748
alchilim Auicēnæ pro haliæeto 195
chame 268
חמואמה 268
alchamari Ar. 720
חסירה 202.250
chafas 734
chorab, Vide in Ain.
חרריתא Ch. 250
cheren 84
chauraf 528
alchata 298
chataf 528
chatas ibid.

ט

טאוס Ar. 630
טאיר Ar. 618
taëra Iſmaëlitarum lingua, columba 268
טוס 460
טוסא Ar. 630
טוסין ibid.
theſugi 643
טורש 586
טבפר 163
thalim, thaliz uel thalium 709
טראת 202
טרפיתא 585

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 22 sur 825

Index.

ו

ירוע 591
ירעון ibíd.
יון 268
יונה ibíd.
οὐνώ Syrorum & Hebræorum lingua columbam cœnadem ſignificat, Tzetzes 268
יונתא Ch. ibíd.
ייבן 227
יגשות 546.357
יגשת 595
יעגה 595.709
יקקריקא Ch. 357.687

ב

cabagi 655
cabegi 643.655
kabín Auicennæ oſſifraga 197
cabarũ Auicennę oſſifraga ibíd.
בגר הורא 460
cubata 643
alcubi 644
cubegi 655
alcubigi ibíd.
cubugi 643.655
cubes 643
cubeth ibíd.
cumen 765
komor ibíd.
cunteg 643
בוס 57.201.227.595
בורבא Ar. 308
בותא Ch. 357
בטאת 509.550
kym 197.523.748
cyfred ,p oſſifraga Alberto 198
בבלי 338
akakamati 194
cekar 197
clas 466
alkalkan 764
kambrah 77
camberí Damaſcí ibíd.
cambura Damaſcí 77
alcamer 268
alkemus 576
canaberí Damaſcí 77
alcanabiri, aliâs alcana bir Damaſci ibíd.
kanen 603
cafeſci 734
ברבים 765
alkarauen 764
caſekſo 734
alcatha 298
alcatraz 241.683

ל

ladach ciconia 250
allakaliki 596
lacalit Serapioni 250
lalath ciconia ibíd.
laaman 268

מ

almebacalbum 483
madion 765
macha Auicennæ, coruus aquaticus 336
מוחרתא 251
almeliki 764
almencalbum 483

נ

naam 709
נבא Ch. 4
נגרשרא Ch. 460
nham 709
alnuaheb Ar. 269
נרצח 4
nacham 709
נישרא Ch. 162
נסר Ar. 162
נעאמח Ar. 709
נעלסח 460
napam Syriace 164
נץ 4
נרגל 380
נשר 162

ס

סוס 509
סיס ibíd.
סבוי 380
סבויא ibíd.
סלוא 338
סליו ibíd.
סנוביתא Ch. 509
סנונית ibíd.
סס 509

ע

עגור 250.509
עדיא 521
עיקאב Ar. 42
עזניה 44
עטלת 734
עצבור Ar. 618
עצפור Ar. 227
עקאב Ar. 42
ער Ch. 163
ערב 321
Oreb 308
Gorab Ar. ibíd.
alchorab 84.321.336
algerab uel algorab 321
Guaraſcen, guareſcen, Guariſcen 298.303
alurafen 298
ureſan ibíd.
alurſan 298
aluers ibíd.
ocke Saracenis 136

פ

alfuachat uel alfuachet 299
alfuachet 303
furogi uel furogígi 380
פיסין Ar. 657
פלקון 227
fengarion 94
פסיוניין Ch. 338
alfrach 268.458
פרס 4.42.73.163.195.521
פרך Ar. 268
alfethi gallinæ 415

צ

צדא Ar. 586
צואיטא zueta 357
צוצלתא 303
צוגוניא 250
צוציא Ch. 195
zimmiech uel zummach aquilæ genus 164.200
צפור 618
צפרא Ch. ibíd.
zezír 714
צקר Ar. 250
alzarazír 714
zaratro 715

ק

קאח 119
קאקאתא 348
קאת 119.201.239.308.348.640
קדיא Ch. 227
קולוא 338
קוץ 227
קוק Ar. 119
קוראא 643
קוריא Ch. ibíd.
קוריאה Ch. 643
קטאת 509
קימוס Ar. 596
קיפופא Ch. 227.358.596.603
קיק 119.308.348.606
קקי 136
קתא Ch. 119

ר

ראח 57.586.747
רחמה uel רחם 197.357.666
rocham 194
alrachme ibíd.
arachamati 194
rachame uel rachamat ibíd.
רבם Ar. 357
רגן 460
רשת 747

ש

שאת Ar. 227
ſabech 41.51
alſeudeni 715
שחח 4.227.559.348
ſchachepha Ch. 227
שבוי 380
alſecrah Damaſci 250
שלו 338
שלוא ibíd.
אלשלוי Ar. 338
שלוי Ch. ibíd.
שילגונא 119
שלך 119.201.239.348
Seman Auicennæ 339
שנח 227
ſpumos 765
alſafanín 303. ſimile eſt Chaldaicum nomen
ſafarahun 625
ſafurion 625.591
שפנינא Ar.Ch. 303
ſarſar 765
שרקרק Ar. 666

ת

tagi 748
atederaz 657
altedarigi ibíd.
altedarugi 339.657
taui 368.748
תוך 303.630
התופיתא 195
תחמוס 559.595
altaiugi 339.643
alteiugi 643
altheiugi ibíd.
altaiaigi 643
teyuz ibíd.
atheiz 643
תנשמת 357.546
tefeſe 414
תר 303
taram 748
תרנגול כרא Ch. 460
תרנגולא 380
תרנגולת 414
השולה 119

PERSICA.

מור אן בז 4
mar an baz 69

גרגשך

Index.

גרגשך 618
בור אן ראה 586
אן ריח ibid.
חבוס 227
hamoni 197
חסירה 250
בור אן טיח 286
יגשות 358
בבוחר בצר 268
אן בח 102
אן בח בנך 460
בפתר 268
בורג צחא uel צחא 338
סומי 42
אן סרבורג 162
קאת 119
רחם 357
אן שכ פרך 734
ſchachepha 227
התרז 303

VARIA ET IG= nota quædam.

caſicium, p colũba 268
ſachari falco Auicen= næ 66
ſeph Babyloníjs & Aſ= ſyríjs 65
ſemy ibid.
hynaire ibid.
dicærus Indica língua 367
manuco diata ín Molu chís ínſulís Noui or= bís 611
barbax 4. accipíter, Li byce

AEGYPTIACA.

baydach 41.51
cucuſa 744
thauſtus 4.

GRAECA.

Ἀγὸς Cypríjs 164
ἀγρβύς 559
ἀεισκω 217
ἀετός 162
ἀετὸς uel ἀϊτὸς 164
ἀετὸς λαγωφόνος 197
ἀετὸς μέλας ibid.
ἀετὸς νεβροφόνος 199
ἀετὸς ὀϕεμύλας 189
ἀετὸς πορκοσπόρος 193
ἀποδίδω 569
ἀϑλιεύδες 125
ἀιγαϑρα 667
ἀιγίϑαλος 614
ἀιγίϑαλος απιζίτης 615
ἄιγινϑος, ἀιγίνϑος 702
ἀιγίπος 189
ἀιγοϑήλας 234
ἀιγοκέφαλδς 234
ἀιγυπιὸς 189
ἀιγωλιὸς 740
ἄιθυια 118
ἀιξ ὄρνεον 106,122,234. 732
ἄισακος 698
ἀισάλλω 43
ἀιτωλιὸς 740
ἀκανθὶς 1.235
ἄκμων 189
ἀλεκτοριδιὰς 458
ἀλεκτοριδίων νεοσσιδες 458
ἀλεκτρὶς 415
ἀλεκτρίσκος 458
ἀλεκτρυόνιον ibid.
ἀλέκτωρ, ἀλεκτρυὼν 380
ἀλκυὼν 84
ἁλιάετος 194
ἀλώπηξ ὄρνεον 739
ἀμπελὶς ἢ ἀμπελιὼν 94
ἄνθος 159
ἀνόπαια 192
ἄπτης 160
ἁρπετὸς 523
ἅρπη ibid.
ἅρπυια 524
ἀσίδια 250
ἄσις 219
ἀσκαλώπας 483
ἀσὶς 236
ἀσπαγαλῖνος 235
ἄσφαλος 369
ἀτηλαυγᾶς 220
ἀτηλαγὶω, ἀτηλαγᾶς, ἀτηλάγας 219,220
Βαρὶτος 227
Βασιλὶς 694
Βασιλικὸς 695
Βατὶς 697
Βίβυλος 227
Βίτηλος ibid.
Βοίας 228
Βόσκας ἢ Βοσκὰς 102
Βὸγλος 120,122
Βραδῦτα 233
Βυκολίνη 593
Βύταλις 228
Βυτταμάεια 122
Βῶφος 596
Βρόγϑος 106
Βύας 227
Γαυσαλίτης 501
γράω 509
γλαυκίον 105
γράπτη 761
γραύκαλος 509,614
γρυπόκυξ 477
γρῶς 521
γρύλλος 521
γύγης 523
γυπάετος 193
γυποβριόργης 48
γὺψ 747,749
Δάκια 367
δακνὰς ἢ δακνὶς 367
δαίδαλος 698
δίκαιος ἢ δίκαιος 367
δομίδιος ὄρνεα 367
δρακοντὶς 545
δρεπανὶς 545
δρυοκόποι 675
δρυομοκόλαπτος 675
δρυοκολάπτης 675
δρύοψ 683
δρύπης 122
δρυτῖνοι 124
ἐδώλιος 368
εἰδαλὶς 368
εἰδώλιος 368
ἐλαιὸς 369,615
ἐλασᾶς 369
ἐλαϕὶς 369
ἐλέα 369
ἐλεᾶς 396
ἐλείας 369
ἐλεὸς 94
ἐλώδιος 527
ἐνϑύσηος 369
ἐπιλαεὶς 356
ἐπολιὸς 740
ἔποψ 743
ἐρίθακος 697,698
ἐρίθιος 697
ἔρίθυλος 697
ἔριμος 369
ἐρυθρόπους 369,488
ἐρωδιὸς 202
ἐρωδιὸς ἀστερίας 208
ἐρωδιὸς ἀφροδίσιος 212
ἐρωδιὸς λδυνὸς 207,208
ἐρωδιὸς ὁ πελὸς 205
Ἡλιοδρόμος 526
ἡμόνιον 526
ἠϊσάλπιγξ 702
Θεοκρόνος 41
Θρᾶκες 124
Θρᾷξ 719
Θραυπὶς 235
Θωὸς 718
Ἶβις 546
ἶβυς 548
ἶβυξ uel ἰβὶξ 548
ἰδρὰξ 4
ἰζὶνος 554
ἰκτὶν, ἰκτῖνος 586
ἰλλὰς 728
ἰμαντόπους 527
ἵππη 675
ἱππάριον 129.133
ἵπποι, pulli 458
ἱππόκαμπος 528
ἵππος 675
ἴτυξ 551
ἰύγξ 552
Καλαμοδύτης 233.617
καπὰ 233
καλίδριος 233
καλοτύπος 675
καρυοκατάκτης 237
καττερράκτης ἢ καττεράκτης 239
καταβὺς 240
καυκαλίας 241
καύηξ 242
κέβλη 241
κεβλήπυρις 241
κιβδόνης 241
κεγχρὶς 55
κεγχρίτης 157
κελαιὸς 241
κελεὸς 241
κεμὶς 49
κείρυλος 49
κήλας 241
κήξ 122,242
κήρυλος 85
κῆρυξ 49
κιὸξ 85
κέπφος 242,347. bis
κορβὶς 244
κορκὰς 348
κορκὶς 244
κορκίω 598
κορχνῆς 54.55
κίγκαλος 592
κιγκλὶς 592
κίγκλος 592
κικυμὶς 596
κίλλας 241
κίλλυρος 591
κίναιδος 552
κινάμωμος ἢ κιννάμωμος 263
κινδαλὸς 263
κιννυρὶς 263
κινύπτιον 263
κιρὶς 49
κίρνος 48
κιρρὶς 49
κιρυλος 49
κίσσα 666
κίτταξ 666
κίχλη 710
κίχλη ἱλλὰς, ἰλιὰς, τυλὰς 728 (727
κίχλη ἰξοβόρος, ἰξοφαγος 190
κλάγξ 719
κλαδαρόρυγξ 719
κνιπολόγος 264
κνιφθραύστης 264
κόκκυξ 348
κόλαεις 266
κολεὸς 681
κολιὸς 241.675.681
κολυρίω 267
κολοσσὸς 591

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 24 sur 825

Index.

κόλυμβος, κολυμβίς, κολυμβος 124
κόντιλος 307
κόραξ 321
κόραξ (χύσδος) 131
κόραξ σεμνόπτερος 336
κόραφος 307
κόρδιλος 695
κόρκορας 307
κόρυδος uel κορυδαλός 76
κορύσσω 78
κόρυθος 338.720
κορυλλίων 267
κορώνη 308
κορώνη θαλασσία 122.320
quæ & κορώνη simpliciter 122
κόσυφος 579
κότυφος 579
κακκαβὰ 744
κατὶς 307
κόψιχος 579
κραιγός 685
κρέξ 347
κρέιγ 596
κύανος 265
κυβλώη 596
κύγχραμος 366
κύμινδις 55
κυπαρίσσια 460
κύρραμος 366
κύψελος 160
κωνωπόθηρας 264
κώψ 218
λαγοθήρας 197
λαγωδᾶς 610
λαγωΐνης 555
λαγώπους 554
λάλαγες 557
λαρὸς 559
λάσκυθος 557
λευκορώδιος 207.208.
λιβυὸς 567
λυσσγὸς 157.568
λόκαλος 94
λόφον ἔχουσα 78
Μαγνῆτις 575
μεθυσθείδες 585
μαλανοκρανὶς 590
μελανάετος 196
μελαγκόρυφος 370.604 615
μελανδρυὰς 575
μελαγχρὶς 461 & 463
μέμνονος ἢ μέμνων ὄρνεις 575
μορὼν 575
μυῖγξ 595
Νέβρακος 458
νεοσσοὶ ὄρνιθος 458
νεοσσίδες ἀλεκτορίδων 458
νορὸς 595
νέοσσα 4. pro nez Hebraico 70. interpretes 94
νόσσα 94
νόσσαι ἄγριαι 106
νόσσακος 458
νεμέσιος 215.720
νυκτερὶς 733
νυκτικόραξ 602
νυκτόβας, νυκτόβοα 599.707
Ξάνθοι 761
Οἰνάνθη ὄρνεον 294
οἰνὰς 294
οἰνιὰξ 294
οἶστρος ὄρνεον 217
ὀλατοὶ, ὀλατοὶ 625
ὀλολυγών 76
ὀνοκρόταλος 606
ὀξύπτερος 43
ὀρειπέλαργος 193
ὄρνιθος νεοσσοὶ 458
ὄρνις 414.415
ὀρσοδίκης 374
ὀρτάλιχοι 458
ὀρτυγομήτρα 346
ὄρτυξ 339
ὀρχίλος 609
ὀστὶς 466
οὐνὼ 268
οὖραξ 469.471
οὐρία 125
οὐτὶς 466
ὀφθὸς 609
Παπὼν 136
παρόναλις 614
παρόναλος 614
πελειάδες 269
πελειὰς uel πέλεια 295
πελαργὸς 251
πελεκὰν 639
πελεκᾶς 643
πελεκῖνος 640
πελωρὶς 643
πορδὴξ 643
πόδισρα, uel πόδισρος 268
πόδισρα οἰκιδία ἢ νομάς, ἢ Βοσκὰς 268 bis
πόδισρα πυργῖτις 268
πόδιστειον, πόδιστειδιον, πόδιστειδὶς 269
πορκὼν uel πορκὸς 190
πωλίλος 105
πῖσρα 675
πιπὼ 675
πιερίας 615
πίτυλος 624
πιφαλλὶς 685
πίφιξ 685
πίφιγξ 685
πλάγγος 190
πλωὸς 685
πλωΐδες 718
πνὶξ uel πνύξ 707
ποικιλὶς 235.667.733
πορφυρὶς 689
πορφυρίων 687
πρίσβυς 694
πτὺγξ 55
πύγαργος 199
πυγοσκελὶς 135. mergul9
πυραλὶς 694
πυργίτης 618
πυρὰς 615
πυρὶς 694
πυρρίας ibid.
πυρρόλας 701
πώϊγγος 120.122
πῶϋξ 666.689
ῥάφος 468.641
ῥινόκρως ὄρνις 697
ῥόδιλος 695
ῥωμάλη 697
ῥωμάκης ibid.
ῥωσὸς 202
Σαλπιγκτὴς 695
σάλπιγξ 702
σαὶρ 703
σειπύγιον 591
σειρῶδος 704
σεισπύγιον 552
σείσρα 591
σεισπυγὶς 552.591.592. 625
σεισόφιλος 720
σελδυκὶς 703
σαλγωλεὶς ibid.
σαλὶς ibid.
σίαργος 707
σκιὸν 703
σκολόπαξ 483
σκὼν 217
σμύρνιος 706
σίππη 682
σισρὰ 591
σιτικὶς 706
σιτᾶκος 690
σίτας 683.690
σίτη 682
σῖτος 596
σπαραδσιον 624.706
σπελεκὸς 643
σπόργελος 624.706
σπορμολόγος 319
σπορμολόγος σρυθὸς 625
σπορμονόμος ibid.
σπίζα 372
σπιζίας 50
σπίνθασις 706
σπίνος 372
σπύγγας 706
σρεφανίων 503
σκθίας 706
σελγλος 599.707
σελγξ 707
σρυθία 618
σρυθίον μονάζον 584
σρυθοκάμηλος 708
σρυθὸς μεγάλη ἢ Λιβυκὴ, σρυθὸς ὁ ἐν Λιβύη 708. 709
σρυθὸς 618
σρυθοὶ πυργῖται ibid.
συμφαλίδες 718
συκαλὶς 370
σύργια 707
συρροπόδης 657
χοινίκλος uel χοινίων 551
σφίγκας 706
σῶδες ibid.
Ταγηναρίων 220
ταγηνὼ ibid.
τάσερα 268
τάπτω 730
ταρύρας 657
ταύτασος 718
ταὼς, ταὸς 630
τηγύρος 718
τηλέας ibid.
τέταρτος 657
τηρσοδόω 471
τήραιον 625
τέτραξ σρυθὸς 624
τετράων 471.657
τέτριξ, τέτραξ 469.471. 625
τιτύρας 719
τίτυρος ibid.
τίτυς 719
τίτλια ibid.
τόργος 749
τραγοπανὰς 719
τρήρων 296
τρίκκος 695.719
τελόρχης 45
τροχίλος 694
τροχίλος ὁ παρ' ὕδασι 719
τρύγγας ὁ 483.593
τρυγὼν 303
τρωγλίτης 618
τρωγλοδύτης 625
τυλὰς 728
τύμπανος 730
τύραννος ibid.
τυτὼ 596
Ὗβεις 55
ὑπάετος 193
ὑπθυμὶς 356
ὑπολαΐς uel ὑπολαΐς, λαΐς 356
ὑποτηριόρχης 48
Φαβοκτόνος 51
φαβοτύπος 50
φαλακροκόραξ 336.337. 657
φαλακτόνος 51
φαλαεὺς 374
φαλαεὶς ἢ φαλαὶς 125

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 25 sur 825

Index.

φαλληρωμ 57
φασιανός 657
φασκάς 103
φάσσα 298
φασσοφόνος 50
φατίτα 298
φάττ 298
φέλινος 157
φλιώη 197
φιλάδελφος 164. aquilæ genus.
φλεγυας 192
φλέξις 662
φλόξ 159. 567
φλῶξ 576. μόρυχ
φοινικόπτερος ὄρνις 662
φοινικόπτερος 662
φοινίκουρος 697. 699
φοῖνιξ 663
φρυγίλος 372. 663
φῶξ 666. 689
Χαλκώνθη, χάλκωνθος 79
χαλκίς 55
χαμαίζηλος 78
χαράδριος 244
χελιδών 528
χήν 136
χηναλώπηξ 155
χλωεύς 247
χλωεών ἢ χλωρεύς 249. 378
χρυσάετος 162
χρυσομίτρης 216
χύρραξ 250
ψάρ, ψαρός 74
ψαρίς 624
ψιττάκη 689
ψιττακός 690
ψιφάων 689
ὠκύπτερος 43
ὠρέων 546
ὠτίς 466
ὦτος 217. 600.

GRAECA VVLgaría.

ἄβνι 569
ἀϊσβνι 569
ἄξ 732
ἀλεκτωρ ἢ ἀλέκτορας 380
ἀλκίων 552 ἴυγξ
ἀρδίολη 202
ἀσπαργίτης 618
ἀσπρόκολλος 370. 604
ἀστάφυλος 248
Βυτακίδ 119
βῶσος 228
γαλαγκάς 566
γαρδέλι 236
γόρακι 4
γύπας 749
γλαύκη 733
γῦψ 218
Δεκοπλῶ 348
Καλικατζοῦ 120. 122
καρακάξα 673
κόρακας 321
κοτύρνο in Creta 655
κόκκυξ 218
κοκκυβάγια 733
κορκυνίς 675
κορώνα uel κραύα 308
κότζελα 76
κῶφος 218
κυπρῖνος 357 κύκνος
κύχλα 720
λαίκρη 202
λαγός 562
λιμασῦρος 586
λίπη 586
λῶφα 375
Μακελμπο 216
μελανοκέφαλος 370. 604
μελιοσφάγος uel μελισσοφάς 576
Νυκτερίδα 733
Ξβυτέα 51
ξυλόρνιθα 485
Ὀρνιθοκέλα 458
ὄρνις ἢ ὄρνιθα 415
ὀρτύκη uel ὀρτίκι 339
Παγόνι 630
παπαγάς 690
παπίτζα ἢ πάππος 95. 136
πελαργός 251
πορδίκη uel περδίκα 643
πρεισόρα uel πρεισόρι 268
πρεισόρόπελον 269
πετροκόσυφος 266. 701
πίσο 720
Σκλόπα 228
σκαράπελα 508
σσσσράλια 264
σινίσλα 372
σπαργούτης 618
σπάργητης 618
σιλιππίς 627
σφιφοκάμπλος 709
συκοφάγος 377
Ταὼς ἄγριος 732
πτίγων 696. 730
τζίχλα 720
τριγόνι 303
τρυλάτο 699
τρελίτης 76
τρυγόνα 303
Φάσσα 298
φλόξ 160
φρεγίλος 372
φεγγιλαρο 372 & 374
Χαμοχίλαδος 76
χελιδόνι, χελιδόνη 528
χλώα 94. 136 χίνα 136

LATINA VOCAbula, quibus etiam barbara quædam admixta sunt, sed usurpata ab ijs qui utcunq; Latinè scripserunt.

A

ACanthis uel acanthylis 1. 235
acanthylis 546. 624
accipiter 1. Insunt autem in eius historia multa cõmunia omnibus auibus uncorum unguium quæ ad præ dam auium nutriuntur & instituuntur, accipitrũ, falconum aut aquilarum generis.
accipitrum genera & differentiæ. 40
accipiter Aegyptius 56
accipiter Aethiopicus 42
accipiter circus 48
accipiter fringillarius uidetur sparuerius Alberto, smerillus Nipho 43. 50
accipitres ignobiles, uillani 75
accipiter læuis & rubetarius 43
accipiter marinus 194. 169
accipitres mediani 70
accipiter minor mas 766
accipiter palumbarius 50. Albertus asturem facit.
accipiter qualearius 50
accipiter stellaris 41 bis, et 42
accipiter perdicotheras 42
accipiter tanysipteros ibid.
accipiter chiluo 42
accipiter λᾶος 42
accipiter φρυνοπόρος ibid.
accipiter σπιζίας 42
accipiter πέρκος uel περκνός, uel μορφνός ibid.
accipiter πέρνης, pernix Gazæ 42
achani 667
acmon, genus aquilæ 189
acredula 76
aëdon 540
ælius 64 falco sacer
ægithalus 234. 614
ægithus 702
æthyia 118. 122
aëriphilus 64 falco sacer
aëropes uel aëropodes 575
æsalon 43
ætolius 740
afra auis 714
alario 162
alauda 76
alaudæ sine crista icon 77
alaudæ cristatæ icon altera ibidem.
alba frons 125 uulgò Italis quibusdã dicta. fulica nostra uidetur.
albardeola 207. 208
albicilla 593. 604
albicula Gazæ 208 593
alcatraz 241
alcedo 84
alcyon 84
alectoris 484
aluco 94.
amarellus, genus anatis 105
ampelis uel ampeliõ 94. 370
anas altirostra (mergorum generis) 128
anas caudacuta 117
anas cicur & in genere 94
anas circia 105
anas cicur mas 766
anas cirrhata 117
anas clangula 116
anates feræ, & primum in genere 100
anas fistularis 117
anas fuligula 116
anas fera fusca uel media, id est mediæ magnitudinis 112
anates quædã Germaniæ inferioris & maritimæ 118
anas graminea uel iuncea 111
anates feræ in Heluetia communes, quarũ nomina Latina nobis incerta sunt 110
anas Italica 130
anates Hispaniolæ insulæ 118
anas latirostra maior 116
anas Indica 767 cuius figura in sequentẽ paginam transposita est
anates latirostræ 115
anas longirostra minor 128. maior 129
anas magna 111
anas marina rostro breui & lato 117. Eius icon inter Paralipomena est
anas quadrupes 117. cuius icon in Paralipom. est 767
anas muscaria 114.
anas mustelaris 128
anas raucedula 128
anatis schellariæ Germanorum icon 115
anas strepera 117
anas sgra torquata minor 110 maior 111
anati similes aues, sed minores, ut querquedula, &c. 103
ancha uel aucha, auis maxima apud Rasim 522
anopæa Homeri 192
anser 136
anserum genera diuersa 157
anseres alpini, uel tardi 157
anser aquosus Alberti 157
anser arborum Alberto 153 157
anser Bassanus siue Scoticus 158
anser cinereus maior 152
anseres feri in genere 152
anser grandinis uel niuis Alberto 152
anseres Hispanæ insulæ 157
anser Indicus 606
anthus 159
apiaster uel apiastra 575
apodes maiores 160. minores ibid.
apodes minores 544
apus uel apes 160
aquilarum genus, uide Accipiter

Index.

aquilæ diuerſæ quarum tres meminerunt 189
aquilæ diuerſæ apud recentiores 100
aquila alba ſiue cygnea 193
aquila anataria 190
aquila germana uel nobilis 162
aquila heteropus, id eſt cuius crus unũ ab altero differt colore 200
aquila hinnularia 199
aquila hongylas 189
aquila Iouis ſola carnes non attingit 190
aquila leporaria 196
aquila marina 195
aquila percnopterus 193
aquila regalis 199
aquilæ genus ualidũ in Scandinauia 200
aquila ſtellaris 162
aquila truncalis 197
aquila ualeria, eadem pulla uel fuluia Gazæ 196
aquila in pelle leporis aut uulpis oua ſua inuoluens 169
aquilis maiores aues Indicæ 200
aquilæ genus in Rhæticis & Helueticis alpibus 768
Arabicæ alites 761
arba 523
archia, merula 579
de ardeis in genere 201
ardeæ diuerſæ 212
ardeola 201
ardea alba, maior & minor 207.208.641.
ardea magna criſtata 213
ardeolæ marinæ, Limoſa & Totanus 499
ardea pella, pulla ſiue cinerea dicta 205
ardea ſtellaris maior 212.213
ardea ſtellaris minor 208
ardea Venerea 212
argatilis uel argathylis 546
arquata 215
arquata maior 480
arquata minor 481
aſcalaphus 227
aſilus auis 217
aſio 217.596. bis 610
aſionem eſſe otum potius quàm ſcopem contra Gazam 219
after 236.568
aſtragalinus 235
aſtrolinus, aſtrogallus 235
aſtur, id eſt accipiter maior 3
atricapilla 357
attagen uel attagas, uel attagena 219.220
attagen an ſit genus gallinaginis ſȝd Angli Goduittam uel Fedoam appellãt, Turnerus dubitat 498
attagen albus, qui idem lagopodi albo uidetur: & aliorum colorum 556
attagen alpinus 477
atthis 536
auca, anſer 136
aucha, anſer 136
aucha uel ancha, auis maxima apud Raſim 522
aues albæ 208
aues bicipites 761
aues inſulæ Aſcẽſionis ibid.
aues Pharaonis 463
aues (anates uel anſeres) ex putredine in mari naſcentes 157
auis Caſpia uel Indica 238
auis cohortalis 414
auis rapax omnium maxima in Miſnia capta 200
auis Medica pauo 381
auis Perſica, gallus ibid.
auis tarda 466
auoſeta 225
aureola 249
aurifrigius 196
auriuittis 226
azida 709

B.

barbates, uide Brantæ
baritæ 227
barliatæ 108. uide Brantæ
baſilicæ aues 695
berniclæ uel brantæ Britannorum 107
bernecæ, uide Brantæ
bethylus 227
betulæ gallus 475
biſtarda 468
bitriſcus 697
bittacus 227
bohemica auis 729
bonoſa 223
boroſitis, cornix Kiranidæ 308
boſcas maior 103
boſca uel boſcas 102
boſchades uel boſchides Columellæ ibid.
boraurus 208
brantæ uel berniclæ Britannorũ, aliâs barliatæ & barbates, uel bernecæ: aues è ligno putreſcente creſcentes 107.108.109
brenthus anatis aut mergi ſpecies, 106. & alia eiuſdẽ nominis auismõtana ibid.
bubo 227
bubo & noctua Alberto cõfunduntur 229
budytæ 233
buffus 228
buphagus lari genus 560
buteo 45
butio 211
butorius 208

C.

caca 233
cadon Arnoldo Villan. 298
calamodytes 233.627
calandris 78
calidris 233
canaria 234
caper hirundinis Alberto 544
captilus 765
capra, capella auis 234.732
capra uel capella auis 106
capricalca auis Scotica 159
capriceps 234
caprimulgus ibid.
capus uel capo 411
carbo aquaticus 131
carduelis 226.235
carulus 85
caryocatactes 237
caryſtiæ 237
caſpia auis 238
caſsita 78
cataractes uel catarrhactes 239.367
catarrhactes Alberto genus mergi magni 132
catreus 240
caucalias 241
caudatremula 591
ceble 241
ceblepyris ibid.
cebriones 241
cela ibid.
celeus 241
cenchrantus 366
cenchritæ 157
cepphus 243.374. bis 559
ceramides pro chenalopeces aliqui apud Plinium legũt 105
cercion 593
cercis 244
cercuris 103
certhius 244.264.683
ceruina, ceruia aut ceruaria 369
ceruus aquaticus 120
ceyx 85
ciccaba 596
ciconia 250
ciconia montana 193
ciconia nigra 261
ciconiæ ſimilis auis innominata, cuius Oppianus meminit. uide in Ciconia D. eidẽ ſimilis eſt Onſchwal Germanicè dicta 261
cicuma 603
cilla 241
cinædion 591
cinædus 552
cinclis 552.592
cinclus 592
cinnamomus, uel cinnamolgus auis 263
cindapſus 263
cinnamomus, uide Cinamomus
cinnyris 263
cinopeon ibid.
cnipológos 264
circa 48
circanea ibid.
ciris 49
cirrhis ibid.
circus accipiter 48
citrinella 248
chalandra 78
chalcis 55.596
charadrius 244
chenalopex 155
chenerotes 107.157
cherubim 765
chloreus 247
chlorion uel chloreus 249. 684
chloris 247
chyrrhabus 250
cladarorynchus 719
clamatoria 264
clanga uel clangus 190
cliuina 264
coccothrauſtes ibid.
cocix Alberto cornix frugiuora 319
cœruleus 265
colaris 266
collitorquis 552
collurio 266
de columba domeſtica, & in genere de ijs quæ ad colũbaceũ genus pertinẽt 267
columbę uulgaris icon 267. Anglicæ uel Ruſsicæ ibid.
columbaceo omni generi cõmunia quædam 293
columbæ agreſtes uel ſaxatiles 269
columbæ cauernarum Alberto 295
colũbæ feræ in genere 294. diuerſæ ibid.
columba liuia 295
columbæ miſcellæ 268
columbæ porcellanæ 294.
columbæ Ruſsicæ uel Anglicæ daſypodes 268
columba ſaxatilis 268.294.
columbus, colymbis, uel colymbas 124. colymbis parua ibid.
colymbi maiores 133
colymbi maioris cornuti alterum genus 134.
colymbus maximus 135
conilus 307
córaphos ibid.
corcora ibid.
corinta recẽtioribus barbaris, aliâs cornica 397
cornica, uide Corinta
cornix 308
cornicem, monedulã & coruum confundit Albertus ibid.
cornices diuerſæ 319
cornix aquatica 319.584.
cornix cœrulea 770
cornix Cornubiæ 320
cornix fera & ſylueſtris 319
cornix frugiuora ibid.
cornix hyberna, quæ & uaria & marina 319.770
cornix marina, eadẽ æthyiæ, Arriano diuerſa 122.319. 336.337
cornix uaria 319
coruus 321
coruino generi communia quædam 320
coruus aquaticus 120.131. 336.657
coruus marinus 122.336. bis 337
coruus ſyluaticus 337
corythus 338.720
coturnix 338
coturnix uulgò dicta Italis 655
peregrina Politiano ibid.
coturnicum rex 346
craugus 683
crex 347
criſtatela,

Index.

criſtatela,falconis genus 66
cuccus 348
cucullus ibid.
cuculus 348. Eiuſdem figura uerior 771
cucuba 218
cucupha 744
culicilega Gazæ 264
currelius,coturnix 339
curuca 356
curruca 355
cuzardi 78
cyanus 701
cychramus 366
cycnus 357
cygnus ibid.
cynchramus 366
cymindis 55
cypſelus 160

D.

dendrofalcus 74
dicærus 367
diomedeæ aues 367.771
drepanis 545
dryacha pro drepanide 545
dryocolaptę tria genera 675
dryops 368.603
dytini 124

E.

edolius 368
elaphis 369
elaſas ibid.
eleas ibid.
elorius 527
emberiza alba 629
emberiza flaua 628
emberiza pratenſis 629
emeriæ 527
enneactonos, lanius 557
enthyſcus 369
epimachus ibid.
epops 743
erithacus 697.698
erna Anglorum 199
erna Friſiorũ, genus aquilæ nigrum 197
erythra 406
erythropus 369. 488
erythropus minor 497
erythrotaon 369.470.471
eumeli filia in uolucrem 761
externæ aues 369.644

F.

facator 370 (215
falcinellus Italis dictus 214.
falco in genere 57
falconũ gen⁹, uide Accipiter
falcones diuerſi 63
falco albus 72.rubeus ibid.
falco ardearum 64
falco cœruleis pedibus 73
falco gentilis 70
falco gibboſus 71
falco gruum 64
falco ignobilis,lanarius 74
falcones mediani 70 (75
falcones mixti & bigeneres
falco montanus 68
falco niger 71
falco nobilis 70.71
falco peregrinus uel commeans 65. 69
falco ſacer uel Britannicus 64. uel aereus,aerinus 65
falco Tunifius 64
falco qui ſemper tanquã uolaturus alas extendit 71
falcula 161.545
faſianus 657
fatator 370
fecetola pro ficedula ibid.
fetix 370.765
ficedula 370.604
filacotonæ 299
finora Raſi 78
florus 159
florus pro merope 576
francolinus,attagen.& alius piſcibus uiuẽs 220.& alius Neapoli ſic dictus,ibid. Vide etiam 223
fraudius 682.bis
frigellus parum Latinè 372
frigelli Arnoldo Villan. 94
frigilla, uide Fringilla
fringilla uel frigilla 372. & rurſus quæ recentiores de ea ſcripſerint,ſeorſim
fringilla etiã uermiuora 772
fringillæ diuerſæ 373
fringilla Italica ibid.
fringilla montana 374
fringillago 615
frogellus,id eſt muſcetus 51
frugilega gracculorum genus 503
frugilega cornix 319
fulca,p fulica Arnoldo 376
fulica Gazæ,cepphus 242
fulicas alias marinas eſſe, alias dulcium aquarum 376
fulica minor, noſtra communis 336.maior,(fortè phalacrocórax uel coruus aquaticus Ariſtotelis,) ibid.
fulica recentiorum 374
fulica ueterum ibid.
fulicęnoſtrę ſimiles aues 377
fulſa,p fulica Arnoldo 376
fulix 374

G.

gaia 666
galbula 377.684.685
galerita 77
galgulus 378.681
gallina 414.415
gallina Africana,uel Numidica,uel Libyca 463
gallinæ aquaticæ genus Patauij 761.in fine
gallinæ Adrianicæ uel Hadrianæ 380
gallina corylorũ 219.220.223
gallina deſerti 463
gallinæ Hieroſolymitanę ib.
gallina Indica criſtata, & uiridis 465. Alia Indica ibid. Alia 773
gallinæ Indicæ 381.464
gallina lanata 466
gallinæ Lydæ 380
gallinæ magnæ, Medicæ uel Patauinæ,uulgò Puluerariæ 380. & rurſus de Medicis inferiùs 381
gallinæ monoſiræ ibid.
gallinæ Rhodiæ, Chalcidicæ,Alexandrinæ 380
gallina ruſtica 461
gallinæ ſylueſtres in genere 459
gallinæ Tuneti Africæ 463
gallinacei pulli 458
gallinago,Ruſticula 483
gallinagines uel gallinulę aquaticæ in genere 482. 483.478 (nor 487
gallinago uel Ruſticula minor
gallinagines aquaticæ ueteribus memoratæ 483
gallinellæ 478
de gallinulis aquaticis, longis cruribus, &c. quædam in genere 482
gallinularum aquaticarũ genera 12. quæ circa Argentoratum capiuntur 488. Earũdem ſpecies alia 773
gallinulæ ſiue ardeolæ marinę,Limoſa &Totan⁹ 499
gallopauus 464
de Gallo gallinaceo,& ijs omnibus quæ ad gallinaceũ gen⁹ in genere ptinẽt 379
gallus pro capo 412
gallus aquæ 483
gallus betulæ 475
gallus Mauritanus uel Numidicus 772
gallus paluſtris 225.460
gallus ſylueſtris Scotic⁹ 460
galli Tanagræi,pugnaces,& coſſyphi 380.381
gallus ſpado,id eſt cap⁹ 412
ganza Morinis 137
Garamantis 774
garrulus auis 672
garrulorum tria genera 673
garrulus Bohemicus 674
garruli genus q̃d circa Argẽtinã Roller appellat 674
gauia 559
gauia alba 566
gauia cinerea 563
gauſalites 501
gaza 666
gimeta 596
gimus ibid.
girifalco 66
glaucium 105
glottis 501 (489
glottis Germanorum Glutt
goſturdi 78
de Gracculis in genere 501
gracculus bomolochos, id eſt ſcurra 503 (503.508
gracculus coracias 501.502.
gracculus lupus 501.502
gracculus palmipes 502
gracculus ſaxatilis 503
graccus 501
graculus 501. uide Graccul⁹
gradipes apud Albertũ 468
graucalus 509.614
grifalchus 66
grus 509
grus Balearica ibid.
grygallus maior 477
grygallus minor 478
gryps 521
gryll⁹ uel gryllod⁹ auis 349
gulo,mergus magnus 130
gurgulio auis pro genere laudæ 78
gurgul⁹ auis Alberto 78.356
guſtarda auis Scotica aquatica 159
gyges auis 523
gypæetus 193
gyrofalcus 66
gyrola 249

H.

hæmatopus 527
halcedo 84.
haliæetus 194.
harpe 192.523
harpe Ariſtotelis 524.
harpe Oppiani 524.749
harpyiæ 524.
Hercyniçſyluçaues 527.764
hegeſcharæ 478
heliodromos auis Kirañ.526
helorius 227
hemionion auis 526
herodi⁹ falco recentiorib.66
herodius Alberti & aliorũ, id eſt aquila germana 126. alij herodium hierofalchũ faciunt,&c. lege in Hierofalcho
hierofalchus 66 (falco
himantopus 527
hipparion 129.133
hippocamptus 528.624.
hippolais 356
de hirũdine domeſtica & in genere 528
hirundines diuerſæ 543
hirundines agreſtes, ruſticæ, ſyluęſtres 160.161.544
hirũdines marinæ 544.578. 579
hirundo marina nautis Italiæ dicta 85
hirundines ripariæ 545
hirundinum prænuncia 594.
hongylas 189
horion 546
hortulana 546.585.774.
hybris 55
hypoleucos 493
hypothymis 356

I.

ibis 546. ibis nigra 527
ibis nigra Bellonij 337. coruus ſyluaticus noſter
ichneumõ aquilæ ſpecies 189
immuſſulus,immuſtulus,immuſculus,immiſſulus 190
icterus 377
incendiaria 550.706
incendula pro monedula apud Albertum legitur 336
incubus 707
Indica auis 238 (550
intruba auis quibuſdã credita
iſmerlus 44
iſpida 550
Iouis auis 235
ityx 551
iunco 551. 627
ixon 747
iynx 552.591
izines 554

K.

kokis pro cornice 308

L.

lagodias 610
lagoines 555
lagois ibid.
lagopus duplex 554.
lagopus uaria 556. eadem & alia uaria 775
lagus corruptum,p laro 562
lalages 557

Index.

lanarij 74
lanij aues 557
lanius cinereus 557.777
lanius maior 559
larus 559
lari diuersi ex Oppiano 560
lari diuersi apud recentiores 562
lari aquarum dulcium 563
larus cinereus 563
lari marini 566.albi & alij diuersi ibid.
larus niger 566
larus piscator 565
libyus 567
ligurinus 1
limosa Venetis 499.500
linachos pro haliæeto 194
linaria 567
linaria rubra 568
lingulaca auis 501
linurgi 157,568
lithofalcus 74
loxias 568
lucidiæ 527
lupus gracculus 501,562
luteus uel lutea Gazæ 249
luscinia 569
lycos gracculus 501,502,503

M.

magnales 133.575
mamuco diata in Nouo orbe,id est Auicula Dei 611
marochos pro merope 576
meanca pro laro 564
meanca Alberti 118
meba pro laro 562
mediani accipitres seu falcones 70
melampus 494
melanæetus 196
melanderus 575
melba pro laro 562
melba magna 566
meleagris 461 & 463.772
memnonides uel memnoniæ aues 575
mergulus 135
merguli genus alterum 135
mergulus niger 136
mergus Latinorum ueterum 118
mergi in genere, & quid ab anatibus differant 118
mergi diuersi 123
mergi quorum nomina uulgaria tantum nobis cognita sunt 126.127.& deinceps
mergi reliqui anatiformes, rostro latiusculo, anteriùs aduncо,& albo nigroq; distincti, sed collo breuiore, 128
mergus albus 129
merganser 129
mergus anseri similis, in Helueria Merrach 129
mergus cirrhatus 129
mergus cornutus 120.123.133.
mergus glaciei uel brumalis 127
mergi magni 129
mergus magnus niger 131
mergus marinus 767
mergus niger 123.128
mergus niger Alberti, non fulica nostra, sed larus niger uidetur 376
mergus Rheni 127
mergus ruber 128
mergus thymallos pisces deuorans 129
mergus uarius 127
merillus,uide Meristio.
meristio uel merillus accipiter 44
merops 575
merops alter 578
Merula 579
merula aquatica uel riualis 584
merula fusca 584
merula torquata uel syluatica 583
merulus 579
merulus stercorosus 584
methydrides 585
miliaria .567.585
milion tanquam Latinũ pro aquila 164
miluus 585
milui regales 586
milui risus 586
molliceps 590
de monedulis in genere 501
monialis fusca, mergorũ generis 129
monosiri 591
montifringilla 374
morfex Alberti 131 mergus quidam magnus
morphnus 190
motacillæ, id est caudam motitantes diuersæ aues:& primum quædã in genere 591
motacilla alba 593
motacilla flaua 594
motacillæ in Misnia genera duo 394
muscetus uel muschetus 4
muscicapa 575
myttex 595

N.

næuia 190
nepa uel Sneppa Germanorum 485
nertos 595
nisus pro haliæeto 194
nisus recentiorum 51.id est sparuerius
noctua 595
nucipeta 683
numenius 215. 720
nycticorax 596,602

O.

oca 136 anser
oce 604
ochra 497
ochropus magnus 491
ochropus medius 495
ochropus minor 498
ocnus 211,212
œnanthe auis 294. 604
œnas 294. 769
ololygo pro alucone 94
onocrotalus 605
opilo 609
ophiomachus 609
ophiurus 609
orchilus 609
oriolus 684
oripelargus 193
orix 223
ortygometra 346
oryx 609
osina 606
ossifraga uel ossifragus 197. 524
ossifraga imperitè pro osina & onocrotalo 606
otis 466
de otide quid recentiores sentiant 468
otus 217. 596.bis 610 uide Asio
de ouis tum gallinaceis, tum in genere,414.& deinceps

P.

palâra 729
palumbus ferus 297 domesticus uel cellaris ibid.torquatus ibidem.
palumbes Gazę pro duabus Græcis diuersis, phaps & phassa 298
palumbus(maior,) palũba, palumbes 297
palumbus minor 295
palumbes noui orbis 299
pandionis aues 536
papagallus 691
papiagabius 691
para 614
paradisea,paradisi auis 611
paradisi aues diuersæ 614
parcus 732
pardalus 614. 685
parix 614
paro 614
parra 614. 695.
pari diuersi,& primum in genere 614
parus ater 616
parus carbonarius 615
parus caudatus 617
parus cœruleus 616
parus cristatus 617
parus maior 615
parus minor 616
parus monticola 616. 617
parus palustris 551.616,627
parus syluaticus 617
passer 618
passeres diuersi, illi præsertim quorum nomina Germanica tantũ nobis cognita sunt 627
passer aquaticus uel harundinarius 627
passer gramineus 356 curruca.
passeres Indici,muscatus 629
stultus 630
passer marinus, Struthiocamelus 709
passer muscatus 629
passeres pyrgitæ 624
passer solitarius 584
passer syluestris magnꝰ 624
passer syluestris paruus siue torquatus 624
passer stultus 630
passer troglodytes 625
passeres troglitæ 624
pauo,pauus, paua 630
pauo Indicus 464
pegasus ales 639
pelecan,pelecanus 639.606
pelecinus 640.641
pelicanus 639
penelops 105
percnus 190
perdix 643
perdices diuersæ 657
perdix Græca 655.Damasci. 769
perdix minor et maior 644
perdix maior 655
perdix rustica maior 483
perdix syluestris, scolópax 484
peregrinæ auiculæ Gallis 762
persica auis 381. gallus
phœnopus duplex 480
phalaris 125.374
pharaonis aues 463
phasca 103
phasianus 657
phalacrocorax 336,337.376. 657
phelini 157
philomela 540.569
phlexis 662
phœnicopterus 662
phœnicurus ex ueterib. 697
ex recentioribus 699
phœnicuro cognatæ 700
phrygilus 663
phœnix 663
phoix 666,689
planga uel plangus 190
platalea 639
platea 639
de pica in genere, præcipuè uerò de uaria & caudata 666
pica achani 667
pica glandaria 666,671
pica marina 527.662
pica marina alia 767.debuerat autem hæc eius pictura in sequentem paginam referri, ubi etiam descriptio continetur.
de picis Martijs & picorum genere in uniuersum 675
picus pro gryphe 521
pici diuersi 683
picus cinereus 682
picus cornicinus 679
picus linguosus Alberti 502
picus marinus & agrestis Alberto 84. 681
picus maximꝰ uel niger 679
picus muralis 683
picus nidũ suspendens 684
picorum genus uarium ex albo & nigro 680
pici uarij minores 681
picus uiridis 682
picutus 683
pifex 685
piphallis 685
piphinx 685
pipio 268
pipo 675
pipra 675
pitylus 624 ploas 685
ploides 718
plumbina 550. ispida

Index.

plumbina,mergulus 135
pluuialis 685
pnigalion 707
pnix ibid.
poliopus 470
porphyrio 687.776
porphyris 689
poyx 666.689
Progne 536.540.569
prunella paſſer 627
pſaris 624
pſiphæon 689
pſitace ibid.
pſittace 689
pſittacus in genere ibid.
pſittacꝰ erythrocyanus 690
pſittacus erythroxanthꝰ 689
ptynx 55
puffinus Anglicus 110
pullaſter,pullaſtra 458
pulleiacium ibid.
pullicenus uel pullicinꝰ pro pullo gallinaceo 458
pulli abſolutè pro gallinaceis 458
pullus aquæ Alberto 376
pulli gallinacei 458
pygargus aquila 199. pygargus ardea,ibid.
pyralis,pyrallis 694
pyrgites 618
pyris 694
pyrrhias ibid.
pyrrhocorax 320.336.503. 508
pyrrhulas 701

Q.

qualea,coturnix 339
qualia Italis pro querquedula 103
quaquila uulgò Italis pro coturnice 339
quiſcula,coturnix ibid.
querquedula 103. bis & tertiò de eadem ex profeſſo

R.

rala,uide Ralla
rala Anglorum 369
rala uel ralla terreſtris 481. 482
ralla uel rala 346.347
rallus Italorum 377
ramphius 641
regaliolus 695
regillus 696
regulus 694
regulus pro troglodyte 625
de Regulo quid Albertus & eiuſdem ſæculi ſcriptores prodiderint 695. De eodem ex ſcriptoribus noſtræ memoriæ & obſeruationibus propriis 696
rhinoceros auis 697
riparia 161
ripariæ hirundines 545
ripariola ibid.
rhodopus 492
rhyndace 697
rhyntace 686
rhyntaces 697
roboriſeci generis aues 675
rubecula ex ueteribus 697. ex recentioribus 698
rubecula æſtiua 699
rubecula ſaxatilis 701
rubeculæ cognatæ 700
rubetra 697
rubicilla 701
ruc auis omnium maxima 523
ruſticula 483
ruſticulæ 644
ruſticula uel Gallinago minor 487
ruſtícula ſyluatica 486.487
ruticilla 697.699

S.

ſalus 702
ſalpinx ibid.
ſanqualis 198
ſarau aues in Calechut 703
ſarin ibid.
ſcalópax 483
ſcheledracus 131
ſchœniclus 627
ſcips 703
ſcops,uide Aſio
ſcylla 703
ſeleucis ibid.
ſemiramis 294
ſemperaſio 217
ſerinus 249
ſialendris 703
ſialis ibid.
ſincolinæ aues in Tartaria 703
ſirênes 704
ſiſophelos 720
ſitace 689
ſitaris 706
ſitta 682
ſittace 689
ſittas 690
ſmerinthus 706
ſôdes ibid.
ſparaſion 624.706
ſparuerius 51
ſpergulus 624.706
ſpermologus uel ſpermonomus,gracculorum generis 503
ſpermologus paruus 625
ſpermologus paſſer 628
ſphicas 706
ſpinitorquus 557
ſpinturnix 550.706
ſpinus 1
ſpiza 372
ſpyngas 706
ſtardæ 468
ſtephanion 503
ſterna,larus minor 564.565
ſtethias 706
ſtruthio,ſtruthius 708
ſtritomellus 709
ſtrix 235.706
ſtruthocamelus uel ſtruthiocamelus 708
ſtruthos 618
ſturnellus 714
ſturnus ibid.
ſtymphalides, Stymphali aues 718
ſubaquila 193
ſubbuteo 48
ſubis 682.718
ſyluia 697
ſyrnia 707
ſyroperdix 657

T.

tantalus pro ardea 202
tarax Nemeſiano 469
tarda auis 466.468. per totum
targula 303
taurus auis 211
tauraſus 718
telamon 687
teleas 718
tengyrus ibid.
terraneola 78
tercellinus 4
tertiolus, tricellus, trizolus, id eſt accipiter uel falco mas 3
tetrao Moſcouitis 472
tetraon 466
tetrao, tetrax, ex recentioribus 469
tetraon minor 475
tetrax,tetrix,tetraon,ex ueterum ſcriptis 471. ex recentioribus 472
tetrax paſſerum generis 624
tetrix 78.625
theocrónos 41
thopios uel thops 219
thous 718
thraces 124
thratta 719
thraupis 235
tinnunculus accipiter 53
tiphia 719
titÿ ibid.
tityras ibid.
tityrus 719
titys ibid.
todi 719
torquilla 552
totanus Venetis 499
tragulidantes, pro troglodyte 591
tragopanas 719
trapazorola 135
tremulus 594.733
triccus 719
tricellus,uide Tertiolus
tringas,melius Tryngas
triorches 45
trizolus, uide Tertiolus
trochilus ueterum 694
trochilus aquaticus 719
trochilus, arquata uel ſimilis 215
trochilus terreſtris 479
trochilus Alberti mergorũ generis 127
troglites 618
troglodytes paſſer 625
trogon 720
truo 605
tryngas 483.593.594
turbo 552
turdela 729
turdo 720
turdulus Bohemicus 729
de Turdis in genere: & priuatim de Trichâde, quem pilarem Gaza uertit 720
turdorum tria genera 720
turdus illas uel tylas 728
turdus iliacus minor 728
turdus minor alter 729
turdus uiſciuorus 727
turtur 303.769
tympanus 730
tyrannus 630.730

V.

uanellus,uannellus 731
uannellus fuſcus 685
uariæ 733
uarones ibid.
uelia 369
uenator auis, uel uenatica 559
ueſpertilio 733
ueſpertiliones Aegyptij cauda oblonga 739. Babylonici qui in eſum condiuntur, ibid. Indici & alij in Nouo Orbe ibid.
ueſpertiliones uel ſimiles eis aues in Arabia 739
uinago 294
uincones diuerſi 373
uipio,grus minor 509
uitiflora 604
ululà 740
ululæ genus alterum, quod quidam flammeatum cognominant 742
uoiſgra ibid.
upupa 743
urax 470.471
uria 125
uria maior 133
urinatrix 124
urogallus, tetraon Plinij 472
urogallus minor 475
uulpanſer 155
uulpecula auis 739
uultur 747
uultur albus 524.749
uultur aureus 524.748

X.

xercula, id eſt cornix 308. Syluaticus
xuthros 618
xyon 747

Z.

zaucos 524.749
zena 235
zeuocos 524.749
zingion 524.749

ITALICA.

A.

aieta 45
aigeron 269
airone 202
airon negro 205
agiron 202
agniſta piumbina 196
agrotto 606
aguglia 164
alba frons 374
allodola 76
allodetta ibid.
alocho 94
anadre 95
anatre ibid.
anitra 95
anghiron 202
aquila 164
aquilaſtro 192
arcaſe 215
arcera 484
arcia ibid.
aregaza 666
aryotin 625

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 30 sur 825

Index.

arzauola 135.761
auoltoio 749
auoſetta 225

B.

balarina 591.593
barada 697
barbaian 229.603
barbaiano 740
barbaro 576
barbaſtello 734
barello 761
beccoroëlla 225
beccoſtorta 225
becquafiga 684
becquefigo 370.378
becquaroueglia 64
berta 673
biui 528
boarina 630
bruſola 684
buba 744
bucciario 45
bufo 228.229
buorino 630

C.

calandrella uel chalandra, chalandrella 78
calmaza 475
canibello 53
canuarola 567
capelluta 77
capetorto 552
capo nero uel capo negro, capifuſcula Nipho 370
capo negro, parus maior 615
capon, capone 412
caranto 247
cardellino 236
carzerino 236
cedron 473
celega 619
ceppa 629
cercedula 103
cercenolo 103
ceſana 358
ceſila 528
ceſon genus anatis, aliâs cygnum ſignificat 110
chapelina 78
charlot 215
chio 596
cholanze 761
chorchalle 761
chorchalone 761
chotroniſſe 655
chouaduri 761
chus 218.596
cia 628
cia montanina 629
ciagula 503
ciccun 157
cigno 358
cigogna 251
cilega 619
cino 358
ciou 729
cipper 729
cipperina 78
citrinella 248
cinetta 596
cochalli 761
codacinciola 591
codatremula 591
cogiuuanella 591
collotorto 552
columbo 268
columba, colomba 268
colmeſtre 557
colombo fauaro 298
columbo ſaxarolo 268
corbo 321
cornacchia, cornachio 308
cornice 308
coroſſolo 699.791
coruo 321
coruo marino 120
coruo ſyluatico 337
coruo ſpilato 337
coruz 245
cotremula 594
cotretola 591
couarella 78
couatremola 591
criſtella 744
crocay, crocalo 562
crofferon 701
cucco 348
cucho 348
cuco 348
currucula 356
culo uel cullo bianco 604 761
cutta 503

D.

dardanelli 546
dardano 160
dardaro 576
dardo 576
deſtolo falconiero 557
dreſſo 720.727
drexano 727
duco uel dugo 229

F.

fagiano 658
falcinello 214.215
falcon, falcone 57
falcon montanáro 68
falcon pelegrino 69
falcon zafiro 73
falconello 777
fanello 567
fangarolla 761
fartagnia 78
faſan, faſano 658
faſan negro 476
faſanella 223
faſiano alpeſtre 476
felizete 761
ferbott 699
fior rancio 625.696
fohonelo 567
fólega 374.375
follata 376
follega maior & minor 376
folor uel folun d' aqua 584
formicula auis, iynx 552
forſanelli 761
francolino 220.223
franguello, franguoglio 220 372
franguel inuernengk 702
franguel montagno 264 702
frangolini columbarũ genes 294
frenguelo 372
fringuello 372
friſon 247
friſone 264
fruſone 264

G.

galbedro 378.684
galber 378
galedor 565
galetra 563
galleto de magiò 744
gallina 415
gallina arcera 484
gallina d' India 464
gallina ruſtica uel ruſticella 461
gallinaza 484
gallinella 484
gallo 380
gallo alpeſtre 476
gallo cedrone 475
gallo de paradiſo 744
gallo ſeluatico 473
garbella 685
garde 761
gardellin uel gardelino 236
gardello 236
garganey 127
garganello 103.127
gargea 208
garietto 208
garza 202
garza bianca 208
garzeta 212
garzetto 208
gauinello 53
gaulo 576
gazza 666
gaza falconiera 777
gaza ghiandaia uel ghiandara 673
gaza marina 557
gaza ſperuiera 557
gaza uerla 673
gazzara 666
gazzuola 666
geron 593
ghiandaica 666
giarioli 482
girardelli 482
girono 208
giuara 761
gyuen 127
gracchia 308
grallo 378.576
grotto, grotto molinaro, grotto marino 606
gru, grua 509
guachi 761
guo uel guuo 218.229

H.

herbey 556
hoche marine 562

I.

ieuolo 576
iurár 133

L.

lagan 761
langanino 761
lequila 248
legora uel legorin 1
lerlichirollo 584
leucaro 1
limoſa 499.500
locala 218
lodola 76
lodola campeſtra 78
lodora 76
loyette 51
lucaro 94
luganello 1
lugaro uel lugarino 1
luocalo 94
lupo de l' apì 576
lſigſiniuolo 569

M.

magun 133
maluiccio 720
maluizo 729
martino peſcatore 550
megliarina 628
meleſiozallo 378
mergón 120
merle alpadic 237
merlo 580
merulo alpeſtro 584
merulo ſolitario 584
merulo ſtercoroſo 584
miluio 586
morgon 127
mulacchia 319
munacchia 319
muſchette 44

N.

nibbio 586
nichio 586
niggo 586
nitoran 603.761
nottola 596.734
notula 734

O.

ocello d' el ducha 606
ocha marina 157. groſſa, baletta, ibid.
ocha ſyluatica 152
ocha ſterna 157
ocharella 157
ochio bouino 696
ocho 136
orbefina 614 615
oreſta 557
ortelano 585
otorno 557

P.

pagolino 630
pagone 630
paierizo 628
paipo duplex 761
palumbella 295
palumbo 268. 298
palumbo giandaro uel torquato 297.298
panedra 761
paon 732
paoncello 732
papagallo 690
papara, paparo, papero 136
pariſola 615
parizola 614
pariſola domeſticha 615
parozolina 616
paruſſola 615
paruſſolin 616
parrúza 614
parula 614
paſon 509
paſſara, paſſara cazarenga 619
paſſera gazéra 557
paſſara montanina 630
paſſara ſolitaria 630
paſſara ualina 630
paſſarino, paſſorono 630

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 31 sur 825

Index.

parascio 614
pauon,pauone 630
pauonzino 732
peccietto,pechietto 699
penazi 761
perchia chagia Siculis 625
perdice 644
perdice alpestre 223. 556
pernigona 644
pernis alpedica 223
pernise bianche de la montaigne 556
pernisette 644
perniso,pernisa 655
pescatore, pescatore del re 550
petronella 78
petto rosso 699
petusso 699
pic 683
piccafiga 357.370
picciaferro 576
picchio 675
piccione 269
picha 666
pico 575. 683
pico tocciulo 501.684
pigeon 269
pigozo 682
pillar 720
piombin 135
pipistrello 734
pispisa 591
piuero 761.bis
piuier 686
piumbino 550
pizamosche 357
poyana 45. 586
pola 484. 503
pollastro 458
polle 479
pollo 458
polono 127
polun 376
pulcin 458
pullon 376
puniono 268
puppula 744
putta 666.744

Q.

quaglia 339
quaiotto 212
quallia 339
quaro 761

R.

rallo 377
raparino 236 carduelis
ratto penugo uel penago 734
rauarino 236 carduelis
re de qualie 346
reatin 625
rectino 696
regalbulo 249
regazza 666
regestola, regestola falconiera 557.777
regillo 696
regio 78
reigalbulo uel reigalbero 378
reillo 625. 696
rendena 160. 518
reuezôl 699
rezestolla 761
rhoncas 556
rigey 249.378
rondena 528
rondena marina 562
rondine 528
rondinella 528
rondone 528
rondoni 546
roscignuolo,roscignolo,rosignuolo 569
rubeccio 701
rundine 528
ruscigniuolo 569
russey 212

S.

sartagnia 356 curuca
sartella 103 genus anatis,bis.
scarrzerino 249
scauolo 103
schiron 720
scricciola 625. 696
scurapola 503
serin 249
sgaia 680
smergo 120
smerlo uel smeriglio 43
souige 761
spaiarda 628
sparauiero 5
spargadollo 761
sparuiero uel sparauier, sparauiero,sparuero 51
speluier 509
sperga 133
spinzago 215
spinzago d'aqua 225
sportegliono 734
sporzana 761
squasacoa 591
starna 644
stolzo,stolgo,stolcho 473
storno,stornello 714
stortacoll 552
strapozino 761
struzzo 709
sturnello 714
sturzo 709
suffuleno 702

T.

Tacola uel taccola 502.503. 509
tarabusso 208
tarangolo 481
taranto 247
tarlino 215
tartari 546
terlino 215
terrabusa 208
terzolo 5
titispisa 591
tordo 720
tordo 729
torquaro 215
torquilla 552
totano 499
totone 761
trapazorola 135
tristarello 53
tristinculo 53
trumbono 208
tschirnabó 615
tudon 208
tunes 463
tuordo 729
turdella 727
turdo 729

V.

ucciello di neue 591
uccello d'oro 249
ucello del paradiso 550
ucello di santa Maria 550
uerderro 247
uerdmontan 247
uerdon 247
uertilla 552
uerzerot 628
uessiuillo 630.730
uilpistrello,uipistrello 734
uiscada,uiscardo 720.727
uitriolo 550
upega 744
urblan 556
uscigniuolo 569

Z.

zaranto 247
zerifalco 66
zigognia 251
zigueta 596
zinzin 614
ziollo 685
zisila 528
ziuetta 596
zorl genus gracculi 503.509
zueta 596
zus 218.596

HISPANICA ET Lusitanica.

A

Abubilla 744
adam Lusit. 135
aden Lusit. 95
águila 164
aguza nieue 591
alionine 616
anáde 95
andorinha 528
ansár bráuo 152
ansaron 136
arrexáquo 160
aruela Lusit. 550
aueiurúco 576
aueloa Lusit. 593

B.

bequebó 675. 680
bybe Lusit. 732
bufo Lusit. 229
buho 229

C.

calandra,chalandra, chalandria 78
cercéia 103.242
cernicalo 53
ciguenna 251
cisne 358
chamaris 616
codornix Lusit. 641
cornéia 308
corusa Lusit. 740
cróro 606
cuaderuiz 339
cuclillo 348
cueruo 321
cueruo caluo 657
cueruo marino 336

E.

Ema Lusit. 509

F.

faisán 658
Francello 51

G.

gállo 380
gallina enána 380
gallina Morisca 463
garza 202
gatirhas Lusit. 135
gauiam 46
gazola 209
golondrina 528
gorrión 619
graio uel graia 503
grou 202. pro ardea
grulla 509

H.

halcón 5

L.

lechúza 596

M.

melroa Lusit. 580
mierla 580
milano 586
milheiro 616
mócho Lusit. 229. 596
mochuelo 610
morcego Lusit. 734
murziegalo 734

O.

oroyéndola 684

P.

paloma 298
paloma torcáz 298
papagáio 698
pauón 630
pauón de las Indias 464
paxáro 619
perdiz 644
pezpiralo 591
pigáza 666
pintacilgo 236
pitiroxo Lusit. 699
pópa Lusit. 744

R.

ruissennór 569

S.

sielecolore 236
sirgueiro 236
sturnino Lusit. 715

T.

telamon 687
tintilaum Lusit. 615
tórdo 720 tórtola 303
tortole 303
tortore uel tortora 303
torzicuello 552
turtura 303

V.

Vencéio 160
Verdelha 247

Z.

zernicalo 53
zorzól 720

GALLICA ET Sabaudica.

A.

Aelyon 64
agasse 666, Sab.
aigle 164.
aigle courte Sab. 199
aigle de mer, Sab. 196

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 32 sur 825

Index.

aigrette 662.762
airon Sabau. 202
alebranda genus anatis 103
alouette 78
arbenne Sabaudis 556
arneat 557
artre, iſpida 550
auberet Sabaudis 43
auſſecue Sabaud. 594
auſtour 5
auſtruche 709
autruche 709

B.

batteleſſifue 594
battemare 591.594
battequeue 594
becafiga, becafigo 370.604
becaſſe grande 484. petite 487
becaſſon 487
becquefigue 370
belleque Neocomi 376
bequaſſe 484
beque Sab. 563
bercée 699
bergeronnette 264
beſche bos 675
beurichon 625
bieure Vulpanſer. 156
bijen 762
blereau 762
boudrée 194
bouſat Sab. 46
bouſat de mer Sabaud. 196
boutor 209
bruant 160
bruyan 628
bubo 762
buyſart 46
buzart 46

C.

caille 339
canard 95
caniard 85
cane 95
canne grigne 762
canne petiere 220.685.762.
canon, canichõ, anaticula 95
caſtagneux, mergulus quidam 136
caſſenoix 237.264
cedrin 249
cercelle, cercerelle 103 bis 105
cercerelle 53
ceriſin 1
chahuhan 229
chappon 412
chardonneret 236
charderaulat Sab. 236
chargais 762
chaſſetont 229
chat huant 229.762
chauue ſouriz 734
cheualier 762
cheueche 740.596
choca 503
choche pierre 264
cocheuis 78
choquar Valeſijs 509
chouette 503.596
chouette Valeſijs 509
chucas 503
chue Sabaud. 503
cicogne 251
cigogne 251
cinit 1
coc de bois Sab. 475
cochet 458
cocou 348
cocq 380
cog 380
colapa Sabaud. 593
colombe 268
columb biſet 294
columb grand 294
colombe paſſagiere uel rocheray 268
conta faſona Sab. 625
coquu 348
corbeau 321
corbeau crochereyx Sabau. 133
corbeau d'eau 336.657
corbeau peſcheret 336.657
corlis 215.216
cormorant 119.131. 336.657
corneille 308
corneille de mer Lotharingis 337
coulon 268
coulon ramier 298
criblettes 762
crocherant 762
croiſeau 295
crot peſcherot Burgundis 196. i. coruus piſcator. 336.
cul blanc 370.604
cygne 358
cyne 358

D.

dama Gallis Ciſalpinis 742
dame 666
diable 376
dixhuict 732
duc Sabaudis 229

E.

effraye 235
emerillon 43
enguane paſtre 593
eſcorffle 586
eſmerillon Sabaud. 43
eſperuier uel eſparuier 5
eſtourneau 715
etpie Sab. 744

F.

faiſant 658
farfonte 625
faulco. 1 57
faucon haultain, et alter de repaire 64. et paſſager uel de paſſage ibid. abier ibidem
faulcon de mareſt, de riuiere 64
faulcon pelegrin 69
flambant 662
flamman 662
foucque 376
foulcre 376
foulque 376
francolino 220.223
freynno Sabaud. 199
freſaye 235
frinſon 373

G.

gabian 562
gaion Sabaud. 673
Gal 380
Gay 503.673
gau 380 gauian 563
geau 380 geline 415
gelinette(d'eau) 376
geline uel gelinote de boys 223
gelinette uel gelinette fauuage 223
genillete Sabaud. 415
gerfau 66
glaumet 563
gorge rouge 699
gouttreuſe Sabaud. 606
graillat 308
graille 308
grebe Sabaud. 563
griaibe Sabaud. 563
grimauld 740
griue 720. 727
griue fiſalle Sabaud. 727
griuette Sabaud. 729
grolle 762
grue 500
gueſpier 576
guignecue 591
guillemot 686.762
guinſon 372

H.

harondelle 528
hauſſequeue 594
heron 202
heyron Sab. 202.563
hibou 229.596.740
la grande hirondelle 160
houtarde 469
huans 610
huard 192
hupe 44
huppe 744
hybou 740

I.

iaquette 666
iars 136
iodelle 376
iouvdarde ibid.

L.

lardera Sabaudis 616
lauandiere 264
linotte 567
litorne 720
loere 133. Sabaudis
loriot 684
lucherant 229
lupege 744
lynnette Sabaudis 567

M.

machette 740
maienze Sabaudis 616
marenge 616
margaires 762
martelet 160
martinet 160.546
martinet peſcheur 550. iſpida
matagaſſe Sabaudis 557
mauue 562
mauuiz 720.729
mayenche Sabaudis 614
milan 586
merle 580
merle au collier 583
meſange 614
meſange houpée 617
moineau 619
moyne uel Moyneton Sabaudis 616
montan 374
morillon genus anatis 103
moucet 619
mouette 562.563
mounier 550. 618

O.

offraye 196.199
oiſeau de nerte 720
ophraye 196.199
orfraye 196.199.235
orio 684
ouſtarde 469
oyard 136
oye ibid.
oyon 136
oyſon ibid.

P.

pale 605.642
paon 630
papafiga 604
papafigho 370
papegay 690
paſſe 619
paſſerat ibid.
paſſereau 619
paſſeteau ibid.
perdris 644
pdrix blanche de Sauoie 556
perdris des champs 644.
perdris gaye, uel gaille, uel gaule Sabaudis 655
perdris gringette ou griſche 644.
perdris griſe ou goache 644.
perdris de montaigne 223
pdris aux pieds rouges 655
perniſſe Sedunis qui Sabaudicè loquuntur ibid.
perroquet 690
peſcheur 550. iſpida
phãba Gallis Aquitanis 298. palumbes
pic 675
pie 666
pie ancrouelle 557
pie eſcrayere Sabaudis 557
pie grieche 557
pie griayche Sabaudis 557
pie de mer 527.662
pieu mart 675
pigeon paté 268
pigeon ramier 298
pimar 675
pion Lotharingis 702
pinſon 372
pinſon d'Ardaine 374.
pitſchat Sabaudis 683
piuerd 682. pro iſpida 550
piuoine 370.604.702
plongeon uel plonget 120
pluuier 685
poche 642
pol 458
polaille ibid.
pollet 458
poul 696.730
poulle 415
poulle d'eau 376
poulle d'Inde 464.
pouſſin 458
pouſſin ibid.
purput 744.

Q.

quercerela 53
quinſon 762
quinſon Sabaudis 372

R.

ramier 298
raſcle 644.
raſle 346

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 33 sur 825

Index.

raſſe 562
ralle de genet 347
ratte ſauuage 734
ratte uolage 734
reberre 625
redoyell Sabaudis 625
rezeto Sabaudis 625
roſſignol 569
roy 625
petit roy 696
roy des cailles 346
roy des oiſeaux 625
roitelat Sabaudis 625.696
rottolet 696
rouge bourſe Sabaudis 699
rouge gorge 699
rouſſignol 569
rouſſignol de mur 699
rubeline 699

S.

ſacre 64
ſarcella genus anatis 103
ſcenicle 1
ſerin 1
ſerrant 248
ſiricach 53
ſiuette 596
ſoucie 696.730
ſourcicle 696.730
ſouette 596
ſouriz chauue 734
ſparuoczolo 614

T.

tarin 248
tartarin, iſpida 550
terco 552
tiercelet 5
tirin 248
torcol 762
tortorelle 303
tortue Sabaudis, turdi genus 730
tourd 720
touret 720
tourte 303
tourterelle 303
trasle 720.729
trincos 261
tringo 546
truble 641
turcot 552

V.

uauteur Sabaudis 749
uerdeyre Sabaudis 247
uerdier 248
uerdon pro curruca 356
uerdrier, uerdere, uerderule 628
uerdun 628
uidecocq 484

Z.

Zoëtra 596

GERMANICA, quibus cognata quædã etiam inter Anglica reperies.

A.

Adebar circa Roſtochium 251.2
adler 164
ägerſt 666
ägerſtſpecht 680
älguſſ 131
älſe monedula Saxonibus 503
änte uel ände Flandr. 95
ärn 164
äſchent 129
äſchmeißle 616
ärter Flandr. 666
aglaſter, agelaſter 666
albuk 566
alenbock 563
algaſter 666
alpfachlen 509
alprapp 336.509
amſel 580
ant 95
antuogel 95
ar/arn/art 164
arhn 44
arnt uel arent Fland. 164.2
arſenoet / Holland. mergulus 135.2
arßfüß/mergulus 135
arunde Brabant. 528
aßgyr 749
atzel 666
atzelſpecht 681
aurhan/uide Orhan
awerhan 472

B.

bachamſel 594
bachſteltz 593
baumfalck 74
baumgenß 108.109
baumheckel 244
baumhätzel 673
baumhecker 675.683
baumkletterlin 233.244.683
baumlerch 79
baumſperlingk 625
beemerle 674.720
beemeziemar 729
beenen pyrrhocoraces 509.
beena Rhætis monedula uul garis 503
begeſtertz 593
behemle 674.729
beinbrecher 198
belch 376
belchinen 376
bergdul 509
bergent 156
bergfaſan 473
berghün pro lagopede 556. 56
berghuw 229
berckmeiſle 617
bergſchwalben 544
bergtroſtel 729.730
bierolff 684
bymeiße 616
byrolt 684
birgamſel 584
birgfalck 68
birgfaſan 475
birckhün/à betula, uel à montibus 472.473.474.475 478
birckilgen/anatis genus 105
bitter 729
blafüß 73
blaſſent 110
blawſpechtle 683
blawmeiß 616
blawuogel 266.706
bleß 376
bleſſing 376
blindchlän 683
blütfinck 701.702
bölch/bölhene/böllhine 125. 376
böllhinen 376
bömerlin 729
bollebick 264
böllenbyſſer 702
brachamſel 347
brachhün 480. bis
brachuogel 215.265.267. 347.480. bis. 481.730.
brachuogel auis cruribus proceris maior & minor 367
klein brachuögelchen 480. 697
brandtmeiß 615
brandtuogel 566
breitſchnabel / anatis genus 116
brommeiß 702
bromhenn 475
broburen 46
büchſchnepflin 234.488
büder berolff 684
büchbyſſer 762
büchfinck 702
bulfinche 70
bundtekräe 319
bunterſpecht 680
bürſtner 357.604.700
buſant/ buſhard/ buſahrn/ buſe/buſhen 46

C.

catul auis circa Oceanũ Germanicum
chau/uide ka
chlän 244.682
clauſrapp 337
coote 657
cotracken Saxon. coruus minor. 321
crackaſona genus anatis 105
croiſi Brabant. palumbus minor. 295

D.

Däſehünle 380
Dale/monedula 504
Daucher. Süch taucher/daucher 127
Deffyt 490
Diſtelfinck 226, 236
Diſtelnogel 236
Dôl/ monedula 504
Dole 503
Domphorn uel Dompshorn ardea ſtell. 210
Dorendreer 558
weiſſer Drittuogel 116
Droſchel 729
Droeſſel 729
Droſſel 729
Droſtel uel Durſtel 267
meertziſche Drueſſel 730
Duchentle 135
Ducher 119.127
Duchent 127
Ducher 131
Dul/ſuch Tul
Dumeling 625
Durſtel 729
Dune Saxonicè 268. columba
Düechel 133
Düechelin 125.135
Dükeckin Fland. 120

E.

ebeher Saxonibus 251. ciconia
eggenſchär. 478
eißuogel 550
elbs 358
elps 358
elſter 666
elſterſpecht 680
wyſſe Emberitz 629
embritz 628
emmeritz/ emmering / emmerling 628.556
engelchen 1
ent uel endt 95
wilde blawe Ent 110.
wilde grawe 112
entenſtöſſel 192. bis
entrich uel entrach 95
erdbüll 210. ardea ſtellaris
erdhennle 380
ern 164
erpell Saxonibus, anas mas 95.2
eſelſchryer 606
eul 569.740

F.

fädemle 249. ſerinus
falck 57.
groſſer Falck 66
roter Falck 72
faſan/faſian/faſant 658
fauſer 642
fel 565
feelſchwalm 546
finck/ Rotfinck / Büchfinck 373
fiſcharn 195
fiſcher 192. genus aquilæ
fiſcherlin 565
fiſchgeyer 749
fyſterlin 493
flachßfinck 567
flädermauß 734
fliegenſtecher 264
flom 376
fluder mergus quidam magnus 134
flügelſchlapp 762
flügenſtecherlin 763

G.

gabich Miſenis. 238
gacke/monedula 504
gacy Fland. monedula 504
galgenregel 770
gälgenſiken 628
gäluogel 1
gan uel ganner 129
ganß 136
ganſer uel ganſerich 136

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 34 sur 825

Index.

wilde ganß 152
gaulamer 628
gauß 136
geelgoist 628
geir 749
gelbling 378
gerfalck 66
gerolf 684
gerschwalm uel geyrschwalb 160
gersthamer 624.697
gybytz 732
gickerlin 594.762
gielfincke Fris. 379
gierfalck 66
gyfitz/gyuit 732
gyfitzen lari marini 566
gilberschen 628
gilbling 628
gilwertsch 628
gympel 702
gyntel 763
gyr 749
girau Brabant. 673
gyrle 249
girlitz serinus 249
gixerle 729
gluggeren 415
glutt 489
goldamer 556.628
goldfinck 267.227
goldgyr 524.749
gorse 356.628
goldhendlin / goldhendli 557.696.730
goldmerle 583.684
goll 702
gollammer 628
graacke/monedula 504
gragantz 152
graßschnepf 487
graßspecht 680
graßmugg / graßmuck/ graßmusch/graßmuckle 356.703.370
graßmusch/pro troglodyte 625
grawentle 103
grawer gyfitz 685
griel 245
grienvögelin 762
griffuogel Fris. 118
grynerlin 76
grossent 110 bis,& 111.
grütte Fris. 488
grüy arquata 215
grüner oder blawgrüner gyfitz 732
grünfinck 236.247
grünling 247
grünspecht 682
grügelhan 475.477
gucker 348
guckerlin 762
gugckuser 348
guggauch 348.771
gul 380
gumpel 702
güs Fris. 136
gütfinck 702
gurse 628
güggel 380
gügger 227.702
gümpel 227

H.

habergeißlin 234.488
habich 5
habspurger 43
häbchle 5
häher 673
hänffling 567
här 673
härsneff 487
hätzel/hätzler 673
haffkin Flandris accipiter mas 5
hagelganß 152.376.
hagent 110
hail 702
halbuogel/turdi genus 730
halckregel 770
han/haußhan 380
hanikens Hollandis, arquata 215
hannckin Flandr. monedula 504
hapch 5
harschnepf 487
haselhün 220.223
hasengeyer 749
heerganß pro ardea 202
heidenhempfling 567
heidenmeiß 617
heidenelster 667.770
heidlerch 78
heggeschär 478
hemmerling 628
henn 415
brüthennen 415
kluckhennen 415
mertzhennen 415
groß Welsch oder Lombardisch hennen 381
herrenuogel 673
herrschnepf 487
hertzog 229
heubellerch 78
heübelmeiß 617
himmelgeiß 234
himmellerch 78
hirengryl/hirngryll/fädemle 244.249
hirßfinck 248
hirßuogel 248
holbiot 118.563
holbrüder 563
holkräe/holkrahe 319.680
holtzhün 680
holtzkräe 680. Wilde 770
holtzlerch 78
holtzschnepf 487
holtzschreyer 673
holtztuben 295
groß holtztub 298
hortybel ardea stellaris 210
hotzgyr 749
houare Fland. ciconia 251
huher on Brabant. 744
huhu 741
groß huhu 229
hünerarh 43.586
hünerdieb 45.586
hünle 458
hün 380.415
Indianisch oder Kalekutisch / oder Wältsch hün 464
wild wyßhün 556
huppetup Flandr. 744
hußrötele 699
haw 229
hünckel 458.767
hürchele 135
hürü 229

I.

iäck 673
iasine Brabant. 628
imbenfraß 576
imbenwolff 756
iochimken 707

K.

Kauel kau uel chau Belgis monedula 504
kaatmeißle 616
kabel Fris. 564
käferentle mergulus 135
kätzle/genus anatis 118
kaycke Saxonibus monedula 504
kapaun 412
kaphan 412
kappun 412
karhaan 744
keibgyr 749
kernbeiß 264
kernbeysser carduelis maior 236
kernell genus anatis 105 127
kersenryse 684
keützlin 218.597
kybitz 562.564
kilchenspyr 160
kirchschwalben 544
kirchüle Flandr. 742
kirseschneller 264
kirßfinck 248.264
kirßfinck pro genere carduelis maiore 236
kyuuitt 732
kyuütz 732
kläber 683
klättenspecht 683
kleinent 103
klepper 264
klinger anatis genus 116
klosterfröuwle 593
kobellerch 79
kobelmeiß 617
kockock uel kockütt Flandr. 348
köningkin Flandr. 696
köpple 218.596
kolckraben Saxonibus corvus maior 321
kolfalck 71
kolmeiß 615. 616. bis. pari genus
kolmeiß troglodytes 625
kolmusch troglodytes 625
kopera 79
koppriegerle 497
kornuogel 628
kottler 683
kräe 308
hußkräe 308
kräye 308
schwartzkrae 308
kräspecht 679
krahe 308
krametuogel 720
kran/krane 509
kranich/kranch 509
kranwituogel 720
krautent 118
krewelberger 43
krichentlin 103
krye 509
kriel 380
kriesdune Flandr. 298
krigelster 667.770
krigente 103
krinitz 552
iynx 576
kropfuogel 606
kruckentle 103.104.
krumschnabel 568
krützuogel 568
kukkuck 348
kuningsen Fland. 625
kuppe 64. bis
kürheñ 225.463
kureramsel 584
kuttuogel chleris 247
kutz 596
niderlendisch kutzen 596
kützlin 596
kützle/kleine frömbde oder Welsche 218.596

L.

lachwy 586
lammerzig/aquilæ aut uulturis genus 200
langschnabel 128. mergi genus
laubhan 475
leewercke Flandris & Saxonibus 38
lesler 642
leihenne 380
leymtrostel 730
leiner genus anatis 117
lepler Frisis 642
lerch 76
leurick Hollan. 76
linfinck 567
lyßklicker 592
lyster Hollandis 580. merula
lobfinck 227.702
lochtuben 295
löffelganß 642
löffler 642
lozrind 210
lüningk 619. passer
lufftuogel 618
lurlen 78

M.

mayß 614
mansau Brabant. 298
marcol Frisis genus fulicæ maius & marinum 320. 376
marcolfus 673
margraff 673
masenge Brabant. 615
maß / uel potius moß, id est palus. inde cõposita nomina auium require in Moß
mattkern 348.496
mattknillis 495
meb 563. süch Mew
meelmeisse 616
meercoot Hollandis fulica nostra 376
meerel 580. merula
meerent 125
meerganß 606

Index.

meerrind 209
meerschwalm larus 562
meeruogel 566
meew Frießl. 564. sůch Mew
meysse 614
grosse Meiß 615
meyspecht 683
meyuogelin 566
merch 118.127.129
wysse Merch 129
merg 129
merl 580. merula
merlaer Fland. 580. merula
merrach 129. ter
mertzennt 110
meußkönig 625
mew/mewe/mewb 118. 562. 563
wysser Mewe 118.242
mieß/miese 562.563
mirgigeln 135. Milenis mergulus
murle 43
mistelfinck 728
mistler 728
mittelent 103.113. bis
moor genus anatis 118. & ardea stellaris 210
moßent 115
moßhuw 46.94
moßkü 209
moßochß 210
moßreigel 210
moßsperlingk 625
moßwy 46.192
motol 680
můsche Belgis 619
müsserfalken 63
muggenstecher 594
muggent 114
mürent 115. 118
mürentle 103
mürhan 225
mürmeiß 616
murschwalben 544
murspecht 683
murspyren 544
muschet Fland. 51
muttuogel 125
münchlein 370
münsterspyren 544

N.

nachteul 596,740
nachtgall 569
nachtmännle 707
nachtrabe 603.604
nachtram 235.604
nachtrap 235
nábelkrae 319.770
naghraue 235
naterhalß 552
naterwendel ibid.
naterzwang 552
neppe 485
nesselkünig 625
netzescharb 131
nünmörder 777
nunnen mergorum generis 127
grawe Nunn 129
nußbicker 237. 683
nußbrecher / nußbretscher 237
nußbäcker 683
nußhaer / nußhäher 237. 683
nünmörder 557.739
nüntöder 557

O.

ochseneugle 696
odeboer circa Rostochium 251. ciconia
oefener 762
olimerle Brabant. 684. 583
onschwal 212.261
onuogel 606
orhan uel vrhan 472.473. 474
ölb uel ölbsch 358
örliwy 587
kleiner Orhan 475
orhüwel 610
orkutz 596
osgeyer 749

P.

pagelůn Saxonibus 630
pappengey 690
Teütscher Pappagey 770
paradißuogel 610
parnysse 655
pauw Fland. 630
passer solitari 584
pernyßen 655
pertriis Fland. 644
petter Frießl. carduelis 236
pfäfflin 702
pfaff 376
pfannenstiglitz 617
pfannenstil 616.617
pfaw 630
pfeiffent 117
pfulschnepf 499
pfurtzi 135. mergulus
pickart 210. ardea stellaris
pilart Brabantis 702
pilente 594
pylstert Holland. 129
pilwegichen 594
pilwenekgen 594
pimpelmeiß 616
pirckhün 472.473.474
pittouer 210. ardea stellaris
plochtub 298
polschnep 499
prunellen 627
pulroß 685
puluer 685
pundterkrae 319

Q.

quackel Fland. 339
quetsch 702
quickstertz 593

R.

rab 321
räbhün 644
rot Räbhün 655
welsch Räbhün 655
wyß Räbhün 556
rägenuogel 481
rayer 202. ardea
ranßeül 610
ransulle Holland. 742
rapp 321
rappfinck 248
rarg Frießl. 202. ardea
raue Fland. 321
reck 125
reckolteruogel 720
regenuogel 215
reidommel Frießl. 210. ardea stellaris
reidtmüß 551.627
reiger uel reigel 202
blawer oder grawer reigel 205
wysser Reiger 208
reigerfalk 64
reiher 202
reynschwalb 161
reinuogel/rynuogel 496
retschen/retschent anas mas 95.110
richau Brabant. 673
riegerle 498
riegher Fland. 202. ardea
riethanen 460
rietmeiß 551.616
rietschnepf 485
rinderschysser 233.593. 594
rinderstaar 715
rynent 127
ringamsel 583
ringelspatz 624
ringeltub 298
rinnenkläber 244
rynschwalme 545
ryserle 594.533
roeck 319. cornix frugiuora
rötele 699
Kätschrötele 700
rötelwy 585.586
rogis 128. mergus quidam
roller 674
rordump / rordumpf / rordummel 210
rorgentz/rorgytz 627
rorhennle/belch 376
rorreigel 210
rorspatz 233
rorspar/rorspätzle 627
rorsperling 627
rortrum 210
rosdam 210. ardea stellaris
roßamsel 584
roßgyr 749
rotbein 369.488
rotbüsle 699
rotelgeyer 50.749
rotfinck 369
rothalß anatis genus 106. 113
rothün 655.460
rotkelchyn 699
rotknillis 494
rotkögelken Rostochij carduelis 236
rotkropff/rotkröpfflin 699
rotschwentzel 699. & alia eiusdem nominis 700
rotstertz/rotstert 699
rotuogel 702
rotzägel 699
rowert 374
rubin Frießl. 567
rück cornix frugiuora 135. 319.503
rüggelen 135
rüsgen anatis genus 116
rüttelwy 46.586

S.

sacker 64
samethünle 773
sangdrusche 729
sanglerch 78
scalueren 131
scharb 119.131
scheldrack 131
scheller 337. coruus sylaticus
schiltent 116. anatis genus, & aliud eiusdem nominis ibid.
schiltkrae 319
schyrkryen 320
schlagtub 298
schlagtuben zam 268
schleiereül 603.610.742
schellent 116
schleierenl 596
schluchtente 128
schmilent 111
schmirring 491
schneefinck 374
scheeganß 152. 606. bis
schneehün 556
schneeköning 625
schnepf 485
schnepfhün 485
schnepflin 487.706
schnerrer 728
schneeuogel 556
schnykünig 625
schnirring 565
schösslin 236.567
schösserlin 236.568.703
schölucheren 151. mergus magnus, aliás schaluchon
Schotthenne 380
schrättele 707
schrathün 556
schretzlin 707
schryé Frießl. 215.348.480. Arquata
schrick 347.348.480
schüffel uel schüffeul 229. 227
schuffauß uel schuffans 229
schufler 641
schlueren 131
schwäderle 249. serinus
schwälken vorbott Frießl. 594
schwalbe 528
schwalm/hußschwalm 528
schwan 358
schwantzmeißlin 617
schwartzer Mew 566
schwartzkopf 357.370
schwemmerganß 119.157. 657
scolucheren 131. mergus magnus
screcke 366.347.348
seefluder 130. mergus quidam magnus
seegall 566
seegens 157
seemeew 239.562.566
seeschwalm 578
seeuögel 566
seeuogel anatis genus 117. Eius icon inter Paralipomena est 3
sickust 690

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 36 sur 825

Index.

ſiſgen 1. Frieſl. Zinßle
ſitrich 690
ſiup/ſlub/ſchlub Frieß. 117. 118. genus anatis
ſmeant Frieſl. 118. genus anatis
ſmirle 43
ſneppe Fland. 485
ſocke / anatis genus paruum 103
ſockerfalck 64
ſoker 196
ſorentle 103
ſpätze 619
ſpar/ſpatz/hußſpar ibid.
ſpecht 675
groſſer ſchwartzer Specht 680
ſpechtlin 680
ſpeiren 545
ſpeirſchwalb ibid.
ſpeckmauß 734
ſperck 619
ſperlingk ibid.
ſperwer uel ſperber 51
ſpicht Fland. 675
ſpiegelent 110
ſpiegelmeiß 615
ſpilhan 475.478
ſpyr 160.161.545
wyſſe Spyren 544
ſpyrſchwalb 160.161
ſpyrer 565
ſpitzſchwantz / genus anatis 117
ſprehe 715
ſpreuwe Fland. ibid.
ſprintz 51
ſprintzel ibid.
ſprintzle 51
ſprintzling ibid.
ſprue Brabant. 715
ſtaar ibid.
ſtär/ſtörr/ſtarn 715
ſteinamſel 584
ſteinauff 229. in Carinthia
ſteinbeiſſer/ſteinbyſſer 264. 592
ſteinbicker 592
ſteinbrüchel 198.749
ſteineul 596.618
ſteinfalck 74
ſteingällyl 492
ſteingall 53. Saxonibus tinnunculus
ſteingyr 749
ſternganß 157
ſteinhetzen 509
ſteinhün 556.775
ſteinhün klein/groß 557
ſteinkräe 320
ſteinkutz 218.596
ſteinlerch 79
ſteinrapp 337
ſteinrötele 265.266.701
ſteinſchmatz 53. tinnunculus in Saxonia
ſteintahen 336.503
ſteintub 268.294
ſteintröſtel 701
ſteinül 218
ſtern 565
ſtigelitz 226.236
ſtirn 565
ſtockahrn 64.197
ſtocker 64
ſtockeul 596.740
ſtockhenſling 568
ſtorck uel ſtorch 251
ſchwartzer Storck 261
ſtortzent uel ſtorent 111
ſtoßfalck 65
ſtoßgyr 749
ſtrauß/ſtruuß 709
ſtrüßle 696
ſtrußmeißlin 617
ſummerrötele 699
ſwale Saxonib. hirundo 528
ſchwartztücherlin 585
T.
täſchenmul anatis genus 116
tahe / taha genus gracculi 503.504. pyrrhocorax 509
talhe 504. monedula
taube 268. uide Tube
taubenfalck 51
taucher, p fulica noſtra 376. ſüch Teucher
ſchwartztaucher 376. pro fulica noſtra
teling Frieſl. 104.118
teucher 120. ſüch Taucher
roter Teucher 128
ſchwartzer Teucher ibid.
thannfinck 374
thannmeißlin 617.696
thornkretzer 557
thornträer 557.777
thumherr 702
thumpfaff 227.702
thurnkönick 625
tirck Frieſl. 498
tyrolt 160.684. florus quibuſdam
todtenuögel 594.763
tottler 683
touch Alberto 319. cornix frugiuora. lego Rüch
träehalß 552
trapp / trappganß / ackertrapp 157.468.469
trybuogel genus anatis 118
triel 245
trößlen / anatis genus paruum 103
troſſel 729
troſtel ibid.
klein Troſtel 730
rot Troſtel 729
wyß Troſtel ibid.
truns Rhætis 236. carduelis
truſel 729
tſchauytle 227.596
tſchütſcherle 568
tub 268
ghößlet Tuben ibid.
kleine wilde Tuben 295
Welſch Tuben 268
wyſſe Tuchent 127
tucher 120. ſüch Taucher
tul 503
tulla ibid.
wilde Tulen 509
turtel/turteltub 303.769
tutter 247. chloris
ſchwartz Tücherlin 124
tüchterli 135
V.
valke Belgis 57
überſchwalbe 161.545.546
veldböck 268
veldhün 644
veldtuben 268
vho in Saxonia 229
vhu ibid.
vinche 373
vißgeir 749
viſhärn 195. noſtri dicerent Fiſcharn
ül 740
vogelheine 606
vollent 117
ürenſchwalb 212
vrhan 472. uide Orhan
vrind 209
W.
wachholteruogel 720
wachtel 339
wachtel circa Roſtochium monedula 504
wachtelkünig 346
wäglerch 78
waldamſel 583
waldfinck 374
waldhäher/waldherr 557. lanius
waldlerch 79
waldmeißlin 617
waldrapp 337
waldrötele 699
waldſchnepf 487
waldſpatz 624
waldtroſtel 730
waldzinſlin 617
wamber 762
wannewäher/wandwäher
wanntwehen 53
warkengel/warchëgel 558. 559
waſſeramſel 124.584
waſſerhenn 483
waſſerhün/belch 376.377
waſſerhünle 482.487
waſſerhünle pro alcyone 85
waſſerhünle groß 478
waſſerrabe 336
waſſerochß 210
waſſerſchwalme 545
waſſerſteltz / wyß od graw 593. gälb 594
waſſertroſtle 483
vuchtarß/fuchtarß 131. mergus magnus
wecholterziemer 720
wedehoppe 744
wedewäl 684
wegeſtertz 593
wegflecklin 700.763
wei 586
weicker 246
weidwail 684
weye 586
weiher 586. miluus
weindruſchel 729
weingartuogel ibid.
werkengel 558
wetteruogel 215. 481
wickel Frieſl. 51
widdewal 684
wydengückerlin 763
wydenſpatz 627
wyderle 763
wydhopf 744
widwol/widwal 684
wiegwehen 53
wy 586
wiggügel 763
windhalß 552
winduogel 215.481
wynkernell 497
winſel 267.720.729.730
winterfinck 374
winterkräe 308
winterküninck 625
winterrötele 699
winthalß 576
wyntroſtel 729.730
wintze 729
wynuögele 699
wiſelgen 128. genus mergi
wiſemmertz 629
wißkern 763
wyßſpecht 680
wittewalch 684
witwol ibid.
wüſtling 700
wonitz Saxonibus 249
vwel 740
wülp Frieſl. 488
wüwe Fland. 586. miluus
Y.
yſengart Pomeranis iſpida 550
yßent 127
yßuogel 550
Z.
zagelmeiß 617
zapp Roſtochij fulica noſtra 376
zaunköning 625
zaunſchlipflin ibid.
zeiſel 1
zerrer 728
ziemer 720
ziepdruſchel 730
ziering 728
zierolf 763
zigelhempfling 567
zilzelperlin 617
zilzepfle 763
klein Zimmer 265. 730
zinſle 1
zinzerelle 674
zyſchen 1
zyſele ibid.
zitrynle 248
zötſcherlin 703
zuckeruögele 234
zunkünig 625
zunſchlipfle 357.625
zweiel 732

ANGLICA ET Scotica.

A.
Arlyng 265
B.
bal 734
balbuſhard 192
bank marmet 545
barnacle 107
bauncok 381
bergander 156
biſtard 469
bittour 210
blak byrd 580
blak oſel ibid.
blokdoue 298
bramling 374
busharda buſſard 46

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 37 sur 825

Index.

buntinga 624.697
buſtard 469
buttour 210

C.

cadde 504
cadeſſe ibid.
capercalze Scotis 159
capon 412
chyk 458
chirche martnettes 544
chogh 504
choughe ibid.
clakis Scotis 109
clotburd 265
cok 380
blak cok, Scotis 460
cok of kynde 381
blak cop 242
cormorant 119.131.657
cornish choghe 509
cootte, cote 124.376.377
coushot 298
crane 509
crepera 244
cryel heron 208
crouu 308
crouue 321
cukkouu 348
culuer 268

D.

dakerhen 348.480
dauue 504
dob chekin 135
doue 268
duck 95

E.

egle 164. a right egle, ibid.
erne 199

F.

fedoa 220.498
feldefare 720.729
feſan, feſant 658
filfar 720.729
finch 373

G.

geir 749
glede 586
gul 130
guſtardes Scotis 471
goduuitta 220.498
goſe 137
gouke 348
grenefinche 248

H.

hauke 5
hedgeſparouue 357.625
hen 415
hennes of Genny 463
grey Hen 460. Scotis
henharroer 43
heron 202
the blue Heron 205
duuarf Heron 208
cryel Heron ibid.
uuhite Heroun ibid.
hethcok 461
hethlerck 78
hobbia 50
hobie 5
horn oul 610.742
houulet 596.741
houupe 744
huholo 681

I.

iay 504.673

K.

ka 504
kaſtrel 53
keſtrell ibid.
kiſtrel ibid.
kyte 586
a Kok of Inde 464
kurlu uel kurlen 215
kut 377

L.

lapuuing 732
lark 76
lauerock ibid.
lerk 76
uuilde Lerc 78
lyke foule 229
lingetta 356.377
linota 567

M.

mare 707
martlettes 160
mauis 729
myre dromble 208
morehen, morhen 223.461. 483
mortettera 697
muuyrcok 225

N.

nyghtyngall 569
nynmurder 557
nonna 616
nope 764
nut iobber 683

O.

oiſtris 709
oſprey 196
oſtrige 709
oull 741
ouuele 741
ouul 596
ouul 741
great Oxei 615

P.

pecok 630
perrige 644
py 666
pie ibid.
piot ibid.
pittour 210
pocharda 103
poluer 728
popingey 690
popiniay 690
puffin 110
puttok 586

Q.

quayll 339

R.

ray, rayl 480.481
raynbyrde 675
rala 484
rauen 321
reare mous 734
redbreſt 373.699
rede ſparouu 627
redetale 699
redſchanca 528.488
ringed doue 298
ringtal 48.199
robyn 373.699
robyn rock 699
rok martinettes 544
ruddocke 373.699

S.

ſchaffinche 373
ſcheldrake 116
ſchofler 641
ſeecob 242.563.566
ſeegell 563.566
uuhite ſemauu 242
ſchouelard 641
ſhrike 557
ſhryche oule 610.229
ſiſgin 1
ſchel appel 373
ſmatche 265
ſnype 485
ſnyt 483.594
ſolēdgenß, ſolandis, ſolendguuys, Scotis 107.158
ſparhanke 51
ſparrou 619
ſpecht 675.680
ſpink 373
ſriche, uide Schryche
ſtare 715
ſtarll ibid.
ſteinchek 265
ſteyngall 53
ſterlyng 715
ſtocdoue 295.298
ſtonchattera 480.697
ſtorke 251
ſuuallouue 528
ſuuan 358

T.

tela uel teale 103.104
trushe 729
titlinga 356
titmouſe 614
great Titmous 615
leß Titmous 616
troſſel 729
turtell 303

V.

uagtale 593
uuater crouue 657
uuater hen 483
uuaterſuuallouu 592
uuigena 103.104
uuituuol 684
uuodcok 485. bis
uuodlerck 79
uuodpecker 675
uuodſpecht 680
uuren 625.696

Y.

yelouuham 628
youulring ibid.

ILLYRICA ET Polonica.

baſant Polonis 658
baziant ibid.
boczan Polonis 251
bukacz 210
bunk Polonis ibid.
byalozor Polonis 66.67
cziap 251
cziepie 202
czieruuenca 699
czieyka 732
cziß 1
czizek Polonis ibid.
dedek 744
diuuoky 298
dlaſk 702
drozd 718
drofa 468
dudek Polonis 744
dzieziol Polonis 675
dzika Polonis 376
genſy 137
gerzab 509
gerzabek 223
geſtrzab 5
gikauuecz 729
gluch Polonis 720
golub 268
hauuran 321
hrdlicze 303
hus 137
iemioluchá Polonis 720
kaczier 95
kacza Polonis 376
kaczka Polonis 95
kauuká 504
kalus, kalaus 596
kiczot 67
kokot 380
koropathuua Polonis 644
kos 580
kretzet Moſcouit. 66
krolik Polonis 625.696
krziepelka, krzepelka 339
krziuuonoſka 568
kuroptuua 644
kuuicziela 720
labut 358
lelek 94
luniak 586
lyſka 336.376
morſka 562
netopyrz 734
nietoperß Polonis 734
orel 164
orzil ibid.
oſtrziß 196
pappauſſek 690
papuga Polonis ibid.
pauu 630
pienige 357
pienkauua 373
pinkauua ibid.
prſkauuecz 728
pſtros 709
pußzyk Polonis 741
rorayg 161
roreycz ibid.
raroh 73
rzierziabek 223
ſczigil Polonis 236
ſemp uel ſep Polonis 749
ſlauuik 569
ſlouuick Polonis 373
ſokol Polonis 51.57
ſouua 741
ſoyka 673
ſpatzek Polonis 715
ſpacziek ibid.
ſteglick 236
ſtrakauel 666
ſtrnad 628
ſtrus Polonis 709
ſup 749
ſykora 614
ſzouua Polonis 596
tetres 472
tetrzeuu 472.473
trop Polonis 468
uulaſtouuige 528.562
uurabecz 619
uurana 308

Index.

uuyr 229
zaftrzamp Polonis 5
zeglolka 248
zegzolka Polonis 504
ziezgule 348
zorauu Polonis 202. 509
zotna Polonis 682

TVRCICA.

agaſcakán 683
agulguſsin 618
alá 615
baharé 563
baigús 596
dudi 691
balaczél 202
belbék 594
bilbil 625
feluek 580
gargá 237
garatauk 728
geluæ 201
gezegan 557
gezegén 567
gulgurúk 732
iabantaú 223
ibik 744
ieluć 487
iugargen 268
karabatak 136
leglék 251
ſackaguſch 606
ſágarieck 675
ſaré 248
ſchahaú 192
ſercé 696
ſuglún 658
tſchauka 504
ugú 229
utlugan 1
zeluk 225
zil 644

VNGARICVM.

tſchaſarmadár 223

Finis Indicum.

DE PROVIDENTIA DEI CIRCA ANIMALIA, EX PSALMO CIIII.

DOMINVS fontes emittit in fluuios, qui inter medios montes defluunt: ut inde potet omne genus animalium quod in agris degit, & ſitim extinguãt onagri. Supra fluuios quæ in aëre uolitant aues nidulãtur, & inter arborum frondes cantillant. DOMINVS rigat montes è nubibus, & fructu operum eius ſatiantur quæcunq; degunt in terris. Fœnum in uſum beſtiarum producit, & è terra cibum homini olera ac fruges. Vinum etiam prouenire facit, quod animos hominum exhilaret: & oleum, quo niteant corpora: & panem, qui uires hominum confirmet. Ab illo incremen tum capiunt arbores, & quæ in Libano eminent cedri tam excelſæ, ut ipſe uideri poſsit plantaſſe illas. In ijs nidificant uolucres, ciconię nidum abies ſuſtentat. Montes altiſsimi capris ferís incolun tur, in ſaxis latitant cuniculi. Lunæ ſtata mutationum tempora definiuit, & Soli occaſum. Ab illo ſunt etiam tenebræ noctis, in quibus quæ per diem latuerant ſylueſtres beſtiæ prorepunt. Leones tum rugientes inhiant prædæ, ut beneficio Dei ſaturentur. Iterum exorto Sole in latibula & cubilia ſua ſe recipiunt: homo autem ad perficiendum opus quiſq; ſuum progreditur uſq; ad ueſperam. Quot quantaq; ſunt opera tua Domine? quæ tu omnia ſapienter feciſti. plena eſt terra uarijs poſſeſſionibus tuis. Immenſi maris littora quantum inter ſe diſtant? hoc natantium & reptilium innumeras continet tum maximas tum minimas animantes. Per mare tranſeunt naues, & cete ac belluæ marinæ, quas ut in eo luderent creauiſti. Hæc omnia te ſuſpiciunt, & ut tempeſtiuè à te alantur expectant, &c.





CONRADI GESNERI TI-
GVRINI HISTORIAE ANIMALIVM
LIBER III. QVI EST DE AVIBVS.

DE AVIBVS, QVARVM NOMINA SIVE PAR-
TICVLARIA SIVE GENERALIA AB A.
LITERA INCIPIVNT.

DE ACANTHIDE AVICVLA, QVAM
Gaza ſpinum & ligurinum uocat.

A.





ACANTHIDEM & carduelem pleriq; noſtro ſeculo pro eadem aue accipiunt, quòd utriq; à ſpinis ſiue carduis nomen ſit: diligentiores diſcernunt. Acanthylis auis eſt quæ & acanthis dicitur: ſpinus & ligurinus à Theodoro, alia omnino ab argathyli, diſtat etiam à carduele, quæ thraupis uocatur Ariſtoteli, Hermolaus. Gaza quidem thraupin carduelem uertit, hæc, ut omnes norũt, uoce & colore floridis commendatur. acanthides uerò Ariſtoteli & uita & colore ignobiles ſunt, ſed ualent uocis amœnitate. Hinc facilè conſtat uulgò hodie dictam carduelem, quum uariis floridisq; coloribus placeat, ab acanthide diuerſam eſſe. Eſt autem acanthis, cuius figuram dedimus, colore uiridi, ſed obſcuro non ſplendido: (uiridem ſanè colorem in chloriona etiam aue Ariſtoteles damnat: Vireo, inquit, totus uiridis eſt, & mox, nec grati eſt coloris.) uertex nigri coloris eſt, & ſimiliter alarum pennæ, uiridi tamen eas diſtinguente. quamobrem aliqui (ut Gybertus Longolius) chlorin putauerunt: quam ego potius aliam auiculam totam χλωρεὼν, hoc eſt uiridem, exiſtimo, unde & nomen ei apud Germanos. Grapaldus grammaticus non indoctus, rectè acanthida aliam à carduele credit: carduelem uerò paſſerem ſolitarium eſſe non rectè. Noſtra igitur, Gazæ & Hermolai acanthis, Siculis legora dicitur: Italis lugaro, & lugarino, uel legorin & luganello: unde etiam Gaza ligurinum tranſtulit. Vocis origo forſan Græca fuerit, ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ τῆς φωνῆς, à uocis argutie. Niphus Italus leucarum uulgò dici ſcribit. Gallis, ut audio, appellatur ſcenicle, alibi ſerin uel ceriſin, alibi cinit. Germanis Zinsle, uel Zeiſel, uel Zyſele, uel Zyſchen. Louanienſibus Gälvogel, Friſiis Siſgen. Polonis, czizek. Illyriis cziſz. Turcis utlugán. ¶ Albertus ex Auicennæ nimirum interprete ubi acanthis apud Ariſtotelem legitur, corruptiſsimas uoces habet, ut fatalyz, afflatiados, amaſtorochoz. Acanthidis ſeu ligurini duo ſunt genera, minus quod non ualde diſsimile carduelicolorem ex albo nigroq; mixtum habet, nos etiam Diſtelfincken uocamus. Maius fringillam duplo excedit, cætera ferè ſimile, Kirchfincken (potius Kirßfincken) & Kernbeiſſer. colore utrunq; ignobile, amœnitate uocis commendatur, Eberus & Peucerus. Ligurinus communia quædam habet cum cardueli auicula per excellentiam dicta, quod & colorum elegantia & uocis amœnitate cæteris in hoc genere præferatur. item cum fringilla & miliaria ſiue linota: quas omnes, ceu unius generis carduelium ſpecies quatuor diuerſas Albertus enumerat. Turnerus acanthidem facit auiculam cui à uiriditate nomen apud nos, ein Grünfinck uel Grünling, de qua nos inter chlorides dicemus. noſtram uerò acanthidem, chlorin putat propter colorem uiridem, etſi Gaza luteolam tranſtulit. Luteola (inquit Turnerus acanthida noſtram intelligens) Anglis uocatur a ſiskin, Germanis ein Zeyſich, quibuſdam ein Engelchen: lutea (chloreo) multò minor eſt, & colore ad uiriditatem magis tendente, pectore luteo, & roſtro longiuſculo, tenui & acuto, auriuittis ſimili, duas habet maculas nigras: alteram in fronte, alteram ſub mento, cantillat non inſuauiter. Rara apud Anglos hæc eſt, nec uſpiam ferè alibi quàm in caueis cernitur. Semel tamen in Cantabrigianis agris uidiſſe recordor. Huius generis ſunt quas Anglia aues CANARIAS uocat, Hæc ſilie. Syluaticus acalanthida (uoces apud ipſum corruptæ ſunt, acardelentes & acalantia) carduelem exponit.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 42 sur 825

B.

Spini magnitudine eſt culicilega auicula, Ariſtot. De colore eius præcedẽti capite dictum eſt. Acanthis auis minima eſt, Plinius. Fœmella cinerea eſt & uaria, imò uentre pallida, Eberus & Peucerus.

C.

Capiuntur liguriní in Heluetia non paſsim, ſed in montibus præcipuè, iſsq; nemoroſis, in quibus etiam per æſtatem nidificare ac degere ſolent. Carduelium genera omnia gregatim uolant, Albertus. Idem in carduelium genere præcipuè muſicam eſſe ſcribit illam, quæ hoc nomen per excellentiam ſibi uulgò uendicauit: ab ea ziſelam, id eſt ligurinum. Liguriní & uita & colore ignobiles ſunt, ſed ualent uocis amœnitate, Ariſtot. Spinus ſplendidè canorus eſt, Aelian. Litto- 10
raq; alcyonem reſonãt, & acanthida dumi, Vergilius. Ἀείδην κόρυδοι καὶ ἀκανθίδες, Theocritus. ¶ In ſpinis uiuit, Plinius: inde nomen, Aelianus. In ſpinis habitare acanthidem Ariſtoteles & Alexander ſcribunt, Cælius. Acanthophaga neq; uermem neq; ullum animal attingunt, Ariſtot. Hæc ſunt apud nos (inquit Albertus) genera uinconum, ſicut aues ceycos (Zeyſle potius) dictæ apud nos, & uinco cardui (id eſt carduelis, & uinco rubens pectore, & auis Gurſe dicta,) Hæc ille. Sed uinconem ſimpliciter appellamus fringillam, quæ quidem uermibus paſcitur. Spinus, carduelis & auriuittis, dormiunt & paſcuntur eodem in loco. uermem aut quoduis animal edere aſpernantur, Ariſtot. Acanthis eſt auis minima, ſed fœcunda. nam duodenos ſimul parit pullos, Plinius. Herbarum pabulo reficitur: & ob hoc odio habet equos, &c. Author libri de naturis rerum, acanthidem cum floro (ſic transfert Gaza ἄνθῳ Græcè dictum) confundens. Aucupes noſtri nihil certi 20
de acanthidis noſtræ pullorum numero & nido referre potuerunt, quòd hæc auicula nõ apud nos, ſed in altis montium ſyluis nidificet. Aues paruæ, ut philomena, alauda & ſciſcendula, (ligurinum intelligere uidetur,) & huiuſmodi, ſemel anno pariunt quatuor aut quinq; oua, Albertus. ¶ Spini aues in poſterum longiſsimè prouidentes, hominibus ad rerum futurarum coniecturam ſapientiores ſunt. Etenim hyemem futuram præſentiunt, & niuem prænoſcũt, & multa cautione obſeruant, ne iis opprimantur: itaq; earum acerbitates metuentes, tanquam ad perfugia, ſic ad loca nemoribus frequentia confugiunt, Aelianus.

D.

Spinus, florus & ægithus (quem ſalum uoco) odium inter ſe exercent. & nimirum ſanguinem ægithi & flori miſceri non poſſe dicitur, Ariſtot. Gillius ex Aeliano eundem locum transferens, 30
ſpini & ſali ſanguinem, ſi quis in eodem uaſe permiſceat, coire & commiſceri negat. deinde, Hunc (inquit, ſpinũmne an ſalum intelligens neſcio) ſacrum eſſe aiunt genijs, qui præſunt hominibus itinera ingredientibus. Plinius etiam lib. 10. Acanthis (inquit) in tantum odit auem ægithum, ut non coire credant ſanguinem eorum. Spinus & aſinus inimici inter ſe ſunt. uictus enim ſpino à uepribus, quas aſinus tenellas adhuc paſcit, Ariſtot. & Plinius. Corydalis, id eſt alauda odit acanthylidem, Aelianus & Philes.

E.

τρύτη ſunt uaſcula parua teſtacea, ut auríficum ἀὲ μικρὰὲ χδναι, & potiſtrides, id eſt potoria uaſcula omnium auium acanthidum, Tzetzes: in caueis ſcilicet incluſarum. Genera carduelium omnia cornu ſuſpenſum, roſtro trahunt ut bibant, ſed à potu temere delabi ſinunt, Albertus. Eadem om- 40
nia quomodo capiantur in Carduele ſcribam ex Alberto.

H.

a. Acanthis auis eadem quæ acanthyllis, (malim ἀκανθυλὶς per λ. ſimplex:) & apud Lacones ἀκαλανσὶς, Heſychius & Varinus. Ἀκανθυλλὶς, genus paſſeris, Idem. Ἀκανθιλὶς, apud Theocriti Scholiaſten legitur, per ἰῶτα in penultima, ego per ν malim. Acalanthis, ἀκαλανθὶς, auis nomen eſt, Varinus: Videtur autem hæc uox per metatheſin facta pro acanthylis. Reſonant & acanthida dumi, Vergilius lib. 3. Georg. ſunt qui legant, Reſonant acalanthida dumi. Ariſtophanes in Auibus Dianæ acalanthidis nomen fingit in auium honorem. nam acalanthis nomen eſt auis ut interpres admonet: item canis, ἀπὸ τὸ ἀκαλλαίνειν, id eſt ab adulando fortaſsis. quòd familiaribus aduletur, peregrinos allatret. Rurſus idem poëta in Pace, obſcurum quoddam & fictum oraculum referens, 50
χ' ἡ κώλωψ (obſtrepera, clamoſa) ἀκαλανθὶς ἐπεγγομένη τυφλὰ πίπτει. ubi Scholiaſtes, de ſolo cane memoratur in prouerbio, quòd feſtinans cæcos pariat, itaq; acalanthis uidetur hîc canis alicuius inſignis nomen eſſe. quanquam & aues βασιλικαὶ (id eſt regiæ) uulgò dictæ acalanthides nominẽtur. Acanthis auis eſt, quam alij luſciniam, alij carduelem eſſe uolunt, Grammaticus quidam. Ἀκανθὶς ἢ ἀκανθυλλὶς, στρθίον ὃν ταῖς ἀκάνθαις καθήμενον, Varinus. Locus eſt apud Ariſtotelem hiſtoriæ anim. 9. 13. de acanthyli, ubi Plinius 10. 33. & Gaza melius argathylim legerunt. Eſt autẽ argathylis auis diuerſa, quæ lino intexit nidum, in ripariarum genere.

¶ Eſt & apud Græcos ſpinus uel ſpinnus dicta auis, & Pollux σπινίδια auiculas nominat. ὅπ- 60
σπινείρων οὓς σπίννης πωλεῖ καθ' ἑπτὰ τῶ ὀβολῶ, Hoc eſt faſcem è ſeptenis ſpinnis cõnexam obolo uendit. Ariſtophanes: ubi interpres nihil aliud quàm ſpinnum genus auis interpretatur, & ex eo Varinus. Idem Ariſtophanes in Pace τὼ σπίνω penultima breui dixit, Scholiaſtes ἄδδις στρθῦ facit. Σπῖνοι ab Oppiano in Ixeuticis numerantur inter aues quæ uiſco fallantur. Idem paulò pòſt ſpinos & turtures

tures ſub arboribus capi ſcribit, aue ſui generis demonſtrata. Τίλλειν τὴ φάτταν καὶ κίχλας ὁμοῦ σπίνοις, Eubulus apud Athenæum, eſt autem ſenarius iambicus, penultima in ſpino correpta. Idem, citante rurſus Athenæo inter alias auiculas σπίνιας & ἀκανθυλλίδας nominat. Hic ſpinus Græcorũ an idem ſit acanthidi, quam uoce Latina Gaza ſpinum uertit, non facilè dixerim, ſed diuerſus uidetur, & per onomatopœiam ſic dictus. Σπῖνα, ὁ σπίνος, Heſych. Gelenius ſpinum Illyricè uocat pienicze, Germanicè Graßmugg. ſed hæc curruca eſt ut ego iudico, & docti ferè conſentiunt. Σπίνος per onomatopœiam dicitur, (ut & uerbum σπίζειν apud Aratum,) Varinus in Ἀστρολας. Sed Aratus primam corripit, & acuit, καὶ σπίνος νῶτα σπίζων, id eſt, Et ſpinus in aurora ſibilans, inter ſigna imminentis tempeſtatis. Videtur autem prima ſemper acui debere, non circumflecti, tanquam breuis. nam Ariſtophanes cum producere uellet, n. literam duplicauit. Auienus ex Arato pro ſpino fringillam reddidit, hoc uerſu: Sí matutino fringilla reſultat ab ore. Σπινθίαι, εἶδος ὀρνιθαρείων, σπῖνοι. Cæterum σπῖνος penanflexum, nomen eſt lapidis Ariſtoteli in Mirabilibus. Auis ſpinæ, id eſt auis tragumlitides, obſcurus quidam, Syluaticus ſi bene memini.

¶ Acanthis picta, apud Textorẽ in epithetis. Sed apparet hoc epitheton acanthidi adſcriptum à recentiore aliquo qui eandem carduelem putauit, ut etiam ipſe Textor.

¶ Acanthidem ſuperat cornix, ab Eraſmo inter prouerbia memoratur. Aſtyle credibile eſt, ſi uincat acanthida cornix, Vocalem ſuperet ſi turpis aedona bubo, Calphurnius.

¶ Auicula quædam rubente capitis uertice inſignis ex parorum ſiue ægithalorum genere, uulgò Thannmeiſle, id eſt parulus abietum, (uolitat enim in ſyluis circa abietes,) appellatus, à nonnullis etiam Waldzinsle, id eſt acanthis ſyluatica nominatur. figuram eius inter paros requires.

Pontani ſolertiam mirari licet, qui in libro de aſpiratione lenam Acanthida Propertio de loquacitate nuncupatam & aurium offenſaculis, prodere ſibi permiſit, niſi quòd apud Theocriti interpretem obſeruatum eſt, dici acanthida auem colore uariam, uoce λιγυρὰν, id eſt ſtridulam (argutam potius, quod laudatur, ſtridulum non item) quam ex uarietatis ratione pœcilida item nuncupent, Cælius. nos de pœcilide in pica dicemus. iſta quidem Theocriti Scholiaſtæ pœcilis, omnino carduelis uulgo etiamnum dicta uidetur, non ligurinus. ſed nimirum ueteres etiam, in diuerſis regionibus præſertim & temporibus, hæc nomina confuderunt. Quòd ſi acalanthis auis eadem quæ acanthis eſt, acalanthis autem κώδωψ, id eſt tinnula, obſtrepera, loquax ab Ariſtophane cognominatur, ut ſupra citaui, non inepte dixerit Pontanus.

DE ACCIPITRE. IN CVIVS HISTORIA MVLta inſunt communia omnibus auibus uncorum unguium quæ ad prædam auium nutriuntur & inſtituuntur, accipitrum, falconum, aut aquilarum generis.

A.

ACCIPITER auis rapax ab accipiendo nomen tulit, uel quòd in auſpicijs olim accepta grataq; eſſet. Eſt autem nomen cõmune, & multa auium prædæ inhiantium genera complectitur, ut falcones, niſos, buteones, &c. Aſtures etiam de natura accipitrum ſunt, Creſcentienſis. Et alibi, Accipitres quidam ſunt parui, qui communi nomine uocantur accipitres: & quidam magni, qui uocantur aſtures. ſunt autem ita congeneres ut magnus & paruus canis. Accipiter dicitur etiam aſtur ab aſtu naturali quem habet, quia ſemper ferè latet, & iuxta terram, contra morem falconum, Albertus. Aſtures, id eſt accipitres Theodotion ad Ptolemæum regem Aegypti ſcribens, in falconum generibus collocauit, accipitres & omnes aues rapaces, quarum uſus eſt in aucupio, falcones uocans, Idem. Aſtures uulgo notæ aues ſunt, ſic nuncupatæ Firmico Matheſeos quinto, qui & falcones non reticet, Cælius. Accipiter aſterias eſt Ariſtoteli, quem nos aſturem corruptè dicimus, Niphus. Vide infra in Capite de accipitribus diuerſis. Accipitres ambo carniuori ſunt, id eſt palumbarius & fringillarius, qui multum inter ſe magnitudine differunt, Ariſtot. de hiſt. anim. 8. 3. unde apparet duo hæc genera præ cæteris, accipitris nomine ſimpliciter ferè nominari. Albertus in huius loci interpretatione palumbarium aſturem facit: fringillarium uerò, id eſt minorem accipitrem, niſum aut ſperueriũ uulgò dictum. Michael Epheſius accipitrem palumbarium, falconem gentilem interpretatur, Niphus. Aſtorgios Pauſanias ponit, quos Itali aſtures dicunt, Volaterranus. Ego in Pauſaniæ libris hactenus hoc non legi. Torgos quidem uultures dici inuenio apud Heſychium, à Torgio Siciliæ monte, in quo nidificent. Aſtures ex genere infimo aquilarum uel miluorum eſſe Paulus Iouius ſcribit. ſed cum accipitrum generis eos eſſe inter omnes harum rerum peritos conueniat, cum aquilis aut miluis eos confundi abſurdum eſt. Tertiolus (aliqui etiam tricellum & trizolum ſcribunt) uocatur mas in accipitrum & falconum genere. quia ſimul tres in nido naſcuntur, duæ fœminæ, & tertius mas: qui fœmina minor eſt, minusq; audax & fortis. fœminæ quidem ſimpliciter accipitres aut falcones dicuntur;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 44 sur 825



Crescentiensis. Tertiolum absolutè positum pro accipitre mare accipi obseruauimus: alioqui pro aliarum etiam rapacium mare usurpatur, quæ ternos scilicet pariunt. nam tinnunculus (inquit Aristot.) fœcundissimus in hoc genere, non parit supra quatuor. Aquila, Theodotion, & Symmachus omnia accipitrum genera falcones uocant: & ea quatuor generibus dirimunt, asturem primę quantitatis ponentes in genere primo: & asturem minorem quem tercellinum uocamus in genere secundo: & nisum in genere tertio, muscetum in quarto: Quibus nullo modo consentiendum. Nam tercellinus (qui sic uocatur, quoniam pulli tres in uno nido nascuntur, duæ fœminæ & tertius mas, Tardiuus) inuenitur in nido accipitris, & muscetus in nido nisi. Sexu enim dũtaxat differunt, cũ tercellinus mas sit, accipiter fœmina: & similiter nisus fœmina, muscetus mas, Alber. Crescentiensis accipitres mares, qui fœminis minores & inutiliores sunt, muschetos uocauit: nos Alberti sententiam & nomina magis probamus. Hoc admonendus est lector, quòd cum falconibus & accipitribus permulta sint cõmunia, operę pretium fore ut qui curiosius horum uel illorum historiam cogniturus est, utranq; perlegat. sæpe enim authores communia quædam de uno tantum genere prodiderunt. ¶ נץ, nez, Hebræis accipiter est. Rabi Kimhi interpretatur auem quæ uenetur, & ad dominum suum redeat, uulgo dictã sparuerium: similiter R. Salomon Leuit. 11. Author Chaldaici dictionarij asturem exponit. Chaldaica interpretatio Leuitici 11. habet נבא, naba. Arabica באזי, basi. Andreas Belluneñ. albazi interpretatur auẽ quæ falco peregrinus uulgò dicatur. Persica מראן בז, mar an bas. Septuaginta ἱέραξ. Hieronymus accipiter. Deuteronomij etiam cap. 14. pro nez uoce Hebraica L X X. uerterunt κόραξ, id est coruus. Sed hæc uox omnino accipitrem significat, à qua forsitan etiam nisus Latina descenderit. uidetur autem facta à uerbo נצה, nazah, quod uolare significat, quoniam hæc auis uolatu plurimum ualeat. Iob 39. נוצה, nozah, uocabulum plumam significat, & non accipitrem ut quidam uertunt, Munsterus. Septuaginta relicta uoce Hebraica νέσσα reddiderunt. פרס etiam, peres, Leuit. 11. & Deut. 14. accipiter exponitur uel haliæetos: à Iudæis uulgo בלאבון, blafüß. πορνὸς quidem uel πορκνὸς aquila est uenationi dedita: item παραὸς, aquila, apud Macedones, Varinus. Plura de Hebraica uoce peres, deq; Græcis πορκνὸς & πόρνης, leges infra in Capite de accipitribus diuersis. ¶ Albasach est auis quæ dicitur accipiter, Bellunensis. nos supra basi Arabicam, bas Persicam uocem esse diximus. Albazi & falco sachari & albasach, auium rapacium nomina, leguntur apud Auicennam 2. 614. ubi uetus interpres habet, accipiter & cristatela (si rectè legitur. tinnunculum quidem accipitrem Italorum aliqui tristunculum uocant) & basich. Vocem albazi Bellunensis falconem peregrinũ interpretatur. Sarsir Hebraicam uocem Prouer. 30. alij aliter exponunt, ut recitabimus in Aquila. quidam auem אשטירגל, asturgal. sturnum aliqui conijciunt intelligendum, ego asturem malim. Pro schachaph dictione Hebraica Leuit. 11. Septuaginta hierax, id est accipiter uertunt. nobis bubo potius uidetur. uide in Bubone. Aegyptij accipitrem thaustum nominãt, Aelianus. Apud Libyes βαρβαξ uocatur, Hesych. Græcè ἱέραξ: & hodie uulgò γεραικι, quod nomen etiam falconi attribuunt. Accipitris nomen licet, ut dixi, ueteribus

plura

plura genera contineat, apud recentiores tamen pro uno ferè usurpatur, cuius hîc effigiem damus, in quo genere mas tercellinus uocatur. Alunnus tamen accipitrem Italicè simpliciter terzolo interpretatur, alij sparauiero uel sparuiere, quem uulgò nisum interpretantur. Accipiter Hispanis est halcón. Gallis, austour, mas tiercelet. Germanis, Hapch uel Habich, uel Habicht: (mas uerò qui minor est, das Häbchle.) Flandris, Haftin. Anglis hawke uel hobie. Illyrijs gestrzab. Polonis zastrzamp. Nuper quidam, qui animalium nomenclaturas scripserunt, accipitrem Germanis simpliciter dictum (Habicht) subbuteonem Aristotelis interpretati sunt, quibus ego non assentior.

B.

Accipitres fortiores maioresq; fiunt in regionibus aquilonem uersus, Albertus. Et alibi, Omne animal abundat ubi copia fuerit cibi quo utitur. quare cum huius generis aues pascãtur auibus, præsertim aquaticis, quæ & tardiores sunt ad uolatum, & carnosiores ad escam: iccirco uersus septentrionem accipitrum & falconum & aquilarum abundant genera, ut in Britannia, Suecia, Liuonia, & finitimis regionibus Sclauorum, Prutenorum & Ruthenorum. Et quia frigidæ sunt istæ regiones, & in terris frigidis nascuntur corpora magna, quæ copioso sanguine & spiritu abundant, unde audacia & feritas proueniunt: ideo etiam aues rapaces in iam dictis regionibus magnæ sunt, magisq; rapaces & feroces. In alijs uerò locis secundum proportionem uigor, audacia & ferocitas in eis spectantur. Inueniuntur accipitres in alpibus quibusdam nidificare, qui cæteris præferuntur, ut qui nascuntur in alpibus de Brusia in Sclauonia, boni etiam reperiri dicũtur in alpibus circa Veronam & Tridentum, Crescentiensis. In Helueticis etiam alpibus multi ijq; magni & fortes capiuntur, cum alijs pleriscq; tum Galanda monte Rhætico, inde Mediolanum & in Italiam delati magno uenduntur. Tappius præ cæteris laudat Germanicos, præsertim in Marchia Vuestphaliæ captos, unde (inquit) in Brabantiam, Galliam, Hispaniam & Angliam deferuntur, ac maioris inter cæteros uæneunt. Aduentitij accipitres etiam ex Creta importantur, Budæus. Astures & nisos circa Neapolin captos, multò maiores & præstantiores nostris (Helueticis) esse audio. Astures (inquit Crescentiensis) nascuntur in alpibus & nemoribus. Sunt autem super pulchritudine & bonitate asturum indicia eadem quæ de accipitribus traduntur. ¶ Accipitrum genera diuersa, quæ magnitudine, forma, & uenandi modo differunt, mox post communem accipitris historiam singillatim prosequemur. Astures (inquit Tardiuus) ex Armenia & Persia omnibus præferuntur: deinde è Græcia, tertio ex Africa. Armenijs oculi uirides, sed præstant qui oculis & dorso nigricãt. Persicus corpore grandi est, & bene uestito plumis, oculis claris, cauis: supercilijs pendentibus. Græcus capite grandi spectatur, & raris in collo plumis. Africano dorsum nigrum, & oculi similiter in iuuentute. nam ætatis progressu ruffescunt. Cæterum forma asturis laudatur huiusmodi: Astur boni ponderis esto, ut qui ex Armenia magna adfertur. In Syria aues quæ prædæ & aucupio seruiunt, ad pondus emuntur, eoq; maioris quò plus appenderint, colorem & alias earum conditiones parum curant. Albus astur obesior est, pulcher & facilis institutioni, sed inter cæteros infirmior. gruem enim capere non potest, sed quoniam in sublimi uolat, & facilius fert frigiditatẽ in alto aere, ad aues quæ altius uolant capiendas probatur. Astur subniger, & cui plumæ à uertice frontem uersus instar capillitij dependent, elegans est, sed parum fortis. Laudabilis forma asturis est, si caput sit modicum, facies longa & angusta sicut in uulture, & si similitudine aquilam referat: fauces & gula probantur amplæ: oculi magni, caui, cum paruo orbe nigro in eis: nares, aures, cauda & pedes amplitrostrum longum & nigrum: collum longum, pectus crassum, caro dura, coxæ longæ carnosæ & distantes: ossa crurum & genuum breuia, ungues crassi & longi: plumæ coxarum caudam uersus latæ: & similiter plumæ in cauda, quæ etiam subruffæ & molles præferuntur. Color sub cauda non alius quàm in pectore, probatur: & super singulis pennis in superiore parte caudæ aliqua diuisio. Color in extremis caudæ pennis niger esse debet circa caules seu lineas pennarum. Inter colores excellit ruffus qui uergit ad nigrum aut fuscum splendidum, &c. Signa in paruis asturibus laudantur hæc: oculi clari & ampli, item capacitas aurium & oris ampla, caput paruum, collum longum, digiti longi, pennæ breues & occultæ, pedes uirides, ungues ampli & excarnes, concoctio facilis, excrementi meatus amplus, & excretio longius emissa. Si quæ nigredo in extremo rostro fuerit, bonum est signum. Damnantur tum in magnis tum paruis asturibus, caput magnum, collum breue, carnosum, molle, & plumis plenum: pennæ colli mixtæ & inuolutæ: coxæ breues & graciles, crura longa, digiti breues, color Bæticus nigricans, asperitas sub pedibus. Oculi rubentes instar sanguinis, nunquam quiescere, semper appetere pugnam, & de pertica in faciem astantis uelle inuolare. improbantur & qui maciem ferre non possunt, & si obesentur, fugiunt. Timidus etiam, quòd uix possit institui, & manum aucupis fugiat. Item cui plumæ supra oculos dependent, & alba oculorum pars nimium alba est, color ruffus aut Bæticus clarus. His notis insignes plerunq; mali sunt, & reuocati ad manũ non redeunt. Si quando tamen huius formæ accipiter reperiatur bonus, illum planè optimum fore existimandum. Fit enim interdum, sed rarò, ut improbam quoq; corporis speciem bonæ conditiones & uirtutes sequantur. Placet accipiter, leuis, alacris, quiq; non facilè fatigetur, & aues magnas capiat, Hæc omnia Tardiuus. Accipitrum pulchritudo cognoscitur, si sunt magni, breues, paruo (& oblongo, Tappius) capite, pectore & spatulis crassis, tibijs amplis, pedibus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 46 sur 825

magnis & expansis, pennarum colore nigro, Crescentiensis. Tappius præterea requirit in probo accipitre, collum paruum & longum, nares amplas, linguam & interiora oris nigra, alas paruas & breues, modicè inflexas ferè ut gallinę, cum pennis latis & ualidis: cruribus magnis, latis (seu planis) & altis, quæ uersus coxas angusto interuallo distent, magno uersus pedes, modicè inflexis: cauda oblonga, ruffa aut nigra: maculis in pectore fuscis, pennis dorsi puniceis quarum extrema albicent: plumis femorum giluis seu subruffis absq; maculis: cauda etiam maculis quę fulmina picta referant insigni cum aliis diuersæ figuræ, Hæc Tappius. ¶ In accipitrum delectu primæ partes tribuuntur neanisco, id est iuueni, (inquit Demetrius Constantinopolitanus:) secundæ ophiocephalis dictis, quòd caput serpentium instar paruum & planum habeant. Rotundi & quadrati oblongis præponuntur. Nares sint amplæ. citrinus color in naso non admodum splendeat. talis enim accipitrem breuis futurum uitæ significat. Lingua optima quæ nigra fuerit, deinde quæ dimidiam partem alteram nigram, alteram albam habuerit: pessima ex toto alba. Est etiã is breuis uitæ, qui uulgò ἐλαιοφόρος dicitur, (à maculis in naso quas Græci elæas uocant.) Omnis laudatus accipiter pennas tredecim in cauda gerit, & in paruis digitis χιώματα, ὃς καὶ φασὶ Βαρυθήρας ἓξ μαλιστα. Et rursus, Laudabilis accipiter caput habet paruum, & superius planum, (ὡς ὀγχύλας καλόμενος ἀετὸς,) linguam nigram, elæas, id est maculas in naso nigras, pennas caudæ tredecim uel undecim: in unguibus ueluti squamas (ὅια χαράγματα, ἤγουν εἰς τὰ χιώματα λεπίδας) instar cyprini piscis: & intrinsecus clauos habet post id quod cornu (κόρνον) uocatur tanquam perdix mas. Καλὸν δὲ ὄτιν ἐὰν καὶ ἦγυ μακραὰν ἐπ ὦτιπολὺ λαγίαν τὴν ὀρὰν ἔχει. Et mox, Accipiter laudatur ἐλαφοφόρος (forte ἐλαιοφόρος, quem tamẽ supra dixit breuis uitæ esse: sed rursus laudauit elæis, id est maculis in naso nigris insignem) id est qui grana tanquam milij nigra habet, uel qui circa unguis radicem scissuram (χαράγμα) ceu lineam habet: uel infra alam pennam acutam uersus latus aut humeros: καὶ ἐὰν τὰ βασιλισκάεια μακρὰ ἔχῃ ἰσαιτῶν πτερυλλάτων: καὶ ἐὰν ἔχῃ ἦγυ πῆχον σκέπον λοχοχόρον ἢ ὀρᾶς αὐτὸ τὸ μέσον, Hucusq; Demetrius. De accipitrũ siue falconum natura, uiribus, animiq; præstantia ex pennarum colore iudicanda, in genere dicemus in Hierofalcho ex Belisario. ¶ Accipitres in Aegypto minores quàm in Græcia fiunt, Aristot. Accipitres magnitudine aquilis non inferiores sunt, Gillius. Non in hoc tantum, sed omni auium rapacium genere mas minor est, fœmina maior & fortior. Ferocia accipitribus non nisi diuino ex calore inest, qui quanto est in masculo uehementior, tanto minus uirium sufficit ad crementum: fœminis autem, quia remissior est, maius crescendi adiumentum præstat. Impedit enim minus id naturæ calor intemperatus, Calentius in epistolis. Aues prædatoriæ colore uariant, pro ratione loci & arborum. nam quæ in frutice spinoso aut acere (opulo) habitant, ad ruffum aut nigrum colorem magis inclinant: quæ in fago, ad giluum seu pallidũ. In regionibus frigidis, & in rupibus accipitres maiores & fortiores fiunt, sed difficilius instituuntur quàm qui in loco calido nati educatiq; fuerint, Tappius. Quædam temporis ratione mutari uidentur, ut accipiter, upupa, & similes uolucres, Theophrastus & author Geoponicorum 15. 1. Donatus mihi aliquando est accipiter totus albus, captus in montibus nostris, Augustinus Niphus Suessanus. Accipiter colorem oculorum mutat & rostrum, Physiologus. Accipiter totus est uarius: sed primo anno suluas & nigras habet maculas, deinceps autem maculis albis & nigris distinguitur, quæ albiores & nigriores fiunt cum sæpius mutatus fuerit. Pedes eius crocei, ungues magni, sed non quanti aquilarum. Caput quàm aquilæ rotundius: rostrum curuum, & pro eius portione breuius quàm aquilæ, & longius quàm falconum. In dorso paucas habet maculas albas, & plures nigras. Alas pro sua portione habet acutiores quàm aquilarum genera, & minus acutas quàm genera falconum, Albertus. Accipiter auis est elegans, ualido corpore, dorsi colore fusco uel subnigro, capitis fusco dilutiore, pectore & uẽtre uarius, oculis splendidis, rostro adunco, aspectu alacri, pedibus crassis, & unguibus longis, Stumpfius. Accipiter eiusdem ferè figuræ est cum niso, qui sperueriis uocatur, licet maior eo sit. Est etiam minor aquila truncali, sed maior quàm aquila quæ pisces rapit, Albertus. In asture anterior pars capitis extensa paulatim angustior fit, & terminatur in rostrum, ut etiam in capite aquilæ, Idem. In asture anterior capitis pars paulatim extensa colligitur & terminatur in rostrum, sicut & aquilæ caput. falconis uerò caput naturale non extenditur nec similiter se colligit, Albertus. Uncinatis unguibus sunt quibus incuruum est rostrum, ut accipitres, aquilæ, Aelianus. ἰφρὰξ τὴν ὠκυγχίδα γεγάμφωκεν ὀξὺν τὴν γλῶτταν, Innominatus apud Suidam. Rostra accipitrum nimis magna non probantur. accipitres enim parum leues arguunt, ut in Hierofalcho recitabimus ex Belisario. Accipitri uentriculus est feruentior, Aristot. Iecori eius simul & intestino iungitur fel, Idem. Fel pleriscq; toto intestino est, sicut accipitri, miluo, Plinius. Et alibi, Fel in quibusdam intestino tantum iungitur, ut columbis, accipitri. Accipitrum & aquilarum fel colore ærugineo est interdum, Galenus. Accipitris lien magnitudine deficit, Aristot. Et rursus, Accipitribus, ut magnæ parti auium, lien adeò exiguus est, ut propemodum sensum effugiat. Asturis & nisi cauda dependet, Albertus. Apud Demetrium Constantinopolitanum & alia quædam partium accipitris rariora nomina leguntur, superius à nobis memorata: & hæc, ὀθελοὶ ὀνύχων, mucrones unguium. Ἐλάττα, uel ἐλαττῆρες τῶν πτερῶν ἢ ἰξεῶς: maiores pennas intelligo, quæ in alis & cauda sunt, (schwingfäderen:) ut καλύπτηρας (aliàs καλύπτηρας) minores. Verba eius de accipitre in caueam incluso subscribam: Καὶ ὅταν γλύπτωσι λεπτοὺς πόνυ, καὶ ἀρξωσι ἀφ' ἑαυτῶ ῥίπτειν οὐ κελύπτηρας, καὶ τότε λοιπὸν μαθὴς ὅλα τὰ πτερὰ τὴν ἐλάττω παρεξῇ καὶ ὀλί-

γως

ηων καλυπτύρων τὴν ἐγγὺς τὴν ἐλάττων. Et alibi, περὶ θρεωσίπτερον ἱέρακα: Ὑπλατη γλυκεῖ καὶ θρύμῳ συχνῷ οὖν (τὰς potius in fœmínino) ἐλάπτας αὐτῷ διάχρι. Et rursus, Ἐὰν βούμαπόδῃ ὁ ἱέραξ οὐ ἀγκῶνας, ἵππεια αὐτῷ τὰς ἐλάττας. Item, προσέχων ὥστε μὴ βλαβῆναι αὐτῷ οὖ ἐλαττῆρας τὴν πτέρων, ἢ τὴν ἀρᾶς. Hinc & πτερπλάπτε, uel potius πτωπλάπτε uox compoſita uidetur, & ex maioribus alarũ pennis primas ac longiſsimas ſignificare, quas & ocyptera nominari cenſeo. nam, ut Scholiaſtes Ariſtophanis ſcribit, pennarum aliæ πτίλα uocantur, (minores ſcilicet molliores q́, plumæ potius dicẽdæ:) aliæ πτέρα, id eſt pennæ ſimpliciter, aliæ ὠκύπτερα, maximæ ſcilicet, in quibus ad pernicitatem uolandi præcipua uis. Ἐπὶ τοῖς σοῖς ὠκυπτέροις γελᾷ, Ariſtoph. in Auibus. Porrò ἀλεκτηρίαν partem in orrhopygio puſtulæ inſtar eminentem interpretor, ſic dictam fortaſsis quòd humorem album & pinguem contineat. Ἀλεκτηρίαν δὲ τὸ ἐπάνω τὴν ὀπισθίων τὸ ἰσχιοκάμπτων, ὃ τοῦ πυγὸν καλοῦσι κοιλίαν, Demetrius. Hoc eſt, Aliptarea pars eſt ſupra crura (ſic interpretor τὰ ὀπίσθια in auibus) quæ eminet, hordeum nonnullis dicta. Hac parte inflammata uel tumeſcente aues quædam morbo acuto pereunt, noſtri morbum auium uocant. ¶ Aſturis & niſi cauda dependet (ob longitudinem ſcilicet) quod in falconibus improbatur, Albert. Accipitrum caudæ tenuiſs quibuſdam tranſuerſis diſtinguuntur, & cruribus quàm buteones breuioribus ſunt.

C.

Aues omnes quarum adunci ſunt ungues, carnibus ueſcuntur, ut genera aquilarũ, miluorum, accipitrum & falconum omnium, Albertus. Accipiter auidiſsimè & raptim cibum ſuum deuorat. Auium quas ceperit cor nunquam edit: idq́ nõnulli in coturnice & turdo, alij in alijs obſeruarunt, Ariſtot. Auium non edunt corda, Plinius. Accipitres nunquam auium corda, ueluti religione quadam conſtrictos, edere accepimus, Aelianus. Albertus contrarium ſcribit: Si quid (inquit) de præda appetunt, cor eruunt ac deuorant, quare auem captam ad latus perforant, aliquando cerebrum è capite extractum uorant, reliquo corpore reiecto. Idem coredulum auem facit quæ uenatione uiuat, & corda eorum quę uenatur edat, de reliquo corpore parum accipiat: quaſi idem planè coredulus qui accipiter ſit. Vide infra in a. Sed Albertum reprehendit Niphus, cor auium ab accipitre, quas rapuerit, guſtari negans. Nullum genus accipitrum aut falconum ad reliquias prædæ ſuæ reuertitur dum ſylueſtre eſt: nec ullum ex eis inſidet cadaueri, ſicut faciunt aquilarũ & miluorum genera, Albertus. Accipiter nullas fruges exedit & conficit, ſed & carnes uorat, & ſanguinem exſorbet, iiſdemq́ ſuos alit pullos, Aelianus. Accipiter ſylueſtris adhuc prædatur aues domeſticas, ut gallinas & anates, quas ſtatim deuorat. Capit etiam cornices, & huiuſmodi. Quum lepores capit, ſiniſtrum pedem terræ infigit, & dextro prædam tenet: tum quàm primum poteſt oculos eius eruit, & interficit. Cicuratus autem etiam magnas aues inuadit, audaciam acquirens ab adiutore homine: nempe gruem, anſerem, ardeam, & alias huiuſmodi aues. Absq́ negotio quidem rapit anatem maiorem, & mergum, & fulicam: easq́ etiam in ſatis magna copia, Albertus. Plura de accipitrum cicuratorum cibo dicemus infra capite quinto. Veſcuntur etiam muribus. Accipitres nobiles aquilonares maximè delectantur cancris, quos tamen non uenantur: & ideo cicurati iſti melius quibuſuis alijs aues magnas capiunt, & cancrorum cibum à dominis præmij loco accipiunt, Albertus. ¶ In hieroglyphicis legitur accipitres aquam nõ bibere, ſed ſanguinem, Cælius. Ὅτι τὴν πτερωτῶν τὴν ἀπερυγχίδα γεγαμψωκεν ὑπὸ τὴν χθόνα, ὅια δὴν ἀετὸς, ἱέραξ καὶ κεγχρὶς, ἄλλα τε τὰ μὴ πίνοντα, Suidas in Γαμψώνυχος, unde locum in uoce Ἀπερυγχίδα corruptum reſtitues. At Gillius bibentes eos facit, his uerbis: Accipiter ſi corpus (hominis defuncti) attigerit, ieiunus manet: neq́ ſi unus tantum aquam in ſulcum deriuet, aquam guſtat: quòd ſanè exiſtimet illi unico homini incommodare, ſua nimirum potione aquã ex illius uſu auferens: Sin plures homines irrigant, uidens affluentis aquæ copiam, uelut ab eis inuitatus, libenter bibit. ¶ Accipitres ad libidinem ſunt inflammatiſsimi, Aelianus. Accipitres etiam ſpecie diuerſi inter ſe coire putantur, Ariſtot. Coëunt etiam cum aquilis & ſpurias aquilas gignunt, Idem. Quo tempore aues libidine accenduntur, quicquid rapacium auium eſt, ut falcones, ſacri, & aliæ, cum aſture congregantur. hinc fit ut pro diuerſitate parentum audacia & fortitudine multum inter ſe differant, Tardiuus. Accipitrum minimo ſimilis eſt cuculus magnitudine atq́ uolatu, qui magna ex parte per id tempus non cernitur, quo cuculus apparet. Vnde putauerunt aliqui cuculum ex accipitre fieri immutata figura. Sed ita ferè euenit ut ne cæteri quidem accipitres item cernantur, cum primum uocẽ emiſit cuculus, niſi perquam paucis diebus. Aliquando tamen unà uiſi ſunt & cuculus, & ſimilis ei accipiter. Quin etiam ab accipitre interimi cuculus uiſus eſt, quod nulla auis ſuo in genere ſolet facere. Imitatur autẽ accipitrem non alio quàm colore, niſi quod hic maculis diſtinguitur ceu lineis: cuculus uelut punctis, Ariſtoteles. Coccyx (inquit Plinius) ex accipitre uidetur fieri, tempore anni figuram mutans, quoniam tunc non apparent reliqui, niſi perquam paucis diebus: ipſeq́ modico tempore æſtatis uiſus nõ cernitur poſtea. Eſt autem neq́ aduncis unguibus ſolus accipitrum, nec capite ſimilis illis, neque alio quàm colore, ac victu (aliàs uictu) columbi potius. Quin & abſumitur ab accipitre, ſi quando unà apparuêre, ſola omnium auis à ſuo genere interempta. Accipitres (inquit Aelianus) ineunte uere delecti ex omnibus duo in Aegyptum ablegãtur, ad ſpeculandas inſulas quaſdam deſertas quæ Libyæ adiacent. Ii autem ubi reuerterint, præeuntes eò, alios deducunt: quibus duobus cæteri peregre illius profectionis feſtum agunt. Cum ad eas inſulas peruenerunt, quas illi duo ſpeculati com-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 48 sur 825

modiores ſibi indicarunt: hîc in multa quiete, & tranquillitate pariunt, & excludunt, paſſeresq; & columbas uenantur. pullos cum magna redundantia alunt, deindeq; firmos ad uolandum in Aegyptum abducunt, tanquam ad paternas ſedes. Accipiter cum ex ſeſe tria oua peperit, unum ſolum ſelectum alit, alia duo frangit, quod ipſum eo tempore facit, cum ungues amiſit, quòd tres pullos tum alere nequeat, Gillius. Tria aut quatuor oua parit, aut ut plurimum quinq;, Albert. Vicenis diebus incubat, Ariſtot. & Plinius. ¶ Accipiter locis ſaxoſis & arduis nidulatur, Ariſtoteles. Genus eorum quoddã nidos facere in petris excelſis præruptisq; aſſolet, Idem. Noſtrates etiam obſeruarunt eos nidulari in aſperis & altis rupibus inter uepreta, quandoq; ſuper arbore, acere præſertim, aut quercu, aut fago, & ſuper abiete aliquando uel pinu. In inſula Africæ Cerne in Oceano accipitres totius Maſſyliæ humi fœtificant, nec alibi naſcuntur illis aſſueti gentibus, Plinius. ¶ Θάσσονας ἰφήκων, Homerus Iliad. ν. Accipiter uelociſsimè uolat, nec niſi in primo ſui motus impetu rapit, poſtea lentius uolat: quòd ſi in principio fruſtretur, ab auis perſecutione ceſſat, & in aliquam arborem inſidet tanta nonnunquam indignatione ut ad dominum reuerti recuſet, Creſcentienſis. Et rurſus, Quantum poteſt ad rapiendum prope terram uolitat, ne ab auibus, quibus inſidiatur, uideri poſsit. Solus & abſq; ſocio uolat, quòd prædæ particípem non admittat, Idem. Omnes accipitres uolant iuxta terram, Albertus. ¶ Accipitres cæteri hyeme abeunt præter æſalona, Plinius. ¶ Sonus falconum ut plurimum craſsior & prolixior eſt, & ab acuto in grauius procedens quàm aſturum uel niſorum, Albertus. Accipiter pipat, Author Philomelæ. Ῥύζειν uerbum per onomatopœiam factum de accipitrum uoce in Polluce legimus. Accipitres, atq; oſsifragæ, mergiq; marini Longè alias alio iaciunt in tempore uoces, Lucretius. ¶ Gallus Indicus perinde ut accipitres acri atq; acuto uidendi ſenſu uiget, Gillius. Accipiter oculos habet celeriter mobiles, ὀξυκινήτους, Ariſtot. in Phyſiog. ¶ Accipitres pennas mutant inter ſolennes D. Vualpurgæ, & D. Iacobi dies, Tappius. Cum primum pennas mutârit accipiter, formoſior euadit: & ſimiliter omnes quæ ad aucupium adhibentur aues, ætatis progreſſu ſubinde pulchriores fiunt, Stumpfius. Diuus Gregorius author eſt, accipitrem ubi conſenuit & pennis ſe grauatum ſentit, ad Solis iubar conuerti, præſertim auſtro flante: tum corporis meatibus calore patefactis, alas tandiu uibrare, donec pennæ ueteres defluant: ſic nouas renaſci, & ſenectam eius renouari, Tappius.

Quæ ad accipitrum ualetudinem, & morbos eorumq; curationem ſpectant, ad caput quintum referre placuit.

D.

Homines quorum oculi fuerint mobiles, præcipites (ὀξεῖς) & rapaces iudicantur, argumento accipitrum, Ariſtot. in Phyſiognomicis. Accipiter eiuſdem ferè conſuetudinis eſt & rapacitatis ut aquila, Albertus. Auis eſt iracunda, quamobrem ſolitariè uolat præterquã tempore coitus, Idem. Iſidorus accipitrem auem regiam eſſe ſcribit, & animo planè regio præditam. Eſt enim animoſus, & magis animo quàm unguibus armatus, ita ut animi fortitudine in eo compenſetur quod corporis magnitudini deeſt, quod ferè etiam in paruis hominibus cõtingit. Quamuis enim pectus ei angustum & modicæ carnis ſit, in illo uno tamen unguibus & roſtro neglectis confidit. Eſt & hoc fortitudinis ſignum, quòd in ſublimi & patente longe lateq; aëre prædam inuadere non dubitat, Tappius. Accipiter præ cunctis auibus fortis & intrepidus eſt, & omnes impugnat, etiam corpore maiores, Stumpfius. In hoc genere nobiliores, prædam non tam propter eſcam quàm auiditate gloriæ petunt, & ipſa crudelitate delectantur, Albertus.

¶ Aucupes fide digni in ſuperiori parte Germaniæ, quæ Sueuia ſuperior nuncupatur, narrauerunt nobis ſe aliquando ingreſſos in penitiſsimum ſyluæ locum ut caperent aſtures, inueniſſe aſturem magnum, ætate ualde prouecta, & præ ſenio ferè canum, in cuiuſdã arboris ramo. & cum paulatim accedentibus ipſis non fugeret, tandem cæcum eſſe propter ſenium deprehendiſſe. itaq; latentes obſeruare uoluiſſe unde nam uiueret: uidiſſeq; paulò pòſt accipitres duos iuniores, qui carnes ex præda allatas minutatim diſcerptas ei adminiſtrarint, Albert. Olores & accipitres ſoli aues ſui generis deuorant, Eberus & Peucerus. Accipitres tum aſtures tum ſparuerij (id eſt maiores & minores) pullos ſuos uolantes cibant ferè menſis ſpatio, & poſtea recedunt ab eis. Et docent eas capere aues, quas uiuas adferunt, & coram eis dimittunt, incitantq; pullos ad capiendum. Vbi autem perfectè iam uolaces & ad capiẽdum idonei fuerint, relinquunt eos. Hæc quidem ita ſe habere non ex aucupibus tantum accepi, ſed etiam ipſe expertus ſum, Albert. Niſus ac tertiolus locum deligunt, in quo aues captas quotidie deplumant, multaq; cura mundant, quandiu compares aues incubant, quibus & eas miniſtrant, Alexander quidã author obſcurus. ¶ In inſula Africæ Cerne in Oceano accipitres totius Maſſyliæ humi fœtificant, nec alibi naſcuntur, illis aſſueti gentibus, Plinius. Et mox, In Thraciæ parte ſuper Amphipolim homines atq; accipitres ſocietate quadam aucupantur, &c. ut in E. referam. Accipitrum genus eſt quod eſcæ illecebris capitur, iſdemq; manſuefactum, poſtea nunquam abſcedit ab eo quem experitur in ſe benignum, Aelianus. Accipiter Aegyptius mitis eſt præter alios qui alibi ſunt, Strabo lib. 17. Accipiter auem quam ei ſors ſubnectem offert, tota nocte ſub pedibus tenet, tandẽ oriente Sole licet famelicus eam dimittit: & quamuis eandem aliâs obuiam habuerit, non perſequitur, Phyſiologus. ¶ Hieracium herbam accipitres ſcalpendo, ſuccoq; oculos tingendo, obſcuritatem cum ſenſere diſcutiunt, Plinius. ¶ Accipitres

pitres aiunt à cordibus tanquam sacro quodam initiatis se sustinere. nunquam enim auium corda, ueluti religione quadam constrictos edere, Gillius: Vide supra in c. Hominem mortuum si inhumatum perspexerint, iniecta gleba humare dicuntur: etsi illos hoc ipsum Solon, sicut Athenienses, non facere instituerit, Gillius ex Plutarcho de Iside. Homini insepulto desuper puluerē inijciunt, Tzetzes 61. Accipitrem Aegyptij Soli acceptum putant, cuius totam naturam aiunt ex sanguine & spiritu cōstare: & hominis misericordia eum affici, & mortuum lugere, ac in oculos eius terram aggerere, in quibus scilicet Solis lumen habitasse existimet. Eundem (accipitrem) compluribus annis uiuere arbitrantur, & post uitam ui quadam uaticinandi pollere, & à corpore solutum summa uaticinandi & præsagiendi scientia præditum esse, πλεῖν πάγαλματα καὶ νεὸς κυνεῖν, Porphyrius lib. 4. de abstinendo ab animatis. Accipiter si corpus (hominis defuncti) attigerit, ieiunus manet, nec si unus tantum aquā in sulcum deriuet, aquā gustat: sed tantum si plures, ut in c. recitaui ex Gillio.

¶ Accipiter bellum gerit cum aquila, Textor. Aquila capit accipitrē & quamuis aliam auem rapacem, quum eas uiderit gestare lora pedum, cibi (prædæ) aliquid esse putans: quare eas capere conatur, ut conijcimus. nam in deserto (ubi hæ aues feræ sunt & sine loris) non inuadit eas, Albert. Noctuæ à cæteris auibus infestatæ auxiliatur accipiter collegio quodam naturæ, bellumq; partitur, Plinius. ¶ Accipiter congrediens cum aue quæ dicitur kokye, uincitur. ipsa tamen pugnā non incipit, Obscurus quidam ex Aristotele. Accipiter ab omnibus quibus insidiatur instinctu naturæ cognoscitur, & cum eum uident aut sentiunt (aues,) garriunt, fugiunt, & se quantum possunt occultant, Crescentiensis. Anseres & canes & magnas struthiones nihili faciunt, contrà accipitrem uel multò minimum formidant, Aelianus. Lepus uocem accipitris exhorret latitans, Volaterranus. Columbis inest quidam & gloriæ intellectus. nosse credas suos colores, uarietatemq; dispositam, quinetiam ex uolatu creduntur plaudere in cœlo, uarieq; sulcare. Qua in ostentatione ut uinctæ præbentur accipitri, implicatis strepitu pennis, qui non nisi ipsis alarum humeris elidítur, alioquin soluto uolatu in multum uelociores. Speculatur occultus fronde latro, & gaudentem in ipsa gloria rapit. Ob id cum ijs habenda est auis quæ tinnunculus uocatur. defendit enim illas, terretq; accipitres naturali potentia, in tantum ut uisum uocemq; eius fugiant, Plinius. Columbæ fœtæ emissæ, propter pullos quos habent, utiq; redeunt, nisi à coruo occisæ, aut ab accipitre interceptæ: quos columbarij interficere solent, duabus uirgis uiscatis (&c. ut in E. referemus,) Varro. De columbario aut potius palumbario accipitre, infra in peculiari capite agetur. Accipitres alij non nisi ex terra rapiunt auem: alij non nisi circa arbores uolitantem: alij sedentem sublimi: aliqui uolantē in aperto. Itaq; & columbæ nouēre ex ijs pericula, uisoq; considunt, uel subuolant, contra naturam eius auxiliantes sibi, Plinius & Aelianus. Plura uide infra in Capite de accipitribus diuersis. Distinctio generum ex auiditate: alij non nisi ex terra rapiunt auem: alij non nisi circa arbores uolitantem: alij sedentem sublimi: aliqui uolantem in aperto, Plinius. Venandi differentia in accipitre notatur. nec enim simili modo æstate ut hyeme rapit, Aristot. Albus color in columbis à quibusdam non nimium laudatur, nec tamen uitari debet in ijs quæ clausæ continentur. nam in uagis maximè est improbandus, quòd eum facillimè speculatur accipiter, Columella. Et alibi, Albæ gallinæ propter insigne candoris ab accipitribus & aquilis sæpius abripiuntur. Si accipitris uocem audierint incubantes gallinæ, oua uitiantur, Plinius. Vestibulum in quo aues aluntur, retibus munitum sit, ne aquila uel accipiter inuolet, Columella. Omne ornithoboscion apricum eligi debet, intento supra rete, quod prohibet gallinas extra septa uolare, & in eas inuolare extrinsecus accipitrem aut quid aliud, Varro. Primam coturnicum (quum uere ad nos redeunt) terræ appropinquantem accipiter rapit, Plinius. Alauda in segetibus artificio magno, quo pueros & accipitres fallat, nidum constituit, Gybertus Longolius. Nessotrophium (id est locus ubi anates aluntur) contegitur clatris superpositis uel grandi macula retibus, ne aquilis aut accipitribus inuolandi potestas sit, Columella. Accipitres crocodilorum hostes sunt, Aelianus, ut pluribus referam in h. Accipitres serpentibus & uenenatis bestijs inimicissimi sunt. nec enim ipsos serpēs, nec scorpius, ullaue alia mala bestia latere potest, Aelianus. Buteo genus auis, qui ex eo se alit quod accipitri eripuerit, Festus. ¶ Chamæleonti uis maxima contra accipitrum genus. detrahere enim suprà uolantem ad se tradítur, & uoluntarium præbere lacerandum cæteris animalibus, Plinius. Vite nigra si quis uillam tinxerit, fugere accipitres aiunt, tutasq; fieri uillaticas alites, Idem. Accipiter odit radicem sylue-stris asparagi, Textor. Accipitrem panis necat secundum Augustinum, Physiologus. Os tibiæ accipitrum si ad aurum admoueatur, sic ipsum illecebra quadam mirabili ad se allicit, quemadmodum Heracleotem lapidem sua ui prædicant quasi præstigijs & captionibus ferrum ad se attrahere, Aelianus.

E.

Aquilæ, Symmachi & Theodotionis epistolæ extant apud Ptolemæum Philometorem regem Aegypti, in quibus de moribus & remedijs auium rapacium in genere tractatur, Albertus. De struzeria, sic uocant aucupium per accipitres, multi & magni libri extant, Tortellius in Orthographia ubi de Horologio. Nos nuper Demetrij cuiusdam Constantinopolitani librum Græcum, quem ille ad Imperatorem Constantinop. scripsit, de accipitrum educatione & cura, doctissimi Augustæ Vindelicorum medici Achillis Gassari beneficio nacti sumus. Albertus Magnus libro 23.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 50 sur 825

uoluminis sui de animalibus, multa de accipitribus & cæteris rapacibus auibus conscripsit, & ex alijs scriptoribus collegit, uidelicet ex epistolis Aquilæ, Symmachi & Theodotionis: item ex Guilielmi cuiusdam libro, & altero falconarij Friderici Imperatoris. Petrus Crescentiensis etiã in opere de agricultura quædam de hoc genere auium scripta reliquit: deinde Belisarius Aquiuiuus Aragoneus Neritinorum dux: & nostra memoria Eberhardus Tappius Lunensis de ijsdem librũ Germanicum condidit: & Guilielmus Tardiuus Gallicum ad Carolum octauum Galliæ regem. Nec dubito quin aliæ etiam linguæ, præsertim Italica, eiusdem argumenti libros habeant. Nos quæ apud iam dictos aliosq; authores reperimus, pleraq; omnia ab eis mutuabimur, remedijs tantum ad singulos morbos pertinentibus exceptis: quòd ea persequi uelle cum ex alijs quibusdam, tum ex Demetrio maximè, nimis longum foret. Quæ tamen apud Albertum, Petrum Crescentiensem & Belisarium remedia inueniuntur, ponemus omnia.

¶ Empturus accipitrem certis notis sanum ab ægro discernet. Accipiter igitur ægrotans (inquit Albertus) pennis & alis quodammodo inhorrescit, alæ ei dependent, clamosus est propter sensum doloris, cibum sæpius reijcit incoctum: Struma afficitur, & interdum repletione ut homo, quo tempore obtusius cernit, grauis ac piger ad uolandum est, cibum fastidit, somni & quietis cupidus est, prædam obiectam negligit, & in terram residet: reuocatus cum esca ad manum domini nõ citò reuertitur, uocatus non respicit uocantem, Hęc Albertus. Columbæ bibendum infundito uinum uetus odoratum admixto asaro, (Græcè ἄσαρον scribitur:) deinde columbam accipitri obijcito, qui si æger fuerit non attinget eam, Demetrius. Vel accipitrem humi pone iuxta pedes tuos, & manum qua carnem teneas quantum potes eleuato uocatóq; accipitrem, qui si continuò ad manum aduolârit, sanum esse iudicabis: secus, ægrotum & non emendum, Idem. Vel, scobem ferri bene tritam accipitri obijce cum carne qua solitus est pasci, hanc si deuorârit, partes eius interiores infirmas esse conijcies. Quòd si aliquando à deglutita ferri scobe ossa eius uel articuli crepitum ediderint, interiora eius infirma fuisse conijcies, auxilium uerò ex hoc ipso remedio maximum ei futurum expectabis. Vel, Pulmone ouillo adhuc calente ciba accipitrem, & si nihil incommodi inde senseris, interiora eius sana esse credito. Si uerò deterius habuerit, & ægrè concoxerit, signum est eum ægro tare, & postridie inuenies eum tristiorem. Hunc ne emito: si uerò tuus sit, idoneam curam ei impendito, Hucusq; Demetrius. Signa sanitatis in auibus rapacibus à Tardiuo hæc referuntur: Si alui excrementum continuum fuerit, non interruptum, nec densum: Si turundos ingestos (de quibus infra dicemus, Galli curã uocant) non humidos sed siccos aluo reiecerit: Si super pertica tranquillè se gesserit: Si rostro alas suas repurget ab inferiore parte usq; ad summam: Si pennæ eius ueluti unctæ splendeant: Si coxas æqualiter teneat: Si uenæ duæ quæ in radicibus alarum sunt motu moderato pulsauerint, Tardiuus. Et rursus, Accipitrem (aut quamuis auem rapacem) calore externo affici intelligitur, si os aperiat, lingua tremat, & anhelus sit, &c. Frigoris uerò signa sunt, si oculos claudat, pedem alterum eleuet, plumis inhorrescat. Defatigatus aut æger notatur, si os clausum fuerit, alæ dependeant, & crebrò respiret per nares. Denicq; morti uicinus, si alui excrementum uiride redditur, & quum in perticam ipse uolatu se eleuare non potest.

Accipiter qui de nido extractus fuerit, nidarium uocant, præ cæteris laudatur: & dominũ rarò deserit: similiter ramarius, hoc est qui de nido egressus de ramo in ramum matrẽ sequitur, optimus esse solet. Secundi meriti est sorus dictus, captus scilicet postquam nidum reliquit, antequam pennas in feritate mutaret. Qui uerò post id temporis captus fuerit, rarò consueuit cum hominibus uiuere uel morari, si tamen permaneat, bonus est. quia in feritate fuit solitus aucupari. & quantò animosior uidetur & audacior in opere ac meliorum morum, tantò ab expertis melior iudicatur, Crescentiensis. Nidularios mansuefaciarij uocant, qui ex nidulo rapti sunt, & domi adoleuerunt. Ramales, qui iam fermè adulti & nido oberrantes, ramulatim uolitantes capiuntur. Hos (ut arbitror) præferunt. celeritate enim nidularijs prævalent. Nidularij ut obsequiosissimi, sic deterrimi. Peregrini ut in primis uolucres, sic contumaces & maiore negotio curabiles, ut qui ab infantia non obduruerint. Hi tamen duorum generum: hornotini præstantissimi putantur, id est qui antequam deplumescant mansuescunt. anniculi, id est deplumes, bimi, trimi & deinceps ad obsequium redigi non possunt, Budæus in Pandect. Rob. Stephanus ramâge Gallicè dictum interpretatur accipitrem, qui aliquandiu liberè uolârit. sed is potius sorus fuerit. In nido captum nieds nominat, Tardiuus eundem nyais. Illum qui nuper nido egressus pauco tempore matrem suam uolando de ramo in ramum secutus est, branchier, id est ramarium. nam Galli ramum branche appellant. Tardiuus rectè accipitrem branchier & ramâge eundem facit: Sorum uerò dictum ait à colore quem Galli soret nominent. Est autem sorus qui aliquandiu liberè uolauit, sed antequam pennas mutaret hornotius adhuc, id est primo anno captus est. Tappius nidarium Germanicè uocat ein Nisteling, ramarium ein Esteling, sorum ein Wildfang. nostri nidarium ein Nestuogel, ramarium ein Astuogel.

¶ Accipitres, falcones & omnes aues rapaces, item auiculæ minores, quomodo capiantur retibus, tum magnis quæ parietes, tum minoribus quæ araneas uocant, Crescentiensis scribit libro decimo operis de agricultura, capitibus 21. & 23. Accipitres nondum adulti facilè capiuntur: Rete sublime tenditur, & post id alligato graculo, auceps iuxta latens in tugurio sono fistulæ accipitrem uocat,

uocat, donec is propior factus graculum conſpiciat, in quem conſpectum mox inuolans intricatur & capitur. Sic etiam niſi & muſceti capiuntur, Stumpfius. Columbæ fœtæ emiſſæ, propter pullos quos habent, utiq; redeunt, niſi à coruo occiſæ, aut ab accipitre interceptæ: Quos columbarij interficere ſolent, duabus uirgis uiſcatis defixis in terram inter ſe curuatis, cum inter eas poſuerint obligatum animal, quod intercipere ſoleãt accipitres, qui ita decipiuntur cum ſe obleuerint uiſco, Varro. ¶ Viſco (inquit Creſcentienſis) capiuntur accipitres cæteræq; aues rapaces. In terram duæ uel tres infiguntur uirgulæ infiſcatæ, parum diſtantes, & ad ſe inuicem inflexæ, in medio quarum ligatur auis aliqua, ut columbus, uel pullus, uel caro, aut mus pro miluis & quibuſdam alijs auibus rapacibus quæ talia petant, ad quæ cum aues uenerint, capiuntur cordulis. ¶ Falcones & aquilæ capiuntur apud nos in nidis, per hominem fune longiſsimo de rupe ſubmiſſum, Albertus. Accipitrum pullos aliqui è nidis ſcalis oblongis ad arbores appoſitis non ſine periculo eximunt. Sic autem captorum enutritio, periculoſa ſimul & moleſta eſt. Nam & tenera pullorum corpora facilè ægreſcunt: & ſi præter ſpem conſeruentur, toto die miſerabiles uoces ædunt. eſt quando ne noctu quidem intermittant, & improbam iſtam conſuetudinem perpetuò clamoſæ retineant, Demetrius. Apud eundem alios quoq; modos diuerſos, accipitres capiendi, reperies, cum fiſtula, reti, uiſco: ex quibus ille imprimis mirabilis, quo capitur accipiter ab homine ſupino iacente, ita ut totus paleis aut herbis integatur, manu ſiniſtra auem (gallinã aut columbam) teneat, & fiſtula uocet accipitrem, quem cum aduolârit dextera apprehendat, & faſcijs ritè obligatum in tugurio condat. Accipitres nidarij & ramarij (inquit Creſcentienſis) nutriuntur bonis auibus & carnibus pluries & in die paulatim in hora ut magis dominum diligant. Poſſunt etiam eis dari oua in paropſidibus fracta & agitata, & in aquam feruentem proiecta, & poſtea digitis ſimul conſtricta. Idem fit in ſoris à principio, ſed cum omnino iam cicures facti ſunt, ſemel tantum quotidie paſcendi ſunt poſt tertiam, abſoluta concoctione ſcilicet, non prius: quod per gutturis uacuitatem cognoſcitur ab expertis. quòd ſi cibus de gutture uſq; ad diem ſequentem non deſcenderet, tandiu etiam ſine cibo relinquantur. Si uerò de gutture deſcenderit, bis die cibum offerre poteris ſecurè: niſi uelis eodem die aut ſequente ad aucupium accedere. tunc enim accipitrem famelicum eſſe oportet, ut auidius in prædam ruat, & facilius ad dominum redeat, Hæc ille. Carnes (inquit Demetrius) accipiter edat recentes: & ſi neceſſe fuerit, intra biduum mactatas: numquam uerò ante triduum. Talis enim caro & calculum & omnem morbum peſtilentem & corruptionem inducit. Sint autem carnes agnorum, ouium, hircorum, boum & porcorũ: cum pilis, ſi animalia adhuc tenera fuerint: ſin adultiora, abſq; pilis. Quod ſi accipitres labore attenuati fuerint, per unum aut alterum diem tantum præbeantur. nam ſi pluribus diebus eis ueſcantur, efferantur animis, & calculi in eis generantur. Dandæ igitur prædictæ carnes diebus alternis. bubula enim pluribus diebus ſumpta cruditatem facit. caprina uerò concretos in uentre calculos probè diſſoluit, ſed ſtomachum aquoſum reddit, & appetentiã deijcit. Ouilla ſubinde data, calculos gignit. quare ſanguinem hircinum recentem, ut primum à mactatione coierit, dare oportet, ut qui calculos maximè ſoluat: & ab hoc uno adamantem lapidem uinci aiunt. Leporina cum ſanguine data ſine oſsibus & medullis, prodeſt. Illa uerò (oſſa & medullas) deuorata uermes in uentre auis generare aiunt, unde illa aucupe cauſam ignorãte intereat. Ceruina ad ſatiem concedi non debet, eſt enim difficilis concoctu. Poteſt etiã urſina, ſi contingat, pauca & calida præberi. Copioſius enim ſumpta etiam hæc plurimum grauat. Catulorum uerò ſeu canicularum ſanguinem totum calidum unà cum carnibus edant, conducit enim ut ſoluantur qui in uentre coierint calculi ut hircinus quoq;. Murina ſola etiam quotidie data, aut ſaltem alternis diebus, iuuat, unà cum pilis, omnibus interaneis utilis. phlegma enim & bilem purgat. fluxiones pituitoſas reprimit, calculos ſoluit, coryzam ſeu grauedinem inſtantem pellit, ſtomachum diſſolutũ corroborat: in ſumma, omnino ſalubris eſt accipitri. In auium genere utiliſsima columba, alis & pedibus minutatim concisis, licet ſitim ad breue tempus moueat. Corui cor, cerebrum, iecur, & perparum de pulpa pectoris conceduntur: ſanguis omnino uitandus eſt, utpote ſalſus & pernicioſus accipitri, ſicut omnia ſalſa. Idem de cornice dicimus. Oſſa etiam & interiora relinquenda, urunt enim & nimiam ac noxiam ſitim excitant. Cæterum anatis caro omnis & ſanguis conducit maximè. item gruis, & anſeris, ſed abſq; multo ſanguine. nam ſi copioſum anſeris ſanguinem ſumpſerit accipiter, corde grauatur: & ſicut homines ebrij uim rationis obtundunt, & temere ſe gerunt, ſic accipiter antequam concoxerit ad uenatum ineptus eſt. Ardeolæ cerebrum cum corde & iecinore edat, ſi opus ſit: ne ſcilicet triſtetur accipiter ſi nihil de ſuo labore præmij ceperit, & alacrior ad prædam fiat. carnes cæteras tanquam noxias relinquat. Lari etiam, ſi fortè capiatur, cor cum ſanguine & paucis de pectore carnibus edat, reliquæ enim eius partes uiroſæ graueſq; ſunt. De mergo ad ſatietatem edere poteſt. eſt enim auis hæc dulciſsima & facilis concoctu. Otidis etiam & picæ caro tota utiliſsima eſt. præterea palumbis, merulæ, & gallinæ, ſi temperatè dentur, carnes maximè iuuant. caput tamen, pedes & alas adimito gallinis, ne auem domeſticam edere ſe intelligat, & neglectis deinceps auibus feris circa caſas uolitet, Hucuſq; Demetrius l. 27. Et cap. 22. Caro (inquit) non ſemper prodeſt. Suilla tum datur accipitri cum macilentus fuerit. obeſat enim omnino, præcipuè uerò hyeme datur cum frigore læſa & conſumpta fuerint accipitrum corpora. Bubula rarò conuenit. eſt tamen apta ad purgationem, pondere ſuo auis aluum deprimens, ſi aſtricta fuerit. datur autem bis, aut ut plurimum

ter menſe. Caprina & ouilla omni tempore conueniunt. Præ omnibus quidem utilis eſt cibus de pullis columbarum, ſi calidi edantur, tum æſtate tum hyeme. Καὶ ἡ σωτηρὶς δὲ ἀκρόλοφος τῶν πτερύγων τῶν ὀρνίθων, (locus eſt mutilus.) Cæterum corui & cornicis carnes tanquam omnino noxiæ nunquam dari debent. Anſeris uerò caro perutilis eſt. His addemus reliqua etiam ex eiuſdem Demetrij præcedentibus aliquot capitibus quæ ad cibum accipitris pertinent. ¶ De modo & quantitate alimentorum accipitris cap. 19. Edat accipiter lance appenſam carnem, ſcilicet ouillæ uncias nouem, caprinæ unc. decem, hircinæ nouem, ceruinæ octo, leporinæ quinq;, de ſue magna ſex, de porcello ſeptem, de catulo octo, urſinæ ſex. De auibus uerò, ut grue, anſere, perdice, palumbe, turture, merula, ſturno, ſatiari eum licet, diligenter & ſubinde cauendo oſſa, aut pilos, aut pennas. Oportet autē accipitrem non prius moueri quàm excrementa illa uomitu reiecerit. Imperitus quidem auceps hoc tempore auem ægrotare ſuſpicabitur, quòd ſegnior facta ſit & cibum faſtidiat. Cæterum pennas, oſſa & pilos unà cum carne deuorari perutile fuerit. Nam cum aſperæ & ſiccæ hæ partes ſint, pituitam ſtomacho inhærentem abradunt, & ſecum educunt: unde accipitrem à difficilibus morbis ſeruari cōtingit. ¶ Quomodo nutriri debeat accipiter caput 20. Nutriendus eſt accipiter hora quarta poſtquam geſtatus fuerit, deinde ad pertícam (contum) ſuam religandus donec concoxerit. Pertica ſit ex phillyrea (phillyra potius, id eſt tilia: aliqui pertícam ex acere ſiue opulo laudant,) æqualis, neq; craſſior iuſto, neq; tenuior. Quòd ſi ægrè concoquat, in offam carnis (unamquanq;) maluæ ſatiuæ (folium) tenerum indito, ut ſimul deglutiat. hoc etiam prodeſt accipitri qui pennas ſuas offendit. Tempore hyemis pridie antequam ad uenationē exeas, dabis ei σίλλιν τὸ μεγέθους γνησίνομον (ſile uel ſeſeli intelligo, (& aloën puram pro magnitudine auis, nempe ſi magna ſit, inſtar fabæ: ſi minor, inſtar ciceris. Purgari etiam debet ſumpto mure, uel oleo bono, uel melle. ¶ De iis quibus abſtinere debet accipiter caput 21. Carnem olidam cuiuſcunq; animantis ne dederis accipitri. parit enim luem peſtilentem, & lapides: & interanea eius putredine afficit, unde auis ſubitò perit. Carnē etiam cum ſale non dabis. Sal enim in corpore accipitris diſſolutus, uitalem eius ſpiritum extinguit. Idem ſine carne per ſe datus, uiſcera accipitris perdit. Pinguedo etiam carnis de quocunq; animali, cibo accipitris non conuenit, quòd facultatem cōcoctricem impediat, & ſtomachum remittat ſeu laxet. Deniq; oleum accipitri contrarium eſt, propter admixtum ſalem. Hæc omnia Demetrius.

¶ Auibus rapacibus (inquit Tardiuus) præter cibum cōſuetum interdum dari debet modicum de coxa aut collo gallinæ. hic cibus enim auem corpulentam reddit. Inteſtina gallinæ cum plumis deuorata dilatant inteſtinum auis infimum, quo excrementum redditur & humores redundantes exiccant. Carnes inſalubres ſunt frigidæ, & caro bubula, ſuilla, aliæq; difficiles concoctu, maximè uerò animalium quæ libidine agitantur, ex quorum carne ſumpta nonnunquam moritur auis aucupe cauſam ignorante. Caro gallinę nō conuenit aui. nam cum frigida ſit, uentrem eius turbat: & quoniam dulcis & lauta eſt, cum gallinæ ferè ubiq; reperiantur, auis deſiderio harum deliciarum, ſi inter uolandum gallinam conſpexerit, præda relicta ad illam ſe conuertet. Quòd ſi hoc uitio laborare auem animaduerteris, paſces eam paruis auiculis, & columbis ubi primū uolare incipiunt, aut hirundinibus paruis. Columbæ adultæ & picæ (atqui Demetrius picam laudat: ſed differentia fortè eſt reſpectu ætatis) caro amara & noxia eſt. Nocet etiam uaccina, quòd uentrem laxet, non quidem qualitate, ſed pondere ſuo. Quòd ſi penuria melioris deteriore carne auem paſcere oportuerit, lauetur illa aqua tepida, & parum in ea reponatur: deinde exprimatur, ſi hyems fuerit: ſin æſtas, refrigeretur. non tamen nimium exprimatur. aqua enim pondus addit carni, & ut citius per gulam deſcendat efficit, & inteſtina dilatat, & craſſos humores ſi qui inſunt expurgat. Non omnis autem caro, ſed ea tantum quæ craſſioris ſucci eſt, lauari debet, & præberi illo tempore tantum quo auem purgare & attenuare uiſum fuerit. Reliquo omni tempore bonis & calidis cibis eam alemus, ſine pinguedine, ſine uenis & neruis. Cum paſces eam, non permittes eam auiditati ſuæ, ſed intercipies, ut per interualla modicè quieſcat. ſic enim ſuauius edet. Interdum ei ſubtrahes carnem antequam ſaturetur, & eſum eius retardabis. Sed cura ne uideat carnem, & auido ad eam motu fatigetur. Deniq; fac ut paruas auiculas deplumet, ut rurí facere ſolet. ¶ Accipitres (inquit Tappius) optimè aluntur carne & minutis auiculis. Columbæ nondum adultæ, & gallinæ pectore diſciſſæ laniataq; in duas partes, calidæ adhuc non parum eis ſapiunt. Vidi etiam aucupes quoſdam in alia-rum carnium & auium inopia, catulos accipitribus in cibum mactaſſe. Cerebrum auium commendatur, utpote laxum & facile concoctu. Medulla ex cruribus præfertur. Pinguedo etiam (Demetrius omne pingue uituperat) ex calidis auibus ſumpta conducit, & uenas & oſſa purgat, & pennas ualde confirmat. Inteſtina dari non debent pro alimento, ſed tantum cum uentrem & corpus purgare libuerit. Lingua optimè quidem ſapit accipitri, ſed cæteris alimentis poſtponi debet. Cor ſanè præfertur, & nihil eo ſuauius guſtant accipitres, quod Ariſtotelem, Plinium alioſq; ignoraſſe miramur, qui accipitrem corde abſtinere falſò ſcribunt. Pulmo etſi non admodum lautus ſit, facilè tamen concoquitur, iecur difficulter. Renes & lien improbantur. Alæ de gallina calidæ abreptæ coxis præferuntur. Coxæ quidem frigidæ potius dari debent, ſed in aqua calida recalfactæ: & ſimiliter uenter ac lumbi, quæ partes ſi abſq; aqua calfiant, inſalubriter alent. Hæc ille. ¶ De cibo & potu accipitris diximus nonnihil etiam ſupra capite tertio. Mutationis pennarum tempore quomodo nutriendus ſit, inferius dicetur. ¶ Accipiter ſi ſæpe ſanguinem auium biberit, uires acquirit & audaciam

audaciam ac desiderium capiendi, Albertus ex Aquila, &c. Accipitri dum nutritur non debet negari aqua frigida: nec multum coniungantur alæ eius nisi pendeant, Ex eodem, &c. Ponuntur ali quando accipitres in riuulum fluentem ut lauēt, quod si tum biberint, Germani suo uocabulo eum haurire dicunt, ſch öpffen.

¶ De mutatione pennarum in auium rapaciū genere, quam nostri uocant **mussen**, Galli muer. Auiarium uel cauea cui includuntur mutationis tempore à Demetrio ἔγκλεισρα uel ἔγκλεισρον, οἴκημα, οἰκίσκος, & μῦτα nominatur. Vnde uerbum etiam μυτοῦσαι, uel μυτῶσαι apud recentiores: pro quo Demetrius ἀπυβάλλειν τὰ πτερὰ, μεταβάλλειν, ἀλλάττειν, ἱστᾶσιν, πτερορυῆσαι, μαδᾶσθαι. Accipitres anniuersaria cura plumas in auiarijs amittunt, Budæus. Accipitres (inquit Crescentiensis) mutantur singulis annis. Debent autem poni mense Martio uel Aprili in gabia (cauea) magna de industria ad hoc facta, exposita ad Solē in loco calido, ut iuxta muros plagæ meridionali oppositos. Et perficitur mutatio pennarum eius principio Augusti, & in pluribus in medio, & quibusdā in fine. In quibusdam uerò non perficitur omnino. Ad hoc conducit, si bene pascantur bonis carnibus, præcipuè auium, & ouis, ut satis pinguescant. Sic enim optimè mutant. Quidam conferre aiunt stelliones, testudines & lacertas in cibo. Sunt qui eos deplument, ut nouæ pennæ citius subnascantur. sed multi hoc modo iam læsi & perditi sunt, Hæc ille. Cum mutare pennas inceperit, exime eum ab omni labore & abundanter ciba, quoties enim esurierit, tot signa fracturarum uel fracturas habebit in pennis. Conducunt etiam hoc tempore glebæ (cespites) uirides substratæ pedibus, & Solis calor moderatus. nimius enim æstus nocet, Albertus. Accipiter tempore mutationis pennarum (ut prolixius disserit Belisarius) cibis calidis, id est auibus uiuis pascatur: idq; in loco à uentis & frigore tuto, eodemq; tranquillo, & à strepitu remoto. Iam cum eis sic inclusis exercitiū negetur, ne in otio cibis nimium saturati de ualetudine periclitentur, alternis diebus modo solidioribus cibis modo fluidis alantur. quum uerò alarū pennas principaliores mutauerint, solidiores dandi sunt cibi, offaq; uesperi: dummodo accipitris deinde guttur discerptis auium collis impleatur. Cæterum qui ex ipsis pinguiores euaserint, nimiumq; saturi cibo (adeò ut cibum respuant) pipionibus nō omnino pennatis pasci debent. hi enim & palato magis sapiunt, & facilius concoquuntur.

¶ De eadem ex libro primo Demetrij. Quomodo post uenationem tractandus & nutriendus sit accipiter, (tempore mutationis,) & qualibus auiarijs includendus, Caput 15. Quum iam tempus fuerit (abierit) uenationis auium, quando scilicet peregrinationem suam perficiunt anseres, anates, grues & aliæ aues, auceps quotidie exeat ad aucupium coruorum & cornicum, earumq; auium quæ regionem non mutant, nec peregrinantur. Hoc autem faciat circa calendas Maias, obiter & tanquam per ludum hoc aucupio se exercens, usq; ad tempus includendi accipitris. Deinde auiarium paret egregium & peramplum, aut saltem mediocre & quod includendæ aui satis capax sit, cuius ostium Solem orientem spectet. Debet autem id uirgis septum esse, non uitro clausum, ita ut & satis sit luminis, & nullus aui exitus pateat. Vitrum enim statim effringit, aduolās scilicet, ludens & allidens se. Vitro fracto uel auolat, uel uitri fragmentis uulneratus perit. Sit aūt in medio auiarij pertica transuersa cui insistat. Aqua etiam perpetuò adsit in uase ligneo, quotidie mutanda. Vas neque profundū esto, neq; omnino nimis exigua cauitate: sed latum amplumq; & moderatè cauum, ne dum lauat accipiter pectus offendat, aut pennas recens pullulantes peruertat. tales enim illæ manent in posterum, quales ab initio formantur. Sic inclusus uescatur carne calida, aut saltē ante diem unum mactata. Dabis etiam alternis diebus suillam de porcello, in auiario. iuuat enim, & similiter alternis columbas, mures & catulos pro more obijce. Item senecta anguis minutatim concisa, ut fieri solet, & carnibus admixta iuuat, ac optimè promouet mutationem pennarum. Aliud. Testudinem in locis siccis captam adempto cortice supinam accipitri edendam appone. qualitas enim carnis eius & succus conducunt, & mutationem pennarum totius corporis accelerant. Præter hæc nihil aliud tentabis in accipitre incluso. nam imperiti quidā pennas cum dolore euellunt, cum longe satius sit, secundum naturam per uictus rationē ac sine dolore id moliri, ut pennæ paulatim defluant. In cauda tantum, si quæ fractæ fuerint, leniter & paulatim nec ulla ui extrahes, & ne sanguinem elicias cauebis. hic enim si fluat, ut pennæ distortæ subnascantur efficit. Quòd si accipitrem penitus mansuetum desideres, ut cum ad uenatum prodiueris non multo labore opus sit, unum & alterum diem de manu eum pascito: deinde carnem in pertica ei alligato ut inde petat, ne humi posita sordes terræ adhæreant & auem lædant. Sic nutriri solitus circur manebit, & cum tempus postulauerit promptus erit, nec multo labore ad correctionem egebit. Debet autem, cum ab auiario eximitur, eodem modo institui ac curari, quo nouelli & qui primum uenari incipiunt. Mutatis iam pennis formosior fiet. Cæterum caudam primo anno magnā habent accipitres, secundo minorem, reliquis deinde semper æqualē, ita ut neq; crescat neq; decrescat. ¶ Ex alio libro Græco rudiore, quomodo includendus sit accipiter, & qualibus caueis. Vtile fuerit à septentrione simul & meridie, uel ab ortu & occasu lumina seu fenestras habere caueam, ut auis mediocri & temperatè calida aëris constitutione fruatur. Oportet etiam perfectam & amplam esse caueam, ut duas aut tres pertícas (cōtaria) capiat, per quas accipiter transilire & ubi libuerit insidere queat. Plurimum enim hoc exercitio proficit. Porrò cum accipitrem pascere uolueris ut pennæ ei decidant, purgatione ad hoc præscripta (inferius cap. 25. ut conijcio, quam nos quoq; infra inter purgationes ponemus;)

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 54 sur 825

utere: Et in nares eius diligẽter infla, ut ne minimum quidem sordium relinquatur in temporibus eius. Postquã uerò purgatus fuerit, fac ut saltem per quinq; dies fatietur perdicibus. & nocti cœlo sereno sub dio ipsum colloca, ita ut nullam prorsus fumi acrimoniam percipiat. Saturato iam perdicibus dabis suillam, donec abunde corpulentus fiat & pennas alarum (quas καλυπτήρας uocant) sponte abijcere incipiat. Tum deinceps reliquas quoq; pennas detrahito, exceptis elatis (id est maioribus alarum pennis) & paucis quę iuxta elatas sunt calypteribus. Quod si bene pastus fuerit, sine dolore pennas remittet: Quo facto uinum astringens ore haustum insperge in loca pennis nudata, ne sanguinis fluxus sequatur. Tum in pertica eum per unum aut alterum diem siste: deinde in caueam dimitte, & uas rotundum suppone in quo lauetur, cuius latitudo sit trium pedum, profunditas dodrantalis, aquam autem perpaucam contineat ab initio eum auis primum immittitur, nempe ad duos uel tres digitos, ut bibere tantum possit, non etiam lauare. Vbi uerò pennas eius iam pulchrè subnasci uideris, tum uas implebis aqua ut etiam lauet. Est autem aqua quotidie mutanda, & uas diligenter lauandum. Nam si excrementum in uas inciderit, & auis ex illa aqua uel biberit uel lauerit, itatim coryza infestante interit. Auis ex manu aucupis edat in cauea carnẽ omnino puram, & plerunq; calidam. nam si carnem sordidam ingesserit, calculi innascuntur & perit. Quòd si non ex aucupis manu, sed (ut quidam faciunt) perticæ alligatam carnem ederit, breui efferatur, & hominem accedentem uidens, in cauea perturbata seipsam offendit, & planè fera redditur: & si iam pinguis fuerit, facilè in morbum incidit. ¶ De accelerando pennarum defluuio, & accipitre citius è caueа eximendo, Caput 17. Si auis inclusa caueæ tardius remiserit pennas, uictus rationẽ adhibebis huiusmodi: Primum cibos ei præbebis ut prædictum est: deinde aquam bibendam nullam dabis, & post septem dies lixiuium factum de cinere è sarmentis uitium puro, absq; alia materia admixta, aqua dilutum appones. Sunt qui marinam aquam apponant, aut eius loco salsam. Lixiuio quidem de sarmentis, ut dictum est, appositо, siue inde bibat accipiter, siue lauetur tantum, corpore eius relaxato pennas omnino facilius mutabit. Quòd si inde biberit, nunquam laborabit calculo. Pennis iam reiectis aquam puram, ut prius, iterum dato. Aliud ad idem. Semen agni seu uiticis contusum macera in aqua dulci. eam colatam in potu dato columbæ, & adhuc pernoctare eam dimitte, deinde accipitri laniandam obijce. Aliud. Lacertam uiridem in olla noua cum aqua probè decoquito. deinde in mortario contere, & in uase aliquo cum decocto suo permisce aquam aliam tepidam affundens. In hanc aquam demersum accipitrẽ laua, & citò abijciet pennas. Aliud. Opobalsamum carni quam edit frequenter permisce. Aliud. Lacertam minutatim discinde, ita ut ne possit carnem apprehendere unguibus, sed ore tantum sumat. nam si unguibus comprehenderit eam, emanans inde lacteus liquor unguibus nocet constringendo eos. Aliud. Pullis hirundinum frequenter pasce accipitrem.

¶ De eadem ex lib. 2. rudiore, (quem cum Demetrij libro manuscriptum habemus Græcè,) cap. 53. Vt accipiter mutet, Priusquam ipsum in mutam, id est caueam immittas, caput eius exende, (ἐκπίναξον,) & cum aqua siue decocto lupinorum (hoc supra contra pediculos faciendum præceperat) ablue, & sic demum in caueam immitte: in quam arenam inijcies & pumicem (ἵνα τρίβῃ τὸ μάταιον: fortè, ut affricet rostrum,) & mensam rotundam impones: & per dies decem pullum columbæ dabis (singulum nimirum quotidie.) Si tardius mutet, pellem serpentis tritam & carni inditam in cibo dabis: aut lac edendum à potu. Augusto mense quotidie aquam appones. Cæterum antequam eum è caueа eximas diebus decem ante quotidie ingreditor prope eum, ne si subito eum è caueа auferas, aufugiat & auolet. Varij modi ad promouendam accipitris mutationem. Lacertos uirides uiuos (uel μυσχεύε, uel σαῦρον) uel mures, uel ciconiam, uel turturem ei in cibum dabis tertio quoq; die. Aut lacertos uirides in Sole sicca, & tritas cũ suilla misce, quam accipiter deuoret. Cum uerò iam mutauerit accipiter aqua marina calida pennas eius foueto per triduum, uel cum aceto acerrimo calefacto. Et rursus cap. 80. Accipitrem de caueа exempturus, ante lucem cum ipso obambula: & antequam Sol oriatur ad perticam eum repone. Vesperi uerò lucernam huc illuc (ante ipsum) mouebis, & gestabis ipsum donec illucescat. ¶ Vt auis mutet pennas super manu (inquit Tardiuus) quò melius cicuretur, nec metuat sibi ab hominibus, nutrito ipsum in manu, nunc hoc nunc alio cibi genere, subinde mutans, frequentius tamen illum cibum præbebis quem ipsa prætulerit. Mane & uesperi eam gestato. Tempore calido pone ipsam in domicilio frigido, in quo pertica sit super qua uolare possit pro arbitrio. Si inquieta fuerit in manu, afflato in rostrum eius, & sub alas & per reliquum corpus. Ferè autem non est irrequieta, nisi cum incipit pennas abijcere. Cum igitur abijcere iam cœperit, include illam in domicilium iam dictum, & cespitem herbæ uiridis ei substerne & sabulum. Aquam semel ei per septimanam appones. Sic rectè mutabit, & bona euadet. Quòd si uelis ut auis sine carnis esu pennas mutet, uitellum oui duriusculè coques, tum in aqua refrigerabis, & absterges ouum. Et quando primum auem eo pascere uoluerís, ut facilius assuescat, miscebis uitellum cum sanguine gallinæ aut alterius auis. Mutatio pennarum auis perfici debet in loco incluso, solitario, à puluere & fumo immuni: & quò nullus sit gallinis accessus, ne pediculis eorum decidentibus auis inuadi possit. Locus hic meridiem uersus ne pateat, uentos ac pluuiam uitandi causa. Impones autem sabulum, & tertio quoq; die herbas recentes, salicum frondes, (& huiusmodi quæ refrigerent:) & ante auem uas aqua plenum ad bibendi lauandiq; usum. Auem in domicilium

micilium mutationis immissurus, à pediculis prius libera: Eandem cum exemeris purgato medicamentis, ut in capite de purgatione docetur. Rostrum ei acuendum ungendumq; est. Pennas seu plumas sub collo & cauda ei demes. Tempore mutationis per dies septem pullis columbarum unà cum sanguine cibetur, deinde per tres alios carne macerata parum in urina. Vt bene ac citò mutet, pascatur carne erinacei sine pingui: Aut glandulas quæ in collo ouium sub auriculis sunt minutatim incisas cibo eius immisce, ut quoquo modo deglutiat, siue sponte, siue aliqua inuentione tua. Et cum pennas iam abijcere inceperit, ne amplius dederis, ne forte nouas etiam pennas cum ueteribus amittat. Aut pro glandulis iam dictis carnem murium maiorũ (rattos uocant) uel talparum butyro unctam triduo ei dabis. Deinde frustulum de carne serpentis præbe unà cum pelle, nempe tres paruos globulos, inter caput & caudam. Vt quælibet auis bene mutet, pascito eam catulina lardo perfusa, ex illa canis parte quam Galli mulettam uocant: & postea eandem partem in frusta seu bolos dissectam præbe. nam hic cibus maximè ei secundum naturam est. Quum pennæ iam defluere inceperint, carnem qua uescitur unge oleo sesamino. sic enim pennæ crassiores molliores q; nascentur. nam sicciores facilè rumpuntur. Nõ eximes autem eam à domicilio mutationis, donec pennas omnes probè mutauerit. Quòd si pennæ subnascantur macræ, siccæ, & breues, & auis non abundârit pingui eis alendis sufficiente, nutries eam pipionum & alijs calidis carnibus. Si quæ pennæ non exciderint, aut malè natæ fuerint, ungantur oleo laurino, quod & ueteres defluere facit & bonas suboriri. Si quid incommodi uel morbi ingruerit aui inter mutandum pennas, præstabit medicamenta omnia (pro mutatione instituta) differri, donec conualescat. nam ea quæ mutationem pennarum promouent, naturę eius contraria sunt. ¶ Si auis (rapax fœmina, mutationis tempore) oua in uentre gignat in domicilio mutationis uel alibi, ægrotat aut mori periclitatur. Signa autem sunt hæc: Anus ei inflatur & rubescit, nares etiam & oculi inflantur. Dabis igitur ei præseruandi causa post Martium mensem auripigmentum pisi quantitate cibo eius permixtum: sic desiderium istud amittet. Et caro qua uescetur per octo aut decem dies abluatur liquore illo qui de uitibus recens putatis destillat. ¶ *Auis à mutationis* tempore corpulentior facta, si aërem & uentum frigidum sentiat, irrequieto corporis motu se calfacit. est autem periculum ne ab ascititio isto calore refrigeretur & forte moriatur. Gestabis igitur eam placidè & extra calorem, capitio inuolutam, (capitium, id est *capitis* tegmen nostri in accipitre uocant haub, Galli chapperon.) Et quoniam obesus & ferocior factus est, ne fugiat, purgabis eum globulo è pinguedine lardi, in capite de purgatione descripto. Pasces autem pulmonis ouilli segmentis, tandiu lotis donec sanguinem & succum omnem amiserint. sic enim maciem aui conciliant. Perticam eius fimo pingui aut quauis pinguedine inunges ut lubrica fiat. sic alligata super eam auis noctu, cum firmo gradu insistere nequeat & subinde labatur, non poterit somno frui, unde macrescet & mitior fiet. Sed fac ut diligenter alliges, ne auolet. nam si nimis obesus sit, nec satis purgatus & reuocationi obediens, auolabit. ¶ Auis si post mutationem cibum fastidiat, appetitum ei hoc remedio excitabis: Aloën citrinam tritã misce cum succo brassicæ rubræ, & inde infarci intestina gallinæ in imo ligata, quæ accipitri glutienda dabis. Deinde manu gestabis usq; ad transactam meridiem: Tum bono recentiq; cibo, postridie gallina eum pasces. Deinde aquam ut lauet appones. Hoc remedio (ex aloë) uermes etiam de corpore accipitris exiguntur. Hæc omnia Tardiuus. ¶ Astures (id est maiores accipitres,) mutantur ut accipitres, Crescentiensis.

DE RELIQVA TRACTATIONE ACCIPITRVM AVIVMQVE RAPACIVM, & mansuefactione, & ipso aucupio.

¶ Aucupij genus per accipitres, hodie ubiq; gentium notum & frequentatum, mirũ est priscis inauditum fuisse. neq; enim Aristoteles neq; Plinius, qui genera aquilarum accipitrumq; tradidêre, usquam eius rei meminerunt, nec alius prorsus ueterum scriptorum qui extant, ut arbitror. Iulius tantum Firmicus lib. 5. cap. 8. mentionem eorum facit, qui tempore Constantini Imperatoris fuit, Constantini magni filij. Quin & Plinius lib. 10. ita inquit, In Thraciæ parte super Amphipolim homines atq; accipitres societate quadam aucupantur. hi ex syluis & harundinetis excitant aues, illi superuolantes deprimunt. Rursus captas aucupes diuidunt cum eis, Budęus in Pandectas. Addit Plinius, Traditum est missas in sublime ibi (aliâs sibi) excipere eos, & cum tempus sit capturæ, clangore ac uolatus genere inuitare ad occasionem. Mihi postrema illa uerba, & cum tempus sit capturæ, &c. non suo loco collocata uidentur. Aristoteles enim in Mirabilibus narrationibus pueros in Thracia scribit cum auiculas aucupantur, accipitres ascisc ere (παραλαμβάνειν) socios, & cum in locum capturæ commodum peruenerint, καλεῖν σὺν ἰσχάσας ὀνομασὶ κικραγότας, id est, accipitres nominatim clamando aduocare. Plinius uerò ab ipsis accipitribus clangore suo ac uolatus genere (uolant enim deorsum persequentes) homines ad occasionem inuitari sentit. quod etsi uerum esse uidetur, non suo tamen loco & ordine à Plinio scribitur. Primum enim accipitres uocantur, deinde auiculæ exturbantur, (uel contra,) tertio auiculæ ab accipitribus homines clangore & uolatus genere inuitantibus deorsum impelluntur, quarto ab hominibus capiuntur, postremò pars earum præmij loco in sublime accipitribus ibi excepturis reijcitur, quod Aristoteles in historia animalium lib. 10. cap. 36. dixit, ἵστησι γὰρ τὰ ὀρνίθια· ὅτι δ' ὑπολαμβάνει, quæ uerba Gaza præterijt, Thraciæ parte (uerba sunt

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 56 sur 825

Aristotelis ex loco iam citato, Gaza interprete) quę olim Cedropolis uocabatur, homines societate accipitrum per paludes aucupantur. Cum enim ipsi lignis, quæ tenent, arundines & fruteta mouerunt, quo aues euolarent, accipitres desuper insectantur: quorum metu aues perculsæ terram repetunt, mox homines percutiunt baculis, itaque capiunt, tum partem earum quas ceperint auium, accipitribus impartiuntur. Atqui in libro Mirabilium, non Ἐν τῇ Θρᾴκῃ τῇ καλουμένῃ πρὸς Κορδεστοῖς, sed περὶ τῶν Θρᾳκῶν τῶν ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως legimus. ego posteriorem lectionem malim. legimus enim Amphipolim Thraciæ uel Macedoniæ ciuitatem esse, uel inter utranq; sitam. Cedropolim uerò in Caria ponunt authores. Circa Thraciam (inquit Aristot. in Mirabilibus) quæ supra Amphipolim est rem prorsus admirandam, & ijs qui nō uiderint incredibilem fieri aiunt. Pueri enim è uicis & agris uicinis ad aucupium auicularum egressi, accipitres sibi socios assumunt. Nempe cum ad locum capturæ aptum peruenerint, accipitres clamando nominatim uocant: qui audita puerorum uoce aduolant, & auiculas deturbant in fruteta, ubi pueri eas baculis percussas capiunt. Hoc quidem maximè aliquis miretur, quod accipitres quascunq; ipsi aues ceperint, pueris aucupibus deijciant, cum pueri ex omnibus captis parte tantum aliqua accipitribus reddita discedant. Gillius in Aeliano suo aliter: Accipitres (inquit) in Thracia accepi ad hanc rationem cum hominibus per paludes societatem aucupandi coire: homines explicatis retibus quiescere: accipitres autem superuolantes exterreaeis, ac intra retia compellere. Thraces si quas ceperint aues, cum accipitribus partiri, eosq; tum ad aucupij societatem fidos habere: Sin cum his earum partem quas ceperint auium, nō communicauerint, dissociari atq; distrahi. Nota & exercita priscis Romanis & Græcis uenatoria fuit: at uolatile aucupium, cuius est hodie studium flagrantissimum, atq; omni organo oblectandi animi instructissimum, antiquitas ipsa nunquam suspicata est. Quod certè mirum uideri potest, quum in tantum hodie creuerit id aucupandi artificium, ut nec ardeæ nec milui intra nubes conditi, euadere humanas manus possint: imò uerò quum huiusmodi *alites* sublimipetæ, cum genere illo prædonum in nubium superficie tanquam in theatro commissi, spectaculum suæ necis præbere adigantur aucupantium oculis: sic uociferantibus auiarijs dimicantes certamine atroci & capitali, quasi lanistis imperantibus: usqueadeo pollet hominum artificium in auctorandis *accipitribus*, & ad uenatum sublimem instituendis, & manuefaciendis ad obsequium, Budæus in Philologia. Et rursus, Aucupandi disciplinam (ait) non leuiter colui & exercui: libensq; nunc ipse, sed animi tantū causa, spectare *alites* illos prædones in campestri & lacustri riualiq; aucupatu soleo. Qui uenatus tamen quidam sublimis uidetur magis esse, aut uolaticus, quàm aucupium: tametsi in utroq; ludicro, non tam capturæ & prædæ studere instituimus, quàm uoluptati aucupandæ aurium & oculorum. Nam ut in syluestri uenatione omnes aditus ceruis liberæ fugæ pandimus: sic in illa sublimi & aërea, miluos & ardeas non humi captare, non in uolatu depressiore opprimere, aut incautis anteuertere solemus: sed alite prius emissario generoso more utimur: imbelli quidem illo, sed tamen eas aues anfractu inaniter infesto consectante & territante, quoad sublimes euaserint: quum interim prędones illos alites sinistro brachio gestemus, obnuptis capitulis, nec antè manu mittamus, quò sublimius sit aucupium & cœlestius, Hæc Budæus. Apud priscos nullum exemplum fuit domuisse aues ad uenandum. Venabantur illæ suapte natura sibi, nunc etiā nobis, quæ diligentia aut exercitatio adeò increuit, ut in artem & quidem nō paruam euaserit, studium nobilium hominum ac diuitum: sicut pauperum ac tenuiorum illud, quod nec ipsum affirmem olim in usu non fuisse, noctua, asione, ulula, alijsq; quibusdam uolucribus captare alias uolucres, quod proprie aucupari dicitur. nam alterum magis uenari est. hoc insidiosum, illud uiolentum. hoc ex occulto, illud ex aperto. hoc blanda specie decipiens, illud etiam antequam noceat minans, Tortellius in Orthographia in mentione Horologij.

¶ Aues rapaces cicurare primus inuenisse dicitur rex Daucus, qui diuino intellectu nouit naturam accipitrum & falconum, & quomodo cicurandi & ad prædam instruendi essent, & quibus remedijs curandi. Hunc alij multi secuti, plures ipsarum auium rapacium addiderunt, Crescentienſis. Accipiter facilè domatur, præsertim fœmina. mas enim plerunque aliquanto morosior est, Stumpfius. Caueat dominus accipitris ne quo modo lædat eum: sed cum uiderit eum paratum & uolentem stare super manu uel pertica, suauiter tangat ipsum: & eleuet, si pendet. & quātum potest consideret mores & uoluntatem eius, & per omnia ipsius uoluntatem sequatur. Et semper in manu cum cibet, nec ulla in re ei resistat. est enim hæc auis ingenij perquam iracundi. Mœrentem ad aucupium ne emittat, nisi uiderit prædæ auidum, & maximè ad graculos & garrulos. Sed neq; nimis è longinquo eum emittat. nam cum assequi auem non potest, sæpe indignans recedit, & aliquando in arborem descendit, nec ad dominum uult redire. Cauendum etiam ne dominus accipitrem nimium fatiget, neq; tam auarus sit circa coturnicum aut aliarum auiū acquirendam multitudinem, ut accipitrem lædat, uel ad indignationem prouocet. sed captis ijs, quas accipitrem sponte appetere uidet, sit contentus, & ex ipsa præda eum cibet, ut sibi suam uenationem sentiat profuisse, & ad uenandi amorem incitetur, Crescentienſis. Et rursus, Cicurantur accipitres si plurimum tenentur in manu, & maximè in aurora tempestiuè, & inter multitudinem hominum: & inter sonitus molendinorum, fabrorum, & similium. Instruuntur nidarij & ramarij (nam cæteri per se sunt in feritate instructi) hoc modo: Cibetur accipiter hora nona bono cibo, & postridie teneatur in loco perobscuro

ſcuro uſq; ad nonam. Tum portetur ad locum uenationis, & non emittatur primò aduerſus picas, graculos aut perdices, quòd hæ aues robuſtiores ſint: & ſi eas ſuperare non poſſet, imminueretur eius audacia: ſed emittatur in coturnices, turdos, merulas & ſimiles. Quòd ſi uis ut graculos capiat, habeas unam captam, cui multas pennas de alis auferes: & in aliqua foſſa abſconſus, ante conſpectum accipitris proijcies, & accipitrem dimittes. Capiunt autem coturnices, perdices, graculos, garrulos, picas, & alias aues, ut merulas, turdos, paſſeres, & his ſimiles. Hæc omnia Creſcentien. Accipiter ſylueſtris citius manſueſcit, ſi multum ieiunare permittatur. Quòd ſi iuuenis eſt auis, cuſtodiatur in loco temperato inter calidum & frigidum, & in loco in quo ſtat habeat ſemper mentam & ſaluiam. Et accipiter præcipuè inter rapaces, in ſolijs ſalicis, demum ſuper lignum ſalicis aut abietis ſemper ſedeat. Albertus ex Aquila, Sym. Theodot.

¶ De inſtitutione accipitrum ex Alberti de animalibus lib. 23. cap. 22. Si cum aſture uel niſo aucupari uolueris, curandum eſt prius ut probè ad manum aſſuetus ſit accipiter. Cicurabis autem hunc in modum. Primò uincies per diem ac noctem, & tenendo eum cum zona prælonga ut ſæpius ad manum aduolet facies: & quoties aduolârit, ſemper aliquid cibi dabis. Cum autem uolueris ut aucupetur, primo die accipe columbam cuius alis detractæ ſint pennæ, hanc ſæpius fac ſub pedibus eius effugere, & ut iterum capiat eam (cura.) Deinde muta eam ſubinde in melius uolantem: & pro paruis infirmiſq; auibus fortiores & maiores ſubſtitue, ut in hiſtoria falconum quoq; docebimus. Hac enim in parte inſtitutio quarumuis auium rapacium conuenit. Quotieſcunq; autem ceperit auem, aliquid ſanguinis ei ſorbendum concedatur, cum prouocatione & ſibilo aucupis, idq; coram canibus. ſic enim reddetur audacior. Porrò accipitrem in aues ſyluestres dimiſſurus, cibato eum bubula adhuc tenera, aut lingua porcina quæ in aceto urináue parum macerata ſit, & poſtridie ſummo mane aucupium aggredere. Curabis autem ne dimittas accipitrem, ſi fieri poterit, niſi cum auis prope eſt, & è regione eius, ita ut eam uideat. Sunt qui dicant, ſi accipiter mane paſcatur carne macerata in urina (ut prædictum eſt) & veſperi de eadem parum ſumat, poſtridie uerò mane de lingua porcelli, & veſperi exeas ad locum (rapariam) in quo ſunt aues, auſurum etiam magnas aues capere. Porrò ſi accipiter uidens uenationem neglexerit, nimis obeſum eſſe, & pennas pinguedine refertas habere cogites, quòd delicatius nutritus ſit. Subtrahas ergo ei partem alimenti conſueti, & cibum leuem ac facilem concoctu dabis. Nam fames naturalis excitabit in eo deſiderium maiores aues capiendi. Seruabis autem illam uictus rationem continenter, quam ei conuenire experieris. Et ſi nimium corpulentus fuerit albeo trito (aloë trita, legerim) cum pulegio eum extenuabis, non nimium tamẽ, ne infirmus & puſillanimis fiat. A menſe Auguſto ad Nouembrem uſq; accipitrem media inter macram & obeſam corporis conſtitutione ſeruari conuenit: à Nouembri uerò & deinceps obeſum & robuſtum eſſe præſtat. Diu etiam in die manu geſtandus eſt: & hora tertia paſcendus coxa de pullo gallinæ. Poſtea concedendum ei ut per horæ ſpatium in aqua lauet. Deinde dimittatur ad Solem donec pennas componat ſe perungendo. Poſtea ponatur in loco obſcuro uſque ad ueſperam. Perticæ cui inſiſtit pannus lineus imponatur, ne ungues lædat. A ueſpera teneatur (geſtetur) manu uſq; ad primum ſomnum, tum ſtatues eum in perticam, ſuppoſito panno ut dictum eſt, & accendes coram eo lucernam per totam noctem. poſtridie circa diluculum uino aſperges & pones ad ignem clarum. Orto iam die ad aucupium progredieris: & ſi uideris eum aues appetere, emittes: ſin minus, ea quæ iam diximus repete. Si quid uerò ceperit, permitte ei cibum de præda pro arbitrio.

¶ Auis rapax (nuper capta) ſi tam ualida ſit, ut pedibus ſe ſuſtinere poſsit, ſtatues eam ſuper truncо ligneo, aut potius ſuper pertica, ut commodius moueat & extendat alas, nec in terram offendat. Subijcies autem ei herbam ebulum, cui facultas ineſt calfaciendi & reſiſtendi uitijs renum & articularijs. Carne ſemper uel ut plurimum uiua nutries, ſic enim pennæ probiores naſcẽtur. Cæterum auis tenera adhuc capta, & in locum frigidum poſita, ex renibus (lumbis) laborabit, nec ſeipſam ſuſtinere poterit, & mori periclitabitur, Tardiuus. ¶ De aue geſtanda, aſpiciẽda, & ad canes aſſuefacienda, ex eodem. Auis manu dextra melius geſtatur quàm ſiniſtra. facilius enim dextra ad uolatum proijcitur, & auis inde ad uolatum leuior ac pernicior fertur. Inter aſcẽdendum etiã in equum & ab eo deſcendendum, auis tutior in dextra quam ſiniſtra erit. Quòd ſi ſuper manu irrequieta fuerit & uolitârit, repone eam leniter & placidè, ut cognoſcere te familiariter & amare addiſcat. Quũ capitium ei demes, in faciem eius ne inſpexeris. Inter equitandum geſtans auem; caueto diligenter ne alicubi, preſertim in portis & ad parietes, eam offendas, quod fieret ſi illis in locis inquieta foret aut uolitaret. Fumus & puluis ab ea arceantur. Fac ut canibus aſſuefcat, & ſequatur eos, non refugiat. quare curabis ut ante & circa eam ſint dum paſcitur. Deniq; ad illa omnia quæ ad aucupium pertinent uidenda aſſuefieri eam oportet. ¶ Auis interdum alas ſuas non bene ſuſtinet, quando ſcilicet nuper ſuper manu geſtari aut in pertica inſiſtere cœpit, & ex nimio irrequieto motu calefacta eſt, & poſtea refrigerata. Ligabis eam igitur ſuper aqua, ita ut aquam ingredi cogatur, & mouendo concutiendoq; ſe in aqua alas dirigat & emendet. Deinde pones eam ad Solem aut ignem, & cures ut calida maneat neq; refrigeretur. Aut per triduum urinam ſemper in alas eius emitte, & rectè eas ſuſtinebit. ¶ Vt auis bene aſſuefcat reuocatorio, (ſic enim uocant recentiores quidam inſtrumentum, quod Galli loirre, noſtri lũder. unde uerbum loirrer, lũderen, reuocare:) & ad aucu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 58 sur 825

pium uolatu rectè utatur. Auem (inquit Tardiuus) nõ ſolues, donec decenter ad manum redire & cibum ſuper ea capere aſſueuerit. Sic demum à manu ſolues, & ne fugiat modicum uini in oculos eius inflabis: & cum ad ſomnum te recipies, collocabis eam prope te in pertica (ſur terteau) aut aliter commodè, cum candela ardẽte iuxta. Tum ante diem capitio obnubatur & manui imponatur. Sic eam tractabis donec reuocatorium ei familiare ſit, & ab hominibus non amplius ſibi timeat. Deinde docebis eam inuadere prædam, & ungues placidè à præda remittere ne rumpantur. Curabis autem ne ad manum reuertens in terram cadere conſueſcat, ſed ad manum redeat. & cum eam conſcenderit, proijce reuocatorium in medium hominum, ut dum id perſequitur, homines ſequi, non fugere, conſueſcat. Et cum à manu deſcenderit, diligenter reuoca, ut reuocatoriũ amet. id enim niſi amauerit, utcunq; bona aliâs auis, non laudatur. Auis emiſſa iuxta flumina, aut inuia loca & ubi eam ſequi non licet, pleruncq; amittitur. Prima eius præda coturnix eſto, uel perdix, deinde lepus, poſtremò aues magnæ. Saturetur parte prædæ, præſertim ſi præda magna fuerit. Ad felix aucupium requiritur uenator diligens & peritus, auium rapacium ſocietas egregia, & locus prædæ ferax.

¶ Hyemis tempore (inquit Beliſarius) cibi maior eſt appetentia auibus: tum etiam à coëundi ardore magis ſunt alienæ. Fieri enim ſolet, ut ſi Maio menſe miluos accipitres uolãdo perſequantur, ſylueſtrium accipitrum amore ad dominum nõ redeant. Nam per aëra deperdi ſæpius eos conſpeximus. Veris etiam principium ſatis accipitrum uenationi aptum eſſe dicimus. toto enim diei ſpatio uenari licet, propter aëris temperiem.

¶ Accipitres quando capiendi, & quomodo commodè nutriendi cicurandiq;, ex Demetrij lib. 1. cap. 7. Accipitres capiendi tempus primum ante octauum diem calendarum Iunij incipit, & uſq; ad finem Iulij durat. de paruis loquor, quiq; è nido eximuntur. Illorum enim qui iam à parentibus ad uenationem inſtituti ſunt, capiendi tempus uſq; ad Auguſtum (Auguſti finem nimirum) durat. Oportet autem accipitres captos in domicilio obſcuro includi, ita ut placidè inſiſtant pertícæ, & modica diei parte manu moderatè geſtentur, diluculo ſcilicet, & rurſus ueſperi, ut per frigidiores tantum diei partes in aëre æſtiuo ferantur. Nam qui ſubinde & multum in aëre calido geſtantur, uolitantes & à manu aucupis pendentes calorem ſupra naturam augent, & pulmones accẽdunt, unde breui omnino pereunt, exiguo ad uenatum tempore utiles, nec ullum in eis mortis futuræ ſignum aucupi apparet. Deinde pedibus eis lorum alligabis quindecim digitorum longitudine, colore nigro, non rubro, propter aquilas: Quæ rubro colore eminus conſpecto, eſcam (nempe carnem recentem) ab eis ferri putantes, inuolant & abripiunt eos. Porrò geſtari debent accipitres in ſummo carpo (brachiali) manus ſiniſtræ, digitis introrſum ſpectantibus. (τρίβω δὲ τὸ κοινὸν αὐτοῖς ἀναβλημα βάσις ἀφ' ἑφάκι στέρις.) In ſumma uerò manus parte aut in pollice inſiſtere accipitri non permittendum, quòd inde ad uenationem non ſatis ualidè impelli & proijci poſsit, unde fit ut minus ſtrenuè in prædam feratur. Facile autem & probe cicuratur poppyſmis ſiue ſonis per labia ad fiſtularum imitationem effictis, & manuum palpatione, & uerbis blandis. Eſt enim hoc animal exquiſito ingenij ſenſu præditum, nec rationis pro ſua natura, nec memoriæ expers, itaq; conſuetudinem, naturæ ſuæ oblitus, facile aſſumit, & per totam uitam conſeruat. Fumo læduntur: quamobrem non debent nimis prope ignem uel lucernam geſtari. Solet autem lucerna in tenebris ſplendens liberam & duram ac ferocem ipſorum ingenij uim emollire ac mitigare. Pertica cui inſiſtunt, nec admodum craſſa, nec tenuiſsima ſit, nec inæqualis, ſed commoderata, ita ut ungues aperti dum perticam complectuntur, interiorem pedis partem impleant, ut nihil cauum ſeu uacuũ relinquatur: & unguis poſterior cum anterioribus copulari poſsit & concludi. Vinculum quo pedibus religantur ad perticam paulò laxius ſit, ut modicè auolantes reuolantesq; facile in ipſam redeant. nam breuiore uinculo interdum fit ut accipitres uolando impediti ad perticã ſe allidant & perdant. (ἔστω δὲ ἡ ἅγκυρα παραπέτασμα καὶ βῆλον [uelum] τοιοῦτον αὐτῶν εἰς οὗς δεσμὸς ὅπου ἐφεσήκασιν, ἵνα ἀνιπτάμενοι μὴ ἀστρέφωνται.) Porrò cum plures accipitres in una pertica ponuntur, interuallum inter uincula ſingulorum circiter digitos uiginti quinq; eſto, ne ſi ſe contingere poſsint, inter ſe pugnantes unguibus ſe mutuò conficiant. Cum enim ſemel aſſueti ſint uenationi, & prædam guſtarint, ſi eſurire cœperint, ne ſuo quidem generi parcunt. Cibum aucupes quotidie dabunt diluculo, eumq; recentem, nec ſemper eundem quod faſtidium parit: ſed alium atq; alium quotidie, ſi fieri poteſt. Sic enim auis appetitus ſeruatur, & ipſa ſuauius ueſcitur, ac ideo facilius concoquit. Cæterum lauacra eis eſſe oportet ex aquis dulcibus, ut fontibus aut fluuijs perennibus, tertio pleruncq; aut quarto die, ut ſordibus alarum abſterſis liberius & uelocius uolent. Tum paucis diebus elapſis, modicum de cibo conſueto ſubtrahes, & uocanti adeſſe aſſuefacies. Et primum quidem de manu alicuius prope aſtantis, in manum uocantis ipſum aucupis & carnem tenentis tranſilire diſcat. Hoc ubi iam ſatis didicerit, funiculum tenuiſsimum uigintiquinq; cubitos longum extende, & per catenulam ferream annulum cuius tenuiſsima ſit circunferentia (ad pedem auis alligato.) Funiculi igitur extremitatem unam accipitri liberam dimittes ut uolet: alteram manu ſiniſtra retinebis unà cum carnis fruſto. debet autem manus pellibus ualidis muniri propter mucrones unguium accipitris. Et cum accipiter iam uolat, eleuabis manum ſiniſtram paulatim & carnem ei oſtẽdes cum magno clamore, ſibilo & adhortationibus ad te uocans & inuitans ut mox aduolet. Quòd ſi omnino auolare uoluerit, facile per funiculum retrahetur. Sic

diligenter

diligenter inſtitutus, deinceps etiam reuocatus rectà ad te redibit. Cum in manu iam fuerit, permitte ei bis aut ter deguſtare carnem: & tum, ut rurſus recordetur cibi, cautè eam ſubtrahito ex unguibus, ne pedes eius aut ungues lædas, aut tuam ipſius manum. Vulnerat enim unguibus ſuis tanquam gladio. Obteges igitur carnem ueſte circa pedes accipitris, & paulatim digitis dexteræ manus carnem trahens, pollice ſiniſtræ eandem elides. Subtractam manu dextra in humerum tuum læuum impones. Sunt qui eminus ſtantes accipitrem alicubi ſune allígatum ad ſe uocent: quod aui periculoſum & noxium eſt, nam dum celeri uolatu ad aucupem contendit, lapide aliquo, uel arbore uel herba (frutice) ſupra terram eminente intercepta & offenſa, in ſolum quandoq; allidítur & perit: Aut ſi forte ſeruetur, propter malam tamen hanc conſuetudinem, ſemper ſibi tutum huiuſmodi uolatum fore putans, in poſterum omnino lædítur. Porrò cum iam ſatis aſſueta fuerit ad uocem aucupis prompte aduolare, feritatis ſuæ libertatem omnino oblita, tum demum funiculum ab aue ſolutum à loco aliquo ſublimi uel arbore ſuſpendimus (ἐλεύθερον τῷ δεσμῷ τὸν ὄρνιν ἀφέντες, &c.) & auem ut protinus uoce audita aduolet conſuefacimus. Poſtremò cum hoc etiam probè fecerit, ad uenationem adgredimur, quam primò aduerſus minores aues ſuſcipimus, ut graculos, corníces & ſimiles. In his enim exercitatus ac inſtitutus ab aucupe, & audacia ſibi comparata, maiore deinceps animo magnas etiam aues inuolabit.

¶ Ex eiuſdem Demetrij lib. 1. cap. 8. quomodo oporteat inſtituere (κυνονίζειν) accipitres, & uenationem docere, ac uenantibus eis auxiliari: Tertio antequam uenatum exeas die (ſic enim legẽdum uidetur) parum alimenti præbebis accipitri, & per totum diem manu geſtabis, altero (etiã) die propter collectam in eo pituitam, cibi omnino parum dabis, nempe ad nucis auellanæ quantitatem, ac ſimiliter manu geſtabis quietè per totum ferè diem. Nocte ſequente ſomno fruatur quieto. Poſtridie ante Solis ortum, Deo inuocato ut uenationi faueat, cum accipitre ad pugnam aduerſus aues alacriter te pares. Vbi iam parum à porta progreſſus, accipitrem uínculo líberâris, & lora ſimul collecta ſiniſtræ manus chirotheca obuelaueris, undiq; circunſpicies ſicubi uolantes aues appareant. Et cum locum inſidijs aptum deprehenderis, manum dextram accipitri obtẽdes, & aliorſum proſpicere ſimulans, cælansq; aſtutè proſpectum tuũ, cautè ad locum uenationis procedes: Quò cum iam prope acceſſeris, cum impetu adcurre & auium gregem excita, ſimulq; magna ui & contentione accipitrem de manu emitte, & in aues tanquam hoſtes audacter impetum ut faciat alta uoce hortare. Tum ſtatim etiam ipſe magna celeritate accipitrem ſequere: & priuſquam graue aliquid patiatur, præſentia tua eum iuua. Quippe ſi ſolum tuoq; auxílio deſtitutum aues illi quæ capta eſt congeneres uiderint, grues grui, anſeres anſeri, (hæc enim duo genera præcipuè gregatim degunt,) accipitrem perdunt. Et ſiue tu omnino non adſis, ſiue longius abſis, opem aui congeneri laturæ adſunt magna cum promptitudine, itaq; accipitrem uulnerant, & undiq; eum cingentes pennas ei abrodunt, & auem captã roſtris apprehenſam trahunt, donec uel relinquat eam accipiter, uel ſimul cum ea peſſũdetur. Tu igitur placidè propius ad accipitrem accedes, & ferarum auium genus diſſipabis: tum auem captam accipies, & humi ſedens pede altero pennas caudæ accipitris ſubleuabis, ne quid de eis frangatur. Has enim natura ei contulit, ut hiſce ceu gubernaculis utens aërem in quamcunq; líbêret partem remigio alarum ſulcaret. Deinde euaginato cultro, qui ad latus ſiniſtrum geſtandus eſt auium cædi paratus, fauces primum captæ auis incides, & ſanguinem ſcaturientem calidum accipitri bibendum permittes: & de carnibus circa collum, deinde etiam de cerebro, corde, iecinore & uentre (eum paſces.) Poſtea pedibus apprehendẽs auem captam, latenter & aſtutè carnem ſubtrahes, ita ut auis dolum omnino non percipiat. Et ſic ad nouam uenationem te parabis, quam quidem accipiter cibo ſatur negligeret. Itaq; pedes etiam eius ſanguine captæ auis illines, ut de alia etiam capienda promptius cogitet. Eſt enim accipiter memoria probè prædítus: & præſentibus rebus ſcitè ſe accommodat: & contumeliam ab adulatione pulchrè diſcernit. Porrò ubi tertio aut ad ſummum quarto ad uenationem euolârit accipiter, non amplius eum emittes, utcunq; auídus & promptus ad eam uideatur & è manu ſubinde prouolet, ne uno die nimis defatigatus, inutílis multo deinceps tempore fiat, quiete enim recreatur: continui uerò laboris moleſtia, graui plerunque morbo implicatur. Cæterum multæ ſunt cauſæ ut aliquando præda fruſtretur & aberret accipiter: ut cum in celeri uolatu repente aquilam uiderit, metu fortioris ſe auis ſeipſam potius ſeruare quàm prædam perſequi cupit. Sæpe de manu imperitè emiſſus, & lumbis ſubito læſus, captura fruſtratur. Interdum & loris intricatur, & alias multas ob cauſas impeditur & aberrat, quas paulatim ſtudioſus uenator experiendo cognoſcet. Recreatum igitur accipitrem per diem unum, aut alterum ad ſummum, ad pectus tuum admotum uerbis & uocibus blandis delinies, & ueluti ſtrenuam ac generoſam auem alloquêris, cui per malum aliquem genium uictoria impediatur. nam & laudes & contumelias hoc animal agnoſcit, & hominis animum ac uoluntatem è geſtibus conijcit. Quòd ſi poſt dictam quietem accipiter uenari pergat, nihilo propter fruſtrationem triſtior, bene habet: ſin ad uolandum neceſſariò magis quàm uoluntate ſegnior fuerit, propter laſſitudinem quæ præceſſit, mox cibo eum ſatiabis, & ut ſolus aliquandiu quieſcat curabis, ac domum reuerſus ita tractabis ut ſuo loco inter remedia accipitris explicabimus. At ſi ſtatim à prædæ fruſtratione in arbore aliqua inſideat, tanquam dolens, arte prædicta reuocetur. Quòd ſi uocantem tardius exaudiat, ſiue quòd natura durus & difficilis ſit ad parendum, ſiue propter fruſtrationem, ſiue propter contumeliam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 60 sur 825

aliquam à te illatam, (per hæc ad odium mouetur accipiter:) Si sic inquam afficiatur, & arbori insi-
dens magna diei parte, inspiciat quidem te dum gestas carnem, non tamen descendat, tum carne in
funiculum tenuem (in laqueum scilicet funiculi) innexa ab una parte, & ab altera lapide uel ligno
quod eleuare secum non possit alligato, de cõspectu eius discedes. Sic enim te nusquam apparente,
paulatim ad carnem aduolans retinebitur. Sed quoniam consuetudo ceu altera natura inhærere so
let, abdicatus uenatione accipiter iste ad sobolem tantum procreandam seruetur, quam expectare
ex eo præstat, quàm tam incommoda aue tanta molestia ad uenandum uti.

¶ De tractando & pascendo accipitre: & quomodo unà cum cane perdices ab eo capiantur, ex
Demetrij cap. 194. & 195. Cum accipiter iam satis institutus exercitatusq́, & nutritoris sui uocem
ac sibilum agnoscere assuetus fuerit, ita ut cum semel eum alloquutus fuerit, mox uel euolet, uel ad
manum redeat, & inde emissus demonstratam sibi escam petat: In summa, Cum ad uenationem ido
neus fuerit, pasces eum die ante futurã uenationem proximo carne caprina uel ouilla, uel de grillo
puro, non neruosa nec pingui, eaq́ recenti, nec ad satiem, sed ad dimidium duntaxat illius qua sa-
turari posset. Quòd si recens (& calida à mactatione) caro defuerit, frigida utatur, sed eiusdem diei:
at si pridie mactatum sit animal, caro ne præbeatur frigida, sed recalfacta, præsertim si tempus frigi-
dum fuerit. Hyeme igitur cibum accipitris in carnem tepidam iniice, & expurga si quid foris insi-
derit sordium, tum extractam accipitri edendã dato. Quòd si aqua tepida desit, igne calfactam car-
nem digitis contrecta & celeriter circumage, ut calfiat quidem non tamen siccetur. At si aqua tepi-
da simul & igne destituaris, sanguine puro madefactam escam sub axilla repones, ita ne carnem nu
dam attingat linteum quo esca inuoluitur, sed supra indusium sit, ne odore corporis humani insi-
cta, & suam qua pollet roborandi uim amittat, & insuper accipitri noceat. Sic calefacta carne acci-
pitrem pasces. Iam nutritum loco consueto collocabis, ubi ad octauã usq; uel ad nonam horam ma-
neat. Tum manu sinistra exceptum sursum atq; deorsum ages placidè cum poppysmo siue sibilo
oris, manu dextera interim anteriores & posteriores partes demulcens, & ita gestabis usq; ad uespe
ram. Prodest hoc & excitat auem ad uenationem, & aluũ promouet (καὶ εἰς τὸ χωνεύσαι,) & cibi appe
titum conciliat. Vesperi loco solito cum statues ad diluculũ usq;, & rursus cum surrexeris manu ge
stabis, idq; prope lumen siue ex cera, siue lychnum, sed fumum cauebis. Sibilo (poppysmo) etiam
uteris, & demulcebis, ut familiaris tibi & cicur reddatur, & ab eo amẽris. Nam gestatio in manu,
assentatio & poppysmi mitem efficiunt. Debet autem canicula quoq; uenatoria ei adesse, cum uesci
tur, & cum sursum deorsumq; agitur, ut mutua familiaritate inter se assuescant: & cum opus fuerit,
accipiter canem ceu socium respiciat, nec tanquam ab hoste refugiat. Tum in aurora uenatum exi-
bis, & circunspicies locum qui non omnino planus & supinus (ὑπτίῳ) sit, sed & riuo aliquo irriga-
tur, & fruteta habeat, non illa quidem continua, sed longiusculis interuallis disita: & qui non inæ-
qualiter partim accliuis partim decliuis sit. Hæc enim auibus, quas accipiter insectatur, cõducunt,
& refugia eis suppeditant: ipsi uerò accipitri, continuo nunc sursum nunc deorsum uolatu, & labo-
rem augent & audaciam minuunt, & aduersus aues ignauiorẽ efficiunt, ipsius denique aucupis glo-
riam imminuunt. Porrò locum nactus idoneum, antequam perdices te conspiciant, in solum subsi-
deto, & perdicum cantus auscultato. Solent enim diluculo uocem quandam placidam & claram
ædere. hanc tu secutus, locum quàm fieri potest proximè occupa, leniter interim enunciãs, ἴα, ἴα, ἴα.
Hæc enim uox perdicibus persuadere solet, ut capita inclinent deorsum & non turbentur prius,
quàm illo qui ita placidè uocat, conspecto. Cum uerò iam propius accesseris, continuè uocem ἴα,
ἴα, ἴα blandè repetito: & simul obseruato ne paulatim dilapsæ è cubilibus perdices, tibi & uenatori-
bus negotium inquirendi pariant. His ritè peractis ab eo qui perdices tranquillat & cohibet, tu qui
uenaris unà cum socio, canes uenaticos uinctos tenebis: cumq; intellexeris perdices loco quiesce-
re, locum fruticosum & densum circunspicies, qui ad refugium quoque latendi gratia aptus sit.
Illic uenationis socios statues, & rite diligenterq́ (cum attentione) progredi eos iubebis, & uoces
ædere consuetas, & sibilis uti, & uirgis quas pro more uenatores ferunt, ramos obuios quosq; feri-
re, item terram & herbas, & si quid aliud obuiam fuerit. Virgis confractis lapides projciant, aut
glebas terræ, ut continuo sonitu perdices exturbentur. Tu uerò qui accipitrem manu læua gestas,
perdices euolaturas è longinquo expecta: & cum uocem exturbantium (παγανδιτῶν) audieris, tide
num accipiter quoq; ut primum uolantes conspexit perdices, inuolare in eas cupiat: non solues ta-
men ipsum, sed auertes parum ne uideat donec transuolârint, tum demum emittes eum demonstra
tis perdicibus, ut rectà à tergo eas persequatur. Emittes autem solerter manu porrecta, cum bland-
ditijs & adhortatione, ut animosum reddas: & uocem eò magis intendes, quo longius ille insequen
do distabit. Similiter deinceps etiam singulis uicibus accipitrem solues. nam uoce familiari & con-
sueta auribus hausta, audacior fit & promptior ad persequendum, ita ut inter uolandum uocem do
mini audiens ne aquilæ quidem aduentum, à qua conficitur, extimescat. Cæterum si nondum uisis
perdicibus cum primo exturbatorum clamore dimittatur, aberrabit, & forte alicubi offendet, ac
segnior ad uenationem & inutilis erit. Hæc de emissione dixerim. Porrò ubi iam comprehenderit
auem accipiter, festinabis ad eum prope & placide accedens, & blandè uoce consueta utêris, nem-
pe ὄϊ, ὄϊ, ὄϊ: & ore sibilans assidebis, manu altera contos apprehendens, (τὸν κοντὸν ὑπολαβόμενος,) alte-
ra caudam eius complanabis, (demulcebis:) & prædam pro arbitrio gustare, eaq́ satiari eum per-
mittes.

mittes. Deinde in sedem solitã (in contum) leniter & sine molestia eum collocabis: nec illic insidentem negliges, sed per diem ac noctem semper quinquies manu palpabis, & loco etiam mouebis. Hoc enim modo & cibum gula contentum concoquet, & sanus deget. Si uerò neglexeris, cibum non concoquet, & is qui in gula relictus est acescet. Vnde accipiter non parum lędetur, partim crudítate, partim odore prauo cibi corrupti. Hoc igitur si acciderit, diluculo eum manu gestabis, & ad secundam usq; horam circunferens obserua num aluus ei soluatur. deinde ad cibum inuitatus, modicè tantum de eo gustet. Postridie uenatum exibis secundum modum præscriptum. Et cum ab exturbatoribus perdices inquisitæ euolarint, eminus accipitrẽ solues ut à tergo persequatur. Sic enim solutus non dissipat perdices, sed uno in loco collectas ut in fruteto assequitur. Tum tu clamore ur
10 gebis, sibilabis, & lapides (si opus sit) in perdices emittes. Sic enim cogente necessitate una saltem (aut plures) de fruteto euolabit, & ab accipitre capietur, qua capta, noli accipitrem amplius urgere. Interea uerò dum perdicem à se captam retinet, cultro perdicis guttur aperies, & caput cum medulla (cerebro) in duas partes secabis: & accipitri permittes ut unguibus & rostro perdicem fortiter apprehendat, & edat, te interim dextra manu eam ad os accipitris admouente. Dum autem perdix sic ab accipitre tenetur, noli perdicem quam manu tenes ad te retrahere, sed molliter remitte. Retinet enim accipiter perdicem unguibus tam ualidè, ut nullo modo dimissurus esset, sed quò tu magis traxeris eò fortius apprehensurus. Te uerò manum dextram, ut dixi, laxius ac mollius remittente, non poterit de capite perdicis epulari, nisi unguibus etiam, reliquo corpore omisso, ipsam apprehendat. Illo igitur circa caput occupato, tu reliquum suffuratus in peram conde. Festinabis autem
20 ut cures carnosas duntaxat capitis partes & medulla refertas ab accipitre deuorari: osseas uerò solerter unguibus eius exemptas cani obijcies, ut is quoq; edat & alacris fiat. Ergo si prima uenatio bene successit, aggredieris alteram. Quòd si inter uolandũ (ἀεὶ πτῆσιν) accipiter perdices ceperit, maior is labor est: at si in frutetũ aliquod se abdiderint perdices, accipiter uerò sursum euolet, aut prope eas consídat, canem uenaticum uocabis, & solito more alloquendo hortaberis: quòd si festinare ipsum, & subinde olfacere, & caudam frequenter mouere uideris, illic latere scias perdices: & quando una ex eis euolatura sit obserua, ut simul uoces & horteris accipitrem clamando, ὅλ, ὅλ, λαλεῖ, λάλει πῆρυ, (uide an melius scribatur infra, ὅλει, λάλα, λαῶ.) Hæ nanq; uoces animant accipitrẽ & fortem reddunt. Si uerò locus humilior aut alioqui incommodus fuerit ubi accipiter desedit, reuocatum ad te sinistra excipe, & cum cane te sequente perdices inquire: Et cum ex signis prædictis perdicum motum animaduerteris, clama τὸ πρόγε. Cæterum accipiter subinde audiens illud ὁλωνοί, (forte ὅλει, ὠί,) uolatum perdicis obseruat, & ad capturam se parat. Quòd si accipiter prædam conspexerit, & inuolare in eam gestiuerit, ab aucupe uerò parum uigile & negligente, semel aut iterum impeditus, nec uolare permissus fuerit, ignauior fit in posterum, & prædæ negligentior. Sin uerò cum attentione emissus, unam aut alteram perdicem aut plures facile nec multo negotio comprehenderit, sexies aut octies emissio eius repeti poterit. At si propter impedimentum aliquod, duas aut tres tantum in diuersis emissionibus assecutus fuerit, id q; labore multo, fac ne amplius eum soluas, ne nimium fatigetur & fame laboret. Est quando promptè de manu auolat, sed postea (φάσι δ' ὄν, locus est corruptus) instar timidi militis, in arbore aliqua se occultat, & ad escam quoq; uocatus redire detrectat, tui prædæq; pariter oblitus. Hoc si acciderit, siue propter loci difficultatem, siue propter stationem incommodam, siue quòd nihil adiuuetur à cane, siue quòd cibum non appetat: oportebit te
40 subire latibulum siue frutetum, (& cani pro more blandiri:) & si quam habes absconditã perdicem, siue uiuam, siue mortuam, in accipitrem latenter iñjcito: aut si perdix non sit, pullum gallinaceum uel columbam: & simul uoce consueta utitor, ὅλει, λαῶλα, λᾶ. Quòd si ad te redierit accipiter, nutries eum placidè, & non urgebis, ne deinceps etiam in uenatu frustreris. Nam accipiter, præsertim si nimium urgeatur, uenationem prorsus obliuiscitur & omnino inutilis fit, nisi aliqua arte emendetur. Dicunt autem imperiti quidam emendari eum, & ad uenandi alacritatem reuocari, si cibus ei negetur: quod forte aliquid rationis habet: sed ita macrescet & extenuabitur. quamobrem non istum, sed qui subijcietur emẽdandi modum probabim. Sint igitur duo accipitres (sic enim transfero, locus est obscurus) alter scilicet ad uenatum promptior, alter inertior, qui si uenari nõ pergat, & in frutetum
50 subire metuat, ut extrahat inde quam insequebatur perdicem, tu alteram perdicem accipitri promptiori obijcies, ita ut uideatur illa esse quam ignauior accipiter persequebatur: & promptiorem ceu prædam nactum ad te recipies: alterum longius abesse iubebis, & canem odorum iuxta frutetum collocans, prædam in eo latentem ut prodat, & perdicem exturbet, curabis. Sic quidem accipitres ignaui celeriores fiunt, & ad diligentiorem deinceps inquisitionẽ præparantur, ceu qui frustra confertas frutetorum frondes extimuerint agnoscentes.

¶ Quomodo assuefaciendi sint accipitres ad capiendos phasianos, ex Demetrij cap. 196. Aduersus phasianos etiam exercendi sunt accipitres, non tamen circa finẽ uenationis. Postremæ enim perdices capiendæ sunt, ut postquam de eis degustarint accipitres, uenandi labor desinat: non autem ex remissa & leuiore persecutione, impetus uehementia hebetetur & infirmetur. (Sed ex his
60 uerbis cõtrarium inferri uidetur, nempe perdices prius capiendas esse.) Cæterum ad inuentionem phasianorum, uocibus & clamoribus nihil opus est. strepitus tantum in frondibus & ijs quæ obuia fuerint, & sibili subtiles ædantur. Nam si clamorem audierit phasianus, pedibus paulatim fugiens

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 62 sur 825

dilabitur, ita ut nisi à cane cõprehendatur, aliter capi nequeat. At si strepitus in ramis & sibili ædantur, metu affectus euolat è fruteto ubi latet: & si auceps in propinquo fuerit, statim illo uolante accipitrem soluet, qui uel illico phasianum capiet, aut saltem non procul elapsum, ut non multo labore opus sit. Plurimum autem iuuatur accipiter, si è loco sublimi in prædam emittatur. Sic enim etiam solertes accipitres minus frustrantur: & ineptiores maiorem sibi solertiam acquirunt.

¶ De capiendis anatibus, ex eiusdem cap. 197. Cum accipitrem animaduerteris iam inutilem factum (ætate nimirum) nec amplius persecutioni perdicum sufficere, exercebis eum postremò aduersus anates, adsuefacies autem hunc in modum. Gestato eum manu sinistra ut moris est: & à dextro femore tuo cymbalum æreum suspendes, quod cum opus erit pulsabis. Tum anatem admodum cicurem (hæc enim syluestribus similis est) alteri cuipiam committe in loco decliui (humili) tenendam, deinde cum accipitre accede propius, & cymbalo pulsato, ex composito, emittatur anas ab eo qui retinet in sublime. tu uero accipitrẽ solues, qui facile capta anate satiabitur, & deinceps in reliquas quoq; anates similiter se geret. eadem enim ratio in syluestribus seruanda est. Nam cum illę in humilibus & nemorosis locis uersantur, (κάθηνται, καθίζουσι, considunt,) accipiter ne ab eis uideatur ad terram usq; demitti debet. & paulatim ex improuiso accedendum, tum subito cymbali sono & clamore excitata aliqua anas in altum subuolabit: de qua capta accipiter gustet, ut ad reliquas etiam capiendas paratior sit. Capiuntur & alio modo, quando scilicet nõ in stagnis degunt, sed eminus in aquoso aliquo loco cõsidentes accipiter uiderit. mox enim ut uidit persequi gestit, at auceps ulterius progreditur, ne ante tempus accipitre conspecto diffugiant anates. Cum igitur quàm fieri potest accesserit proximè, accipitrem eis ostendet, & cymbalum pulsabit: postremò in euolãtes immittet accipitrem. Debet autem anatarius accipiter sine tintinabulo esse.

¶ Accipitrem prædæ non appetentem (ἄγλυσον, pro ἀνόρεκτον) hoc modo auidum reddes: Gallinæ mactatæ sanguinem folio aliquo excipe, & coagulari sine. De hoc sanguine ad uenationem exiturus dato accipitri aliquid in cibo, sic escæ appetentior & ad prædam alacrior fiet, utpote sanguinis dulcedine inuitatus, Demetrius cap. 14. ¶ Si uenari recuset, include eum per dies quindecim loco obscuro, ita ut lucem non uideat, nisi quantum opus est ad capiendum cibum, cuius tertiam partem detrahes, demum ad uenationem educes, Innominatus in Orneosophico cap. 94. A uiro quodam aucupij perito audiui, si quis accipitri duo aut tria ad summum grana cocci gnidij integra dederit, illum omnino cogi ad prædam inquirendam, aut de morte periclitari: nimirum quòd gula nimis inflammata tam acri pharmaco, cibum, quo acrimonia temperetur & extinguatur, requirat.

¶ Si auis quæ uenari debet famem non sentiat, dabis ei uesperi in cura sua (ut uocant) pilulam aloës cum succo brassicæ rubræ; aut tres offulas carnis, saccharo magnitudine pisi singulis incluso. Mox enim aluus bis aut ter subducetur & fames sequetur, Tardiuus. ¶ Si auis in arbores offendere soleat, sine ut ter quatérue tempore nubilo, pluuio & cum ros cecidit, se offendat. Sic enim per cepta molestia in posterum sibi cauebit, Idem. ¶ Aui uolare detrectanti, aquam ut lauet appones: & cibum eius aqua tepida diligenter ablues. Aut dato ei catapotium de pinguedine lardi, quod in capite de purgatione auis descripsimus, Idem.

¶ Aberrat quandoq; auis longius, ita ut tintinabula eius non amplius audiantur. Hoc accidit quoniam aues rapaces sæpe prædam suam ad cauernas deferunt iuxta aquas, quamobrem tintinabula earũ audiri nequeunt. Circunspicies igitur ubinam cæteræ aues uolitent & clament. Illic enim tuam esse putabis, quæ causa clamoris est aliarum. At si neq; uideris neq; audiueris quicquã, ascende in locum aliquem altum, & aurem alteram ad terram submitte occlusa superiore, & audies aues clamantes. Quòd si locus planus & apertus sit, frontem in terram inclinato, & aure altera obturata, audies qua in parte auis tua tibi quærenda sit, Tardiuus.

¶ Auem aduersus prædam animabis, & ut aues magnas aggrediatur, efficies, hoc pacto: Escam qua tempore uenationis utitur, uino madefacito: aut si asfur sit, aceto, & magnitudine amygdali dato. Quum uis ut uolet, da ei tres offulas carnis uino madentes. Aut pullo columbæ uinum rostro infundes, deinde facies eum uolare donec uinum (aliàs acetũ) in carnem eius distribuatur. ea auem tuam pasces in aucupio. Si auis sit audax, ne gestaueris eam manu nisi in loco solitario, Tardiuus. ¶ Si auis aliam prædam quam debet persequatur, odium eius sic illi excitabis: Fel gallinæ tecum in promptu habeas, eoq; inungas pectus auis quam ceperit, & ut modicum inde gustet permitte. nam propter amaritudinem illam odio habebit deinceps id genus auium, Idem.

¶ Adnectuntur eorum pedibus tintinabula cum orbiculis argenteis indice circunscriptis, ut si amissi inuenti fuerint, ad dominos referantur. Sæpe enim euagari longissimè & ultra famam solent ij qui sublimiuagi dicuntur, Budæus in Pandectas. Accipitres uenatorum uocibus altis prolixioribusq; (ut ab acuto in grauius procedant) longius assuefaciendi sunt, ad eosq; redire (quum uenatores uoluerint) uel fame uel consuetudine cogantur, Belisarius. ¶ Si auis rapax detrectat uel obliuiscitur reuerti, obijcito ei auem aliquam. amat autem præ cæteris columbum album. Quam obcausam columbum aut aliam auem albam semper tecum in aucupio habebis, ut auem tuam non sua sponte reuertentem ea obiecta reuoces. Caro gallinæ, ut supra dictum est in capite de cibo, hîc parum utilis est. Recusat autem auis reuerti diuersas ob causas, uel quia non satis assueta est portari & manu teneri: uel quia odit dominum suum, quòd durius ab eo tractetur: uel propter dolorem

aliquem

aliquem qui recens accidit. Nidarius quidem non tam facile fugit, quàm qui mutauit, (le mue, Gallicè.) Si auis morosior sit ad reditum, rostrum eius noctu inunge pinguedine de umbilico equi magnitudine fabæ, sic amabit dominum suum, & facile ad eum redibit. Aut glycyrrhizam tritam per noctem in aqua relinque, & in ea aqua colata carnem uaccinam per segmenta incisam macera, ac inde pascito auem. Etsi enim caro uaccina in cibo accipitris improbetur, ad hoc remedium tamen conuenit. Si præ superbia non redeat, salem rubentẽ instar magni pisi cibo eius impone. inde enim omnia excrementa reddet, & superbia eius corrigetur, Tardiuus. ¶ In accipitrem δυσκλιτῶντα, id est difficulter redeuntem: Misodulum (id est ocimum) herbam siue aridam, siue recentem, & cymínum, trita cribrataq́, & cum optimo melle subacta, per biduum dato. Aliud: Staphisagriæ albæ (ἀγριοσταφίδος λόυκης: uide ne bryoniam intelligat, alioqui σταφίδος ἀγρίας dicturus ut alibi: & nullam nos agnoscimus staphisagriam albam) grana quindecim: aloës siliquas tres: geponi (γηπόνι, sil uel seseli accipio,) grana decem, laseris siliquas tres: oui album: uini optimi quantum satis est: aphronitri albi dimidium: mellis parum, trita liquidis misce, & inunge, Demetrius. ¶ In accipitrem fugientem, (πρὸς ἀσυχοῦντα, malim ἀσφόλιγοντα:) Accipitrem linteolis inuolutum in balneũ parum immitte, & non amplius fugiet, Idem. ¶ In ferum & ægrè mansuescentem: Inuolutum linteolis in officina fabri (κακείῳ, lego καμείῳ) suspende, & crebris illic sonis cicurari sine, Idem. ¶ In flentem & clamosum: Allium de sulco (area) acceptum tere & inunge, dicens: Aduersus fletum te inungo, Demetrius. Aliud: Vespertilionem captam pasce tribus granis staphisagriæ: deinde accipitri edendam obijcito, & in contum collocato: ubi si non statim cõcoxerit, per biduum flebit, deinceps uerò clamosus esse desinet, Demetrius. Si auis rapax nimium clamosa fuerit, accipe uespertilionẽ, cui piper tritum impones, & aui in cibo dabis: aut si uespertilio non sit, alia quæuis auis eodem modo cum pipere parata ad idem non oberit. Nimius quidem clamor uel propter morbum aliquem, uel debilitatem ex macie, uel propter oua in aue generata prouenit, Albertus.

¶ Accipiter aues capit supinus ferè & sursum se conuertens, Albertus. Falco uenationis tempore amat socium uenandi falconem, & diuidit cum eo prædam sine pugna, quod nõ facit astur uel nisus, Idem. ¶ *Si auem* rapacem obesam habere uolueris, pasce eam carne bouis masculi, uel porci: sin macram, gallinis nondum adultis aqua madefactis: sin temperatam, gallinis prouectæ ætatis. Quòd si uoles ut expedita sit ad aucupandum, cura ut facias ei bonam uesicam gutturis, & include in tenebris, accensa ibi lucerna modica, & aucupare alternis diebus, Albertus.

¶ Sturni ad quemlibet impetum accipitris comprimuntur in aere, & flatu alarum coniunctarum remouent accipitrem: qui super ipsos ascendẽs (ascensurus) comprimitur stercoribus ipsorum & inquinatur, ita ut appropinquare non possit, Albertus. ¶ Perdices, phasiani & anates quomodo per accipitrem capiantur, supra ex Demetrio docuimus. ¶ Astures, id est maiores accipitres (ut ipse interpretatur) cicurantur, instruuntur & nutriuntur sicut accipitres. Capiunt autem perdices & coturnices, phasianos & angutiones (forte agirones, id est ardeas) & multas similes aues, scilicet anates, anseres, corniculas, & ferè omnes aues in quas emittuntur: nec non cuniculos, lepores paruos & magnos: licet eos sine auxilio canum retinere nequeant. feriunt etiam capreolos paruos, & eos impediunt adeò quòd canes eos capere possint, Crescentiensis. Accipiter mas rapere potest leporem qui ad dimidium corpulentiæ suæ peruenerit: fœmina uerò etiam adulto lepore potitur. Vidi ipse felem satis robustam ab accipitre capi. Iucundum sanè aucupium est omne genus auium per accipitrem uenandi, sed sumptuosum atq; laboriosum, Stumpfius. Accipitres ut & falcones auium etiã maiorum genus omne capiunt, nempe grues, ardeas, anseres, tardas, & reliquas, Tappius. ¶ Si uis ut auis tua lepores aut cuniculos capiat, doce eam in iuuentute, & gyros liga in cruribus eius prope pedes interiecto spatio palmæ, quæ sit distantia cruris à crure. sic enim sine læsione capiet, Albertus. ¶ Iustæ magnitudinis accipitres & integræ ætatis cum uulpibus pugnaciter certare aiunt, & sæpenumero contra aquilas & uultures pugnare, Gillius.

¶ Accipitrum genera diuersa, siue institutione tantum, aut cõsuetudine & uenandi modo, siue etiam specie differentia, infra seorsim describemus.

¶ Quiescente etiam accipitre aues capiuntur, (ut Oppianus lib. 3. Ixeuticorum docet,) res mira uisuq́ iucunda. Auceps accipitrem circa aliquem arboris truncum deponit, (alligat.) Huius conspecti metu auiculæ sub frondibus se occultant, & timore astricti, tanquam homines in itinere cum subito apparuit latro, nullam in partem prouolare audent. Tum auceps sic perturbatas & attonitas paulatim ab arbore detrahit.

¶ Germani peculiaria quædam ad aucupium per aues rapaces pertinentia uocabula habent. nam nidos eorum uocãt **geſtend**, id est stationes. Captæ induuntur capitijs, **Sy werdend geheubt mit reuſchhuben: vnd wann man ſy anfacht zů tragen werdend ſy erſt recht geheubt.** Vincula pedum calceos nominant, **Jre gfeß heißt man geſchuech.** Lora breuiora, **wurffriemen**: longiora, **Das lang gfäß.** Manui aut conto insistere non insidere dicuntur, **Sy ſtand vff der hand oder ſtangen/vnd heißt nit geſeſſen.** Institui dicuntur, non mansuefieri aut cicurari. Inuitantur & pascuntur in reuocatorio, **Man lockt vnd ätzt ſy vff dem lůder**, Galli loirre nominant. Turundis è stupa aut alia materia ingestis uesperi interdum purgantur, **Man gibt jnen zů zeyt gegen abent zů werffen/das iſt vff grob Tütſch ein gwell.** Volantes ascendere dicunt, **ſtygen.** Cum accipiter

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 64 sur 825

captam à se perdicem aufert deducere dicitur, Wann der habch ein veldhün hinweg fürt/heißt es geleitet. Ardeas uel anates superne alternis feriunt, & rursus uolant, (sed hoc falconibus propriũ puto:) Sy schlahend die reiger oder antuögel von oben herab/ ye einer vmb den anderen/vnd flygend dann wider. Super præda quam ceperint pascuntur: Wann sy ichts fahen/ werdend sy vff dem das sy gefangen abgericht vnd geätzt. Si uerò nihil ceperint, inuitatæ & uocatæ ad reuocatorium pascuntur: So sy aber nichts gefangen / lockt vnd ätzt man sy vff dem lüder. Alas earum appellant schwingen: dorsi partem superiorem inter alas, das tach. Cum aberrarunt, in aliam regionem feruntur, & breui quidem tempore multa miliaria emetiuntur: Wann sy irr werden/ fallend sy ein ander land yn/kurtzer zeyt vil meylen. Accipiter uenatori familiaris & ad uenationem promptus redditur, Der habch wirdt lock oder bereit. Cum aucupem uolando sequitur accipiter, hoc nostris priuatim dicitur gerihen. Aucupium, aut uenationem potius, per aues rapaces exercere, beitzen. Reuocatorium uocat Albertus, quod Germani, lüder, Galli simili uoce loirre & rapel. Conjicio autem uocem Germanicam factam à uerbo laden, quod est inuitare. inuitatur enim accipiter cicur cibo porrecto, & alta uoce aduocatur, ut ad manum redeat instrumentum reuocatorium dictum tenentis uenatoris: cui aliquando etiam alæ adduntur, ut accipiter eminus uidens auem esse putet. Sed utuntur hoc uocabulo aucupes etiam de alio instrumento, quo accipitrum genera fera ad escam propositam inuitantur, ut laqueis aut uirgis uisco illitis circà escam capiantur. Ponitur autem esca aliquando inter quatuor parietes, & aliàs de mortua, aliàs de uiua aue, ut cum ulula uel noctua exponitur. ad noctuam sanè auidius feruntur quàm ad ululam accipitres. Escam huiusmodi de uiua aue nostri peculiariter nominant rür oder fürlaß. Mouetur enim à uenatore, ut accipiter ex motu eam uiuere animaduertens, promptius ad eam descendat, mouere autem nostri rüren dicunt.

¶ Auem rapacem cui penna una aut plures fractæ sunt, Galli nominant halbrenè, Robertus. Vt pennæ accipitris deficientes crescant, inuolue eum solerter, & caules pennarum (οὗς καυλίσκους πτερῶν) pinguedine ursi inunge, & statim enascentur pennæ, Demetrius. Vt pennæ accipitris teneræ citò alantur, radices rubi in uino ad tertias decoque, & foramina inde madefacito, Idem. Sed remedia plurima ad pennarum uitia diuersa tradit Demetrius à cap. 147. usq; ad cap. 162. Multa etiam eiusdem argumenti in Gallico Tardiui libello, & alijs recentioribus leges: nempe quomodo pennæ fractæ siue ab una parte, siue utraq;, solidentur: uel distortæ tantum aut curuæ, dirigantur: uel omnino amissæ reparentur: uel inuiscatæ, uisco liberentur. ¶ Si pennam fractam sine dolore extrahere uolueris, accipe sanguinem grylli (seu gliris) uel sanguinem muris, & unge locum pennæ, & cadet. Tum melle per decoctionem ualde densato, fac uirgulam ad modũ foraminis in quo penna inhæsit, & insere foramini, & enascetur noua penna. Item succo papaueris calido perunge pennas eius, & intinge cibos eius in eundem, Albertus.

¶ Vngues fracti ut reparentur, ex Tardiuo. Si unguis in aue fractus fuerit aliqua ex parte, ungatur pinguedine serpentis & crescet, ita ut eo commodè uti possit non minus quàm cæteris. At si totus fractus est, & sola pars tenerior relicta, fac digitale (ut uocant) id est tegumentum digiti è corio, quod pinguedine gallinæ implebis, & digito cuius unguis fractus est inserto, corioq; alligato, alternis diebus inspicies, donec pars tenerior indurata sit. Quòd si propter unguem uiolentius fractum caro sanguine manet, impositò sanguine draconis trito cohibebis. Si digitus tumeat, perungatur pinguedine gallinæ, oleo rosaceo & uiolaceo, cum terebinthina trita & mastiche. Cæterum quomodo reparetur unguis amissus, & quomodo emendetur is qui in rectum nascitur, non aduncus, docebimus infra in capite de uitijs pedis, Hæc Tardiuus.

¶ De purganda & extenuanda aue. Ineunte autumno accipitrarij saginam auiarij medicamentis exinaniunt, (extenuare id appellant, quod nostri exagitare dicunt,) rursusq; ad prædam instituunt; inedia perdomitant, inditis in os stupeis turundis auiditatem eorum ludificantes, simul sic euocatis excrementis uolaciores reddi affirmantes, simul famem irritari, atq; ita ad obsequium redigi. Hyeme etiam ad gelu sub dio nonnullos alsisse iuuat, nonnulli si alserint continuò inhorrescunt & morte periclitantur reiecta ingluuie. In omni genere ueterani difficilius extenuantur, & minus uolucres sunt, sed ad prædam solertiores & minus obnoxij. terram enim uolatu stringentes, deuolantem auem excipere nouerunt, aut angustissimis finibus latebram eius circunscribere ne uenatores aberrent. Tyrones ut uolaces, sic errones & expatiatores, Budæus in Pandectas. Nostri turundos illos è stupa uel plumis factos uocant ein gewell, à rotunditate ut conijcio. formantur enim instar pilulæ uel oliuæ. Solent autem eos accipitribus & falconibus sub noctẽ dare, quos illi postridie mane aluo reddunt. quòd si siccos reddiderint, signum est sanitatis: sin humidos & uiscosos, morbi. quare sæpius hoc purgandi genus in eis repetitur, nisi nimium macri fuerint, Tappius. Pluma quæ datur falconi, fit è pedibus leporis aut cuniculi: uel è lana xylina, uel è plumis quæ reperiuntur super articulo alarũ gallinæ ueteris, Robertus. Turundi interdum dari debent accipitri, ut ingluuies eius & intestina purgentur ab excrementitijs humoribus qui illic ex auibus deuoratis colliguntur: nec alius postea cibus detur donec turundos reiecerit. Quòd si nimis parum forte sumpserit, & nihil reiecerit, iterum aut tertio dabis: & tandem plumas simul omnes reddet. Si post mutationem pennarum, uel post hyemem, uel postquam accipiter diu sine exercitio manserit,

præsertim

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 65 sur 825

præsertim in abundantia cibi, plumæ uiscosæ & sordidæ reddantur, purgandus est hoc modo. Lardum ad quantitatẽ articuli extremi in digito, id est tertiæ partis digiti, in quatuor partes dissectum, misce & subige diu cum pipere trito, sale usto & modico lateris usti: & accipitrem leniter tene donec hoc remedium in gulam ei inseratur. Deinde manu eum excipe, & ingluuiem ac guttur eius frigida consperge, ne statim reiiciat. Tum in locum purum depone, & uidebis excrementa multa ab eo reddi. sic uacuatus per horas sex ieiunet, quibus exactis modicum carnis recentis ei dato, uel oua butyro mixta, Tappius.

¶ Rursus ex eodem. Accipiter præter turundos, alias quoq; sex ob causas cibum reiicit. Prima est, cum ingluuies eius offensa uel allisa fuerit. Altera, cum uena aliqua uel neruus ex animali quod uorat, linguæ eius implicatur. Tertia, cum pastus ante tempus datur, nimis cito scilicet à præcedente pastu. Quarta, cum nimio cibo repletur, ita ut uincere illum & cõcoquere nequeat. Quinta, cum cibum prauum aut putridum edit. Sexta, cum uentriculus crudus & ineptus concoctioni est, Tappius: à quo etiam petes remedia aduersus hæc omnia singillatim, ex cap. 55. libri eius de aucupio per aues rapaces. ¶ Cura (sic Gallicè uocat purgationem per turundos) fieri debet è pluma, aut paruis auiculis contusis, aut è pedibus cuniculorum leporũmue fractis, ita ut ungues & ossa demantur. E lana xylina turundus improbatur. lædit enim & urit pulmonem, unde auis moritur: & maximè cum lana xylina non fuerit lota. Nam si alia supradicta desint, lana xylina uti licebit per diem unum in aqua macerata. Tempore igitur purgationis quotidie dabis aliquem turundum, siue de lana xylina (ut dictum est,) siue de pluma, siue de carne lota, si nihil obstet. Turundus ex aliquo prædictorum in aqua maceratus & lotus, intestinum auis egregiè dilatat, & siccat humorũ in aue redundantium copiam. Cæterum mane reiectus ab aue, si sit purus, nõ siccus tamen, & sine malo odore, bonæ ualetudinis signum est. Fimus auis debet esse purus, albus & clarus, & nigredo in medio eius bene nigra. Idem si glutinosus sit, & digito attactus adhæreat, bonam concoctionem & sanitatem auis indicat. Humidus, putidus, & crassus, phlegma & cruditatem. Auis diutius retinet turundos nec facile reiicit, cum in corpore eius caro superflua fuerit, aut pustulæ, aut humores nimij. Quòd si tremat super manu, signum id est turundos adhuc retineri. quare non pasces eam donec reiecerit. & nisi eodem die reddat, cura saltem ut reddat postridie, hoc modo: Pinguedinẽ lardi aqua bis aut ter ablutam, recenti semper affusa, cum pauco sale & pipere trito, formabis in catapotium, quod auis deglutiat. Tum obserua quidnam reiiciat, & nisi turundos illos reiecerit, accipe quicquid ab eo reiectum est, idq; contusum & panno inuolutum aui olfaciendum præbe. tunc enim turundos reddet. Vel aliter, da ei magnitudinem fabæ de duabus aut tribus fibris radicis chelidoniæ bona carne inuolutam, ad cælandam eius amaritudinem. Deinde auem Soli aut igni expone, & nisi turundos reiiciat, pascito eam uesperi coxa gallinæ calida & saccharo condita, Tardiuus.

¶ Si auem quolibet tempore purgare uolueris, & appetitum ei excitare, & bonam aluum reddere, sic facies: Octauo aut quintodecimo quoq; die, da ei pilulam unam ex illis quas communes uocant, aut magnitudine fabæ aloën citrinam inuolutam bona carne ad cælandam eius amaritudinem. Tum inducto capitio pones eam in locũ calidum aut ad Solem uel prope ignẽ, ubi per duas horas eam relinques, ut aluus interim ei deijciatur. Et cum aloën siue pilulam reiecerit, (neq; enim tam cito liquescit,) acceptam serua in aliud tempus. Auem deinde manu exceptam bono & uiuo cibo nutries, ut ab infirmitate ex purgatione acquisita reficiatur. Aloë quidem hoc modo exhibita uesperi, uermes etiam de corpore auis egregiè educit. Et pilulæ iam dictæ (communes) ab aue deglutitæ initio Septembris similiter contra uermes prosunt, & cõtra alios auium rapacium morbos. Sed debet hoc remedium pro auiũ diuersitate augeri minuiue. Accipitri enim minus dabis quàm cæteris rapacibus, excepto nisu cui minimus modus conuenit. Vel aliter, Pinguedinem lardi suilli per diem unum in aqua recente macerati, aliquoties mutata, saccharum, piper tritum, aloën, & medullam, pari singulorũ quantitate, unde tres quatuórue aut plures pilulas effingas pro iudicio tuo, permisce, & inde unam aui dato mane. Deinde Soli aut igni exposito, neq; ante duas horas pascito: quibus elapsis, in cibo ei conuenient gallinæ, auiculæ, & mures maiores minoresue, in paruas buccellas dissecti. Tum uesperi cum ingluuies reducta seu imminuta fuerit, dabis ei quatuor aut quinq; semina caryophyllorum trita & bona carne modica inuoluta. Cum uerò prædictis pilulis usus fuerit, & humores ab eis commoti, palatum & nares bono aceto cum pipere trito semel asperges: & postea si opus sit, aqua in nares inspirata eam refrigerabis: Et Soli igniue expones. sic enim humores capitis & omnem aliam ægritudinem eijciet, Tardiuus. ¶ Vt uenter & intestinum auis amplientur, præbe ei cibum leuem qui nocte una aceto maceratus sit, & eundẽ cibum sacchare condi aut melle despumato: aut aqua saccharata eam potato, Idem.

¶ Diebus xx. antequam includas accipitrem, alternis diebus hoc medicamentũ ei dabis purgationis gratia: Oui uitellum cum pauco melle & æquali rosaceo oleo misce, & intincta in eo carnis recentis partes (buccellas) tres, edendas accipitri præbe. Deinde cum iam propè fuerit tempus ut includatur, tribus aut quatuor diebus ante, ouillum cerebrum adhuc calẽs quotidie ei in cibo da bis, Demetrius. Quod si accipitrem omnino laxare & (uentrem eius) soluere uolueris, sume illam quæ radix uocatur, & quæ nulla adhuc uena pullulet, & uiridem scinde in tres partes ad quantitatem auricularis digiti, & acue utrunq; (singulum è tribus) ad modum grani hordei, & inuolutum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 66 sur 825

butyro edendum da, & ipſum Soli expone, & laxabitur, Albertus.

¶ Ad conſeruandam auis ſanitatem quatuor hæc neceſſaria ſunt, in eſca trahenda exercere, humidam reſiccare, purgare, & lauare. Sed de purgationibus & balneo alibi diximus. Quod ad exercitium eſcæ trahendæ, fac ut circa carnem neruoſam laboret mane, & ueſperi antequam paſcatur, & antequam ad prædam euolet inter expectandum. Si plumæ carni inhæreant, uide ne illas deglutiat interdiu: ueſperi uerò nihil eſt periculi. Et quanquam aliqui trahendo eſcam lumbos eius lædi exiſtiment, ipſum tamẽ exercitium ei prodeſt. Porrò humectam reſiccabis ad Solem uel ignem. ſecus enim periculum erit morbi alicuius, ut rheumatis, aſthmatis, uel alterius. Siccatam in locum ſiccum & calidum pones: & perticæ, cui inſiſtit, molle aliquid impones, ut pãnum uel aliud, pedes recreandi gratia. Sæpenumero enim inter uenandum pedes ei læduntur, rumpuntur, aut nimium calefiunt. Quam ob cauſam defluentibus in pedes humoribus generari poſſent qui clauí aut gallæ uulgò uocantur, & podagra ac tumores: quæ quidem affectiones noxiæ & difficiles curatu ſunt, Tardiuus. ¶ Vt accipiter integra ſemper ſanitate fruatur, nec uiſcera eius reſtringantur, (exiccentur,) caules & ramos maluarum coque in aqua donec tota conſumatur. Deinde ſiccatos contere diligenter, & in aliquo uaſe butyri pleno coque diu, deinde cola inſtar ceræ, & de pinguedine illa paſce accipitrẽ per interualla, quam ſi refutârit, admiſcebis illam carni felinæ. Aliud: Rutam, ebulum, maluam, ſerpillum, rorem marinum, (& illum quàm cætera copioſiorem, aut eius loco ſauinam,) & adipem porci qui nunquam guſtârit glandes, ſimul trita in uino coques, & exprimes tan quam ceram, dabiſq; in cibo accipitri ueſperi uel per noctem, Albertus.

¶ Conuenit aliquando etiam balneo uti auem rapacẽ tum ſanitatis gratia, tum ut melior promptiorq; ad uolatum fiat. Interdum enim potũ uel aquæ uſum deſiderat, ut cum iecinore reliquóue corpore incaluit, refrigeratur autem aqua. Quin & animoſior manſuetiorq; balneo reddítur auis. Sæpe igitur id ei adhibebis, uel quarto quoq; die. nam ſi ſæpius balneetur, ſuperbior & fugitiua fit. Quum balneo eam adhibes, ligno ſicco impone. Aqua uerò ſit pura, & omnis ueneni expers. A balneo paſces eam alimento uiuo, ut pipione aut auiculis, cui parum ſacchari aut theriacæ addes, & ſimiliter in nares auis (theriacam indes.) Quòd ſi falco à balneo ſeipſum fricet & ungat, non ſine periculo tangitur. halitus enim tunc ei uenenoſus eſt, & pedes quoq;. Quamobrem geſtaturus eam, manum ualida chirotheca, ne lædatur, munies. Lotæ non dabis carnem madefactam. Si uis ut ſtatim à balneo uolet, aſperges eam aqua pura. Quòd ſi auis infecta fuerit ueneno ex balneo aquæ uenenatæ per ſerpentem aut aliter, theriacam admixtis tribus granis iuniperi tritis deglutiendam dabis, & per octo dies balneo eam abſtinebis, & paſces eam carne felina cui aloën tritam inſperſeris, Tardiuus.

REMEDIA AD DIVERSOS ACCIPITRVM MORBOS, VAGOS PRIMVM uel toti corpori communes, deinde ſingulis partibus peculiares à capite ad pedes.

Albertus remedia aſturum, accipitrum, falconum & niſorum, ſeparatim tradit: deinde communia quædam ſubiungit: & ubi de cura accipitrum docet, eadem ad falcones quoq; referri poſſe, ipſe inſinuat. Græci quidem accipitrum curam & remedia in genere nobis propoſuerunt, ita ut omnia facerent communia. Ego, ut reprehẽdi minus poſsim, medium quendam modum ingrediar, ita ut neq; ſingulorum remedia ſeorſim conſcribam, quod prolixius foret, & multa forſan repetenda: neque tamen ita confundam, quin ſi quæ alicui generi magis peculiaria uidebuntur, prout recentiores ſcriptores docuerint, admoneam. Et in illis quidem quæ de accipitre dicentur, non opus erit accipitrem nominare: falconem uerò, aſturem, & niſum, prima ſaltẽ ſyllaba indicabimus. Hoc etiam non tacendum, remedia quæ apud Albertum, Creſcentienſem & Beliſarium inueni, omnia hîc ad uerbum ferè commemoranda: quæ uerò Græci habent, & Tardiuus Gallicè, & alij alijs uulgaribus linguis conſcripta, breuitatis cauſa omiſi: niſi quòd communiora quædam, hoc eſt ad morborum in accipitribus curam in genere pertinentia, ex Græcis tranſtuli. ¶ Ad morbos accipitrum in genere & incertos, ex Demetrio Conſtantinop. Quibus ſignis deprehendatur internus accipitris morbus, & unde proueniat, & quomodo curetur. Si accipiter in manu inſiſtens aut pertica, crebrius reſpiret, & eam deſerendo tardius euolet, parumq; edat & triſtior uideatur, & ſimum nigrum craſſumq; excernat, præſertim poſtquam carnem recentem & puram ſumpſerit: ſciendum eſt hæc ſigna (atq; ſymptomata) morbi alicuius nuncia eſſe, fieriq; à craſsis humoribus in uentre nondum colliquatis, & à carnibus putidis, uel herbis nonnunquam quas accipiter roſtro euulſas deuorârit. Itaq; curabitur hunc in modum: Dabis ei portulacam parum contritam & butyro permixtam cum carne ouilla calida. Aut rutæ contritæ cum uino uetere cochlearia tria quotidie, & liberabitur morbo, Demetrius cap. 101. ¶ De incerto morbo accipitris. Si accipiter in uenatione nihil guſtare uelit, interno aliquo morbo affici eum non dubitabis. Illi medeberis dando mel ac butyrum cum carne calida. Sed optimè feceris exhibito ei pipione calido. Nam cibis calidis uti (τὸ θερμοφαγεῖν) omnibus ferè antidotis præferẽdum eſt, Idem cap. 102. ¶ Pro accipitre triſti & negligente (prædam.) Butyrum recens, & arſenicum coccinum, & ſandaracham, ea quantitate quæ ſubtripla ad butyrum ſit, commiſce, & cum carne recente accipitri dato. Aliud. Si accipiter macilentus fuerit, ac triſtis, plumisq; horrens, ita curabitur; Columbam pridie potabis aqua mulſa, deinde accipitri in cibum offeres,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 67 sur 825

offeres, Demetrius cap. 103. ¶ Ad morbos latentes, & ictus interiorum. Styracis primarij scrupulus dimidius: butyri recentis, medullæ ceruinę, utriusq; uncia. mellis boni & olei Hispanici quantum satis est. hæc simul ad ignem leniter calefiant permisceanturq;, tum refrigerata in cibo dentur cum carne, aut in pellem muris iniecta, & sanabitur accipiter à morbis internis. Aliud. Ouillum cerebrum cum rheo Pontico trito cribratoq; ei dabis. Aliud. Columbam defruto potatam per diem relinque, deinde accipitri uiuam obijce. Aliud. Mellis & olei Hispanici ana cochlearium, & album oui liquorem, in uase aliquo permiscens, trita inspergito, salis Cappadocici, nitri ana scrupula duo: & carnem minutatim incisam adde, datoq; accipitri, Idem cap. 104. ¶ Astur, id est accipiter maior, ijsdem morbis obnoxius est quibus minor: eodemq; modo curatur. Est tamen ualidior natura, quamobrem non facile ægrotat aut moritur: & non requiritur circa eum tanta diligentia, & sic non facile accedit ad omnes, Crescentiensis. ¶ Si cauteria aui rapaci adhibenda uideantur, prima inustio (ut ueteres Græci docent) fiat sub lachrymali (interiore angulo) oculi. hæc enim prodest uisui. Secunda in summitate oculi, utilis capiti. Tertia supra nodum alæ, aduersus guttam. Quarta in planta pedis, contra guttam crurium. Vtiliora autem erunt omnia cauteria, si mense Martio fiant, Albertus.

¶ Ad uulnera uel puncturas auium. Si uulneratus sit falco, album oui cum oleo impone, & caue ne locus læsus aqua madefiat: & cum hoc epithema mutare uolueris, ablue locum uino calido: & sic facere pergas donec locus læsus acquirat crustam qua uulnus claudatur. Si autem uulnus ipse falco tetigerit, impone aliquantulum aloës. Quòd si forte uulneratus fuerit sub ala, uel in pectore, uel in costis, uel in coxa, immittatur stuppa crassa bene trita cum cultello donec mala caro corrodatur: postea misce thus, ceram, sepum & resinam, partibus singulorum æqualibus, ad ignem. Hoc unguentum serua, & cum opus fuerit, ad ignem liquefactum inunge cum penna, donec uerruca (crusta) claudatur uulnus. Quòd si caro mala excreuerit, immittatur urtica Græca, uel uiride æris (ærugo,) donec erodatur. Tum unge locum unguento albo, & sanabitur, Albertus & Belisarius. Cum autem caro superflua iam corrosa est, ex cerussa cum oleo rosaceo & exiguo camphoræ, uulnus inunges, Belisarius. Si mala (superflua) caro alicubi in falconis corpore creuerit, accipe calchiam (forte cadmiam) & aloën æquis partibus, & trita impone, Albertus.

¶ Si os in crure uel alibi fractum fuerit, aloën calidam superilliga, & per horas 24. relinque. Vel stercus galli in aceto decoctum superliga, Idem.

¶ Si nascentias astur habeat, sanguisugas mitte in eas, & postridie illine lac arboris quæ celsa siue ficus fatua dicitur: & demum accipe radices herbæ quæ brancha lupi uocatur, quas contritas impone nascentijs cum lacte celsæ, & relinque per tres dies & tres noctes. Deinde accipe radicem caudæ porci, & decoque, auiq; in potu dato mane & uesperi, nouem diebus ad tres fabas, Albertus.

¶ Si scabiosus sit accipiter: Axungiam ueterem, sulfur & argentum uiuum tere simul cum aliquot caryophyllis & cinnamomo. Inde perunge scabiem ad ignem uel in balneo, Idem. ¶ Si falco sepedibus pectit, & scalpit, & pennas de cauda uellit, prurítu laborat, & hunc in modum curari debet. Fimum anseris & ouis cum aloë miscebis, in acetum acre infundes in uase æreo, insolabisq; per triduum: uel si calor Solis desit, ad ignem lentum coques. Inde totus falco lauetur (balneetur,) & carne columbina pascatur cum melle & pipere, & collocetur loco obscuro, idq; fiat per nouem dies. Et cum apparuerint pennæ meliores de cauda enascentes, lauetur aqua rosacea & sanabitur, Albertus.

¶ Est quando alas non bene sustinet auis, quod contingit, quum nuper manu gestari aut pertice imponi cœpit, nec prohibita est irrequieto motu calfieri, unde postea refrigerata alis languet. Tenebis eam igitur supra aquam & intrare compelles, ita ut dum luctatur super aqua, alas eo motu ad statum naturalem reducat. Postea Soli aut igni eam expones, & curabis ut loco calido maneat ne refrigeretur. Aut per triduum urinam in alas auis emittę, & efficies ut probè sustineat, Tardiuus.

¶ Si alæ extra febrem pendulæ fuerint: sanguine anseris eas ad Solem perfrica: adipem uerò anseris edendum dato. Vel potius oleo laurino, alis eleuatis, axillas ei inunge, & fel suillum alis illine: & cibum eius succo uerbenæ uel saluiæ intinge, Albertus. ¶ Si alas guttosas (arthriticas) habuerit, hederæ terrestris in aqua coctæ folia bene contusa, alis eius circa latera circumliga: & cibum eius in eandem aquam intinge, Idem.

¶ Contra tineas asturis: Millefolium tritum & fimum anseris subige cum aceto, & post tres dies succo per linteũ expresso, loca tineis infestata illine, præcipuè in alis & cauda. Demum ferruginẽ tritam alis & caudæ asperge tribus uicibus, altero quoq; die semel, Albertus. Contra tineas quæ falconum pennas consumunt, (quod cum macrescunt euenire plurimum solet, Belisarius.) Cera rubea muscata, myrobalani, salgemmæ, gummi Arabicum & grana tritici, in acri aceto per dies nouem macerentur in aliquo uase. Tum repones acetum in ampullam, & quotidie inde lauabis falconem aliámue auem rapacem, donec sanata uideatur. Tum ablues aqua rosacea auem, & Soli exponeres. Pones autem singulorum de prædictis partes æquales, ceræ uerò amplius, ut omnia continere possit. Sunt qui iubeant tineas cum acu de corio extrahi, & deinde cum aloë locum affectum lauari: demum aqua rosacea ablui. Cauebis autem ne rostro se tangat, quandiu aloë inhæret, hoc enim ei noxium foret, Idem. Rursus contra easdem. Balsamum purum, in foramine de quo penna ex-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 68 sur 825

cidit immitte, sic tinea remouebitur, & penna noua subnascetur. Aliud, Croci orientalis triti unciam, luti, fimi anserini recentis per pannum colati cochlearia tria, & totidem aceti acerrimi permisce, & in uase æreo tandiu relinque, donec cum flore ipsius ad spissitudinem redigantur. Deinde per tres uices loca ex quibus pennæ exciderunt aceto puro diligēter lauabis, & cum illis (alijs prædictis) loca perungantur. Aliud, Pauonum pennas super fumum ignis pone, & de adhærente eis fuligine fiat puluis, æqua portione miscendus cum sanguisugis ustis super tegulas. hunc puluerem acri aceto subige, ita ne admodum liquidum fiat medicamentum. Deinde locum unde pennæ excid derint acri aceto laua: postea lardi segmenta intinge in medicamentum præscriptum quousq; adhæreat, & locos affectos bis per hebdomadem inunge donec pennæ recreuerint, item equi pilos longos contritos tenuissimè, carni qua falconem ales insperge. Item pyretrum tritum cum raphani succo & acri aceto misce, & tineas inde perunge. Aliter, Vstum bufonem, aui edendum præbe: uel ferri scobem carni qua pascitur insperge, Albertus.

¶ Substitiosus accipiter in pennis uaria signa defectus (morbi) producit, quæ hunc grimal (sic habet codex impressus) Germanicè uocantur. Procedit sanè hic morbus ab interioribus corruptis: & est corruptio maximè in radice pennarum. Fiat igitur miscela de fimo humano, quod uim theriacæ habet, & sale: in qua intingantur plumę accipitris: & immittatur etiam aliquid eius in fundamentum pennarum ubi carni infiguntur, & sanabitur. Deinde aquam bibat, & caro qua cibandus est intingatur in succo semperuiui. Item maluā & satureiam cum adipe porcino diu coctas in os accipitris immitte, donec inde tria cochlearia consumas. Postea dabis ei integrum fel porci uel pulli cum calido porci pulmone, & quotidie mane ieiunum potabis aqua donec sanetur: uesperi uerò cibabis eum butyro, Albertus. ¶ Ad excæcationem pennarū: Acu solerter aperies pennam excæcatam, & oleum cum butyro æqualiter mixto infundes, Demetrius. ¶ Si accipiter pennas fregerit, incide aliam pennam similem, & fractæ inseras. Si autem fregerit pennam, in concauo harundinis (caulis) pone aliam accipitris pennam: uel si desit alia, cornu in illam insere cum acu ferrea uel cuprina in medio quatuor angulos habente, ita quòd ex ambabus partibus acuti fiant; Sed hæc facere usu & experientia melius quàm ex scriptis discitur, Albertus.

¶ Accipiter aliquando corruptis humoribus pediculos patitur, Albertus. Crescentiensis aduersus sexcupedes (pediculos intelligo) accipitris, iubet eum inuoluí panno madēte succo marellæ (id est parthenij) uel absinthij; & sic relinquere in Sole ab hora matutina usq; ad tertiam. Ad pediculos in auibus rapacibus. Succo decoctóue absinthij auis plumas corpusq; totum ad Solem perfunde, Albertus. Cōtra pediculos: Mentam Romanam tritā misce uino acri, & adde saxifragam: & si aër serenus calidusq; fuerit, in hoc liquore balneetur. Si uerò turbidus & frigidus, adipem gallinæ in eum impone, & relinque super fimo per noctem: & postridie unge asturem in alis, & in dorso super caudam, Idem. Pediculi in falcone hoc remedio perimuntur: Argentum uiuum salíua humana extinctum cum axungia uetere misceto. hinc inunge caput falconis, & filis intinctis collum eius circuniliga. Vel piper cum granis sesami tritum coque in olla noua superinfusa aqua, & hoc decocto auem lauato. Vel coque saxifragam in aqua, & permitte eam balneari. deinde substerne ei linteamē album super gramine uel lapide, sic omnes pediculos in linteū excutiet. Et hoc remedium cōuenit omnibus auibus rapacibus, Alber. ¶ Contra aculeos siue punctiuras acutas asturis. Setas porcorum minutatim incisas carni qua uescetur insperge per nouem dies. Deinde succo trifolij carnem edendam ei perfunde, Idem.

¶ Si accipitrem uolueris macrum fieri, da ei allium tritum cum pulegio, uel carnem macram de perna salsa, quæ per noctem in aqua macerata sit, comedat, & postea quater aquā bibat, sed caue ne defectum & pusillanimem reddas, Albertus.

¶ Patitur aliquando maciem nimiam: & tunc humido naturali destituitur, ac pennæ eius contrahunt maculas quas famis signa appellant: & tunc etiam pennæ franguntur facile, & uolatum continuare non potest, & amittit audaciam. ideo non nisi parua insequitur, & uociferatur multum, & semper ad dominum redire desiderat, Albert. Ad nimiam maciem auis. Macra & languida auis fimum excernit nec album neq; nigrum, sed medij coloris & fuscū. Hanc ut restaures, ueruecum, murium, rattorum, aut auicularum carne pascito per buccellas paruas. Aut in fictili nouo circiter duas aut tres libras aquæ decoques cum cochleario mellis, & tribus aut quatuor cochlearijs butyri recentis: tum in hoc decocto tepido madefac & laua carnem porcinam, quam aui bis quotidie in cibo dabis buccellis minutatim diuisam. Aut quinq; uel sex limaces (qui inueniuntur in uineis, aut in herbis cum alijs tum fœniculo) per noctem macerato in lacte uase operto ne euadant, & postridie mane perfractis testis limaces lacte recenti ablue, absterfosq; aui in cibū præbe. tum auem Soli igniue expone donec aluum quinquies aut sexies exonerârit: quòd si calorem bene ferat, utilis ei fuerit. A meridie uerò cibo bono & minutis buccellis pascatur, & loco calido siccoq; collocetur. Vesperi quum ingluuiem remiserit, dabis ei caryophyllos aromaticos, ut scriptum est supra in Capite quod inscribitur, Si auis non bene deglutiat, &c. Tardiuus. ¶ Si accipitrem obesiorem desideras, pasce eum frequenter carne anseris & palumbium, Albertus. Et rursus, Relinque eum per plures dies ociosum, & da ei lumbum porci, & carnem gallinæ pinguiū: Et semper ab uno homine pascatur, & qui gestat eum ferat in equo ambulante; & sæpius pascatur cerebro ueruecis uel arietis.

¶ Si

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 69 sur 825

¶ Si fascinatus putetur astur, accipe fungum de myrto, thus, asphaltum, & palmã benedictam, (aquifolium intelligere uidetur:) Hisq; omnibus testæ impositis auem suffito, Albert. Cum fascinatus fuerit falco, ranunculum in puluerem redige, quem edendum carni calidæ asperges, Idem.

¶ Falconem à balneo caue ne supra lignum putridum colloces, ne ueneno inficiatur. Si autem ueneno infectus fuerit, theriacam cum tribus granis piperis contritis lapide dabis ei, & per nouem dies eum custodies, tunc iterum dabis theriacam, & piperis grana combures in testa, & puluerem insperges carni qua pascetur, Albertus. ¶ Si quod animal (uenenatum) falconem momorderit, oportet quòd deplumetur locus, & si morsus nimis exiguus est, augeatur uulnus cum nouacula, & mox ungatur butyro calido: postea uerò unguento ex thure, resina, sepo & cera æqualiter mixtis, Idem.

¶ Si accipiter à Sole læsus sit, aquam rosaceam in nares eius immittas, & mel cum carne caprina comedat: & uinum ore contentum in faciem eius efflando expue, Albert. Quòd si dum prædam sequitur læsus fuerit à tempestate, aquam tepidam in scapulas eius effunde, apertis tamẽ prius pennis eius: tum aquæ tantum infundas, ut per lumbos usq; ad pedes eius destillet. At si interiora eius pro uenatione (forte, propter uenationem) infirma fuerint, noctuas calentes adhuc & uespertiliones per triduum comedat: &, si non recuset, tres offas carnis porcinæ intinctas aceto edat. Hoc enim etiam fastidium eius tollit, & contra morbum capitis ac pectoris salubre est, Albertus.

¶ Accipiter febriens tactu erit calidus, & uidebitur tristis: quod quandoq; accidit ex solis spiritibus inflammatis nimio labore, & quandoq; ex humoribus putrefactis in aliqua parte corporis eius. Tunc igitur, si macer est, parum & sæpe cibetur carnibus pullorum & paruarum auium, passeribus tamen, quòd calidiores sint, abstineat. Exhibeantur autem carnes iam dictæ cum rebus refrigerantibus, ut seminibus cucurbitarum & cucumerum tritis, aut lento psyllij similiúmue succo: uel paulisper coquantur in syrupo uiolato & similibus. Accipiter ipse in loco frigido & obscuro collocetur super pertica pannis lineis inuoluta, qui plerunq; succis refrigerantibus madeant, Crescentiensis. Accipiter febriens dignoscitur ex horrore & tremore ac tristitia, Albertus. Ad febrim. Da ei ter uel quater succum artemisiæ cum carne gallinæ. Vel liga ei dextrum crus fortiter, & apparentem in medio cruris uenam subtiliter incide. (Sunt enim quatuor uenę in crure istarum auium, una anterius, altera inferius, tertia exterius magis, quarta posterius super unguem maiorẽ.) Signa autem febris sunt, alæ pendulæ, caput demissum, si uomit (horret potius) quasi frigeat: si cibum absq; causa fastidiat: aut auidè quidem sumat, sed male glutiendo inducat, Idem. Falconis febrientis signum est, si pedes eius ultra modum caleant. Dabis igitur ei per interualla deglutiendam aloën cum axungia gallinæ in aceto forti subactam: aliàs uerò edendam limacem. Hunc cibum si retinuerit, conualescet, Albertus.

¶ De refrigeratione accipitris, uide mox in Cruditate. Accipiter interdum refrigeratur, & cibum concoquere nequit: itaq; tristis est, & tactu frigidus: oculi pallidi & discolores fiunt. Sic affectum tenebis in loco calido, & leniter manu gestabis: & modice aliquando euolare permittes. In cibo carnes auium dabis, præcipuè passerum, & pullorum (gallinaceorum) masculorũ & pipionum, coctas parum in rebus calidis, ut uino, uel aqua cum saluia, mentáue aut samsucho aut pulegio & similibus, inuolues easdem melle, uel tritis seminibus fœniculi aut anisi, aut cymini. Sed caue ne cibum des nouum, nisi omnis ante ingestus de ingluuie descenderit. Quòd si macer est, sæpius pascatur: sin obesus, minus & rarius: ita tamen ut in utroq; habitu modum serues, donec sanetur. Porrò si cibum prorsus non concoquit, & illum omnino retinet, cor ranæ filo ligatum cum penna in gulam eius immitte: & postea trahas filum. sic enim pastum eijciet, ut asserunt experti, Crescentien.

¶ Fellera seu fel uocatur in asture, repletio quædam ex humore corrupto, hoc modo curanda. Fel ursæ ad magnitudinem ciceris impone cordi gallinæ, & hoc eum pasce usq; ad nouem dies antequam in mutam (mutationis caueam) eum imponas. Postea accipe sauinam, rosmarinum, satureiam, betonicam, mentam & saluiam, singula æquali portione, raphani uerò paulò plus. Tritis omnibus modicum mellis admisce. Hoc remedium ieiuno dabis, deinde in mutã impones. Ad idem in quauis aue rapace: Puluerem florum gemmarũ mue salicis cibo eius asperge, Albertus. Contra felleram simul & tineam asturis, accipe conchas testudinum (limacum:) & ranunculos uirides de iubis (forte rubis,) & saxifragiam, saluiam, & folia oliuarum, & spumam poledri (pulli equini) iuuenis quam proijcit de naribus cum nascitur, & fel anguillæ. Hæc omnia mitte in ollam nouam, & ad ignem torre, donec in puluerem redigantur. Hinc mane ieiuno asturi edendam dato partem ad modum dimidiæ auellanæ cum carne pauca: & accipe rhabarbarum & pone in aqua per diem unum, eamq; bibendam offer. Hoc ter facies, altero quoq; die semel, Idem.

¶ Si accip. gutta in articulis alæ uel coxæ laboret, detrahe parum sanguinis de uena quæ sub ala aut coxa est, in qua laborat, Crescentiensis. Si gutta laboret astur: accipe adipes anserinum, ursinum, & uulpinum: & electis de corpore felis uisceribus & ossibus, carnem minutatim incide. His mixtis adde parum ceræ, ladani & xyloaloës, & fac puluerem: item succum pulicariæ maioris ac minoris. Et incide cepam albam, mixtaq; simul omnia in uentrem anseris immitte: & foramine diligenter consuto, relinque per diem. Deinde fac anserem bene assari, & pinguedinem inde defluentem excipe aliquo fictili. Hoc unguento omnibus arthriticis animalibus utili, locus affectus unga-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 70 sur 825

tur, Auicenna. Ad guttam (arthritidem) asturis. Detur ei edenda Aurea Alexandrina instar dimidiæ fabæ uel auellanæ: & die tertio theriaca, Albertus. Quòd si guttæ acris & acutæ fluxio falconem infestat, fimum anseris uel columbæ cum cortice radicis ulmi in aqua decoques donec rubescat, tum permisceatur fimus cum aqua agitando, & inde lauetur falco per triduũ, Idem. ¶ Morbi in renibus & arthritidis (guttæ) signum est, quum saltare aut alis extensis à manu longius se proijcere & ad manum facile redire non potest. Hanc aliqui guttam mortalem (renalem forte) uocant. Accipe igitur grana rubea spinæ albæ, quam Germani nominant hagedorn (id est spinam sæpium:) eaq; contusa & cum pilis leporinis subacta, misce cum carne cocta. & hunc cibum per dies nouem ei præbeto, quem si retinuerit, sanabitur, Albertus. ¶ Est & aliud guttæ (arthritidis) genus, quæ sylera aut nullis (sylera à nonnullis) uocatur. quæ quum defluere incipit per corpus falconis, uenenī naturam refert. Albescit enim rostrum summum, & unguium mucrones. Accipies igitur serpentem nigrum qui tyrus uocatur, & abscindes à capite eius palmum, & tantũdem à cauda. reliquum friges in olla noua, & eliquatam inde pinguedinem colliges, dabisq; falconi calidam cum carne paonis paulatim per dies octo. Deinde porcellum aqua calida deglabrato, & teneram de pectore carnem cum mure paruo edendam dato. hoc si bene concoxerit, de recuperanda eius ualetudine non dubitabis, Idem. Quòd si falco sæpe leuato pede rostro crus percutiat, gutta falsa eum laborare intelliges: curabis autem sanguine exhausto è uena quæ est inter crus & coxam, Albertus.

¶ Quòd si ex capite ægrotet accipiter, raphanum, sauinam, rorem marinum, sambucum, satureiam, mentam, rutam, saluiam, betonicam, singula trita melle excipito, & instar auellanæ edenda dato, Albertus. Si caput falconis purgandum est, picem mundissimam magnitudine fabæ, digitis calefac ad ignem, & postea tandiu cum ea palatum falconis frica, donec ei adhæreat. deinde ex quatuor granis staphisagriæ, & totidem albi piperis subtilissimum puluerem impone super picem palato falconis adhærentem: & id quod de puluere remanet, immitte in nares falconis: & cum Sol bene calidus fuerit, tandiu in Sole auem dimittas, donec omnem sui capitis malum humorem & pituitam deposuerit. tum biduo pasces eam suaui ac dulci carne, Idem.

¶ Ad capitis dolorem in falcone. Huius signum est quòd oculos claudit, & caput huc illuc mouet. Dabis igitur ei lardum cum pipere trito, & diebus alternis aliquantulum aloës cum carne pulli gallinacei. Fit enim hic capitis dolor euaporante uentriculo, qui hoc remedio purgatur. Quòd si oscitatio & pandiculatio siue crebra extensio alarum, in eo appareat, & rostro pedem percutiat, uel contra: signum id est caput malis humoribus laborare: quamobrem torquebis eum stilo argenteo uel aureo ad nares, (ut foramina narium dilatentur,) ut humor effluat: qui cum effluxerit, ungatur tortura (cicatrix) oleo uel butyro, Albertus. Curandum est ne fumo accipitres, néue alia re caput eorum grauetur: quod quidem uel palpebrarum & oculorum clausura, uel lachrymarum defluxu, uel narium constrictione, præsertim accipitre hinc inde caput mouente, cognoscitur. Huic morbo medeberis, (ut ex Alberto iam scriptum est.) Cæterum dilatatio narium cum stilo, etsi perutilis sit, experimento tamen uidemus, accipitres quorum nares sic dilatatæ fuerint, altissimos nimium uolatus auium persequi non posse. Nam uento, qui per dilatata ingredi foramina solet, ne altius ascendant prohiberi eos putamus, Belisarius. Porrò si sternutet falco & aquam è naribus fundat, cerebrum immodicè humidum esse coniicimus. Itaq; tria grana saxifragæ cum totidem granis piperis contrita, & acri aceto subacta, & lana xylina excepta, in nares & palatum eius iniiciantur: & postea cibetur de pullo gallinaceo, Albertus.

¶ Ad rheûma, id est fluxionem in capite auis. Rutam pone iuxta nares eius, & carnẽ qua uescetur in succum rutæ intinge. Item allium contritum cum uino per nares ei immitte, & toto die loco obscuro resideat ieiunetq;, Albertus. Si pituitam (quam quidam pipiam uocant) habuerit, apprehensam eius linguam aperto ore frica cum puluere saxifragiæ melle condito. Quòd si nihil proficias, butyrum ei edendum dabis. Puluis etiam densitate (uox apparet corrupta) caulis ad idem ualet, Albertus. Si pipiat accipiter tanquam ex morbo pituitæ, & clamare uoce sonora nequeat, acu ærea nares eius perforabis, Idem. Si rheuma (nostri ribe uocant) à capite fuerit, staphisagriã cum aqua ardente naribus utiliter inseri audio, sin eiusdem apud nostros nominis affectus in pectore natus sit, sanguinem sub lingua detrahi præsente remedio. ¶ Si ex capite, oculis præsertim, auis rapax laboret, unge sæpius oleo communi, & præcipuè si dolor est in exterioribus oculi partibus, Albertus. Si per senectutem auis rapacis oculus caliget, argenteo uel aureo instrumento ure eam super nares, ubi sinciput in medio oculo medio rostri coniungitur, Idem. Accipitres oculorum hebetudini præ cæteris auibus ita obnoxij sunt, ut etiam curationem huius ægritudinis in promptu habeant, lactucæ scilicet (de agresti intelligo) quam medicinæ gratia rescindunt, liquorem lacteum, Oppianus. Ex lactucis sponte nascentibus rotunda folia & breuia habentem sunt qui hieraciam uocent, quoniam accipitres scalpendo eam, succoq; oculos tingendo, obscuritatẽ cum sensere discutiant, Plinius. Ad clarificandos oculos asturis, accipe dulcem herbam, aloën & cerussam, æquali singula pondere, & cõtunde fortiter: & trita cum oleo & axungia ad ignem liquefac, & misce cum his quæ dicta sunt, ualidè simul agitando. Huius unguenti mane & sero aliquid in oculos asturis impone, Albertus. ¶ Ad dolorem oculorum: Zinziber, thus & aloën, singula pari pondere trita in peluim impone, & uino albo superinfuso per noctẽ relinque. deinde in oculos immitte. Item aloën

& ce-

& ceruſſam æquali portione miſce cum pauco lardo ueteri, quod è lardi medio eraſeris. & ueſperi in oculos auis immitte, Idem. Accipitres aliqui oculorum grauedine laborant, ita ut palpebræ quaſi coeant, Beliſarius. ¶ Si aſtur ſpumam oculis emittit, melancholici humoris illic redundantis ſignum eſt. itaq; ſeſeli montanum & ſemen cicutæ ſuper carbones imponito, & carnes quibus ueſcetur inde ſuffito: & ipſum ſupra hunc ignem paſce, ut fumus in guttur & oculos eius ſubeat. poſtridie dabis ei in cibo aloën inſtar dimidiæ fabæ: & uiridem cicadam ſiue locuſtã, quam ſi uiridem non inueneris, tere ſiccam à te repoſitam, & carni qua ueſcetur aſperge, Albertus. ¶ Ad maculam oculorum falconis. Piper & aloën æquis portionibus trita impone: & ſi per tempus anni pruna ſylueſtria habere poſsis, tres guttas ex illis ſuper maculam inſtilla, multum enim proderunt, Albertus. ¶ Si albugo creſcit interiore parte oculi auis, injice puluerem ſeminis fœniculi cum lacte mulieris maſculum enixæ, Idem.

¶ Si clauſas (obſtructas) nares habuerit auis, per caulem paruæ pennæ in nares eius inſpirando immite puluerem piperis & ſaxifragiæ, Albertus. Vide ſupra in cura rheumatis. ¶ Si quando ſanies è falconis naribus fluit, & ipſe cibum faſtidit, & ſanies mali odoris eſt, fiſtulam eſſe intelliges, quam ſic curabis. Accipiatur poſterior pilus capræ, & axungia, uel (ſi deſit) butyrum: & uena quæ de naribus ad oculos tendit, incidatur, & cum acu ferrea calefacta inuratur uena inciſa ex diuerſa parte quàm ſita eſt fiſtula: & locus quotidie cum butyro perungatur: & falco in loco calido collocetur per nouem dies, Albertus.

¶ Humorem, qui è capite fluens in palatum decumbit, reſtringes, ſi butyrum uetus & chelidoniam æqualiter miſceas, & factum inde puluerem in calida carne des falconi, Albertus.

¶ Roſtrum eius fractum quacunq; ex cauſa, repurgato, & ſi quid computruit reſecato: tum inungito coronam roſtri, primum ſerpentis pinguedine, deinde gallinæ, & iterum creſcet. Deinde quintodecimo aut uigeſimo poſtquam creſcere cœperit die, frange ei roſtrum ſuperius, ut quod inferius eſt melius creſcere poſsit ad modum debitum. Interea buccellis minutatim conciſis eam paſces: aliter enim paſci non poſſet. Porrò diſiunctum roſtrum recludetur, ſi farinam ſubactam & fermento mixtam impoſueris, & reſinam, Tardiuus.

¶ Si collum falconis infletur, ſignum eſt catarrhi calidi. Collum igitur deplumetur, & ſanguis de uena auriculari detrahatur: & rana ei in cibo detur, quam ſi concoxerit, de proſpera ualetudine eius nihil dubitabis, Albert. Quum autem guttur uel arteria aſpera intumuerit, & falco tanquam ſuffocandus reſpirârit, rheumatiſmum patitur, & hoc modo curabitur. Sanguinis pauonis, nucis moſchatæ, myrobalanorum chebulorum, caryophyllorum, cinnamomi, zinziberis, ſingulorũ par pondus accipito: & pilulas formato nouem, de quibus ſingulam quotidie dabis hora tertia, & nona deinde carne murina paſces, Albertus. Accipitres etiam ſtrumoſi fiunt, Idem.

¶ Si præ nimia edendi feſtinatione aliquid in arteriam auis inciderit, tubum oblongum è penna factum, aut è metallo, in arteriam inſeres, exugesq; donec id quod incidit ſequatur. aliter enim periclitabitur auis, Tardiuus. Accipitribus ingluuiem reiecisſe letiferum, quod nonnullis generibus contingit ſi paulò incautius curentur, Budæus.

¶ Auis non bene deglutit, uel ingluuiem non remittit, ſi bucceis maioribus paſcatur: uel ſi nimium præda ſua ſe ingurgitârit, uel ſi refrigerata fuerit. Dabis igitur ei cibum pro una uice modicum, & carnem leuem uino albo tepido maceratam. Veſperi dabis ei quatuor aut quinque caryophyllos tritos, & immiſſos lanæ xylinæ uino maceratæ. calfacient enim ei uentriculum & caput. Quòd ſi bucceam, quam deuorare nõ poteſt, uomitu ab eo reddi uelis, ut liberetur ingluuies ea infarctâ, parum piperis triti in acri aceto macerari aliquandiu permittes: deinde palatum auis hoc aceto collues: & tres aut quatuor guttas naribus immittes. Deinde cum reiecerit quod inhærebat, pauco uino partes dictas aceto inflammatas adſperge. Cauebis tamen ab uſu aceti in aue nimis macra. ferre enim non poſſet. Sed in Sole aut prope ignem ſiſtes, ut bucceam reijciat. Eſt quando auis deglutit quidem eſcam, ſed paulò pòſt reuomit. Hoc ſi acciderit, & quod reijcitur non puteat, dabis ei parum aloës hepaticæ, ita ut poſt ſex demũ horas pauco & bono cibo nutriatur. At ſi puteat quod redditur, halitu auis corrupto, id fit ſi carne craſſa, aut minus pura aut putente alatur. itaque curabis ut caro eius munda ſit, & cultro mundo ſecetur. auem quoq; loco mundo in Sole pones, cum aqua appoſita ad potum. nec paſces eam uſq; ad ueſperam, tum bucceas paruas dabis de carne recente conſperſa uino, aut contrita ſcobe aciei ferri ſiue ſtomomatis, aut ſcobe eboris: hæc enim auis cibum retinent. Quòd ſi ne ſic quidẽ retinuerit, da ei auiculas, mures aut rattos donec curetur. aut in aqua tepida coriandrum tritum dilue: & in aqua illa colata per quatuor aut quinq; dies eſcam aui dandam lauato. Aut folia lauri in uino ad dimidias coquito, eoq; refrigerato columbam potato donec moriatur. eius deinde coxam, aut tantundem quantitate in cibo accipitri dabis, Tardiuus.

¶ Si pulmo uel arteria falconis laboret, ſume fimi paſſeris & muris, lanæ ſuccidę ana unc. j. piperis albi grana quinq;, ſalis gemmei unc. ij. His tritis admiſce mellis & olei puri utriuſq; æqualiter ſex guttas, & lactis fœminæ maſculum lactantis ex ſe genitum guttas nouem: & butyri quantum ſufficit. Ex his cum lacte effinge tres pilulas ad magnitudinem auellanæ, & inſere in fauces falconis, tenetoq; eum per duas horas in manu, ut potionem totã reuomat. Deinde poſt uomitum pone eum iuxta aquam: unde ſi biberit, paulò pòſt paſce eum pulmone & corde lactentis agni & nondũ her-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 72 sur 825

bam pascentis. Debet autem caro tam calida esse quàm fieri potest. Postea alia carne suaui pasces cum assiduè, & uesperi dabis ei abunde de passere & pullo, Albertus. ¶ Quòd si uulsus falco siue æger ex pulmone uideatur, accipe auripigmenti triti unciam, piperis grana nouem; & hæc permixta falconi cum carne calida præbe. Iterum autem accipe tria lardi frusta (segmenta,) quanta falco deglutire potest, quibus melle intinctis limaturam ferri insperges, & in fauces auis immittes. Hoc facies per triduum, nec alium cibum dabis. Tum quarto die porcellum tenerum uino forti & claro inebria, & pectus inebriati ad ignē calefac: & cum bene calefactus fuerit, tunde pectus eius ut sanguis uino infusus in pectus ascendat. Mox occide porcellum, & pectus sic calidum in calido capræ lacte intinge, & falconem per aliud triduum tali cibo pasce, & sanabitur, Idem. ¶ Quòd si accipiter frigore tactus in pectore læsus sit, granis saxifragæ cōtritis addes pisani (forte ptisanam) aut mel, & fricabis inde palatum accipitris, & expones eum Soli. Item semen herbæ quæ radix (raphanus nimirum) uocatur, cum ruta syluestri & pipere æquali pondere teratur. hinc pilulas finges cum melle, ad modum granorum piperis, quas ei dabis per triduum. Hoc facies quotiescunq; frigoris iniuriam senserit, & uel aliàs inde læsus fuerit, uel foriolus euaserit. Item succum marrubij, piper tritum, mellis modicum, & semen apij cribrò excretum commisce, sic ut succi partes duæ sint, mellis una. facilius autem sumet hoc medicamentū, si esurienti & cibum feruentius appetenti detur. Item ad pectus accipitris curandum mentam tritam cum melle subige, & accipitri edendam dato. Vel radicem sinapis & trifolium æquali pondere trita cum lacte & oleo hyssopino in cibo dabis accipitri. Nasturtium quoq; cum melle mixtum in carne porcina prodest, Albertus.

¶ Si asthmaticus fuerit accipiter, tegulam coctam contritam dabis illi cum carne calida & sanguine hirci per tres dies: Et succum absinthij cum lacte asinæ infundes inter pellem & carnem coxę gallinæ, quam ei in cibo dabis, Idem. Asturem asthmaticum sic curabimus. Caryophylli, cinnamomum, zinziber, cuminum, piper, aloë, sal, tragacantha, thus, æquali singula pondere trita cōmiscean tur, & ponantur in tegula, & calefiant ad ignem. Et pars pulueris per fistulam injiciatur inflando in nares asturis: Reliquum misce cum lardo claro magnitudine auellanæ, optimè trito. Hoc impōsito in palatum asturis, expone eum Soli tandiu, donec reuomat. postridie edat lardum pondere unciæ, & tertio die pullum columbinum rubeum, quarto die balneetur & curabitur, Albert. nī fallor.

¶ Si fastidio laboret auis, forices uiuos edat, uel catellum recens natum antequam uideat, Albertus. Contra fastidium & siccitatem falconis. Ouum cum lacte caprino sine fumo in sartagine purissima donec durescat decoquito, & aui edendum dato. id si concoxerit, liberabitur. Proficit enim contra omnem morbum, Idem. Si auis cibum fastidiat, quod fit cum uesperi nimium magnis buccellis pasta est & immodicè saturata, aut cum corpus prauis humoribus scatet: dabis ei columbam, quam pro arbitrio occidat & sanguine fruatur, de carne edat coxam aut tantundem quantitate. Et si auis carnem columbæ nolit discerpere, dabis eam minutatim in buccellas concisam, & saccharo aspersam uel oleo oliuarū bono, recenti ac dulci, aut amygdalino: idq; subinde facies paulatim donec sanetur. Aut dabis ei passerculum uino maceratum, uel melle rigatum, uel puluere mastiches aspersum: aut sub diluculum dabis ei pilulam unam ex illis quas communes uocant: & capitio intectum in Sole aut iuxta ignem tenebis, sinesq; uomere pro arbitrio. Quum iam per tres quatuórue dies his pilulis usa fuerit, & iam cibum appetierit, cibum eius scobe ferri per alios totidem dies conspergē, Idem.

¶ Ad malam concoctionem auis. Auem malè concoquere his signis animaduertitur: Si subinde hiat ore & respirat, si escam suam deplumat, nec edit, sed relinquit aut reuomit: si fimū crasso humore nigro & pallido infectum egerit: si turundos curæ gratia (ut loquuntur) ingestos, tempestiuè non reddit: si rostro eius utraq; manu fortiter diducto odorem de gutture eius fœtidum percipias. Solet autem malè concoquere, si diluculo antè cœnam concoctam pascatur, aut uesperi nimis serò & maioribus buccis. Remedio est, ne pascatur ante concoctionem ritè peractā, & antequam probè appetat. Tunc accipe fuligīnem quæ sartaginis fundo adhæret, & per horam in aqua macerato, aquam deinde colatam tepefacito, & in ea macerato carnem qua pasces auem in buccellas incisam. nec alium cibum ante uesperam dato. tum carnis saccharatæ buccellas tres præbe: uel cibo eius admisce semen quod in caryophyllis aromate reperitur, contritum, Tardiuus. ¶ Contra nimiam famem falconis: Muris sanguinem, mel, & semen apij, æquis portionibus mixta in cibo da, Albertus. ¶ Si astur cibum indigestum reiecerit, cinnamomum, caryophyllos, cyminum & folia lauri, pari portione singula contrita, in olla noua cum uino albo decoque, ita ut parum uini remaneat. sed caue ne ebulliendo effundatur. Quod remanet pone in panno lineo forti, & succi expressi infunde in fauces asturis quantum sufficit: cibum quidem eam ob causam ei non negabis: postridie fœniculum contunde, & succo expresso carnem quam ei daturus es, intinge, Idem. Si cibum sæpius incoctum euomit, dabis ei scammonij quartam partem oboli & tantundem cymini, asperges autem trita carni suillæ pinguí: aut si illam edere nolit, albo oui liquore excipies, & in os eius inseres. Vel oua cruda in lac caprinum euacuata, simulq; decocta, ter ei in cibum dato, Albert. Si accipiter projicit granum siue carnem inconcoctā, immitte in gulam eius lixiuiū cum sarmentis, mensura cochlearij: & si inde offendi uideatur, syrupi uiolati cum aqua frigida mixti cochlearia tria in fauces eius infunde. Et postquam uomuerit & ad se redierit, balneetur in aqua, nimirum si cœlum

fuerit

fuerit ſerenum. Vtile ſanè fuerit ſalgemmam quoq; tritam miſcere lixiuio: purgat enim & uomitum promouet, Idem. ¶ Quando accipiter cibum per triduum in gula uel digeſtione (uentriculo) retinuerit, dabis ei lixiuium è ſarmentis uitium bene colatũ cum carne calida per biduũ: & triduo ſequente carnem caprinam cum butyro & maſtiche trita. Quando autem cibum oblatum recuſat ſumere, & carnem oblatam roſtro à ſe remouet, carnem aliam præbe, ut gruis, ſed granum ſtaphiſagriæ ſub lingua eius pone, & ſtatim euomet carnes ſumptas, Albertus. Eſt quando infuſione laborat falco ſicut equus: cuius ſignum eſt quòd cibum reſpuit, & oculos habet inflatos. Facies igitur lixiuium de ſarmentis uitis, eoq; ter colato implebis guttur falconis: quem ſic relinques donec egerendo ſe cibum quem ſumpſerat concoxiſſe demonſtret. Poſtea dabis ei lacertam in cibo. Aut uinum calidum cum pipere trito in fauces eius infundes, relinquesq; donec concoxerit cibum quo infuſus fuerat, Idem.

¶ Ad nimiam ſitim aſturis. Radicem dulcem, rhabarbarum, betonicam, cum ſyrupo uiolato & aqua commiſce, & per noctem relinque. Et quotidie mane fac ut inde bibat quantum uoluerit per dies octo, & ranas in cibo præbe, Albertus. Et rurſus, Si ualde ſitiat auis, accipe puluerẽ cauliſ libyſtici, & carnem (caulem) de anetho & fœniculo, & coque cum uino, admixto etiam cochleario mellis. Hunc liquorem colatum aui bibendum da, uel in os eius inijce. Et ſi bibere detrectet, da ei carnem illitam melle, & altero die oleo roſaceo frigido illitam. Si auis ſiticuloſa fuerit, quòd alterata & nimis calefacta ſit, dabis ei in potu aquam, in qua ſaccharum cum croco & ſpodio maduerit: ſed exiguam, quanta duntaxat faucibus refrigerandis ſufficit. At ſi ob nimiam obeſitatem, uel calores internos ſiticuloſa ſit, adde prædictis terram ſigillatam ut uocant. Si propter cruditatem, cuminum dulce in aqua decoques, & in os eius infundes. aut zinziber, aut pulegium in uino ueteri coque, aut caryophyllos in aqua, & inde madefacito eſcam auis. Quòd ſi ſubinde ſitire pergat, appone ei bibendam aquam, cui inieceris drachmam boli Armeniæ cum decem granis caphuræ, Tardiuus.

¶ Si falco carnem roſtro laniatã acceperit, paulò poſt uerò inconcoctã reiecerit: certum eſt durum uiſcoſumq; humorem in eius ingluuie, uentriculo & inteſtinis concretum eſſe, quem aliqui petram uocant. Paſces igitur eum carne paſſeris, inſperſis caryophyllis tritis: ita ut altero quoque die hunc cibum des, altero uerò pipionem uel purgationẽ, (ein guel:) ſic enim curabitur. Quòd ſi alui excrementa longè non egerit (non procul reijcit,) eiuſdem hoc morbi ſignum eſt, itaq; dabis ei cor porcinum cum ſeta porcina minutatim inciſa uſq; in diem tertium, & liberabitur, Albertus. Ad lapidem in uentre: Pinguedinem axungiæ edat & butyrum. Vel aloën herbam cum puluere apij inuolue cordibus paruarum auium, quibus ueſcatur, Albertus. Contra lapidem aſturis: Cinnamomum, aloën, caryophyllos, ſaccharum, ſaxifragiam, gerulam (forte uiridem, ut etiam ad oculos ſpumantes) cicadam, ſingula æquo pondere teres & cum ſyrupo roſaceo miſcebis: & cum paſcis aſturem, carni quam edit de hoc remedio adde inſtar duarum fabarum, Albert. Contra lapidem aſturis & renum corruptionem. Adipis galli partem j. uerbenæ partes ij. tere, & de ſucco expreſſo tertiam partem cochlearis aſturi ieiuno da, & ſine cibo eum relinque uſq; ad meridiem. Quòd ſi læſus uideatur, da ei cochlearia tria ſyrupi uiolati diſtemperati (id eſt aqua diluti:) uel mel roſaceum (dilutum.) Et quarto die ſucci centinodiæ & centineruiæ ſiue quinqueneruiæ, tertiam partem cochlearij, infunde in fauces aſturis ieiuni, & curabitur, Idem.

¶ Contra omne uitium iecoris. Sumatur arboris quercus, (non exprimit quidnam de ea ſumi debeat, & boli (Armeniæ ſcilicet) tantũdem. Hæc trita cum carne pulli (gallinacei) calida, qui uino inebriatus ſit, falconi præbeantur, Albertus.

¶ Ad lumbricos accipitris: Da ei cum cibo ſuccum foliorum perſici, aut ſantonicum tritum, & liberabitur, Creſcentienſis. Si falco lumbricis affligitur in uentre, & lumbrici in excrementis apparuerint, ſcobem (ſquamas, Beliſarius) ferri & maximè chalybis depurati carni ſuillæ inſperges, quam aui in cibo dabis uſq; in diem tertium, & ſanabitur, Albertus. Lumbrici ſæpius naſcuntur ex cruditate. quamobrem ſtudendum eſt plurimum ut bene concoquant: quod ut fiat, leuioribus cibis, pullis ſcilicet gallinaceis, non bubula carne & his ſimilibus cibandi accipitres ſunt. Si uero lumbrici iam nati ſint, curetur (ut iam ex Alberto recitauimus:) Vel ſume paſſerum ſtercus, piſcisq; pellis crudæ, cui tinca nomen eſt, crematæ puluerem, eboris raſuram, & ſquamam ferri pari pondere. hæc trita & ſuillo cordi inſperſa accipitribus dato, Beliſarius. Si anguillæ id eſt lumbrici lõgi infeſtent falconem, accipe teneri pulli inteſtinum aqua bene ablutũ, & facinde tres nodos ad menſuram dimidij pollicis, & utrinq; uinciatur tenui filo. hoc oleo impletum limpido, pone in fauces falconis ſicut & alia potio poni conſueuit. Quòd ſi poſtridie adhuc lædatur lumbricis, ſume ſcobis eboris & ſimi paſſeris Indici ſiue ſolitarij, aut (ſi is deſit) communis, ana unc. j. Hęc trita falconi cum carne calida præbe. Et ſi etiamnum tertio die perſeuerent, abſtrahatur cruda pellis de piſce tinca: & in calida teſta ſine fumo & flamma ſuper carbones comburatur, ſumaturq; hic cinis cum ſcobe eboris, & ſimo paſſeris, partibus æqualibus: ita ut farina ex eis permixtis cum carne calida detur. Et ſi neceſſe fuerit, quarto die his iam dictis ſcobem ferri adijcies, Albertus.

¶ Accipiter aliquando patitur obſtructionem, & tunc grauis manet, nec cibum nec prædã deſiderans, Albertus. Inteſtinorum reſtrictione induratis recrementis interdum afficitur ita ut ſu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 74 sur 825

peruenientе demum febri extinguatur, Beliſarius. Si auis aluum exonerare nequeat, quod appareret ſi caudam fricet & aquam bibat; dabis ei carnem ſuillam calidam cum pauca aloë: aut inteſtina terræ ſuper latere calido ſiccata, & trita carni calidæ & concoctu facili, quam in cibo ſumat, inſperges, Tardiuus. Si aluus ſupprimatur, fel galli edat, uel teſtudines albas decoctas. Si uerò nimium ſoluta ſit, modicum de ſucco hyoſcyami bibat, & carnes eodem intinctas edat, Albertus.

¶ Contra omnia uitia renum falconis. Puluerem candriæ, (uidetur uox corrupta: forte cardami) uel naſturtij aquatici, in corde pulli (gallinacei ſcilicet) in cibo da, & proderit, Albertus.

¶ Ad ſicum in ano aſturis. Pinnulis alarum ſiccatis & tritis carnes quibus paſcitur conſperge: & ſic nouies eum paſcito, Albertus.

¶ Quod ſi crus fregerit accipiter, thus, bolum (Armeniam) ſerpentinam, conſolidam & maſtichen, fortiter tere, & miſce cum albo liquore oui, & ſuper linteo extende, & dirige crus fractum & linteo illo inuolue. Tum pennam de ala uulturis ſcinde, & incannatum ex ea os fractum per quinque dies relinque, Albertus.

¶ De morbo articulari ex ueteribus ſcriptum eſt ſupra in arthritidis differentijs.

¶ Ad podagram aſturis. Tithymallum cum melle & aceto tritū, & modica calce, illiga, & poſtquam ſe mouerit, unge aloë cum uino, & ſanabitur, Albertus. Ad podagrā accipitris quæ fit cum humor deſcendit in articulos pedum & digitorum: Pedes eius inunges lacte herbæ quæ lactaiola (nimirum è genere tithymallorum) uocatur: & collocabis eum in pertica ſuper panno lineo eodem lacte imbuto, donec rupta ſit podagra: tunc pannus auferatur, & inungatur locus ſeuo donec curetur, Creſcentienſis. Si pedes falconis citra ullam uiolentiam inflati fuerint, podagricus eſt, & ſic curabitur. Inungatur unguento ex butyro, oleo, & aloë, æquali portione permixtis, per tres dies, & Soli exponatur: & carne felina cibetur. Vel licinium factum de carne (de lana) bombacina (xylina,) incende, & ure plantam pedis falconis. Deinde impone eum in petram uiuā, quæ inuncta ſit axungia ueteri, & liberabitur. Paſces autem eum interea muribus, Albert. Contra inflationem pedum falconis. Aloë & albus oui liquor ſimul ſubigantur: deinde quære cotem in qua ſæpe acutum eſt ferrum, & in qua ferri aliquid inhæret; ſuper qua tandiu puluerem (medicamentum prædictum) fricа, ut omnis acutio (ſubſtantia ferri quæ in cote eſt,) in puluerem tranſeat. Tum pedibus inflatis illum ſuppones tandiu, donec cruſtam faciat & pedi hæreat. Poſtridie optime ſapone perunges, & tertio die facies ut uideris expedire, Idem. Si pedes guttoſi (arthritici) ſint, uel tineæ eius pennas erodāt, carnes hircinas edat aceto madidas: & alas eius aceto calido & oleo laurino ſæpius perfrica, Albertus. Ad pedes falconis ſanandos, milleſolium, ſaxifragam, uerbenā & plantaginem, ſingula æqualia, contere: & carni calidæ ad cibum inſperge, Idem. ¶ Si falco naſcentias in pede habuerit, medium iuniperi corticem tenuiſsimè tritum per nouem dies alternis diebus ei præbebis cum carne, & curabitur, Albertus. Si accipiter digiti articulum læſerit, ſcinde murem, in cuius uiſcera calida pedem eius immittes, & faſciola aptè conſtringes. Si ita non ſanetur, dextram ungulam porci frange, & exempta inde medulla pedem accipitris unge per triduum, Idem. Quòd ſi falco unguem radicitus perdidit, non recreſcit: ſed digitus pedis in calido mure aperto eſt colligandus, & cum medulla pedis & digiti porcini poſtea inungendus, donec ſanetur, Albertus. Si laboret morbo quem rampam uocant, ſucco artemiſiæ cibus eius intingatur. & ſanguine agni calido pedes eius perfrica: uel uino tepido in quo decoctæ ſint urticæ, & eodem uino cibum eius madefacito, Idem.

PARALIPOMENA QVAEDAM QVAE IN PRAECEDENTIBVS ſuo loco hoc in capite omiſſa ſunt.

Si inquieta ſit auis in pertica, uel ſuper manum, myrrham in aqua decoque, & inde corpus eius aſperge, ac cibum eius nouenis uicibus in eandem intinge, Albertus. ¶ Si accipiter nimis clamoſus fuerit, cibetur ueſpertilione pleno pipere trito, Idem.

¶ Vt falco hominem non deſerat: Apium, mentam nigram, & petroſelinū ſimul trita, cum carne calida ei præbe, Albertus.

¶ Si accipiter pennas iam aliquoties mutauerit, Calendis Ianuarij in mutam mittatur. at ſi pullus eiuſdem anni fuerit, mittatur in mutam Calendis Iulij, & auibus uiuis ueſcatur ſi inueniri poterunt. Caryophyllos etiam & ſemen fœniculi cum carne ſumat. Domus mutę apta & ampla ſit, à qua poſt mutationem extrahatur. Quòd ſi pennas nō cito proiecerit, ſerpentem uarium, qui inter alios minus habet uenени, & Germanicè huf (forte unc) uocatur cum tritico coque: deinde tritico illo gallinam paſces, & aquam decoctionis in potu ei dabis. Huius poſtea gallinæ carnibus paſtus accipiter, pennas reijciet, & morbo, ſi quem patitur, liberabitur: ſolidis quoq; pennis nouis plurimum decoratus, longo tempore ſanus & hilaris uiuet. Triti etiam piſciculi minuti fluuiatiles, carnibus accipitre edendis aſpergantur, & cum carnibus muris in cibo ei dentur. Sic enim proculdubio cito mutabit. Idem fiet ſi lumbis porci ſanguine agnino intinctis & inciſis ueſcatur. Lacerta etiam uiridis uſta iuuat. Item grana ſambuci menſe Septembri terra obruas, & poſtea hordeum uel alium cibum in eis (ſucco eorum) madefactum gallinis obijcias, quarum carnibus accipitrem paſces. Aliqui ſanguiſugas inciſas per ſe, uel cum carnibus, offerunt accipitri, aut uſtas tritasq; carnibus aſpergunt. Proſunt & mures uiui dati, & minutatim fracti, ac in fauces immiſsi, Albertus.

¶ Per

¶ Per quaſuis aues rapaces aucupium noſtri **Weidwerck** appellãt, accipitres, niſos, falcones, aquilas, priuatim uerò quod per accipitres & niſos fit, canum odorantium & excitantium ut plurimum auxilio, **fäderſpil** nuncupant: in quo genere aues rapaces rectà à manu prouolãt, prędamq; perſequuntur, non in altum ſtatim ſcandunt ut ſuperne deijciant feriantq; ut falcones. ¶ Galli ſua lingua curam (la curee) uocant, plumas ſtupásue conuolutas ad oliuæ fructus formam ferè, quæ ueſperi accipitribus deuorandæ exhibentur, quas poſtridie aluo reddant, ualetudinis gratia.

F.

Accipiter in ſacris literis, ut & cæteræ rapaces & uncorum unguium aues, cibo interdicitur: ut inde conijciatur diſplicere Deo eos qui alijs inſidias moliuntur, & cædes meditantur, ſicut accipiter, qui nullam auium infirmiorum non inuadit, Procopius. Pulli accipitrum ſuaues ualde pinguesq; efficiuntur, Ariſtot. Auicenna & R. Moſes. Caro accipitris dulcis & leuis eſt, propter bonum nutrimentum quo alitur. Albertus. Aſſus & in cibo ſumptus accipiter, morbum ſacrum curat, Kiranides.

G.

Hierax poteſt quæcunq; & uultur, debilius tamen, Kiranid. Aſſa & in cibo ſumpta hæc auis, morbum ſacrum curat, Idem. Carnes pullorum accipitris boni ſaporis ſunt, animum corroborãt, melancholiæ & perturbationi mentis reſiſtunt, R. Moſes in Aphoriſmis. Magi in quartanis adalligari iubent puluerem in quo ſe accipiter uolutauerit, lino rutilo in linteolo. Accipiter decoctus in roſaceo, efficaciſſimus ad inunctiones omnium in oculis uitiorum putatur, Plinius. Cum unguento ſuſino coctus oculorum hebetudini medetur, Galenus ad Piſonem & Conſtantinus Afer. Decoctus in oleo ſuſino, donec caro eius reſoluatur, oculis inde frequenter inunctis, hypochyſin (ſuffuſionem) & caliginem diſcutit, Sextus & Marcellus Emp. Viui deplumati accipitris & cocti in oleo ſuſino donec diſſoluatur, iure colato inunctæ oculorum nebulæ & hebetudines ſanantur, Kiranides. Adeps accipitris teritur in oleo, quo inunctis oculis caligo depellitur, Aeſculapius. Accipitris ſeuum iuncturis utile eſt, Io. Vrſinus.

¶ Anſeris, accipitris, gruum, & ſimilium ſtercora, de quibus multa nugaces quidam fabulãtur, inutilia eſſe experimento compertum eſt, Aetius. Fimum accipitris in mulſo potum uidetur fœcundas facere, Plinius. Si retineantur ſecundæ, fimi accip. ſcrupulum propina, aut drachmã eiuſdem (in peſsi forma) ſuppone, Symphorianus Champegius. Fimus eius cum uino dulci potus partum accelerat, Kiranides. Niſi fimum tritum, quantum duobus digitis capere poteris, ex uino aut aqua mulieri propina quæ parere non poteſt & parturigines non habet. Curandum eſt autem ut fœtus in utero prius recte ad exitum ſpectet. Similiter potum ſecundas promouet, Obſcurus. Suffitus qui fœtum uiuum uel mortuum educit: Spolium ſerpentis, opopanax, myrrha, galbanum, caſtoreum, ſulfur citrinum, rubia, ſtercus columbinum uel accipitris: Hæc omnia, uel quædam eorum, trita felle uaccino excipiantur, & fumus inde per embotum (fiſtulam) in uterum recipiatur. Arnoldus in Breuiario. Accipitris fimi cinis cum Attico melle laudatur ad inunctiones omnium in oculis uitiorum, Plinius. Parum fimi falconis cum uino pro antidoto datur contra morſum ſtellionis, Ponzettus.

¶ Oculi accipitris à collo ſuſpenſi tertianam fugant, Kiranides.

¶ Ad quaſuis malas corporis affectiones: Accipitris uẽtriculum tribus diebus & noctibus mero maceratum conteres, & cum tribus cochlearijs ſucci fœniculi ac mellis permiſcebis, & ſub ſomnum propinabis, Obſcurus.

¶ Accipitrum & aquilarum fella ualde acria ſunt: quinetiam erodunt, quod uel colore ſuo æruginoſo (uiridi) teſtantur, qui tamen interdum niger in eis eſt, Galenus lib. 10. de ſimplic. Accipitris fel oculis prodeſt, Io. Vrſinus. Palam mollis aſote petis, Idem. ¶ Accipitrum ungues tritos aduerſus dyſenteriam utiliter bibi quidam affirmant, tanquam experimentis cognitum. ¶ Fimum niſi uel accipitris tenuiſsimè tritum, aliqui utiliter equorũ oculis caligantibus flatu immitti putant.

¶ Diligenter cauere oportet afflatum, morſus & ungues accipitris ac falconis, & omnium rapacium auium, præcipuè poſtquam hæ aues balneatæ fuerint, & pennas roſtro compoſuerint. Adhærent enim roſtro pinguedo quædam uenenoſa, quam de cauda accipiunt. Habẽt autem tum pennas, tum pedes & anhelitum non abſque ueneno, ita ut mordendo uel laniando periculum creent: & nonnullos inde iam mortuos eſſe conſtat, Albertus.

H.

a. Accipiter dictus uideri poteſt ab accipiendis & rapiendis auibus, (ut ſcribit Textor,) ut & Germanis forte **ein Habich**, à uerbo **haben**, quod eſt habere & retinere. Sed ueteres grãmatici ab auguribus factam hanc uocem uolunt, ut accipiter dicatur quaſi ter accepta auis. Vide infra in h. Accipiter generis eſt maſculini, Vergilius lib. X I. Quàm facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto. Aut fœminini, Lucretius lib. 4. Accipitres ſomno in leni, ſi prælia, pugnasq; Edere ſunt perſectantes, uiſæq; uolantes. ¶ ἱέραξ ἀπὸ τοῦ ἱεσθαι ῥᾳδίου, nempe à celeritate motus ſui, cuius gratia & Soli ſacer exiſtimatur, Euſtathius. ἱέραξ παρὰ τὸ ἱεσθαι ἤγουν φορεῖσθαι ὡς ἀφρί ῥᾳδίως, & per craſin ἵραξ, Etymologus. Ego potius hieraca dictum exiſtimarim tanquam hieròn ſacrum alitem: ad quod Vergilius etiã alludere uidetur, Accipiter ſaxo ſacer ales ab alto. Vide mox inter Epitheta. ἵερηξ, ἱέραξ,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 76 sur 825

Hesychius & Varinus. Est autem Ionicum. Nam Iones & alpha in η uertunt, & syllabam sæpe detrahunt, & pro denso spiritu tenuem ponunt, ut ἰρεὺς, ἦμαρ, pro ἱερεὺς, ἡμέρα. quare & ἴρηξ sine aspiratione secundum eosdem scribendum. Scholiastes Homeri anonymus ἴρηκας genus aquilarum interpretatur, quod non probamus, inuenimus tamen aliquando ἴρηξ aspiratum, & ab ἱέραξ per crasin ἴρακας fieri Etymologus scribit. ἱρακίσκος, uox est diminutiua ab accipitre. Κἂν λαχόντες ἀρχίδιον, εἶθ' ἁρπάσαι βάλοιθ' τι, ὀξὺ ἱρακίσκον ὄν τὰς χεῖρας ὑμῖν δ' ὠσομεν, Aues ad Athenien. apud Aristophanem, id est ἁρπαγὴν ὀξεῖαν. ἢ τάχος ὡς ἱέρακος ἵνα ταχέως φύγωσι. Κίρκος, accipiter, Hesychius. ὁ κωπηλάτης, ἢ ὁ ἱέραξ, Varinus. sed nos circum, peculiarem accipitris speciem, describemus infra. Accipiter communis quem cerchum dicunt, Kiranides lib. 1. in Φ. lego circum uel cercnon. Κρίκνος, ἱέραξ ἢ ἀλεκτρυών, Hesychius & Varinus. Κρίναξ, accipiter, Iidem. Xiphias auis hieracos (id est accipitris, malim species accipitris) quæ uocatur κados, (lego κercnos uel κίρκος,) Kiranides lib. 1. in Ξ. mox quidem in amuleti descriptione, pro xiphia accipitrem simpliciter nominat. Ἴσραξ, auis quædam, Hesychius & Varinus: uidetur autem accipitrem significare, ut & ἴραξ uel ἴρηξ. Ciris uel cirris uox, apud Græcos grãmaticos uariè scribitur, κεῖρις, κειρὶς, κιρὶς, κιρρὶς, κῆρυξ: & ab alijs simpliciter auis genus, ab alijs accipiter uel genus accipitris exponitur, ut copiosius infra peculiari capite prosequemur. ¶ Βείρακες, ἱέρακες: Βειρακὴν, ἡ ἁρπακίδιον, Hesychius & Varinus. Στωνίξ, ἱέραξ, Iidem. Σίττης etiam noctuam, uel picam, uel accipitrem interpretantur. Βαρβάξ, ἱέραξ πρὸς λίβυσι, Hesychius & Varinus. Κρίτων, accipiter: alij simpliciter speciem auis exponunt, Iidem. Opinantur Aegyptij animæ conseptum esse cor: qua ratione quum accipitris nomine indicari animam putent, illum uocabulo gentilitio Βαϊηθ nuncupant, quod animam signat & cor: siquidem Βαϊ animam est, καὶ uero cor. Hieroglyphico argumento adijciunt, accipitrem aquam non bibere, sed sanguinem, quo & connutriatur anima, Cælius Rhod. ¶ Accipitres etiam acipenseres uocant, Albertus ridiculè. Est enim accipenser in piscium genere, non uolucrum. Coredulus auis sic est uocata, eò quòd uenatione uiuat, & corda eorum quæ uenatur edat: & parum de reliquo corpore prædæ accipiat, Albert. Videtur autem uel accipiter esse, uel aliqua eius species, cum & rapina uiuat, & cordibus auium edendis delectetur, quod & accipiter facit, ut in C. scripsimus.

¶ Epitheta. Acer, hyperboreus, ferus, prædo, apud Textorem. Prædo fuit uolucrum, famulus nunc aucupis idem Decipit, & captas non sibi mœret aues, Martialis. Videtur & sacer epitheton esse accipitris: Quàm facile accipiter saxo sacer ales ab alto, Vergil. 11. Aeneid. ubi Seruius, Sacer ideo quia est Marti consecratus: aut auibus execrabilis, ut Auri sacra fames. aut quod uerius est, nomen Græcum expressit. nam ἱέραξ dicitur, hoc est sacer. cur autem Græcè sic dictus sit, ratione non caret, quæ nota est sacrorum peritis. Demetrius etiam ἱέρακας, ἱερὸς ὄρνιθας uocat. Vide infra in h. Est enim Apollini & Marti sacer. alij sacrum cæteris auibus, id est execrabilem, quòd ab eo capiantur: alij magnum exponunt. ¶ Homerus accipitrem (φασσοφόνον, ut infra recitabimus) ὦκισον tantum uocat, ἀετὸν uerò κράτιστον simul & ὦκιστον. Aristophanes in auibus accipitres ἱπποστρόφους cognominat: nomine compositio ab equo, propter pernicem eius uolatum: & ab arcu, propter ungues aduncos, ut Scholiastes monet. Ὠκυπέτης & Ταυσίπτερος, apud Hesiodum.

¶ Hieraciten gemmam Plinius à colore accipitris dictam ait. Meminit & Georg. Agricola: Hieraciten (inquit) Paulus Aegineta in lapidibus rectius numerat, quàm Plinius in gemmis. is (inquit Plinius) alternat totus miluinis nigricans ueluti plumis. Inuenitur in tractu Hildesheimio qua itur uersus occasum in colle ultra flumen & citra, estq; similis specie & colore accipitrum mollioribus pennis, quæ ipsis sunt in pectore. Hieraciten dextro femori alligatum sistere dicunt sanguinem per ora uenarum profusum, Hæc Agricola. Interpretatur autem hunc lapidem Germanicè quoq; non aliter quàm accipitris lapidem uocans, confictо nimirum per imitationẽ uocabulo, Habichstein. Hieraciten lapidem gestans muscis infestari negatur, Hermolaus.

¶ Hieracium (uel hieracia fœmino genere, ut apud Aetium & Horum legitur, referente Hermolao) herba ab accipitribus nomen sortitur. Ex lactucis sponte nascentibus rotunda folia & breuia habentem sunt qui hieraciam uocent: quoniã accipitres scalpendo eam, succoq; oculos tingendo, obscuritatem cum sensere discutiant, Plinius. Vide supra in E. Nos nuper ex Italia missum ab amico hieracium accepimus, quod is Creticum appellauit, ex Creta nuper in Italiam aduectum, cubitale, tenerum, lacte manans, mollibus aculeis, flore luteo diluto, qui in pappos abit, quibus semina oblonga & asperiuscula subduntur: foliis laciniatis, breuioribus quàm in plerisq; lactucis sylueſtribus, anteriore sui parte latioribus & rotundis, amaris: sed foliorũ spẽcies ætate mutatur. Dioscoridis uerba super utroq; hieracio, ne sim prolixior, omitto. Minus quidem hieracium (quod doctorum plerisq; hodie illud esse putãt, quod uulgò dens leonis nominatur) Romani intybum sylueſtre uocant, ut inter nomenclaturas Dioscoridi adiectas legitur. Rustici quidam apud nos caudam mil ui appellant, Wyenschwantz: alij flores suillos, sublũmen, alij aliter. Eandem hedypnoidem putant eruditi: aut si quid interest, uiribus tamen & genere proximæ sunt. Ex eodem genere picris est, id est intybum uel cichorium sylueſtre ab amaritudine dictũ, quod Aelianus refert circum accipitrem nido suo imponere, tanquam ad custodiã pullorum aliquid conferat. ¶ Dracunculus etiam hieracium cognominatur apud Dioscoridem, fortasis propter caulem maculis insignem, ut & accipiter suo pectore maculosus est: & lychnis sylueſtris hieracopodiõ, id est pes accipitris, nimirum

à figura

à figura folij. nam lychnis coronaria alio nomine ballaria appellatur: inuenio autẽ apud Varinum & Heſychium, Balaris herba eſt triphyllos, id eſt triplici folio, ut ita forte ungues accipitris imitetur. Alius accipitrinus pes (inquit Hermolaus Barbarus) apud noſtrum uulgus eſt, quæ corneola quoq; dicitur (fortè quòd ſiliquis quaſi corniculis inſigniatur) folio ſalicis ferè puſillo, flore ſubluteo, cum ſiliquis ciceri ſimilibus: & in ijs ſemen inficere capillos dicitur colore rubro. Corneolam infectorum flore aureo, lyſimachion ueterum eſſe, Leonicenus in ſecunda ædítione de erroribus Plinij & aliorum medicorum, omnino defendit. ſed quærendum an geniſtæ potius ſpecies ſit.

¶ Medici collyria quædam ſiue medicamenta ad oculos hieracia uocitarunt, nimirum quòd oculorum aciem adeò acuant, ut ne perſpicaciſſimo quidem accipitrum uiſu inferior ſit futura. tale eſt Apollonij Phœnix apud Galenum de compoſ. ſec. locos lib. 4. cap. 7. Hieracium cognominatum, (hoc eſt ab Hierace compoſitum, & ab Apollonio in uſum aſſumptum, ut Cornario placet) & aliud ibidem Hieracis, utrunq; ad aſpritudines, &c. Fuerunt ſanè uariæ compoſitiones Hieraci inſcriptæ, inquit Cornarius: Plinius 34. 11. recenſet unam, his uerbis: Hieracium uocatur collyrium, quod ita maximè conſtat. Temperatur autem idem ammoniaci uncijs quatuor, æruginis Cypriæ duabus, atramenti ſutorij (quod chalcanthum uocant) totidem, miſyos uerò una, croci ſex. Hæc omnia trita aceto Thaſio colliguntur in pilulas excellentis remedij contra glaucomatum initia & ſuffuſionum, contra caligines & ſcabricias & albugines, ac genarum uitia. Aliud à Plinij & utroq; Galeni hieracio Celſus deſcribit lib. 6. cap. 6. ad aſpritudinem.

¶ Eſt & hierax piſcis, Latinè miluum & lucernam interpretantur. Hic cum ſibi à maiore piſce metuit, uolitat, ſed ſumma tantum maria attingens, ut neſcias uolitétne, an ſuper aquam natet. Mil ui (aues) ex eodem accipitrum genere, magnitudine differunt, Plinius. Aues Memnonis figura corporis & forma accipitribus ſimiles eſſe uidentur, ſed frugibus uiuunt non carnibus, Aelianus.

¶ Accipitrarius dici poteſt, qui accipitrum curam gerit, (ut apiarius:) Albertus falconarium dixit qui falcones curat. Accipitrem pecuniarum Plautus in Perſa metaphoricè & per iocum uocat hominem auarum & raptorem. Accipitrinus adiectiuum. herbam quãdam pedem accipitrinum dici, paulò antè ex Hermolao retuli. Accipitro, accipitras, uerbum apud Næuium authore Gellio lib. 19. nunc abolitũ, olim iacere ſignificabat. ¶ Magi patres appellant aquilas & accipitres: ut leones qui ſacris ijſdem initiantur, &c. Omnes enim metempſychoſin credunt, & communem nobis cum reliquis animalibus naturam, nominum etiam communitate teſtantur, Porphyrius. ἱέρακοτρόφος, accipitrarius, qui accipitres alit & curat, apud Demetrium Conſtantinop. γυναικοϊέρακες, mulierum ſectatores, mulieroſi, οἱ πόδε ἑρῶντας ἐπηρμένοι. Δεινοὶ γὰρ οἱ γυναικοϊέρακες, ὑπερπτῆς ἀετίας ἐνείσκειμ ἂν ἄγραν ἢν θηλείαν. Suidas ex authore innominato. Ariſtophanes in Auibus per iocum multa ad auium nomenclaturas accommodãs, ſcribit, ἃ σεμνοϊέρακες χαῖρ' ὦναξ πελαργικέ. Videtur autem Neptunum dicere pro Suniarato, (quòd illi in Sunio Atticæ promõtorio preces & ἀρὰς funderent: & pro Pelaſgico pelargicum, &c.

¶ Icones. Regis Perſarum ueſtem purpuream & accipitribus aureis diſtinctã fuiſſe legimus alicubi apud Cælium Rhodig. In Hori monumentis adnotatum, uxorẽ uiro præcipuè obnoxiam obedientemq;, ab Aegyptijs Venerem dici: obluctantem uerò pugnacemq; non ita. quo argumento accipitrem fœmellam expingentes Venerẽ intelligunt, de animalis natura intellectum rei promentes, Cælius. Et alibi ex quarto Bibliothecæ Diodori, Accipiter rem denotat citò factam, quoniam hæc aliarum fermè omnium auis ſit uelociſſima. Transfertur hæc notatio ad domeſticas res quæ uelociter fiant. Accipiter pictus uentos notat, &c. Orus 2. 16. Hermupoli Typhonis ſimulachrum oſtendunt, equum fluuiatilem, cui inſiſtit accipiter ſerpentem impugnans: per equum demonſtrantes Typhonem, per accipitrem uerò uim & principatum, quo ille uiolenter ſibi quæſito ſæpe per improbitatem tum ipſe turbari, tum alios perturbare ſua ſponte uoluerit, Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride. In Dioſpoli (in Sai, Plutarchus in libro de Iſide) Aegypti in ueſtibulo quod ſacrum appellatur, imagines expreſſæ ſpectantur, puellus generationis, ſenex corruptionis: accipiter dei, piſcis odij, crocodilus denicq; impudentiæ ſymbolum. Quæ omnia ſi coniungas, hunc ſenſum conſtituent: O naſcentes & morientes, Deus odio habet impudentiam, Clemens lib. 5. Stromatum. Et rurſus ibidem, In comeſſationibus (κωμαζοντες, inquit,) apud Aegyptios dictis, deorum aurea ſimulacra circunferunt, canes duos, accipitrem unum, & ibin unam: eaq; literas quatuor appellant. Sunt autem canes ſymbola duorum hemiſphæriorum, ut quæ circuitũ & ueluti cuſtodiam peragant. Accipiter Solis, feruidæ enim naturæ eſt, & ad perdendum comparatus. nam ad Solem etiam morbos peſtilentes referunt. Ibis denicq; Lunæ, tenebroſam enim lunæ faciem, nigris in hac aue pennis: lucidam albis comparant. Sunt qui per canes circulos tropicos notari uelint: qui ſcilicet Solis meridiem & Septentrionem uerſus tranſitum determinant & inſtar ianitorum obſeruant. Iiſdem æquinoctialem circulum ſublimem & exuſtum, accipiter deſignat, ut ibis zodiacum. uidetur enim Aegyptijs hæc auis præ cæteris animalibus, numeri & menſuræ initium exhibuiſſe, ut inter circulos zodiacus. ¶ De diſs qui pingebantur accipitris forma, aut capite accipitris, dicetur infra in h.

¶ Antiochus quidam cognominatus eſt hierax, ut in Apophthegmatis meminit Plutarchus. Hierax unus fuit ex legatis Amphipolitarum Athenas miſſorum ut ciuitatem ac regionem ſuam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 78 sur 825

Athenienſibus traderẽt, Suidas. ¶ Apud Chelonophagos inſulæ tres ſunt deinceps, quarum una teſtudinum, alia phocarum, alia accipitrum dicitur, Strabo. Meminit & Ludouicus Patritius in nouí Orbis deſcriptione accipitrum inſulæ. ¶ Accipitrum ciuitas, ubi accipiter colitur, nominatur Straboni lib. 17.

¶ b. Demetrius Conſtantinop. Græcè ſcribens accipitrum aliquot partes Latinè nominat, ut ſunt, γέλα, κοῦπα, id eſt gula, cauda, quæ & ὑφαῖον & κοπία ab eo uocatur.

¶ Titus Veſpaſianus Stroza lib. 6. Eroticôn Bagarini ſic dicti accipitris laudes à Coſmo quodam pictore picti, hiſce uerſibus elegantiſsimè expreſsit.

Non fuit accipitres inter formoſior alter,
Purpureis maculis plumam inſignibat & auro,
Penna fuit dorſo ſi non argentea, ſaltem
At procera caput ceruix fulcibat honeſtum
Cauda nec in longi ſpeciem temonis abibat,
Acer inhærebat pugno, & formidinis expers
Blanditijs gaudebat heri, placideq; mouebat
Nulla recuſabat capiti uelamina mitis
Illo non alius pernicibus ocyor alis
Non fuga perdici, non magni corporis ingens
Non illum uano cuccus deceperat aſtu,
Non tibi ſe eripuit turtur Bagarine ſequenti,
Congreſſusq; tuos coruí tremuêre feroces,
Haud facile euaſit, quem tu ſemel unguibus hoſtis
Quinetiam paruas uolucres placidiſsime rerum
Nec minus ex altis ad ſibila prima redibas
Teq; canum quamuis auidorum læderet error,
Non tamen ingenuum tibi cor excanduit ira,
Nec magnis meritis carior ullus hero.
Qualis apum decorat corpora picta color.
Argento ſimilis uel ſpecioſa magis.
Deſuper, inq; oculis uiuidus ardor erat.
Nec breuis, at potius inter utrunq; fuit.
Horrebat nullas nocte dieq; manus.
Alternos agili dexteritate pedes.
Accipere, & tanquam luce careret, erat.
In miſeras tanta ſirage ruebat aueis.
Phaſiacis robur profuit alitibus.
Dum uagus incertas itq; reditq; uias.
Non uelox pennis & pede ſegnis anas.
Et picas leto tradere luſus erat.
Attigeras, quamuis ſtrenuus ille foret.
Ad domini aſſueras ipſe referre manus.
Arboribus, medium Sole tenente diem.
Præda ſub hamato dum pede capta iacet,
Parcebas, ueniæ certaq; ſigna dabas.

¶ c. Paſtus accipitris à noſtris uocatur, das aas, hoc eſt eſca: der kropff, hoc eſt ingluuies, per ſynecdochen. inde uerbum überkröpffen, nimio cibo replere. ¶ Corui & graculi cum gregatim apparent, & ſimilem accipitribus uocem ædunt (id eſt acuta uoce clamant. talis enim accipitrum uox eſt, Scholia) pluuiam prædicunt, Aratus. ¶ Velocitas picto accipitre repræſentatur, ut ſupra inter Icones ſcriptum eſt. Ἡ δ' ἰρηξ ὡς ἄλτο κατ' ὀλύμπου νιφόεντος, Homerus de Thetide. Ἀνὴρ δ' ὧδ' ἴρηξ ὠκύπτερος ὦρτο πέτεσθαι, ὅς ῥά τ' ἀπ' αἰγίλιπος πωέησι πτερύγεσσιν ἀΐξας ὄρνιθα τανύσσιον ἄλλον ἐδίωκεν ὄρνυμ' ἄλλο, Homerus Iliados ν. de Neptuno diſcedente. Hunc locum imitatus uidetur Vergilius lib. x i. Aeneid. Quàm facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto Conſequitur pennis ſublimem in nube columbam. Ἀλλά πῆδ' ἐμὲ ταχέσσι καὶ ὀκυόοις πτερόεσσι ἰδρώσας, ἥ κε χυθοῦδος, Ariſtoph. in Auibus. Θαλοσσινας ἰρήκων ἔμβυσα καλίσγυιχας ἵππους, Iliad. ν. Vide infra in prouerbijs.

¶ d. Quorum oculi inſtabiles, ij præcipites & rapaces habentur, quòd eiuſmodi ſint accipitrum oculi, Ariſtot. in Phyſiogn. Accipiter nullí ſatis æquus in omnes Sæuit aues, Ouidius x i. Metam. Accipiter uelut molles columbas, Horatius. Δακρυόεσσα δ' ἵπτατο διὰ φάεγγος, ὥστε πέλεια, Ἣ ἴρηκος (ſcilicet δίωκμόν) κοίλῃ ἐσέπτατο πέτρῃ Χηραμόν, Homerus Iliad. φ. Rapto quæ uiuit & omnes Terret aues, Ouidius 11. Metamor. Viſa fugit Nymphe, ueluti perterrita ſuluum Cer ua lupum: longeq; lacu deprenſa relicto Accipitrem fluuialis anas, Ibid. At uariæ fugiunt uolucres, pennisq; repente Sollicitant diuûm nocturno tempore lucos, Accipitres ſomno in leni ſi prælia pugnasq; Aedere ſunt perſectantes, uiſæq; (accipitres in fœminino genere ponit) uolantes, Lucretius lib. 4. ¶ Aegyptij turture in cibo abſtinebant, eò quòd accipiter, ut aiunt, hanc auem deprehenſam dimittere ſoleat, μισθὸν ἀχρησίας μέξεως σωτηρίαν. ne quãdo igitur imprudentes turturem ab accipitre dimiſſam guſtent, toto eorũ genere abſtinent, Porphyrius lib. 4. de abſtinendo ab animatis. Huc facit quod Phyſiologus ſcribit, author obſcurus, Accipiter (inquit) auem, quam ſub noctem forte ceperit, tota nocte ſub pedibus tenet, tandem oriente Sole licet famelicus eam dimittit: & quamuis eandem aliâs obuiam habuerit, non perſequitur.

¶ e. Aucupem auibus rapacibus quibuſuis utentem Germani appellant ein Weidmann: accipitribus uerò priuatim ein habicher, id eſt accipitrarium. ¶ Quia non rete accipitri tenditur, neq; miluio, Qui malè faciunt nobis, illis qui nihil faciunt tenditur. Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur, Terentius in Phormione. ¶ Accipiter poteſt quæcunq; uultur, debilius tamen, Kiranides. Cor accipitris geſtatum, ad omnia roborat & conſeruat geſtantem, Idem. In xiphia lapide, id eſt ſapphiro, ſculpe accipitrem, & ſub pedibus eius xiphiã piſcem, & reclude ſub lapide radicem herbæ (xiphij,) & geſta. hic annulus eſt caſtus, quem ſi habueris circa te in oraculo, uidebis quicquid uolueris. Et ſi poſueris eum in animali uel idolo aliquo, oraculum dabit de omnibus rebus quas uolueris ſcire, Idem.

¶ h. Accipiter auis ſacra habetur, unde & Græcis forte ἱέραξ dicta, uide ſupra in Epithetis. Quiſquis ibin aut accipitrem necauerit, ſiue uolens ſiue nolens, neceſſariò morte afficitur. Ex alijs uerò ſacris in Aegypto feris, ſi quis uolẽs aliquam occiderit, morte mulctatur: ſin inuitus, plectitur ea mulcta

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 79 sur 825

ea mulcta quam ſacerdotes ſtatuerint, Herodotus lib. 2. Et rurſus, Mygalas & accipitres defunctos Aegyptij in urbem Butum aſportant. Colunt animalia quædam Aegyptij præter modum, tum uiua, tum mortua, ut accipitres, canes, &c. Qui accipitrum curam habent, hi uolantibus eis carnes inciſas proijciunt, magna uoce, donec carnes capiant, appellantes, Diodorus Sic. lib. 2. Biblioth. Et paulò poſt, Hoc mirabilius, ſicubi uinum frumentúmue, aut aliud quid uictui accommodatum, ubi aliquod animal ſacrum expiraſſet, inuentum eſſet, non amplius illo utebātur: eodemq; luctu etiam ad alia loca profecti, æluros & accipitres mortuos ad Aegyptum, deficiente perſæpe uiatico deferebant. Et rurſus, Accipitres ab Aegyptijs coluntur, proſunt enim admodum ad ſcorpiones, ceraſtasq; & parua animalia quæ morſu nocent. Quidam ob eam cauſam honorem haberi accipitri uolunt, quòd his utantur augures, in futurorum prædictione. Alij accipitrem priſcis temporibus dicunt, librum, Puniceis inſcriptum literis, in quo continebatur, qui cultus diis, quiue honor, deberetur, Thebas, ad ſacerdotes detuliſſe. Quapropter literarum ſacrarum ſcriptores & puniceum filum geſtant, & accipitris alam in capite. Accipitrum ciuitas in Aegypto eſt, ubi accipiter colitur. Eſt & Aethiopicus accipiter qui in Philis colitur, communi Aethiopum & Aegyptiorum habitatione, (ut mox dicetur in Capite de accipitribus diuerſis,) Strabo lib. 17. Accipiter quoad uiuit, cum apud Aegyptios egregiè charus deo eſſe exiſtimatur, tum poſt exceſſum è uita, futura oſtendere, ab eodemq; ſomniorum ſignificationes proficiſci perſuaſi ſunt: atq; apud eoſdem populos tripoda accipitris aliquando fuiſſe, unde oracula conſulentibus diuino inſtinctu afflata funderentur, fama eſt, Aelianus. Et rurſus, Accipitres Tentyritæ ſanctiſsimè colunt & adorant, propter comparationem quam cum igne iis eſſe affirmāt: atq; huius rei teſtimonium adferunt, quòd ſimiliter atq; ignis hi ueloces & uiolenti ſint: aquam uerò ſimul cum igne exiſtere poſſe negant. Contrà Coptitæ accipitres ut crocodilorum hoſtes ſæpe in crucem agunt, hi quippe crocodilos ob ſimilitudinem quam eis cum aqua eſſe affirmant, diuino honore afficiunt. In ueſtibulo ædis Mineruæ in Sai (Aegypti ciuitate) ſculptura uiſebatur huiuſmodi: primò infans, deinde ſenex, accipiter, piſcis, & poſtremò equus fluuiatilis. Indicant autem ſymbolicè (per infantem ac ſenem) naſcentes & morientes: per accipitrem uerò deum, &c. Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride. Vide ſupra inter Icones in a. ¶ Accipiter Martí conſecratus eſt, unde quidam putant ſacrum à Vergilio dici, Seruius. ¶ Aues hominibus deorum ſententiam nunciant, aquila Iouis, Apollinis accipiter & coruus, Porphyrius lib. 3. de abſtinendo ab animatis. Accipitrem Apollini conſecrant Aegyptij, & uenerantur. Oron (ὦρον, ut & Orus in Hieroglyphicis ſcribit) ſua lingua deum hunc appellant. Auem autem eiuſmodi thauſtum nominant. Cum Apolline idcirco conuenientiā habere aiunt, quòd de auibus ſoli accipitres ſemper nullo negotio aduerſos ſolis radios intuentur, neque intentis oculis ſurſum uerſus iter ſuſcipere grauantur, nec diuina flamma offenduntur, iſdem ipſi ſerpentibus & uenenatis beſtijs inimiciſsimi ſunt. nec enim ipſos ſerpens, nec ſcorpius, ullāue alia mala beſtia latere poteſt, Aelianus. Iupiter in ſceptro ſuo (uel ſuper capite) aquilam habet. Minerua archegetis noctuam manu geſtat. Apollo accipitrem, tanquam auem uaticinijs aptam, & tanquam ipſe miniſter Iouis. accipiter enim aquila minor eſt, Scholia in Aues Ariſtoph. ἱέρακες ἱέρωνται ἡλίῳ Ἀπόλλωνι, &c. hoc eſt, Accipiter ſacer eſt Soli Apollini, tum propter motus ſui uelocitatem, (nam ut ſol uelociſsimus eſt, ſic uolatu ſuo pernicisſimus accipiter:) tum propter cognationem ex origine ſui nominis. uocatur enim ἱέρακες παρὰ τὸ ῥᾴδιον ἴεσθαι, id eſt à facili motu, qui quidem Soli uel maximè conuenit. Quin & cœleſtem ſphæram Iapetū aiunt dici, παρὰ τὸ ἵεσθαι καὶ πέτεσθαι, quòd ita facile ſcilicet feratur ac ſi uolaret, Varinus & Euſtathius in Homerum. Quin & propter oculorum ſplendorem Soli ſacer uideri poteſt. Apollinem quidem ipſum in accipitrem aliquando muratum, & Dædalionem ab eo in eandem auem conuerſum, inferius referetur. Deos aliquot animalium nominibus ueteres appellarunt, ut Solem lacertum, leonem, draconem, accipitrem, Porphyrius lib. 4. de abſtin. Sacrilegum medicum Delphis, cum in eum incurriſſet accipiter, eius caput conuellens, indicauit, Aelianus. Eruditiſsimi quidam Apollini attribuunt accipitris genus, quod perdicoteros (forte percnopteros) dicitur, Gyraldus. ¶ Aegyptij Oſiridem ſæpe accipitris forma exprimunt, excellit enim hæc auis acie uidendi, & ui uolandi, (καὶ διοικεῖν αὐτὸν [κύτον] ἐλάχιστα τῇ τροφῇ πέφυκε.) Fertur etiam in cadaverum inſepultorum oculos terram ſuperuolando inijcere. Et cum bibendi gratia ad fluuium appulerit, alas erigit, quas cum biberit rurſus demittit, unde ſaluum eum eſſe & à crocodilo illæſum apparet: Nam ſi ab illo rapiatur, alæ ut erant erectæ rigidæq; manent, Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride. Horum poſteriorem partem Cælius Calcagninus ita tranſtulit: Deſcendentem ad flumen rectis pennis deferri tradunt: quas rurſus inclinat in latus metu crocodili ad fugam paratus: quòd ne quando improuiſus opprimatur, inceſſanter meditari ſolet, Sic ille. Nos ut in Græcis publicatis legitur ad uerbum tranſtulimus. Fuiſſe diuinum animal, ac diuinam ſerpentis naturam, non Tautus modo (qui & Thoth ab Aegyptijs dicitur) in Phœnicum Theologia teſtatus eſt: ſed etiam Phœnices atq; Aegyptij, quòd in eo ſupra cætera quidem animantia ſpiritus acrior atq; amplius ignis exiſtat. Quæ res cum ex illo celeri greſſu oſtenditur, ſine ullis pedibus manibusq; uel aliis inſtrumentis, tum quòd ætatem ſubinde cum exuuijs renouant ac iuueneſcunt. Itaq; Phœnices populi dæmonem hunc fœlicem, Aegyptij Eneth appellarunt, cui caput accipitris adijcientes, celeritatem illius præcipuam indicabant, quod & Philon Byblius ſcribit, qui Sachoniati hiſtoriam ex

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 80 sur 825

Phœnicum lingua in Græcum sermonem conuertit. Epies uerò (qui apud Aegyptios deorum maximus interpres est habitus) cum naturam accipitris & anguis referret, Diuinissimum (inquit) animal serpens, & accipitris habens caput perquam mirificum est. nam sicubi sublatis palpebris effingebant, tum omnem Aegypti regionem suo lumine complebat: sin clausis oculis fuisset, tenebras circunfundi notabatur, ut nihil dubium sit, naturam eius maximè igneam existimasse. Iidem præterea Aegyptij, totius orbis molem demonstrantes, inter circulum aëreum & igneum serpentis effigiem cum capite accipitris circunducunt, ut instar sit Græcæ literæ quæ thêta dicitur, Θ. Per circulum enim magnitudinem & formam totius orbis intelligunt: per anguem uerò, qui medium intersecat, bonum dæmonem, cuius merito ac beneficio omnia alantur, uigeant, atq; contineantur. Quin & Zoroastres ille Oromasi filius (qui apud Persas maximè sapientia præstitit) in sacra historia de rebus Persicis in hunc modum de re hac meminit. Deus (inquit) accipitris caput habet. Is enim inter omnia quæ labem nullã aut corruptionem sentiant, primus ingenitus, nec interiturus unquam, partium expers, sibiq; ipsi simillimus, bonorum omnium auriga & author, rerũ pater omnium optimus ac prudentissimus, sacrum iustitiæ lumen, absolutissima naturæ perfectio, eiusq; inuentor & sapientia: quæ omnia copiosè prosequitur Pamphilus Eusebius ad episcopum Theodorum, Petrus Crinitus de honesta disciplina 16. 2. ¶ Si animantium cruore afficiuntur superi, cur non maciamus illis & mulos & asinos, &c. cur non coruos, accipitres, &c? Arnobius lib. 7. contra gentes.

¶ Qui animalium uaticinijs pollentium animas in se recipere uolunt, deuoratis principalibus (corporis eorum) partibus, ut corde coruorum, aut talparum, aut accipitrum, animam quoq; singulorum præsentem & ingredientem in ipsos accipiunt, & dei instar futura præsentientem, Porphyrius lib. 2. de abstinendo ab animatis. ¶ Ciconiam non ut grues prodigium facere dicunt: sed in augurijs non dubiam ferre concordię significationem. Proxima est accipitrum natura: præcipuum uerò genus quod circum appellant. altero pede claudum, quod fortunatum nuptijs & pecuariæ rei opinati sunt, Alexander ab Alexandro. Et paulò post, Dario accipitrum uisio duo uulturum paria uellicantium, omen fuit, quòd è coniuratis sumpto supplicio, haud multò post Persarum regno potiretur. M. Aemilio, D. Bruto Cos. Didius Lælius legatus Pompeij, cui prodigium Romæ erat factum, in lecto uxoris duo angues conspecti, in diuersumq; lapsi: proximè Pompeio in castris sedenti accipiter super caput accesserat, in Hispania aduersus Sertorium inter pabulatores occisus, Iul. Obsequens. Consulo (id est optimum augurium præbeo) rebus In læuum uergit cum mea penna latus, Io. Vrsinus.

¶ Apologus de accipitre & luscinia ex lib. 1. Operum & dierum Hesiodi.

Νῶϊ δ' αἶνον βασιλῆϊ δαΐφρονι κικλήσκωμεν.
Ἐς μὲν γὰρ νεφέεσσι φόβον ὀνύχεσσι μεμαρπὼς,
Μύρετο τῶν δ' ὄγ' ὑπὲρ κατέων πέρι μῦθον ἔειπε.
Τῶν δ' ἐς, ἔ σ' ἐῶν ἐγὼ πόρ ἄγω καὶ ἀοιδὸν ἔσσαν.
Ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
Ὡς ἔφατ' ὠκυπέτης ἱρηξ ταναυσίπτηρ Θ' ὄρνις.
Σοὶ δ' ἱρηξ πρόσεπτον ἀκιδνὸν ποικιλόδειρον,
Ἡ δ' ἐλεὸν γναμπτοῖσι τυπαρμυῦσ' ἀμφ' ὀνύχεσσι
Δαιμονίη, τί λέλακας; ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων.
Δεῦρον δ' ἄεκ' ἐθέλω, ποιήσομαι, ἢὲ μεθήσω.
Νίκης πειρήτιν, πρὸς τὰ ἄειχεσιν ἄλγεα πάσχειν.

¶ Est illic (in tela Arachnæ puellæ cum Minerua certantis) agrestis imagine Phœbus, Vtq; modo accipitris pennas, modo terga leonis Gesserit, Ouidius Metamor. 6. Dædalion Ceycis regis Trachiniæ frater, præ impatientia doloris propter Chionen filiam à Diana (cui illa se prætulerat) interfectam, in accipitrem mutatus est, ut canit Ouidius undecimo Metamorph. Vir fuit, (qui nunc accipiter est) & tanta est animi constantia, quantum Acer erat belloq; ferox, ad uimq; paratus. Illi fera bella placebant, Quæ nunc Thisbeas agitat mutata columbas. Et paulò post describens quàm ægrè tulerit mortem Dianæ filiæ, Effugit ergò omnes, ueloxq; cupidine leti
Vertice Parnasi potitur, miseratus Apollo, Cum se Dædalion saxo misisset ab alto, (mos,
Fecit auem, & subitis pendentem sustulit alis: Oraq; adunca dedit, curuos dedit unguibus hamos,
Virtutem antiquam, maiores corpore uires. Et nunc accipiter, nulli satis æquus, in omnes
Sæuit aues, alijsq; dolens sit causa dolendi.

¶ Ocyor accipitre: admirandam celeritatem hyperbola prouerbiali licebit indicare, quæ est apud Homerum Iliad. υ. (de equis) Θοώτεροί εἰσιν ἱρήκων. id est, Pernices magis accipitre. Venustius fiet, si ad famam, aut ingenium, aut nuncium, aut eiusmodi quippiam detorqueatur, Erasmus. ¶ Τέτληξ μὲν πτῆνες ἕλος, μύρμηκι δὲ μύρμαξ, Ἱρηκὶ δ' ἴρηξ, ἐμὶν δ' ἀμὸς καὶ ὠδά, Theocritus Idyllio 9.

DE ACCIPITRVM GENERIBVS & differentijs.

CALLIMACHVS sex genera accipitrum facit in libro de auibus: alij uerò ueterum genera decem statuunt, Varinus. Etymologus quidem Callimachum ait genera accipitrum octo statuere: sed Varinus (ut iam recitaui) & Scholiastes in librum primum Argonautarum Apollonij, sex tantum genera à Callimacho memorari docent. Genera accipitrum (inquit Aristot.) non pauciora quàm decem esse aliqui prodiderũt, quæ modo quoq; uenandi inter

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 81 sur 825

inter se dissident. Alij enim columbam humi considentem rapiunt, uolantem non appetunt. alij super arborem, aut tale quid conscendentem uenantur: sin humi est, aut uolat, non inuadunt. Alij neque humi, neq; in sublimi manentem aggrediuntur, sed uolantem capere conantur. Fertur etiam à columbis quodq; accipitrum genus cognosci. itaq; cum accipiter prouolat, si sublimipeta est, manent quo constiterint loco: sed si humipeta, qui prouolat, est, non manent, sed continuò auolant; Hæc ille. Quæ uerò decem hæc genera sint, paulò mox ipsius Aristotelis uerbis explicabitur. Accipitres campestres appellãt perdicarios, leporarios, picarios: Lacustres & riuularios lacunariosq;, dicunt anatarios, Budæus. Plinius genera accipitrum (inquit Guil. Budæus) sedecim meminisse se dicit, nec tamen prosequitur ne nominatim quidem, cum Aristoteles genera tantum decem ponat, ut fortasse erratum esse in notis numeri apud Plinium suspicari debeamus. Quæcunq; enim de aquila & accipitre dicit, ex Aristotele ad uerbum uertisse uidetur. Hodie nomina seruari (ut arbitror) uix possunt, quo modo permulta in reliquis auibus piscibusq;. Primam differentiam faciunt pugillarium & pinnariorum. quidam enim pretento pugno reuocantur emissi, alterum genus non nisi pinnarum scapo reuocatur. Secunda differentia est inuolãtium & deprimentium, quòd unum genus inuolare prædam solet, alterum tantum deijcere ac deturbare. Est & alia differentia eorum qui sublimes prædam humi latentem circunuolitare solent, & cum à canibus aut uenatoribus excitata est (sic enim uocauerim potius quàm aucupes) superne sese librare, deuolãtes, subuolantes, prouolantes spectanda celeritate, sic interdum prædam lancinantes ut humi afflictam enecent elisis interaneis, quod testari oculata fide possumus, qui eius oblectamenti studiosi magis in prima & plena pubertate quàm literarum fuimus. punctim subrigi casitareq; appellant. Grauiores & qui sublimi uolatu lustrare prædam atq; humi latentem prodere ac circunscribere circinatu non solent, arbo ripetæ dicuntur & statarij: quod qui non faciunt temere transuolantes, errones appellantur & stationis desertores. Quidam sublimipetæ (μετεωροθήρας Aristoteles uocat) prædam non nisi uolantem impetunt, quam si prouolatu assequi nequiuerunt, in fruteta cadentem subsequentibus magistris emicatu produnt, sagittæ modo sursum uersus elisi. Humipetæ (χαμαιτύποι Aristoteli) ad terrã cum præda deferuntur. Sunt quos sublimiuagos dicant, qui neglecta interdum præda cum differenauit, ad meridiem plerunq; aprícatione delectati in nubes licentius subuehi solent, & diu ex hominum prospectu auferri quasi quidam emansores, quod prouidentes magistri receptui Stentorea uoce canunt, interim scapum oblongo loro rotantes. Si uerò nubilauerit, nullum est periculum, Hæc omnia Budæus. Sed de accipitribus sublimipetis, humipetis, arboripetis, dictum est nonnihil supra quoq; in D. ubi de accipitre in genere egimus. Videntur autem differentiæ istæ non unius generis, sed diuersorum esse, uel Aristotele teste, qui (ut paulò ante recitauimus decem) accipitrum genera etiam ipso uenandi modo inter se dissidere scribit. Cæterum accipitres dicti nidularij, ramarij, & sori uel peregrini, non genere, sed ætate differunt, ut supra in E. docuimus: Elæophoro nomen à forma, ut in B. ubi & neaniscum & ophiocephalos accipitres à capitis forma dictos ex Demetrio Constantinopolitano memorauimus. Porrò decem accipitrum genera ab Aristotele nominãtur hæc: Accipitrum genus præcipuum buteo est, triorcha à numero testium nuncupatus, secundum æsalo. tertium circus. Stellaris autem (ἀστερίας) palumbarius & pernix (περῖνος) differunt. Latiores uerò accipitres hypotriorchæ, id est subbuteones appellantur. Alij percæ (περῖνοι) & fringillarij uocantur. Alij læues & rubetarij (λεῖοι καὶ φρυνολόχοι) qui abunde uiuunt (βιοτεύοντες) atq; humiuolę sunt. Accipitrum genera sedecim inuenimus, inquit Plinius: tum adnumerat, circon, triorchen siue buteonem, & æsalonem, qui solus omni tempore apparet, cæteri hyeme abeunt: postremò nocturnum accipitrem cymindim. ¶ Asturis, id est accipitris (inquit Tardiuus in libro Gallico) species quinq; sunt: Prima & nobilior, accipiter fœmina. Altera semiastur uocatur (demy austour qui est maistre, & peu prenant.) Tertia tercellinus, hoc est accipiter mas, qui capit perdices, grues autem capere non potest, nominatur autem tercellinus (uulgo tertiolo) quòd in uno nido tres pulli nascantur, duo fœminæ, tertius mas. Quarta sparuerius. Quinta, sabech, quem Aegyptij nominant baydach. is similis est sparuerio, sed minor, oculis cœruleis. Ex eodem Tardiuo supra in B. scripsi de accipitribus Armenio, Persico, Græco, Africo, deq; albo & nigricante: & quibus signis accipitres parui commendentur.

Tempore quo aues in libidinem aguntur, binęq; degunt generandæ sobolis causa, omne genus falconum, aliarumq; auium rapacium ad asturem (accipitrem) colliguntur, Tardiuus. Nothi accipitres esse creduntur, qui censentur in genere aquilarum, Aelianus. Θεοκρόνῳ auis notha nominatur in Ixeuticis Oppiani libro 2. accipitre patre, & aquila matre progenitus, amphibius. Genus quoddam accipitris (inquit) adeò in libidinẽ profusum est, ut uerno tempore omni robore amisso, minimarum etiam auicularum morsibus obnoxia sit. Deinde adulta ætate & sub canicula uiribus recuperatis, de auiculis sese ulciscitur, & quascunq; assecutus fuerit deuorat. Quòd si aquilæ fœminæ uocem audiuerit, adulans cum ea miscetur. Illa quæ ex ignobiliore aue conceperit oua ne incubare quidem dignatur, & ut aquilas mares lateat procul ab eis auolat. Nam illi quam adulterio corruptam senserint omnino ulciscuntur & abigunt. Pulli tandem ouis Sole concalfactis excluſi, amphibij sunt & piscium captura uictitant.

Accipiter ASTERIAS, id est stellaris ab Aristotele dictus, Nipho is esse uidetur quẽ recen-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 82 sur 825

tiores aſturem corruptè dicunt, nec aliud addit. Quod ſi ita eſt, nomen hoc ei inditum uidebitur à punctorum uarietate, quibus eum inſigniri diximus ſupra in B. Cognominantur & ardeæ & muſteli piſces ſtellares eandem ob cauſam. nam & ποικίλοι ijdem muſteli uocantur. Eſt & aquila ſtellaris Aeliano, eadem ut conijcio quæ germana & omnium maxima. Cæterum cur læues quidam accipitres (λεῖοι) ab Ariſtotele dicantur, nõ facile dixerim. nam muſteli piſces læues dici uidentur, quoniam aculeos dorſi ut acanthiæ in eodem genere non habent: Eſt & læuiraia à priuatione ſpinarum dicta. Coniecerim tamen læuem dici accipitrem, qui nullis punctis aut maculis diſtinguatur & ueluti exaſperetur, ut aſterias & cenchris. Nam & elæophoro inter accipitres nomen à maculis naſi. Eberus & Peucerus accipitrem ſtellarem Germanicè interpretantur **Blawfüß**, id eſt falconis genus cui nomen eſt à cœruleo pedum colore: læuem uerò, **Baumfalck**, id eſt falconem arborum, quas tamen interpretationes ſuas nec authoritate nec argumentis aſtruunt. Niphus accipitres λεῖος & φρυγιλόχος ſpecie diuerſos facit, πορκος uerò & αἰζίας non diuerſos. Ego uocem πορκος nec apud authores nec apud grammaticos legiſſe memini: quamobrem πορκνὸς oxytonum & cum ni in ultima legerim: quod nigricantem uel nigris maculis diſtinctum ſignificat. Percnoptero etiam aquilæ ab alarum notis uel nigritie nomen. πορκνὸς ſiue aquilam, ſiue aliud quid (ut colorem) ſignificet, uerbi πορκάζειν quod eſt nigreſcere, ſenſum continet, Varinus. Cæterum uerba πορκάζειν pro μελαίνεσθαι καὶ πετραίνειν, (nam uua cum matureſcit nigrior euadit) & πορκαίνειν pro ἀλαποικίλλεσθαι, ſine ni poſt cappa ſcribuntur: ut nomen etiam πορκώματα, τὰ ὑπὸ τῶν πωγώνων ποικίλματα. Sed & perca (πορκη ἡ πορκὶς) piſcis à colore nomen traxiſſe uidetur, lineis enim nigricantibus uariatur: unde & γραμμοπόικιλον cognominant. Scio etiam πόρνος apud Varinum legi, exponiq; κωμικῶς ἀετὸς, ὁ πόθεν ὡς καίνων καὶ νύπτων. Sed planè deprauatam uocem exiſtimo, legẽdumq; πορκνὸς, ſiue accipitrem ſiue aquilam ita cognominare libeat. Αὐτίκα δ' ἀετὸν ἦκε πελειότατον πετεηνῶν Μορφνὸν, θηρητῆρ', ὅν καὶ πορκνὸν καλέουσιν, Homerus Iliad. ω. Vbi Scholia μορφνὸν interpretantur, φόνιον, id eſt cædis auidam, uel nigram, uel rapacem: uel peculiare genus aquilæ. & mox πορκνὸν, τὸν αὐτὸν ὡς πθειρημένον, μέλαινα. ἀφ' οὗ καὶ τὸν μελανόμενον καρπὸν πορκάζειν λέγομεν. Leporis colorem epipercnõ dici legimus, quòd ſit percne oliuæ ſpecies, non acerbæ quidem, ſed nec nigreſcentis omnino, Cælius. Eratoſthenes πορκάδα κιχλῶν inter piſces nominat. Eberus & Peucerus percum putant eſſe illũ qui **Schmirlein** uulgò dicitur, quem mox in Aeſalone deſcribam: uel niſum, id eſt ſparuerium, nullis ad hoc argumentis uſi. ¶ Cæterum accipiter πόρνης, ut apud Ariſtotelem ſcribitur, à Gaza pernix transfertur. Niphus illum eſſe conijcit qui uulgo ſperuerius appellatur, & à celeritate ſic dictum ſcribens ſuam in Græcis literis imperitiam prodit. Gaza enim pernicem cõuertit, alludendo ad uocẽ Græcam, & terminationem Latinam ei aſciſcendo. nam πόρνης alioquí ſignificationem nullam apud Græcos habet. ego πορκης potius legerim, ut eadem ratio ſit nominis quæ percno iam dicto accipitri, & percæ piſci. Si quis tamen πόρνης legere malit, quòd & πόρνὸς κωμικῶς ἀετὸς apud Varinum habeatur, per me quidem licebit: etſi quod ſequitur ὁ πόθεν ὡς καίνων, uoci percnos magis conuenit. πόρνις, ſpecies accipitris, Heſychius & Varinus. πόρνης accipiter, uel (ut Gaza reddit) pernix, Ebero & Peucero exponitur uulgò dictus gyrofalco, Germanicè **Stoßfalck**, ſed abſq; authoritate & argumentis.

¶ Perdicotheros accipiter Apollini ſacer & miniſter eſſe dicitur, ut morphnos matri deorum, Gillius. ſed forte percnopteros legẽdum. nec; enim memini apud authores perdicotheron legiſſe. quod ſi à perdicum uenatu tale nomen componere uelis, per as in prima declinatione πορδικοθήρας dicendum fuerit, ut μετωροθήρας Ariſtoteli. Eſt autem percnopteros, ut morphnos quoq;, aquilarum generis. Accipiter mas (tercellinus) capit perdices, grues autem capere non poteſt, Tardiuus. Vidimus pridem accipitrem ex genere perdicariorum palumbis magnitudine, gruem tractim deturbantem, uiſenda ſolertia oculis inuolatam, ita ut præda torpens & in terram decidens à cane leporario exciperetur, ſtupente principe Carolo, atq; ob rei miraculum quingentis aureis emercato, Budæus.

¶ Tanyſipteros accipiter Iunoni ſacer eſt, Gillius. Apud Heſiodum quidem ταυνσίπτερος accipitris ſimpliciter epitheton eſt, ab alarum extenſione factũ. Apud Varinum legitur epitheton hoc commune eſſe auium, quæ inter uolandum alas extendunt.

¶ Accipitres chiluones à Plinio nominari, qui nunc falcones dicantur, Blondus author eſt in Latinis. Ego hanc uocem apud Plinium nuſquam reperio.

¶ פרס præræs, apud Hebræos, auis magna eſt & ſolitudinem amans, ut Dauid Kimhi interpretatur. R. Iona docet Arabicè uocari עקאב, okab. Auguſtinus Steuchus genus accipitris uel aquilæ eſſe ſuſpicatur, ſiquidem gryphes fabuloſi ſunt. Deuteronomij cap. 14. Chaldæus interpretatur עיר, ar: Arabs עקאב, ukab: Perſa סרמרי, ſomi: ſequitur tamen עיקב, okab, ut nomina uideantur tranſmutata. Vide infra in Haliæeto. LXX. γρῦπα, Hieronymus gryphem. Eruditus quidam apud nos haliæetum eſſe cõijcit. Vox quidem ipſa præræs ad Græcam πόρνης accedit, quę accipitris ſpecies eſt apud Ariſtotelem, niſi πορκης potius legendum, ut paulò ante ſcripſimus. Quod ad Perſicam uocem ſomi, inuenio apud Tardiuum ſecundam ſpeciem aquilæ quæ capreolos, id eſt paruas capreas rapiat, ſemy appellatam. Vide ſupra in Accipitre A. plura de uoce præræs.

¶ Paulò ſupra Catarrhacten Nili ſitæ ſunt Phílæ, communis Aethiopum & Aegyptiorum habitatio. Hęc templa Aegyptia habet, ubi ales colitur quem accipitrem uocant, qui nec noſtris ſimile

quicquam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 83 sur 825

quicquam habet, nec Aegyptijs. Nam & magnitudine excedit, & uarietate longè diuersus est, dicunt enim Aethiopicum esse, & inde afferri cum alter deficit, ac etiam multò ante: & tunc nobis ostensus est, cum iam morbo deficeret, Strabo libro 17. De Aegyptio quidem accipitre scriptum est supra in D.

¶ Accipitres leues & rubetarij abunde uiuunt (θυϊώτατοι, id est commodè uiuunt: quòd victum ingeniosè & strenuè sibi parent, nec pigri aut inertes sint) atq; humiuolæ (χθαμαλοπέτεται) sunt, Arist. Speruerij etiam uulgò dicti uolatu humili feruntur. Rubetarium (inquit Turnerus) esse credo accipitrem illum quem Angli hen harroër nominant à dilaniandis gallinis. Palumbarium magnitudine superat, & coloris est cinerei. Humi sedẽtes aues in agris, & gallinas in oppidis & pagis repentè adoritur. Præda frustratus, tacitus discedit, nec unquam secundum facit insultum. Per humum omnium uolat maximè, Hæc ille. Eundem accipitrem Eberus & Peucerus Turnerum sequuti **Hünerahrn** interpretantur. Nostri miluum (ni fallor) **Hünerdieb**, id est gallinarum furem appellant.

¶ Sabaudi genus quoddam accipitris auberet nuncupant.

¶ Accipitrum genera quatuor sunt. Ex ijs primum grandi corpore est, & facilè cicuratur, oculis uarijs, perlucidis, uultu hilari, pede crasso, longis unguibus, delicatum in uictu: quod aues omnes inuadit, nec ullam metuit, Liber de nat. rerum. Videtur autem primum hoc genus non aliud esse quàm accipiter uel astur simpliciter dictus.

¶ AEGITHALVS, ut Aristophanis Scholiastes scribit, species est accipitris, sic dicta quòd ubera capræ fugat. Sed parum auiculam propriè ægithalum dici, eam uerò auem quæ caprarum ubera fugere fertur ægothelam, id est caprimulgum, suo loco docebimus.

¶ OCYPTERVS etiam de genere accipitrum uidetur auis, à uolandi pernicitate dicta. nam & ὠκυπέτης accipitris simpliciter epitheton est. Miluum & ὠκύπτερον μασοφαγῶ, & aquilam in cibo damnat legislator, nullum cum illis commercium habendum insinuans, qui rapina uictitant, Clemens Pædagogi lib. 3. Et rursus quinto Stromatewn, Moses interdixit mensis aquilam, oxypterum, (ὀξύπτερον. sic enim hic scribitur non ὠκύπτερον ut supra,) miluum, coruum, innuens scilicet non oportere coniungi aut similes fieri illis, qui uictum sibi non labore parant, sed rapto & iniquitate uiuunt. aquila enim rapinam, oxypterus iniquitatem significat.

¶ FALCONES accipitrũ nobile genus antiquis fuisse putamus, Paulus Iouius. Falconum genera plura sunt, cum aliàs, tum quia specie diuersi falcones & inter se, & cum accipitribus, nisis & aquilis permiscentur, Albertus.

¶ Accipitres quidam Claronæ, qui insignis Heluetię pagus est, **Habspurger** uel **Krewelberger** dicuntur, quos audio ea magnitudine & audacia esse, ut etiam leporem retineant.

¶ Accipitrem marinum recentiores quidam parum eruditi (ut Kiranidæ interpres) conuertunt, ubi Græcè haliæetum legi conijcio, id est aquilam marinam. Sed accipitris pelagij Aelianus etiam meminit, scribens illum inimicum esse coruo.

DE AESALONE.

ACCIPITRVM genus præcipuum triorches est, secundum æsalo, Aristot. Græcè ἀισάλων scribitur, paroxyt. Apud Varinum oxytonum, quod non placet: apud Hesychium ἀισάρων corruptè. Albertus & recentiores quidam ineptè (ut solent) assalon & azalon scribunt, & cum falo, id est ægitho auicula confundunt. Aesalona Græci uocant qui solus omni tempore apparet: cæteri accipitres hyeme abeunt, Plinius. Aristoteles similiter scopes discedere scribit, aiscopes semper apparere: inter accipitres uerò buteonem tantum semper apparere. Inter minores accipitres (inquit Guilhelmus Turnerus) sola merlina, ut Angli uocant, siue smerla ut Germani, semper adparet, quamobrem eandem æsaloni esse conijcit. Aesalo uulpi est inimicus. ferit enim pilosq; eius euellit, occiditq; catulos, uncis nanq; unguibus est. Aesalonem coruus impugnat, & uulpem aduersus ipsum defendit, Aristot. Coruus cum etiam robusto æsalone decertat, Aelianus. Aesalo uocatur parua auis, oua corui frangens, cuius pulli infestantur à uulpibus. Inuicem hæc catulos eius ipsamq; uellit, quod ubi uiderint corui, contrà auxiliãtur, uelut aduersus communem hostem, Plin. Aesalo cum uulture pugnat, Aristot. Et rursus, Aesalo & uultur inuicem inimici sunt, ungues enim utriq; uncí habentur. ¶ Aesalon, qui & æsalus, ut habent grammatici quidam, sed absq; authore.

¶ Smerla uel smerlus Germanorum, **ein Smirle** uel **mirle**, ut Albertus nominat, à Gallis emerillon, à Sabaudis esmereillon uocatur, ab Italis smerlo uel smeriglio: quarum prior uox maiori uidetur conuenire, posterior minori, faciunt enim duas species, siue aliter siue sexu tantum differentes, ut smerlus fœmina sit, smerillus mas. Smeriglio, haliæetus, ethis, nisus, Alunnus absq; authore & absq; ratione. Capiunt smerilli easdem aues quas muscetí, ut audio, nonnulli etiam perdices. Fringillarium accipitrem Albertus sparuerium putat, Ephesius illum qui fringillas sequitur: hic puto est smerillus, Niphus. Falco arborũ apud Germanos dictus, medius est quantitate & uigore

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 84 sur 825



inter gibbosum falconẽ & mirle, eodemq; modo ut mirle regitur, Albertus. Decimum & ultimum falconum genus quantitate minimum est, (inquit idem Albertus) quod mirle & smirlin uulgò uocatur. Et quamuis magnitudine cæteris inferior sit, nulli tamẽ animo & audacia cedit pro corporis & uirium suarum portione, præcipue si peritia & usus accedant, spesq; auxilij à falconario propinquo. Itaque Guilielmus Falconarius refert se harum auium opera aliquãdo gruẽ cepisse. Alioqui enim alaudas & similes aues tantum uincere potest, & ad summũ perdicem & columbam, nisi (ut diximus) uires arte iuuentur. Guttas in facie habent hæ aues ut & cæteri falcones, alas longissimas respectu sui corporis, caudam mensuratam, (mediocrem intelligo:) crura & pedes planos citrinos. Minores sunt nisis, æquales ferè muscetis. Dum feri sunt, cardueles ferè capiunt. sunt enim celerrimi & insidiosi, & in capiendo ascendunt ac descendunt feriẽdo, sicut & alia falconum genera. Sed de hoc genere hæc dixisse sufficiat, quòd omnibus ferè notũ sit, Hæc Albertus de animalib. 23.14. Et mox sequenti capite, Ex falconum ignobilium genere lanarius rubeus est, qui minor est & mirle imitatur. Rursus in eodẽ libro in elemento M. Merist̃iones (inquit, ego merilliones legendũ puto, eosdemq; esse smerillis, uel mirle) aues sunt paruę, rapaces, & aliquid habẽt de falconum natura. socialiter enim uolant ad prædam, (sicut accipitres & herodij, Isidorus:) & quaterni aliquando ita instituũtur, ut spe auxilij hominis cygnũ prosternant: unus scilicet capiti, bini alis insidentes, quartus collum & pectus oppugnans. sic cygnum opprimendo deijciunt ut ab aucupe capiatur. Quando autẽ syluestres sunt, aues paruas insequuntur. Colore & figura merulam referunt (non multò maiores merula, Isidorus: & fieri potest ut inde etiam merilli uel merillones nominentur) nisi quod rostrum & ungues aduncos habent. Eadem ferè omnia Isidorus, merillum appellans: Quaterni (inquit) merilli cygnum à diuersis partibus (ut iam dictum est) inuadunt: Vnde cygnus auis grauida (grauis corporis) angustijs circumsepta, mouere se non ualens, ab aucupe præuenta capitur & occiditur. ¶ Ismerli sunt quasi falconelli, id est falcones parui, quos & corporis specie & colore pennarum referunt. Horum aucupium plus uoluptatis quàm utilitatis adfert. Capiũt præcipuè alaudas, quas tanto desiderio & impetu persequuntur, ut uel ad clibanum usq; ardentem quandoq;, uel in puteum, uel hominum uestes offendant. Capiunt etiam passeres & alias auiculas. Cætera quæ ad ipsorum institutionem & curam pertinent, ex accipitrum historia petentur, Crescentiensis. Merillo formam habet falconis, minor speruerio, uolatior quàm ulla auis alia. Aues capit easdem quas speruerius: præcipuè uerò paruas, ut passerem, alaudam, & similes, quas mira animositate persequitur. Debet cicurari & instituti intra octo dies: nam post id tempus inutilis redditur. ¶ עזניה, asnija, uocem Hebraicam, Leuit. 11. & Deuter. 14. aliqui Gallicè esmerellon interpretantur. Vide infra in Haliæeto. In Alberti commentarijs de animalibus pro æsalon legitur celon uoce corrupta, quam falconẽ lapidum interpretatur. Haliæetus, lo smiriglio, à quibusdam muschette, Scoppa grammaticus Italus. Eberus & Peucerus æsalonem Germanicè reddunt Arhn: percum uerò smerillum uel nisum, Smirlein oder Sperber.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 85 sur 825

DE BVTEONE, DE QVO PLVRA REquires infra in Lanarijs inter Falcones.



A.

ACCIPITRVM genus præcipuum (κρέπτον) buteo eſt, triorcha à numero teſtium nuncupatus, Ariſtot. Triorchen accipitrem dictum inuenimus à numero teſtium: buteonem hunc appellant Romani, Plinius. Buteo genus auis, qui ex eo ſe alit quod accipitri eripuerit, uaſtitatisq; eſt cauſa (locus eſt corruptus) his locis quæ intrauerit, ut bubo, à quo etiam appellatur buteo, Feſtus. Apud Albertum & eiuſdem claſsis authores buteus pro buteo inepte ſcribitur. ¶ Hæc auis, ut conijcio, Italicè poyana uocatur: quaſi pagana, ni fallor. nam & uillanos has aues uocant, ut dicam in Lanarijs inter Falcones. Circa lacum Verbanum aieta. Buteo à nonnullis putatur bucciarius: ſed, ut Epheſio placet, falco eſt habēs tres teſtes, Niphus. Hiſpanis

aut Luſitanis, gauiam, ni fallor. Gallis, buyſard, buzart, uel botiſant, uel bouſat, ut Sabaudis apud quos & boſe nomẽ uſitatum eſt. Sunt tamen qui dicant etiam milui alterum genus buyſart Gallicè nominari. Sabaudi quidem ſuum bouſatum quatuor genera faciunt: primum cognominant nobilem, alterum communem, tertium album aut caligatum, (blanc ou chauſſé,) quartum marinum. Buteo Anglorum busharda eſt, niſi fallor. nam miluo magnitudine æquiparatur, ſemperq; ipſe cernitur, quod de buteone Ariſtoteles ſcribit, Turnerus. Aliqui Anglicè buſſard ſcribunt. Germani quoq; noſtri **Buſhard** uocitant: uel **Buſant, Buſarhn, Buſe**, uel **Buſhen**, inferiores **Brobuyen**, ut Albertus & Murmellius annotarũt. Saxones **Rittelwy**, à ſimilitudine milui. Sunt qui eundem apud nos appellent **Maßwy**, id eſt miluum paluſtrem: quòd circa paludes auibus inſidietur, & forte etiam piſcibus: uel **Maßhuw**, id eſt bubonem paluſtrem, quòd corporis ſpecie aliquatenus bubonem referat. Genera eius tria faciunt, magnitudine diſcreta. Nos alium **Maßwy** aquilarum hiſtoriæ ſubiungemus. Accipitres nonnulli pigerrimi ſunt, & ad uolandum ignaui adeò, ut ab aliis nutriri deſiderent, & ſerò tandem ad uenationem procedant, ſolisq; ranis inſidientur, Oppianus. Hi quidem buteones eſſe uidentur, accipitrum ignauiſsimi.

B.

Buteo miluo æquatur magnitudine, Ariſtot. De genere accipitrum eſt, ſed paulò nigrior, Obſcurus. Subniger, uncis unguibus & roſtro, magnitudine ferè milui, Albert. Buteonibus teſtes terni, Plinius. ¶ Buteo apud nos triplex habetur, magnus, mediocris, & paruus. Differunt etiam coloribus. audio album quoq; reperiri.

¶ Poiana Italis uulgò dicta, auis eſt magna, ſimilis miluo, nigrior, tardior, &c. ¶ Ego olim in Sabaudia bushardum marem ad me delatum, conſideraui. Is roſtro erat breui, adunco, nigro: in fronte color ex uiridi & flauo mixtus, (quem tamen in altero quodam non deprehendi,) Pedes flaui, ad media fermè crura innatæ plumæ. Tergum fuſcum, pennæ extremæ nonnihil ruffi coloris præferebant. Interior pennarũ pars quæ mutuo obtectu latet, albeſcebat, multis denſis criſpis molliſsimisq; plumulis obſepta. In uentre & pectore pennæ albicãtes erant, nigris pleræq; maculis per medium inſignes. Capitis quoq; pennæ fuſcæ per margines albicabant. Alarum maximæ pennæ cæteris nigriores erant, ſed omnes in alis pennæ altera extremitate, interiore ſcilicet, albidæ erant. Longitudo corporis extenſi à roſtro ad imum pedem, uel etiam ad imam caudam, dodrantes duo cum palmo, hoc eſt palmi ſeptem. Cauda ab orrhopygio dodrantalis. Collum breuiſsimum, ut in omni accipitrum genere. Tota denique magnitudo & pondus uidebantur mediocrem gallinam referre. Teſtes, cum inciderem, nullos inueni, & fœminam fuiſſe puto. Rurſus uerò alio tempore marem incidi: Illi magnitudo per omnia æqualis erat ſuperiori: pondus unciarum triginta. Colore nonnihil à ſuperiore uariabat, ut in fronte & alibi. Circulus in oculis iridem nigram flauiſsimus ambiebat. Crura à uentre ad ungues uſq; digitos circiter nouem longa. Vẽter, latera & crura ſuperius plumis albis ueſtiebantur, quas latiuſculi circuli obſcurè ruffi per tranſuerſum diſtinguebant. Tota pars prona cõcolor erat, caſtanearum coloris obſcuri. Plumæ in cauda magis albebant, zonis quidem eiuſdem coloris (obſcurè ruffis) diſtinctæ. Teſtes ad ſpinam dorſi inter utroſq; renes, binos tantum (ut triorchæ nomen à ternis teſtibus non uerè ſit factum) albos ac puſillos reperi, altitudine æquali. In medio quidem particula quædam erat teſte minor & flaua. Tinnunculum quidem Itali aliqui hodie triſtinculum uocãt, quaſi à tribus teſticulis. Vngues buteoni minores infirmioresq; quàm cæteris accipitribus. ¶ Obſeruaui & buteonis pullum, nido exemptum recens, undiq; cinereum, roſtro tamẽ, pedibus oculisq; flauis. Poſt aliquod tempus oculi & anterior roſtri pars, ad fuſcum uel ſubcœruleum colorem mutabantur, cum iam quinq; aut ſex hebdomadas dierum uixiſſet.

C.

¶ Buteo ſemper cernitur, Ariſtot. quod Plinius de æſalone accipitre reddidit. ¶ Carniuorus eſt, Idem. Hoſtis eſt ranæ & rubetæ & anguis, rapit enim eos atq; exedit, Idem. Sed forte non aliter horum animalium hoſtis eſt, quàm cibi gratia. Mures & ranas pro cibo ſuo rurí inquirit, Stumpfius. Venatur ranas & mures, & auiculas pigras aut infirmas quæ uolare nequeunt: & quandoq; pullos auium rapit, Albertus. Ego in buteonis cuiuſdam inciſi uentriculo talpam integram reperi, & in alterius cuiuſdam uentriculo inſecta quædam nigra. Ἐρωδιὸς γὰρ ἔγχελυν μαιανδροῦνί τε ἰόντ' ἐνυδρίην ἐδίοντ' ἀφέλεσθε, Simonides apud Athenæum: Quaſi triorchæ ſiue triorchi piſces etiam deuorent. Notatur autem ex hoc loco buteonis ignauia, qui ab ardea ſibi anguillam eripi paſſus ſit. Buteo auis eſt tarda & pigri uolatus: præda tamen uiuit, quam uel dolo ceperit, uel languore aliquo aut pigritia detentam aſſequutus fuerit, Obſcurus. Tarditas quidem & pigritia huius auis, quam telo petitam, nõ ad primum aut ſecundum ictum, ſed uix ad tertium cedere aiunt, prouerbio apud nos occaſionem fecit, **Du ſitzeſt wie ein Bußhart**, Buteonis inſtar ſedes, in homines ignauos & diutius ad menſam uel alibi otioſè deſidentes.

D.

Buteo uilis ac timidus eſt, & uel à paruis auibus nonnunquam fugatur. quamobrem Itali timidos & effœminatos prouerbio poyanas uocant. Propter eandem timiditatem non audent ut milui prope domos & habitationes hominum prædam inuadere, ſed rurí & in agris eam perquirunt, Stumpfius. Hoſtis eſt ranæ, rubetæ, & anguis, rapit enim eos atque exedit, Ariſtot. ſed hoc cibi cauſa

cauſa forte potius facit, quàm quòd aliter oderit, nam & anguillam capit, ut ſupra ex Simonide recitaui. Harpæ & miluo communes inimicitiæ contra triorchin ſunt, Plinius. Et rurſus, Harpæ & triorches accipiter diſſident. Sed forte hæc non rectè ex Ariſtotele tranſtulit, apud quem in hiſtoria animalium ſic legitur: Quæ cibum à mari petunt, anas, gauia (βρύωδ & κὰι λωΐ) inuicem diſſident. buteo in alio genere hoſtis ranæ & rubetæ & anguis eſt. Et rurſus, Amici etiam piſcx, harpa, miluus.

E.

Buteo capitur uiſco, nempe mure humi poſito (ab aucupe faciem auertente) & circumquaq; illitis uiſco uirgis erectis: quibus buteo murem rapturus implicatur, Stumpfius.

F.

Buteo quanquam auis rapax, à quibuſdam tamen inter delicias ciborum appetitur, Stumpfius. Pingueſcunt apud nos, & uæneunt deplumati. In Balearibus inſulis buteo etiam accipitrum generis in honore menſarum eſt, Plinius. Dulciſsimus & boni ſaporis in cibo eſt, ſi aſſus edatur, Albertus & Author libri de nat. rerum.

G.

Qui in Venerem infirmior erit, teſticulos millonis ex aqua fontana, quæ perennis eſt, cũ melle decoctos edat ieiunus per triduum, ſtatim remediabitur, Marcellus. Cæterum quæ nam auis ſit millo, nuſquam legere memini. coniicio autem triorchen eſſe, quæ miluo ſimilis deſcribitur, ut auis maximè teſticulati teſtes, à quibus ternis etiam nomen adeptus eſt, ad promouendam Veneream facultatem adhibeantur.

H.

a. Millo apud Marcellum Empiricum buteo eſſe uidetur, ut iam in G. ſcripſimus. Falco niger accedit ad formam auis quæ butorius uocatur, Albertus: lego buteus, ſic enim ab Alberto & eiuſdem farinæ ſcriptoribus buteo nominatur. Cæterum butorius iiſdem auis eſt ex ardearum genere, quæ ab authore Philomelæ butio per onomatopœian appellatur hoc uerſu, Inq; paludiferis butio bubit aquis. Triorches, phrynus & ophis pugnant, Ariſtot. Hunc locum Albertus ex Auicennæ translatione Græcis uocabulis turpiſsimè corruptis ſic uertit, Frichachyz & coronos, id eſt coruus aquaticus. tyrus autem aquaticum eſt animal uocatum trihaue. Τελόρχης quidem uox uſitatior eſt pro buteone, ſed legitur etiam τέλορχος, ut ſupra in C. ex Simonide citaui: & in Auibus Ariſtophanis, Ταυτὶ νὴ τὸν ξυλλήψεται, Ἀναπτάμενος τέλορχος; Vbi Scholia, loco nominat triorchum indicata Iride meretrice. nimirum pro homine libidinoſo & prono ad Venerem. Τέλορχος uel τριόρχης, ſpecies eſt aquilæ, Varinus & Heſychius. Sed illi aquilę nomen ad accipitres non rectè extendunt. Κεγχρίλης, τριόρχης, lidem. ego tinnunculum accipitrẽ potius, qui & κεγχρὶς & κεγχρὶς uocatur, cenchrilen eſſe dixerim. Μόρμυνις, τριόρχος, Heſychius & Varin. Βελλάνης, τριόρχης, apud Laconas, lidem. Germani quidem & Angli (ut in A. docui) buteonem **Buſhard** uocant: tetracem uerò ſiue tetraonem Angli priuatim buſtard, alij ex eis melius biſtard, ut & alij quidam recentiores biſtardam. ¶ Epitheta huius auis nulla inuenio, poſſunt tamen hæc eſſe, tardus, ignauus, timidus, uilis, ignobilis, & huiuſmodi.

¶ Tertia eſt centauris cognomine triorchis, qui eam ſecat, rarum eſt ut non uulneret ſeſe. Hæc ſuccum ſanguineum mittit. Theophraſtus defendi eam, impugnariq; colligentes tradit à triorche accipitrum genere, à quo & nomen accepit. Imperiti confundunt hæc omnia (centaurij genera) & unigeneri aſsignant, Plinius. Quibus uerbis dum aliorum imperitiam arguit, ſuam ipſe prodit. Apparet enim omnino eum eſſe deceptum Theophraſti uerbis non intellectis, qui de hiſt. plant. 9.9. ſic ſcribit. Febrifugiam ſecantes accipitrem triteſtigerum (ſic Gaza uertit triorchen) nuncupatum cauere aiunt, ut ſine uulnere poſsint diſcedere. Non igitur herba ipſa triorchis uocatur, ſed ab accipitre huius nominis fodienti periculum eſſe aiebant homines ſiue ſuperſtitioſi, ſiue impoſtores uerius. Gaza eo loco non rectè febrifugiam uertit, quod nomen minori non maiori centaurio conuenit. Maioris quidem radix ſucco ſanguineo eſt: minoris inutilis. tertium uerò genus à bonis authoribus nullum traditur. Idem Theophraſtus de hiſt. plant. 1.19. centaurij ſuccum amarum eſſe ſcribit, de minore intelligens, (cui præter nomen nihil commune cum maiore,) ubi Gaza rectè fel terræ tranſtulit. Rurſus lib. 9. cap. 14. Centauris (inquit Theophraſtus) per 12. annos durat. eſt autem pinguis & denſa. quæ uerba de centaurio maiore accipi debẽt, hoc eſt eius radice. etſi centauris formula diminutiua dicatur. Gaza hoc loco non rectè fel terræ poſuit. Item eiuſdem operis 3. 5. Centaurium in Eleo agro naſcitur. montuoſis quidem locis fœcundum: planis infœcundum & flore tantum gaudens: concauis uerò ne floret quidem niſi improbè. Hæc etiam uerba ad maius centaurium refero. Poſtremò initio lib. 9. Succus quorundam (inquit) ſanguineus eſt, ut ceuteriæ (κόυτηα εἰα) & atractylidi. Vbi omnino non ceuteria, ſed centaurium legendum, intelligendumq; maius. Hæc occaſione triorchis herbæ, quam ſomniauit Plinius, obſeruata mihi apud Theophraſtũ, necdum ab alijs quod ſciam prodita, hoc loco adferre uolui.

¶ Familia etiam ex buteone cognominata eſt, cum proſpero auſpicio in ducis naui ſediſſet, Plinius. Ego (inquit Cælius) in gente Fabia id fuiſſe cognomentum accipio. Nam ab urbe condita libro uigeſimotertio T. Liuius M. Fabium Buteonem nominat. Meminit & in Fabio Maximo Plu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 88 sur 825

tarchus. Sed ibi mendum (opinor) inoleuit: nam ſcribitur modò Fabius Bulco. Græcus tamen codex φαλέιον præfert βαλιῶνα, &c. Denique Buteonis oratoris mentio eſt Senecæ Controuerſiarum lib. 2. Cælius. Et rurſus, Triorchæ auis Ariſtophanes meminit in Veſpis. Et quoniam hæc auis, ut ſcribit Sex. Pompeius, uaſtitatis eſt cauſa in his locis quæ intrauerit, ab hac eius natura uideri poteſt Agathocles tyrannus cognomentũ traxiſſe: niſi quis malit ab efferata libidine. Nam egreſſus Agathocles pubertatis annos libidinem à uiris tranſtulit ad fœminas. Traditur item quum eſſet perfunctus fato, uxorem querulam flebilibus modis illud ſubinde ingeſsiſſe: Τί δ' ἐκ ἐγώσε; Τί δ' ἐκ ἐμὲ σύ; Quid non ego tibi? quid tu non præſtitiſti mihi?

¶ h. Buteonem Dianæ ſacrum eſſe dicunt, Gillius. ¶ Quòd ſi animantium cruore afficiuntur ſuperi, cur non mactatis illis immuſſulos, buteones, &c? Arnobius lib. 7. cõtra gentes. ¶ Triorchæ accipitri principatum in augurijs Phemonoë dedit, buteonem hunc appellant Romani, familia etiam ex eo cognominata cum proſpero auſpicio in ducis nauí ſediſſet, Plinius. Alites uolatu auſpicia facientes iſtæ putabantur, buteo, ſanqualis, &c. Feſtus: quod & alibi repetit, aues oſcines ab illis diſtinguens quæ alis ac uolatu auſpicium faciunt. De augurio ex præpetibus auibus, ut buteone, ſanquali, uide in Aquila h. ¶ Prouerbia. Timidi & effœminati Italicè poyanę, id eſt buteones uocantur. Prouerbium Germanicum, **Du ſitzeſt wie ein Bußhart**, in deſides ac pigros, ſupra in c. expoſui.

DE SVBBVTEONE.

SVBBVTEONES appellantur in accipitrum genere, qui latiores ſint, Ariſtot. Græcè ſcribitur ὑποτριόρχαι. Sed quærendum eſt an γυποτριόρχαι potius legi debeat. nam & in generibus aquilarum codices noſtri gypæeton habent, & rectè quidem. refert enim ea auis ſpeciem uulturis, ut Ariſtoteles ibidẽ adſcribit. An uero ſimiliter γυποτριόρχαι legendũ ſit, non æquè aſſeruerim. coniectura tamen hæc noſtra eſt, præſertim cum aues iſtas latiores eſſe dicat Ariſtoteles, ut ad latitudinem ſcilicet uulturum accedant. Turnerus non maius neque latius hoc genus buteone, ſed minus facit. Subbuteonem (inquit) eſſe puto, quem Angli ringtalum appellant, ab albo circulo qui caudam circuit. Colore eſt medio inter ſuluum & nigrũ, buteone paulò minor, ſed multò agilior. Prædam eodem modo quo ſuperior captat, Hæc ille. Ego apud Græcos præpoſitionem ὑπὸ minuere interdum ſcio ſignificationem uocabulorum, ſed cum uerbis tantum compoſitã & nominibus ab ijſdem deriuatis, & adiectiuis, cum ſubſtantiuis uerò nunquam, niſi (ut dixi) uerbalia ſint. Sit igitur ſiue hypotriorches, ſiue gypotriorches potius, auis ex buteonum genere, quod triplex apud nos inueniri ſupra dixi, nominibus non aliter quod ſciam, præterquam illis quæ differentiam indicent magnitudinis, diſcretum.

DE CIRCO ACCIPITRE.

A.



CIRCVS ab Ariſtotele tertium genus accipitris numeratur poſt triorchen & æſalonem. Apud Græcos poëtas aliquando ἴρηξ κίρκος, aliàs κίρκος ſimpliciter nominatur. Sirenes apes diſsident cum circa: itemq; CIRCA (κίρκη) & circus non ſolum genere, ſed & natura inter ſe diuerſi ſunt, Aelianus & Euſtathius. CIRCANEA auis quæ uolans circuitum facit, Feſtus. Albertus circum interpretatur genus falconis cui à cœruleis pedibus nomen: Eberus & Peucerus falconem ſimpliciter: ſed nullis argumentis, quod dicunt, probant.

B.

Ex accipitrum generibus inuenimus circon claudum altero pede, Plinius. Ariſtoteles de hiſt. 9. 15. non de circo, ſed de ægitho aue ſcribit, ὅτι τὸν πόδα χωλὸς ὄτυξ, id eſt, pede claudo eſſe. Albertum χλωρὸς legiſſe uideo: uertit enim pedes habere citrinos.

C.

¶ Cercis, id eſt radius textorius, à ſono dictus eſt ἀπὸ τοῦ κρέκειν, ut & crex auis: & forte circus etiã ἀπὸ τοῦ κρείζειν per metatheſin, ut à crico organo differret, Varinus. Vide infra in a. ¶ Volatus eſt celerrimi accipiter circus, ſecundum Homerum: quamuis idem epithetõ ὠκυπτερος accipitri etiam ſimpliciter tribuit. Volando, præſertim cum inſidiatur, ut & aliæ aues rapaces & miluí, circuitum facere uidetur: ut inde circus dictus uideri poſsit, quanquam Græci auem circum appellant, circulum uerò κρίκον. Itaq; circaneam Feſti eandem eſſe conijcio, tum à nominis ſimilitudine, tum à genere uolatus. ¶ Gallina ardet ſtudio & amore pullorum: primum enim ut circum auem rapacem ſupra tectum gyros agere cognoſcit, ſtatim uehementer uociferatur, tum explicatis alis timidos pullos protegit, auemq; procacem retrocedere cogit, Gillius. Vuottonus circum inquit ex ferociorum accipitrum numero eſſe, & gallinarum domeſticarum pullis inſidiari. Τῶν δ' ὥστε ψαρῶν πέτεται κρέξ, ὅς τε σμικρῇσι φόνον φρένα ὀρνίθεσσιν, Homerus Iliad. ρ. Comparat autem Aeneam & Hectorem circo, Græcos auibus quæ à circo capiuntur.

Clangorem

Clangorem quidem aquilarum aut uulturum facile columbæ ſpernunt, non item circi & marinæ aquilæ, Aelianus. Et alibi, Aquilas marinas & circos horrent columbæ. Mus in Homeri Batrachomyomachia conqueritur ſe timere circum & muſtelam. ¶ Circus, larus, uultures, &c. mali Punici grano pereunt, Aelianus.

D.

Circi amaraginem (πικρίδα, Philes, id eſt intybũ ſylueſtre uel lactucam ſylueſtrẽ) ad cuſtodiam pullorum in nidos imponunt, Aelianus & Zoroaſtres in Geoponicis. Alibi tamen apud Philen reperio circum florem croci nido imponere. Eiuſdem generis herba eſt hieracium, cui accipitres nomen dedere, quòd eius uſu caligini oculorum medeantur, ut ſupra ſcripſimus. ¶ Cum circo accipitre uulpi inimicitiæ ſunt, Ariſtot. & Philes. circus enim, quia unguibus eſt aduncis, & carne uiuit, uulpem inuadit ac uulnerat, Ariſtot. Cum turture coruus & circus inſitas inimicitias gerunt: & turtur uiciſsim hoſtili odio ab utroque diſsidet, Aelianus. Inimicitiæ intercedunt cornici cum circo, Idem.

H.

a. Circus ſpecies eſt ἀετοῦ (grãmatici quidam Græci accipitrum & aquilarũ genus confundunt, triorchen quoq; aquilis adnumerantes, &c. ſed hic proximè pòſt nominatur ἀετὸς, & à præcedente diſtinguitur,) quæ accipiter uocatur, aquila enim maiora animalia occidit, Scholia in Homerum Iliad. ϱ. ubi poëta dixerat, circum aues paruas occidere. Ἱέραξ κίρκος ab Heſiodo quoq; memoratur. Κίρκοι, κείκοι, ἅρπαγες: & incurua omnia κίρκοι dicuntur, Heſych. quare fieri poteſt circum à roſtri & unguium aduncitate ſic uocatum eſſe. etſi grammatici quidam (Euſtathius & Varinus) per onomatopœiam ἀπὸ τοῦ κείρειν (quo uerbo Homerus alicubi utitur) per metatheſin, ut à crico, id eſt circulo ia nuæ ferreo (qui ab eodem uerbo deriuatur) differret, deriuent. Κίρκος, κείκος, ἱέραξ, κωπηλάτης, καὶ ἡ ἀγγέρα ἢ βλάσφη, Heſych. Lupi etiam genus ſecundum circus uocatur apud Oppianum, nimirum à rapacitate: ut quartum ictinus, id eſt miluus.

¶ Epitheta eſſe poſſunt quæcunq; accipitris ſimpliciter. Ἐλαφρόπτερος κίρκος, Homerus. Ὠκυπέτης, Apollonius.

¶ b. Harpyiæ in Thracia habent uulturum corpora, facies circorum, (quamuis codex impreſſus κίρκων habet per ypſilon,) Varinus in Scylla.

¶ c. Οὐδὲ κεν ἵεραξ Κίρκος ὁμαρτήσειεν ἐλαφρόπτερος κίρκος, Homerus. Equis Iberis uelociſsimis, inquit Oppianus, ſola forte aquila uolando contenderit, ἢ κίρκος ταναῇσι, ταυνσόμενος πτερύγεσσιν. Apollonius Argonaut. ſecundo, Ἠΰτε τίς τε δι' ἠέρος ὑψόθι κίρκος Ταρσὸν ἐφεὶς πνοιῇ φορέῃ τανύσσεται ἰθὺς, ὅδε πνοιῇσι ῥιπίῃ, βυκίλλεσσιν ἐνδυκέως πτερύγεσσι. Circus ὀξὺ λεληκὼς, Iliad. χ. propria enim eſt circo uox acuta, cum iam prædæ propinquus de ea apprehendenda anxius eſt, Euſtathius.

¶ d. Circus perſequitur πόρφυρα τέλεια, id eſt timidã columbam alicubi apud eũdem poëtam. Οἱ δ' ἄλλοι ἑξαῶντες ὑπὲρ ποσὶν, ἠΰτε κίρκος Ὠκυπέτης ἀγέλησιν ὑπαντρέσσωσι τέλειαι, Apollonius in Argonaut. Ἠΰτε κίρκοι Φῦλα τελειάων κλονέουσιν, Idem.

¶ h. Inter accipitrum genera inuenimus circon claudum altero pede, proſperrimi augurij nuptialibus negotijs & pecuariæ rei, Plinius. Circum de genere aquilarum columbam diſcerpentem unguibus felix nuncium attuliſſe Homerus uoluit, Alexander ab Alex. Vide ſupra in Accipitre ſimpliciter. ¶ Κίρκος Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος, Homerus. Oſtenſum eſt autẽ ſuprà accipitrem etiam ſimpliciter dictum, Apollini ſacrum eſſe.

DE CIRI VEL CIRRHIDE.

CIRRHIS, κιρρὶς, per duplex rhô, uox oxytona, piſcem ſignificat, ſic dictum à cirrho, id eſt fuluo uel pallido colore: item accipitris ſpeciem. Cirrhis etiam (paroxytonum) adonin ſignificat Cyprijs, (nimirum piſcem adonin, cui color ſubfuluus ſubrufuſue tribuitur,) Laconibus uerò lychnum, Varinus. Κιρὶς, (per rhô ſimplex, oxyt.) lychnus, auis, uel adonis, apud Lacones, Idem & Heſychius. Κῆρις, auis quædam, accipiter, uel alcyon: ſecundum alios, Heſychius & Varinus. Κίρις nomen auis, ita ſcribitur ut σίρις & ξίρις, Euſtathius. Κειρίδες, κηρίκ, ὄρνια, Idem. Κῆρυξ, genus accipitris, Idem & Suidas. Κήρυλος, auis eſt, quam aliqui κήρυκα (κήρυγ, Varinus per υ.) uocant. Antigonus quidem alcyonum mares κηρύλους nominat, Heſychius. Κίρυλος, piſcis quidam, & ſpecies auis, Idem.

¶ Ouidius Metam. lib. 8. de Scylla ſcribit in cirin auem mutata: quam metamorphoſin nos hîc partim ex Ouidio, partim ex Grammaticis paucis perſtringemus. Niſus rex fuit Megarenſium: aureos habens capillos (cui ſplendidus oſtro, id eſt purpureus, Inter honoratos medio de uertice canos Crinis (πλόκαμος, Oppianus) inhærebat magna fiducia regni, Ouid.) cui oraculo reſpõſum eſt, ipſum tam diu regno potiturum, quàm diu capillos intonſos retineret. Cum igitur à Minoë obſidio interfectum dolo ab Athenienſibus & Megarenſibus Androgeum filium Megara (Ouidius Alcathoën uocat) obſideretur, Scylla Niſi filia hoſtis (Minois) amore flagrans, ut illi magis placeret, noctu purpuream comam patri totondit, eamq; Minoi obtulit: qui dono accepto uictoria potitus Niſum euerſa regia occidit. Tum Niſus deorum commiſeratione conuerſus eſt in ſui nominis auem, quam & haliæetum uocant, perpetuum odium exercens in cirin auẽ, in quam Scylla fuit transfor-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 90 sur 825

mata, & sic dicta παρὰ τὸ κείρειν quod tondêre significat. Cum enim à Minoë impietatem eius ac proditionem detestante contempta relinqueretur, illa amoris impatiens insilit undis, Consequiturq; rates faciente cupidine uires,

Gnosiacæq; hæret comes inuidiosa carinæ,
Et modo factus auis suluis haliæetus alis,)
Illa metu puppim dimisit, & aura cadentem
Pluma fuit, plumis in auem mutata uocatur

Quam pater ut uidit (nã iam pendebat in auras,
Ibat ut hærentem rostro lacerare adunco.
Sustinuisse leuis, ne tangeret æquora, uisa est.
Cîris, & à tonso est hoc nomen adepta capillo,

Hæc Ouidius. Cuius interpretes quidam cîrin auem alaudam siue galeritam interpretantur, nimirum quòd existimarint nisum non alium esse quàm accipitrem minorem, (uulgò sparuerium uocitant) qui alaudis maximè insidiatur: qui tamen ab haliæeto plurimum differt. Ego cîrin potius è genere cepphorum esse putârim, quæ quidem aues leuissimæ minimum corporis, plurimum plumæ habent, maritimæ sunt, & circa naues uolitant clamosæ: uideturq; eis conuenire execratio ista Minois, qua Scyllam munus illud impium offerentem execratus est, Tellusq; tibi pontusq; negetur. ¶ In Ixeuticis Oppiani cirrhis oxytonum scribitur, ubi cętera ferè similiter ut apud Ouidium legimus: hoc interest quòd cirrhin non scyllam hanc uirginem uocat, aitq; illam à Minoë relegatam ad nauim per mare tractam fuisse: atq; ita in auem mutatam ab omnibus auibus nunc odio haberi: & si haliæetus ipsam oberrantem uiderit, mox per insidias eam adoriri & perdere. ¶ Cîrin auem parentem suum in capite tumulasse, (quod Galenus & alij de alauda scribunt,) apud Cælium Caicagninum legimus in libello quòd Stoici magis paradoxa scribant quàm poëtæ, quem ad imitationem libri eiusdem tituli à Plutarcho scripti composuit: in quo tamen ego nihil tale inuenio. Vergilius in Bucolicis cum scribit, Quid loquar aut Scyllã Nisi, quam fama secuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias uexasse rates, &c. Scyllam Phorci (& Cretæidis nymphæ filiam) dicere debuit, hæc enim ut Seruius narrat, media sui parte in feram mutata & in deam marinam conuersa dicitur. Sed hic memoriæ lapsus est, alioqui lib. 1. Georg. idem poëta inter signa serenitatis Scyllam Nisi filiam in auem mutatam agnoscit his uersibus: Apparet liquido sublimis in aëre Nisus, Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo. Quacunq; illa leuem fugiens secat æthera pennis, Ecce inimicus atrox magno stridore per auras Insequitur nisus. qua se fert nisus ad auras, Illa leuem fugiens raptim secat æthera pinnis. ¶ Fuit & Nisus Troiani cuiusdã nomen Aeneid. 9.

DE ACCIPITRE FRINGILLARIO.

ACCIPITRES quidam percæ & fringillarij uocantur, (φορκοι καὶ σπιζίαι,) Aristot. De percis seu percnis supra diximus. Niphus percos & spizias pro uno genere accipit. Σπιζίας, species est accipitris, Hesych. & Varin. Accipitres ambo, id est palumbarius & fringillarius, carniuori, Aristot. tanquam hæc duo genera præ cæteris accipitrum nomine uocari mereantur. habent enim alij omnes etiam alia nomina, ut triorches, æsalo, circus, asterias, pernes, percnus, læuis. hi uero duo, ut & rubetarius, simpliciter accipitres dicuntur, adiecto cognomine ab animali quod singuli præcipuè capiunt. Fringillarium accipitrẽ Albertus sparuerium putat: Ephesius illũ qui fringillas sequitur, is puto smerillus est, Niphus. Nos supra smerillum æsalonem fecimus. In genere quidem sparuerij mas appellatur muscetus, Germanis Sprinz, quæ uox quodammodo ad spizian accedit. ¶ Fringillarium (inquit Turnerus) Anglorum hobbiã esse conijcio. Est autẽ hobbia accipiter minimus, coloris cæteris nigrioris. In capite duos habet nigerrimos in pallido nævos. Galeritas & fringillas plerunq; captat, in excelsis arboribus nidulatur, & hyeme nusquam cernitur. His uerbis Turnerus minimum accipitris genus, quod nostri ab arbore denominant, designare uidetur, de quo infra inter falcones agetur. Accipitres palumbarius & fringillarius, multum inter se magnitudine differunt, Aristot. maior scilicet aues maiores capit, ut palumbes: minores minor, ut fringillas. ¶ Accipitrum aliqui in cassitas ruunt & hirundines, tanquam Tereo cognati, Oppianus. Accipitrum aliqui celeres sunt ad aucupium, columbis maximè & palumbis exitiales: alij aues minores captant, Demetrius. Sed aues minores à diuersis accipitribus capiuntur, ut æsalone, circo, smerillo, nisо, musceto, falcone arboreo.

¶ Ego obseruaui ACCIPITREM Qualearium, id est coturnices uenantem, quatuor peperisse, nunquam tamen plures, Niphus. ¶ Eberus & Peucerus accipitrem fringillarium Germanicè interpretantur Rotelgeyer, nescio quàm rectè. ignotum enim nobis hoc uocabulum est, nisi quòd de genere uulturum uidetur, cum geyr uulturem significet.

DE ACCIPITRE PALVMBARIO.

ACCIPITER palumbarius, stellaris, & pernes differũt, Aristoteles. De hoc quædam etiam proximè in fringillario diximus. Græci φασσοφόνον cognominant, quòd φάσσας, id est palumbes imprimis persequatur. Ἔστι δὲ (addo φάσσα) εἶδος πρηστῆρος ὑπὸ τῶν πτηνογόνα, Hesych. & Varinus. nos contra potius πτηνογόνα speciem esse dicimus ὑπὸ τῶν πρηστῆρα. Palumbarius in ferociorum accipitrum numero censetur, Vuottonus. φαλοτύπης, genus accipitris est, & (addo φάψ) genus columbę syluestris frugiuoræ,

frugiuoræ, Heſych. & Varinus. φαλοκῆσον, ἱερακοκῆσον, Heſychius. ego legerim, ἱέρακες ὁ τῆς φάλης κῆσ νων. φαλακῆσονι (apud Heſychium φαλακῆσονιο) genus accipitris, Varinus. uidetur autem legendum φαλοκῆσον aut φαλοκῆσον. ¶ Accipiter palumbarius eſt falco tertiolus dictus (id eſt mas in genere falconis,) Niphus. Et alibi, Accipitrem palumbarium (inquit) Albertus aſturem exponit (id eſt accipitrem maiorem. nam is quoq; columbas capit. uide ſupra in D. in Accipitre in genere,) Epheſius falconem gentilem qui palumbos inſequitur. Accipitrem palumbarium ideo Anglorum ſparhauc am & Germanorum ſperuerum (Sperwer) eſſe puto, quòd palumbos, columbos, perdices & grandiuſculas aues inſequatur, Turnerus. ¶ Homerus celeritatem uiſus & actionis, aliàs confert accipitri ὠκείῃ φασσοφόνῳ, ὅστ' ὠκιστος πετεηνῶν, aliàs aquilę, &c. Varinus in παραβολή. Palumbarius accipiter omnium celerrimè uolat, Porphyrius lib. 3. de abſtinẽtia ab animatis. Eberus & Peucerus Germanicè interpretantur Taubenfalck, id eſt falconẽ columbarium. Columbarium accipitrem alicubi legi Mercurio ſacrum eſſe. Quæ nunc Thisbeas agitat mutata columbas, Ouidius XI. Metam. dẽ Dædalione mutato in auem rapacem, grammatici dicunt accipitrem.

DE SPARVERIO VEL NISO RECENTIORUM. NAM NISUS OUIDIJ HALIÆETUS EST.

A.

ACCIPITRES ambo carniuori ſunt, id eſt palumbarius & fringillarius, qui multum inter ſe magnitudine differunt, Ariſtot. Veniunt enim hæc duo genera præ cæteris accipitrum nomine, cum apud ueteres, ut iam ſupra in Fringillario docui: tum apud recentiores, qui plæriq; omnes accipitrem in duo genera diſtrahunt: magnum alio nomine aſturem appellantes, paruum uerò niſum, id eſt ſparuerium. nam ueterũ niſus halięetus eſt, id eſt aquila marina, de qua ſuo loco agemus. Ego quidem ſparuerium eundem & fringillarium eſſe cum Alberto ſentio: quanquam Turnerus palumbarium ſperuuerum eſſe ſuſpicetur. Vide ſupra in Fringillario. Mich. Epheſius minimum accipitrem ſparuerium interpretatur, Niphus. Cuculus magnitudine atq; uolatu ſimilis eſt accipitri minimo, &c. Ariſtot. Hic Auicennæ interpres conuertit, & eſt æqualis aui quæ dicitur ſparaxonis. ego ſparuerium intelligo, ut etiam Niphus. Accipiter minor Latinè niſus uocatur, à conatu ad prædã, quia nititur capere aues ſe fortiores, ut columbam, anatem, corniculam, Albertus. Et rurſus, Niſum uulgò ſperuerium uocant. Fieri quidem poteſt ut uox niſus ab Hebræis deſcenderit, qui neſer aquilam uocant: & nez accipitrem, alij aſturem, alij niſum interpretantur. Vide ſupra in Accipitre A. Eliota Anglus ſparuerium accipitrem humipetam cognominat. Pernix accipiter, ὠκύπτης, à celeritate dictus, ſparuerius appellatur ruſticè, Niphus. Sed de uoce ὠκύπτης, & contra Niphi etymologiam, ſcripſi ſupra in Capite de accipitribus diuerſis. Columbæ cum ſimul uolant, nec ſerpens nec oxiteros (forte oxypteros uel ocypteros) id eſt ſparauerius, eas lædere poteſt uel audet, Kiranides lib. 3. Sed idem lib. 1. elemẽto ultimo ocypteron chelidona, id eſt hirundinem interpretatur. ὠκυπέτης apud Heſiodũ accipitris epitheton eſt. ¶ Itali hoc genus accipitris uocant ſparuiero, uel ut alij ſcribunt ſparauier, ſparauiero, ſparauero: & aliqui illum diſtinguunt in maiorem & minorem, neſcio an propter ſexum tantum magnitudine differentem, an quòd ſpecie differant. Aliqui (ut audio) loyette nominant, quòd alaudas uenetur. Galli eſperuier, uel eſparuier. Germani Sperber uel Sperwer. Friſij (ni fallor) Wickel, niſi is tinnunculus eſt per onomatopœiam. Angli ſparhauke. Poloni ſokol. Græci uulgò ξόυπφι, forte corrupto nomine ab oxyptero. Eberus & Peucerus percum Ariſtotelis ſmerillum uulgò dictum, aut ſperuerium eſſe ſuſpicantur.

¶ Qui muſcetum & niſum genere diſtinguũt, (ut Aquila, Theodotion & Symmachus) errant, ſexu enim duntaxat differunt, (ut ſcripſimus in Accipitre A.) cum niſus fœmina ſit, muſcetus mas, Albert. Accipitrum genus tertium niſus eſt: quartum frogellus quem muſcetum dicimus. multo quidem minor, ſed colore conſimilis, ſicut niſus accipitri conſimilis eſt in diſpoſitione habitus & colore. Hæc auis (muſcetus) citò manſueſcit, & delicatè nutriri poſtulat. leuiter aucupatur, & uelox eſt ad uolatum, Author libri de nat. rerum. Vocem frogellum detortam puto à fringillario. Vnde & Hiſpani forte francello hanc auem uocant: niſi malis ita dici tanquam francos, id eſt nobiles uel ingenuos. Germani muſcetum uocant Sprintz, Sprintzel, Sprintzle, uel Sprintzling: quæ itidem uoces ad Græcorum σπιζίαν, id eſt fringillarium accedunt, de quo ſuperius ſeorſim egimus. Quinta accipitris ſpecies ſabech uocatur, quam Aegyptij nominant baydach, ſimilis ſparuerio, minor tamen, oculis ferè cœruleis, Tardiuus. Videtur autem idem hic & muſcetus eſſe. nam proximè quoq; aſturem marem ceu ſpecies duas diuerſas numerauit. Smerillus minor eſt quàm niſus, magnitudine ferè niſi illius quem muſchet uocant, Albertus. Flandri (qui multis uocabulis Gallicis utuntur) Muſchet appellant. Scoppa grammaticus Italus haliæetum interpretatur ſmerillum, uel muſcetum. Muſcetum capere aiunt coturnices, alaudas, paſſeres, cæterasq; aues paruas: ad magnitudinem tamen inutilem eſſe.

¶ Sparuerius accipitris naturæ proximus eſt: quamobrem pleraque in hiſtoria Accipitris ſimi-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 92 sur 825

pliciter iam à nobis prodita, illi quoque communia erunt.

B.

Astures & speruerij quos Apulia mittit, nostris multò maiores & præstantiores sunt. Accipiter est ferè eiusdem figuræ cum nisо, qui semper uarius (lego, qui speruerius) uocatur, sed maior eo est, Albert. Nisus auis est nobilis forma & robore, minor quàm herodius, (accipiter, Stumpfius,) sed unus est color plumarum ambobus, Author libri de nat. rerum. Minimus & uilissimus est in genere accipitrum, Stumpfius. ¶ In regionibus Europæ ad ultimum Septentrionem sitis, speruerij albi inueniuntur, Olaus Magnus in descriptione Germanica. nam in Latina, picas pro speruerijs posuit. Speruerij ruffi dicti, quòd maculis rubentibus eorum pectora insigniãtur, nobiles existimantur ad uenationem coturnicum & perdicum. Nisus in facie guttas habet, sicut peregrinus & cætera falconum genera, Albertus. Ingluuies (pappam uocãt indocti) in quibusdam parua est, & fermè rotunda, ut in speruerio & columba, Albertus. Asturis & nisi cauda dependet (propter longitudinem scilicet) quod in falconibus non probatur, Idem. ¶ Superioribus annis quum nisum minorem (muscetum) mortuum manibus tenerem, obseruaui in eo crura subflaua, nigris unguibus aduncis armata, decem digitos longa. Rostrum exiguum, breue, nigrũ: cuius inferior pars canaliculata, non acuta, superior deorsum ualde inflexa, acutissimaq́, ut in aue quam infra lanium appellabimus, (thurnkretzer.) Lingua exigua, nigricans, non acuta. Longitudo à capite ad finem caudæ palmi quatuor, hoc est digiti sedecim. Tota pars prona, capite, alis, dorso, cauda, eodem & simplice colore est, nigro diluto. Caudæ interioris pennæ alternis spatijs candicant ac nigricant: & sub alis similiter. Ad principium caudæ, multæ sunt albæ plumæ. Cauda circiter duos palmos longa. Relíqua parte supina, nempe collo, pectore, uentre, plumæ sunt alternis albidæ & ruffæ, alicubi tamen nigricantes. Albicare etiam uidetur extremitas pennarum caudæ.

C.

Sonus falconum ut plurimum crassior & prolixior est, & ab acuto in grauius procedens, quàm asturum uel nisorum, Albertus. Volatu nisus admodum uelox est. ¶ Speruerius pennas mutat mense Martio aut Aprili, mutationem Augusto perfecit, Tardiuus. Ex accipitre minimo, id est sparuerio, ueterum quidam putarunt cuculum fieri. Vide supra in Accipitre C. & infra in Cuculo. ¶ Nisi coëunt aliquando cum falconibus, Albert. Nidificant in abietibus, & oua (ut audio) quaterna aut quina pariunt. Quasnam aues uenetur, dicemus mox in E. nam de musceto dictum est in A.

D.

Nisus licet minor accipitre, æquè tamẽ animosus est, & alacris pro sua facultate. Ad uenandum promptissimus, quamuis minimus inter aues aucupij studiosas, Obscurus. Sola hæc auis (inquit Albertus) prædæ socios dedignatur: & expertus sum, quòd si duo nisi pariter emittantur, præda dimissa alter inuadit alterum. Aiunt etiam quòd auem hyeme uiuam teneat sub pedibus caloris gratia, & nocte transacta beneficij memor uiuam auolare permittat: quod an uerum sit expertus non sum, Hæc ille. Obscurus quidam non nisum, sed accipitrem simpliciter, hoc facere scribit. Vide in Accipitre H.d. Nisum aiunt socios uolatus recusare, quasi inuidia aliqua & ambitione ad uictoriam moueatur, ac solus ea potiri uelit: sed uerisimilius est eum inhiare prædæ tantũ, ne si in uolatu socium habuerit, idem ad pastum quoq; admittatur. Certum est enim nisum parem sui generis asperari, eumq́ tanquam alienam auem persequi, idq́ contra totius auium generis naturam. Omnis enim auis in uolatu prædam capiens, Aristotele teste, parcit sui generis auibus. Solus itaq; nisus huius generositatis expers est: ut homo etiam solus ferè animalium terrestrium in sui generis animal insidias molitur, Author libri de nat. rerum. ¶ Nisus ac triciolus (accipiter mas) locum eligunt in quo aues captas deplumant singulis diebus, multaq́ diligentia mundant quandiu compares aues (fœminæ) incubant, quibus eas ministrant, Obscurus. ¶ Albertus sua obseruatione & Auicennæ & quorundam aucupum asserit accipitres, quos uocant astures & sparuerios, pullos suos uolantes enutrire uno mense, postea se ab eis retrahere: docereq́ illos capere aues, ferendo eis uiuas aues, quas dimittentes concitant ad capiendum: & cum agnoscunt posse uenari, derelinquunt, Niphus.

E.

Nisi capiuntur similiter ut accipitres, nempe reti, graculo aut auicula aliqua (nisi & musceti præcipuè illa quam zaranto Itali uocant è genere chloridum,) iuxta rete alligata & exposita. Vide supra in Accipitre E. ¶ Cito mansuescit, & delicatè nutriri postulat, & leuiter aucupatur, Author libri de nat. rerum. Falcones & nisi bene nutriti ac instituti ad domicilium reuertuntur sicut columbæ, Albertus. De institutione & mansuefactione nisi, Alberti uerba recitaui supra in Accipitre E. Falco amat socium uenandi falconem, & diuidit cum eo prædam sine pugna, quod non facit astur uel nisus, Albertus. Vide paulò ante in D. ¶ Speruerius capit omnes uolucres quas & astur, maioribus tantum exceptis, Tardiuus. Columbas, & alias quascunque assequi potest, Stumpfius. Nisus uocatur à nisu, id est conatu ad prædam, quia nititur capere aues se fortiores, sicut columbam, anatem & corniculam, Albertus. Speruerij laudabiles capiunt anates, palumbes, perdices, coturnices, graculos, picas, alaudas, & omne genus auium minorum.

Si

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 93 sur 825

G.

Si mulieris partus differatur, & parturigines absint: item ad secundas pellendas, fimum speruerij tritum prodest: Vide supra in Accipitre G.

H.

Nostri sorbum arborem **sperwerbaum** uocant, per epenthesin literæ p. cum sperueriο quidem nihil ei commune. ¶ Nisus rex apud Ouidium in haliæetum, id est aquilam marinam mutatus celebratur, ut in Cirrhide scripsimus. De haliæeto uerò inter aquilas scribetur.

DE TINNVNCVLO ACCIPITRE.

A.



CENCHRIDEM accipitrum generis Græci faciũt, Plinius. Videtur autem ignorasse eandem auem Latinis tinnunculum dici, cum Græcam uocem semper relinquat. nam tinnunculi semel tantum meminit, lib. 10. cap. 37. quem locum nõ è Græcis transtulit, sed à Columella sumpsit. Loco Plinij iam citato antiqua ferè lectio tristunculus habet, quod & Theodorus quandoq; sequitur: ex maiori uerò parte tinnunculus, (scilicet uertit Theodorus ex Aristotele pro cenchride uoce Græca,) Hermolaus. Ego tinnunculus (per n. duplex. nam Grãmatici quidam non rectè per n. simplex scribunt) legere malim, ut in Columellæ etiam codicibus habetur, unde mutuatus est Plinius. Videtur autem tinnunculus per onomatopœiam dici à tinnitu: tristunculus cur diceretur ratione non uideo, nisi forte tanquam à tribus testiculis ut apud Græcos accipiter triorches. Niphus quidem tinnunculum uulgo in quibusdam Italiæ locis tristinculum nominari scribit. Ego tristunculum in Gazæ traductione nusquam legi, sed ubiq; tinunculum per n. simplex, quũ per duplex potius (ut dixi) scribẽdum uideatur. Cenchridem eandem puto quam Latini tinunculum uocant, Ruellius: & Hermolaus qui per n. duplex scribit. ¶ Ab Italis hodie canibellus uocatur, & tristinculus, & tristarellus, Niphus. Ab alijs in Italia gauinellus, quem duplicem faciunt, maiorem & minorem, nimirum pro differẽtia sexus non speciei. Ab Hispanis cernicalo uel zernicalo, quæ uox formata uidetur à cenchride Græca. Iidem accipitris quoddam genus gauiam nominant, à qua uoce gauinellus ceu diminutiuum factus uidetur. A Gallis quercerela (quasi cenchridion) nominatur, Ruellius. aliqui uocem Gallicam scribunt, cercerelle. In Narbonensi Gallia uocant siricach. Germani nostri **Wannenwäher, Wandwäher, Wanntwehen, Wiegwehen.** Videtur autẽ nomen **Wannenwäher** factum ab eo quòd alas extendant uentilentq; instar uentilabri, quod uannum nominant: uel **Wandwäher**, quòd in parietibus (turrium) nidificent. Angli a kestrell, (quæ uox à quercerella Gallorum detorta uidetur) kistrel, kastrel, in regionibus ad austrum: ad boream uerò a steyngall. Eberus & Peucerus Saxonica dialecto interpretant **Steingall, Steinschmatz.**

B.

Tinnunculi in Heluetia multi reperiuntur, Stumpfius. Corpore paruo sunt, magnitudine muscheti, colore multò magis fuluo quàm reliqui accipitres, plumis mustelinis aut castaneis, unguis-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 94 sur 825

bus aduncis, roſtro aquilino, pedibus flauis, Turnerus. Tinnunculo uentriculus ſimilis eſt inglu-uiei, minimè carnoſus, Ariſtot.

C.

Cenchris aliter à tinnitu uocis appellatur tinnunculus, Textor. ¶ Papiliones ſectatur interdum: ſed & auiculas inſequitur ac dilaniat, Turnerus. Mures capit, Stumpfius. Auceps quidam aſſeruit mihi tinnunculum cum pullis in picarum nido ſibi inuentum, & ſimul paruum ſerpentem, ac ſi ſerpentibus quoq; ueſcatur. Cerchnes auis locuſtas deuorat Ariſtophani in Auibus. Edit (ut audio) reptilia: ego ueſpā ab eo deuorari uidi. ¶ Tinnunculus licet adūcis unguibus ſit, bibit tamē aliquando, ſed raro, Ariſtot. Et rurſus, Solus ferè inter uncungues bibit. At Aelianus, Cenchris (inquit) accipiter nulla potione eget. Et Suidas, Cenchrines auis eſt quæ omnino non ſitire dicitur, quod & Varinus ex eo repetijt. Atqui Ariſtoteles præ cæteris uncunguibus hanc auem bibere aliquando, teſtatur. Vide in Accipitre C. ¶ Tinnunculus nidificat in altis urbium turribus, Ruellius. In ædificijs ferè, Columella. In ædificijs & tectis eorum, Stumpfius. In cauis arboribus nidulatur & in templorum muris, & ædituoribus turribus, ut apud Germanos Argentorati & Coloniæ, & apud Anglos Morpeti obſeruaui, Turnerus. Et rurſus in epiſtola ad me, Interdum in cauis quercubus, non more cornicum ſuper fronde, ſed monedularum more in latibulis ſemper. Ardenti in fœminas amore inflammatur, moreq; hominum amatoria leuitate flagrantium, ſemper ſectando eas in oculis fert. Si quò clam fœmina abſceſſerit, ex eo maximum capit dolorem, & clangorem fundens uaſtum exclamat; utq; homines uehementer amantes ex amore uexantur, perinde amatorijs moleſtijs affligitur, Aelian. ¶ Tinnunculus inter uncungues fœcundiſsimus eſt. ſed ne ipſe quidem multa admodum parit, uerum cum plurimum quatuor, Ariſtot. de generat. 3. 1. Sed alibi, Plurima in aduncogenere parit. Iam enim quatuor (inquit) eius reperti ſunt pulli. ſed plures etiam procreari apertum eſt. Pennatorum infœcunda ſunt quæ aduncos habent ungues. cenchris ſola ex his ſupra quaterna edit oua, Plinius. ¶ Tinnunculi (cenchridis) ouum minij modo rubet, Ariſtot. rubri coloris eſt, Plinius. Cum ex oculis laborat, ſyluaticam lactucam euellit, eiusq; acerrimum ſuccum expreſſum ſuis oculis imponens, ad ſanitatem reſtituitur. Hoc uti medicamento ad ſanandos oculorum dolores medici dicuntur, unde oculorum medicina Hieracia, quaſi Accipitraria appellatur. Vnde uidere licet homines ſe auium diſcipulos profiteri, atq; etiam præ ſe ferre non uereri, Aelianus. Vide ſupra in Accipitre H. a.

D. & E.

Tinnunculus pullos diu uolātes tātiſper alit, dum ipſi ex proprio uenatu uiuere poſsint, Turner. ¶ Quomodo in oculorum doloribus hieracij ſiue lactucæ ſylueſtris ſucco utatur, dictum eſt in fine præcedentis capitis. ¶ Gaudent incolere loca non remota ab hominibus, ut muros & tecta turrium, & altiorum ædificiorum, & amantur etiam ab hominibus, quibus prędando nihil nocent, ſed proſunt potius captura murium quibus ueſcuntur, Stumpfius. ¶ Auis quæ tinnunculus uocatur cum columbis habenda eſt. defendit enim illas, terretq; accipitres naturali potētia, in tantum ut uiſum uocemq; eius fugiant. Hac de cauſa præcipuus columbis amor eorum. feruntq; ſi in quatuor angulis defodiantur in ollis nouis oblitis, non mutare ſedem columbas, Plinius. Ne columbę ſedes ſuas peroſæ relinquant, uetus eſt Democriti præceptum. Genus accipitris tinnunculum uocant ruſtici, qui ferè in ædificijs nidos facit. Eius pulli ſinguli fictilibus ollis conduntur, ſtipatisq; opercula ſupponuntur (ſuperponuntur, forte) & gypſo lita uaſa in angulis columbarij ſuſpenduntur. quæ res auibus amorem loci ſic conciliat, ne unquā deſerant, Columella. ¶ Tinnunculi auiculas captant ſicut ſmerilli, Stumpfius. poſſunt enim ut audio ſimiliter cicurari.

G.

Fimum cenchridis (accipitrum generis hanc Græci faciūt) albugines oculorum extenuat, Plin.

H.

Accipitris & criſtatelæ (forte triſtunculi) ſtercus, legitur apud Auicennam 2. 614. ex ueteri interpretatione, ubi Bellunenſis habet, Stercus albazi & falconis ſachari. Cenchris Græcè uocatur quaſi miliaria. nam milium à Græcis cenchros, à Strabone cenchrys dicitur, Hermolaus & Ruellius. Quid autem huic auicum milio commune ſit, nemo explicat: ego coniecturas meas afferam. Miliariæ quidem aues Varroni dicuntur, quæ milio paſcuntur: & κεγχίτται Oppiano ex anſerum uel auium aquaticarum genere, milio ineſcati capiuntur. Tinnunculus uerò milium nō edit, quare alia huius nominis cauſa inquirenda eſt. Cenchrines, (uel, ut alij ſcribunt, cenchrites,) ſerpentis genus eſt, quem ſic dictum aiunt, uel quòd tempore milij appareat, uel quòd colore uario ſit inſtar milij, Etymologus. Aëtius hunc ſerpentem colore uiridi deſcribit, maximè iuxta aluum, ut milium colore referat, unde & cenchrias (inquit) appellatur: aiunt etiam hūc ſeipſo fortiorem fieri cum milium floret. Eſt & cenchrias, id eſt miliaris, genus ulceris herpetis, à ſimilitudine quam habet cum granis milij dictum, quòd iſtorum inſtar exiguis puſtulis exaſperetur. Et forte eandem ob cauſam à milio nomen tum auitum ſerpenti datū eſt, quòd multis milij inſtar punctis inſignes ſpectentur: niſi quis aliam ex prædictis rationem malit. Nominatur autem hæc auis non tantum κεγχρὶς, ſed etiam κεγχρίνης apud Suidā & Varinum. (Κεγχρίλης uerò apud Heſych. πηιόεχος eſt.) Item κεγχρὶς apud Suidam in uoce ταμιδώνυχος. In Auium choro apud Ariſtophanem κόρχνης nominatur, ubi in

Scholijs

Scholiſtes κορχνὶς biſſyllabum legitur, his uerbis: Cerchnis auis in Callimachi libro de auibus non memoratur, ſed κορχνή. Et quibuſdam interiectis, Didymus paruum accipitrem interpretatur. Vbi ego omnino cenchridem accipio, ut κορχνὶς Didymo idem quod κεγχρὶς ſit. Si homines colant aues, uites eorum immunes erunt à locuſtis, Ἀλλὰ γλαυκῶπ λόχ☉ εἰς αὐαῦ καὶ κορχνιδ'ων ὠὼτρίψει, Ariſtoph. in Auibus, ubi Scholiaſtes, Sic (inquit) & alibi forte κορχνὶς cum ἰῶτα legendum, non κορχνὶς. Nam alibi in eadem fabula ſic ſcribitur, Χωρεῖ δὲ πᾶς τις ὄνυχας ἀγκυλωμιῶ☉ Κορχνῆς, τριόρχης, γύψ. ubi κορχνῆς cum ἰῶτα ſubſcripto legendum uidetur, circunflexum ita ut eſt: quanquam Scholiaſtes ſuprà oxytonum ſcripſit. Οὗτοι μὰ τὰς κορχνῆσλας, Ariſtoph. ibidem. Et rurſus, Ἀλλὰ πῆρ'ὸ με ταχέσι καὶ πάφοις πῆροῖς ἱρ'ακος, ἢ κορχνῆσδς. Eubulus apud Athenæum κορχνῆδ'ας nominat inter paruas auiculas, nempe ἀτίνια, ἀκανθυλλίδας, βιῆδακας. & hæ forſan miliariæ Latinorũ fuerint, de quibus ſuo loco dicemus.

¶ Iſchades (genus ficuum) κεγχρίπδες apud Suidam memorãtur. alioqui cenchramidas uocant ſemina ſeu grana interiora ficuum miliꝭ ſeminibus ſimilia. Κόρχυ, genus eſt auis, καὶ τὸ ἐκ ῥῖ μελαί=νης ἔψημα. pro μελαίνης lego μιλίνης, ut ferculum ſit è panico. nam & è milio ferculum κεγχρίνη dicitur: & κόρχῃ☉ ſemen ſimile melinæ, id eſt panico. Κορχνώματα, τραχύσματα, κυκλώματα, καὶ ὁ πρὸς τὰς ἵππους ἀπ'ασίλων κόσμ☉, Heſych. & Κεγχρώματα, πδιεφρ'είαι, καταστρώματα, Idem. Et κορχνοειδ'ῆ, ποικίλα, τραχέα, πολύπαστα, &c. Videntur autem omnes iſtæ uoces quæ per κορχ. literas ſcribuntur, à cenchro, id eſt milio factæ, & aſperitatem aliquam ſignificare, ſic & uerbum κορχνῶ, τραχύνω. ut κόρχυ quoque auis non alia ſit quàm κεγχρὶς, &c.

DE CHALCIDE VEL CYMINDIDE, quam & hybridem & ptyngem uocari putant.

CHALCIS (inquit Ariſtoteles) raro apparet, montes etenim incolit, nigro colore eſt, magnitudine accipitris, quem *palumbarium* nominant, forma longa ac tenui. Iones cymindem eam appellant, cuius Homerus etiam meminit in Iliade, cum dicit: Chalcida diꝭ perhibent, homines dixere cymindem. Sunt qui eandem hanc auem non aliam eſſe ac ptyngem uelint. interdiu minus apparet, quia nõ clarè uidet, ſed noctu uenatur more aquilę. pugnat uerò etiã cum aquila adeò acriter, ut ſæpius ambę implexæ deferantur in terrã, & uiuæ à paſtoribus (ὑπὸ τ νομέων, Varinus nõ rectè legit ὑπὸ τῶν νέων) capiantur. Parit hæc oua duo, & ſaxis ſpeluncisq; nidulatur, Hæc Ariſtoteles de hiſt. anim. lib. 9. cap. 12. interprete Gaza. Vbi Niphus, in annotationibus ſuis, ſcribit exemplaria omnia quæ hactenus uiderit, poſt carmen Homeri, hybridis auis mentionem facere: Gazam uerò eam omittere, idq; ſibi probari, quoniam Plinius quoq; hybridis nuſquam meminerit. Sed Græca Ariſtotelis uerba perpendamus, quæ ſtatim poſt uerſum Homericum ſic ſonant. Ἡ δὲ ὕβρις, φασὶ δ'έ τινδ' ἐῖν τὸν αὐτὸν ἰῶτ'ον ὄρνιθα τῷ πτυγγί. οὕτ☉ (ſcilicet ὄρνις) ἡμέρας μὲν ὀ φαίνεται, &c. Hoc eſt, Cæterum hybris, aiunt autem aliqui hunc auem eandem eſſe ptyngi, interdiu quidem nõ apparet, &c. Varinus in uoce Κύμινδις, Ariſtotelis uerba recitans, hæc omnia (ἡ δὲ ὕβρις, φασὶ δ'έ τινδ' ἐῖν τὸν αὐτὸν ἰῶτ'ον ὄρνιθα τῷ πτυγγί) omittit, ut & Euſtathius Iliad. ξ. [conſyderandum an hæc uerba margini forte adſcripta ab aliquo, in textum à librariis inſerta ſint] & reliqua inter ſe connectit. Idem tamẽ hybridem auem nocturnam cõmemorat, in elemento Υ. ut Heſych. quoq;: qui niſi hoc in loco auis iſtius mentionem legerit, nullus ſanè alius ullius authoris occurrit. Relinquamus igitur ea quæ in omnibus exemplaribus Græcis leguntur uerba, ut ὕβρις etiam (uel ut grammatici iam citati ſcribunt, ὑβὶς oxytonum) auis nomen ſit, diuerſæ nimirum à chalcide, & maioris forſitan ac fortioris, quæ aquilam aggredi audeat. nam chalcidem λεπτὸν, id eſt gracili ac tenui corpore auem eſſe ſcribit Ariſtot. & quòd rarò appareat: hybridem uerò ſiue ptyngem, non rarò, ſed noctu tantum apparere. Porrò ſi quis cõtendat eandem eſſe auem, ut hoc illi concedam, dicam tamen fieri poſſe, ut auis eadem ſit, ſed hoc ipſum Ariſtoteles ignorârit. Certe uerba iſta, ἡ δὲ ὕβρις, omnino de aue diuerſa, (aut quam diuerſam ipſe putârit,) eum loqui teſtantur, ut uetus etiam interpres reddidit. nam & de aliis auibus diuerſis ibidem ſcripturus, ſimili initio utitur: ἡ δὲ χαλκὶς, ἡ δὲ κίῆα, &c. Iam cum ſequatur, Nidulatur autem hæc quoq; in petris & ſpeluncis, intelligendum eſt prædictum eſſe de alia quoq; aue quæ ſimiliter niduletur: atqui non reperies niſi de chalcide, quam in montibus (nimirum montium petris & ſpeluncis) nidificare dixit. Plinius quidem (non ſemper laudatus interpres) hybridis & ptyngis mentionem præterijt, quem Gaza in hoc imitatus eſt, ut ſæpe ſolet. Nocturnus accipiter (inquit Plinius) *cymindis* uocatur, rarus etiam in ſyluis, interdiu minus cernens, bellum internecinum gerit cum aquila, cohærentesq; ſæpe prehenduntur. Hermolaus apud Plinium pro cymindi cybindin in ſuis codicibus legit, nec putat mutandam eam uocem, quoniam & in aliꝭ dictionibus Græcis β. in m. tranſeat apud Latinos, ut proboſcis in promuſcide. Eadem repetit Cælius. Κύμινδις quidem in Græcorum Lexicis, & apud authores ſcribitur: quam uocem grammatici (ut Euſtathius) aiunt tum maſculino tum fœminino genere efferri. Genitiuus caſus κυμίνδιδος in Crãtylo Platonis legitur. Κυμίνδι☉ uel κύμινδος, aquila eſt, Suidas & Varinus: apud quẽ tamen κύμινδος pro κύμινδος ſcribitur. Sed apud authores cymindis tantum reperitur. Non eſt autem aquila, ut neq; accipiter, (confundunt enim grammatici aquilæ & accipitris appellationem ut diximus,) ſed propter unguium

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 96 sur 825

roſtríq; aduncitatem, & quoniam ex auium præda uiuit, aquílarum aut accípitrum generis eſſe uídetur: magis autem aquílarum, quòd aquílam ípſam ímpugnet. Sed & ἔλιος, id eſt aluco accipitris ſpecies dicitur. Somnus apud Homerum Iliad. ξ. ſopiturus Iouem, ínter abietis ramos latet, ὄρνιθι λιγυρῇ (ὀξείᾳ) χαλκίδι ἶσος, ἥν τ' ἐν ὄρεσσι Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἀνδρῶν δὲ κύμινδιν. Solet autem Homerus non rarò ἀθάνατα quædam facere, quorum nomen alterum uſitatum ſit homínibus, alterum díjs, ita deorum ſermonem ſe intellígere & à Muſis edoctum eſſe inſinuans. Platoni quidem deorum uocabula maximè ſecundum rationem ímpoſita uídentur: quæ uerò homínibus à poëta tribuuntur, & magis quæ mulieríbus, ferè barbara uídentur, & nulla eorũ ratio aut orígo nobis conſtat. Grammatici (ut Varínus) chalcídem à colore dictam ſuſpicantur, ἀπὸ τοῦ χαλκίζειν νῦν τὴν χροιὰν ἢ τὴν ποιότητα (ἢ τὴν πτῆσιν.) hoc eſt quod æris quendam colorem ínter uolandum præferat. εἶτα ὁ χαλκῶδες ἔχειν τὸ πτερόν, Scholi. ín Ariſtoph. μέλας γάρ ἐστι, χαλκίζων τὴν χρόαν, Euſtathius. nam alióqui nígra ab Ariſtotele deſcribitur. Somniculoſa eſt & caput ſemper condit ſub ramís, Scholiaſtes Homeri. Cymindis dicitur quaſi κρύπτινδις, ὅτι ἐν κρύψει τὸ ἰδιοῦν, ab occultatione. Conueniebat autem ſomnũ utpote nocturnum, aui nocturnæ & ſomniculoſæ, caputq; ínter ramos ſubínde abdenti, à poëta comparari, Varínus. caput enim abſcondit εἰς τὰς σπαγγὰς τῶν πτερύγων καταδύσασα. aut forte propter uocis ſimílitudinem ſic dicta eſt, Etymologus. Χωρεῖ δὲ πᾶς τις ὄνυχος ἀγκυλωμάτων, κόρηνος, τελέχους, γύψ, κύμινδις, ἀετός, Ariſtoph. ín Auibus: ubí Scholiaſtes dubitat an cimindis (κίμινδις, forte κικυμὶς, ut ſequetur ex Callímacho) potius ſcribendum ſit: quoníam cymindis à Callímacho non memoretur: quaſi non ſatis ſit ab Ariſtotele, Homero, Platone, &c. eam nominari, & ita ſcribi. Idem cymíndim & chalcídem eandem cum noctua ſimpliciter dicta facit, ímpoſito chalcídis nomine à colore pennarum: quæ ſententia mihi mínimè probatur. Et rurſus, Κικκαβεῶ (ínquit) uocem aíunt eſſe noctuarum, quas índe etíam κικκαβὰς nominant. alíj κικυμώδας (ſcílicet hanc uocem ædere dicunt:) Καθ' ἀγαθὴ κικυμὶς, Callímachus. Et mox, Homerus uerò cymíndin uocat noctuam, & ab æris colore chalcídem, Hæc Scholiaſtes ille. Vbí ín mentem uenit quòd Gaza apud Ariſtotelẽ pro nyctícorace, id eſt coruo nocturno cícumam tranſtulit. & ſanè nominum ſimílitudo, κικυμὶς & κύμινδις, unam & eandem eſſe auem propemodum perſuadet. cum utraq; nocturna deſcríbatur, & nyctícorax à colore corui dictus uídeatur, ut & cymíndis níger ab Ariſtotele deſcríbitur. Nyctícorax (ínquit Strabo) aquílæ æqualis eſt, uocemq; grauem ædit: ín Aegypto uerò graculi habet magnitudinẽ, & uocem omníno díuerſam. Hîc etíam magnítudo aquílæ cymíndi conuenit, uel hybridi, nam cum cõtra aquílam pugnare audeat, magnítudo etíam uíresq; aquílæ ei conueníunt. Cícumæ quídem uocabulum Gaza à Græcis accepiſſe uídetur: quanquam Grammatici κικυμώδα noctuam ſimpliciter ínterpretentur. Κικυμῶδες (Varínus κικυμὼδ habet. neutrum placet, malím κικυμὶς) γλαυξ, id eſt noctua, Heſych. Κικυμώτευε, τυφλώττειν, δυσβλέπειν, id eſt cæcutire, hallucinari, lídem & Suid. Hinc nimírum cícuma à cæcutiendo dicta. Κίκυμος, λαμπὴρ ἢ γλαυκὸς, ὁμοίως καὶ κίκυβος, Heſych. & Varínus. Nyctícoracem (ínquit Ariſtot.) nonnulli uocant otum, auem ſcílicet illam quæ ſe coturnícibus hínc abeuntibus ducem præbet. Eſt autem otus noctuæ ſimílis, &c. Ariſtot. de hiſt. 9. 12. ubí Gaza pro nyctícorace uluíam & aſionem tranſtulit. Adeò uaria & confuſa nomínibus eſt nocturnarum auíum hiſtoría, ut operæpretíum ſit díuerſa nomína ad rem quæ ſignificatur unam, aut ſaltem genus unum redígi. Sint ígitur ſi non ídem, ſaltem ſub uno genere, Chalcis, cymindis, hybris, ptynx, cícuma, nyctícorax, otus: & præterea bubo, ulula, & aluco, & ſcops. Sed ſcops minor eſt noctua, & otus quoq; forta ſſis nõ magnus. Cæteræ omnes magnæ, & quæ magnitudínis mérito cum aquíla certare poſſint. Nam bubo, βύας, non minor aquíla fertur. Aluco, ἔλιος, maior gallínaceo, pícas uenatur ut ægolíos quoque, gallínaceo æqualis, quam ululam Gaza ínterpretatur. eam ſimíliter ſaxa & ſpeluncas colere ferunt, quaternos nunquam ædere pullos, &c. Sed de ſíngulís iſtís plura ſuís locís dicentur. Hybris ſanè Græcis, & byas, ut bubo & ulula Latínis, & hybou Gallis, & Germanis Ol, Huw, Hüru, &c. nomína per onomatopœíam díræ & abſonæ uocis facta uídentur. ¶ Chalcídem píſcem Gaza ærícam tranſtulit, & ípſum forſitan à colore ſuo dictum. ¶ Quæ ad philologíam ſpectant, ín chalcíde lacerta protulímus. Harpalycen aíunt Clymeno patrí per uím mixtã, Presbonem filium coctum ei appoſuiſſe, & deínde ín auem chalcídem mutatam eſſe. alíj fabulantur quòd cum ín Chalcíde degens hæc mulier cum Ioue concubuiſſet, à Iunone ín auem conuerſa ſit. Hybris etíam uel hybrida dícitur canis natus ex uenatico & gregario, &c. Vide ín Apro c. ¶ Eberus & Peucerus cymíndim ínterpretantur Germanicè ein Bergfalck, id eſt falconem montanum, non probo.

DE ACCIPITRE AEGYPTIO, ET ALIA QVAEdam Corollaria ſuperiorum, ex Gallico opere Petri Bellonij, de rebus memorabilíbus per diuerſas regiones ſibi obſeruatis.

AVIS eſt ín Aegypto frequens, magís quàm cæteræ aues quæ rapto & cadaueríbus uíuunt, corporis magnitudíne coruum referens, capíte míluum, roſtrum ei ínter coruum & aquílam medíum, ín extremo modicè aduncum, crura etíam & pedes, partím coruũ, partím aues rapaces ímitantur.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 97 sur 825

tantur. Colore ad (falconem) sacrum accedit. quanquam fortassis alijs etiam coloribus inueniri potest. Hæc planè uidetur quam Herodotus & alij quidã ueteres accipitrem Aegyptium nominant. Et alibi, Accipitres Aegyptij perquam frequentes sunt in Aegypto: nec admodum ab ea regione discedunt.

TVRCAE quum aues rapaces, quarum opera ad uenandũ utuntur, reuocant, clamare solent, hub, hub. Falconarij Turcæ aues manu dextra gerunt, & ouis gallinarum duris nutriunt cum caro recens defuerit.

DE FALCONE IN GENERE.

A.

FALCONIS nomen pro aue non admodum uetus est. Falcones & astures nominantur à Firmico Matheseos quinto. Falcones Seruius grammaticus commemorat, quibus Guillermus, qui Rogerij regis Siciliæ auibus præfuit, librum dicauit, Volaterranus. Marchio Montherculeus librum de Falconibus condidit, Niphus. Campaniam Italiæ ciuitatem constat à Thuscis conditam uiso falconis augurio, qui Thuscica lingua capys dicitur, Seruius in decimum Aeneid. Vergilij. Vbi poëta Capyn uirum appellat, à quo nominata sit Campania, (uel potius Capua.) Itaq; Capys & uiri & auis nomẽ fuerit, ut falco etiam. Sic enim habet Suidas: φαλκων, φάλκωνος, nomen (proprium,) & species accipitris. Capuam in Campania quidam appellatam ferunt à Capy, quem à pede introrsus curuato nominarunt antiqui, falconem nostri uocant: alij à planicie regionis, Festus. Falcones accipitrum nobile genus antiquis fuisse putamus, Paulus Iouius. Aquila, Theodotion & Symmachus omnia accipitrum genera, uel omnes aues rapaces quarum usus est in aucupio, falcones uocant: Vide in Accipitre A. Nos pleraque falconibus & accipitribus communia, in Accipitris historia retulimus. sed hîc etiam in falcone nonnulla referentur, quæ ad accipitres quoq; accommodari poterũt, ut operæpretium sit ab eo qui huius uel illius historiam curiosius requirat, utranq; perlegi. ¶ Falconum quidam sunt magni, qui falcones communi nomine dicuntur: quidam parui, qui uocantur æsmerli. Rursus ex magnis alij nigri sunt, alij per comparationem albi: alij rubei, qui ex horum (albi & nigri) inter se coitu generantur, uidelicet cum mas unius speciei amissa socia sua, cum altera permiscetur, Crescentiensis. ¶ Tricelum uel trizolum (tertiolum) uulgò uocant marem in accipitrum falconumq; genere, ut in Accipitre docuimus. Accipiter palumbarius est falco tertiolus dictus, Niphus. Petrus Bembus in epistolis falconem dicit esse aquilam. Regio circa Tarnasari Indiæ urbem aquilis, quas falcones appellamus, abundat. Accipitres chiluones à Plinio uocari, quos nunc falcones nominamus, scribit in Latinis Blondus. ego in Plinio chiluonum mentionem nusquam reperio. ¶ דאה, daah, auis nomen Leuit. 7. per daleth: sed Deuteronomij 14. raah scribitur per r. Hieronymus miluum interpretatur, &c. Eruditus quidam apud nos falconem esse suspicatur. R. Salomon, בוז, kos, Deuter. 14. interpretatur מלכיו, id est falconẽ, sed bubo potius aut alia auis nocturna hac uoce significatur, ut in Bubone ostendemus. ¶ Falco apud plerosq; Europæ populos idem nomen obtinet, Italis falcon uel falcone dictus, Gallis faulcon, Germanis Falck, Belgis Valke. Illyrijs sokol.

B.

Falcones primo dicuntur uenisse de monte Gelboë, qui nõ procul Babylone distat, in Illyriam primum ad Palum nudum: inde per alios quosdam excelsos montes disperst sunt in quibus reperiuntur, Crescentiensis. (Hoc Albertus non de falconibus simpliciter, sed de nigris tantum scribit.) Falcones quibus in locis abundent, diximus in Accipitre B. In mari congelato insulæ quædam grisalchos & falcones plurimos producunt, Paulus Venetus. Falconum genus maius, ferocius & præstantius ad Septentrionem habetur, ut è Suetia & Liuonia, quæ plus quàm quinquaginta gradus ab æquinoctiali distant. & hi in cibo pisces carnibus præferunt, Albertus. Balascia regio herodios & optimos falcones habet, Idem. Aderant (in aula principis Moscouiæ) complures falcones, alij albi, alij phœnicei coloris, magnitudine excellentes, Sigismundus Liber Baro. In Septentrionalibus locis multi falcones albi reperiũtur, Olaus Magnus. Sed de falconibus albis, nigris & rubeis, quoniam non colore tantum, uerum etiam specie differunt, copiosius infra scribetur, separatim de singulis. Falconum (inquit Albertus) conueniens color est, habere maculas nigras in maxillis, & albas circa oculos utrinq; ex utraq; parte rostri, & cilia habere nigra, & cinereum subnigrum colorem in craneo & dorso & superiore colli & exteriore alarum parte, & caudæ etiam exteriore, & in alijs partibus uarium esse passim & quasi uirgulis distinctum, interruptis quandoq;. Et ista uarietas semper quidem habet nigredinem pro colore uno: sed primo anno secundus color ruffus est remissæ rubedinis: albescit autem deinceps paulatim eò amplius scilicet quò sæpius pennas mutârit. Color oculorum admodum flauus (croceus) est, ita ut ad rubedinem accedat. pupilla nigricat. Color pedum optimus croceus, multum declinans ad albedinem. nam quò minus albescunt, eò ignobilior est falco. quòd si uergat ad colorem cœruleum, is quoq; ignobilis, (ut dicemus infra in falcone qui ab hoc pedum colore denominatur.) Quanquam autem diuersæ falconum species iam di-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 98 sur 825



10

20

30

40

50

60

ris pedum & pennarum coloribus differunt, in genere tamen colores isti falconi conueniunt. Capitis quidem color iam dictus conuenit etiam nonnullis nocturnis auibus rapacibus, quæ hactenus ad falconum generositatem accedunt. Sed quoniam figura (forma & species corporis) magis quàm color ingenium (complexionem) indicat, iccirco excludũtur illæ simpliciter à falconum nobilitate, Hæc omnia Albertus. Nisus in facie guttas habet sicut peregrinus & cætera falconum genera, Idem. Aquilæ & falconis corporis partes quid differant à partibus accipitris, diximus in Accipitre B. Quod ad corporis figuram, omnibus falconibus in genere conuenit crassius habere caput, & collum breuius, & similiter breuius rostrũ, & pectus maius cum osse pectoris acuto: & alas longiores, & caudam habere contractiorem: & crura breuiora ac fortiora habere proportione sui corporis quàm cæteræ aues rapaces. Sic & reliquarum partium positam à nobis descriptionẽ per comparationem ad alias aues rapaces accipi uolumus. quanquam uerò dixerimus caput debere esse crassum, non tamen enorme caput laudamus; quòd hoc accedat ad speciem auium nocturnarum quæ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 99 sur 825

quæ omnes capita habent enormia, timidæq; sunt, magnitudine capitis materiæ potius abundantiam quàm uirtutis excellentiam indicante. Sed neq; omnino rotundum caput probamus, quòd in concauo sphærico nimis diffluant spiritus. Sed cum in asture capitis pars anterior longiuscula strin gatur paulatim, & terminetur in rostrum, sicut & aquilæ caput stringitur, caput naturale falconis neq; oblongius est, neq; stringitur, ita ut rostrum fermè uideatur sphæræ appositum, & frons eius ex rotunditate dilatatur. Superior cranei pars plana à rotunditate deficit. Maxillares partes bene rotundæ & breues sunt: quæ quidē species est humidi cholerici bene mobilis & bene audacis. nam & falconis inter aues proprium est, cito moueri in prædam, & nō discernere, & plus audere quàm possit. Idem dixerim de colli breuitate. In genere enim breue est collū falconis, magis quàm aquilę & asturis & nisi. sed nimia breuitas uituperatur, phlegmaticam frigiditatem aut melancholicam ficitatem significans, & ad proprietatem noctuarum (auium nocturnarum) accedens. ferè autem (ut in Physiognomonicis docui) quodcunq; animal speciē alterius refert, ingenio quoq; & moribus ad id accedit. Et licet crura breuia esse debeant, coxæ tamen sint longæ & bene pennatæ. Pes bene patulus, digiti fortes præcipuè in nodis articulorum, & ungues ualidi magisq; aliquantulum curuati ad interiorem pedis partem. Similiter denicq; caudam non simpliciter breuem probamus, sed comparatione ad astures & nisos. nimium enim breuis noctuæ & bubonis caudam referret. Sit igitur longitudo eius tanta, ut compositæ alæ se super caudam attingant, aut ferè attingant in extremo longiorum anteriorum pennarum: & ab illa coniunctione cauda non multum descendat, nec dependeat sicut asturis uel nisi cauda. Nam cauda longa spinæ dorsi medullam nimis humidam indicat, & timiditatem arguit, Hucusq; Albertus. ¶ Habet falco os acutum ac durum in pectore, quod ei natura prouidens indidit ad impulsionem prædæ, Author libri de nat. rerum. Quoniam falconis est ictu pectoris percutere, addidit ei natura anterius in pectore os latum, triangulum, ualidum, cuius prominens & rectus angulus in superiori pectoris est perquā durus & firmus: & super illum sunt ungues pedum, findit autem posteriori ungue quod percutit. ¶ Tardiuus laudat falconem, cui caput sit rotundum, superius planum: rostrum crassum & breue: pectus amplum, carnosum, neruosum, durum & ualidis ossibus munitum, cui falco ipse fretus eo ad feriēdum utitur. Et quoniam inquit, coxæ (femora) ei paruæ debilesq; sunt, unguibus uenatur. Anchæ (id est coxendices) plenæ sint, alæ longæ extensæq; supra caudam. cauda breuis & agilis. femora crassa, crura breuia, &c. Talis enim falco grues & aues magnas capiet. ¶ Pulchritudo & nobilitas falconis (in quacunq; falconum specie, Albertus) cognoscitur: si caput rotundum habet, & summitatē eius planam, rostrum breue & crassum, humeros (spallas uel spatulas) amplos, & pennas alarum subtiles, coxas longas, tibias breues & crassas: pedes liuidos, sparsos. Qui talis est, ut plurimum bonus erit, licet aliqui satis deformes sæpe optimi sunt inuenti. ideoq; falconum bonitas & audacia solo experimento perfectè cognoscitur, Crescentiensis. Albertus in quibusdam uariat. Caput enim requirit mediocriter crassum, pennas alarum & coxas longas, pedes latos, sparsos & macros: & falconem ipsum probat, qui frequenter pedes suos respicere soleat. Ignobilis autem est qui in aliquo uel pluribus istorum deficit. Fit tamen aliquando ut ignobilis nihilo inferior ad aucupium sit quàm nobilis, aut etiam superior, quod à falconario considerandum est. ¶ Falconum genus alas habet longas & acutas, ut aquilarum magnas & latas, Albertus. ¶ Falconum generi fel est in hepate, Idem. ¶ Accipitrem palumbariū Ephesius falconē gentilē (id est generosum) interpretatur, Niphus.

C.

Sonus (uox) falconum ut plurimum crassior & prolixior est, & ab acuto in grauius procedens quàm asturum uel nisorum, Albertus. Vide plura de uoce eorum infra in E. ¶ Accipiter semper ferè latet iuxta terram, contra morem falconum, Albertus. ¶ Tertiolus uel tricellus uocatur mas in accipitrum & falconum genere, quia simul tres in nido nascuntur, duæ fœminæ, tertius mas qui minor est fœmina, minusq; fortis, Crescentiensis. Rubei falcones nascuntur ex albi & nigri inter se coitu, Idem. ¶ In rupibus & montibus Heluetiæ nostræ reperiuntur falcones, cum alibi tum non procul Berna & Solodoro.

D.

Falco perquam animosus est, & nobilissimi generis, Crescentiensis. Auis est nobilissima, uolatu impetuosissima, & in custodia sui minus cauta, &c. ut in E. referetur amplius. Falco raptu uiuit, & solus pergit ad prædam, sicut omnis auis rapax, propter causam in Accipitre dictam, Crescentiensis. Falconis proprium est cito moueri in prædam, & non discernere, & plus audere quàm possit, Albertus. ¶ Omnis auis rapax, maximè tamē herodius & falco, pullos iam adultos eijcit è regione suæ habitationis, Albertus. ¶ In Gallia Belgica non longè ab urbe Leodio (uerba sunt Aeneæ Syluij in descriptione Europæ capite 53.) prælium inter falcones & coruos constanti fama gestum ferunt huiusmodi. Nidum siue in arbore siue in rupe falco sibi parauerat, ouaq; fouens pullos auidus expectabat. Hunc corui superuenientes loco deturbauēre, ouis eius effractis ac uoratis. Postridie mirabile dictu falcones coruiq;, quasi ex toto orbe ad pugnam uocati, isti septentrionem, illi meridionalem partem tenentes, ordinatis aciebus & tanquam rationis capaces essent, alijs qui cornua obseruarent, alijs qui media ducerent agmina dispositis, atrox ac ferocissimum prælium in aēre commiserunt. In quo cum modò corui, modò falcones cederent, & iterum resumptis uiribus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 100 sur 825

certamen inſtaurarent, totus undiq; ſubiectus ager & pennis & cadaueribus obtectus eſt. Ad extremum uictoria penes falcones fuit, qui non ſolum roſtris, ſed etiam unguibus acerrimè decertantes coruos omnes ad internecionem deleuêre. Exin paruo tempore interiecto, cum duo de Leodienſi eccleſia contenderent, alter à Gregorio tertiodecimo, alter à Benedicto duodecimo in epiſcopum electus (erant enim inter illos de Romano pontifice diſceptantes) ambo cum copijs in eundem locum pugnaturi uenerunt. Ioannes dux Burgundiæ alterum armis iuuit, alterum Leodienſis populus ſequebatur. Pugnatum eſt collatis ſignis ſumma utrinq; contentione, horrendum cruentumq; prælium factum, in quo tandem uictor Ioannes dux triginta milia hoſtium cæcidit. Memorabile eius rei fanum conditum eſt, quod nos illac poſtea tranſeuntes cæſorum oſſibus plenum uidimus. Sed de illo falconum atq; coruorum prælio, ſuam cuiq; opinionem relinquimus, ueri periculo penes famam dimiſſo, Hæc Syluius.

E.

Falcones capiuntur ut accipitres, uide in Accipitre E.

¶ De falconum inſtitutione, & quomodo tum ad manum aſſueſcant, tum audaciores ad prædam fiant. Falconum bonitas & audacia ſolo experimento perfectè cognoſci poteſt: ueruntamen eorum bonitatem & auiditatem aues capiendi, multum auget dominorum induſtria: & eoſdem à probo ingenio ſæpe reuocat eorundem imperitia, Creſcentienſis. Falcones non niſi bene nutriti & edocti, ad domicilium reuertuntur ſicut columbæ, Albertus. Et rurſus, Falcones quidam adeò domiti ſunt, ut ſponte ſemper redeant ad falconarium: alij nõ niſi in fame redeunt. Ego quidem (inquit) iam uidi falcones, qui ſine ligaturis intrabant & exibant: & nobis accumbentibus ſuper menſam ueniebant, in radijs Solis ſe extendentes coram nobis tanquam adblandientes. Et uenationis tempore à tectis & feneſtris ſponte ſupra homines & canes in aëre uolando ueniebant ad campum: & quum placebat falconario, redibant ad acclamationem. Quòd ſi nõ ſatis cicurati ſunt, cauſa propter quam non redeunt eſt metus hominis. itaq; iſti non ſunt dimittendi niſi tempore famis, tum enim cibi deſiderio redire conſueſcunt. Falco melior eſt qui paulò ante mutationem captus fuerit, Tardiuus.

¶ In falconis inſtitutione duo ſpectantur, primum ut aſſueſcat ad manum hominis: alterum ut audax & præceps in captura auium efficiatur. Aſſueſcet autem ad manum, ſi ſuper manu ſemper cibetur. Et cicurationis quidem initio ante lucem pileo indui (caput eius pellicula obnubi, Volater. nos hanc pelliculam capitium uocamus, Albertus alibi mitram, alibi capellum & capitegium, eim baub) & manu teneri debet uſq; ad horam tertiam. Deinde paſtus coxa gallinæ ponatur ſupra gramen appoſita aqua, (ubi riuus ſit ſeu fons quo abluatur, ſi id expetat, Volaterr.) ut ſi uelit balneetur. Relinques autem eum in Sole donec ſatis ſe purgauerit, (donec ſiccetur, Volaterr.) Pòſt collocetur in loco obſcuro uſq; ad ueſperam. Tum rurſus manu teneatur uſq; ad primum ſomnum (uſq; ad ſomni tempus, Volaterranus.) deinde locetur in loco obſcuro (in angulo ſuper pertica, Volaterr.) & accendatur ignis clarus uel lucerna ante eum per totam noctem uſq; ad diluculum. Tum inducto ei capitio aliquandiu iuxta ignem aſsiſte manu tenens auem. Scias autem quòd falcones in nidis ſuis perfecti, meliores ſunt, & pennas habent ualidiores. Quòd ſi è nido ante perfectionem eximatur falco, ponatur in nido facto quàm fieri poteſt maximè ad ſimilitudinem eius unde ſumptus eſt: & ſæpius paſcatur carne pullorum (gallinaceorum:) quoniam temperata eſt, interdum etiam recente urſina, producit enim hæc & confirmat pennas. Quòd niſi hoc modo curetur, debilitatur alis & coxis, adeò interdum ut ala uel coxa frangatur. Curandum etiã ne manu ante perfectionem tangatur. Deinde ubi iam ſatis aſſuetus fuerit ad manum, cauendum ne unquam aliquid duri in manu experiatur, ſed ſemper beneficam & blandam eam ſentiat, Albert. Et alibi, Quoniã falco temere appetit quicquid obuium fuerit, debet habere mitram oculos tegentem, &c. ut repetetur infra. Ciliarem (cillier) uocant Galli falconem, cum ei nouello cilia conſuuntur.

¶ De uoce falconum, eorumq; uocatione ſeu acclamatione per aucupes. Sonus uocis falconum (inquit Albertus) plerunq; eſt craſsior & prolixior, & ab acuto in grauius procedẽs quàm aſturum uel niſorum. Vocantur autem (Albertus reclamari dicit) à falconario non ſibilo, ſed uoce magna, ſicut & canes: & ſimul circunducitur in chorda quiddam ex quatuor aliis uel pluribus ad modum auis colligatum, cui caro recens ſuperligatur, (reclamatorium pinnatum uocant, Beliſarius inſtrumentum uolubile auis ſpeciem præ ſe ferens.) Falcones aliquando nimis clamoſi ſunt, quod ſignum eſt eos uel iracundos eſſe, uel nimis macilentos. Quòd ſi iracundi ſint, capitio obnubãtur: macilenti, reficiantur. Nam falco clamoſus multum detrimenti affert aucupio, fugientibus quæcunq; clamorem audierint auibus, antequam falco ſatis prope ſit ut emittatur. A falconario etiam quando reuocati non redeunt, præcipuè qui montani cognominantur, quod ferè duas ob cauſas contingit, uel præ indignatione quòd præda eis euaſerit: uel ob repletionẽ qua cibum faſtidiunt. Quòd ſi talis falco ab ineunte ætate à bono falconario educatus eſt, depoſita iam indignatione aut ſequẽte eſurie, domum ſponte redibit. hæc enim ingenuitas falconum & niſorum eſt, ut bene nutriti inſtitutiq;, domum ſicut columbæ reuertantur. Quòd ſi ſatis cicurati non ſint, nec ſatis familiares homini, non dimittantur niſi eſurientes. ſic enim conſueſcunt redire deſiderio cibi. ¶ Cæterum audacior reddetur falco (inquit idem Albertus) ſi ſæpius aues uiuas accipiat & cõprimat, & occidat cum

clamore

clamore quo incitari ſolet à falconario, & ſicut ſupra diximus (in Accipitre, & in Lanarijs falconibus) ſæpius euadentes per ſolertiam falconarij ab unguibus eius aues, iterum capiat, & dimittatur per ſe (ſolus) uincere aues: & caueatur ne aues eum poſsint lædere unguibus uel roſtro. Nam ſi iunior falco ab auibus lædítur, puſillanimis fit: Si autem crebro illæſus uicerit & occiderit, audacior euadit crudeliorq; in aues. Debet autem hoc exercitium ſemper fieri cum magna incitatione falconarij, & præſentibus canibus. aues etiam ſubinde mutentur, ita ut paulatim fortiores ei inuadendæ exhibeantur. Et cum iam ſatis inſtructus eſt ad aucupium, ſtatim diluculo orto iam Sole, falco cibi concoctione peracta ad aues dimittatur. Quòd ſi audax & promptus ad prædam fuerit, eadem uictus ratione & cura, ut hactenus, curetur etiam deinceps: & paſcatur auibus quas ceperit pro arbitrio (donec per ſe ſatietur:) & hoc fiat tribus uel quatuor diebus in quolibet aucupio. At ſi in primo aucupio forte piger & non promptus uideatur, denuo manu eum geſtabis, & intermittes aucupiũ, & illo die non alium cibum præterquam dimidiam coxam gallinę ei dabis: reponesq; in locum obſcurum: & poſtridie dimidiam coxam gallinæ & tria purgatoria (guel uocant Germani uulgò, quæ fiunt è plumis, melius autem è xylo) in aqua frigida pones, & uſq; ad horam tertiam relinques, tum dabis ea falconi, (coxam dimidiam dico cum tribus purgatorijs.) His deuoratis ſeponatur in locum obſcurum uſq; ad ueſperam. Tum rurſus cibetur cum purgatorijs, ut dictum eſt. Poſtridie ad aucupium exi: & ſi audax auidusq; prædę fuerit, retine ipſum in eodem in quo tunc eſt corporis habitu, (in eadem maceratione.) Sin minus, intermiſſo rurſus aucupio, non aliud eo die in cibo ei præbebis quàm tria purgatoria (ut diximus) ex aqua frigida. Quòd ſi poſtridie adhuc ignauior ſit ad uenationem, paſcito eum coxa pulli (gallinacei) impoſita in acre acetum cum tribus purgatorijs è lana xylina. Deinde ponatur loco obſcuro uſq; ad ueſperam, tum manu ſuſtineatur uſq; ad primũ ſomnum. tum balneum ei parabis in aqua calida: lotum ſub dio expones, & ſi pluuia non impediat, uſque ad crepuſculum matutinum relinques. Tum calefacies eum ad ignẽ ſuper manu tua: & ad aucupium egrediêris. Quòd ſi tum non promptiſsimè capiat, omnino infirmus & languidus eſt. Cæterum ratio iſta purgandi curandiq; ut nunc præſcripſimus, maceratio uocatur falconum: in qua nonnulli uariant. Nam carnem in aceto repoſitam imprimunt in aridum medicamentum, quod conſtat pipere, maſtiche & aloë contritis. Sed huiuſmodi purgationes nulli aui rapaci dari debent, niſi quum uiſcera eius infercta ſunt humore uiſcoſo phlegmatico. Vide plura ſupra in Accipitre E. & hic mox in uerbis Petri Creſcentienſis, qui lib. 10. cap. 11. ſic ſcribit: Cum uoles ut falco alias (plures uel maiores) aues capiat, ſtringe (macera) eum hoc modo: Depluma gallinam, & tria purgatoria quæ inde feceris da falconi madefacta in aqua. & poſitum in obſcuro relinque uſq; ad aurorã diei (ſequentis:) poſtea cum ad ignem calefeceris eum, exi aucupatum: nec amplius eum fatiges quàm ei collubeat, ita ut non dimittatur in prædam niſi quandiu auiditas eius in promptu fuerit. Sic enim familiarior tibi fiet, & quocunq; auolârit ad te reuertetur. Quòd ſi falco tuus audax fuerit, acriq; deſiderio aues ceperit, diligenter conſidera habitum eius quod ad maciẽ corporis & obeſitatem: & in quo illum habitu ita alacrem inueneris, in eodem retinebis. Nam falconum alij melius ſe gerunt cum obeſi ſunt, plericq; in habitu mediocri: pauci in macredine, ut rubei ferè præ cæteris. Debent autem primò emitti ad aues minores, deinde ad mediocres, poſtremò ad maiores. Si enim initio ſtatim dimitterentur aduerſus aues magnas & ſuperarentur ab eis, deficiente adhuc potentia & induſtria quas uſu acquirunt, magnas & mediocres aues poſtea timerẽt, & perquam difficulter ad audaciam priſtinam, imperitia moderatoris ſui amiſſam, redirent. Plurimum etiam audaciam in falcone promouet, ſi eum frequenter manu ſuſtineas, & pulli (gallinacei) coxam hora tertia præbeas: deinde aquam in qua lauet ei apponas, poſtea Soli exponas ut reſiccetur: deinde poſtquam loco obſcuro uſq; ad ueſperam reliqueris, in manu teneas ferè uſq; ad primum ſomnum. Poſtea per totã noctem lucerna uel candela coram eo ardeat, & cum diluxerit, aſpergatur uino, & teneatur ad ignem. Tum adhuc in aurora ad aucupium geſtetur, & de præda quam obtinuerit pro arbitrio edat. At ſi nihil ceperit, detur ei ala gallinæ cum coxa dimidia, & in loco obſcuro ponatur. Capit autem falco anates, anſeres, agirones (id eſt ardeas) grues, ſtarnas (perdices) & alias aues. Sed fertur quòd ſi ederit ſanguinem agironis, omne deſiderium capiendi grues amittit. ſi uerò carnes ſolum ſine ſanguine ederit, hoc uitium incurrere nõ creditur, Hucuſq; Creſcentienſis. Falconem aiunt capere ardeas, tardas ſiue biſtardas, anates, & omnes maiores aues. In ardeæ captura duo falcones pariter emittuntur, quorum unus ſumma petit, alter iuxtà terram inuolat: ut uidelicet ille uolantem ardeam impulſu præcipitet, hic uerò præcipitatam excipiat, Author libri de nat. rerum. Ardeas & anates ſuperne feriunt alternatim, iterumq; aſcendunt uolando, Stumpfius.

¶ Falconi inter aues rapaces maximè proprium eſt impetu ferri in prædam, in cuſtodia ſui parum cautam. Cauebit itaq; falconarius ne prædam falconi ſtatim (in proximo) oſtendat, ſed aue aliquantulum remota dimittat in prædam, ne ſe ſubito præcipitet, ſed prædam impetu moderato ſubſequatur, Albertus & Author libri de nat. rerum. Cum ad prædam inuadendam pergit laudabilis falco, celeri uolatu aſcendit, & compoſitis unguibus ad pectus impetu in auem deſcendit, tam ualido conatu, ut ſtrepitum quaſi concitati uenti ſuo deſcenſu excitet, & tali impetu ferit, non rectà aut perpendiculariter deſcendens, ſed ex obliquo, quia tali deſcenſu percutiens incidit unguibus longum uulnus, ita quòd aliquando auis à capite uſq; ad caudam diuiſa decidit, & aliquando toto ca-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 102 sur 825

pite truncata inuenitur. Est autem boni falconis inter ascensionem & descensionem nihil aut minimum quietis interponere (alioqui enim inter duos motus duæ quietes necessariò contingunt) sed postquam descenderit, aliquando auem inferius uolando præuenire & impedire, donec à socio qui ascendit feriatur. Sic enim optimum fit aucupium quando duo socij falcones uel plures mutuum auxilium conferunt. Fit etiam nonnunquam quòd superior falco superius sequitur auem, donec ui deat eam eo interuallo distare quod percussioni conueniat. Sed diligenter cauendum est ne quasi alis suspensis stare assuescat: id enim signum est timiditatis, & quòd non nisi reptilia terræ audeat inuadere. Quia uerò falconis est ictu pectoris percutere, addidit ei natura anterius in pectore os latum triangulare, ualidum, cuius prominens & rectus angulus in superiore pectoris parte est perquam durus ac firmus, & super illum sunt ungues pedum, & posteriore ungue findit quod percutit. Subito igitur in præceps descendens est optimus: stans autem in sublimi suspensis alis, degenerat in naturam auium quæ lanarij dicuntur, uulgò Germanicè sunemere. Etsi autem bonus falco etiam solus uenetur, melius tamen id facit cum socijs uel socio. quia in ascensu uel descensu necesse est moram fieri, & interim longius abscedit præda si socius non impediat. Et hanc ob causam falco, licet iracunda auis (ut & cæteræ rapaces omnes) & solitaria esse quærens, uenationis tamen tempore socium diligit, partiturq; cum eo prædam sine pugna, quod non facit astur uel nisus. Et hæc quidem natura falconibus omnibus in genere conuenit. Quoniam uerò (ut diximus) temere appetit falco quicquid obuium fuerit, oportet oculos eius mitra tegi dum manu gestatur, necdum euolādi tempus est, ne nimium conetur euolare. nam cum polleat alis, frequenter uolare desiderat, ideoq; retardandus est à falconario. Præterea si oculos clausos habuerit, & statim mitra deposita prædam uiderit, quasi per admiratione cītius audaciusq; inuadit. Sic deniq; facilius & placidius cicuratur, magisq; obliuiscitur societatis alienæ, Albertus. Falco mirabili uolatu utitur in principio, medio, & fine. nam sursum rotando conscendit, inferius (deorsum) intuitu fixo. Et si uiderit anatem, anserem, aut gruem, instar sagittæ clausis alis ad auem ungue posteriore lacerandam descendit. Quòd si eam non tetigerit, persequitur fugientem. Et sæpe cum auem in fugam conuersam capere non potest, præ indignatione longius persequendo, nimium à domino suo remotus nō redit, Crescentien.

¶ Falcones parui hircina uel pullorum (gallinaceorum) carne nutriuntur. Præcipuè uerò cum aues capere inceperit falco, permitte ut de prima quam ceperit uescatur pro libito: & similiter de secunda ac tertia, ut sic ad raptum auium & ad obediendum domino animetur, Crescentiensis.

¶ Duxi aliquando canes indagatores mecum ad aucupium: & falcones in aëre uolantes me sequebantur, à quibus aues quas canes fugauerant percussæ sunt. Aues uerò tritæ ad terram deuolarunt, seq; manibus capi permiserunt. Tum in fine uenationis singulis falconibus auem unam dedimus, quo præmio illi accepto recesserunt, Albertus. ¶ Falco gibbosus non statim descendendo percutit sicut alia falconum genera, sed potius cum à descensu rursus ascendere incipit, Albert. ¶ Vocabula quæ de auibus rapacibus earumq; aucupio Germani peculiariter usurpant, declarauimus in Accipitre E.

¶ De uictus ratione, & quomodo uariari debeant remedia pro temperamentis ex Alberto. Falconarius non imperitus falconem pascet cibo & horis & copia, ita ut syluestris pasci consueuit: & præcipuè carne leui auium, & adhuc calore uitæ spirante: & ne uel obesior uel macilentior euadat curabit. macies enim nimia imminutis uiribus detrahit audaciam, & pusillanimem reddit & clamosum. talis è manu dimissus residet humi iuxta falconarium & clamat. Nimia uerò obesitas pigritiam & fastidium aucupij inducit. Quamobrem laudatur mediocritas, ita ut neque imbecillior fiat falco, neq; incitetur ad prædam nimia inanitione, sed tantum naturalis famis desiderio. quod optimè fit, si alter cibus non ingeratur priusquam concoxerit priorem & excrementa reiecerit. Sed hęc periti aucupis iudicio relinquimus. nam falconum aliqui melius uenantur si à mediocri habitu ad obesum modicè, quàm si ad macilentum declinent: alij uerò contrà. Nullus tamen uel macie exhaustus, uel nimium obesus uenatur. Considerandum præterea falcones temperamētis differre, præsertim specie diuersos. Nam nigri plus atræ bilis habent, & cibis qui moderate calfaciant & humectent nutriri debent, ut sunt carnes pullorum gallinaceorum, columbarum, hœdorum, & huiusmodi. Et si remedijs egeant, adhibeantur calida, ut piper, aloē, Paulinum, & similia. Albi frigidi & humidi sunt, & malis humoribus pituitosis abundant, calidis & siccis tum cibis tum remedijs curandi, ut sunt carnes hircorum, canicularum, * mulorū, picarum, passerum, & huiusmodi: ex medicamentis piper, cinnamomum, galanga, & similia. Qui autem pennas habent rubeas, feruido sanguine redundant: quibus conueniunt frigida & humida (nam frigida & sicca calorem natiuum extinguunt) ut pulli gallinacei, aues aquaticæ, & interdum cancri, cassia fistula, tamarindi, & similia, quæ omnia ex aceto dari conuenit. Sunt etiam quidam falcones nobiliores in singulis generibus, quibus meritò uictus ratio & cura quàm cæteris accuratior debetur, si modo ut forma excellunt, sic etiam in uenatione præstent. fit enim interdum ut formosis deformes uenando præstantiores sint. Cæterum quibus notis falconum nobilitas dignoscatur, iam supra in B. docuimus.

¶ Falco pennas mutat circa medium Februariū, Tardiuus. Hoc tempore igitur (inquit Crescentiensis) falconem in mutam (caueam, ut in Accipitre docuimus) pones, & omni genere carnium pasces spatio mensis. postea appones ei * cunctam aquam. prius tamen eum cibabis. & si non mutārit,

târit, carnem qua uescitur melle ungito. & si ne tum quidem mutet, ranam aridam tritam carni insperge, & mutabit. Non auferes autem eum de cauea mutationis antequam pennæ eius perfectæ sint. Et postquam exemeris, non tenebis eum ad calorem, sed plerunq; manu gestabis: nec ante exactos quindecim dies cum eo aucupaberis.

¶ Vnguium & pennarum cura. Falcones non sunt collocandi super ligno, sed solum super lapide terete, id est rotundo & oblongiusculo. hoc enim natura & consuetudine magis gaudent, Crescentiensis. Vt ungues & pedes falconis custodiantur, caueat auceps ne unquam insistat nisi supra lapidem uiuum uel super murum, non tamen in calce aut intrita calci permixta. Non probo enim quòd quidam in perticis, alij in cratibus tenent falcones. ars enim naturam imitari debet. inueniuntur autem syluestres semper in petris uel in terra sedere. Caueat etiam ne quæ pennæ frangantur, & tertio quoq; die aqua calida eas irriget, ne nimis exiccentur. Eisdem diebus aliquantulum aloës falconi det. hæc enim stomachum & intestina roborat & purgat: & pennas confirmat. Quòd si ob nimiam humiditatem pennæ languidiores fuerint, caro qua uescetur falco per duas horas maceretur in succo expresso de raphano & lumbricis terræ contusis. Sic enim exiccantur & indurantur pennæ. Imprimis uerò cauendum ne uiolentia ulla alarum aut caudæ pennæ lædantur, Albert.

¶ Accidunt falconibus affectus & morbi omnes, quos supra diximus accipitri accidere, quorum signa & curæ eadem sunt. Omnium enim auium rapacium ferè eadē est natura. quamobrem de ijsdem hîc agere non opus est. Hoc non ignorandum falcones fortioris esse naturæ quàm accipitres. itaq; non ita facile ægrotant aut moriuntur, si antequam cibus prius sumptus de gula descenderit alium ingerant. Falconarij quidem nonnulli multos modos curandi falcones præscribunt: & morbos diuersos eorumq; curas diuersas docent: ex quibus aliqua forsan uera sunt per longam experientiam comprobata: sed multa ab ijsdem sine ratione dicuntur, nec temere fides eis est adhibenda. Quamobrem quæ hîc defuerint quod ad curam falconum & auium rapacium, per uiros non semel sed pluries & longo tempore expertos suppleantur, Crescentiensis.

G.

Parum fimi falconis cum uino pro antidoto datur contra morsum stellionis, Ponzettus.

H.

a. Falcones dicuntur quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curuati, à similitudine falcis, Festus. Nostri bombardarum siue tormentorum bellicorum genus quoddam falcones appellant, eorumq; alios magnos, alios paruos. Φαλκης, nomen uiri Iliad. ν. Φαλκωνίλλα mulieris apud Suidam. Probæ Falconiæ uxoris Adelphi proconsulis Romani Centones extant, hoc est poëma ex diuersis Vergilij uersibus & hemistichijs consarcinatum, continens descriptionem utriusq; Testamenti. Flauius Vopiscus in diui Aureliani uita meminit Falconij Probi proconsulis Asię. Capys Samnitum dux fuit. uocabant autem illi falconem sua lingua capyn. Vide supra in A.

¶ c. Emblema Alciati quod inscribitur Imparilitas.

Vt sublime uolans tenuem secat aëra falco,
Vt pascuntur humi graculus, anser, anas:
Sic summū scandit super æthera Pindarus ingens,
Sic scit humi tantum serpere Bacchylides.

¶ d. Iacobus Micyllus de duobus falconibus & pica elegiam condidit, & de ijsdem epigramma huiusmodi.

Falcones inter, sublimis in aëre pica,
Dum uolat, & cantu prouocat una duos.
Illi ira accensi, quatiunt clangoribus alas,
Atq; hostem curuis unguibus ambo petūt.
Sed spe dum nimia, nimiaq; cupidine cædis
Ardent, & neuter præcauet ipse sibi.
Mutua collidunt alterno pectora nisu,
Atq; alter moritur uulnere in alterius.
Pica superstes abit, sed mox dum colligit alas,
Et uelut ex certo funere rapta fugit,
Ecce eadē à canibus miseranda rapina uoratur,
Et fato, occumbens, deteriore perit.

¶ e. Falcones cicurantur, domantur, condocefiunt, mansuescunt. **Sy werdend gemüßt/ vnd heissend denn müsserfalcken.**

¶ h. Federici Georgij cuiusdam liber de falconibus extat. ¶ Falconis augurium Thuscis tam auspicatissimum fuit, ut uiso eo Capuam in solo felicissimo condiderint, (uide supra in A.) Alexander ab Alexandro. Et rursus, Triorchen, cui principatum dedêre augures, & falconem felicis euentus futuriq; maximi boni spem habere, augurio expertissimo compertum est. ¶ Vnicuiq; ulula sua falco uidetur, **Ein yeden dunckt das sein eül ein falck seye**: Prouerbium apud Germanos eiusdem sententiæ cum illo, Suus rex reginæ placet. Et aliud, Falconem non uulnerat ulula, **Ein eüle hecket kein falcken**: hoc est, fortem & generosum uirum uilis & timidus non lædit, E squilla non nascitur rosa.

DE FALCONIBVS DIVERSIS.

FALCONVM genera plura sunt, non solum propter regionum diuersitatem, unde color moresq; uariant: sed etiam quia specie differentes falcones inter se permiscētur: item cum accipitribus, nisis & aquilis, Albertus. Et rursus, Quæ ad nos peruenerunt sunt decem genera falconum nobilium: & tria alia ignobilium: & tria sunt mixta ex nobilibus & ignobilibus: quorum genus unum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 104 sur 825

quia non omnino ex ignobili parente naſcitur, perquam ſtrenuum ad uenationem eſt. Galli falconem qui ardeas uenetur, uocant Heronnier (noſtri Reigerfalck:) qui grues, gruier. Haultain Gallicè nominatur falco qui altè uolat, ſublimipeta. Campeſtris eſt, qui paſcitur auibus, ut cornicibus, ſturnis, merulis. A paſtu nomen habet apud Gallos (de repaire) qui ſolitus paſci in aliquo loco, capitur illic per eſcam, Robertus Steph.

¶ Paſſager, id eſt commeans, qui capitur dum tranſit mare, Rob. Stephanus. Hic à Tardiuo nominatur faulcon de paſſage, quòd inter migrandum (dum mare tranſit) capiatur, ut peregrinus etiam, à quo tamen eum diſtinguit: item tartarot de Barbaria, eò quòd per regionem ſic dictam uolare ſoleat, & in eadem frequentius quàm alibi capi. Laudatur è Creta, paulò maior eſt (peregrino,) craſſus, & ruffus ſub alis, probis pedibus, digitis longis, bene uolans, ſtrenuus contra omne genus auium ut & peregrinus. Vtrunque hoc genus uolare (aucupari) poteſt per totum menſem Maium & Iunium, quòd tardius mutare ſoleat, & quũ mutare cœperit, breui pennis exuitur. Vide etiam inferius in Falcone ſacro ex Tardiuo.

¶ Idem Tardiuus primum falconis genus nominat abier.

¶ Faucon haultain, qui altè uolat, uel ſublimipeta, à Gallis uocatur.

¶ Tuniſius (Tunicien, inquit Tardiuus) ſic nuncupatur à Tunis ciuitate primaria in Barbaria Africę, ubi abundant falcones. Naturam refert lanarij, paulò minor, ſimilibus pennis ſed magis decuſſatis & longioribus: capite rotundo & craſſo, ſatis in ſublime uolans, ad aues tum aquaticas tum cæteras utilis.

¶ Pecerra regio apud Moſchouitas falcones mirificos præbet, qui non modo phaſianos & anates, ſed cygnos & grues conſectantur, Paulus Iouius.

¶ Græci hodie falconum & accipitrum genera non ita diligenter diſtinguunt, ut Galli noſtri: ſed ferè confundunt, Belloníus.

¶ De falconum duobus generibus, nobili & ignobili, uide ſupra in Ardea E. ex Authore libri de nat. rerum.

¶ Quærendum an inter falconũ genera maiores, ut ſacer, girfalco, aquilis adnumerari poſſint: minores uerò, ut ſmerillus, lithofalcus, dendrofalcus, accipitribus potius.

¶ Ariſtoteles inter aues ingluuie carentes graculum, coruum & cornicem nominat: ubi apud Albertum legimus coruum, & auem quæ guidez uel gaudes nominetur, quæ ſecundum quoſdam (inquit) eſt falconum genus, ſed ineptè ut apparet.

¶ Sunt qui haliæetum quoq; falconis generibus adnumerent, de quo nos inter Aquilas.

¶ Apud Gallos & Sabaudos uſitata ſunt nomina faulcon de mareſt, & faulcon de riuiere: id eſt falco paluſtris, falco fluuiatilis: uel potius, qui ſupra paludes, & qui ſupra fluuios uenatur.

DE FALCONE SACRO.

IN Accipitrum genere præſtant ij quos Græci hiéracas, id eſt ſacros uocant, Perottus. quaſi uero accipiter generis nomen ſit, hiérax ſpeciei: cum utrunq; uocabulum ex æquo pateat, & idem omnino ſit Græcis hiérax, quod Latinis accipiter. Porrò inter accipitres ſpeciem quandam peculiarem recentiores ſacrum uocitãt, Galli ſacre, Germani Sacker uel Kuppel, alij Sockerfalck, alij ineptius Stocker, (niſi aquilæ ſpeciem Stockahrn, hoc eſt truncalem, ut Albertus nominat, hac uoce ſignificent.) Primum genus nobilium falconum eſt (inquit Albertus) quod quidam ſacrum uocant: Symmachus Britannicum, aliqui aëlium (aelyon) quaſi aëreum falconem (aut forte à Gallica uoce qui aquilam uocant aigle:) alij aëriphilum, quaſi falconem amantem aëris, amat enim uolatum in aëre ſublimem. Crura ei craſſa & nodoſa, (ungues & crura maxima,) ungues crudeliores quàm aquilæ, (pennæ ruffæ, uel ſubruffæ) aſpectus terribilis, oculi ualde flammei ex citrino colore ad rubrum declinantes, caput magnum, roſtrum quoq; magnum & fortiſsimum, iuga ſiue complicationes alarum magnæ & quaſi ſuperexhibitæ, (uox barbara aut corrupta,) cauda longa, & huic quidem ſoli in falconum genere. Magnitudo ferè aquilæ, (uel paulò maior.) Sub ipſo (in eius conſpectu) nec aquila uolat, nec ulla auis rapax propter timorem: ſed ſtatim ut uiderint ſacrum cæteræ aues cum clamore ad loca arboribus condenſa uel ad terram refugiunt: & manibus capi ſe potius permittunt, quàm in aërem patentem redeant. Volant autem bini, (hinc forte Kuppel quaſi copulati falcones à noſtris dicuntur,) & adeò cicurantur, ut in una pertica bini conſideant, & hominem ſequantur, ac ſi abſq; eo degere eis moleſtum ſit. Nulla eſt auis tanta, quam non ſtatim deijciant: nec unam tantum, ſed quotquot habuerint obuias. Capiunt etiam capreolos & hinnulos, quorum oculos & cerebella unguibus dilaniant. (Capreolis in quos uiſum defixerint, inſident, & cerebrũ capite perforato excutiunt.) Nutriri eos delicatiſsimè oportet, cibo ſemper recente, præcipuè cordibus, cerebellis, & ſanis carnibus, quæ ita recentes ſint, ut ab animãtis uitali calore adhuc caleant. Cibi tantundem ferè conſumunt, quantum aquilæ. Hoc genus falconum regale eſt, & diutiſsimè uolat & prædam ſequitur, nec deſerit ad duarum triũmue aut etiam quatuor horarũ ſpatium. Et quanquam ſolitarium egregiè uenatur, cum ſocio tamen uenationis præſtantius eſt. Hominem & canes uenaticos amat, ac in eorum præſentia uenatur libentius, tanquam uires ſuas illis oſtentans. Porrò conueniunt

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 105 sur 825

ueniunt ei eadem, quæ falconibus in uniuerſum cõuenire diximus, quod ad guttas facici, figuram, uenandi ſtudium modumq; & uocem. Vox eius eſt certifica (ſic habẽt libri excuſi,) & raro clamat. Cum autem reuocatur, oportet quòd auceps uoce alta & ſonora utatur. altè enim & longè uolat: & reclamatorium ualde magnum requiritur, quod è longinquo uideri poſsit. Et quamuis non ſtatim redeat, periculum non eſt. Solet enim ſua ſponte ad domicilium reuerti, Hucuſque Albertus. Et rurſus (in eiuſdem libri 23. litera A.) Aëriphilus (inquit) altiſsimè uolat. nubes enim tranſcendere dicitur, & aues obuias interemptas deijcere: ita ut decidentes aues aliquando in terra inueniantur, nec cognoſcatur unde ceciderint, uel quomodo perierint, quòd in tam ſublimi loco aëris aëriphilus uideri non poſsit. Nidum in montibus altiſsimis conſtruit, ubi aliquando iuuenis capitur, & ita cicuratur, ut ſine uinculo in parietibus & domibus maneat. Venatur cum ſocio ſicut falco: nec à domino recedit poſtquam cicuratus eſt, prædamq; omnem illi reponit, quamobrem nobiliſsimus dicitur. Aëriphilos alis uelociſsima auis eſt. aëris ſerena inhabitat in tantum, ut uix unquam uel parum in terra reſideat aut quieſcat. Cibum in aere capit, prædantium auium more. Pullus adhuc capitur, & inſtituitur ad uenationem, Author libri de naturis rerum. Aquila rex auium eſt, ſi non (forte, modo) alarionem excipias, quæ fortè aquilarum ſpecies potentiſsima eſt, Io. Saresbarienſis in Polycratico. Tertium aquilæ genus, colore nigricãs, minimum, &c. ab Ariſtotele deſcribitur. hoc illuſtris Marchio Montherculeus in eo libro quem ſcripſit de falconibus, credidit eſſe genus falconis, quem uenatores uocant hierofalcum: cum & montes ſyluasq; colat, & lepores captet, & colore nigricet, Niphus. Pernix (περνὶς Ariſtoteli) gyrofalco exiſtimatur Ebero & Peucero, qui Germanicè etiam Stoßfalck interpretantur. nos de perne accipitre plura ſcripſimus in Capite de accipitribus diuerſis.

¶ Sacri accipitres (inquit Beliſarius) qui multorum opinione aliorum omniũ uolaciſsimi ſunt, aerini à quibuſdam nuncupantur. quidam aerophilos uocant, quaſi aerẽ amantes. Nam & ex pennarum colore leuitas eorum arguitur, ad ignis ſimilitudinem pennati quũ ſint. bilis enim colorem in pennis præ ſe ferunt. Quare calidi cordis eſſe putandi ſunt, iraſcíq; nimium, ſi præda fraudari ſe aliquo modo ſenſerint, magis quàm alij ſolent. Vnde acres potius dicendos putamus. Volare conſueſcunt bini terniue, quum aliorum generum accipitres ignobiles perſequũtur, ut miluos & alios ſimiles. Nam quũ manibus (unguibus) ſint paruis, hoſtiſq; fortior ad uolatumq; perſiſtens nimium, mutuo auxilio ut alter alterũ iuuet neceſſe eſt, & maximè ſi milui nigri eis capiendi ſint. Sunt enim miluorum genera duo, alterum tempeſtate noſtra regale, alterum nigrum appellamus. Nigri robuſtiores ſunt, ita ut quamuis etiam ad terram uſq; capti & à ſacris falconibusq; circumacti per aera deſcendant, à falconum tamen manibus quandoq; euadant. Qui quoniam cauda utuntur in cœlo flexili (gubernandi artem monſtrantes in profundo,) relictis in terra falconibus (qui propter aeris denſitatem huius generis miluos amplius perſequi nequeunt,) in aera iterum, ſoluti ſacrorum unguibus falconum, ad ſydera tolli uidentur. Qua ex re indignari falcones dimiſſa præda, inter ſeſe rixantes ac ſeſe inuicem aduncis unguibus ferientes ſæpius uidimus: adeò quidẽ ut aucupandi animum abiecíſſe uiderentur. Quod ne contingat, iniuriasq; ſacri obliuiſci poſsint, omni cura ſtudendum uenatoribus eſt ut ſimul unà ſacri nutriantur, ſimulq; ſedeant ac quieſcant, ſimul (quum à uenatore ad ueſcendum inuitantur inſtrumento uolubili auis ſpeciẽ præ ſe ferente) reſideant, ut communi carnis paſcuo nutriri ſociatim poſsint. Frigoribus uentóue aut imbribus, magis quàm cætera falconum genera, reſiſtunt. Quamobrem nec mirum eſt Ferdinandum olim Siciliæ regem, huic uenationis generi magis deditum fuiſſe. quoniam & plurium generum auibus officere magis ſacri uidentur, & uentis ac imbribus prohiberi huiuſmodi auium uenatio non poteſt. Maximilianum Cæſarem nuper audiuimus, è ſuis quoſdam ad extremas Sarmatarũ partes (Polonos nominamus) exploratum miſiſſe, ut hoc genus falcones è proprijs nidis ad ſe deferrent. Quos quidem in illis locis in arboribus, non proceris, nidificare inuenerunt: unde facile conijcitur non paruis ſed magnis tantum auibus eos ueſci & inſidiari. quanquam uenatores quidam nõnullas aues hanc ob cauſam non in ſublimi nidificare exiſtimãt, quòd omnis generis cadaueribus paſci ſolent. Inuenti enim aliquando ſunt huiuſmodi accipitres ſacri animalium cadaueribus quandoq; ueſci. Porrò ſacros è nidis abductos non adeò uolaces ut eiuſdem generis cæteros experiuntur. Credimus tamen ad grues capiendas animoſiores aptioresq; eſſe, quum longiori canum conſuetudine fiat (qui eis auxilio eſſe ſolent) ut maiores aues capere atq; unguibus detinere facilius poſsint. Hæc omnia Beliſarius.

¶ Falco ſacer (inquit Tardiuus) trium generum eſt: primum uocatur ſeph ſecundum Babylonios & Aſſyrios. hoc inuenitur in Aegypto & in parte occidentali, & in Babylone. capit lepores & hinnulos. Alterum genus dicitur ſemy, à quo gazellæ (capreæ) paruæ capiuntur. Tertium hynaire, & peregrinus ab Aegyptijs ac Aſſyrijs: uel commeans, (uulgò Gallicè de paſſaige) quoniam neſcitur ubi naſcatur: & quotannis commeat Indos aut meridiem uerſus. Capitur in inſulis ad orientem ſitis, Cypro, Creta, Rhodo. quamuis etiam ex Ruſsia, Tartaria & Oceano (Septentrionali) ad nos uenire dicuntur. Falco ſacer poſt mutationem pennarum captus, uolacior & melior eſt. Sacer dictus maior eſt quàm peregrinus, (atqui ſuperius tria ſacri falconis genera ſtatuit, ex quibus unum facit peregrinum, nullum uerò peculiariter ſacrum nominat:) deformibus pennis, alis breuibus, ad dax. Præfertur is cui color rubicundus aut ruffus aut incanus (griſeus) fuerit, & qui forma ac ſimili-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 106 sur 825

tudine falconem refert: cui lingua crassa & pes amplus est, id quod in paucis sacris reperitur: digiti crassi, & colore fermè cœruleo diluto. Hæc auis inter rapaces & aucupio idoneas, præcipuè patiens laboris est, mansueta & tractabilis: & cibos crassiores facilius concoquit. Prædatur aues magnas, an seres sylvestres, grues, ardeas, & imprimis quadrupedes sylvestres, ut capreolos & alias. Hæc ille. ¶ Ad Inugros Vgolicosq; per asperos montes peruenitur, in quorum iugis nobilissimi falcones capiuntur, cum alij tum sacri & peregrini dicti, quos antiquorum principum luxus in aucupijs non agnouit, Paulus Iouius de legatione Moscouitarum scribens. ¶ Vt recentiores falconis hoc genus sacrum nominant, quod ab omni auium genere, etiam ab aquila timetur, sic ueteres sacrum serpentem nominarunt, cuius conspectum reliqui omnes fugerent: & sacrum piscem qui à nullo lædetur: Nisi quis sacrum uel Græcorum imitatione dictum malit, quasi hieraca, id est accipitrem per excellentiam, ut poëtam pro Vergilio ponimus: uel à corporis magnitudine uiriumq; præstantia. Hoc genus forte ad aquilam germanam Aristotelis referri debet, nam color, magnitudo, uires, & prædandi ingenium conueniunt. Falco sacharí nominatur ab Auicenna lib. 2. cap. 246. de re medica, qui an idem cum sacro sit nescio. Vetus quidem interpres crissatelam uertit.

DE HIEROFALCHO.

HVIVS auis nomen recentiorum alij aliter scribunt, ego hierofalchum ceu Græcæ originis uocem, cum Paulo Iouio scribere malui, quasi sacrum falconem dicas, quod nomen magnitudinis & uirium ergò meretur, non minus quàm antecedens, quem sacrum Latinè nominauimus. Aut forte hierofalco primum nominatus est, quod herodios, id est ardeas capiat (aut agirofalco. nam Itali ardeam agironem uocãt) unde fortassis etiam herodium eum uocauerunt recentiores: cum herodius tamen (uel potius erodius sine aspiratione) non falconem Græcis ardearum uenatorem, sed ardeam ipsam significet. Volaterranus Albertum secutus gyrofalcum arbitratur dictum à gyro & circuitu quo inter uolandum utitur, ut prædam circumagat. Aliqui grifalchum uocitant. Girifalco, Latinè falco, Alunnus. sed scimus falconis nomen communius esse. Inuenio & zerifalco scriptum Italicè cum maioris minorisq; differentia, quæ (nisi fallor) ad sexũ duntaxat pertinet. Gallicè gerfau. Germanicè Gerfalck, uel Gierfalck, ein grosser falck, id est falco magnus. Moscouiticè, Kretzet. Polonicè byalozor. ¶ Triorches accipiter Latinè uocatur astur, & capit grues & ardeas: apud nos gyrofalco dictus. Author Glossæ in Deuteronomion scribens, Herodius (inquit) uulgo girfalco dicitur & rapit aquilam. Et in Psalmum 103. Herodius est auis rapacissima omnium auium maiorum, quæ & aquilam uincit. Girfalco ad nos uenit è locis transmarinis inter greges anserum sylvestrium, ex quibus unum noctu protrudit sub pedes suos uitandi frigoris gratia, & alterum interdiu ut uescatur dilaniat, Obscurus. Vide in Accipitre D. Paulus Venetus alium uidetur herodium facere quàm grifalchum ut ipse uocat. Balascia prouincia (inquit) habet herodios, & optimos falcones. Et alibi, In mari congelato insulæ quædam grifalchos & falcones plurimos producunt. Et rursus, (lib. 1. cap. 61.) Grifalchi qui è Christianorum terris ad Tartaros portantur, non perferuntur ad magnum Cham, qui hoc genere auium abundat: sed perueniunt ad eos Tartaros qui Armenis & Cumanis confines sunt: Cum paulò ante in eodẽ capite sic scripsisset: A monte Alchai Aquilonem uersus uenitur ad campestria regionis Bargu, quæ dierum quadraginta itinere patent: post ea peruenitur ad Oceanum, ubi in montibus nidificare solent herodij siue falcones peregrini, qui inde ad magni Cham curiam perferuntur. Nec inueniuntur ullæ aliæ aues in his montibus, præter herodios, & aliud auiculæ genus quo pascuntur herodij, Hæc ille. Vnde apparet herodium falconem peregrinum ab eo existimatũ, ab hierofalcho diuersum. Paulus Iouius etiam hierofalchum ab herodio distinguit, in libro de legatione Moschouitarũ, his uerbis: Ad Inugros Vgolicosq; per asperos montes peruenitur, qui fortasse Hyperborei antiquitus fuerunt. In eorum iugis nobilissimi falcones capiuntur, ex ijs genus unum est candidum guttatis pennis, quod herodium dicunt. Sunt & hierofalchi ardearum hostes, & sacri, & peregrini, quos antiquorum principum luxus in aucupijs non agnouit. Albertus herodios ait nidificare in parietibus montium altissimorum in alpibus ad quos uix est accessus. Hoc idem ferunt de hierifalcis, qui falcis sunt maiores. & quod dixit Albertus de herodijs, fortasse intellexit de hierifalconibus. herodius enim est de genere aquilę, non autem falci. nec Aristoteles herodios accipitres appellauit, sed aquilas, ut alibi dicetur, Niphus. At qui Albertus non hierifalcum, sed primum & præcipuum aquilarum genus herodium uocat, tanquam heroëm auium, ut ipse somniat. Nisus minor est quàm herodius, sed unus est color plumarum ambobus, Author libri de nat. rerum.

¶ Aderant quoq; complures falcones (inquit Sigismundus Baro in cõmentarijs rerum Moscouiticarum) alij albi, alij phœnicei coloris, magnitudine excellentes. quos nos girofalcones, hos illi Kretzet appellant: quibus uenari cygnos, grues, & alias id genus aues capere solent. Sunt autem Kretzet, aues audacissimæ quidem, at non tam atroces impetuq; horrendo, ut aliæ aues quantumuis rapaces, illarum uolatu seu conspectu (quemadmodum quidam de duabus Sarmatijs fabulatus est,) decidant exinguanturq;. Illud quidem experientia ipsa constat, si quis uenatur accipitre, aut nisso, aut alijs falconibus, & interim kretzet (quam à longè uolantem cõtinuò sentiunt) aduolauerit, quòd

quòd prædam ulterius nequaquam insequũtur, sed pauidæ subsistunt. Retulerunt nobis fide digni ac insignes uiri, Kretzet, quando ex illis partibus ubi nidificant, afferuntur, tum aliquãdo quatuor, quinq; aut sex in quodam uehiculo ad hoc præparato, simul includuntur: atq; escam quæ illis porrigitur, obseruato certo quodam senij ordine, capere solent. Id autem ratione, an natura illis indita, an quo alio modo fiat, incertum est. Præterea quemadmodum in alias aues aduerso impetu feruntur, rapacesq; existunt: ita inter se ipsas mansuetiores, mutuis sese morsibus minimè dilaniantes. Nunquam aqua se, ut cæteræ aues, lauant: sed sola arena, qua pediculos excutiunt, utuntur. Frigiditate adeò gaudent, ut perpetuò aut super glacie aut lapide stare soleant, Hæc Sigismundus Baro. Notat autem Matthiam à Michou canonicum Cracouiensem, cuius in Sarmatiæ Asianæ descriptione capite XIIII. uerba hæc sunt. Adfertur ad nos auis quædam rapax ex locis Septentrionalibus, (ex Iurrha Scythiæ, Cardanus) magnitudine aquilæ, sed alis & cauda prolixioribus quàm aquila, in similitudinem accipitris, & uocant eam Moscouitæ kiczoth, nostri uerò (Poloni) byalozor, quasi albicans splendor, quia subalba est secundum uentrem. Hanc omnes rapaces aues, accipitres, falcones, & cæteræ rapto uiuentes, in tantum metuunt, quòd inspecta ea tremunt, & cadunt, & extinguuntur.

¶ Post falconem sacrum (inquit Albertus) proximum genus nobilium falconum est gyrofalco. Hic figura, colore & actu (moribus) & uoce, omnino naturam falconis refert, maior asture, minor aquila, gyrofalco dictus quoniam diu gyrando acriter prædam insequitur. appetit autem aues maiores tantum, ut grues & cygnos & huiusmodi: minores aspernatur. Auis est perpulchra, cauda ei ad corporis sui proportionem non longa: alarum iuga decora & ualida: crura plana, non nodosa: ungues satis fortes & præcipuè posteriores. Solus uenatur, sed melius cum socio. Solet autem præ cæteris falconibus erectus & pennis bene compositis stare. In uenatione diu persequitur prædã: quare uenator ut eum assequatur uelocí equo indiget, nec non canibus uelocibus, qui auxilientur ei quum prædam deijcit. Præcipuè autem docendus est hic falco, ne in aqua prædæ insideat, quia frequenter (longius) distat à falconario, & lædi posset in aqua. Quamobrem non secundum longitudinem aquæ emittendus est ad prædam: sed tenendus donec aues extra ripam in aere appareant: & tunc gyrofalco à loco aquæ uersus campum iaciendus est ad eas. Sic enim illæ gyrofalconis metu ad aquam redire non audebunt. Quòd si à campo uersus aquam emittatur, aues ad aquam fugient, ac uel euadent, uel si percussæ fuerint, in aquam decident: falco autem prædam sequens lædetur uel mergetur. Et si euadit, reddetur tamen timidior propter acceptam noxam. Sub gyrofalcone alij falcones & astures non bene uolant: sed ne aquila quidem facile cum eo congreditur. Pascendus est carne sana, delicata & recenti, & quæ adhuc uitali calore caleat. Delicatam uoco, ut quæ cordi proprinquior est, tanquam magis elaboratam. Nam & syluestres (aues rapaces) de præda quam ceperint cor imprimis edunt, deinde partes ei propinquas uersus alam dextram, rarò uersus sinistram. Præcipuè uerò pasci debet gyrofalco calidæ naturæ auibus, ut columbis, palumbis, & similibus, ijsq; recentibus. Nam omne genus accipitrum, falcones, astures, nisi, recẽtibus tantum aluntur, nec unquam reuertuntur ad reliquias suæ prædæ, dum sunt syluestres, neque cadaueribus ut aquilæ & milui insident. Sed postquam semel de aliqua aue gustarint, illa deinceps relicta nouã semper prædam persequuntur. Maximè uerò gyrofalco recenti & etiamnum calenti carne delectatur. quamobrem de præda comedere prius incipit quàm occiderit. Itaq; non laudo quod nonnulli gallinæ uiuæ coxam uel alam extrahunt, & rursus postridie de eadem gallina partem alteram, quam gyrofalconi in cibum exhibeant. Proculdubio enim sic semel laniatum gallinæ corpus, mox & calorem febrilem pati, & saniem generare incipit. Debet sanè peritus falconarius naturam sequi, atq; ijs maximè & talibus cibis, quibus & qualibus syluestres ipsi pascuntur, falcones nutrire.

¶ Gyrfalcus auis est fortis & mirè audax, adeò ut inuenti sint qui etiam aquilas aggredi nõ dubitarint. Capit omnes aues quantumuis magnas: eiusdem ferè cum falconibus naturæ, quamobrem quæ ad falconum nutritionem dicta sunt, ipsis quoq; accommodabuntur, Crescentiensis.

¶ Hierifalcones (inquit Belisarius) ut rarius inueniuntur, ita pulchriores accipitribus cæteris dicendi sunt. Nam etiam præter corporis formam, eo standi modo erecti permanent, eaq; membrorum compositione hominum oculos ita delectant, ut quandam aucupãdi maiestatem præ se ferant. Vltima Germaniæ pars ad Septentrionem uergens, quæ Noruegia nuncupatur, eorum patria est. Nidificant etiam in insula quam Hirlandiam uulgò nominant: quæ adeò præ cæteris frigidissima est regio, ut aliorum ibi generum accipitres non inueniantur. Est eadem sterilissima, altissimisq; montibus & saxis plurimis geluq; nimio ac frigore inhabitabilis, &c. Mercatores qui insulam adeunt, frumenti farinæue parum ac uilissimas ibi merces important, quæ siccis piscibus commutari dicuntur. Hi quidem hierifalcones accipitres ad Maximilianum Germanorum Imperatorem deferunt. Quorum pennæ magis albæ formaq; maiores cæteris sunt. Nam ij qui è Noruegia transportantur non albi sunt, nec adeo magni, quamuis illos meliores putemus. In ijs tamen duabus solum mundi partibus hierifalcones nidificare compertum est. Qua è re natura ducuntur (locus obscurus est, & forte corruptus) adeò frigidos eorum esse motus pigrosq;, ut uenatorum ingenio & arte, & uolandi in dies assuetudine exercitioq;, altissimos auium uolatus persequi soleant. Quoniam uerò satis constat ex pennarum coloribus accipitrum animos dignosci, fuluum ac lucidum auroq; simi-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 108 sur 825

lem cæteris præferendum esse dicimus: utpote audacem, facilem, mitem, placidum. Deinde illum qui ad albedinem tendit, tanquam fortem & robustum, &c. Vide supra in Accipitre in genere B. Quòd ad reliquam formam attinet, sint hierifalcones rostro aduncо, eo tamen non nimis magno. Neq; enim in uniuerso genere rostri nimia magnitudo unquam laudabilis fuerit. Nam ad reliqui corporis portionem male respondet: & uerisimile est nimia nec utili humorum abundantia, rostra & ungues crescere ac augeri. Quamobrem accipitres huiusmodi, tanquam nimijs referti humoribus minus leues existimabuntur. Sint præterea unguibus ualidis, posterioribus maximè: planis cruribus, nodosis, nec longis: cauda ad sui corporis formam decenti. Alarum uerò summitates ita sint fortes, ut facile iudicari, ut animaduerti inde possit in uolatu eas quàm diutissimè perseuerare posse. Vidimus tempestate nostra peregrinos sacrosq; accipitres adnitentes ardeas uolando persequi: illosq; relictis tandem ardeis uenatorum uocibus altis ad eos redijsse: emissumq; tandem è falconis manu hierifalconem ita citatissimo uolatu uagantem per aëra in gyrũ crebriori alarum percussione perspeximus, (ut filo in sublimi tractum censeres,) derelictam ab alijs ad sydera ardeam ui cisse cepisseq;. Assuefaciendi tamen sunt hierifalcones ac paulatim instruendi, ut si uolatu cæteris prævalent, auium sanguine quotidie saginentur. nam interficiendi aues consuetudine animosiores efficiuntur: assequenturq; id si paruas etiam iugulare aues cõsueuerint. sic enim postea magnas etiam uolatu uincere, ac audacius capere ualebunt. Porrò nutriendi sunt auibus uiuis ac leuibus, & etiamnum calentibus, eo præsertim tempore quo pennas mutant, Hucusq; Belisarius.

¶ Girfalco siue herodius auis inter omnes nobilissima est, parui corporis respectu alarum eius: colore cœruleo, maxima tamen parte corporis ad albedinem declinans, præterquam in pectore & alis, ubi cœlestem colorem euidentius imitatur. Carnes crudas (forte, putridas) & seruatas non gustat, sed recentes tantum. Adeò fortis ac animosus est ut aquilam capiat. Quòd si in quinque grues, uel alias quasuis aues in aperto aëre uolantes emittatur, non prius persequi desinit, quàm singulas in terram deiecerit. Instruitur autẽ simul canis qui deiectas ab herodio aues capiat & occidat. Cum prædam uidet herodius, excutiendo se animare & an ad capiendum idoneus sit experiri uidetur, Author libri de nat. rerum.

¶ Girfalcus nascitur in regionibus frigidis, ut Dacia, Norwegia, & Prussiæ parte quæ ad Russiam uergit. Capitur autem plerunq; inter migrandum in Germaniam. Probis pedibus prædítus est, digitis longis, corpore ualido & pulchro præsertim postquam pennas mutauerit. Strenuus item & ferox est, & magistrum benignum manumq; portantis placidam requirit: utilis ad omne aucupium ut etiam peregrinus, Tardiuus.

DE FALCONE MONTANO.

FALCO montanarius ab Alberto nominatur, qui ab Italis montanaro, à Gallis montagner, à nostris Birgfalck. Sic autem per excellẽtiam uocatur, quanquam peregrinus quoq; & gibbosus, & alij falcones in montibus montiumq; rupibus nidulentur. Montanarium (inquit Albertus, nos montanum potius dicemus) genus falconum, tertiæ (post sacrum & gyrofalconem) nobilitatis est. Corpus ei breue & ualde spissum, præcipuè uerò cauda huiusmodi. pectus planè rotundum & magnum: crura fortia & breuia proportione corporis: pedes nodosi, ungues fortes. Solet autem pedes frequenter respicere. Dorso alisq; exterius color cinereus: qui paulatim magis magisq;, quo sæpius scilicet pennas mutauerit, clarior efficitur & pallidior, modica & fusca uarietate interposita. Est autem hoc falconum genus ferum & malis prædítum moribus, iracundum, inconstantis iræ. Itaq; rarus est falconarius qui mores eius satis perspectos habeat, quamobrem præceptum est Ptolemæi regis Aegypti, rarò tenendum manu, præterquam in aurora & aucupij tempore. Alijs uerò temporibus includatur loco obscurissimo, ubi bis uel ter ignis clarus nõ fumosus accendatur: neq; teneatur manu extra tempora iam dicta, nisi cum pascendum est. Sic enim mitescit, ad manum falconarij tanquam benefícam, & iracundiam deponit. Irascenti falconarius ne multum resistat. sic enim citius remittetur eius ira. Huic falconi crassitudo ferè eadem quæ accipitri siue asturi, sed multò breuior est. Pedes ei admodum pallent, crura squamosa sunt squamis sese prementibus. Figura eius, quum stat, ab humeris ferè pyramidem refert, si fingatur pyramis aliquantulum in dorso cõpressa. Si præda euaserit, præ cæteris indignatur, ita ut per iracundiam aliquando reuocantem se inuadat, & caput aut faciem falconarij, uel cui is insidet equi dilaniet. Est quando falco unus alterum inuadit, qua in re falconarius patiens requiritur, qui non aduersetur, sed patienter dissimulet reuocationem, donec ira deposita mitescat animus falconis. Quòd si etiam reuocatus falco non rediret ad reuocatorium, non admodum curandum est, nisi ut caueat falconarius ne capiatur ab alio. Quia deposita ira sua sponte ad domum falconarij reuertetur. Cæterum propter huiusmodi mores non est abijciendum hoc genus falconis, quòd in auibus magnis inuadẽdis mirè sit audax. nam uel aquilam aliquando inuadit & occidit. Præcipit autem industrio falconario Ptolemæus, ne hunc falconem in fortes aues frequentius dimittat. nam si per iram immoderatè incaluerit, præcipitat se in mortem: quod accidisse iam in alpibus quidam è socijs nostris obseruarunt. Nempe cum falco montanus è rupe ueniens perdicem sequeretur, & aquila forte aduolans ex aduerso illam ei præripuisset, nec

falco

falco illam aquilæ denuo extorquere posset, cum aliquandiu frustra id conatus esset, altissimè tandem conscendit, & impetu deorsum facto caput aquilæ feriens, se pariter & aquilã interemit. Semper igitur ne in tantam iracundiam incidat, cauendum est. Frequentior est quàm falcones cæteri, & mire gaudet feritate sua. Itaq; sæpe reperiuntur ex hoc genere falcones, quibus auem unam uulnerasse & deiecisse non sufficit, sed multis deijciendis gloriari uidentur: adeoq; interdum crudelitati suæ indulgent, ut occidendis auibus occupati cibi obliuiscantur, Hæc Albertus.

¶ Falco montanus coloris est betici uel fusci, (quem Galli brunum uocant,) & si sanus sit cæteris præfertur. Magnus & strenuus est, aues magnas tantum, nõ paruas captat: difficulter regitur & custoditur. Amplius quàm cæteri falcones gestandus, (contrarium scribit Albertus,) & in uigilia diutius retinendus est. Corporis habitu inter obesum & macilentũ mediocri seruari debet. Aegrotanti aquam puram diu decoctam in olla fictili apponito, & ut bibat curato. Quòd si non sanetur, remedia alibi à nobis præscripta adhibeto. Quum purgare eum & macerare uolueris, tres offulas de pelle gallinæ ei dabis. Ad sanitatem eius tuendam facit, si chirothecam tuam mosco inunxeris. Cum ad uenationem eum emittis, projce eum ante alios, & sic, quamuis nihil capiat, cum alijs redibit, Tardiuus.

DE FALCONE PEREGRINO.

ALBAZI est auis quæ dicitur falco peregrinus, Andreas Bellunensis. Nominatur autem albazi ab Auicenna 2. 614. ubi fimum ipsius & aliarum auium rapacium, quòd ualde excrementitia sint, raro à medicis usurpari scribit. Leuitici cap. 11. pro Hebraica uoce nez, (accipitrem interpretatur,) Arabica interpretatio habet בזי basi uel bazi: Persica mar an baz. Itali pelegrino uocant, & marem terzolo pelegrino. Galli faulcon pelegrin. Paulus Venetus falconem peregrinum herodium uidetur interpretari: cum alij herodium hierofalcum faciant, alij præcipuum aquilæ genus, ut in Hierofalcho docui. Vide etiam supra nõnihil de peregrino in Capite de falconibus diuersis, ubi mentio fit falconis de passagio, id est commeantis. Inueniuntur peregrini in asperis quibusdam Moschouiæ aut uicinis montibus, ubi & sacri & hierofalchi, ut suprà commemorauimus.

¶ Nisus in facie guttas habet sicut peregrinus & cætera falconum genera, Albertus. Idem lib. 23. de animalibus cap. 8. Quartum (inquit) nobilitatis locum (post sacrum, gyrofalconem & montanum) falco peregrinus obtinet. Vocatur autem peregrinus, quia semper peregrinatur & migrat de una regione in aliam: uel quia nescitur nidus eius, nec inuenitur à falconarijs: sed inter uolandum longè à loco suæ generationis capitur. Causam nobis retulit peritissimus quidam falconarius, qui in eremo alpium prope iuga altissima montiũ multis annis habitauerat. Dicebat ille hoc genus falconum in altissimis & præruptis parietibus montium nidos construere, ita ut nusquã adire sit, nisi quis à cacumine montis submittatur per funem longissimum, plerunq; centum passuum longitudine, aliàs centum quinquaginta, aliàs ducentorum uel trecentorum: Interdum uerò, uel propter nimium interuallum, uel propter asperitatem scopulorum, ne sic quidẽ nidum adiri posse: & hanc ob causam uulgò locum generationis eorum ignorari. Addebat sæpius se uidisse parentes prædam pullis attulisse in specus & rimas talium montium, & pullos adultiores à parentibus loco habitatio nis suæ expelli, propter cibi & auium in istis locis penuriam: & pullos mox ad planiciem se cõferre ubi aues abundent, & sic deinceps per regiones diuersas sine certa sede uagari. Capiuntur autem hi falcones tribus modis, quorum duos ipse uidi, tertium ab eremita iam dicto audiui. Primus & ubique communis modus est, ut rete disponatur patulum, ita ut facile conuertatur cum chorda super id quod intenderit auceps. Cæterum ante rete extenditur chorda, cui alligatur rubeus lanarius, quem uulgo ſuueimer uocant, & ad chordam dependentem ad eam extensa chorda alligatur auis, uel laneum aut pilosum quippiam simile aui, ita ut quando chorda extensa trahitur & concutitur ab aucupe, ſuueimerius uideatur auem insequi ad prædandum. Videns autem falco qui forte peregrinatur, hunc modum auis aut illius quod auem esse putat, chorda sæpius concussa, cum impetu descendit, ut prædam lanario præripiat, & sic deceptus irretitur. Sed alter multò melior modus est: Ligna duo instar crucis componuntur, & super extrema illorum curuantur duo alia ad semicirculorum speciem: & extrema circulorum infigũtur extremis lignorum. & inter illas quartas arcuum circulorum alia (ligna) curuantur ad locum intersectionis semicirculorum, & inferius infiguntur in ligna ab angulis intersectionis crucis uenientia, donec non nisi ad tres uel quatuor digitos distent inter se ligna. Tum singula ligna implentur laqueis à summo usq; ad imum. Debet autem fieri hoc uas ad altitudinem septem uel octo pedum: & ad latitudinem quinq; uel sex pedum. Tum collocetur in eo cauea sex pedes alta, ita ut pede uno distent inter se latera uasorum quum unum est in alio. Et in interiori sint ligna trabium instar, sibi inuicem ab imo usque ad summum imposita, & aues in eodem sex uel septem includantur, quæ per trabes continuè ascendant descendantq;. Oportet autem hoc totum fixũ & immobile esse super muro uel porta, uel in campo libere. Sic enim falco qui peregrinatur cõspectas aues dum conatur prædari, capitur laqueo: & hoc modo uidi capi falcones optimos. Cæterum eremita ille cuius mentionem iam feci, reti extenso & aui ante id alligata absque lanario, hoc genus falconum quotannis se cepisse aiebat, falconem enim auidum prædæ seipsum in

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 110 sur 825

rete præcipitare. Est autem hic falco qui communiter habetur in pleriſq; regionibus minor montano, cauda breui, alis longis, capite craſſo, coxa longa, cruribus breuibus, iiſdem & pedibus albicantibus. Præfertur qui crura nodoſa habet. Si bene nutriatur, bonis eſt moribus. Anates plerunq; capit: ſed aucta per induſtrium falconarium eius audacia, ardeam quoq; & interdum gruem, (quæ ſumma eius audacia eſt,) inuadet.

¶ Peregrinorum accipitrum (inquit Beliſarius) duo ſunt genera, quorum forma eadem. ſed alterum colore nigrius eſt, ut ferè gentilis (id eſt nobilis priuatim dictus, de quo paulò poſt dicetur,) appareat. Alterum pennis colorem aëreum præ ſe fert: in ſingulisq; pennarum capitibus ad coronę modum albedine ſingillatim diſtinctæ pennę quaſi picturam oſtendunt. Hos omnes eodem uolare modo, eodemq; ferire uidemus. Nam ſupra paludes altius uolare ita dicuntur, ut anates anſeresq; & quandoq; cæteras aquatiles aues aduncis unguibus feriant: quum à ſublimi in pronum uelociſſimè deſcendant, ac eo animo uiribusq;, ut unica poſteriorum unguium percuſsione ictuq; eodem mortuam per aëra deſcendiſſe deuictam auem quandoq; perſpexerimus. Horum natura adeò mitiſsima eſt, ut quodammodo iraſci neſciant: ad hominumq; nutus magnitudine quadam animi, potius quàm famis maceratione inediáue, aucupentur. Quippe uenatorum ingenio arteq; inſtituuntur, eorumq; uocibus atque nutibus adeò parent, ut (ſi macilenti non ſint) enixiſsimos auium uolatus altiſsimosq; aggredi peregrinos poſſe, uenatores aſſerant. Horum patria ignoratur, nec quomodo aut ubi naſcantur ſciri hucuſq; potuit: quam ob rem peregrinos nominari putamus. Nutriendi ſunt delicatius, & ea corpulentia conſeruandi, ut uolaciſsimarum etiam magnarumq; auium pugnam audacius fortiusq; aggredi non expaueſcant. Sic etiam morbi, qui ferè ob macilentiam euenire falconibus ſolent, cauentur. Si tamen efficere uenatores uoluerint, ut falcones peregrini perſequantur & capiant ardeas, uel alias huiuſmodi aues quas ſua ſponte alioqui perſequi non ſolent, fame nimia cibiq; parcitate & abſtinentia ad hoc inducendi ſunt, ne inſolitis ardearum uocibus terreantur, nec ineptam (magnam & turpem) eorum formam lætalesq; roſtrorum ictus pertimeſcant. Hoc ut facilius cõſequatur uenator, ter aut quater per interualla ardeæ uiuæ falconum manibus attrectandæ ſunt deplumandæq;. Curandumq; eſt ut paſto prius leuioribus cibis falcone, bombycina offula plumeáue ſaltem ueſperi, ſi poſtridie uenandum ſit, ſolertius offeratur.

¶ Peregrinus inter peregrinandum menſe Septembri capitur in Cypro & Rhodo inſulis. Laudatur ex Creta. Fortis & ſtrenuus eſt, capit grues, anates & anſeres ſyueſtres, mergos, & reliquas aues aquaticas, item tardas, perdices, & alias minores, Tardiuus. Peregrino ſimilis eſt falco niger figura corporis per omnia, ſed breuior eſt aliquanto & colore differt.

¶ Omnes aues rapaces, maximè tamen herodius & falco, pullos iam adultos eiiciunt è regione in qua habitant: quam ob cauſam falcones & herodij eiecti à parẽtibus, retibus aucupum capti illis in regionibus ubi nunquam nidi eorum inueniuntur, peregrini uocantur, Albertus. Vide ſupra in Sacro cuius ſpeciem peregrinum Tardiuus facit: quanquam ab eo ſcribitur ſacrum maiorem eſſe peregrino.

¶ Peregrinis medianos etiam dictos, & gentiles, tanquam congeneres ſubiungemus.

DE MEDIANIS.

EST & alterum peregrinorum accipitrum genus, quod circa Noruegiã nidificat. Colore ſunt nigri, ad rubedinẽ tamen tendunt pennæ. In Britannia minores nigrioresq; naſci ſolent. quare medianos (forte à media magnitudine, ſi maioribus peregrinis cõferas) hos potius dicendos putamus. At uerò qui in Belgis nidificare conſueſcunt, peiores alijs eiuſdem generis à uenatoribus iudicantur. nam perdices aucupari tantummodo ſolent, Beliſarius.

DE FALCONIBVS QVOS GENTILES uocant.

SVNT quidem ferè in omni falconum genere, nobiliores & ignobiliores, qui quomodo diſcernantur diximus ſupra in Falcone ſimpliciter B. Hi uerò, quibus de nunc agimus, abſolutè nobiles ſiue generoſi (uulgus gentiles uocat) dicuntur. De his Beliſarius, Gentiles (inquit) paulò minores forma ſunt peregrinis: & dubitant quandoq; uenatores iudicẽtne peregrinos eſſe, quum eiuſdem ferè formæ ſint, & eodem pennarum colore diſtincti. Sed uolatu diſcernuntur. nam motus alarum inter uolandum ſpiſsior crebriorq;, gentiles eſſe demonſtrat: quum peregrinorum alæ quaſi tremium remorum motus eſſe uideatur. Animoſiores tamẽ adeò ſunt ut ad omnia auium magnarum genera audaciſsimi iudicentur. Sed differunt à peregrinis plurimum, quòd nec adeò ueloces ſint, nec animi generoſitate aliqua, ſed fame potius prædam inſectari conſueſcunt. Eo tamen ſunt animo, iiſq; animi uiribus præſtant, ut (maximè ſi antequam aues alias cognouerint, & adhuc ad hominum manus è nidis [non, uidetur addendum] egreſsi peruenerint,) non anſeres ſolum, uerum etiam grues capere maiores audeant: quæ docti uelociſsimiq; canis auxilio, donec uenator aduenerit, detinendæ

tinendæ sunt. frequentia enim usus, falconemq; apud canes cibandi assuetudine fit ut ab alijs auibus falconem canes discernant.

¶ De falcone nobili, & quomodo falconis nobilitas in diuersis falconum generibus intelligatur, scriptum est supra in Falcone B. Sed quoniam Tardiuus inter decem falconum genera nobile tanquam peculiare genus recenset, uerba eius subijciam. Falco nobilis (inquit) ad capiendas ardeas idoneus est, siue illas supernè siue infernè ferire opus fuerit: item ad omne aliud auium genus, imprimis aquaticum, ut sunt mergi, anates sylvestres, plataleæ, & garsotæ dictæ, (ardeolas interpretor.) Cæterum ut aduersus grues idoneus sit, è nido exemptum esse oportet. secus enim non foret adeò strenuus & audax. Vt uerò audacior sit, initio statim antequam alias aues nôrit, in gruem ipsum emittes.

DE FALCONE GIBBOSO: ET ILLO QVI semper tanquam uolaturus alas extendit.

FALCO gibbosus sic appellatus est, quòd breuitate colli & alis eminentibus insignis gibbo uideatur, nostris ein Hagerfalck, uel potius Hogerfalck. Gallis hagar, quæ uox Germanica est & gibbum significat. nos tamen pro gibbo hoger dicimus. Sed Robertus Stephanus hagar interpretatur falconem ueterem, iam quinq; aut sex annorum, pennis abbreuiatis aut læsis, præda proposita captum. Quintus nobilitatis locus (inquit Albertus) falconi gibboso debetur: quem sic mihi nominauit eremita ille, de quo in Falcone peregrino dixi. Hoc genus nobilissimum quidem est & audacia ac strenuitate uolandi cum prædam insequitur mirabile, sed corpore exiguo, quo parum excedit nisum, id est speruerium. In facie guttas habet sicut peregrinus & cætera falconum genera. Gibbosum autem uocatur, eò quod propter breuitatem colli eius caput uix apparet ante iuga alarum suarum quando super latera dorsi componit. Est autem caput ei magnum proportione corporis reliqui, rostrum perbreue & rotundum: alæ prælongæ & ualde exortæ (exertæ, id est eminẽtes:) cauda breuis, coxæ fortes, & crura longiuscula proportione cæterorum membrorum, & quodammodo squamosa ut sunt squamæ serpentum & lacertorum in lateribus uentrium ipsorum. Pedes habent nodosos matriculis digitorum, præcipuè ad interiorem partem plantæ pedis, oculos flammeos ardentes, colorem falconum peregrinorum. Cranium superius bene planum est, & retro in capite non prominet, continuum ferè collo. Facile cicuratur hic falco, & bonis moribus præditus est. Nidificat in rupibus inaccessis, ut etiam peregrinus: & similiter ut idem de nido euolans capitur. Audax & strenuus est, adeò ut anseres sylvestres, ardeas & grues deijciat. Velocissimus est insuper & altissimè uolat, ita ut uisum hominis effugiat. Non contentus est unam auem deiecisse, sed multas uulnerat. Socios aucupij plures desiderat propter sui paruitatem & auium quas uenatur magnitudinem. Cæterum falconarius (eremita) cuius mentionem iam feci, narrauit mihi, se aliquando huius generis falcones tres uiro cuidam nobili uendidisse: qui statim, cum forte apparuissent anseres albi sylvestres, dimissi altissimum anserum uolatum superarunt, ita ut à nemine præsentium amplius conspicerentur. Et cum uir ille nobilis falcones amissos cõquereretur, paulatim anseres uulneribus debilitati cadere circa eos cœperunt: inuentiq; sunt amplius quàm uiginti anseres deiecti. Tandem etiam falcones reuocati ad instrumentum reuocatorium redierunt. Erant autem anseres omnes letaliter saucij, ac si cultello diuersis sui corporis partibus fissi fuissent. In causa est, quoniam hic falco non statim descendendo percutit sicut alia falconũ genera: sed potius cum à descensu rursus ascendere incipit. Tunc enim posteriore ungula ante pectus disposita ferit, & ideo longum uulnus facit & letale. & sæpe adeò fortiter ferit, quòd unguem amputat, ac seipsum ualde lædit in pectore uel occidit. EST etiam genus falconum, quod semper quasi ad uolandum alas extendit, animosius quidem illud quoq; quàm robustius. Id pascendum est cibis planè recentibus, & uitalem adhuc calorem spirantibus. sic enim plurimum proficit. Si tamen alijs interdum carnibus cibetur, curandum ut illæ leues sint, sicut carnes altilium & recentes, aut saltem non putridæ, & in aqua frigida ablutæ. Nam aues rapaces uentriculum admodum debilem & tenui pellicula contextum habent: quamobrem insalubri cibo facile afficitur. itaq; leui etiam occasione cibum crudũ reuomunt, præsertim cum graui & melancholica carne uel ad putredinem dispositа, pasti fuerint. Hoc genus falconis diu mane & uesperi manu gestari desiderat. nam quando assuetum fuerit manui hominis, libentissimè ei insidet, & libenter ad eam redit. Hæc de gibboso falconum genere, Hucusq; Albertus, insinuans alterum etiam illud genus quod alas semper extendit de genere gibbosorum esse.

DE FALCONE NIGRO.

FALCO niger à nostris Rolfalck, id est carbonarius falco appellatur. Sextum gradum nobilitatis (inquit Albertus) possidet falco niger, breuior quidẽ aliquanto falcone peregrino, sed figura similis per omnia. colore enim differt. quia in dorso & exteriore alarum parte, & cauda tota fuscam habet nigredinem, & in pectore, uentre, & lateribus fuscam uarietatem. In facie autem guttas falconarias habet prorsus atras, quæ circunfunduntur quodam obscuro & fusco pallore. Crura, un-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 112 sur 825

gues & roſtrum habet ſicut peregrinus. Multum accedit hic falco ad formam auis quæ butorius (buteo potius) uocatur. Hunc falconem Federicus Imperator ſecutus ſcripta Guilielmi falconarij regis Rogerij, dixit alium (aliquando) uiſum eſſe in montanis quarti climatis, quæ Gelboë uocantur: ac poſtea iuuenes expulſos à parentibus apparuiſſe in Salamine Aſiæ montana: & iterum expulſos nepotes priorum ad Sicilíæ montes peruenisſe, & ſic deriuatum eſſe hoc genus per Italiam: (Hæc Creſcentienſis de falconibus ſimpliciter ſcribit.) Nunc quidem in alpibus & Pyrenæis montibus reperitur, & in Germaniam quoq; deriuatum eſt, quamuis rari adhuc inueniantur. Ingenio & audacia peregrinos referunt, ac ſimiliter nutriri debent. Temperamenti uidentur biliosi: & materia bilis terreſtris aduſtæ conuerti in pennas, quamobrem nigreſcunt. Aetatis progreſſu tandem albeſcunt, & ueriſimile eſt in regionibus calidis nigriores eſſe quàm noſtrates. Eſt autem in omnibus figura magis conſyderanda quàm color. nam & monedulas & coruos albos uidimus. Figuræ igitur ratione uidetur hoc falconum genus perſimile eſſe peregrinis: & inſuper quoniam, ſicut díximus, parentes in hoc genere filios cogunt peregrinari à loco ſuæ generationis, Hæc Albertus. Creſcentienſis è falconibus magnis alios nigros, alios albos, alios rubeos eſſe ſcribit: ac alios ex horum inter ſe coitu generari. ¶ Falco niger (inquit Tardiuus) ut dicunt Alexandrini, melior eſt: & primus natiuusq; ei color nigredo eſt, quanquam illum deinde in ſolitudinibus mutat. naſcitur in inſulis maris. Nutriendus eſt ita ut mediocris inter obeſum & macilentum ſit. Carnem madidam ei ne dederis, niſi ſuperbior fuerit. Manu geſtato crebrius quàm alios falcones. Benigne tracta, nec ultra quàm ei gratum eſt fatiga. Aquilam ne uideat caue, alioqui enim non amplius aucuparetur. Cura etiam ne pennæ eius contrectentur. Quum ad prædam eum proijcies, uide ne manu lędas. ſic enim animum amittit.

DE FALCONE ALBO.

EX falconibus magnis quidam ſunt nigri, alij per comparationem albi, alij rubei, Creſcentienſis. Apud Moſcouitas falcones eſſe albos & phœniceos Sigiſmundus Baro refert. Ad Inugros Vgolicosq; per aſperos montes peruenitur, in quorum iugis nobiliſsimi falcones capiuntur. ex ijs genus unum eſt candidum, guttatis pennis quod herodium dicunt, Paulus Iouius de legatione Moſchouitarum. Sed de herodio falconum generis plura ſcripſi ſupra in Hierofalcho. ¶ Genus ſeptimum falconum (inquit Albertus, nobiliores quoſq; priore loco deſcribens) ſibi uendicat falco albus, quem mittit Septentrio & Oceanus è Noruegia, Suetia, Eſtouia & finitimis ſyluis ac montibus. Eſt autẽ ita in uarietate ſubalbidus, ſicut is de quo proximè dixímus, eſt niger. Albedinis cauſa eſt regio frigida & humida in qua naſcitur. In dorſo & alis ſubalbus eſt. alibi uerò maculas ſiue guttas habet ualde albas interpoſitas alijs guttis ſuppallidis. Maior eſt falcone peregrino, & multum accedit ad ſimilitudinem lanarij albi qui uolat per campos inſidiando muribus. Quamobrem falconarij quidam tradiderunt hunc falconem natum eſſe primum ex falcone peregrino patre, & lanaría alba matre: quod falſum eſſe audacía eius oſtendit. Eſt enim perquam audax & bonus, nec uſquam à natura falconis degenerat, nec mores lanarij refert. Nam cum inter uenandum aſcenderit, non more lanarij alis ſuſpenſus manet, ſed ferit ſtatim ut falco. Figura etiam pedum, unguium, roſtri, ac totius corporis, naturam falconis præ ſe fert: quamuis crura habeat craſsiora & nodoſiora quàm falco niger, quod ei accidit propter temperamentum humidius, unde crura eius magis craſſa ſunt quàm illius cui temperamentum eſt ſiccum & biliosum. Quanquam autem frigidior humidiorq; ſit falco albus quàm niger, non tamen iccirco minus audax eſt. nam cum robuſtior nigro ſit, uirium ſuarum fiducia audacem quoq; ipſum reddit. Et licet non tam uelox in uolando ſit quàm niger, diutius tamen in auium perſequutione durat: & hac in parte compenſat quod deeſt uelocitati. Quòd uero ad nutritionem & aucupium, nihil ab alijs diſtare uidentur. ¶ Falco albus qui pennas habet albas, bonus & audax eſt. quòd ſi ſorus (id eſt adultior) captus fuerit, non emittes eum ad uolandum donec pennas mutauerit. his enim mutatis perfectus erit, Tardiuus. ¶ Eberus & Peucerus cataracten interpretantur falconem album, qui uiuat in maritimis locis paulò minor accipitre. Creſcentienſis quidem de falcone ſcribit, in conſpectam anatem aut aliam auem, inſtar ſagittæ clauſis oculis ungue poſteriore lacerandam deſcendere. unde forſitan aliquis catarracten appellare poſſet falconem album ſi is priuatim id faceret. Sed nos de catarracte ueterum ſententiam noſtram ſuo loco dicemus.

DE FALCONE RVBEO.

FALCO rubeus (ein roter falck) ex numero maiorum falconum, ferè cum macilentus eſt melius aucupatur: cæteri uerò pleriq; in mediocri habitu: quidam uerò cum obeſi ſunt, alacriores ſe præbent, Creſcentienſis. Apud Moſcouitas falcones eſſe albos & phœniceos Sigiſmundus Baro refert. ¶ Octauus nobilitatis locus (inquit Albertus) tribuitur falconi qui rubeus à priſcis appellatur, nõ quòd tõtus rubeat, ſed quia guttæ in cæteris albæ, in hoc genere ſunt rubræ: & nigræ guttæ ſicut in alijs ſunt (forte, non ſunt) interpoſitæ, nec in dorſo uel exteriori alarum parte. Non autem

apparet

apparet rubere niſi cum alas exerit, tunc enim fuſca in eis apparet rubedo. Hoc genus falconũ perperam & abſurdè quidam ex lanario rubeo & falcone procreari tradiderunt, cum nulla in re præterquam colore cum lanario conueniat. Eſt autem rubedinis in eo cauſa calor debilis potius infuſus in ſuperficiem corporis & inflammans fumoſum humidum quod excernitur ad generationem pennarum. Et hoc facit media inter album & nigrum temperies. quamuis enim etiam alij colores medij ſint & in quibuſdam auibus reperiãtur, ut uiridis, hyacinthinus, croceus & ſimiles, falconum tamen generi & rapaci audaciq; naturæ, & uolatus agilitati non congruunt. Nam uiridis ferè frigiditatem arguit, hyacinthinus aëream & euanidam temperiem, croceus bilem corrumpentem. Cæterum hic falco non magnus eſt, paulò minor peregrino: unguibus tamen, pedibus & roſtro fortis: perquam agili uolatu, ſed non ſatis diu perſeuerans. Cicur fit admodum. Melior efficitur poſt ſecundam aut tertiam pennarum mutationem. Vitæ non eſt tam longæ ut reliqui. quamobrem nutriri debet carnibus planè recentibus & uitalem calorem adhuc ſpirantibus, non nimijs tamen, neq; ſæpius in die, ſed mane & ueſperi tantum. Et quoniam ad leues occaſiones alteratur, cautius cum eo agendum ne temperamentum eius afficiatur. Ad aucupium cogi non debet ſupra modum. Temperies enim rubea facile uincitur & lædítur labore, quamuis facile faciat impetũ à principio. Aetas uerò accedens & humores calidos remittens, non parum iuuat huiuſmodi temperamentũ, & præcipuè per mutationem pennarum. Penna etiam rubea mollior eſt, nec diu uolandi impetum ſuſtinet quin frangi pereclitetur, Hæc Albertus. ¶ Falco rubeus inuenitur ferè in locis planis & paluſtribus. audax eſt, ſed difficulter regitur. quamobrem antequam uolet, ter eum purgabis offulis è pelle gallinacea quam ablueris aqua: & ubi dederis, ſingulis uicibus calefactum falconem in locum obſcurum aliquantiſper repones, Tardiuus.

DE FALCONE CVI PEDES COErulei, cyanopoda dixeris.

PERES, פרס, uocem Hebraicam Leuitici 11. & Deuter. 14. accipitrem interpretantur, alij haliæetum: Iudæi uulgò בלאברי, Blafũß, id eſt falconem pedis cœrulei, ut Germani appellant. Vide ſupra in Accipitre A. & in Capite de accipitribus diuerſis. Illyrij hunc falconem nominant raroh. Itali zafiro, (à ſapphirino colore pedum, ut Albertus nominat) quem magnum & paruum faciunt, nimirum pro ſexus diſcrimine. Albertus falconem qui uulgò pes blauus uel hyacinthinus dicatur, circum facit. nos de Circo ſupra ſeorſim egimus. ¶ Nonum genus falconum (hoc eſt nono gradu nobilitatis æſtimatum, inquit Albertus) & iam declinans ab excellentia nobilium falconum, eſt id cuius pedes hyacinthini ſiue azurini ſunt, falconi peregrino æquale magnitudine & ſimile figura: ſed hoc differt, quòd dorſum eius & exterior alarum pars minus nigredinis, & pectus plus albedinis habet, & alæ breuiores ſunt, cauda uerò longior aliquantulum, & uox acutior quàm peregrini. eſt enim humidior & pituitoſior, ideoq; in auibus etiam inuadendis minus audax. raro enim inuadit aues pica uel cornice maiores, cum peregrini alijq; falcones, maiores quaſuis aues aggrediantur. Hinc fit ut falco pedis cœrulei cum è ſublimi deorſum ſe præcipitare & in prædam impetu ferri debet, propter metum loco maneat aliſq; ſuſpendatur. Per diſciplinam tamen & induſtriam hominis eum iuuantis, frequenter audacior fit, uerum nõ ita ut nobilis falco. Nam ut milites quandoq; etſi parum robuſti, ſcientia tamen & uſu militandi confligendiq; inſtructi, & ſociorum fiducia animati, ſæpe claras auferunt uictorias: ſic falco cyanópus uſu deijciendi tenendiq; aues, & falconarij ſibi propinqui fiducia melius & audacius ferit quàm per naturam faceret, ut niſus quoq; ſiue ſperuerius. Itaq; etiam fortiores ſe inuadunt & maiores aues. nec mirum, cum etiam lanarij (qui natura adeò timidi tardiq; ſunt ut non niſi mures aut auium pullos nondum uolantes, ſed forte currentes humi uel in nido iacentes, captent) eodem modo ad audaciam erudiantur inſtituanturq;. (Quomodo autem audacia in accipitribus excitetur, explicatum eſt ſuo loco.)

¶ Reperiuntur cyanópodes in Heluetia multis in locis. Nidificãt autem in excelſis quibuſdam petris iuxta aquas aut ualles profundas, cum alibi tum præcipuè, ut audio, circa oppidũ quod Tribunal Cæſaris uocant. Nidis exempti manſueſiunt. Bini aucupio aptiores ſunt, Stumpfius. Aiunt capi ab eis non tantum perdices, columbas, cornices, arcuatas (id eſt **bruchuógel**,) anates, ſed etiam phaſianos & tetraones.

¶ Prouerbium Germanicum, **Ein eiile becket kein blafũß** (**oder kein falcken**,) hoc eſt, Vitula non ſauciat cyanopodem aut falconem, eundem ſenſum habet quem illud, E ſquilla non naſcitur roſa.

¶ Eberus & Peucerus ſtellarem accipitrem Germanicè interpretantur **Blawfũß**, nullis quidem rationibus nec authoritate adhibitis.

¶ DE MERILLO cui decimum & ultimum inter falcones nobilitatis gradum Albertus tribuit, ſupra inter accipitres in Aeſalone ſcripſimus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 114 sur 825

DE LITHOFALCO ET DENDROFALCO.

Figura hæc Dendrofalci eſt.



PRAETER ſupradicta falconum genera (inquit Albertus) duo adhuc apud nos reperiuntur, falco lapidarius, (Germanis **ein Steinfalck**: pro quo nos lithofalci nomen fingimus) & arborarius, (Germanis **ein Baumfalck**, uel **Baumfelckle**, poſterius diminutiuum eſt & mari potius conuenit, ut primitiuum fœminæ. quæ differentia in lithofalco etiam & cæteris omnibus accipitrum falconumq; generibus in lingua noſtra obſeruari poteſt. Nos dendrofalcũ dicere uoluimus.) Lapidarius quidem mediæ quantitatis eſt & uigoris inter peregrinum & gibboſum: & inuenitur in alpium rupibus: & eſt eiuſdem nutritionis cum peregrino, Albert. Celon, (ęſalon forte) uocãtur falco lapidum, quòd in præruptis petris pullificet, Idem.

¶ Arborarius uerò medius eſt quantitate & uigore inter gibboſum & mirle (merillum:) & regitur ac nutritur ſimiliter ut mirle, Albert. Dendrofalcus auis egregia & nobilis eſt, ſpecie nõ admodum diſſimilis ſperuerio, nigrior tamen, aliquanto & minor. & quanquam propter paruitatem infirmitatemq; uirium nõ admodum eius uſus eſt in aucupio, eſt tamen auis planè amabilis & ingenio mitis adeò ut emiſſa per ſyluas & agros ad dominum ſuum redeat. Iucundiſsimum quidem illud ſpectaculum eſt quod conflictu ſuo cum monedulis exhibet, Stumpfius. Dendrofalcus, quem ipſe manibus tractaui, à roſtro ad caudæ finem longus erat palmos quatuor, id eſt digitos ſedecim. pedes erãt pallidi, tanquam ex ſubflauo & uiridi colore mixto. dorſum nigrum, ſed margines infimos pennarum capitis & dorſi, præſertim inferioris, ſemicirculi ſubruffi ambiebant. Pennæ alarum nigriores erant: & latus alarum illud quod uerſus auem eſt, maiuſculis **maculis ex candido ruffis diſtinguebatur.** Pectus albidæ & nigricantes maculæ uariabant. Plumæ ex albo ſubflauæ retro aures & in ceruice maculas quaſdam conſtituebant. Oculi nigricabant, roſtro color ferè cœruleus. Pennæ in cauda maculis diſtinguebantur, ſicut de alis dixi, duabus tantum mediis exceptis. In uentriculo plumas reperiebam & cantharides quaſdam. ¶ An accipiter fringillarius, de quo ſupra ſcripſimus, idem fortè cum dendrofalco noſtro ſit, diligentiores inquirent. ¶ Itali falconem paruũ falcheto nominant, quaſi falconellum. parui autem ſunt & duo iam dicti, & merillus (quem Itali ſmerlo uel ſmeriglio uocitant:) & quem noſtri uocant **Stoßfelcklin**, hoc eſt falconellum ferientem, quamuis eundem ſmerillum eſſe conijcio. Eberus & Peucerus accipitrem læuem interpretantur dendrofalcum. ¶ Falco rochier apud Sabaudos dictus à rupibus, idem forte lithofalco fuerit.

¶ His etiam plura in diuerſis locis falconum genera forte inueniuntur, ſed quæ dicta ſunt de natura & nutritione ſingulorum, ad reliqua etiam ſi quę ſuperſunt genera facile accõmodari poſſunt.

DE LANARIIS, DE QVIBVS ETIAM ſupra in Buteone ſcripſimus inter Accipitres.

LANARIVS apud recentiores falco ignobilis appellatur neſcio qua ratione, niſi quòd conijcio

ſcio uel à laniandis auibus, uel quòd plumas multas denſasq; & molles lanarum inſtar habeãt. Italicè lainero, & mas in hoc genere terzolo lainero. Gallicè lanier. Sabaudicè lanoy. Germanicè lanete uel ſuuemere ut Albertus & Murmellius interpretantur: alij ſchweymer ſcribere malunt. Albertus tamen alibi non quemuis ſed rubeum lanarium ſweimer à Germanis uulgò dici ſcribit.

¶ Falconum ignobilium (inquit Albertus) genera ſunt tria, quæ ut ueteres aucupes Ptolemæi Aquila Symmachus & Theodotion tradunt, lanarij potius quàm falcones uocãtur: quod uocabulum Germani quidam imitantes ſua lingua lanete dicunt: alij ſuuemere uocitant: Sunt autem butherij, (ſic ipſe buteones uocat) qui mures in agris uenantur & pullos auium nondum uolantes, ſed currentes in terra uel in nido iacentes, adeò natura timidi & tardi ſunt. Differunt coloribus, ſunt enim albi, nigri & rubei: ex quibus duo priores ad falconis magnitudinem accedunt. Rubeus minor eſt, & retert mirle (id eſt merillum.) Hi omnes, in iuuentute præſertim propter humiditatem & caloris hebetudinem, nulla ferè audacia prædíti ſunt: ut & pueri natura ſunt timidiores. Vbi uerò bis uel ter pennas mutauerint, & arte induſtriaq; aucupis animoſiores facti fuerint, colũbas & anates capiunt. Curandum eſt aũt ut primo anno cum cicurantur, uiuis tantum auibus paſcantur, quæ cum parum deplumatæ ab eis fuerint, dimittantur è pedibus eorum euadere, non ad uolatum primò, ſed ad curſum. Deinde cum ſæpius has inſequi didicerint, dimittantur euadere ad motum mixtum ex uolatu & curſu. Et quum ſic quoq; frequenter eas perſequutæ fuerint, poſtea tardo uolatu euadentes, (curtatis ſcilicet alarum pennis:) demum perfectè uolantes inſequãtur. In omnibus uerò his exercitijs fortiſsimè & alta uoce prouocetur ac incitetur lanarius, & ad retinendam auem à falconario adiuuetur. ſic enim reddetur audacior. Porrò ſecundo anno paruæ aues in grandiuſculas commutentur, & tertio iterum in maiores. Omnis enim auis hoc modo peritia ſimul & audacia ad aues quas uoluerit falconarius capiendas proficit. Quamuis enim primæ nobilitatis falcones, qui ſunt octo primorum generum, hoc exercitio & inductione à minoribus auibus ad maiores capiendas non indigeant, ad omnium tamen audaciam & peritiam augendam nõ parum momenti habet. Hucuſq; Albertus. Idem alibi redarguit illos qui falconem rubeum ex lanario rubeo & falcone procreari tradiderunt: & falconem album ex falcone peregrino patre & lanaria alba matre. Et alibi, Falco ſtans in alto ſuſpenſis alis neq; ruens in prædam, degenerat in naturam auium quæ lanarij dicuntur.

¶ Quærendum eſt an lanarius rubeus recentiorum, idem ſit qui tinnunculus ueterum.

¶ Lanarius (inquit Tardiuus) ſatis cõmunis eſt per omnes regiones, minor falcone nobili: pulchris pennis præditus, pedibus breuioribus quàm cæteri falcones. Præfertur cui caput grandius, & pedes magis ad cœruleum colorem inclinantes, ſiue is nido exemptus, ſiue iam adultior captus ſit. Non opus habet delicato uictu. Vtilis eſt ad aucupium tum in terra tum ſuper aquas, nempe ad picas, perdices, phaſianos, anates, & alias aues. Et alibi, Lanarium gruibus capiendis idoneum reddes hoc modo: Impone eum in cauernam ſiue cellam ſubterraneam, ubi lucem, niſi quum paſcitur, nunquam uideat. Manu non geſtabis præterquam noctu. Quum uolueris eum uolare (aucupari,) ignem in loco illo excita ut calefiat, tum igne remoto, lauato auem in uino mero, & in locum eundem reponito, cerebello gallinæ paſcito, & ante diem ad aucupium egreditor. Quum primum illuxerit, eminus eum in grues emittito. Nihil autem capiet primo die, niſi fortuitò id accidat: reliquis uerò deinceps diebus utilis erit, præcipuè quidem à medio menſe Iulio uſq; ad Octobrẽ medium. Poſtquã pennas mutârit, præſtantior erit. Tempore frigido, ut hyeme, inutilis eſt. Hæc Tardiuus.

¶ Accipitres quos Beliſarius ignobiles & uillanos uocat, eoſdem lanarijs eſſe conijcio. Vulgo enim Itali uillanos uocant homines ruſticos & in uillis habitantes, aut ruſticis moribus præditos, ut Galli quoq;. Villanos (inquit Beliſarius) audiuimus in Gallia optimos reperiri: quod an uenatorum arte induſtriáue aut ipſarum auium natura eueniat, non comperimus. Fieri enim poſſet ut quum frigidior ſit Galliæ regio (frigore enim fit ut cibi appetentiores ſint aues) duci (impelli) inde poſsint uillani, ut ſociatim magis ferire aucupariq; aues ſoleant. Vnum hoc ſcimus, auium iſtarum operam apud nos proprietati nominis reſpondere: quum in regione noſtra nec animo uiribusq;, nec uolatu ita ualeant, quin reliqua à nobis deſcripta accipitrum & falconum genera, longè præſtantiora eis ad aucupij uſum inueniantur.

DE FALCONIBVS MIXTIS.

QVVM autẽ quodlibet ex prædictis generibus (inquit Albertus) cuilibet permiſceatur, multa fiunt falconum genera, ex quibus ad nos peruenerunt quatuor. Falco enim peregrinus frequenter miſcetur cum illo cui pedes cœrulei. Quòd ſi falco naſcatur ex peregrino patre & matre pedũ cœruleorum, patriſſat plerunq; & parum declinat à nobilitate: licet parum coloris cœrulei in pedibus appareat. Si uerò matre nobili & patre ignobili natus fuerit, magis ad ignobilitatẽ patris quàm maternam nobilitatẽ accedit. Rurſus peregrini qui ad omnia loca frequenter ſolitarij uolant, aliquando commiſcentur cum lanarijs nigris, uel albis, uel rubeis. Generatur autem animal ex ſeminibus etiam differentium ſpecie animalium, ſi conueniant inter ſe temperamento & natura, & impræg-
nationis ouorum ac incubationis tempus congruat, ut alibi copioſius explicatum à nobis eſt. Cæ-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 116 sur 825

terum hæc permixtio fit quando falcones ſpecie diuerſi, ſed temperamento ſimiles, tempore libidinis conuenerint, nec ſuæ ſpecies ſexum cui permiſceantur inuenerint. Et quanquam modo diximus quatuor huiuſmodi genera ad nos peruenisse, ratio tamen poſtulat multa esse, & plura quotidie posse fieri talia falconum genera. Et hanc ob causam tam diuersa eorum genera in diuersis regionibus inueniri conijcimus. Quamuis enim pro regionibus mores & colores animaliũ uarient; tamen ſpecierum tam ſimilium diuerſitatis cauſa præcipua eſt permixtio quam diximus: ut etiam in generibus anſerum, canum & equorum fieri uidimus temporibus noſtris. Et nõ hoc ſolum fieri probabile eſt ex falconum generibus inter ſe permixtis; ſed etiam ex falconum cum aſturibus & niſis & aquilarum generibus coitu, multas auium rapaciũ ſpecies diuerſas naſci ueriſimile eſt. Porrò in memoratis quatuor generibus, præcipuè falconis peregrini commixtionem fieri diximus, eò quòd peregrini à parentibus ſtatim expelluntur, & frequenter ſeparãtur propter prædam & iram. Et cum ſuæ ſpeciei coniuges non inueniunt, ad ſpeciem alteram, quam ſibi ſimillimam inuenerint, tempore libidinis ſe conuertunt. Quod ſi cum falcone pedis cœrulei peregrinus miſceatur, ferè ſimilis peregrino generatur auis. Si cum lanario nigro, ignobilis falco niger uel nigro ſimilis procreatur: Sin cum lanario albo, ſimilis falconi albo: Si denique cum lanario rubeo, falconi rubeo colore & figura ſimilis gignitur. Et hi quidem mixti falcones facilius iuuantur arte, quàm hi qui omnino (ex utroque parente) ſunt ignobiles, præſertim ſi pater nobilis fuerit. Si contra uerò, mater nobilis, pater ignobilis fuerit, ignobilior quidem generabitur auis, inſtitutione tamen & diſciplina proficiet, præcipuè poſt unum uel alterum annum. Hæc de falconum generibus dixerim, ex quibus reliqua etiam ſi quæ ſunt poterunt cognoſci. Hæc omnia Albertus.

DE ACREDVLA.

APVD Aratum quidam ololygona, ὀλολυγόνα, interpretãtur auis ſolitariæ genus, quam Cicero acredulam uocârit, id eſt luſciniam ut grammaticis placet, Verſus Ciceronis ex Arato hi ſunt:

Et matutinis acredula uocibus inſtat,
Inſtat, & aſſiduas uocum iacit ore querelas,
Cum primum gelidos rores aurora remittit.

Acredula auis canora (inquit author innominatus libelli de animalibus & plantis à Rob. Stephano excuſi cum nomenclaturis Gallicis) à quibuſdam uulgò dicitus rauatinus eſſe creditur: alijs noſter tarinus, alijs luſcinia. Ex earum genere eſt ex quibus futura tempeſtas (pluuia) prædici poteſt, ut ſcribit Aratus: Ἡ τριζει (aliâs τρύζει) ὀξὺ δεινὰ θρηνέουσ' ὀλολυγών. quem uerſum ſic interpretatur Cicero lib. 1. de diuinatione, Et matutinis acredula uocibus inſtat. Eberus & Peucerus acredulam interpretantur Germanis (Saxonibus) dictam Gzynerlin, auẽ hoc nomine mihi incognitam. Scoppa & Arlunnus Itali calandram uulgò dictam, quæ ex genere alaudarum eſt. Ἀπὸ ὀλολυγὼν Τηλόθεν ὠκυπόσι βάτων τρύζουσα (τείζει per ι. & τρύζει per υ. reperitur, ſed de ololygine malim τρύζειν per υ. propter onomatopœiam, quæ & ololygini nomen fecit) ἀκανθίδες, Theocritus Idyl. 7. inter uoluptates ruris, & omnino pro auis nomine accepiſſe eum apparet ololygóna. nam alij aliter interpretantur, ut anam marem, aut eius potius uocem qua per libidinem fœminam uocat, aut inſectum lumbrico ſimile, ut docuimus in Rana c. Theocriti Scholiaſtes ololygóna interpretatur hirundinẽ quæ ityn deploret, uel luſciniam. Idem, Animalia multa (inquit) nomen à uoce acceperunt, ὀλολύζω, ὀλολυγών, (quod & Euſtathius tradit:) σταζω, σταγών: πλάσσω, πλαγών: κοκκύζω, κόκκυξ. Intelligendum aũt eſt uocabula σταγών (id eſt ſtilla) & πλαγών (id eſt calathiſcus cereus, uel reticulum, aliâs per γ. duplex πλαγγών) nequaquam animalium eſſe nomina, ſed propter formationis tantum ſimilitudinem proferri. Ololygo (inquit interpres Arati) auis eſt quæ ſolitudine gaudet ut turtur. in deſertis igitur locis & frigidis degens, matutino præſertim tempore frigus ſentit & canit (τρύζει.) Secundum alios uerò ololygo animal eſt paluſtre, aquis & frigore gaudẽs (ἡμίορον) oblongum, indiſcretum, lumbrico ſimile, ſed multò tenuius, & pluuia imminente clamans. Sed Ariſtoteles ololygonis nomine nihil quàm maſculæ ranæ tempore libidinis uocem intelligit, Hæc ille.

Vêre calente nouos componit acredula cantus,
Matutinali tempore tunc mitilans, Author Philomelæ.

DE ALAVDIS.

A.

ALAVDARVM genera ſunt diuerſa. Sed alauda ſimpliciter à Græcis uocatur κορυδὸς uel κορυδαλός. Ab ijſdem hodie uulgò cuzula, Hermolao Barbaro teſte: à quibuſdã etiam (ut audio) τροχίλος. in Creta, ut Bellonius ſcribit, chamochilados: quæ uox corrupta uidetur à chamæzelos, ut infra dicetur. Cuzula uox etiam à chamæzelo per ſyncopen facta apparet. ab Italis allodola uel allodetta, lodola, lodora. Germanis Lerch. Flandris & Saxonibus Leewercke. Hollandis Leurick. Anglis lerk, uel lark, uel lauerock. Illyricè ſkrziwan. Sed ferè quæ ſubijciemus nomina primo generi alaudæ, hoc eſt criſtatæ maiori attributa, alaudæ etiam ſimpliciter conueniunt.

Alauda

ALAVDA SINE CRISTA.



ALAVDA CRISTATA ALBICANS.



Alaudarum Aristoteles genera duo tantum commemorat: unum gregale sine crista, de quo paulò pòst: alterum terrenum cristatum. Nominat autem ipse κορυδαλὸς communi nomine utranq; speciem: Gaza interpres cristatæ nomen peculiare facit galeritam, alaudam uerò commune. Ab apice (inquit Plinius) galerita appellata quondam, postea Gallico uocabulo etiam legioni nomen dedit alauda. Alauda cristam in capite habet ad similitudinem galeri, unde Varro galericum appellat. ¶ Alcanabiri (aliàs alcanabir, canaberi) est auis nota Damasci, cuius meminit Auicenna in curatione colici affectus, & creditur esse auis illa quæ Venetis lodola (id est alauda, aliàs capelluta, id est alauda cristata) appellatur, Bellunensis. Idem lib. 2. cap. 187. rerum medicarum Auicennæ pro cambura legit canaberi uel camberi, & lodolam interpretatur. Apud Serapionem in libro de simpl. pharmacis cap. 426. hanabroch legitur, interpres upupam exponit, sed ineptè: in quo errore etiam Syluaticus est: rectius Aggregator citato eodem loco Kambrah legit, & capellutam interpretatur. Syluaticus ex Almansoris interprete alaudam pileatam nominat. Alcubigi est auis quę dicitur alauda capellata, Vetus glossographus Auicennæ, sed Bellunensis interpretatur auem perdici similem, (aut ipsam perdicem, secundum aliquos,) rostro & pedibus rubeis. Vide in Perdice.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 118 sur 825

Galeritæ criſtatæ geceid uocantur, Albertus, nimirum ex Auicenna. Idem alibi Auicennam & eius interpretem ſecutus pro Græca uoce córydos ineptè ſcribit kocoroz, & alibi coratoz, & forodóz. ¶ Græcis alauda eſt κόρυδος, κορύδιον, κορυδαλός: uide infra in a. Omnes autem hæ uoces factæ ſunt ἀπὸ τῆς κόρυθος, id eſt à galea: ut & Latinis galerita, uel potius à galero: nam & milites galeis utentes dicebantur alaudæ. Sic & caſsita à caſside, id eſt galea nominatur. Et quanquam omnia hæc nomina alaudis criſtatis tantum conueniant, attribuuntur tamen abuſiuè etiam minoribus quorũ uertex planus & non criſtatus eſt. Itaq; Ariſtoteles differentiæ gratia criſtatam, λόφον ἔχουσαν periphraſticè uocat. Quamobrem miramur authorẽ prouerbij, qui dixit corydalis omnibus criſtam ineſſe. Author obſcurus libri de nat. rerum alaudas criſtatas (ut ego interpretor) goſturdos uocat, (uide infrà in fine capitis ſecundi) cuius uocabuli ratio quæ ſit non uideo, niſi quòd à ſimilitudine coturnicum ſic dictos eſſe ab illiteratis conijcio. Elluchaſem medicus de Baldath (uel interpres) cuzardos uocat, quod nomen à goſturdis factum uidetur. ¶ Italicè (ut diximus) lodola capelluta uocatur, ſecundum alios chapelina, item couarella aut cipperina, ut Niphus teſtatur. Gallicè alouette, & cocheuis. Germanicè ſimpliciter Lerch: uel Heubellerch, Saxonibus præſertim, noſtris Wäglerch, id eſt alauda uiarum. nam (ut Galenus ſcribit) ſæpe eam in uijs uidemus. Alauda criſtata Ariſtotelis (inquit Turnerus) uariam habet in uarijs regionibus criſtam, alicubi ſemper apparentem, in alijs locis talem ut pro arbitratu ſuo poſsit erigere aut deponere. Eſt ſanè una eademq; utriuſq; auis magnitudo. Angli hoc genus (galeritam maiorem) propriè lercam nominant. In libro Rhazæ de remedijs ex 60. animalib. cap. 45. alaudæ criſtatæ nominantur: & mox cap. 46. ſinoræ. adſcribit autem his quoq; remedia quæ alij authores alaudis tribuunt.

¶ Alaudarum alterum genus gregale eſt, nec ſingulare (ἀποφὰς) more alterius: uerum colore ſimile, quanquam magnitudine minus, & galero carens, Ariſtoteles. Alaudæ ſimilis eſt terraneola, niſi quod apicem non habet: ſic dicta quoniã in terra, non in arboribus diuerſatur nidificatq;, (quam quam alioqui altius uolet quàm criſtata, quam Ariſtoteles terrenam eſſe ait,) Hermolaus, Siponti-nus, & Grapaldus. Apud nos (Parmenſes) triuialiter regius appellatur, Grapaldus. Ego terraneolam non à quoquam ueterum dictam puto, ſed à recentioribus tantum Italis imitatione uulgi. Sunt qui petronellam appellent. Vocatur & alauda campeſtris ab Italis nonnullis, lodola champeſtra. Alaudam quæ apice caret, magnitudine uerò (Ariſtoteles minorem facit) & colore ſimilis eſt criſtatæ, ruſtici Lombardi fartagniam appellant, nos autem, ut puto, calandrellam. Sed chalandra ſeu chalandrella, generis quidem alaudę, diuerſi tamen eſſe uidetur, de qua mox priuatim. Hoc etiam non probo quod Niphus ſuſpicatur tetricem ab Ariſtotele hoc genus alaudæ nominari, non alio argumento quàm quòd Ariſtoteles alaudam & tetricem condenſo frutice prolem munire ſcribat: quum idem Ariſtoteles libro nono de alaudis ex profeſſo agens, nullum illius quæ criſta caret peculiare nomen adferat. Alauda non criſtata (inquit Turnerus Anglus) à noſtris fera alauda a uuilde lerc, uel a hethlerk: à Germanis ein Heidlerch nominatur. Sunt & alia Germanica eius nomina, Sanglerch, id eſt alauda canora, quod criſtatæ ferè præferatur cantu. & Himmellerch, id eſt alauda cœlipeta. uolatu enim alta petit, cum criſtata, de qua diximus, & rarò euolet, & euecta alis ſtatim rurſus procumbat, neq; altis nec longis ſpatijs confectis, ut Eberus & Peucerus ſcribunt. Item Holtzlerch, ut Gyb. Longolius interpretatur. ¶ Haud ſcio an idem genus ſit quæ circa Baſileam Lurlen dicuntur, aut potius calandræ, de quibus nunc dicemus. alaudarum quidem generis eas quoq; eſſe, & inter alaudas uolare nobis conſtat. Huic ſimilis eſt uox gurgulio, qua inepti quidam literatores calandram interpretantur, cum gurgulio Latinis nunquam pro aue, ſed pro inſecto frumentis infeſto capiatur. Albertus gurgulum auem nominans, hanc forte intelligit.

¶ Calandris auis eſt parua, ſimilis ferè alaudæ, colore fuſca, plumis deſpecta: ſed uocis modulatione audientes mirificè oblectat, ac omnes auium uoces expreſsiſsimè imitatur. quinetiam capta incluſaq;, captiuitatis ſuæ oblita uix unã diei horam ſine cantu præterit, adeoq; per diuerſos auium cantus euagari gaudet, ut de cibo ſolicita non ſit, Author libri de nat. rerum. Antonius Eparchus Corcyræus, uir eruditus, Venetijs aliquando calandram omnino Græcè κορυδαλλον, id eſt alaudam appellari mihi aſſeruit, colore ferè & forma coturnicis, minorem, &c. Syluaticus quoque galeritam kalandram interpretatur. Nominis origo forſitan Græca fuerit, ἀπὸ τοῦ καλῶς ᾄδειν, id eſt à ſuauitate cantus: ἢ ἀπὸ τοῦ καλεῖν καὶ τέρπειν τῇ φωνῇ οὓς ἄνδρας. Non probo Alunnum Italum, qui calandram facit acredulam & aëdóna. aëdòn enim ſine dubio luſcinia eſt. Sed minus Aggregatorem probârim, qui uocis affinitate ſeductus, calandriam auem pro charadrio accipit. Sunt qui calandram Italicè dici conijciunt, à uerbo calare quod eis deſcendere ſonat, quoniam uox eius aſcendat quidem, ſed plurimum deſcendat. Itali ferè chalandram pro hac aue ſcribunt: Hiſpani ſimiliter, uel calandra, calandria. Galli & Angli quoq; eandem uocem ſeruant. Germani Kalander proferunt, alij Galander. Niphus fartagniam uel calandrellam uulgò Italicè dici putat alterum ab Ariſtotele memoratum alaudæ genus, nõ criſtatum ſcilicet, ut paulò ante ſcripſi. Medici Elluchaſem, qui Arabicè ſcripſit, interpres, calandrellas inter laudatiſsimi nutrimenti aues numerat. Chamæzelos, id eſt calandrus auis, Syluaticus. Eſt autem nomen Græcum, & humilem uel humi ſolíq; amantem ſignificat χαμαί-ζηλος, quod alaudis conuenit. nam & primam ſpeciem terrenam eſſe tradit Ariſtoteles, & alteram uulgo aliqui terraneolam uocant. hinc forte corrupta eſt chamochílados uox, qua alaudam uulgò

in Creta

in Creta nuncupari Belloníus ſcríbit. ¶ Oppianus líbro tertío Ixeuticorum χαλάνδρεν & χάλανδρον auem nominat, neſcío an alaudarum aut díuerſi generis. ſed uerba paraphraſtæ adſcríbã. Chalandram (inquít) nemo facíle ceperít, níſi reti iuxta aquam extenſo ab aucupe iuxtà in tugurío latítante: quí auem ad potum hauriendum accedentem funículo retís attracto ínuoluat.

¶ Supereſt alíud galeritę genus (inquít Turnerus) Germanís Copera, à longíſsima, ut arbítror, críſta ita dictum, (Anglís a uuodlerck,) Ariſtoteli planè incognítum. nam príus Ariſtotelís genus eſſe non poteſt, quía mínor eſt quàm ut íllud eſſe poſsít: mínus autem íllud genus eſſe non poteſt, quía galerum habet, qui Ariſtotelís poſteriorí generí deeſt. Iam cum Coloniẽſes aucupes coperam (quæ mediæ eſt magnitudínis ínter Ariſtotelís galerítam críſtatam & non críſtatam) concordíbus adfírment ſuffragíjs, nullam habere peculíarem cantiúnculam, ſed ínepte aliárum quíbus cum uícti tat auíum uoces referre, adducor planè ut credam hanc eſſe recẽtiorum Græcorum córydon íllum cuíus ín adagío mentío eſt, Ἐν ἀμόσσοις καὶ κόρυδος φθέγγεται: Et ín hoc uerſu: Εἰ κύκνῳ δώσατο κόρυδος πτερόπλισιν ἀοιδήν. Nam relíqua duo alaudæ genera pulchrè & ſuauíter cantant, Hæc ílle. ¶ Cum frígus íntenſum eſt, & nix agros paſsím tegit, ín ſterquilínijs & prope horrea conſpíciuntur ſæpe alaudæ. Et íllæ ípſæ quæ hyeme nobíſcum uíuunt, per æquinoctíum auolant. Non cantíllare autem eas expertus ſum. ſæpe ením ín auíarío carcere à me concluſæ & educatæ præter uocem, quam ſubínde íterant, & à qua Germanícum nomen habent, nihíl planè loquuntur. Præterea nídos nõ conſtruunt ín ſegete, uerum ín foſsís ſenticoſis, non alíter ac paſſeres maíores, Gyb. Longolíus. Noſtrí hanc alaudam, hoc eſt críſtatam mínorem appellãt Robellerch, Steinlerch, Baumlerch: & uocem earum ínconcínnam eſſe aiunt, tanquam lĳ lĳ ſæpíus repetítum. ſcríbo autem ĳ. pro u. Gallíco.

¶ Eſt poſtremò alíud ſylueſtre genus alaudæ críſtatum, albícantíus proximè dícto, præſertím parte prona, id eſt uentre, & circa collum & oculos, ut pictura à perító aucupe eodemq; pictore nobís communicata índicat. nam auem ípſam nondum uídi. nomen ei Germanícum Waldlerch, id eſt alauda ſyluatica: quod Angli etíam proximè dictæ tríbuunt.

B.

Alaudæ magnítudine eſt lutea dícta auis, Ariſtot. Alaudæ coturnícibus ſimíles ſunt, Suidas & Varínus. Aues paruę, Galenus & Dioſcorídes. apíce emínente ín uertice, ut ín pauone, Dioſcor. Paſſer quí ſylueſtris & maíor cognomínatur, colore & magnitudíne alaudam refert, Actuarius. Alauda, ut aít Galenus (& Aëtius) adſimílis eſt paſſerculís quí pyrgítæ & troglítæ nomínantur ín oppídorum muris ac turríbus frequentes, extraquàm galero quo ílli carent, Hermolaus. Alauda non críſtata colore ſimílis eſt críſtatæ, ſed magnítudine mínor, (duplo ferè mínor, & roſtro tenuí, Turnerus,) Ariſtot. ut in A. recítaui, ubí & alía quædam de colore, magnitudíne & críſta ín díuerſis alaudarum generíbus dícta, hîc repetí ſuperuacaneum foret. Color κόραμβος, id eſt teſtaceus, communís eſt ferè pulueratrícibus, ut alaudæ, coturnící, perdící, Longolíus. Ἐπτυμβιδίας alaudas alíquí à colore dictas conjíciunt, à uerbo τύφω, quod eſt uro, quòd ad flammeum colorem accedant. φλογοειδεῖς γάρ εἰσι. Sed magís placet huíus nomínis cauſam referrí ad fabulam, quam referemus ín h. Goſturdí (uíde ſupra ín A. ínter nomína alaudæ críſtatæ) aues ſunt admodum paruæ, coloris terrei, críſtam paruam ex plumís habentes ín capíte, Author líbri de nat. rerum, & partím Albertus, ſed lectío apud hunc corrupta eſt. Alauda eſt coloris cínerei (lego terrei) paulo maíor paſſere, & ín poſteríore dígito pedís longíſsimum habet unguem, Albertus.

C.

Alauda (prima críſtata) ín agrís habítat, non ín ſyluís, Albertus. ín ſegetíbus nídulatur, Gellíus. In uíjs ſæpe obuía eſt, Galenus. índe noſtrí Wäglerch uocítant. Circa uías, hyemís præſertím tempore, Aetíus. Eæ uerò quæ críſtam non habẽt, ín planís & locís erica conſítis, & ad rípas lacuum magna ex parte degunt, Turnerus. ínter iuníperos & uepres præſertim ubí frequens myrica (erica) eſt, gregatím curſítant, Longolíus. nam críſtatæ, ut díximus, non ſunt gregaríæ. ¶ Alaudæ ueſcuntur granís (id eſt frumento & ſemínibus cerealíbus) & uermíbus, Albertus. Quæ críſta carent ad rípas lacuum, uermíum cauſa quíbus uíctítant, ſæpe obuerſantur, Turnerus. Alaudæ attelaborum (locuſtarum generis) oua perquírunt & conficiunt (κόπτουσι,) Plutarchus ín líb. de Iſide. ¶ Alauda nunquam ín arbore conſíſtit, ſed humí, Ariſtoteles. Críſtata, ut ſupra díximus, raro euolat, & ſi quando euolârit, mox rurſus procumbit. Goſturdí non uolant alíarum auíum more, ſed uento cogente nunc alta nunc ína petunt, Author líbri de nat. rerum. Non altè nec depreſſè gregatím uolant, Albertus. ¶ Cantus. Alauda ingenío eſt ad cantum docílí, Hermolaus. Ambæ (críſtata maíor, & non críſtata) ſuauíſsimè cantíllant caueís incluſę, Grapaldus. Galerita maíor pulchrè & ſuauíter cantat, & mínorem cantu non mínus ualere tradunt aucupes, Turnerus. Alauda míra alacrítate pennís exertís ín aëre, uocís modulatíone lætæ ſerenitati temporís quaſi applaudit, (tum geſtu alarum, íjs expanſís, tum uoce.) nam nubílo pluuióue cœlo uíx aut nunquam canit: ut neq; humí, ſed ínter aſcendendũ. aſcendit autem paulatím, ſubitò uerò & inſtar lapídis deſcẽdens cantíllat, Author líbri de nat. rerum. Mas ín hoc genere ualde muſicus eſt, & multæ modulatiónis. æſtatem prímus ínter aues prænuntíat, & cantu ſuo díem antelucano prænũtíat. pluuías & tempeſtates abhorret, Albertus. Et rurſus, Cantat aſcendendo per circuítum uolans: & cum deſcẽdit, primo quídem paulatím id facit, & tandem alas ad ſe conuertens (contrahens) in modum lapídis ſubitò decídit, &

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 120 sur 825

in illo casu cantum emittit. Cicurata uerò in cauea inter cantillandum alas mouet, hoc uelut gestu ad liberum aërem redire deposcens, quòd si diu captiua teneatur, ut plurimum alterius oculi cæcitate afficitur: id quod nono ferè anno eis accidere aliquoties sum expertus, Albertus. Alauda cristata in caueis oblectamenti gratia, quod cantu suo suauissimo præbet, alitur. De suaui calandræ cantu & cristatæ minoris (cui uox inepta) supra in A. scriptum est. ¶ Alauda sese in puluere uolutat utpote non altiuola, Aristot. ¶ Alauda in condenso frutice, non nido, prolem parit. nidumq; auræ patentem habet, minus enim uolat, Aristot. In segetibus artificio magno, quo pueros & accipitres fallat, nidum constituit: Longolius, de cristata maiore loquens. Alaudæ in nido cuculus aliquando parit, Aristot. & Aelianus. uide in Cuculo. Alaudæ hyemales, id est cristatæ minores, nidos non constituunt in segete, uerum in fossis sentícosis, non aliter ac passeres maiores, Longolius. De gosturdis fertur uulgò, quòd earum oua in terra posita à bufone foueantur: & pullos demum exclusos à parentibus curari, & cibo allato nutriri donec uolatus tentare possint, Author libri de nat. rerum. Oua dicuntur in terra ædere & rarò fouere, propter quod uulgus mentitur hęc à bufonibus foueri. Verum est quidem calorem modicum cum Sole fouendis eis sufficere. Exclusi autem pulli à matre colliguntur & solicitè procurantur in pastu, quæ de ouis ante minus uidebatur esse solicita, Albertus. Aiunt eas gramen in nidum amuleti causa inferre, ut in prouerbijs referemus in h. Alauda & aliæ paruæ aues, semel anno quatuor aut quinq; oua pariunt, Albertus.

¶ Alaudæ etiam epilepsia affici traduntur, Aloisius Mundella. Alaudam sinapis semen confícit, Aelianus. ¶ Alauda hyeme latet, Aristot. & Agricola. Vuottonus exemplar Aristotelis mendosum hoc loco esse suspicatur, cum Aetius dicat hyemis maxime tempore galeritas inueniri. Sed forte aliqua parte hyemis latent, reliqua uerò conspiciuntur, & quidem propius domos & semitas cibi gratia inquirendi.

D.

Alaudas aiunt peculiari quadam industria & amore pullos suos curare & alere. ¶ Lauri folia edit alauda, Philes: nescio an ualetudinis aliámue ob causam. In nidum etiam illa fertur amuleti gratia gramen imponere. Contra fascinationis metum folia quercus comedit, Philes. ¶ Alauda & iunco amicæ sunt, Aristot. Alaudis dissident uariæ (ποικιλίδες, nimirum picarum generis) dictæ aues, Idem. oua enim inuicem exedunt, Vuottonus. Corydalis odit acanthylidem, Philes & Aelianus. quærendum an acanthylis eorum eadem sit quę pœcilis Aristoteli. Vide in Acanthide uel Carduele. Apud nos coruus aliquando deuorauit alaudam iuuenem, cuius rei ipse spectator fui, Albertus. Alauda ardeolæ oua diripit, Aristot. Accipitres quidam in cassitas & hirundines ruunt, Oppianus. Alauda accipitrem adeò timet, ut in hominum sinus confugiat, & loco manens uel in terra sedens capi se permittat, Albertus.

E.

Alauda hyeme capitur, & præcipuè tempore niuis, Obscurus. Ismerlos accipitres Galli loyetas uocitant, id est alaudarios, quòd alaudæ ab eis præcipuè capiantur. Oppianus in Ixeuticis uisco eas capi scribit. Et rursus in Ixeuticis, Auceps (inquit) noctua exposita in apside aliqua ærea subinde funiculum attrahit, & uirgulas undiq; circumpositas uisco illinit. Tum alaudæ ad noctuam capiendam properantes inuiscantur. Alaudæ, columbæ, corui, &c. quomodo capiantur reti, docet Crescentiensis lib. 10. cap. 20. Chalandra auis quomodo capiatur, ex Oppiano supra in A. præscripsi. ¶ De cantu alaudarum quæ captæ & caueis inclusæ sunt, scripsi supra in C. Retis genus quo ad corydalos capiendos, & eas auiculas quas peregrinas appellant, utuntur, Guil. Budæus describit in Annotationibus in Pandectas: Genus est (inquit) retis bimembre, quod duabus alis constat, humiq; expansum deuolantibus auibus adducto fune in se complicatur ad eas obruendas: nec semel ut illud simplarium genus, (pantheron,) sed identidem contrahitur expandituṙq;. Alaudæ, perdices, rusticulæ, & aues aquaticæ capiuntur noctu ad ignẽ, tintinabulo, & retis genere quodam, (sic enim interpretor quod Gallicè legitur au reel ou couuertoir.) Ignis hoc modo fit: Ellychnium facito de linteis ueteribus siccis in seuo liquato madefactis: eaq; contorqueto ad crassitudinem brachij, & longitudinem pedis, accenditoq;, Rob. Stephanus.

¶ Obseruationes circa temporis constitutionem eiusq; mutationes ex cantu alaudæ, retuli supra in C.

F.

Alaudæ genus nõ cristatum cibo idoneum est, Aristot. Carne est longe suauissima, Turnerus. Odorata, ut quibusdam uidetur. Cuzardi magis conueniunt medicinæ quàm cibo, Elluchasem. Alauda carne & iure non inutilis homini est, Platina. Cuzardi (alaudæ, Baptista Fiera) sistunt uentrem, & ius eorum colicis salubre est, Elluchasem. Caro alaudæ cristatæ uentrem constringit: ius autem eius eundem fluxum reddit, ut aliqui citant ex opere Rasis ad Almansorem. Idem in libro de 60. animalibus: Alaudæ cristatæ (inquit) in cibo calfaciunt & astringunt, quòd si quis utetur eis, condimentum addat ex aceto, coriandro & succo sinapis. Et mox, Finoræ (inquit: hîc etiam alaudas intelligo) calidiores & sicciores sunt quàm passeres domestici. Alauda (inquit Mich. Sauonarola) est calidi & sicci temperamenti. caro quidẽ siccior est, & in fine secundi gradus calida siccaq; uidetur. hanc Galenus scribit uentrem astringere, ius uerò eius soluere. Eligi debent iuuenes & pingues.

pingues. Præferuntur carnibus cuzardorum, Elluchaſem. Rufus inter aues ſylueſtres præfert calandrellas (id eſt alaudas non criſtatas) & ſachar (aliàs ſathur) pingues. Secundum locum tribuit ſturnis, phaſianis, perdicibus, &c. tertium coturnicibus & cuzardis, Elluchaſem. Cambura (Auicenna 2. 187. Bellunenſis legit canaberi uel camberi) quum concoquitur, nutrit plurimum, ſed tardè concoquitur.

G.

Alauda criſtata aſſa & in cibo ſumpta cœliacos adiuuat, Dioſcorides ut uulgati codices habent & Ruellius tranſtulit: ſed melius Marcellus Vergilius, pro cœliacis colicos reſtituit. Sic uero omnino legendum eſſe, facile ex plurimis quæ ſubijciemus authorum teſtimonijs conſtabit. Finoræ decoctæ cum aqua ſoluunt uentrem, (uide ſupra in F.) & colo medentur, Raſis. Mande galeritam uolucrem, quam nomine dicunt, Serenus inter colli remedia. Elixa in iure (ἐν ζωμῷ. Aegineta & Aetius habent σὺν λιπῷ ζωμῷ, id eſt cum ſimplici iure, hoc eſt non operoſo, nec rebus alijs nimirum præterquam modico ſale condito. λιπὸν enim interpretantur, ψιλόν, δυσπλές, ἀρίκλον, ἁπλοῦν) colicos iuuat, edenda eſt autem ſubinde & frequenter unà cum iure. Ego quidem hanc facultatem uerè ei attribui experimento cognoui, Galenus. Quinetiam corydalis (κορυδαλὶς) appellata herba colicis utilis eſt, Idem. Cæterum Aegineta poſt corydi, id eſt alaudæ ad colicam declaratum uſum, ſubijcit coronopodis quoq; radicem aduerſus colicum affectum ualere, ſed ita ferebat ordo literarum ut mox de coronopode agendum illi eſſet: cuius tamen radicem aſtringere, & ea gratia non colicis ſed cœliacis prodeſſe Dioſcorides & Galenus ſcribunt. Nos apud Dioſcoridem (inter nomenclaturas ei adſcriptas) legimus capnon, id eſt fumariam herbam, à quibuſdã corydalion uel corydalion agrion, uel corion appellari. Et quanquam non memini fumariæ à quoquam uim colicis auxiliarem attribui, non dubito tamen quin utilis eis eſſe poſsit, illis præſertim qui propter excrementa aluí induratа & flatus hac ipſa de cauſa collectos in hunc affectum inciderint. ſoluit enim aluum ſuccus fumariæ, qua ſoluta flatibus etiam uia patet. Conueniunt autem colicis non uehementia, ſed leuia tantum medicamenta quæ aluum modicè ducant. Quid uerò cum alaudis fumariæ commune ſit non uideo, niſi quod florum ueluti calcaria longiuſcula alaudarum forte digitis pedum, aut poſteriori ſaltem longiori (ſimiliter ut in alaudis) comparari poſſunt. Alauda aſſa in cibo ſumpta, mirabiliter ſæpe colicos ſanauit, Galenus ad Piſonem. Coli uitium efficaciſsimè ſanatur ab aue galerita aſſa in cibo ſumpta. Quidam in uaſe nouo cum plumis exuri iubent in cinerem, cõteriq; (diligentiſsimè, Marcellus,) bibiq; ex aqua (calida, Marcellus) cochlearibus ternis per quatriduum (triduum, Marcellus,) Plinius & Alexand. Trallianus. Hoc iam præſcriptum remedium (inquit Marcellus) colo & omnibus inteſtinorum doloribus, & tam hominibus quàm iumentis ex hac re laborantibus efficaciſsimè ſubuenit. Et rurſus, Alauda cum ſua pluma in uaſe fictili gypſato in furno poſito, ita comburitur ut teri poſsit. contritæ autẽ tenuiſsimus puluis reponitur, & cum opus fuerit ex eo cochlearia duo uel tria cum aqua calida per triduum aut quatriduum dantur. incredibile hoc colicis remedium, quod adeò prodeſt, ut omnia medicamenta meritò ſuperare uideatur, Hæc ille. Porrò cinerem auium uel aliorum animalium deſideratum ſic fieri oportet. in ollam nouam mittitur auis, aut quodlibet aliud animal quod putaueris exurendum, quod addito operculo, circunlitoq; argilla, in furno feruenti torrebitur, ſpiramento permodico facto, Plinius Secundus in epiſtola de medicina, quæ Marcelli Empirici uoluminí præpoſita eſt. Quidam cor alaudæ (aduerſus colicum affectum) adalligari femini iubent. alij recens tepenſq; adhuc deuorari. Conſularis Aſprenatum domus eſt, in qua alter è fratribus colo liberatus eſt aue hac in cibo ſumpta, & corde eius armilla aurea incluſo. alter ſacrificio quodam facto crudis laterculis (forte incluſo corde) ad formã caminí, atq; ut ſacrum peractum erat obſtructo ſacello, Plinius. Ad colum: Thraces uiuente adhuc alauda cor eximentes, alligatorium faciunt, femori ſiniſtro ipſum circundantes, Alex. Trallianus.

H.

a. Κόρυδος apud Galenum, Aeginetam, Theocritum, & alios proparoxytonũ ſcribitur. In Auibus uerò Ariſtophanis in textu & in ſcholijs oxytonum duobus in locis, ut apud Varinum quoq;. Apud Athenæum Ἐνκράτης ὁ κορύδος, paroxytonum habetur, perperam ut conijcio. Ariſtophanes in Auibus κορυδὸν genere fœmininо dixit, Plato comicus autem maſculino, Varinus & Scholiaſtes Ariſtophanis. Ariſtoteli κορύδων nominatur, niſi alia ea auis eſt, Ariſtophanis Scholiaſtes & Varinus. mihi quidem non alia uidetur, quanquam terminatio uariet. Pugnant inter ſe ποικιλίδες & κορυδαλοὺς, Ariſtot. uoce penanflexa. ego κορυδίωνας proparoxytonũ potius legerim. Κόρυδος auis eſt, κορύδαλος uerò (proparoxyt.) uicus Atticæ in quo templum erat σωτῆρος Διὸς κόρης, Ammonius in differentijs uocum. Sed Ariſtoteles, Oppianus, Dioſcorides, Ariſtophanis interpres, Varinus, & alij κορυδαλὸν oxytonum protulerunt. Corydalus auis, id eſt quæ alauda uocatur, quæ animos hominum dulcedine uocis oblectat, Marcellus. Κορυδαλλὸς auis & uicus Atticæ, Heſychius & Varinus, ſed per lambda duplex poetice ſcribitur, quanquam & apud Aeginetam ſic ſcriptum reperio. Ἤρχοντ' ἀμῶντες ἐγειρομένῳ κορυδαλλῷ, Καὶ λήγειν ὑδόντος, ἐλαννῦσαι δὲ τὸ καῦμα, Theocritus Idyl. 10. Hoc eſt, Incipienda meſsis eſt cum expergiſcitur alauda, & rurſus ea dormiente ceſſandum, euitare autem æſtum oportet. Κορυδαλλίδων αἱ, Oppianus in Ixeuticis. Κορυδαλλίδες Theocritus per λ. duplex. Galeritam Græci corydon & ſcordalon (lego corydalon) & corydalida appellant, omnes à

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 122 sur 825

galero ſiue galea, Hermolaus. Κορύφαλος genus auis, Suidas & Varinus. ſed quoniam apud alios au thores nuſquam (quod equidem ſciam) hæc uox reperitur, κορύναλος forte legendum fuerit: niſi quis pro eodem κορυφαῖος & κόρυθα accipiat, & ab hoc corydalon, ab illo coryphalon deriuet. Ριφυξ, alauda, Heſych. ſed Varino πίφυξ auis eſt ſic dicta παρὰ τὸ πίω, id eſt à potu, quòd aquis gaudeat. Ριφαλις, πίφυξ, Iidem. nos auem, quam Barbari uanellum appellamus, gifitz, per onomatopœiam. gaudet autem hæc quoq; aquis. Piphex harpa & miluus, amici ſunt, Ariſtoteles lib. 9. de hiſt. anim. ubi Græcè πίφηξ ſcribitur. ¶ Alauda olim etiam legionis cuiuſdam Romanæ nomen fuit. Huc accedunt alaudæ cæteriq; ueterani, Cicero 13. in Anton. Alaudam auem Plinius & Tranquillus aiunt, ut referunt grammatici, legioni dediſſe nomen, quæ alauda uocabatur: de qua Cicero ad Atticum, Antonius (inquit) cum legione alaudarum ad urbem pergere, pecunias municipijs comparare. Videntur autem & milites ipſi alaudæ dicti, & legio alauda. & quoniã alauda uocabulũ Gallicum fuiſſe perhibetur, noſtram ſuper eo coniecturam qualemcunq; explicabo. Veteres Gallos magna ex parte lingua Germanica uſos eſſe conſtat: & cum Cicero (ut modo recitaui) alaudas cæteroſq; ueteranos dicat, alaudas quoq; de ueteranorum conditione fuiſſe conijcio, præſertim ex natione Germanica ſiue Gallica oriundos. nam ueteranos & homines quoſuis ætate progreſſos, lingua noſtra uocamus die alten uel alden. nam inferiores Germani olden pronunciant. Recentiorum quidam ſcribunt milites qui galeis uterentur dictos fuiſſe alaudas, ita ſcilicet ut aues ipſæ alaudæ galeatæ ſunt. Hodie quidem alaudæ dici poſſent milites illi, qui ut excellentiores uideantur, ſtruthionum alijsue pennis pileos aut galeas ſuas faſtigiare ſolent. Alaudium (inquit Budæus) appellatum eſſe uidetur à laudando, id eſt nominando authore, & a. priuatiuo: quòd qui prædia eo iure habeant, laudare authorem ſuum nemini teneantur, ut qui nullum ſoli dominum cognoſcant nec patronum. Robertus Stephanus alaudium etiam Gallice interpretatur, ung franc aleu. Sed forſan ab alaudis, id eſt ueteranis militibus hæc quoq; dicta fuerint: quòd illis huiuſmodi prædia ab initio tanquam bene meritis diuiſa & donata ſint. Sanè a. priuatiuum in huiuſmodi compoſitionibus inuſitatum eſt Latinis. Sed hanc quæſtionem grammaticis & Iureconſultis relinquo. Recentiores uerò illos (Albertum & ſimiles ſcriptores) qui alaudam auem à laude nominatam aiunt, eò quòd mira alacritate pennis in aëre ſereno exertis muſicam & canoram ſe declaret (à laudato cantu ſic dictam inſinuantes) non poſſum nõ ridere, quomodo enim Gallicæ aut Germanicę uoci origo Latina quadraret? Rideo & Syluaticum qui alaudam interpretatur upupam, quaſi uerò omnem auem criſtatam upupam eſſe oporteret. Differt ab alauda parcus, etiamſi quidam negant. eſt autem parcus auicula palumbo minor aliquanto, ſubtus candida, cætera pauoni ſimilis, & criſta quoque, Hermolaus. Hanc auem recentiores uanellum uocitant, ut in litera V. docebimus. ¶ Alaudarium accipitrem, hoc eſt alaudas captantem, Galli uocant, ſua lingua loyette, quam etiam S. Martini auem uocari audio, colore fuſco, à ſperuerio diuerſam. ¶ Caſsitam, pro alauda, media producta dicunt. Nec ſua luctificis caſsitæ funera plangunt Vocibus, Eobanus Heſſus in translatione Theocriti. Caſsida uerò, pro galea, media breui ponitur. Aurea cui poſtquam nudauit caſsida frontem, Propertius. Aurea uati Caſsida, Vergilius 11. Aeneid. ubi Seruius, Ex accuſatiuo (inquit) Græco facit nominatiuum Latinum.

¶ Corydelis ſalſamentarius piſcis eſt, quem nos cordyllam uocamus, &c.

¶ De herba quæ corydalis uel corydalion uocetur, in G. dictum eſt. Noſtri alaudarum floſculos appellant qui naſcuntur cœrulei pratis humidioribus quibuſdam, ex genere paruo herbæ arthriticæ quam & primulam ueris nominant, rari inuentu, cum lutei paſsim uulgares ſint.

¶ Epitheta. Κορυδαλίδες ὠὼ τυμβιδιοι, Theocritus Idyl. 7. aliqui ſic dictas uolũt, quaſi circa ſepulchra uerſari ſoleant. alij à colore φλογοειδεῖς interpretantur, παρὰ τὸ τύφω. Sed magis placet cauſam huius epitheti ad fabulam referri recitandam in h. Καὶ παῖδας ἔχε λιὶξ κόμιν θρέψαντας λοφάωντας, κἀκ πηρῶσιν ἀκμαίοις, de alauda author innominatus apud Suidam. ¶ Alauda galeata, Bapt. Fiera.

¶ Homines olim (inquit Ariſtophanes in Auibus) auium cognomina uſurparunt: & Philocles corydus nominabatur. ubi Scholiaſtes, nimirum quod capite ſuperius acutiore eſſet, Ὁ ὀξυκέφαλος πλὴν κεφαλῆ. nam deformem illum fuiſſe hominem in Theſmophoriazuſis etiam indicat poeta. Κορυδεὺς (Κορυδὸς legendum puto) & filij eius tanquam deformes in comœdijs traducuntur, Heſych. & Varinus. Corydeo deformior, prouerbium apud Apoſtolium, quòd Corydeùs iſte admodũ deformis fuiſſe perhibeatur. Corydos apud Athenæum inſignis cuiuſdam paraſiti nomen eſt. Εὐκράτης ὁ κορύδος apud eundem legitur. Corydon nomen proprium eſt paſtoris apud Theocritum Idyllio 4. & in Aeglogis Vergilij. ¶ Perdices Athenis ab altera parte Corydali quæ urbem reſpicit, aliam quàm in ulteriore uocem ædunt, Theophraſtus ut citat Athenæus. Corydalum autem uicum eſſe Atticæ ſupra diximus. Stephanus Corydallum hunc uicum per λ. duplex nominans in tribu Hippothoontide collocat: à quo tribulis dicatur Κορυδαλλόθεν. Apud eundem Corydalla urbs Rhodiorum eſt, gentile Κορυδαλεῖς. Chelidoniæ inſulæ contra Tauri promontorium peſtiferæ nauigantibus duæ ſunt, quarum una Corydela (Κορύδελα) altera Menalipea dicitur, Idem. ¶ Κορυθαλλὶς Ἄρτεμις apud Athenæum memoratur.

¶ b. Hortulanum auem quandã audio Bononiæ uulgò appellari, alaudæ magnitudine & colore, lautam & pinguiſsimam.

¶ c. Ἀεισδω κόρυδος, καὶ ἀκανθίδες, ἔαρος προαγώγιον, Theocrit. Idyl. 7. Vulgò quidã apud nos de februario dicunt, ante meridiem dies adeò frigidos esse, ut plaustrum per gelu in orbita transeat, à meridie uerò in eadem alauda lauet.

¶ e. Dum turdos uisco, pedica dum fallit alaudas, &c. Alciatus in Emblem. ¶ Alexander Trallianus inter remedia ad colum, annuli ferrei circulum octangulum fieri iubet, & in octangulum inscribi, φοῦγε φοῦγε ἐὸν χολὴ ὁ κορυδαλὸς ἔχητε.

¶ h. Plinius quum fabulosa quædã à ueteribus tradita scripsisset, subdit: Qui credit ista, etiam Democrito credet quum alia (fabulosa,) tum quæ de aue galerita priuatim cõmemorat, etiam sine his immensa uitæ ambage circa auguria. ¶ Lemnij corydos colunt propter utilitatem quam ex eis percipiunt, eò quòd attelaborum (bruchorũ de genere locustarum) oua perquirant & deuorent, τὰ τῶν ἀγελαίων ἐυρίσκοντας ὠὰ καὶ κάπτοντας, Plutarchus in libro de Iside & Osiride. ¶ οὐδ' ὡς τυμβίδιοι κορυδαλλίδες ἠλάινοντα, (ἐρέμβοντα, ὡδὲ Θεόκριτος πλανῶντα,) Theocritus Idyl. 7. de tempore meridiano loquens. Habet alauda (inquit Galenus libro undecimo Simplicium pharmacorum in capite cristam è plumis innatam, λόφον ἐκ τῶν τριχῶν αὐτοφυῆ,) unde occasio data est fabulæ quam Aristophanes Comicus describit, his uerbis:

Ἀμαθὴς γὰρ ἔφυς, κὐ πολυπράγμων. σὸν δ' Ἀίσωπον ᾠκοδόμησας·
ὃς ἔφασκε λέγων κορυδὸν πάντων πρώτιστα ὄρνιθα γενέσθαι,
πρόσθεν θανόντος γῆς κάπειτα νόσῳ τὸν πατέρ' αὐτῆς ἀφανίσκειν,
εἶτ' ἀπιέναι. τὸν δὲ θάπτεσθαι ποιμπᾶιον. τὸν δ' ἀφεῖσαν
ὑπ' ἀμηχανίας, τὸν πατέρ' αὐτῆς ἐν τῇ κεφαλῇ καταρύξαι. Adscripsi autem hos uersus eò libentius, quòd apud Galenum nonnihil corrupti essent. Sensus est, Alaudam auem priorem terra enatam: unde mortuo patre, quum ubi sepeliretur non extaret, nondum producta terra, illum in capite contumulârit, tumuli signum seu uestigium adhuc in ea spectari surrectũ capitis apicem. Et hoc etiam Theocritum insinuasse aiunt (inquit Galenus) ὠτυμβιδίους κορυδαλλίδας scribendo, quasi parẽtis tumulum in capite gestantes, (etsi aliqui, ut in a. retuli, hanc uocem aliter interpretentur.) Hęc eadem memini alicubi in Lexico Varini legere. Corydo igitur tanquam antiquissimæ auium in Auibus Aristophanis regnum decernitur. Cirin etiam auem, de qua inter accipitres scripsimus, parentem suum in capite tumulasse quidam scribunt. ¶ Colęnus quidam condidit Colonidas urbem colonia deducta Athenis, corydo auicula duce usus ex oraculo, Pausanias in Messenicis.

¶ Prouerbia. Corydalis (uel Galeritis) omnibus cristam ineſſe oportet, πᾶσιν κορυδαλοῖσι χρὴ λόφον ἐγγενέσθαι, citatur ex Simonide & usurpatur aliquoties à Plutarcho, nominatim in uita Timoleontis, in hunc sensum: nullum esse mortalis ingenium, cui non sit aliquod uitium admixtum, ceu perinde secundum hominis naturam sit non carere uitio, ut galeritæ naturale est habere cristam. Plutarchi uerba subscribam: Ἐπεὶ δὲ χρὴ, ὡς ἔοικεν, ὅ μόνῳ τῶν κορυδαλοῖς λόφον ἐγγίνεσθαι τῷ Σιμωνίδῃ, ἀλλὰ καὶ τῶν δημοκρατείᾳ συνοφάντην. hoc est, Quoniam autem oportet, ut uidetur, non solum omnibus galeritis cristam ineſſe, quemadmodum dixit Simonides: uerum etiã omni democratiæ sycophantam. Congruit huic dictum Cratetis, quod refertur apud Laertium, uix esse quenquã qui prorsus omni uitio careat, sed omnibus malis punicis aliquod ineſſe granum putre, Hæc Erasmus. Nos quidem supra ostendimus genus gregale alaudarum non esse cristatum, itaq; de illis non uerũ erit hoc prouerbium. ¶ Credebatur laurus efficax aduersus uenena, inde iactatum ut qui se tutum approbare uellet, δαφνίνῳ diceret φορῶ βακτηρίαν, id est, Laureum gesto baculum, cui ferè consimile prouerbium est de corydo aue nido gramen inserente aduersus animalium noxia, Ἐν κορύδου κοίτῃ σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωστις, Celius ex Geoponicis Græcis l. 15. authore Zoroastre. In corydi nido intorta occultatur agrostis: adagij usus est (ut inquit Alexander Brassicanus,) si quando significamus nobis non deesse tacita quædam & paucis cognita præsidia: quemadmodum corydus auicula agrosti occulto quodam aduersus ea quæ nocere possint amuleto utitur. Simillimũ illi quod Germani uulgò iactitant: Er iſt jm wie ein ſpieß hinder der thüre, Eberhardus Tappius. ¶ Inter indoctos (amusos) etiam corydus sonat, Ἐν ἀμούσοις καὶ κόρυδος φθέγγεται: quadrabit in quosdam qui apud idiotas audẽt sese uelut eruditos uenditare, inter doctos alioqui prorsus elingues: id quod citra metaphoram elegantèr extulit Euripides in Hippolyto coronato: οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς φαῦλοι, πρὸς ὄχλον μεστικώτεροι λέγειν. Corydus uilissimum auiculæ genus, minimeq; canorum, strepit tamen utcunq; inter aues mutas, apud Iuscíniam canens ferri nequaquam posset. Corydum auem minimè canoram esse testatur & Græcum epigramma, licet ἄσημον,

Εἰ κύκνῳ δώσατε κόρυδος παραπλήσιον ἆσαι, Τολμῶσ' δ' ἐρίσαι σκώπτες ἀηδονίσι:
Εἰ κύκνος πτέρυγος δρεῖ λιγυρώτερον εἶδεν, Ἴσα ποιεῖν καὶ ἐγὼ βαλλάδιῳ δώσαμαι, Erasmus.

Nos primum & secundum alaudæ genus supra à suaui uocis modulatione commendari, tertium uerò ἄμουσον & ineptæ uocis esse docuimus. ¶ Aquilæ senecta, corydi iuuenta: Ἀετοῦ γῆρας, κορύδου νεότης: de uiuida uiridiq; senecta, quæ præstantior sit aliquorũ iuuenta. nam anus aquila præstat corydo auiculæ etiam ætate integra. Citra allegoriam extulit Euripides in Andromache: πολλῷ νέων γὰρ πῶν γέρων δύψυχος ἐς Κρείσσων, Erasmus. nam aquila utcunq; annosa, quauis tamen aue præstantior est, Suidas.

¶ Apologus. Cassita auicula est (inquit Grapaldus) quæ in segetibus diuersatur & nidulum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 124 sur 825

ſtruit, id fermè temporis cum meſsis inſtat, pullos habens iamiã plumãtes. De qua Aeſopus Phryx ille egregius fabulator luſit apologum, quem hîc noſtris inſerere operæpretiũ duximus. Caſsita itura cibum pullis quæſitum, monet eos, ut ſi quid audiant, id cum redierit, ſibi referãt. Interim aduentat dominus ſegetis illius: & filio, matura inquit, hæc operas poſtulant. idcirco in craſtinum amicos adibis, & roga, ueniant operam mutuam daturi, ut meſsis peragatur. Vbi rediit mater, renunciant omnia, & trepidi orant, ut ſeſe auferat. Iubet illos caſsita bono animo eſſe. nam ſi dominus (ait) ad amicos meſſem reiicit, craſtino ſeges non metetur. Die igitur poſtero caſsita ad pabula euolat, dominus fruſtra amicos præſtolatur. Tum ille rurſum ad filium: Amici nulli ueniũt, quin potius imus & cognatos affinesq; noſtros oramus, ut adſint diluculo ad metendum. Nunciant hoc itidem pulli pauidi caſsitæ. Ea hortatur ſint à metu otioſi, futurum ut neceſſarij fermè nulli obſequiales ſint, aduertant modo ſi quid denuò dicetur. Orta luce proxima, & auicula in paſtum profecta, affines opel lam non præſtant. Hinc dominus filio, Valeant (inquit) beneuoli cum propinquis, noſmetipſi cras metemus. Id quod ubi à pullis mater accepit: hora (inquit) iam eſt abeundi, nunc dubio procul meſsis peragetur. in ipſo enim iam uertitur cuium eſt negotium, non in alio à quo petitur. Atque ita caſsita cum pullis ſeceſsit, & ſeges demetitur. Et hîc eſt Aeſopi apologus de amicorum & propinquorum, ut Gellius (lib. 2. cap. 29.) notat, leui plerunq; & inani fiducia. Vnde audenter dicere poſſumus, O amici, amicus nemo: ô affines, nulli affines: & illud ex oracculo quaſi Delphico exiiſſe, Ne quid expectes amicos, ne quid cognatos, quod tu per te agere poſsis.

DE ALCYONE.

A.

ALCYON auis eſt marina, quanquam & amnes ſubit, Ariſtotele teſte, nomen ei παρὰ τὸ ἁλί κύειν, quòd in mari pariat, ut Scholiaſtes Theocriti & Varinus ſcribunt, qua ratione aſpirari debebat: & ſanè cum ueteres quidam Latini, ut Varro in opere de lingua Latina, & Seruius in primum Georgicorum Vergilij, huic auis nomini ab initio aſpirant, tum ex recentioribus eruditi quidam. Non recipere flatilem in prima uerbum alcyonas, auctor Euſtathius eſt, etiam canone ſubiecto: quoniam A. ante L. ſi ſequatur κ. flatilem non admittat, Cælius. Halcyonem cum aſpiratione ſcribendũ, ex Theocrito apparet, χ' ἁλκυόνδε συρισδύνει τὰ κύματα. nam ſi non aſpiraretur, non opus fuiſſet cappa, id eſt primam literam coniunctionis κχ in χ. denſam mutari, Io. Tortellius. Alcyon (inquit Io. Iouianus Pontanus lib. 1. de aſpiratione) pro aue Græci non aſpirant, licet fiat ab eo quod eſt ἅλς. illi enim ut grammaticis placet, nunquam aſpirant a. ante l. ſequente cappa. Chœroboſci grammatici, qui Græcè de aſpirandis uocalibus ſcripſit, uerba hęc ſunt: Alcyon uerò etſi ab eo quod eſt ἅλς deriuatur, tamen quia ſequitur cappa, tenuatur: & ſimiliter præteritum ἅλτο, licet fiat à uerbo ἅλλομαι (& ἁλτήρδν ab eodem uerbo: Vide Etymologum.) Nam a. ante l. ſequente conſonante ſemper tenuatur, niſi fortaſſe ſtatim ſequatur liquida. Nihilominus (inquit Pontanus) apud Theocritum eſt uidere Græcos ueteres huic nomini aſpiraſſe: ac licet ipſe uiderim in uetuſtiſsimis codicibus noſtris huic nomini aſpirationem eſſe prænotatam, hodie tamen aſpirat nemo, & ſimiliter dictionibus alcedo, alcedonia, (de quibus plura ſuo loco,) Hæc ille. Varro quidem etiam halcedinem cum aſpiratione dixit: Vide infra in a. Eſt autem alcedo Latinis, eadem quæ Græcis alcyon auis. ¶ Alcyon Arabicè ſecundum Auicennam uocatur cheren, Albertus. Alicubi tamen ubi apud Ariſtotelem alcyon legitur, Auicennæ translatio (quod Albertus fatetur) habet alchorab, quæ uox coruum ſignificat. res ipſa quidem, hoc eſt per hyemem quatuordecim diebus operam dare (nido &) excludendis ouis, ad alcyonem pertinet, non ad coruum. Et mox, Alcyon (inquit Albertus) eſt auis nigra, non admodum magna: & forte hanc uocauit Auicenna coruum marinum propter coloris ſimilitudinem. ſed nigram eſſe alcyonem, falſò & ſine authore ſcribit. Et rurſus eodem capite, Alcyon eſt eadem cum alchorab marino, & ſecundum Ouidium & Homerum auis eſt Diomedis, rarò apparens, &c. Sed de auibus Diomedeis toto genere diuerſis, nos ſuo loco priuatim agemus. Alcyonem ignorauit Albertus dicens eam coruum marinum eſſe, Niphus. Apud Auicennæ interpretem alcyonis ceu Græcum nomen in publicatis codicibus abſurdiſsimè legitur. Albertus cum alcyonis ſcripſiſſet hiſtoriam ex Ariſtotele uel Auicenna, mox ſubiungit: Alia autem auis eſt, quæ uocatur Græcè ſauorath, quæ eſt picus marinus & agreſtis, maior aliquantulum paſſere, &c. cum & hæc & quæ ſequuntur omnia non minus quàm quæ prius de alcyone expreſſe ſcripſerat, alcyoni ſoli conueniant, & eadem fermè repetantur. Idem Ariſtotelis de alcyone uerba recitans, cum cinnamomo aue eam confundit. Fui ego aliquando in ea opinione, ut auem quæ à barbaris iſpida nominatur, alcyonem eſſe conijcerem. quam ſententiam meam etiam doctiſsimus uir Guil. Turnerus Anglus tunc approbatam in ſuo de auibus libro publicauit, & illum nuper ſecuti Georg. Agricola, Eberus & Peucerus, idem tradiderunt, ſed cum diſtinctione, ac ſi hæc auis alcyon fluuiatilis eſſet, non autem marina: cum ueteres huius diſſerentiæ non meminerint. nam Ariſtoteles ſcribit alcyonem auem marinam fluuios etiam ſubire: non autem diuerſam fluuiatilem à marina eſſe. Verum hæc ſcribo non ut coniecturã, cuius author ipſe fui, refutem: nec

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 125 sur 825

neq; ut uiris longè doctissimis aduersèr: sed ut diligentius inquirendi occasionẽ harum rerum studiosis excitem. Hæc iam scripseram cum Petrum Bellonium etiam diligentissimũ uirum in Græcia nuper alijsq; remotissimis regionibus peregrinatum, similiter ispidam, quam ipse uocat martinet peícheur, id est apodem piscatricem, pro alcyone accipere cognoui. Idem iyngem auem in Atho monte Græciæ uulgò alcion nominari scribit. Alcyonem habemus in inferiori Germania in littoribus maris, & ad Hauelam flumen, ubi ab incolis uulgò impropriè Wasserhünle dicitur, & aliquo modo propriè Eißuogel, quia glacios hyeme nidificat & excludit pullos. illo tamẽ nomine dicitur & alia auis, nempe quæ ispida est, Christophorus Encelius. ¶ Aristoteles de hist. animalium 8.3. aues quasdam degere scribit circa fluuios & lacus, alios circa mare. Ex parydris & iuxta aquas dulces degentibus præter cæteras numerat etiam ἀκαλύνωψ γλάθ, ut in exemplaribus nostris habetur, Gaza & Niphus uertunt alcedonum, cum Græci luscinias ἀκαλύνας uocent: sed illæ non degunt iuxta aquas. quare cum uox corrupta sit, apparet illos diuinasse legẽdum ἀλκυόνωψ. Albertus ex Auicenna hoc in loco habet seorahon, corruptissimam uocem. Sed quid si legamus χελιδόνωψ? id est hirundinum. nam & hæc uox magis ad ἀκαλύνωψ accedit: & aquis eas gaudere certum: & quæ ibidem subijcit Aristoteles, hirundinibus (ni fallor) magis quàm alcyonibus cõueniunt. nempe duarum eas generum esse, unam arundinibus insidentem uocalẽ, (alibi etiam uel iam auem paruam, ἐλέαν, ex arundinibus paludes spectare, & uoce proba esse ait) alteram mutã & maiorem, dorsum utriq; cœruleum. Alcyonum sanè hoc loco non rectè legi etiam quæ proximè sequuntur philosophi uerba indicant: Circa mare uerò uersantur (inquit) alcyon (Gaza de suo inserit, quoq;, nimirum ad excusandum quòd proximè etiam alcedones inter πηνέλοπας nominarit) & carulus, (sic Gaza κήρυλον reddit.) Absurdum autem foret cum prius alcyones nominasset inter eas quæ degunt circa dulces aquas: mox easdem primas nominat inter maritimas. quanquam enim (ut diximus) fluuios quoq; subeat alcyon, primum tamen & præcipuè maritima est, & à ueteribus omnibus maritima nominatur. Kiranides eam in littoribus maris degere scribit. Suidas in uoce Ἡμερινὰ inter aues maritimas numerat, his uerbis: Θαλάσσια δὲ ἀλκυών, ἀκαλὼψ, κήϋκες, ἀεθυῖαι, &c. ubi rursus mireris, quomodo aëdon maritima sit, cum in Aristotelis codice circa aquas dulces degentibus (ut iam dictum est) adnumeretur. Nos sanè Aristotelis locum deprauatum esse conijcimus: Suidæ falsum imitatione librariorum. Obijciat aliquis Plinium quoq; lib. 10. cap. 32. ubi & reliquam alcyonis historiam ex Aristotele transfert, hæc uerba interserere, sed forsan Plinij quoq; codex corruptus fuerit. Quod si quis ispidam recentiorum pleraq; cum alcyone paria facere, uel omnino speciem quandam alcyonis esse contenderit, hoc equidem illi concessero. ¶ Sig. Gelenius alcyonem auem in mari, eiusdem generis esse putat cuius est auis circa aquas dulces uulgo gyfyts dicta, de qua in Vanello dicemus. ¶ Cælius Calcagninus auem quæ à nautico uulgo (circa Italiam) hodie hirundo marina dicatur, alcyonem esse conijcit: passere (inquit) haud multò ampliorem, colore tum cœruleo, tum uiridi, tum etiam leniter purpureo insignem, eoq; non partiliter ita distincto, sed ex indiscreto uariè toto corpore & alis & collo refulgentem, rostro subuiridi & longo & gracili, querula admodum uoce peruolantem maria, & in præruptis scopulorum nidificantem, cui præterea pisces in cibo sunt, Hęc ille. Nostri ab hac diuersam hirundinem marinam uocant Seeschwalm, quam ego meropem aut meropi congenerem esse puto, ut in illius historia dicam. Sed ueram alcyonem paucissimis, præsertim mediterraneis, notam esse, mirum non est: quoniam (ut Aristoteles scribit) omnium rarissimum uidisse alcyonem est: ferè enim circa Vergiliarum occasum brumamq; ipsam apparet: & ubi primum per portum non plus quàm nauem circunuolârit, statim abit, ut nusquam præterea uideatur. quomodo Stesichorum quoq; eius meminisse notum est. Chærephon etiã apud Lucianum alcyonis cantum tanquam inauditũ sibi hactenus & peregrinæ auis miratur. Audio tamen in Græcia hodieq; agnosci alcyonem, uulgari nomine φασιδίνις.

¶ Cerylus, κήρυλος, non alia est auis quàm alcyon mas, ut Antigonus, citante Varino, scribit, & alij authores: qui & ceyx appellabatur. Vide infra in a. Theocriti interpres tradit ab Antigono proditum senescentes alcyonas uocari cerylos, Cælius: sed perperam. dicendũ enim, alcyones mares uocari cerylos, eosdemq; in senecta à fœminis gestari. Κήρυλος, auis est fœmina, libidini dedita: aliqui alcyonem interpretantur, Hesychius. Alcedo apud marè uersatur, & carulus, Aristoteles de hist. anim. 8.3. non quòd aliter quàm sexu has aues differre existimaret, sed ut nomina uulgo usitata nõ omitteret: sic in eodem capite ficedulam & atricapillam pariter nominat, & alibi erithacum & phœnicurum, cum istas aues non specie sed affectione tantum aliqua (colore) differre fateatur. Albertus eo in loco ex Auicenna corruptissimis nominibus pro alcyone habet tharaglyon, pro cerylo kydeloz. Niphus carulum putat esse auem, quæ rusticè apud Italos ciurlus appelletur, quæ autem qualisq; illa sit, non explicat. Petrus Bellonius carulum Gallicè canard interpretatur, nec aliud addit, nisi quòd delphini uenationem sequantur, & pisces deuorent, qui fugientes delphinum supra mare exiliunt. Sed Galli uulgò anatem marem canard nominant. Carulum marem alcyonem esse Aelianus quoq; agnoscit: quanquam alibi alcedonem & carulum mutuo inter se amore teneri scribit: ubi diuersarum specie auium amicitias & discordias mutuas recenset.

B.

Alcedo non multo amplior passere est, colore tum cœruleo, tum uiridi, tum etiam leuiter pur-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 126 sur 825

pureo insignis, uidelicet non particulatim colore ita distincta, sed ex indiscreto uariè refulgens corpore toto, & alis, & collo, rostrum subuiride, longum & tenue. Talis species eius est, Aristot. Quod ad colorem, illum pro diuerso ad lucem aut Solem conuersione uariare conijcio, & iridis colores quodammodo imitari, sicut serici genus ab ista colorum uariatione apud nos denominatum. Similem colorem in uanello aue & coruo syluatico obseruaui, & alijs quibusdam. Agnoscit autem hunc in alcyone colorem, quæ uulgo Italis quibusdam nautis hirundo marina dicatur, Cælius Calcagninus quoq; ut in A. recitaui, quamobrem miror ab eo defendi Plinium, quem Aristotelis sensum hac parte non assequutum, ex ipsius (quæ hic subijcimus) uerbis apparet. Alcyon (inquit) auis paulò amplior passere, colore cyaneo ex parte maiore, tantum purpureis & candidis admixtis pennis, collo (rostro, Aristot. quod magis placet) gracili ac procero. Et mox, Alterum genus earum magnitudine distinguitur, minores in harũdinetis canunt: (de quibus uerbis sententiam meam explicaui in A.) Calcagninus sentit codices nostros minus quàm Plinij emendatos esse, potius credendum quàm Plinium male transtulisse: Ego uerò contra sentio. iudicabunt eruditi. Albertus quidem ea quæ ad colorem & rostrum alcyonis pertinent, non ut Plinius, sed ut codices nostri habent, exinterprete Auicennæ repetit. Plenumq; querelæ Ora dedêre sonum tenui crepitantia rostro, Ouidius 11. Metam. Ξανθὰι ἀλκυόνδι, id est fuluę alcyones à colore in Epigrammatis cognominantur. sed poetæ non raro colorum nominibus impropriè utuntur. Kiranides alcyonem auem ualde specio sam esse scribit, subcœruleam uel uiridem, uariam colore. Cætera leguntur supra in A.

C.

Alcyon auis est marina, Suidas & alij, (ut supra in A. dictum est,) maris adeò amans, ut prope fluctus nidificet, pectus aquis aspergat, caudam in terra sicca imponat, Oppianus in Ixeut. Athenæus lib. 8. Clearchum authorem adfert, piscem adonidem siue exocœtum in littus aliquando unà cum fluctu extra aquam se recipere, atq; inibi super saxis quiescere, & si uigilet aues πηδνίδας cauere, ne ab eis deuoretur. sic autem uocat οὓς ϕησὶ τοὺς θυννους πρὸ τοῦ ξηροῦ νεμομένους, hoc est aues illas quæ sereno & tranquillo cœlo iuxta littus pascuntur, ut cerylum, trochilum, & creci similem elorium. Viuit ex uenatione piscium maris, Albertus. subit & in amnes, Plinius: in amnes longius ascendit, Aristot. Iupiter alcyones noctu pasci uoluit, & circa stagnorũ fluuiorumq; maximè solitarias partes, ne hominibus molestæ essent, Oppianus. Τὴν δ' ὅτε δινήϵσσι (δυκὼλυμβον) κηϱύλον ὅλμα σϕῆς Ἀυλῶνος (θαλασσίς) ὄισει κῦμα γυμνίτιδι φάϱυγϱ, Lycophron. Κραίναν τ' ἀιγιϵϱοισι καταστικτον, ἧς ἀϱὴ νᾶμα Ξανθὰι ἀϕύσσον τοὺς χείλισιν ἀλκυόνδι, In Epigrammatis. ¶ Iupiter Ceyci & Alcyonę eius uxori iratus, mutauit eos in aues singularem & disiunctam uitam degentes, εἰς ὄϱνιϵα χωϱὶς ἀλλήλων βιῶντε, Varinus. ¶ Halcyonem uidere rarissimum est (ut in A. etiam retuli ex Aristotele) nec nisi Vergiliarũ occasu, (cum occasu heliaco occidunt Pleiades, hoc est à quarto nonas Aprilis uêre, Albertus) & circa solstitia brumámue, naue aliquando circunuolata statim in latebras abeuntem, Plinius. ¶ Piscibus (piscibus paruis) uiuit, Aristoteles & Kiranides. Ex alto in mare se immittit, Oppianus. rectà nimirũ ut catarrhactes & aliæ quædam piscium oræ aues. Carulum quidẽ deuorare pisces & πηδνίδι esse, paulò ante ex Athenæo repetij. ¶ Scimus musicas esse alcedines, Aelianus. Aues quæ suauius quàm alcyones cantillent, nemo ullas dixerit, Oppianus. Chærephôn apud Lucianum suauem alcyonis uocem admiratur. Littoraq; halcyonem resonant, & acanthida dumi, Vergilius in Geor. Lugubrem reuera sonum ab ea ædi testatur Chærephôn apud Luc. Alcedines à maritorum obitu multo tempore lugent & se disperdunt, desituræ canere, ceyx ceyx aliquoties repetunt, atq; ita cessant. Porrò ceycis (maris alcyonis) uocem nunquam uel mihi uel alijs audiendam optârim, curas enim & mortes, & infortunia significat. quamobrem Iupiter eas nocte pasci uoluit, & locis circa aquas maximè desertis ne quid hominibus molestæ forent, Oppianus. Alcyonum genus unum uocale est, alterũ mutum, ut ex Aristotele Gaza trãstulit: uide supra in A. ¶ Cerylum aliqui auem masculum & libidinosum, alij alcyonem interpretantur, Hesychius. Ceryli, id est alcyones mares in coitu immoriuntur, Aristophanis Scholiastes: iam senes in coitu extinguũtur, Isacius Tzetzes. Fœtificat alcedo toto suæ ætatis tempore. parere nata menses quatuor incipit, Aristot. Coniugis amans adeò est, ut non uno quopiam sed quolibet anni tempore cohæreat, congressusq; huius admittat, non per libidinem, quippe quæ alteri nulli prorsus miscetur, sed beneuolentiæ quæ nuptam decet & amicitiæ studio, Plutarchus.

¶ Nidificatio. Nidus (inquit Aristot.) marinæ similis pilæ, & ijs quæ à flore maris halosachne dicantur, (de halosachne dicemus infra in G.) sed colore leuiter ruffo, figura proxima cucurbitis medicinalibus ijs, quibus collum porrectius est, magnitudo maximis amplior quàm spongiæ, (hoc est, ut ego interpretor, maximus alcyonis nidus maximam spongiam excedit.) sunt enim alij maiores, alij minores. conseptus, stipatusq; undiq; est, & crebro tum inani, tum solido constat. renititur ferramento acuto, ut uix possit discindi. Sed si unà & ferro tundis, & manu collidis, facile perinde ut flos aridus maris (halosachnam dico) confrangitur. Os eius angustum, quoad sit exiguus aditus, ut etiam si uertatur mare, influere nequeat. habet sua inania proxima cauis spongiarum. Ambigitur ex quanam materia componatur. Videtur tamen è spinis potius acus piscis constitui, piscibus enim alcedo uiuit, Hæc ille. Nidi eius figura assimilatur figuræ pineali, aut uentosæ quæ habet collum longum, Albertus. Et rursus, Propter artificiosam compositionem materiæ, non facile ferro secatur,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 127 sur 825

secatur, ut nux pinea, quæ ex lignis inuicem consertis componitur, quæ facilius manu disiungun-
tur, quàm ferro scindantur. Sed Aristoteles aliter sentit, nempe nidũ hunc si simul ferro cædatur, &
manu atteratur & confrietur, (θραύειν enim & παθραύεσθαι dicit,) facile dissipari. Cæterum mare nõ
intrat in nidum alcyonis (inquit Albertus) quoniam introitus sit è materia per aquam intumescente
instar spongiæ, & tumore suo claudente uiam ne aqua ingredi possit: quæ tamen materia ab aue in-
gressura comprimitur, & aquam exudans aditum illi præbet. Et rursus, Nidum facit cauum instar
cannæ, ex materie simili ossi sepiæ (halosachnæ, Aristot.) prædura, quæ facile friabilis est, difficulter
uerò secabilis aut fissilis. Nidi alcyonum (inquit Plinius) admirationem habent, pilæ figura (nos pi
lam uel ballam ut uulgò uocant marinam uidimus, orbiculatam, & ueluti ex festucis coalitam) pau-
lum eminenti ore perquam angusto, grandium spongiarum similitudine. ferro intercidi non
queunt, franguntuŕq; ictu ualido, ut spuma arida maris. nec unde confingantur inuenitur. putant
ex spinis aculeatis, (lego aculeati, id est acus uel belonæ piscis.) piscibus enim uiuunt, Hæc ille.
Rostro suo, nec alio instrumẽto, nidum fingit alcedo, imò nauis instar fabricat, opus euerti mergí́q;
fluctibus nescium. componit quippe deuincíq; conserens inuicem acus pisciculi spinas, ac rectis
alijs ceu stamini, transuersas alias ueluti subtegmen implicat, mox consertum recuruat, & in orbem
reducit: ac sic coaptat deníq;, ut opus nauigij specie turbinatum, ac qualo (κύρτῳ) propemodũ pisca-
torio oblongiusculo simile euadat. perfectum littori quõ fluctus extremi pertinguntapplicat. hic
unda molliter feriens, nõdum firma satis hiantiáq; procellarum uerbere deprehensa, farcire docet:
solida uero & iam cohærentia constringit figit́q; adeò, ut nec saxo nec ferro dissolui diffringiue sa-
cile queant. Qua quidem in re magna comprimis admiratione dignum ostiolum est, sic modifica-
tum figuratuḿq;, ut hanc unam subeuntem recipiat, cæcum cæteris & abditum, ac aliud prorsus ni-
hil admittens, ne undarum quidem. Equidem arbitror nidum huius nemínem non uidisse. mihi
certe quoties uidi tetigiue, (uidi autem persæpe) istuc in animũ subit dicere caneréq;: Talem quon
dam oculis Phœbea uidimus arce Deli, corneam illam aram, inter septem, quæ uocant, mundi
miracula celebratam: quæ quidem citra glutinum omne uinculuḿq; dextris tantum cornibus coa-
ptata ac commissa fuit, Plutarchus in libro Vtra animalium prudentiora, & Aelianus: Et eadem fer
mè rursus Plutarchus in libro de amore in prolem: & post cætera, Nidi orificium (inquit) ea cõmo-
deratione ad alcyonis magnitudinem factum est, ut aliud nullum animal neq; maius neq; minus id
subire possit, sed aqua etiam (ut ferunt) ne minima quidem admittatur. Iam nido suo perfecto, cir-
cunlata in eo undis, pullos nutrit, Gillius ex Aeliano. dum nido uehitur, fœtificat, Volaterranus
ex eodem: At non est uerisimile nidum alcyonis in mari huc illuc iactari: quin potius saxo alicui
proximè aquam (ita ut aquæ ἐπόχεσθαι uideatur) agglutinari. Incubat alcyone pendẽtibus æquore
nidis, Ouidius. Alcyones supra aquam marinam oua sua in ipso mari (ὑπὲρ τοῦ βυθοῦ) posita incubant
& fouent, alij uerò dicunt in extremo margine maris, in arena oua ab eis foueri, Scholiastes Aristo-
phanis in Ranas. De alcyonio medicamento quod ex nidis alcyonum & ceycum peti quidam exi
stimarunt, dicemus infra in G. Nidos ut sibi struant alcyones, non ut cæteræ aues festucas è terra
colligunt, sed marinas aliquot herbas, quales sunt fuci, algæ, ampelides, bostryches, otacides & aliæ,
Oppianus. Halcyon in littoribus fœtus suos ædere solet, nam in arenis oua sua deponit, medio fe-
rè hyemis, Ambrosius.

¶ Parit alcyon circiter quinq; oua, Aristot. Et alibi, Partus huic ouis maximè quinq; consumí-
tur. Pariunt oua quina, Plinius.

¶ Alcyoneí dies. Alcyon (inquit Aristot.) circa brumam parere solita est. quamobrem quoties
bruma serena existit, dies alcyoneí appellantur, septem ante brumam, & septem à bruma, ut Simo-
nides quoq; suo carmine tradidit, ut: Cum per mensem hybernum Iupiter bis septem molitur dies
teporis. clementiam hanc temporis, nutricem sacram uariæ, & pictæ alcyonis mortales dixêre. tran
quillum uero tantisper tempus efficitur, si ita euenerit, ut bruma austrina uergilijs aquilonijs (ἢ
Πλειάδος βορέαι γλυμενίης) fiat. Septem primis diebus nidum cõficere auem hanc fertur, reliquis septem
parere, educaréq; pullos. Dies alcyoneos fieri circa brumam, non semper nostris locis contingit: at
in Siculo mari penè semper id euenit, Hæc ille. Sed libet etiam Græca Simonidis uerba adscribere:
ὃς ὑπόταν χειμέριον ἦλιὸς πινύσκει (temperat, castigat, πινυτὰ ποιῶ, σωφρονίζω) Ζεὺς ἡματα πεντηκοντάκις,
λαυθάνεμόν τε μὲν ὥραν καλέουσιν ἀλκυόνες, ἱερὸν πτοιδὸς τρόφον ποικίλας ἀλκυόνος. Solstitio (brumali) maximè
sunt insignes halcyones. dies earum partus maria quiq; nauigant nouêre, Plinius. Et rursus, Fœ-
tificant bruma, qui dies halcyonides uocantur, placido mari per eos & nauigabili, Siculo maximè.
In reliquis partibus est quidem mitius pelagus, Siculum utiq; tractabile. Faciunt autẽ septem ante
brumam diebus nidos, & totidem sequentibus pariunt. Fouent oua septem diebus, tunc pullos
educunt quos alijs septẽ diebus enutriunt, Ambrosius. Ante brumam septẽ diebus totideḿq; po-
stea, sternitur mare halcyonum fœturæ, unde nomen hi dies traxêre, Plinius. Et rursus, Circa bru-
mam pleriq; bis septem diebus halcyonum fœtura uentorum quiete mollius cœlum: sed & in his
& in alijs omnibus ex euentu significationum intelligi sydera debebunt, non ad dies utiq; præfini-
tos expectari tempestatum uadimonia, Plinius. Sunt & sui in naturæ historijs felices in mari dies,
à uentis qui consilescunt omnino alcyonides nuncupati, de quorum numero mira inter Græcos
disceptatio cooritur, quinq; modo eos statuente Simonide, cui calculũ adijcit Aristoteles, (sic apud

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 128 sur 825

Varinum quidem legitur, & Euſtathium quoq; ſed falsò. idem locus apud Suidam corruptus eſt, qui Simonidem in Pentathlis, & Ariſtotelem in libro de animalibus, hos dies undecim facere ſcribit. Sed Ariſtoteles ipſe quatuordecim facit, & Simonides totidem ut ſupra recitauimus, & rectè à Plinio conuerſum eſt:) Samio uerò Demagora ſeptem, nouem autem Philochoro: alijs denicq; quatuordecim. Nec me fallit eſſe inter claſsicos (de Columella puto intelligit, cuius uerba inferius recitabo) qui tradant, octauo calendas Martias eſſe alcyonios dies, quibus in Atlantico quidem mari ſumma notetur tranquillitas, Cælius. Ἀλκυονίδες καὶ ἀλκυόνειοι ἡμέραι, αἱ δυδεκαταὶ, νηνεμοι καὶ γαληνὴν ἔχουσαι, Suidas. Iouem dicunt quindecim dies, uel (ut alijs placet) quatuordecim, tranquillos feciſſe, ut alcyoni iuxta littora pariendi opportunitas eſſet: Vel alcyonides dies uocantur, ſeptem ante huius auis partum & ſeptem illum ſequentes, Varinus. Ἀλκυονίδας τ' αὖν ἤγαθ' ἡμέρας ἀεὶ, Ariſtoph. in Auibus: hoc eſt, & perpetuò alcyonios dies ageretis, ac totam hyemem placidam, non ſeptem ſolum, ut nunc quidam eſſe dicunt, dies brumales tranquillos, Scholiaſtes. Alcyones pariũt ſeptem ordine diebus, & educant fœtum. Fertur aũt beneficium hoc (ut mare eis parientibus tranquilletur) Nereides in eas contuliſſe, propter inſignem in maritum pietatem, (de qua dicemus in a.) Oppianus in Ixeut. Alcyone pariente circa ſolſtitia mare totum tranquillum placidumq; ſternitur, ita ut ſeptem perpetuos dies ac noctes totidem media hyeme liberè nauigetur, omni tum per maria profectione longè quàm per continentem tutiore, Plutarchus. De hac maris admirabili per hoc tempus tranquillitate, ſi cui otium ſuppetit, Alcyonem etiam Luciani dialogum perlegat, quanquam nihil ferè quod non ex alijs authoribus hîc à nobis perſcriptũ ſit ab illo tradatur. οὐχ ἑρᾷς (inquit illic Socrates ad Chærephontem) ὡς ἄυδεια μὲν τὰ ἄνωθεν, ἀκύμαντον δὲ καὶ γαληνὸν ἅπαν τὸ πέλαγος, ὅμοιον (ὡς εἰπεῖν) καπόπηρῳ; Similia de huius temporis tranquillitate Aelianus prodit. Halcyonei dies ſunt à Virgiliarum occaſu circa ſolſtitia brumámue. Octauo calendas Martij Sagitta crepuſculo incipit oriri, uariæ tempeſtates, halcyonei dies uocantur, Columella lib. XI. Varro hebdomadon I. Dies deinde illos, quibus halcyones hyeme in aqua nidulantur, eos quoq; ſeptem eſſe dixit, Non. Marcellus. Vide infra in H. h. prouerbium Alcyonij dies. Albertus cur alcyones bruma nidificent, cauſam adfert raritatem corporis earum quod uehementer terreum ſit, & æſtate uehementer exiccetur, adeò ut ſemen habere non poſsit. in maximo uerò frigore clauſis undiq; poris humidum induci ait: & non eſſe credibile alcyonem uiuere poſſe in regione quæ excedat latitudinem quinti climatis propter nimium frigus.

D.

Plutarchus alcyonem ſapientiſsimum diuiniſsimumq; marinorum omnium animal appellat. Quas enim luſcinias (inquit) circa muſicæ ſtudium, quas hirundines circa indulgentiam (ὃν φιλοτέκνῳ, niſi quis malit φιλοτέκνῳ, ut proximè de columbis φιλάνδρῳ potius quàm φιλανδρώπῳ) quas columbas circa mariti amorem, quas apes ſummæ alcyonum induſtriæ conferemus? Miram earum circa nidificandum ſolertiam in C. expoſuimus. ¶ Mariti amans eſt adeò, ut non uno quodam, ſed quolibet anni tempore cohæreat congreſſusq; huius admittat, non per libidinem, ut quæ alteri nulli prorſus miſcetur, ſed beneuolentiæ coniugalis & amicitiæ ſtudio: Eundem grauem iam annis & ægrè ſequentem, ſuſcepta cura fert fouetq; ſenem, (γηροφορεῖ καὶ γηροτροφεῖ,) nuſquam deſtituens, nuſquam poſt ſe relinquens. Nam & humeris impoſitum (τοῖς ὤμοις, in dorſo geſtantes, Gillius ex Aeliano, τοῖς πτεροῖς βαστάζουσι, Iſacius Tzetzes, id eſt alis ferentes. ſed melius dorſo aut humeris ne alarum motus impediatur) circunfert ubilibet curatq;, & adeſt in mortem uſq;, Plutarchus. Theocriti interpres tradit ab Antigono proditũ ſeneſcentes alcyones uocari cerylos, Cælius: ſed ineptè, dicendum enim, alcyones mares uocari cerylos, eoſdemq; in ſenecta à fœminis geſtari, ut ex Antigono citatur in Scholijs in Aues Ariſtophanis, & Varinus etiam ſcribit ex authoritate Pauſaniæ. ¶ Si maritus obierit, fœminæ cibo ac potu omni abſtinentes, multo tempore lugent & ſe diſperdunt, &c. ut in C. relatum eſt.

E.

Alcedines à morte mariti lugubriter canunt, & deſituræ canere, ceyx ceyx, aliquoties repetunt, atq; ita ceſſant. Porrò ceycis uocem nunquam uel mihi uel alijs audiendam optârim. curas enim & mortes & infortunia ſignificat, Oppianus in Ixeut. an uerò ceycis, id eſt alcyonis maris uocem infauſtam eſſe dicat, aut fœminæ luctuoſum illum cantum quo ceyx ceyx aliquoties repetit, dubitari poteſt.

G.

Alcyonij (inquit Dioſcorides) quinq; cognoſcũtur genera, primum quod denſum, ſapore acerbo, ſpongioſumq; aſpectu eſt: uiroſum itidem, ponderoſum, piſcoſo (piſcium putrium, Galenus) odore, quod copioſum in littoribus inuenitur. Secundum (oblongius, Galenus) concreti in hominis oculo unguis (ſic uertit Marcellus Verg. πτέρυγι ὀφθαλμικῇ, Galenus omittit,) aut ſpongiæ figuram habet, ſine pondere, fiſtuloſum, odore penè algoſo. Tertium uermiculorum ſpeciem oſtendit, colore magis purpureo, (conſiſtentia molle, Galen.) quod quidam Mileſium dicunt. Quartum ſuccidis lanis ſimile, fiſtuloſum, nec ponderoſum eſt. Quintum fungorum figuram habet, ſine odore & aſperum: intus pumicis ſimilitudinem aliquam, foris læuorem habet & acre eſt: quod plurimum in Bembico (Besbico, habet Græcus codex, & Stephanus) Propontidis inſula naſcitur, & gẽtis eius uocabulo

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 129 sur 825

uocabulo maris ſpuma (ἁλὸς ἄχνη) appellatur. Primi & ſecundi ad ſmegmata muliebria (ad exterendum & inducendum læuorem, Marcellus,) uſus eſt, cõtra lentigines, impetigines, (ſcabies, Galen.) lepras, uitiligines, nigredines, uultuſq; & reliqui corporis maculas omnes. Vtile tertium urinæ auguſtijs eſt, & concreſcentibus in ueſica arenis: præterea nephriticis, cutẽ ſubeuntibus aquis & lieni. Idem uſtum ex uino (fuluo & tenui, Galenus) utiliter cataplaſmatis modo contra capilli defluuia, quas alopecias dicunt imponitur, eas explens. Vltimum dentifricijs accõmodatum candorem dentibus affert. Miſcetur & ad alia ſmegmata & pſilothra addito ſale. Si cremare aliquod eorum uolueris, cum ſale in crudum fictile conijcito: lutoq; circunlito ore eius, in fornacem ponito: cumq; coctum fictile penitus fuerit, ablatum ex fictili alcyonium reponito & utere. Lauatur autem cadmiæ modo, Hucuſq; Dioſcorides. Auicenna lib. 2. cap. 613. ſpumam maris nominat, Arabicè zebd albhar, Calfacit (inquit) & ſiccat abſceſſu tertio: abſtergit & adurit. Duo ſpongioſa adhibẽtur ad abluendum (abſtergendum) & inter remedia bothor lactei & panni, & ueſtigiorum (macularum) in facie: cætera in pſilothris. Planum (quod fungi ſpeciẽ refert) medetur abſceſsibus qui clauis ſimiles ſunt: purpureum ſcrophulis, & podagræ cum cera & oleo roſaceo, &c. ut Dioſcorides. ¶ Galenus lib. xi. de ſimplicibus medic. alcyonia (ἀλκυόνια) omnia abſtergere & diſcutere ſcribit, acri & calida facultate prædita. Tertium præ cæteris tenuiſsimarum eſſe partium: quartũ ſimile illi facultate ſed non paulò imbecillius, quintum calidiſsimum omnium, ita ut pilos deurere, & cutim ulcerare poſſit. Hoc Dioſcorides (ut retuli) in Propontide halòs achnen uocari ait: cuius tamẽ Galenus in alcyonio non meminit, ſed poſtea priuatim, Halòs achne (inquit) ceu ſpuma quędam eſt ſalis efflorescẽs, multò quàm ſal tenuiorum partiũ. itaq; & attenuare & diſcutere eo multò ualidius poteſt. reliqua uerò eius ſubſtantia ita ut ſal aſtringere non poteſt. (Hæ propemodum uires ſunt ſalis petræ hodie dicti, ut in locum eius rectè ſubſtitui poſſe uideatur.) Interpretes Latini ſalis ſpumam transferunt: non florem maris, ut Gaza, ubi Ariſtoteles ei alcyonis nidum comparat: nec maris ſpumam, ut hodie quidam. etſi ἄχνη etiam Græci quidam grammatici maris ſpumam interpretentur. Alioquí hęc uox ſignificat minimas feſtucas (quas noſtri ſimiliter uocant aglen) quiſquilias, ſordes, aceres, ἄχνας. & metaphoricè minimas guttulas roris aut uini, inde apud poetas ὀφρυάων ἄχνη, & οἰνωπὸν ἄχνη legimus, guttas ſcilicet diſperſas minutatim: & πύματον ἄχνη apud Homerũ, tenuiſsimam fluctuum partem, ſiue ſpumam, ſiue conſperſionem guttarum. Et quoniã mare ſalſum eſt, quod ex aqua marina ad ſcopulos conſperſa ſpumeo aſpectu in eis concreſcit, ἁλὸς ἄχνη uocatur, maris aſperginem dixeris. Spumoſa maris (ſalis) lanugo haloſachne eſt (inquit Dioſcorid. lib. 5. ἐπίψιμμα ἁλὸς ἀφρώδες.) inuenitur in ſaxis, eaſdem ſali uires habet. Videtur autẽ hæc tum uiribus tum deſcriptione diuerſa à quinto alcyono, quod Dioſcorides nõ ubiq;, ſed in Propontide tantum ab indigenis haloſachnen uocari ſcribit. id enim corpus ſolidum eſt fungorum figura. propriè uerò dicta haloſachne ſpumam & aſperginem referre debet, cõſiſtentia nimirum nitroſæ illi parietum lanugini quam uulgò ſalem petræ uocamus, ſimilis. Εἵλυτο δὲ πάντ' ἁλὸς ἄχνη, Odyſſ. 4. ¶ Fit in mari & halcyoneum appellatum (inquit Plinius) ex nidis, ut aliqui exiſtimant, halcyonum & ceycum: ut alij è ſordibus ſpumarum craſſeſcentibus: alij è limo uel quadam maris lanugine. Quatuor eius genera: Cinereum ſpiſſum, odoris aſperi: alterum molle, lenius, odore ferè algæ. Tertium candidioris uermiculi. Quartum pumicoſius, ſpongiæq; putri ſimile, penè purpureum. Quod optimum, id eſt Mileſium uocatur. Quò candidius autem, hoc minus probabile eſt. Vis eorum, ut exulcerent, purgent. Vſus toſtis & ſine oleo, mirè lepras, líchenas, lentigines tollunt cum lupino, & ſulphuris duobus obolis. Halcyoneo utuntur & ad oculorum cicatrices, Hæc ille. ¶ Apud Galenum in opere de medicamentorum compoſitione ſec. loc. diuerſos alcyonij uſus à me obſeruatos, hîc ſubijciam. Alcyonium inter abſtergentia pharmaca quibus attenuantur pili cenſetur, lib. 1. cap. 5. Idem miſcetur remedijs quæ ad alopecias faciunt. præſtat autẽ (inquit) in hunc uſum quod durius & aſperius eſt: & rurſus, uſtum non uſto præſtantius fuerit. Ibidem Soranus alcyonium medicamento ad alopeciam compoſito adijciens, id aqua coctum unà cum ſiccis læuigari iubet. Crito etiam duobus ad achõras medicamentis hoc addit: & alijs ad lichenes inſcriptis tum ſimpliciter tum uſtum. Alcyonium tum ſimpliciter tum torrefactum (in eodem opere 4. 7.) medicamentis liquidis ocularibus Aſclepiadę ad fiſtulas eminentias ac omnem extuberantiam carnis ſeu callum admiſcetur. ¶ Ad dentium dolores ex cauſa frigida: Suffito canis mortui dentem ita ut fumus inde progreſſus ore excipiatur. poſt uerò ipſum dentem uſtum & modico aceto tritum, calidum ore retinendum præbe, & dolore liber erit. poteris & alcyonijũ ſuffire, Aetius 8. 28. Celſus alcyonio rodendi & exedendi uires adſcribit.

¶ Nonnulli pharmacopolæ (inquit Antonius Muſa Braſauolus) pro ſpongia re quadam utuntur intus lanoſa, quam aliqui maris ſpumam arbitrantur, quoniam apud Dioſcoridem halòs achne, id eſt maris ſpuma, ſpumoſa maris lanugo dicatur. At reuera non eſt maris ſpuma quam pro illa ſumunt. Suſpicatus ſum aliquando urticam marinam eſſe, quoniam ſi aperiatur internæ partes manum urunt ueluti in urtica herba, quod in uetuſtiore obſcurius, in recenti uehementius fit, ſicut & in herba urtica. Facile eſt autem ſpumam maris habere circa ſcopulos colliſam. Sed re accuratius perpenſa, inueni hoc quod ſpumam maris uocatis, ſpongiæ figuram habens præduræ, aut pumicoſum, ueterum alcyonium eſſe. Habent uerò aliqui primam ſpeciem ſpongiæ ſimilem: alij quintam, quæ pumicoſa eſt, debebant autem ſeorſim haberi propter uires diuerſas. Serapio cap. 388. alcyo-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 130 sur 825

nium zebethalbahar nominat, interpres ſpumam maris reddidit: unde ſorſitan factum ut uulgò etiam à pharmacopolis ſic nominaretur: reuera quidem ex ſpumæ colliſu fit. Cæterum ſalis ſpuma aut maris ſpuma, & alcyonium, quanquam res ſunt diuerſæ, tamen ab eodem principio naſci, & uiribus quodammodo conuenire certum eſt, Hæc ille. Alcyonium omne hodie ſpumam maris appellant, excepto ſubrotundo (primo genere) quod ex figura pilam marinam ſolemus nominare, (de qua nos plura inferius.) Theophraſtus alcyonium pumicem nominat, Georg. Agricola. Dioſcorides quidem quinto generi intus pumicis ſimilitudinem aliquam eſſe refert. Lanuginoſam illam pilam (inquit Cælius Calcagninus epiſtolarum lib. 12. in epiſtola ad Vincentium Caprilem) quam ad me miſiſti, planè uideo non eſſe opus halcyonum, eſſe tamen halcyonæum (ſic ille ſcribit per æ. diphth. in penultima) tecum ſentio: uel quòd ex eo halcyones nidum ſtruant: uel, quod magis reor, quoniam eadem ſit utriuſq; materia, & propè par opificium, ſed hoc naturæ ſponte cõcretum. Nam quomodo in hoc nidulari poſſint halcyones? cui neq; aditus ſit, neq; conceptaculum in quo pulli ædantur, uel æditi alantur: præſertim quum Plinius, & ante Plinium Ariſtoteles, nidis halcyonum os paulum eminentius, ſed perquàm anguſtum tribuat. abeſt præterea huic durities ferro impenetrabilis, abeſt rigor ille à ſpinis belones ſiue acus, ex quibus conſtant, cõtractus. Ad hæc nihil habet ſimile medicorum cucurbitulis quibus eſt collum porrectius. Ergo hoc halcyonæũ exiſtimabimus, non illud auicularum opera confectum, ſed quod intra fornacem excoctũ delicijs fœminarum paratur, de quo lepidus poëta meminit, Ore fugant maculas, halcyonea uocãt, (ἁλκυόνεια per ει. diphth. in penult.) Hæc Calcagninus. Vidi ego fruſtum illius quam ſeplaſiarij ſpumam maris appellant, & eruditi alcyonium eſſe conijciunt, id erat mali magnitudine (puto autem multò maiora reperiri) rarum, ſpongioſum, leue, friabile, tenui quadam cruſta albicante, qua integrum erat, obductum: colore intus ad ruſſum & fuſcum declinante, guſtu ſubſalſum, mandenti arenoſum. Inerant intus corpuſcula quædam oblonga, paulò ſolidiora, albicantia, accenſum non ardet, ſed peſsimè olet. Videtur autem hoc primum eſſe alcyonij genus cum aliàs tum fœtoris ratione. quanquam Georg. Agricola pilam marinam uulgò dictam, ut ſupra recitaui, primum alcyonij genus faciat, ſubrotundum id eſſe ſcribens, quod ueteres non exprimunt, niſi quis Dioſcoridis uerba καὶ ὅσοι ἰσίαν ἀσπιγγώδες, id eſt aſpectu ſpongioſum, ita accipiat: præſertim quum Galenus genus alterum oblongius eſſe ſcribat. Sed demus eſſe rotundum, non tamen ſatis erit figura ad conuincendum quòd res eadem ſit. Ballæ (ſic uulgò pilas nominant Itali & Germani) ſiue pilæ potius marinæ, exiccant, & eundem ferè uſum, quem ſpongiæ, præſtant. Mentionem earum apud antiquos non reperi. (atqui Ariſtoteles, ut ſupra citauimus in C. alcyonum nidos ſphæris, id eſt pilis marinis comparat.) Ego in ſpongiarum genere eas repono, quamuis zoophyta non ſint, id eſt plantanimalia ut ſpongię. Nam ex maris ſpuma ad littora colliſa & cuiuſdam herbæ minutiſsimę feſtucis fiunt. Nonnulli ex fractis ſpongijs & ſpuma, alij arte faciunt ex glutino & taurinis pilis, ignaros pharmacopolas decipientes. Cum æſtus & impetus maris herbam in minimas feſtucas diuiſam ad littora detrudit: conglobantur illæ immixta ſpuma, & ob motum ſupra littus ex fluctu collidente in gyrum tendunt & pilæ formam, Braſauolus. Idem uerò alcyonij primam & ultimam ſpeciem apud pharmacopolas reperiri ait, ut recitauimus, ſpumæ maris nomine. Pila marina, quam inter ſcribendum manibus tractabam, ex mediterraneo mari Gallico mihi allatam, magnitudine malũ æquabat, mole laxa & rara, exilibus pilorum inſtar & breuibus feſtucis (neſcio cuius marinæ herbæ) mutuò intricatis confercta, omnibus ferè unius generis, fuſcis, inodora, aut ſuo potius quodam odore non ingrato, inſipidis ferè. feſtucæ illæ dentibus facile franguntur aut ſcinduntur, ut hac & alijs notis facile diſcernere ſit à pilis animantium. nullum intus cauum, omnia undiq; ſibi ſimilia, nec ſpumam nec aliã præter feſtucas illas ſubſtantiam reperi. Quòd ſi aliæ quædam præter has pilæ marinæ reperiantur, quas ipſe nondum uiderim (quamuis alias reperiri non puto) de illis mihi ſermo non eſt. Nicolaus Myrepſus ungento 78. contra lumbricos inſcripto, admiſcet pilam marinam uſtam, ubi Græcè ſcribitur πάλε μαεῖναι. reperitur autem (inquit) in mari rotunda, ut lana congeſta. Et rurſus in ungẽto ſequente, maris lanam rotundam eam uocari ait, ubi Leonhartus Fuchſius ſcholiaſtes: In hodiernam uſq; diem (inquit) deprauata uoce ballam marinam uocant pro pila marina. ſic enim uocat Galenus lib. 1. de compoſ. medic. localium cap. 2. inquiens, σφαῖραν θαλασσίαν κεκαυμένην, ubi Cornarius quid ſphæra marina eſſet ignorare ſe faſſus, ſpongiam tranſtulit. miſcetur autem cum alijs quibuſdam in unguento Critonis ad capillorum defluuia. ¶ Sed locum obſcurum apud Dioſcoridem ferè præterieram. Alcyonium ſecundum (inquit) ἤτοι μὲν δὲ χῆμα πτέρυγίῳ ὀφθαλμικῷ παρόμοιόν ἐστιν, &c. ubi Marcellus uertit, concreti in oculo unguis (ut & uetus interpres apud Serapionem, Galenus hæc uerba prorſus omiſit) aut ſpongiæ figuram habere, id quod mihi ridiculum uidetur. quid enim ſpongiæ uel alcyonio cum ungue oculorum uitio, quem Græci pterygion uocant? Ego quanquam authorem nõ habeo, tamen re ipſa admonitus pterygion ophthalmicum hîc penicillum ocularem interpretor. nam & ſpongiæ genus molliſsimum, è quo fiunt penicilli, ut docent grammatici, penicillus dicitur. Penicillus igitur ocularis ſiue ex ſpongia, ſiue ex alia materia molliſsima fuerit, aptus erit ad gramias & lippitudines abſtergendas: in quem uſum etiam leporis pilo uel cauda utebantur, ut docui in Lepore E. Quin & penicilla fiebant ex linteolis concerptis, uel medulla ſambuci, uel ſpongia, uulneribus inſerenda ne clauderentur, &c. ¶ Alcyonio nomen alcyones marinæ aues fecerunt, haud ſanè

sanè quia ex earum nidis alcyonium mari innatet, sed quia ex eo mari innatanti & fluitanti halcyones nidos sibi ad fœturam faciant, Marcellus Vergilius. Alcyonium igitur aut mari innatat, aut in littoribus eiectum reperitur, ut de primo genere Dioscorides exprimit: quemadmodum & pila marina. alcyonum uerò nidi, ut diximus, saxis adhærent. Grammatici Græci quidam, ut Hesychius & Varinus, alcyonium inepte herbam quandam esse scribunt, ut etiam adarcen. Est autem adarce, ut Dioscorides prodit, ueluti palustre quoddam alcyonium; nempe materia quædam concreta & subsalsa, in palustribus locis arundinibus & plantis quibusdam (χορταίοις) circunadnascens, dum paludes resiccantur, Asij lapidis flori colore similis, tota uerò specie alcyonio molli & inani. Acre est admodum, & calidum abscessu quarto, uiribus etiam alcyonio præcipuè quinto respondens. Quinta alcyonei species, cuius Dioscorides meminit, in littoribus maris eiecta reperitur, quam incolæ Samothraciæ, Imbri & Lemni uulgò arkeilli nominant, abundat in Besbico Propontidis insula non procul sub Marmara, adeò ut naues inde onerari possent. uenditur tamen satis magno pretio, propter mercatores & seplasiarios coëmentes: à quibus iam ueteri nomine relicto propter leuitatem & similitudinem spumæ, uulgò spuma maris appellatur, Petrus Bellonius.

H.

a. Cum de mulíere dícimus, hæc Halcyone (uide inferius in proprijs) facit: cum de auibus, híc & hæc halcyon, hi & hæ halcyones, Seruius. Alcyon auis, Alcyone uerò cognomen Cleopatræ, Eustathius. sed Ouidius alcyone in recto singulari etiam de aue dixit. Incubat alcyone pendentibus æquore nidis. Alcyonum meminit Seneca in Agamemnone. ὦ ἄβρογιας ἀλκυόνας, Isacius Tzetzes dixit. Ἀλκυονὶς diminutiuum est pro parua alcedine, Varinus. Halcyonis ritu littus peruolgans furor, (forte, feror,) Pacuuius. hæc enim auis nunc Græcè dícitur ἀλκυὼν, à nostris halcedo, Varro. Et alibi, Halcedo quòd ea (Græcè) halcyone. Alcedo dicebatur ab antiquis pro halcyone, Festus. Alcedonas nostri uocant quasi algedonas ab algore, Hermolaus. Grammaticis quíbusdam alcedo dicta uídetur quasi algedo quòd frigidíssimis temporibus nidificet: sed longè probabilius est à Græcorum alcyone descendísse hanc uocem. Sed absurdíssimè author líbri de nat. rerum, alcyon (inquit) quasi ales oceani: eò quòd hyeme in stagnis Oceani nidos facit & pullos educat. Nos Græcam originem ἀπὸ τοῦ ἁλί κύειν retulímus in A. Alcyoneus, id est uespertílio, Syluaticus & obscurus quidam barbarus in Synonymis nescio qua ratione. Ἀλκμαὼν, ὄρνεον θρηνητικὸν, id est auis lugubris, Varinus: uídetur autem uox esse corrupta pro ἀλκυὼν. ¶ Cerylus, id est alcyon mas, penultima correpta, per ypsílon in medio scríbitur, accentus autem uaríat. Apud Comícum Aristophanem κηρύλος paroxytonum scríbitur, & per lambda símplex in pleríscp exemplaríbus, Pausanias proparoxytonum facit & lambda duplicat, Eustathius & Varinus. Κηρύλος paroxytonũ per η. in príma syllaba Doricum est: per ω. uerò díphthongum in príma & proparoxytonum, Attícum, ut ait Euphronius (in scholíjs in Aues Aristophanis) sed uerius est Acolícum esse hoc secũdo modo scríptum: príore uerò Doricam, Attícam & cõmunem linguam pariter uti, Isacius Tzetzes in Lycophronem. Dídymus quidem putat (ut ibídem refert Scholíastes Aristophanis) nomen hoc secundum naturam (id est ex proprietate etymologiæ) debere scríbi κάιρυλος. locatur autẽ poëta, & Spergílum quendam tonsorem (κοπέα Græci πρὸς τὸ κείρειν dícunt) κηρύλῳ cognominat. Euphronius ait dícium hoc apud Dores uulgatum esse, Βάλλε δὲ βάλλε, κηρύλος εἶμι: quod & Suídas repetít: quo quíd sibi uoluerint non facile est conjícere: nísi forte ídem quod perditíssimus ille poëta in ípsa líbídine mortem sibi contíngere optarint, ut quoniam semel moriendum esset, Epicuri de grege porci morte etiam Epicurea fruerentur. Cerylum enim, id est alcyonem marem in ípso coítu extíngui in C. recitauímus Κήρυλος proparoxyt. scríbitur apud Athenæum, & κήρυλοι apud Varinum. Κηρύλος, oxytonum, apud Theocrítum & Lycophronem. Κίρυλος (in príma per ípsilon ῦ,) píscis quídam, & genus auis, Hesychius. apud Varinum per rhô duplex habetur κίῤῥυλος, quod minus placet. quamuis apud Hesychium quoqp sic scríbi ordo líterarum postularet. Κέιρυλος auis quam aliquí κίρρῳ (Varinus habet κύρρῳ. ego κέιρω legerim,) Hesychius. Vide etiã supra in A. Κέιρις auis est, accípiter uel alcyon, Hesychius. & Varin. Vide supra inter Accipítres díuersos. ¶ Ceyx etiam, κήϋξ, alcyon mas nomínatur. lege infra ubi Alcyones in auem transformatione scríbetur ínter propría. Halcyoneum appellatum (inquit Plinius) in mari fit ex nidis, ut aliquí exístimant, alcyonum & ceycũ. Aliquí ceyx per æ. díphthongum scríbunt. Porrò κήϋξ uel καὶηξ alia auis est, nempe larus uel cepphus. ¶ In halcyonum genere fœmina nuncupatur θῆλυ, id est uxor, ut est apud Lycophronem & exposuit ínterpres, Cælius.

¶ Epitheta. Alcyones, mœstæ, dílectæ Thetidi, Ceycis (scílicet coníuges.) Nunc ego desertas alloquor alcyonas, Propertius. ¶ Ceyx, Trachínius, Oetæus. ¶ Κηρύλος δύσπης, (id est δυσώνυμος,) Lycophroni. ¶ Ἀλκυὼν, θρῆνων μελῳδὸς, πολύθρηνος, πολύδακρυς, Luciano. Ξανθαὶ, in Epígrammatis. Ποικίλα, Simonidi apud Aristotelem: Gaza uariam & pictam reddit. Πολυπτώθης, Homero Iliad. 9. Σκοπιὴ πελάγιος, Plutarchus de alcyone. Σπονγητά τε φῦλα Ἀλκυόνων, Oppianus. Ταυσιπόροι, Ibyco apud Athenæum.

¶ Deriuata. Ab alcedine, alcedonía, id est díes alcedonios dícimus. Ἀλκυονὶς, parua alcedo est: ítem adiectíuum fœminum. Græcis alcyonei díes ἀλκυονίδες ἡμέραι dícuntur, ut Luciano: & ἀλκυονίδες, ut Scholiastæ Aristophanis in Ranas: & ἀλκυόνειοι apud Suídam.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 132 sur 825

¶ Propria. Ἀλκυονὶς & Ἀλκυονίτης, mater Alcyonis, Suidas. ¶ Ceyx Trachiniorum rex Luciferi ſtellæ filius, cum Alcyonem Aeoli filiam (uel Neptuni & Alcyones Pleiadis) uxorem duxiſſet, præ nimia ſuperbia inter deos cenſeri, ſeq; Iouem, illam uerò Iunonem uocari uoluit. Deinde cum ad Clarium oraculum de ſtatu regni conſulendum uxore prohibente nauigaret, indignatus ei Iupiter, nauim & ipſum in Aegeo mari perdidit. Tum Alcyone uxor uiſo mariti cadauere in littus iecto, miſerabiliter illum defleuit (παρὰ τὸν τύμβον, aliâs σῆμα:) Iupiter uero eam (ſic lugentem, alij præ impatientia doloris in mare ſe ſubmerſiſſe addunt) miſeratus in auem eiuſdem nominis mutauit: & Ceycem quoq; in eiuſdem generis auem maſculam quam cerylum nominant, alij adhuc Ceycem. Sunt qui ſcribant eos à Ioue irato necdum miſerto in aues mutatos: auctaq; pœna, ut hyeme tantum & circa littus maris parerent conſtituiſſe Iouem: demum uerò cum fluctibus marinis oua ſua confringi, nec ullam ſobolis ſpē eſſe alcyon lugeret, tranquillos dies quatuordecim Iouis (Thetidis & Luciferi, Seruius) commiſeratione, quibus illa & nidi ſtructuræ & excludendis incubitu ouis operam daret inſtitutos: qui hanc ob cauſam alcyonei dicantur, Hæc Scholiaſtes Ariſtophanis in Ranas, Varinus in uoce Ἀλκυὼν & rurſus in Ἐνάλιον: & in Ixeuticis Oppianus, & Scholiaſtes Homeri in nonum Iliados. Copioſius autem hæc omnia deſcribit Ouidius lib. XI. Metamorph. Vide Cæyx in Onomaſtico noſtro. ¶ Sed alij aliter, ut ſubijciemus. Probus grammaticus primum Georgicorum Vergilij interpretans, Varia eſt (inquit) opinio harum uolucrum originis, itaque in altera ſequitur Ouidius Nicandrum, in altera Theodorum. Putatur enim Ceyx Luciferi filius cum halcyone Aeoli filio mutatus in has uolucres. Idem refert halcyonem Scironis filiam latronis Attici Polyphemonis filij, quum pater ei præciperet ut quæreret maritum, arbitratam permiſſum ſibi ut concumberet cum quibus uellet, ab irato patre deiectam in mare mutatam in hanc uolucrem. Iccirco autem dilectas Thetidi poëta dicit has aues, quòd per ſeptem dies quibus excludunt fœtus, in mari tranquillitas eſt ut tuta ſit nauigatio, Hæc ille. Fuiſſe Alcyonei gigantis filias Alcyones Pauſanias prodit, ac eſt ab Apoſtolio in Ionia repetitum, Phthoniã, (aliâs Phoſthoniam, Φωσθονίαν, Suidas in Φ.) Anthen, Methonen, Alcippam, Pallenen, Drimò, (aliâs Drymò,) Aſterien; quæ à patris obitu ex Pallenæ (non Pellenæ ut Suidas habet) promontorio Canaſtræo (uel Canaſtro, apud Varinum non rectè ſcribitur Caiſtro) quod etiamnum ſic appellatur, in mare ſe præcipites dederint: uerum ab Amphitrite in auitiam gentem ſint cooptatæ, ita ut mares ceryli dicantur, fœminæ uerò à patris nomine alcyones. Cælius: & Euſtathius, & Suidas qui teſtem huius fabulæ citat Hegeſandrum. Alcyoneum (Ἀλκυονέα, uel ut poeta habet Ἀλκυονῆ) gigantem terribilem Hercules circa Iſthmum Corinthi interemit, cum illac cum bubus ex Erythea abductis tranſiret, ut canit Pindarus in Nemeis Carmine 4. Hunc ipſum Alcyoneum ſeptem Alcyonum patrem, & Porphyrionis gigantis fratrem ab Hercule telis confoſſum grammatici quidam tradunt. Ἀλκυόν' ὃν ἀ ποσσὶν ἐπ' ἄλγιστα ἔχεπε κηΰξ, Theocritus Idyl. 19. Hercules occiſo Cygno, Trachinem ad Ceycem uenit, Cygni ſocerum, qui filiam ſuam Themiſtonomen ei locauerat, ut legimus in Periocha in Scutum Herculis Heſiodi.

¶ Dialogus Luciani extat de metamorphoſi alcyonis, Alcyon inſcriptus. Apud Varinum in uoce Κήρυλοι, legitur Pauſaniam condidiſſe Alcyones, huius inſcriptionis librum. Proclus Diadochus Alcyonen numerat inter ſeptem Atlantis filias Pleiadas: & quum alias alijs ſphæris cœleſtibus attribuat, ut Celæno Saturni, &c. Alcyonem ad Veneris ſphærã refert, Cælius. Alcyone una Pleiadum ex qua Neptunus Irea ſuſtulit, Gyraldus. Glaucum dæmonem marinum aliqui filium faciunt Anthedonis καὶ Ἀλκυόνας, Athenæus.

¶ Fuit & Cleopatra Marpiſſæ filia Alcyone cognominata à parentibus, ad memoriam luctus quo mater affecta fuit Idæ mariti deſiderio, cum ab Apolline rapta eſſet, ut meminit Homerus lib. 9. Iliados, ubi Marpiſſam Eueninen, id eſt Eueni filiam cognominat. Κέρη Μαρπίσσης καλλισφύρου Εὐηϊνῆος, Ἴδᾱς τ', &c. de Cleopatra, quæ δώνυμος, id eſt binominis fuit, ut & Hectoris filius & alij duobus nominibus uocati, alterum quidem amicis tantum & intimis domi uſurpantibus, alterum uerò cæteris communiter, Varinus & Euſtathius. Ἴδᾱο genitiuus Ionicus eſt pro Ἴδα, à recto Idas: quod nõ animaduerterunt indoctiores quidam, Ideum nõ Idam eum appellantes: quos Pontanus etiam uir alioqui doctus in libro de aſpiratione ſecutus Ideum Marpiſſæ maritum non rectè uocat, & Marpiſſam ipſam Alcyonen cognominatam fuiſſe non uerè ſcribit: & an eadem fuerit Marpiſſa Eueni filia, Idæq; uxor dubitat, quum eandem fuiſſe omnino conſtet. Sed illis in quibus errauit Pontanus omiſſis, ea duntaxat quæ rectè ab eo prodita ſunt recitemus: ita ut quę illi deſunt ex alijs authoribus ſuppleamus. Euenus igitur Martis filius, Aetoliæ rex, cum Marpiſſa eius filia propter formæ raritatem à multis peteretur, hanc procis conditionem propoſuit, ut curuli certamine inito premium illa uictori cederet, uictus uerò capite plecteretur, quod domus ſuæ faſtigio affixum penderet. Itaque pluribus interfectis Idas Neptuni filius, frater Lyncei, licet à multis Apharei filius haberetur, equis uelociſſimis à Neptuno patre acceptis puellam rapuit, conſpicatus eam Dianæ feſto die cum alijs uirginibus choreis indulgere, (& in Pleurônem abduxit, Plutarch.) Quo cognito Euenus dolore atq; ira percitus, equos aſcendit, Idam inſequitur, quem ubi aſſequi poſſe deſperat, equis confoſſis, in Lycormam ſe fluuium, qui poſt Euenus ab ipſo appellatus eſt, deturbauit, cuius rei etiam Plutarchus meminit in libro de fluuijs. Idam autem uoti compotem non paſſus eſt Apollo, (ut refert Lycophron)

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 133 sur 825

eophron) & ipſe Marpiſſæ forma captus, quam etiam rapere cogitaſſet, ſecurum abire: ſed obuiam factus in itinere illum aggreſſus eſt. Sed nec Idas certamen detrectauit, ſagittis eum impetere conatus. erat enim ſagittandi peritiſsimus. Et cum diu pugnatum eſſet, (inquit Pontanus: ex Scholiaſte Homeri, cum prius tamen alios ſecutus authores, Marpiſſam ab Apolline raptam abductamq; & compreſſam fuiſſe ſcripſiſſet,) Iupiter ægrè id ferens Mercurium miſit qui prælium dirimeret, poteſtate facta Marpiſſæ, ut eius optio eſſet utrum ſequi ipſa uellet, quæ rem hanc animo uoluens reputansq; ſeſe mortalem eſſe, Apollinem uerò deum, ac timens ne ubi uetula facta eſſet repudiaretur ab eo, decreuit potius Idam ſequi mortalis mortalem. Et quoniã in magno luctu fuerat Ida marito ſuo chariſsimo formoſiſsimoq; priuata, cum à Phœbo rapta eſſet, filiæ poſtea ſupra legitimum nomen Cleopatræ, cognomen Alcyonæ adiecit, luctus ſui memoriã in filiæ cognomine reponens, ab alcyone aue quę & ipſa maximo luctu propter Ceycis mariti calamitatem affecta fertur. Nupſit autem Alcyone poſtea Meleagro, &c. Hæc ferè Pontanus ex Scholijs in nonum Iliados, & aliſ. Quod autẽ Apollo olim Marpiſſæ amore captus perhibetur, admirandæ eius pulchritudinis ſignificatio eſt, quaſi forma heroidi iſti ſolaris hoc eſt Sole digna & maximè ſpectabilis fuerit, Varinus in uoce Ἐυλωίνη: ubi Μαρπησσα in medio per η. ſcribitur, ut apud Plutarchum quoq;, ſed perperã. debet enim per ἰῶτα ſcribi cum heroinam ſignificat: Μαρπησσα uero per η. mõs eſt Pari inſulæ à quo lapides excinduntur, Stephano: unde Marpeſiam cautem poeta dixit. Alcyon de aue dicitur, Alcyone de Cleopatra, Cælius & Varinus. ¶ Apud Athenæum lib. 13. legimus Demò mulierem ab Antigono amatam eſſe, ex qua filium ſuſceperit Alcyoneum, Ἀλκυονέα. ¶ Ἀλκυὼψ, uicus quidam, δ῏ημός τις, Heſychius. Pauſanias in Corinthiacis ſcribit ſe (prope Lernam in Argiuo uel Mycenæo agro) uidiſſe Alcyoniam paludem: per quam (inquit) ut Argiui memorant, Bacchus Semelen ab inferis ducturus, deſcendit. Polymnus ei deſcenſum hunc oſtendit. Alcyonia infinitæ eſt profunditatis: nec homo ullus reperitur qui ad fundum potuerit ulla machina penetrare. Vnde & Nero multorum ſtadiorum funes cõnexuit, & plumbo appenſo aliſq; inſtrumentis paratis, demiſit, fundum tamen inuenire nullum potuit, &c. Tranſtulit hunc locum etiam Leonicenus in Varia hiſtoria. Mare ab Antirrhio (quod in Aetolorum Locrorumq; finibus locatum eſt) aduſq; Iſthmum, Alcyonium uocatur, Criſſæi ſinus portio, ab Iſthmo ad Araxum ſtadia x x x. ſupra diſtans, Strabo lib. 8.

¶ Veſpaſianus Auguſtus utebatur etiam uerſibus Græcis tempeſtiuè ſatis, ut de Cerulo liberto, qui diues admodum ob ſubterfugiendum quandoq; ius fiſci, ingenuum ſe & Lachetem mutato nomine cœperat efferre, Ὦ Λάχης Λαχης, ἐπὰν ἀκριβάνης αὖθις ὡς ὄζαρχῆς εἰρήσῃ Κήρυλος, Suetonius.

¶ c. Ἀλκυόνδι, ἀι παρ' ἀγναίοις Θαλάσσης Κύμασι τωμύλλετε Τεγγόσαι νοτερῆς πῆχυν ἀφρῷ [Ῥαιίσι χρόα ἁροσπόλοι μῦναι, Ariſtoph. in Ranis. Ὄρνις ἁ πᾶσ' πὰς ποτρόινας Γόντι σλειράδας ἀλκυὼν Ἔλεγον ὄτον ἀείδεις, Chorus in Iphigenia Euripidis. Ἀλκυόνδι δ' ὦδι σοὶ οἰκτρὸν γόον ἀίξεσι, Sibylla in Sardiniam inſulam. Οὐδὲ τόσον γλαυκῆϊς ἐνὶ κύμασι κηρύλος ᾄδε, Theocritus Idyllio 19. Ἢ σὺ ἀλκυόνων πτέρυγας ἔτ' ἀκηδόνιος, Hedyle poëtria de muneribus quæ Glaucus deus marinus Scyllæ quam amabat attulerit.

¶ c. Alcyonis caput uel pennam uel uentrem ſi piſcator geſtârit, non fruſtrabitur piſcatione, Kiranides. Auis ipſa in domo poſita, ſeditiones & litem auertit, Idem. Si quis geſtârit eius oculos nauigans in mari, non timebit tempeſtatem aut hyemem aut qualemcunq; neceſsitatem. Gubernator quoq; ſi geſtârit eos, ſecurè & abſq; hyemis afflictione gubernabit nauim, Kiranides. Cor alcyonis geſtantem gratioſum, amabilem, pacificum omnibus & formoſum reddit: ita ut uel in medio hoſtium tutus ſit, & neq; tempeſtate neq; fulmine lædatur, debet autem conſui in pelle eiuſdem auis & in thalamum aureum imponi, Idem.

¶ g. Alcyon tota aſſa & comeſta, dæmoniacos ſanat, Kiranides. Alcyonis oculos linteo incluſos ſi quis capiti nimium dormientis apponat, depellet ab eo ſomnum, Idem.

¶ h. Hymnus in alcyonem ſub Socratis perſona à Luciano ſcriptus eſt in Alcyone dialogo.

¶ Prouerbium. Quod dixit in Caſsina Plautus, Tranquillũ eſt, Halcedonia ſunt circa forum, prouerbij ſpeciem gerit, inquit Eraſmus, ſignificatur hac uoce tranquillitas & ſilentium. Idem in Pœnulo, Niſi mihi illam tam tranquillam facis, Quàm mare eſt olim, quum alcedo pullos educit ſuos. Extat etiam in Græcorum commentarijs huiuſmodi prouerbium, Ἀλκυονίδας ἡμέρας ἄγεις. id eſt, Halcyonios agis dies, de tranquillam & otioſam agentibus uitam. Ariſtophanes in Auibus, Ἀλκυονίδας τ' ἤγαθ' ἡμέρας ἀεί. Vergilius inter prognoſtica futuræ tempeſtatis hoc quoq; refert: Non tepidum ad Solem pennas in littore pandunt Dilectæ Thetidi alcyones. Meminit harũ & Theocritus Idyllio 7.

Χ' ἀλκυόνδι ϝορισθῦπι τὲ κύμαϲι, τλιὺ τε θάλασσαν, Τόν τε νότον, τόντ' ἐῦρον, ὅϲ ἔχαπε φυτία κινεῖ,
Ἀλκυόνδι γλαυκᾶϊς Νηρῆϊϲι, τάϊπε μάλιϲτα Ὀρνίθων ἐφίλαθεν, ὅϲαιϲ τέπορ ἁζ ἅλὸϲ ἄγρα.

¶ Alcyonios dies diſcedentibus à ſe mari, aut eodem elemento reuerſuris coniugibus & amoribus ſuis, amicæ & uxores precabantur, apud antiquos Græcorum & Latinorum poëtas, Marcellus Vergilius. Alcyonitides dies dicuntur, cum oua ſua fouent alcyones, quod tempus uentorũ undarumq; tranquillitate celebratur, Scholia in Ranas Ariſtophanis. Perq; dies placidos hyberno tempore ſeptem Incubat alcyone pendentibus æquore nidis: Tum uia tuta maris, uentos cuſtodit, & arcet Aeolus egreſſu, præſtatq; nepotibus æquor, Ouidius Metam. x i. Alcedonia dicuntur ab alcedine, ſicut ab halcyone halcyonides, hoc eſt tranquilli dies quibus nidificant halcyones,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 134 sur 825

Varro. Propertius tempeſtate uexatus lib. 1. alcyones alloquitur & inuocat. Halcedo hyeme quòd pullos dicitur tranquillo mari facere, eos dies halcyonios appellant, Varro. Sed copioſè de his diebus ſcriptum eſt ſupra in C.

¶ Emblema Alciati, cuius lemma, Ex pace ubertas.

Grandibus ex ſpicis tenues contexe corollas,
His comptæ halcyones tranquilli in marmoris unda
Lætus erit Cereri, Baccho quoq; fertilis annus,
Quas circum alterno palmite uitis eat,
Nidificant, pullos inuolucresq; fouent,
Aequorei ſi rex alitis inſtar erit.

DE ALVCONE.

ALVCO auis eſt nocturna, ut Gaza ex Ariſtotele reddidit pro Græca uoce ἐλεός. Vnguibus aduncis, maior gallinaceo, picas uenatur ut etiam ulula: cui & aſioni ſpecie quoq; ſimilis eſt. Ἐλεός, auis quædam, & menſa coqui ſeu lanij, τράπεζα μαγειρική, Suidas. Videtur autem acui ultima ad differentiam uocis ἔλεος, quæ miſericordiam ſignificat. Ἐλεώς (per ει. diphthongum in penult.) accipitris genus, Heſychius & Varinus. Sed alias etiam nocturnas aues grammatici quidam cum accipitrum & aquilarum genere ineptè confundunt, ut docuimus in Chalcide ſupra. Vbi apud Ariſtotelem lib. 8. cap. 3. de anim. hiſt. ἐλεὸς legitur, Albertus (nimirum ex Auicenna) habet aquila aleni. Sed glis etiam animal quadrupes ἐλεὼς uocatur. Eſt & ἐλαιὸς per αι. auis nomen, de qua dicam inter paros. Item ἐλέα, aut forte ἐλία, parua eſt auis, quæ ἕλη, id eſt paludes inſpectat ab arundinibus, uoce proba, Ariſtoteli. Et forte aluco etiam Græce ἔλεος cum aſpiratione quaſi ἕλεος, id eſt paluſtris dictus fuerit. nam ululæ quoddam genus à paludibus, Germani etiam Maßhuw appellant: quod nomen aliqui etiam buteoni tribuunt, quòd is corporis ſpecie aliquatenus ululã aut bubonem referat. Italicè hæc auis nocturna uulgo nominatur alocho, unde Gaza uidetur formaſſe uocem aluco, quæ apud ueteres Latinos nõ reperitur: hanc auem aiunt magnam & ruſſam eſſe; & aliam eiuſdem nominis minorem cornutam, id eſt plumis utrinq; ad aures cornuum inſtar eminentibus. Talis quidem eſt bubo, cuius iconem ſuo loco ponemus. Ololigus, id eſt luocalis auis, Syluaticus. apparet autem illum luocalem pro alocho uel alucone dixiſſe. ſed ololygon apud Græcos uarijs modis accipitur, à nullo tamen pro aue nocturna, ut in Rana ſcripſimus, (nam Ariſtoteles ranarum marium uocem qua fœminas ad coitum alliciunt, ololygóna nuncupat,) etſi onomatopœia ipſa ad ululam auem accedat. Aluco, uulgò lucarus, Niphus Italus. Λόκαλος legitur apud Ariſtotelem circa finem lib. 2. hiſt. anim. ubi Gaza uertit ciconia, quaſi legerit πελαργός. ſed apparet hoc nomen Italicum eſſe auis nocturnæ, ab aliquo forte adſcriptum ut uocem aſcalaphon interpretaretur, & à librarijs poſtea perperam inſertum. Illyricè, lelek, Gelenius. Aliqui Germanicè interpretantur ein Eul, quod uocabulum ululæ conuenit, quæ auis aluconi ſimilis eſt ſpecie naturaq;, & magnitudine æqualis.

DE AMPELIDE.

AMPELIDES, ἀμπελίδες, aues ſunt quas nunc ampelionas, ἀμπελιῶνας uocant, inquit Pollux: numerat autem eas inter aues cibo appetitas. Ἀμπελὶς nominatur etiam Ariſtophani in Auibus in Choro auium: meminit & Callimachus. Germani aues quaſdam uocant Wynuógele, hoc eſt uinearum auiculas, de quibus in Rubeculis ſcribã. Iidem turdorum genus minimũ uinearum aues, Wyngartuógel, nominant, noſtri Wynßlen. Hos forte Arnoldus Villanouanus frigellos nominat, cum ſcribit: Frigelli ſturnis ſimiles in uineis reperiuntur, & racemis inebriãtur. Ficedula quoque auis non ficis tantum, ſed & uuis ueſcitur, teſte Martiali. Vuottonus an eadem ſit ampelis, dubitat. Κρατὶς (inquit Pollux) placenta fiebat ex farina & melle, in qua impoſitæ erant aues ampelides aut ficedulæ aſſæ, quibus in cibo conſumptis, placentam etiam ipſam in ius auium intritam (ζωμῷ ὀρνιθείῳ ἐφ' ἡδύναντες) edebant. Oppianus in Ixeuticis ampeliones leuiſsimas aues uiſco capi ait, ἀμπελιωνας ſcribens cum acuto in antepenult. id quod magis placet quàm ſi ω. circunflectatur ut apud Pollucem. In eodem opere Oppianus ampelides nominat herbas quaſdam marinas cum fucis & algis, ex quibus alcyones nidificent.

DE ANATE CICVRE, ET IN GENERE.

A.

ANAS apud Auicennam bath per t. aſpiratum, & ſine aſpiratione bat apud Serapionem nominatur: à qua uoce corruptæ mihi uidentur iſtæ, bar, barar, baltat, har, apud Syluaticum: apud quem etiam anax pro anas aliquoties legitur. Idem burachet, & fengarion & aſcebete anatem interpretatur. Beſeher, id eſt anas, Vetus gloſſegraphus Auicennæ. Adduuta pro anate apud Albertum legitur ubi boſcas cõparatur anati ex Ariſtotele. Anas Græcè νῆσσα dicitur, νῆσσα κατοικίδιος de cicure apud Scholiaſten Arati. Χῆνα recentioribus Græcis, ut audio,

audío, alíjs πάπιζα uel pappos. Italís anatre, anadre, anítra. Híſpanís anáde. Luſitanís aden. Gallí marē appellant canard, fœmellam cane. canon & canichō díminutíua ſunt ijſdem. Germaní Ende, Ent, Ant, Antuogel: marem priuatim Entrich uel Entrach, (aliquí Retſchen, à uoce quæ rauca eſt, fœminarum argutíor. Vocantur tamen & anates feræ maíores Retſchenten à noſtrís,) & Saxones eundē Erpell. Flandrí anatem uocítant Aente uel Aende. Angli duck: cuíus uocabulí orígo Germanica eſt, & mergís potíus conuenít. Illyríj kacziér. Poloní kaczka.



B.

Anas eſt auís (lato dorſo, minor anſere, & maíor pullo aquatíco, [fulícam forte intelligít,] Albert.) aliquantulū maíor (mínor potíus. Kirañ. gallínæ magnitudínē eí adſcríbit) gallo. mas caput & collū uíridís coloris habet, roſtrum uerò latū: & alas albo uíridí nigroq; díſtinctas: torquē album circa collū, pedes ruffos & latos ad natandū aptos, Author lib. de nat. rerum. Anas domeſtíca & alba ínuenítur, & cínerea, & compoſítí coloris ex utríſque dictís, ut etíam anſer, Albertus. Alexander Myndius marem maíorem eſſe ſcríbit, magísq; uarium, Athenæus: & eídem quod cæſium in oculís eſt paulò mínus quàm fœmínæ eſſe, ut Gillius ex Aelíano reddit, ſed ineptè. nam Athenæus lib. 9. non colore oculorum marem à fœmína diſtínguít, ſed auem aquatícam quæ γλαυκίων ab oculorum colore dícatur, anate paulò mínorem eſſe ſcríbit. Maſculís omnía membra præſtantíora & colorata pulchríus tum ín cícure tum ín fero genere. Anatum circa ſuperfícíem corporís ſeparatí ſunt muſculí, quorum ínteríores albíores ſunt: quod ſí exteríores líueant, quod uí frígorís fierí uídetur, bonam æſtatem ſecuturam ruſtící apud nos conjíciunt: quæ coniectura forte ex ſylueſtrí anatum genere certíor habetur. Anates quædam candída tanquam zona cínguntur, ex pennís albís, ut Scholíaſtes ín Aues Arıſtophanís refert: unde íocus poetæ, Καὶ νή, Δι' ἀλλ' ἀνῆπται γε πόδιο ζωσμάτιον, Ἐπινθοφόρον. Sed talem ín medío collo círculum anas fera maíor habet, ut ínfra dícemus. ¶ Lingua ín pleríſq; anatíbus propríè dictís utríq; uídetur quaſí plumas habere, & ínteríus dentata eſſe aſperiuſculís utrínque eminentíjs, ut ín ferís quíbuſdam anatíbus obſeruatum nobís eſt. ¶ Anatí gula tota ampla eſt & lata, Arıſtot. Quà ínteſtínum deſínit appendices paucas habet, & palmípes eſt, Idem. Auíum palmípedum aliæ habent roſtra lata, ut anas & anſer, & omnía eórum genera. eſt enim roſtrí latítudo apta ad fodiendum & quaſí cribellandum (euentilandum) lutum, aliæ acutum & longum, &c. Albertus.

C.

Anas círca lacus & amnes uerſatur, Arıſtot. quí & marínam eam alíbí facit. Amphíbíam uítam degit, ſed ín aquís quàm terra líbentíus. Aquís fluminū gaudet, difficíleq; ſine hís uíuere poteſt, maxímè cum cíbos ſíccos íngurgítat, Author líbrí de nat. rerum. Alites quædam quæ incluſæ aluntur non ſunt contentæ terra, ſed etíam aquam requírunt, ut anates, &c. Varro. ¶ In fluuíjſq; natans forte tetrínit anas, Author Philomelæ. Noſtrí per onomatopœíam de anatum gregatím uocíferantíum clamore uerbum rătſchen ín uſu habent. alíoquí anates mares peculíarıter eodē uocabulo appellant, quorum uox rauca & grauís eſt, fœmínarum argutíor, ut quídam putant. ſed Albertus contrarium ſcríbit: In omní (ínquit) anatum genere, uox fœmínæ craſſíor eſt, maris acutíor. ¶ Anates roſtro fodíunt cœnum ín aquís, ubí reperíunt radíces herbarum, & ſemína plantarum aquatícarum, & uermes, & oua animalíū aquatícorum, & alía huíuſmodí quæ ſunt cíbus anatum, Albertus. Anates domeſtícæ auena aut herbarum radícíbus aluntur. Anates Ponticas edendís uulgò uenenís uíctítare tradit Aul. Gellius: noſtræ uermíbus, píſcículís, lumbrícís, gramíne, herbís, límo, ſordíbusq; aquarum uíctítant: & uenenata etíam quædam attíngunt, ut araneā, lacertam, ranam rubetam, Ge. Fabrícius. Delectātur ín cíbo herba anatína, quæ ín ſuperfícíe aquæ ſtagnantís ex Solís aduſtíone naſcítur: quæuís etíam reptília & uermes & fœda quæcūq; deuorare gaudet, Creſcentienſís. ¶ Anates ſolæ, quæq; ſunt eíuſdem generís, ín ſublíme ſeſe protínus tollunt, atq; è ueſtígío cœlum petunt, & hoc etíam ex aqua. ítaq; in foueas, quíbus feras uenamur, delapſæ ſolæ euadunt, Plínius. ¶ Mares alíquando cum plures fuerínt ſímul, tanta líbídínís inſanía feruntur, ut fœmínam ſolam coëundo uícíſsím ac certatím occídāt, Author líbrí de nat. rerum. ¶ Anatum oua gallínís ſæpe ſupponímus: è quíbus pullí ortí, prímū aluntur ab íjs à quíbus excluſí fotíq; ſunt. deínde eas (pullí matres) relínquunt, & effugíunt ſequentes, cum prímum aquam quaſí naturalem domum uídere potuerunt, Cícero de nat. deorum 2. Super omnía eſt, anatum ouís ſubdítís gallínę atq; excluſís admíratío, prímò non planè agnoſcentís fœtum, mox íncertos íncubítus ſolícíte conuocantís: poſtremò lamenta círca píſcínæ ſtagna, mergentíbus ſe pullís natura duce, Plínius. Quí

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 136 sur 825

cupiunt anates manſuetiores habere, magiſq; domeſticas, ſi quidem ſi circa ſtagna inueſtigauerint oua, gallinisq; ſubiecerint, enutriuerintq;, cicures habebunt eas, Didymus in Geoponicis. Vide etiam infra in E. ex Columella. Anas quaſi conſcia infirmitatis, quòd neque terræ neq; aquæ ſuos fœtus credat, iuxta paludes & rigua parit, & ſtatim à partu aquas petit, Volaterranus. ¶ Primum ut anas peperit (parit autem in terra extra aquam) prope aut ſtagnum aut paludem, aliúmue aquoſum locum, ſtatim eius fœtus recondita quadam natura & propria aquam proſequitur, Aelianus. Et alibi, Anaticularum pulli primum ut lucem aſpiciunt, continuò à partu natant. Hoc apud eundem lib. 10. uariæ hiſtoriæ Græcè ſic legimus, Τὰ δὲ ἧττον νηττώμενα νεόττια, ὅταν ἴδῃ φῶς παραχρῆμα δὴ ὠδίνων, νήχεται. Anatum pulli mox ut ouum exeunt, tanta agilitate uigent, ut etiamſi matrem mori uel alienari contigerit, ſine nutrice uiuant, Author libri de nat. rerum. ¶ Palumbes, &c. annuum faſtidium purgant lauri folio: anates, anſeres cæteræq; aquaticę herba ſiderite, Plinius. ſed ſideritis incertum & uagum nomen eſt, & diuerſis herbis quarum uis eſſet ad uulnera ferro facta glutinandum attributum. Dioſcorides triplicem facit, unam marrubij, alteram filicis, tertiam coriandri folio. Plinius præterea latiſsimo folio ſideritidis genus, quod & ſcopa regia nominetur, commemorat. Chamæpitys quoq; in Eubœa, ut refert Dioſcorides, ſideritis appellatur. Apud eundem inter nomenclaturas Achilleí, helxinæ, & uerbenacæ alterius ſideritidem legimus. Ex his omnibus quæ nam aquaticis auibus conueniat ſideritis, loco etiam aquoſo naſcens quærenda eſt. Infeſtantur anates, ut & anſeres, pediculo ſui generis.

D.

Aues quædam imitantur ciuilitatem gregaria conuerſatione & defenſione communi, itaq; facilius decipiuntur ab aucupibus. poſitis enim quibuſdam ſuæ ſpeciei auibus, aut auium imaginibus iuxta retia, mox cum ad illas conuerſandi gratia acceſſerint, retibus includuntur, ut grus, anas, & ſturnus, & huiuſmodi. Eædem defendunt ſe mutuo aduerſus accipitres & aquilas. Nam anates & cæteras palmipedes aquaticas, uidemus uiſa aquila congregari ſimul in aqua, & cum illa impetum fecerit ad rapiendum, demerſo capite aquam ſpargẽtes in faciem aquilæ, acceſſum eius prohibere, Albertus. Cum aquila in anates (aut earum pullos) rapiendos inuolat, ſe intra aquam ſubmerſione abdunt, atq; infra aquam natando, ex alio loco extra aquam eminent. Quòd ſi aquila illuc quoque incumbat, & inſtet, ij iterum demerguntur, atque tandiu ſurſum deorſum commeant, dum aquila fuerit ſubmerſione ſuffocata, aut diſceſſerit in aliam prædã. tum enim hæ depoſito hoſtis ſuæ metu, ad ſummam aquam elatæ rurſus natant, Aelianus. Viſa fugit nymphe ueluti perterrita fuluum Cerua lupum, longeq; lacu deprenſa relicto Accipitrem fluuialis anas, Ouidius Metam. XI. Anas, gauia (larus) & harpa inuicem diſſident, quoniam omnes cibum à mari petunt, Ariſtot. ſed Plinius hunc locum transferens, aliter: Aquaticæ (inquit) anates & gauiæ diſſident: Harpe & triorches accipiter (etiam diſſident.) Vulpes cum alias aues tum anates rapiunt.

E.

Quæ de anatibus capiendis apud authores legimus, ad ſyluestres referre placuit. cicures enim capi non opus eſt. Ex ſyluestrium autem ouis cicures naſci, ſi gallinis fouenda ſubijciantur, ſcriptum eſt in C.

¶ Anates ſunt naturæ anſerum, & eodem modo nutriuntur ut anſeres, Creſcentienſis. ¶ Neſſotropheij cura ſimilis (ut anſerũ, inquit Columella 8.15.) ſed maior impenſa eſt. nam clauſæ paſcuntur anates, querquedulæ, boſchides, phalerides, ſimilesq; uolucres, quæ ſtagna & paludes rimãtur: locus planus eligitur, isq; munitur ſublimiter pedum quindecim macería: deinde clatris ſuperpoſitis, uel grandi macula retibus contegitur, ne aut euolandi ſit poteſtas domeſticis auibus, aut aquilis, uel accipitribus inuolandi. Sed ea tota maceries opere tectorio leuigatur extra, intraq;, ne feles, aut uipera perrepat: media deinde parte neſſotropheij lacus defoditur in duos pedes altitudinis, ſpatiumq; longitudini datur, & latitudini quantum loci conditio permittit. Ora lacus ne corrumpantur uiolentia reſtagnantis undæ, quæ ſemper interfluere debet, opere Signino conſternuntur: eaq; non in gradus oportet erigi, ſed paulatim cliuo ſubſidere, ut tanquam è littore deſcendatur in aquam. Solum autem ſtagni per circuitum, quod ſit inſtar modi totius duarum partium lapidibus inculcatis, ac tectorio muniendum eſt, ne poſsit herbas euomere, præbeatq; nantibus aquæ puram ſuperficiem. Media rurſus terrena pars eſſe debet, ut colocaſijs conſeratur, alijsq; familiaribus aquæ uiridibus, quæ inopacant auium receptacula. ſunt enim quibus cordi eſt uel in ſyluulis tamaricum, aut ſirporum frutetis immorari, nec ob hanc tamen cauſam totus locus ſyluulis occupetur: ſed ut dixi, per circuitum uacet, ut ſine impedimento, cum aprícitate diei geſtiunt aues, nandi uelocitate concertent. Nam quemadmodum deſyderant eſſe ubi irrepant, & ubi deliteſcẽtibus fluuiaticis animalibus inſidientur, ita offenduntur, ſi non ſunt libera ſpatia, qua permeent extra lacum. deinde per uicenos undiq; pedes gramine ripæ ueſtiantur. ſintq; poſt hunc agri modum circa maceriam, lapide fabricata, & expolita tectorijs pedalia in quadratum cubilia, quibus nidificent aues: eaq; contegantur interſitis buxeis, aut myrteis fruticibus, qui non excedant altitudinem parietum. ſtatim deinde perpetuus canaliculus humi depreſſus conſtruatur, per quem quotidie miſti cum aqua cibi decurrant. ſic enim pabulatur id genus auium. gratiſsima eſt & (eis) eſca terreſtris legumínis panicum & milium, necnon & ordeum: ſed ubi copia eſt (non eſt) etiam glans ac uinacea præbeantur.

Aquatili-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 137 sur 825

Aquatilibus autem cibis, si sit facultas, datur cammarus, & riualis alecula, uel si qua sunt incremen
ti parui fluuiorum animalia. Tempora concubitus, eademq; cæteri syluestres aliter (forte, eadem
quæ cæteri[uel cæteræ]syluestres alites) obseruant Martij, sequentisq; mensis, per quos festucæ, fur-
culiq; in auiarijs passim spargendi sunt, ut colligere possint aues, quibus nidos construant. Sed an-
tiquissimum est, cum quis νοσοτροφεῖον constituere uolet, ut prædictarum auium circa paludes, in
quibus plerunq; fœtant, oua colligat, & cohortalibus gallinis subijciat. sic enim exclusi educatiq;
pulli deponunt ingenia syluestria, clausiq; uiuarijs haud dubitanter progenerant. Nam si modo ca-
ptas aues, quæ consueuere libero uictu, custodiæ tradere uelis, parere cunctãtur in seruitute, (quod
& Didymus scribit, ut recitauimus in c.) Sed de tutela nantium uolucrum satis dictum est. Hucus-
que Columella. Qui greges anatum habere uolunt (inquit Varro 3. 11. de re rust.) & constituere
νοσοτροφεῖον, primum locum, queis est facultas, eligere oportet palustrẽ, quòd eo maxime delectan-
tur. si id non, potissimum ibi, ubi sit naturalis aut lacus, aut stagnũ, aut manufacta piscina, quò gra-
datim descendere possint. Septum altum esse oportet, ubi uersentur, ad pedes quindecim, ut uidi-
stis ad uillam Sei, quod uno ostio claudatur. circum totũ parietem intrinsecus crepido lata, in qua
secundum parietem sint tecta cubilia: ante ea uestibulum exæquatum tectorio opere testaceo. In eo
perpetua canalis in quam & cibus ponitur, & immittitur aqua. sic enim cibum capiunt. Omnes pa-
rietes tectorio leuigantur, ne feles aliáue quæ bestia introire ad nocendum possit. id septum totum
rete grandibus maculis integitur, ne eò inuolare aquila possit, néue ex ea euolare anas. Pabulum
his datur triticum, hordeum, uinacei, uuæ, nonnunquam etiam ex aqua cammari, & quædam huius-
modi aquatilia. Quæ in eo septo erũt piscinæ, in eas aquam large influere oportet, ut semper recens
sit. Sunt item non dissimilia alia genera, ut querquedulę, phalarides, sic perdices, quæ, ut Archelaus
scribit, uoce maris audita, concipiunt. Quæ ut superiores, neq; propter fœcunditatem, neque pro-
pter suauitatem saginantur, sed sic pascendo fiunt pingues, Hæc Varro. Similiter ferè Didymus
in Geoponicis, Anates (inquit) alendæ sunt in locis muro cinctis, ne quò euolent. In media autem
piscina gramen est seminandum, nutrimentumq; in canalem plenum aqua inijciendum: triticum
nempe, aut milium, aut hordeum, aut denique acini uinacei contusi: (γίγαρτα πεφυραμένα) interdum
etiam locustas caridásue (ἀκρείδας ἢ καρείδας) & similia his lacustria aut fluuialia, quę anates comedere
consueuerunt. Saginat autem ipsas uberior cibus, ut auium maximam partem. Varro de re rust. 3.
5. describens operosissimum ornithotrophẽon, id est auiarium, Intra falere (inquit) est stagnũ cum
margine pedali, & insula in medio parua, circum falere & natatilia sunt excauata anatum stabula.
Et mox, Ex suggesto faleris ubi solẽt esse peripetasmata, prodeunt anates in stagnum, ac nant, è quo
riuus peruenit in duas, quas dixi, piscinas: ac piscículi ultro ac citro commeant.

¶ Vtilitas anatum præcipua est è plumis.

¶ Mergi anatesq; pennas rostro purgantes, uentum præsagiunt, Plin. Anates alarum gestu
exultantes uehementem uentum prædicunt, Aelianus. Aratus hoc prognosticon ad anates syluestres refert. At si domesticæ anates, inquit alibi, sub tectum (ὑπὸ γείσα) aduolent, & alas concutiant, πνευσόμενα πτέρυγας, pluuiæ imminentis signum est. concutiunt enim illas (inquit Scholiastes) quòd aëris humiditatem sentiant, ut & cæteræ aues humectatæ. Cum frequentes cõgregantur, aut se sæ-
pius lauant merguntq;, futuros denunciant imbres aut tempestates.

F.

Caro anatis calidior est omnibus carnibus auium domesticarum, Auicenna & Serapio. (hoc & alia quædam similiter de carne anseris apud authores scribuntur: nempe de utraq; quòd sit calida, humida, crassa, dura, concoctu difficilis, excrementitia. Et quanquam indocti quidam interpretes Arabum anatem cum anseré aliquando confundant: uidentur hæc tamen ex æquo ferè utrique aui conuenire.) Anatis caro non multum differt ab anserina, sed calidior est, Platina & Bapt. Fiera. Anates excrementitiæ sunt, Psellus. Anatum caro durior est quàm gallinæ, columbæ, &c. Galenus lib. 3. de alimentis. Refrigeratum calfacit, ut quidam dicunt, & aliquãdo febrim inducit, Auicenna. Calida est ualde, nam comedi de ipsa & calefecit me: & dedi de ea calefacto, & incaluit amplius: & rursus refrigerato, & calefecit eum, Galenus de compos. catà gén., ut citat Serapio. ego locum hunc apud Galenum nusquam puto extare. Anates & anseres aues sunt calidæ & humidæ absceſſu se-
cundo, (quod & Auicenna scribit in fine secundi, Mich. Sauonarola) humidiores cæteris domesti-
cis auibus (aliàs aquatilibus, Elluchasem.) Caro anatis calidior est, (& multum nutrit) non tamen plus quàm caro gallinæ, Rasis. Frigida est & melancholica, Albert. Caro anatis & aquaticarum auium nimium humida est, Hippocrates ut quidam citant: & in eo similis ouillæ, Auicenna. fastidium inducit, Mich. Sauonarola. Crassior quauis auium domesticarum carne, Serapio. Durior quàm turdorum merularúmue aut paruarum auium caro, Vuottonus. Minus dura quàm caro anseris, Albert. Humores auget excrementitios, Rasis & Elluchasem. Fastidium inducit, Rasis. febres breui tempore generat, Elluchasem. Alexander Benedictus in libro de peste anatem dam-
nat in cibo & earum pullos, quos Galenus (inquit) in primis coarguit. Carne etiam anatum & pul-
lorum utimur, quanquam difficili concoctu & tenaci, Crescentiensis. Anates & fulicæ magis per autumnum conueniunt. sed corporibus temperatis nunquam expedit his uel illis uti, Arnoldus de Villanoua in libro de sanitate tuẽda. Archigénes apud Galenum in opere de compos. medic. sec.

i

locos 8.4. inter cętera quæ ſtomachicis in cibo conueniant, anates quoq; numerat. Et M. Cato Cenſorius (ut Plutarchus in eius uita ſcribit) ægrotos ieiunio macerari prohibens, alí iubebat oleribus & modica carne (σαρκιδίοις) anatis aut palumbi aut leporis. Atqui Elluchaſem & alíj medici pleriq;, carnes earum, eò quòd duræ & concoctu difficiles ſunt, ſtomacho conuenire negant. Caro anatis admodum humida eſt ac difficilis concoctu: colorem tamen & uocem clarificat, & flatus tollit, mollis (dura ſecundũ alios) & pinguis eſt, ſtomacho grauis, corpus roborat, Serapio ex Aben Meſuai. Auicenna anatis carnem obeſare, flatus frangere, & uocem clarificare ſcribit: adipem uerò coloris claritatem facere. Tarde à uentriculo deſcendit, & grauat illum, in primis uerò anſerina. Si tamen concoquatur harum auium caro plus nutrit quàm cæterarum, & impinguat, Auicenna. Coitum promouet ac genituram auget, Idem & Serapio. Plurimum nutrimentũ confert, ſed non tam laudabile quàm gallinarum & ſimilium auium, Auicenna. Torminoſis in cibo prodeſt, Marcellus. Præferuntur anates & anſeres in nido remanentes, (id eſt pulli harum auium, ut ego interpretor.) Corpus macrum obeſant: ſed excrementitio humore id replent. Noxa quæ ab eis in cibo ſumptis fieri poſſet, emendatur inflatione boracis in (nitri forte) in gulam earum priuſquã occidantur. Succum gignunt phlegmaticum: proſunt calidis & iuuenibus: & hyeme magis & ad Septentrionem regionibus quàm contrarijs conueniunt, Elluchaſem. Eligi debent iuuenes. Erunt autem meliores, ſi ante interfectionem inſufflentur: item ſi aſſentur unganturq; oleo, & aromatibus condiantur, ut zinzibere ruſticorum, Mich. Sauonarola. Præſtantior alis Eſt cibus. hæ proſunt moribus & Veneri, Bapt. Fiera de anate. Tota quidem ponatur anas: ſed pectore tantum Et ceruice ſapit, cætera redde coco, Martialis. Anatem ceruice ſapere Germani non iudicant, qui demiſſo in colla auium ſuffocatarum ſanguine, ut Itali & Hiſpani, non delectantur, Georg. Fabricius. Auicenna alas tanquam leuiorem & meliorem in anate partem commendat. Idem, uentres earum (inquit) ſuaues ſunt: & hepata bona ſuauiaq; in cibo & boni ſucci. ſed hoc anſeribus potius conuenire uidetur. Adeps anatis impinguat, Auicenna. Anatis adipem Brudus Luſitanus addit decoctioni pullaſtræ in febri, nimirum humectandi gratia. Ventriculus eius plurimum nutrit, Idem. ¶ Ex anatum genere quædam Germaniæ dicuntur, quòd plus cæteris nutriant, Calepinus. ¶ De ouis anatum, dicam in Anſerinis ouis ex Tacuinis medici Elluchaſem. ¶ Macrobius 3. 13. cœnam quam Lentulus flamen Martialis exhibuit deſcribens, inter cætera anates nominat, & querquedulas elixas. Anates & anſeres eliguntur cum aſſantur (id eſt aſſæ præferũtur hæ aues) & inunguntur oleo ad abolendum ingratum odorem ipſarum. debent autẽ addi aromata, tum propter odoris gratiam, tum ut craſsities harum auium emendetur, Elluchaſem. Anas elixari debet, Platina. Anas condimentis quibuſdam farcta inſtar porcelli aſſari poteſt, ut docet Platina de honeſta uoluptate 6. 15. cuius uerba recitaui in Sue G.

¶ Ex Apicij de arte coquinaria lib. 6. cap. 2. In grue uel anate. Gruem uel anatem lauas, ornas & includis in olla: adijcies aquam, ſalem anethũ: dimidia coctura decoques dum obduretur: leuas, lauas, & iterum in caccabum mittis cum oleo & liquamine, cum faſciculo origani & coriandri: prope cocturam defrutum modicè mittis, ut coloret. Teres piper, liguſticum, cuminum, coriandrum, laſeris radicem, rutam, carænum, mel, ſuffundis ius de ſuo ſibi, aceto temperas, in caccabum reexinanies ut calefiat: amylo obligabis: imponis in lancem & ius perfundis. In grue, in anate, uel in pullo. Piper, cepam ſiccam, liguſticum, cuminum, apij ſemen, pruna uel damaſcena enucleata, muſtum, acetum, liquamen, defrutum, oleum, & coques. Aliter gruem uel anatẽ ex rapis. Lauas, ornas, & in olla elixabis cum aqua, ſale & anetho, dimidia coctura. Rapas quoq; ut expromari poſſint leuabis de olla, & iterum lauabis, & in caccabum mittis anatem cum oleo & liquamine & faſciculo porri & coriandri: rapam lotam & minutatim conciſam deſuper mittis, facies ut coquatur modica coctura, mittis defrutum ut coloret. Ius tale parabis: Piper, cuminum, coriandrum, laſeris radicem: ſuffundis acetum, & ius de ſuo ſibi, reexinanies ſuper anatẽ, & ferueat: cum ferbuerit, amylo obligabis, & ſuper rapas adijcies: piper aſpergis & apponis. Aliter in gruem uel anatẽ elixam. Piper, liguſticum, cuminum, coriandrum ſiccum, mentham, origanum, nucleos, caryotam, liquamen, oleum, mel, ſinape & uinum. Aliter in gruem uel anatem aſſam. Eas de hoc iure perfundis. Teres piper, liguſticum, origanum: liquamen, mel, aceti modicum & olei: ferueat bene, mittis amylum, & ſupra ius rotulas cucurbitæ elixæ uel colocaſiæ ut bulliant: ſi ſunt & ungellæ, coques, & iocinora pullorum, in boletari piper minutum aſpergis, & inferes. Aliter in grue uel anate elixa. Piper, liguſticum, apij ſemen, erucam & coriandrum, mentham, caryotam: mel, acetum, liquamen, defrutum & ſinape. Idem faciet & ſi in caccabo aſſas. Hæc omnia Apicius.

¶ Ex anatibus ſimiliter paſtilli parantur ut è gallinis ſeu pullaſtris, quibus tum calidis tum frigidis ueſcuntur, ut in Gallina F. ex Balthaſaris Cellarij Magirico præſcribemus: ſed pro anatibus quidam inſuper cepas addunt. ¶ Anatis omnis caro & ſanguis in cibo conueniunt accipitri, Demetrius Conſtantinop.

G.

Caro & adeps anatis in cibo quas facultates habeant, prædictum eſt in F. ¶ Ventris & inteſtinorum dolor in bubus ſedatur uiſu nantium, & maximè anatis, quam ſi conſpexerit cui inteſtinum dolet, celeriter tormento liberatur. Eadem anas maiore profectu mulos & equinum genus conſpectu

conſpectu ſuo ſanat, Columella 6. 7. & Vegetius Mulomedicinæ 3. 3. Quod traditur in torminibus mirum eſt, anate (uiuente, Marcellus) appoſita uentri tranſire morbum, anatemq; emori, Plin. Carnem etiam anatis in cibo torminoſis prodeſſe Marcellus ſcribit.

¶ Sanguis anſeris, anatis & hœdi utiliſsimè in antidota miſcentur, Dioſcorid. Anatis ſanguis recipitur in Zopyrion medicamentum apud Marcellum cap. 22. Aduerſus omnia mala medicamenta pollet ſanguis anatum Ponticarum. Itaq; & ſpiſſatus ſeruatur, uinoq; diluitur. quidam fœminæ anatis efficaciorem putant, Plinius. Apud Galenum lib. 2. de antidotis, leguntur aliquot diahæmaton inſcriptæ antidoti, hoc eſt è ſanguinibus, quæ anatis ſanguinē (aliâs ſimpliciter, aliâs ſiccum & de anate recens occiſa collectum) recipiunt: aliæ ſolum, aliæ inſuper anſeris, hœdi, quædā & marinæ teſtudinis. Videtur autem melior anatis fœminæ, Damocrates ibidem in cuiuſdam antidoti deſcriptione. Panacia antidotus diahæmaton inſcripta inter Andromachi deſcriptiones pſeudepigraphus eſt, cum ſanguinis nullius in ea mentio fiat, niſi mutilati ſunt codices noſtri: Similis illi quidem eſt Damocratis quam diximus, paucis exceptis, in quam ſanguines diuerſi miſcentur. In antidotum diahæmaton ex Aſclepiadis deſcriptione anatis utriuſq; ſexus ſanguis adijcitur, & præterea hœdinus ac anſerinus. Eodē in libro ab Andromacho ſcriptæ antidoti, altera Vrbani Indi, eoſdem tres ſanguines accipit: altera incomparabilis dicta, eoſdem, ſed anatis fœmellæ, & inſuper teſtudinis marinæ. Scribonius Largus cap. 177. antidotum Marciani deſcribit, cui anatis utriuſq; ſexus ſanguis, & anſeris maſculi, hœdiq; & teſtudinis marinæ admiſcentur. Mithridatis inuentum autumant ſanguinem anatum Ponticarum miſcere antidotis, quoniam ueneno uiuerent, Plin. Anates Ponticas dicitur edendis uulgò uenenis uictitare. Scriptum etiam à Leneo Cn. Pompeij liberto Mithridatem illum Ponti regem medicæ rei & remediorum id genus ſolertem fuiſſe; ſolitumq; earum ſanguinem miſcere medicamentis quæ digerendis uenenis ualent: eumq; ſanguinem uel potentiſsimum eſſe in ea confectione, Gellius 17. 16. Ad pernicioſa medicamenta: Anatis (νήσσης, interpres non rectè tranſtulit fulicæ) ſanguis liquidus ex oleo potus ſeruat à potu uenenoſi medicamenti, & à uiperæ morſu liberat, Galenus Euporiſt. 3. 282. Anatis ſanguis calidus (recens) uel ſiccus cum uino potus ſanat bibentem ab omni ueneno: & à uipera morſos curat, & ſanitatem ac robur præſtat, & bonam ualetudinem, Kiranides. Sanguis anatis aduerſatur omnibus uenenoſis & mortiferis animalium morſibus, Galenus Euporiſt. 2. 143. Ad deleteria letaliáue mirabile: Anatis ſanguinem cum uino bibendum dato, Nicolaus Myrepſus. Gualth. Ryffius in libro Germanico de liquoribus ſtillatitijs, Anatum ferarum ſanguis (inquit) uarijs uenenis aduerſatur. itaq; antidotus è ſanguinibus dicta, cui hic admiſcetur, loco optimæ theriacæ uſurpari poteſt, quod & Manardo Ferrarienſi uiſum eſt. Hac nimirum occaſione aliqui excitati, in eundē uſum chymicis inſtrumentis puriorem huius ſanguinis partem ui ignis abſtraxerunt. Liquoris ita ſecreti ſeſcūcia aut unciæ duæ potæ, uenenis reſiſtunt: calculum etiam renum & ueſicæ mirum in modum cōminuunt; Hæc ille ex Hieronymo Brunſuicenſi, ut conijcio. Vide infra in Anatibus feris G. Sanguinem à cerebro profluentem anſeris ſanguis aut anatis infuſus ſiſtit, Plinius. Sanguis anatum, fel anſerinum contuſis oculis laudantur, ita ut poſtea hyſſopo (lego œſypo) & melle inungantur, Plin. Siſtit & anatum maſcularum ſanguis, Idem mox à remedio pro ijs præſcripto qui cibos non conficiunt. Mulcet adeps neruos & ſanguis uiſcera ſiſtit, Vrſinus de anate.

¶ Anatis adeps præſtantior eſt quouis adipe: non enim ullum inueni qui uel ſubtilior ſit, uel emolliat reſoluatue magis, Serapio ex Galeni opere de compoſ. medic. ſec. genera: ubi ego nihil tale reperio. conijcio autem interpretem anatis adipem pro anſerino ineptè reddidiſſe. Pinguedo anatis calida & ſubtilis eſt, Serapio. Mordicationes interiores (in profundo) corporis & dolores maximè ſedat, Idem & Auicēna & Galenus iuxta Serapionem, inter auium pinguia principatum tenet, Auicenna. ſed Galenus hunc anſerino attribuit. Coloris claritatem conciliat, Auicenna. Quidam ad ſplendorem faciei inducendum, putamina ouorum trita & ſemina melopeponum pingue pinguedine anatis excipiunt, illinuntq;. Idē pingue apud Nic. Myrepſum emplaſtro ad pleuritidem immiſcetur. Anatis adeps cum aliis in anſere exenterato aſſatur, &c. ut adeps defluens ad paralyſin utilis colligatur. uide in Anſere G. Cum roſaceo coctus ſanguinem à cerebro profluentem ſiſtit, Plin. Adipes anatis, anſeris, gallinarum & alij quomodo debeant curari & reponi, docetur in uulgatis Nicolai Præpoſiti codicibus, his ferè uerbis: Animalium recens macatorum adipes diligenter purga à pelliculis, & pone in olla noua ſiglina, quæ non ſupra dimidium impleatur. hanc opertam in aliud uas calidiſsimum (uel aqua feruida plenum ſecundum alios) impone, & ſubinde id quod liquatum fuerit in aliud uas defunde, donec nihil amplius liquetur, & colatū in loco frigido repone. Sunt qui repoſituri modicum ſalis adijciant. ¶ Antidotus Ecloge dicta, utilis cœliacis & ſanguinem ſpuentibus, numero 330. apud Nicolaum Myrepſum, inter cætera anatis uuluam recipit. ¶ Morſibus uenenatis utiliter imponitur ſtercus columbinum uel anatinum, Arnoldus de Villanoua.

H.

a. Anas Græcè νῆσσα dicitur, Atticè νῆττα, Heſychius, à uerbo νήχεσθαι, quod eſt natare, Scholiaſtes Ariſtophanis & Varinus. Vel παρὰ τὸ νῶ, νήσω, τὸ κολυμβῶ: ὅθεν ὁ κολυμβητὴς τὸ νήχω καὶ ἡ νεώς, Euſtathius & Varinus. Νήσσας & κολυμβεθέλας aues, à quibus uerba νήχεσθαι & κολυμβᾶν deſcendunt, Ariſtophanes

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 140 sur 825

in Acharnenſibus, Athenæo teſte. Τί φορεῖς; ὅσ' ἐς' ἂν ἀγαθὰ βοιωτοῖς ἅπλως, Νάσσας, ψολοιὰς, &c. Ariſtophanes ut iam citauimus. Anates Græci neſſas & necta uocãt: quanquam necta magis eſt ut ſepta anataria ſignificent, quàm anates ipſas, Hermolaus. Τὰ νηττάρια πινδὺ καλοῦσι νήσσας, Didymus in Geoponicis. Apud Nicoſtratum quidam ad cibum emi iubet νηττία, id eſt anaticulas. Νησοτροφεῖον Varro & Columella dixerunt pro ſepto anatario. Glaucium auis eſt νησσοειδὴς, id eſt anatiformis, Euſtathius. Eſt & adiectiuum νησσᾶος, hoc eſt anatarius. Aratus νησσάων ὄρνιθας dixit. ¶ Anas à natando, Varro. Recentiores quidam Albertus & alij, anatem maſculino genere protulerunt, quod non probo. Apud Creſcentienſem ineptè aliquando annates per n. duplicatum ſcribuntur: ineptius etiam annetæ & annatæ. Anaticula dimunitiuum apud Ciceronem de finibus bonorum, recentiores grammatici interpretantur paruam anatem, aut potius aquatilem auiculam uulgò notam, anati forma perſimilem, ſed multò minorem. ego ſimpliciter pro anate parua aut pullo anatis accipio. nam & anguiculos, id eſt angues paruos ibidem nominat Cicero. Anaticulus etiam maſculinum legitur in Calepini dictionario, ſed ſine authore. Quod ad proſodiam prima corripitur Tota tibi ponatur anas, Martialis in hexametro. De ſecunda ex uerſibus poëtarum certi nihil habeo. Et anatis habeas uropygiũ macræ, Martialis lib. 3. in ſenario iambico. Aut anates aut coturnices dantur quis cum luſitent, Plautus in Captiuis in Trochaico tetrametro. Vtinam fortuna nunc ego anatina uterer, Idem in Rud. ſenario iambico. Sed in omnibus iſtis quod ad carminis rationem ſecunda ſyllaba producatur an corripiatur nihil refert. mihi quidem longa uidetur. ¶ Anatem morbum anuum, id eſt uetularum ueteres dicebant, ſicut ſenium morbum ſenũ, Feſtus. Anatarius quod ex anate eſt, uel quod ad anates pertinet, ut anatariæ plumæ: & anataria aquila Plinio, quæ anates uenatur, Græci νησσοφόνον dicunt. Lacuſtres & riuularios quoſdam accipitres dicunt anatarios, Budæus. Similiter anatarium aucupem dixeris, qui anates aucupat. Poteſt & anatum cuſtos anatarius appellari. Anatinus. Vtinam fortuna nunc ego anatina uterer, Vti poſtquam exiſſem ex aqua, arerem tamen, Plautus in Rud. ſunt autem uerba lenonis naufragi. Chirurgi apud nos uulgò roſtrum anatis uocitant, à ſimilitudine figuræ, inſtrumentum quo ſpinæ, aut ſi quę faucibus inhæſerunt, extrahuntur.

¶ Epitheta. Νῆσσαι οἰκτροί, Aratus, ad differentiã τῶν ἀγριάδων. Fluuialis anas, Ouidius Metam. XI. Non uelox pennis, & pede ſegnis anas, T. Veſpaſianus Stroza. Claudus, Vrſinus. Item ingluuioſus, pinguis, tumidus, mollis, latipes, apud Textorem.

¶ Anatina herba, uide ſupra in C.

¶ Νῆττα etiam nomen proprium eſt, Suidas.

¶ b. Anatibus ſimiles ſunt aues ſed minores, quas glaucia Græci uocant ab oculorum colore, Athenæus. Inuenitur & boſcadis unum genus maius anate, ſed minus chenalopece. huc & phaſcades pertinent paulò grandiores quàm colymbi, cætero ſimiles anatibus, Hermolaus. ſed de anatibus ferís diuerſis mox ſingillatim agemus. Fulicæ ſunt aues anatibus paulò minores, ſed corporis forma conſimiles, Seruius.

¶ c. Buffones gigno (anas loquitur apud Io. Vrſinum) putrida tellure ſepultus, (melius, ſepulta,) Humores pluuij forte quòd ambo ſumus. Humet is & friget, mea ſic uis humet & alget, Cum perit in terra qui prius ignis erat. Glaucam cithariſtriam alij ferunt canem, alij anatem, alij anſerem amaſſe, Aelianus in Varijs.

¶ e. Aut anates, aut coturnices dantur (patricijs pueris) quibus cum luſitent, Plautus Cap.

¶ f. In cõuiuio Attico apud Athenęũ erãt tredecim νῆσσαι è Salamine, λίμνης δὲ ἱερᾶς μέλαι πίονδε.

¶ h. Anas Neptuno ſacra eſt, Athenæus: deo humoris ſcilicet auis quæ humore & natatione gaudet, Euſtathius & Varinus. Si quis hactenus Neptuno ſuẽ ſacrificauit, poſthac anati triticum immolet, Ariſtoph. in Auibus. ¶ Anates domeſticas circa annum à nato Chriſto M.LXXXVII. cum gallinis, anſeribus, pauonibus, & alijs auibus hominum uſibus ſubiectis, domeſticæ manſuedinis oblitas, ut & ſubitò efferatas, ſyluas petijſſe, in Vindelicis Annalibus legitur. Secuta infelix promiſcuæ multitudinis in Syriam nauigatio, domi fames & peſtis. Quod etiam in canibus, equis, aſinis, bobus ante bellum ſociale in Latio accidiſſe, D. Auguſtinus teſtatur.

¶ Emblema Alciati ſub lemmate Dolus in ſuos.

Altilis allectator anas, & cærula pennis
Congeneres cernens uolitare per aëra turmas
Prætenſa incautas donec ſub retia ducat.
Perfida cognato ſe ſanguine polluit ales,
Adſueta ad dominos ire redire ſuos,
Garrit, in illarum ſe recipitq; gregem:
Obſtrepitant captæ, conſcia at ipſa ſilet.
Officioſa alijs, exitioſa ſuis.

DE ANATIBVS FERIS, ET PRIMVM in genere.

A.

ANATES feras, ſylueſtres ſiue manſuetas, quæ uagantur liberè, Aratus νήσσας ἀγριάδας uocat, Scholiaſtes ἀγρίας & αὐτομάτους νήσσας: interpretatur autem aues marinas quæ in inſulis degant, quaſi νῆσσαι ἀπὸ τῶν νήσων, id eſt ab inſulis dictæ uideri poſſint. Cæterum in ſequentibus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 141 sur 825

tibus etiam νησαίας ὄρνιθας uocat Aratus, non quidem insulares aues, (sic enim per σ. simplex scribi oporteret) sed anatini generis, hoc est νησσοειδεῖς, ut sit adiectiuum à νῆσσα. Germani uocant wilde Enten: & cæteræ nimirum linguæ omnes similiter: id est anates sua quæq; dialecto, syluestrium differentia adiecta. In harum descriptione, præsertim syluestrium, uir longè doctissimus diligentissimusq; Georgius Fabricius, plurimum me adiuuit, & in reliqua etiam uniuersa animalium historia multa communicauit. Ego pro consuetudine mea, ut hominem gratum decet, ubicunque aliquid eorum quæ ad me scripsit commemorabo, nomen eius semper adijciam.

B.

Heluetia nostra plurimis aquaticarum auium & anatum generibus abundat, propter lacuum & fluuiorum copiam. Anatum syluestrium (inquit Albertus) apud nos multæ differentiæ sunt, sed omnes conueniunt rostri ac pedum figura. rostrum omnibus latum, serratile, non nimis longum, & ualde apertum (patulum) ad cribrandum lutum. pedes ruffi, digiti membranis iuncti ad natandum aptis. ¶ Ego cum nuper querquedulam dissecarem, appendices intestinorum binas reperi, eo situ ut interuallum inter anum & initium appendicum (quæ retrorsum uertebantur quinq; digitos longæ) quatuor digitorum esset.

¶ Quæ sequuntur omnia ex obseruationibus Georg. Fabricij sunt. Anates omnes palmipedes sunt & latirostræ, exceptis generibus tribus, quæ palmipedes quidem sunt, sed rostra acuta habent, quæ inter mergos referemus. Latirostris omnibus in extremitate corneus quasi unguis est, quo cibos apprehendunt. Dentium loco circa rostrum striæ asperiusculæ. Membranæ pedum in extremo omnibus serratæ. ¶ Differunt inter se coloribus, qui speciatim deinceps explicabuntur in singulis. Aut corporis quantitate, unde magnæ, mediocres, & paruæ, tā proprijs nominibus, quàm communi quæq; appellari potest, excepto mergulo, qui est minimus. Aut grauitate & leuitate corporis, quod discrimen ex superiore oritur, & ab Aristotele non est prætermissum. Aut etiam partium singularum diuersitate, ut rostris, capite, alis, pedibus, cauda. Rostris, unde latirostra & longirostra, item mustelaris, clangula, fuligula, fistularis. Capite, propter cristas, ut longirostra, mustelaris, raucedula: propter colorem, ut mustelaris, & mergus ruber: propter magnitudinem, ut anas magna, clangula, mergus ruber. Alarum firmitate, ut clangula: longitudine, ut altícrura: breuitate, ut mergulus. Colorum in alis ut pulchritudo maxima, ita & diuersitas maxima. Pedibus uniformes sunt, præter mergulum. Croceos pedes habent, anas magna & latirostra & longirostra: luteos, mediocris & strepera: flauos, clangula, iuncea, & uterque mergus: albos, altícrura. Caudis æquales sunt, præter eam quæ ab acuta cauda nomen traxit, & mergulum.

C.

Anates differūt inter se uocibus: ut fistularis, strepera, raucedula, cercia, muscaria, à cæteris item uolatu. nam aliæ in sublime feruntur tardius, aliæ celerius. mergulus ob alarum breuitatem potius salit quàm uolat, Georg. Fabricius. ¶ Anatum ferarum & mergorum genera apud nos hyeme tantum reperiuntur: quæ in Italia, ut Ferrariæ & Venetijs, æstate etiam & autumno uidi. Anates (feræ scilicet) quotannis discedunt, Demetrius Constantinop. Aquatiles uolucres temporibus hybernis se conferunt ad lacus & fluuios in austri partibus sitos, qui frigore non congelant: aut ad aliquam flumínum partem cui aqua non conglaciat: ut ardeolæ, mergi, anates immansuetæ, querquedulæ, &c. Georg. Agricola. Hyemis tempore, aut in ripis fluuiorum, aut piscinarum aggeribus, aut paludū frutetis latere: aut syluarum propinquitates, hortorúmue uicina præsidia petere deprehensum est: aliqui migrare eas persuasi sunt, Georg. Fabricius. Anates anseresq; feri quomodo cum ciconijs migrent in Lyciam, atq; illic circa Xanthum fluuium aduersus coruos, cornices, uultures aliasq; carniuoras aues pugnent, in Ciconia C. ex Kiranide recitaui. ¶ Gramínis genus angustis perpetuò folijs uirens stagnantibus aquis innatat, pascuntur eo anates syluestres, Tragus. hanc herbam anatinam Crescentiensis uocat: uide supra in Anate C. Anates Ponticas ueneno uíuere autumant. Anatum syluestrium oua si incubantibus gallinis exclusa fuerint, anates inde cicures nascuntur, hoc est quæ facile mansuescant.

D.

Anates feræ nostri lacus noctu sæpe transuolant ad uicinum fluuium Silum, tanquam tutiores illic à uulpibus & lutris futuræ, ut audio.

E.

Canes aquatici non quadrupedes tantum, ut castores, lutras, sed aues quoq; aquaticas & anates uenantur, ut scripsi in Castore E. Quomodo accipitris opera capiendæ sint anates, ex Demetrio Constantinopolitano docui in Accipitre E. Lanarij omnes primo timidi sunt, sed postea ad colubas & anates capiendas instituuntur, Albertus. Anates falconum & asturum præda sunt, Crescentiensis. Idem lib. 10. cap. 17. docet quomodo anatum syluestrium sæpe ingens copia per cicures allecta irretiatur, ita ut una hora mille quandoq; capiantur, pantheræ dicti retis opera: & rursus per aliud retis genus, ibidē cap. 20. Vide etiam Alciati Emblema superius in fine historiæ Anatis manuetæ. Anates aliæq; aues gregariæ quomodo decipiantur ab aucupibus, suæ speciei auibus uel auium imaginibus iuxta retia positis, dictum est in Anate cicure D. Non omnes eodem temporē capiuntur: quædam statim se dant fluminibus: quædam, cum iam fluuij gelu incipiunt consistere, è

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 142 sur 825

latebris suis aduentant, ut clangula, raucedula, fuligula: quæ cum capiuntur, aucupium scitur non esse diuturnius, Georg. Fabricius. Aues quæ gregatim incedũt (inquit Cardanus) gregatim etiam capiuntur, ut perdices: magis his anseres, omnium maximè anates. Cicuratas enim ex suo genere præcisis alis iuxta aquas uallo circunducto alere oportet copioso iucundissimoq; illic cibo, id anatibus inter reliqua est sorgum incoctum aquæ. nocte dum cicures clamant, agrestes descendunt ad cibum. Nam animalia omnia consensum habent in quatuor uocibus, cibi, Venereorum, pugnæ ac timoris, secq; mutuò intelligunt. Retibus igitur quæ coopertoria uocant contractis (hærent enim palis inuoluta) clauduntur: ut quandoq; mille uno impetu anates captas referant. Et quanquam mirum uideatur, certum tamen est nullum esse felicius aucupium. eliguntur uerò è cicuribus quæ colore agrestibus sint simillimæ, Hæc ille. Anates illaqueantur, πτηνοῖσι καὶ βρόχοις θηρῶνται, Oppianus in Ixeut. Anates cæteræq; aues aquaticæ etiam uisco capiuntur, cum uisco inuoluitur funis longus ex paueris quibus scoria fiunt (locus uidetur corruptus) compositus, & præcipuè serò in lacu uel alibi, ubi aues istæ sæpius morari consueuerunt. Nam aues per aquam natantes noctu incidunt in funem super aquam extensum, & capiuntur, & postridie captæ inueniuntur. Sed oportet hunc uiscum ita esse temperatum ut aqua non corrumpatur, Crescentiensis. Viscum quoddam est aquę aptum, arte paratum, ex melle uidelicet, aut oleo nucum, aut oleo oliuarum. quo utuntur aucupes ad irretiendas aues tempore pluuio, uel etiam ad pisces ipsos capiendos, Brasauolus. Capiuntur & escis quibusdam obiectis anates aliæq; auer, tanquam inebriatæ, quales sunt lappæ (hoc nomen, Kletten, ad personatiam & alia lapparum genera apud Germanos refertur:) semina sparge in locum quem anates frequentant, quo illæ ingesto ita afficiuntur uertigine, ut manibus capi possint. Alia esca. Tormentilla in uino bono coquatur, tum in eodem cocta frumenti aut hordei semina proiicito in spatium auibus capiendis destinatum: sic enim tormentillę frustula simul cum seminibus deuorabunt, & inebriatæ cum uolare nequeant, capientur manibus. Hoc autem commodius fiet cum cœlum præfrigidum & nix profunda fuerit. Alia. Per locum auibus frequentari solitum hordei grana dispergendo ex farina hordeacea, felle bubulo & seminibus hyoscyami, medicamentum instar pultis parato, quod in tabella eis expones. eo gustato aues adeò grauãtur ut uolare nequeant & manibus capiantur. Alia. Hordeum, fungos quos à muscis denominant, cum seminibus hyoscyami misce, & pulticulam inde factam in tabella expone ut supra, Hæc de escis ex authore innominato Germano, & quibusdam manuscriptis. Si quis locum ex quo anates bibunt cognitum habens, exhausta ab eo aqua uinum nigrum infuderit, ubi biberint statim concident atque capientur. Idem etiam & fex uini molietur, Didymus in Geoponicis.

¶ Nessæas aues (Scholiastes interpretatur nessas, id est anates) si frequentes & conglobatas ferri animaduerteris, quanquam cœlo æstiuo & sereno, imminentem pluuiam expectabis, Aratus. Vide supra in Anate mansueta E. Sæpe anates feræ aut æthyiæ marinæ alis in continente concussis, uentum instare monent, Aratus. Aquaticæ aues, ut anates aliæq;, si principio gelu quærant aquas magnas incongelabiles iuxta mare, signum longæ durationis gelu præbent, Gratarolus.

F.

Anates feræ ad cibum parari poterunt non aliter quàm de cicuribus scriptum est. Anatibus feris in pastillo coquendis addito lardum, & caryophyllos tritos cum zinzibere, Coquus Gallicus.

G.

Gualtherus Ryffius anatum ferarum sanguinem aduersus uenena commendat, ut scripsimus in Anate cicure G. Veteres quidem simpliciter anatum sanguinem laudant: nisi quis Ponticas (quarum sanguis contra uenena præfertur) syluestres esse dicat: quod facile concessero. syluestres enim quàm domesticas ueneno pasci (quod de Ponticis scribunt) uerisimilius est. quanquam & anserum sanguis eundem in usum pollere scribitur, non syluestrium, sed simpliciter.

DE BOSCADE duplici: & de PHASCADE.

BOSCA palmipes est, similis anati, sed minor. circa lacus & amnes uersatur, Aristot. de hist. 8. 3. interprete Gaza. In Græco legitur βόσκας paroxytonũ & masculinum, Βόσκας ὁμοιος μὲν νήττῃ, &c. Albertus eo in loco (nimirum ex Auicennæ interprete, corrupta uoce Græca batichen habet. Apud Grammaticos oxytonum scribitur βοσκάς: sunt autem huiusmodi uocabula fœminina. Vt à uerbo βόσκω deriuatur βοσκάς, quæ auis est anate minor: sic à φορβάω, φορβάς, Eustathius. Et alibi, ἐκ δὲ τοῦ βόσκειν ὥσπερ ὄρνεον ἡ βοσκάς, οὕτω καὶ πῶ βοσκὶς ἐλεφάντων, &c. Βοσκάς, φασκίας, Libyes, Hesychius. Apud eundem legitur βάσκας, auis nomen. Καὶ ἐλαῖᾳ, καὶ βάσκα καὶ ἐλασᾷ, Aristoph. in Auibus, ubi Scholiastes, Basca auis (inquit) etiam à Callimacho nominatur. Auium quæ boscades (βοσκάδες) nominantur, mas magis uarius cernitur, Athenæus. ut transtulit Vuottonus. Græce legitur, ὁ μὲν ἄρρην καταγραφὴν νήττης, ubi Vuottonus μᾶλλον adijcit, νήττης omittit. ego ὁ μὲν ἄρρην καταγραφος, ἐλαττων νήττης. hoc est, mas uarius est, anate minor. melius autem simpliciter καταγραφὴν dicetur mas, quàm fœminæ comparatione: cum omni anatum generi, & alijs etiam pluribus cõmune sit, ut mas fœminam colorum tum uarietate tum pulchritudine uincat. Habent etiam mares in hoc genere rostra sima & minora proportione, Athenæus. Apud Columellã boschides pro boschades legitur, quæ quo-

modo

modo incluſæ nutriantur ſcripſimus ſupra in Anate manſueta E. Cæterũ cum Columella querquedulas, boſchides & phalerides ſimul nominet, Varro querquedulas, phalarides & perdices coniungit, mox ſubijciens: quæ, ut Archelaus ſcribit, uoce maris audita cõcipiunt. Quæ ut ſuperiores (anates) neq; propter fœcunditatem, neq; propter ſuauitatem ſaginãtur, ſed ſic paſcendo fiunt pingues. atqui perdices cum aquaticis auibus numerari, eodemq; modo nutriri, & fœcũdas ſuauesq; in cibo eſſe negare, nõ conuenit. quamobrem mendum ſubeſſe reor, ac pro perdices legendum boſchides ut apud Columellam. Boſca ruſticè puto ſartella dicitur, Niphus Italus. accedit autem hoc nomen apud Gallicum cercelle uel cercerelle, quam auem Latinis querquedulam dici putant eruditi quidam. Eberus & Peucerus boſcades interpretantur anates ſylueſtres, quibus roſtra latiuſcula & ſima, color cinereus nigredine uariatus, Germanicè dictas **Mittelenten**, id eſt mediæ magnitudinis anates. Querquedulam quidem Latinè & boſcaden Græcè dictam auem eandem exiſtimare nihil prohibet, cum utraq; anatum generis, & cætera ſimilis ſit, magnitudine tantum inferior. ſed de querquedula priuatim ſcribam inferius. Boſca (inquit Turnerus Anglus) auis eſt aquatica anati ſimilis, ſed minor. Quum uerò multæ ſint aues aquaticæ anati ſimiles, ſed minores, ut ſunt telæ uocatæ ab Anglis, uuigenæ & pochardæ: eam puto boſcam eſſe, quæ proximè ad magnitudinem & ſimilitudinem anatis accedit. hoc quum pocharda faciat, illam Ariſtotelis eſſe boſcam iudico, Hæc ille. Videtur autem dicta pocharda, quod roſtrum eius ad cochlearis figuram aliquo modo accedat. nam Galli, quorum linguam Angli in plurimis imitantur, cochleare pocham uocitant. Βοσκάδα νησσῶν Nicander dixit uentrem magnum & prominulum. Βοσκαδὴς χλωὸς νεὸν ὀρπαλιχῆα, id eſt anſeris altilis pullum, Idem in remedijs contra toxicum.

¶ Eſt & alterum boſcadum genus maius anate, ſed minus chenalopece, Atheneus. Noſtri has aut ſimiles anates cognominant magnas, & cœruleas ſylueſtres, **Gzoßenten, Wild blauw enten**: Vide infra in Anate fera maiore.

¶ Cæterum quæ PHASCADES, φασκάδες dicuntur, paulo maiores ſunt quàm paruí colymbi, (paruæ colymbides,) cætero ſimiles anatibus, Athenæus & Hermolaus Barb. Hæ ſi non querquedulæ ſunt, (quas paulò ante boſcades minores eſſe conijciebam,) congeneres ſaltem ac ſimillimæ, paulò tantum minores fuerint. Phaſcades anatibus ſylueſtribus fœmellis (quas uarias eſſe dixerunt, nempe cinereas, & nigris albiſq; maculis diſtinctas) ſimillimę, ſed minores ſunt, Varroni querquedulæ, Germanis **Krigenten**, Eberus & Peucerus. φασκάδες, aues quædam, Heſychius & Varinus. Βοσκὰς, φασκίας, Libyes, Heſychius. Fieri quidem poteſt ut uulgus φασκάδας corruptè pro βοσκάδας dixerit, cum utraq; anati ſimiles & minores deſcribantur: & phaſcadum nomẽ neq; apud uetuſtiores reperiatur, neq; certam eius etymologiam agnoſcamus.

DE QVERQVEDVLA, ET SIMILIBVS AVIbus, hoc eſt anati ſimilibus, ſed minoribus.

ALITES quædam quæ incluſæ aluntur, non ſunt contentæ terra ſolum, ſed etiam aquam requirunt, ut ſunt anſeres, querquedulæ, anates, Varro de re ruſt. Idem in opere de lingua Latina, cum de anate & mergo dixiſſet, ſubdit: Item aliæ in hoc genere à Græcis: ut querquedula, cercuris: halcedo, quòd ea halcyone. quaſi cercuris æquè Græcum ſit ac alcyon, pro auis nomine. Ego nihil huiuſmodi apud authores Græcos inueni, κερκερον tantum pro genere nauis breuioris legiſſe memini. Pſellus lib. 1. de uictus ratione Georg. Valla interprete, querquedulas inter alimenta excrementitia numerat. Quid uerò Græcus codex eo in loco pro querquedulis habeat, quoniam ad manum non eſt, ignoro. Querquedula Latinis per onomatopœiam nuncupata uidetur: Græcis boſcadem minorem aut phaſcadem dictam conijcio, ut ſuperius retuli. ¶ Querquedulæ quomodo incluſæ nutriantur, ſcriptũ eſt ſupra in Anate E. ex Columella & Varrone. ¶ In cœna quo die Lentulus flamen inauguratus eſt, præter cætera anates & querquedulæ elixæ appoſitæ ſunt, Macrobius. ¶ Querquedulam Galli, ut in Boſcade dixi, cercellam uel cercerellam interpretantur. Bellonius anatum genera apud Gallos eſſe ſcribit ſarcellas & morillonos. Sunt qui genus quoddam anatis ſylueſtris minus, Gallicè alebrandam uocitent. eandem Italis ſartellam dici puto: quanquam Ambroſius Calepinus Italus, querquedula (inquit) ſemper in aquis natat ſicut anas, quam qualiam dicimus à uoce. atqui coturnicem Galli & Itali uulgò qualeam nominant. Vulgus noſtrum querquedulam corrupte cercedulam uocat, Theodoſius Trebellius Foroiulienſis. Hiſpani puto cercéta. Querquedulam Georg. Agricola Germanicè uocat **Krichentlein**, Eberus & Peucerus **Krigente**. Georg. Fabricius **Kruckentle**. Conijcio autem eandem eſſe quam apud nos appellant **Kleinenten**, id eſt anatem paruam: & à colore **Gzauwentle**, id eſt anaticulam fuſcam: & à locis aquarum cœnoſis in quibus uictum quærit, **Mûrentle, Sozentle**, uocibus diminutiuis. (nam alia quædam maior **Mûrent** uocatur.) Alibi in Germania **Trößlen**: in Heluetia alicubi etiam **Socken**. Eaſdem omnino Ferrariæ in Italia ruſtici qui in foro uendebãt, nomen interroganti mihi ſcauolos & cerceuolos (quaſi querquedulas) appellarunt. Mediolani audio garganello dici, quod nomẽ aliqui etiam alijs anatibus aut mergis impropriè tribuant. Eliota Anglus querquedulas interpretatur teale. Turnerus quidem Anglis telas uulgo uocari ſcribit quæ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 144 sur 825



anatibus minores ſint, alioqui ſimiles, ut & uuigenæ. Vuigenæ & teelæ (ut Anglus quidam mihi dictauit) non diſsimili magnitudine, ſed colore, anates ſunt. hæ cæſij (fuſci) coloris dorſo & pennis, ſed pectore albo, illæ uarijs coloribus diſtinctæ, columbis maiores utræq;, & dulcium aquarum incolæ, in quibus piſciculis & gramine aquatico ueſcũtur, in pretio ſunt Anglis, quòd & præpingues ſint ut plurimum, & carnem grati ſaporis habeant. Telam Anglorum inferiores Germani (Friſij) Teling uocitant, ni fallor: eamq; anate fera minorem faciunt, meanca maiorem.

¶ Querquedulæ noſtræ ſylueſtres ſunt, elegãtes, minores multò communibus anatibus, roſtro tamen pedibuſq; & cætera ſimiles: fuſcæ (uel ſubnigræ) ſed partem in alis uiridem habent, roſtro nigricante: ſuperior & anterior colli pars ad roſtrum uſq; plumis obſcurè ruffis uel caſtaneearum coloris ueſtitur. Victu eodẽ quo anates utuntur, (illæ præſertim quas noſtri ſcrutatrices uocant, Stoz-enten,) roſtro enim fundum aquarum & herbas enaſcentes perſcrutantur. ueſcuntur enim herbis aquaticis, earumq; ſeminibus & uermiculis: quæ in diſſectarum quarundam uentriculis unà cum lapillis inueni: & circa infimum inteſtinum quatuor digitorum interuallo ab ano, appendices binas retrò conuerſas quinq; digitos longas obſeruaui. ¶ Anas parua, ein Kruckentle, (inquit Georg. Fabricius,) quæ proprio nomine querquedula, diſcernitur à cæteris anatibus corporis exiguitate, & aliſs partibus. Roſtrum nigrum, caput rubrum, cum uiridante utrinq; macula, collum nigris albisq; pennis quaſi ſquamoſum. Gula alba, atris notata punctis, uenter item albus. Alæ in cæſio uiridantes, nigris candidiſq; tranſuerſim admixtis pennis. In fœmella minus inſigne caput, minus gula,

gula, uenter magnæ anati fœmellæ ſimilis. In utríſque pedes cum membranis nígris cínerei, Hæc Fabricius.

¶ Querquedulæ licet per onomatopœíam potius ſic dictæ míhi uideantur, coniecerít tamen aliquis quoniam querquero, id eſt frigido & hyemali tempore maximè apparent, ut & reliquæ aues aquaticæ feræ, (apud nos quidem, & ubicunq; lacus aut fluuij ſunt qui per hyemẽ glacie non aſtrínguntur,) índe ſic dici potuiſſe. Iactas me ut febris querquera, Lucilius. Et alíbi, Querquera conſequitur febris, capitiſq; dolores. Feſtus querqueram exponens frigidam cum tremore, à Græco (inquit) κρῦκρα certum eſt dici. Ego non κρῦκρα Græcè (quæ uox apud nullum authorem extat quod ſciam) ſed κρυφὰ legerim. An tu forte morbum appellari hîc putas, ægrotationem cum febri rabída & quercera? Querceram enim grauem & magnam quidam putant dici, Gellius líbro ultímo. Is míhi erat bílis querqueratus, Plautus citante Feſto. Querquetularía porta Romæ dicta quòd querquetum intra muros urbis iuxta ſe habuerit, Feſtus. Sed apud Plinium 16. 10. Querculana hæc porta nominatur: uel, ut alíj legunt, Querquetulana.

ANAS Circia, ein Birckẽlgen, à ſono uocis ita appellata, cum parua anate habet ſimílitudinẽ, colore alarum & uentris differens. Alæ enim gemmantibus pennis carent, & in hoc genere uenter magis maculoſus eſt, Georg. Fabricius. Hoc genus in noſtris etiam lacubus Heluetícis reperíri puto. Vídi enim non ita prídem, initio Ianuarij captum anatis genus exíguum, paulò maius mergulo, corpore toto fuſcum: roſtro anatis, hoc eſt latiuſculo, fuſco, pedíbus etiã fuſcis, collo palmum longo, relíquo corpore ſex digitorum. Erat autem fœmella, & oua continebat. mas nímirũ (ut conijcío) colore elegantior eſt, in uentrículo nihil quàm calculos mínimos, & ſemína quædam herbarum aquaticarum lentiformia ferè (mínora altioraq; lente) ſubruffa, reperiebam.

AMARELLVS nominatur in Regímine Salernitano inter aues cíbo ídoneas. Arnoldus de Villanoua aquaticam eſſe dicit, anati ſimílem, ſed mínorem.

Ad querquedulas ſiue anates mínores, illam quoque pertínere puto, quæ circa Argentoratum Kernell uocatur, nomine ad Gallícum cercella alludente. Color ei uarius, roſtrũ índici ferè coloris eſt, circa caput ruffa eſt, ſed punctis albis aſpergitur. uertex níger, gula alba, ut pars etiam uentris ſuperior. duæ líneæ albæ longiuſculæ ab oculis retro ex latís in anguſtas tendunt. dorſum nigrũ, ut & cauda. alæ cínereæ, tranſuerſis duabus líneis albis diſtínctæ, ſuperíore latiuſcula, anguſta ínferiore, quarum interuallum nígricat, ut & ínferior pars alarum. Pectus ruſſum nígris maculis magnitudíne figuraq; díuerſis diſtinguitur. Crura fuſca uel cínerea ferè. Sed hæc omnia ad auis depictæ ínſpectionem ſcripta mihi ſunt. In Germanía inferiore alícubi Crackaſona uocatur, ni fallor.

DE GLAVCIO.

GLAVCIVM γλαυκίον, dicta auis ab oculorum colore, paulò minor eſt anate, Athenæus: & Hermolaus, apud quẽ maiores pro minores mendoſè legitur. Idem ab Euſtathío repetitur in commentarijs in ſecundum Odyſſeæ, ubi glaucium auem eſſe νηοσσοῦ, id eſt anati ſimilem ſcribit, mínorem. Vídetur ítaq; à querquedula uel phaſcade aut boſcade mínore, nõ aliter differre quàm oculorum colore, quod authores expreſſerint. γλαύκιον, glaucium, herbæ nomẽ eſt, proparoxytonum: non paroxytonum ut γλαυκίον auis.

DE PENELOPE.

PENELOPS circa lacus & amnes uerſatur, Ariſtot. de hiſt. anim. 8. 3. numerat autẽ eum cum anſere & chenalopece, congenerem illis & palmípedem eſſe inſinuans. Græcè in codicibus noſtris πηνελὸψ oxytonum ſcribitur: ſed ſcribendum πήνελοψ paroxytonum, ut Euſtathius, Heſychius, & cæteri omnes habent. Auibus olim adeò delectati ſunt homines, ut plerunq; decantarent carmina in quibus mentio fieret hirundínis, anſeris, columbæ aut penelopis, Ariſtoph. in Auibus: ubi Scholiaſtes, Penelops auis eſt, ſimilis anati, magnitudíne columbæ, cuius mentionem fecêre Steſichorus & Ibycus, (quæ uerba ex eo Varinus repetit,) uel, ut alijs placet, ὁ πηνέλοψ μείζων μὲν (níſi forte legendum μείων, id eſt minor, Vuottonus) ἢ ὁ νῆττα, ὅμοιος δὲ, hoc eſt, maior eſt anate, ſed ſimílis. Anſerum genus ſunt penelopes, & quibus lautiores epulas nõ nouit Británnia chenalopeces fero (aliâs ferè) anſere mínores, Plin. 10. 22. Sed uetus lectio, inquit Hermolaus, pro penelopes habet chenalopeces: & poſteriore loco pro chenalopeces, ceramides. ſignificat autem ceramides colorem ſiglíni, qualem in plumis quorundam anſerum aſpícimus. unde nomen quoq; gemmarum uni ceramites. Hæc ille. uerum codices quídam poſteriore loco neq; chenalopeces neq; ceramides legunt, ſed chenerotes. Sed cum Plínius omnía ferè ſua è Græcis tranſtulerit, & uocabula hæc omnia Græca eſſe appareat, ea potíſsimum ad hanc lectionem uſurpârim quæ apud Græcos reperíuntur & anſerum generis eſſe uocabula ipſa teſtantur, ut chenelopes & chenalopeces: quanquã Heſychius duo hæc nomina χηνέλοψ & πηνέλοψ ab aliquíbus pro aue una eademq; accípi ſcribit: ex quo & Varinus repetit. Ceramides pro auibus nuſquã legi. ſed forte anſeres aliquos hoc colore deſcríptos Plínius legerat, (ſi modo ſic ſcripſit,) & non intellecto uocabulo huius nomínis aues fecit. Color quidem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 146 sur 825

κράμνος, id est testaceus, communis est ferè pulueratricibus, ut alaudæ, coturnici, perdici, Longolius. Vria, de qua inter mergos loquemur, colore est ὑπαροκράμος, Athenæus. Mnesias Africæ locum (forte lacum) Sicyonem, & Cratin amnem appellat, in Oceanum effluentem è lacu, in quo aues quas meleagrides & penelopas uocat, uiuere tradit, Plin. 37. 2. Ion poëta penelopem auem φοινικόλεγνον cognominat, habet enim penelops collum planè phœnicei, id est punicei coloris. uox autem λέγνη in compositione abundat, Hesychius & Varinus. sed forte λέγνη uox non abundat. λεγνώδεις enim interpretantur ποικίλας, id est uarias. Varius est autem in penelope color, si non aliàs, propter collum puniceum saltem. aut quia λέγνας fimbrias uocant, & λέγνα extrema, nomen forte fuerit inde factum quod partes extremas hæc auis puniceas habeat. Sed hac de re iudicabunt qui uiderint auem. nobis enim ignota est, nisi ea sit anas fera quam Germani appellant Rothalß, à collo rubicundo aut potius puniceo castaneæue colore. quanquam non solum collum eius, sed etiam caput eo colore sit: rostrum fuscum, latum. pectus nigricat, item cauda & extremæ alarũ pennæ, uenter albicat, (nisi pictura nos fallit, ex qua hæc describimus) & partim ad fuscum uergit: pedes fusci. pupillam oculorum nigram circulus ambit ex flauo rutilus. nota est circa Argẽtoratum. Nos aliam congenerem & similem illi describemus infra, nempe anatem fuscam maiorem, simili colli & capitis colore. Sunt & mergi quidam collo capiteq; puniceo siue castaneæ colore, de quibus infra scribemus, ut quæ uocantur lingua nostra Werch, & Rßentle, non adeò tamẽ quàm anates Rothalsa & fusca fera: æquè tamen aut magis rubet circa collum plumis ruffis iubatus mergus rostro angusto, ein Tüchel. ¶ Τὸ μὲν πεπέλοισιν ἐπ' ἀκροστάτοισι ξανθοῖσι ποικίλαι πανέλοπες ἀκολόσθειροι, Ibycus apud Athenæum. ἰκτεινὸς γὰρ ἐκ πόρτων πλῆθον πανέλοπες ποικιλόσθειροι πανυσίπτεροι, Alcæus in Scholijs Aristophanis.

¶ Penelope filia Icarij & Periboeæ, à parentibus in mare proiecta, per aues penelopes in littus, exportata seruataq; est, & à parentibus suis iterum educata, Isacius Tzetzes in Lycophronem. Penelopen Didymus ait Ἀμειράκλῳ & Ἀρνακίᾳ (Arnæam, quòd à parentibus abiecta repudiataq; esset, Hermolaus) propriè uocatam esse: cum uerò Nauplius eam in mare proiecisset, ut propter filium Palamedem se ulciscereturnomen mutasse. Sed potuit etiam Penelope dici παρὰ τὸ πηνίδεται πρὸς λόπος, ἤγουν ὕφασμα λεπτόν· ἢ πῆξαι τὸ πλοῖον ἤτοι μίπτειν ἐλεῖν, quòd huiusmodi nomen texturæ studiosæ mulieri conueniat, Eustathius. Hermolaus & Volaterranus Penelopen ab auibus istis cum in mare proiecta esset, non exportatam ad littus, sed simpliciter educatam scribunt, sine authore. Vide in Agno in Philologia inter propria. Penelope dictus ludus describitur ab Athenæo lib. 1. in quo calculos (ψήφους, ludum ipsum πενηέιαν uocat. ludebant autem stantes) utrinq; per uices aut sortes ad calculum in medio positum, quem Penelopen uocabant, emittere solebant, donec aliquis Penelopen de suo loco depulisset. quo facto oportebat illum ex eo loco, in quo calculus à primo iactu remanserat denuo Penelopen petere: quam si cæteris globis omnibus intactis assecutus esset, uictor habebatur. Hunc ludum procos Penelopes exercuisse ait Appion, calculis quinquaginta quatuor utrinque dispositis. erant enim proci omnes numero centum & octo, ueluti ominis captandi gratia. nam qui uicisset, de nuptijs iungendæ sibi Penelopes bene sperabat. Non dissimilis puerorum nostrorum ludus uidetur, quo nuces proijciunt per uices, ad quaternarios nucũ cumulos, ut euertant, &c.

DE CAPELLA AVE.

CAPELLA auis, (ut Gaza uertit, ἀὶξ Græcè legitur, id est capra) penelops & uulpanser, circa lacus & amnes uersantur, Aristot. de hist. anim. 8. 3. nec alibi usquam eius mentionem inuenio. Videtur autem illis congener quibus cum numeratur, hoc est anatibus, & similiter palmipes. Vnde uerò capræ nomen ei contigerit, cum auis nobis incognita sit, non facile est diuinare. nam uel uoce, uel aliqua corporis parte ut capite, quemadmodum & capriceps auis: uel oculorum colore, quem caprinum (αἰγωπὸν uocant) ad capram quadrupedem forte accesserit. Sic & glaucium anaticula ab oculorum colore nominatur. Bellonius uanellum auem (ein gyfyts) uulgò hodie in Græcia ἀὶξ, id est capram uocari ait, nimirum à uoce. Vide plura in Vanello.

DE BRENTHO ANATIS AVT MERGI specie: & alia eiusdem nominis aue montana.

BRENTHVS (βρένθος) larus & harpa dissident: quoniam omnes è mari uictum petunt, Aristot. de hist. anim. 9. 1. ubi Plinius pro laro gauiam uertit, pro brentho anatem: quem & Theodorus secutus est. Albertus (nimirum ex interprete Auicennæ, bathyos habet pro brentho, & merguli pisces uenãtis speciem interpretatur. Et sanè uidetur mergi potius quàm anatis genus esse: & quoniam similiter ut larus & harpe piscibus uiuat (id quod mergi, non anates faciunt) iccirco eis inimicus esse. Cæterum eiusdem lib. cap. 11. Aristoteles brinthum (βρίνθον, ut in Græcis nostris codicibus legitur. Theodori uerò translatio hîc etiam brenthum habet, legi autem βρένθον etiam per τ. in codicibus quibusdam Græcis testatur Niphus) diuersam auem, quæ montes & syluas colat, uictu probo & uoce sonora: uel si Græcè mauis, ὀρεινὸν καὶ φωνήεν. Vbi Niphus, Auis est monticola, generis

neris unci apud nonnullos(authorem non adfert)sed non cognoscitur in regione nostra. alibi uerò (inquit)interpretatur anas,quod hic non licet, cum monticola dicatur. Βρῶς, fundus, tumulus,& auis quæ etiam Βρύθος dicitur, Suidas. ijsdem duobus modis apud Varinũ scribitur, & cossyphos, id est merula exponitur. Βρύθος auis quam aliqui cossyphum dicunt,Hesychius. Sed brenthum de quo priore loco diximus anatis aut mergi genus esse conijcio, cum aliâs tum quia adhuc Angli anates quasdam brantas appellant,de quibus paulò mox scribetur:& Galli anatis paruę genus,alebranda m,querquedulam nimirum aut congenerem.

¶ Βρύθος pro superbia apud Comicum legitur, unde Βρύθειον unguentum celebre: & uerbum Βρυθύνεσθαι quod est κατατρυφᾶν ἀλαζονικῶς,superbe & procaciter se gerere, Eustathius. proxima huic uox Germanica est eiusdem ferè significationis **prangen**, superbire & aliquam nobilitatis ostentationem uultu ac gestibus ad id compositis præ se ferre. Διὰ τὸν Βρύθον ἡμῶν τὸν πολύν, Athenæus circa finem lib.13. Plura de his uocibus lege apud Grammaticos: ubi hoc annotandum occurrit, quod apud Hesychium etiam τύμβον,id est tumulum dici,errore forsan librariorũ pro τύφον, id est fastum & superbiam,legitur.

DE BRANTA VEL BERNICLA.

PLINIVS,inquit Turnerus Anglus,duo præcipua anserũ genera facit, penelopes (aliâs chenalopeces. uide supra in Penelope) & quibus lautiores epulas Britannia non nouit chenalopeces(aliâs chenerotes)ansere ferè(aliâs fero)minores. Posterior lectio,ut chenalopeces prius, deinde chenerotes legantur, mihi (inquit Turnerus) magis approbatur. nam & nos una aue locupletat, & penelopes anatini potius quàm anserini generis eruditis esse uidentur. Deinde cum chenalopecẽ descripsisset: Chenerotes uerò (inquit) quænam aues sint,puto paucissimos hodie esse qui nouerunt. Neq; ego,licet Britannus,chenerotes nostros satis noui,nam præter duo Aristotelis genera, (anserem scilicet domitum & ferum,) anserum adhuc duo genera noui in Britannia,ad quorum neutrum si chenerotes pertineant, illos mihi penitus ignotos esse ingenuè fatebor. Prior anser à nostris hodie branta & bernicla uocatur, & fero anseri minor est, pectore aliquousq; nigro,cætero cinereo. anserum ferorum more uolat,strepit,paludes frequentat,& segetem depopulatur. Caro huius paulò insuauior est, & diuitibus minus appetita. Nidum bernicłæ,aut ouum nemo uidit:nec mirum,quum sine parentis opera bernicłæ ad hunc modum spontaneam habeant generationem. Quum ad certum tempus,malus nauis in mari computruit,aut tabulæ,aut antennæ abiegnæ, inde in principio ueluti fungi erumpunt: in quibus temporis progressu, manifestas auium figuras cernere licebit,deinde pluma uestitas, postremò uiuas & uolantes. Hoc, ne cui fabulosum esse uideatur,præter commune omnium gentium littoralium Angliæ, Hiberniæ & Scotiæ testimonium, Gyraldus ille præclarus historiographus,qui multò fœlicius quàm pro suo tempore Hiberniæ historiam conscripsit,non aliam esse berniclarum generationem testatur. Sed, quum uulgo non satis tutum uideretur fidere,& Gyraldo ob rei raritatem non satis crederem:dum hæc,quæ nunc scribo,meditarer,uirum quendam, cuius mihi perspectissima integritas fidem merebatur,professione Theologum,natione Hibernum,nomine Octauianum, consului num Gyraldum hac in re fide dignum censeret:qui per ipsum iurans, quod profitebatur euangelium, respondit,uerissimum esse,quod de generatione huius auis Gyraldus tradidit,seq; rudes adhuc aues oculis uidisse,& manibus contrectasse:breuiq; si Londini mẽsem unum aut alterum manerem, aliquot rudes auiculas mihi aduectas curaturum. Porrò hæc berniclæ generatio nõ usqueadeò prodigiosa illis uidebitur(inquit)qui quod Aristoteles de uolucre ephemero scripsit,legerint,quòd in Hypani fluuio ex folliculis quibusdam erumpat,&c. Alter anser (ex duobus quos solos mihi in Britannia notos dixi ultra duo anseris Aristoteli memorata genera) marina auis est,uulgò dicta à Solegusse,in mari Scotico circa insulam Bassi,ex uenatu piscium uictitans, (&c. uide inferius in Ansere Scotico post caput de Anseribus diuersis.) Iam quum anserum genera, licet diligentissimè inquirens,apud Britannos plura inuenire non possim,chenerotes(qui ab amore mihi nomen habere uidentur)aut berniclæ aut Bassani anseres sunt,aut mihi prorsus ignoti, Hucusq; Turnerus. Idẽ post librum suum de auibus publicatum,in epistola ad me data, Berniclas siue brantas(inquit)ex putridis nauis malis fungorum more nasci, minimè fabulosum esse doctorum & honestorum uirorum oculata fides mihi persuasit. Branta anserem palustrem ualde refert: his tamen notis ab eo differt. Branta breuior est,à collo quod rubescit nonnihil,ad medium usq; uentrem,qui candicat,nigra est. anserum more segetes populatur. In Vuallia (quæ pars est Angliæ) in Hibernia & Scotia aues istæ adhuc rudes & implumes in littore, sed non sine forma certa & propria auis, passim inueniuntur. Et rursus, Præter brantam aut berniclam est alia auis, quæ originem suam arbori refert acceptam. Arbores sunt in Scotia ad littus maris crescentes,è quibus prodeunt ueluti fungi parui,primum informes,postea paulatim integram auis formam acquirunt, perfectæ tandem magnitudinis illæ,rostro aliquantisper pendent,paulò post in aquam decidunt, & tum demum uiuunt. Hoc tot tantæq; integritatis uiri affirmauerunt ut credere audeam,& alijs credere suadeã, Hæc ille. Eliota Anglus aues quas Angli barnaclas uocitent, Chenalopeces esse conijcit. Meminit harum auium (brantæ

ſiue berniclæ dico) Olaus Magnus quoq; in deſcriptione Septentrionaliũ Europæ regionũ, ex fructu arboris cuiuſdam naſci ſcribẽs in paruis inſulis circa Scotiam. In Scotia (inquit Seb. Munſt.) inueniuntur arbores quæ producunt fructum folijs conglomeratum: qui cum opportuno tempore decidit in ſubiectam aquam, reuiuiſcit, conuertiturq; in auem uiuam, quam uocant anſerem arboreum. Creſcit eadem arbor in inſula Pomonia, quæ haud procul abeſt à Scotia uerſus aquilonẽ. Veteres quoq; coſmographi, præſertim Saxo Grammaticus, mentionem faciunt huius arboris, ne quis putet eſſe figmentum à nouis ſcriptoribus excogitatum. Aeneas Syluius quidem de hac arbore in hunc modum ſcribit: Audiueramus nos olim arborem eſſe in Scotia, quę ſupra ripam fluminis enata fructus produceret anatum forma: hos maturitati proximos ſponte ſua decidere, alios in terram, alios in aquam: & in terram deiectos putreſcere, in aquam uerò demerſos, mox animatos enatare ſub aquis, & in aëre plumis pennisq; euolare. De qua re cum auidius inueſtigaremus dum eſſemus in Scotia apud Iacobum regem hominem quadratũ, didicimus miracula ſemper remotius fugere, famoſamq; arborem non in Scotia, ſed apud Orchades inſulas inueniri. ¶ Iunius Dentatus Parthenopæus, uir apprime nobilis & eruditus, referre ſolebat pleraq; prodigioſa & admirabilia, inter quæ miraculũ ingens in penitiſsimis oris Britanniæ & ſinu intimo, ubi æſtus effuſi Oceani, ſecundi & reciproci ad Lunæ augmenta & damna, ac frequẽtes fluxus maris & refluxus, haud ſecus quàm tempeſtas ſtatis uicibus littora infeſtant, ab authoribus memorati exiſtunt, ſæpe malos & nauium carinas uetuſtate tabeſcentes, ad littora expoſitos, & diutina aqua madefactos, quoſdam ueluti fungos breui pediculo, iuxta aquas gignere, paulatimq; adoleſcere inter fluctus, lapſisq; diebus etiam moueri, ſed tamen à trunco minimè diuelli. Interiecto deinde tempore uelut ad iuſtam magnitudinem peruenerint, mirum dictu tradit, quod omnem ſuperat fidem, fungos eiuſmodi ita genitos, à trunco ſponte euelli, mox alis emiſsis & penniculis enatis euolare, & marinas aues exiſtere, ueſciq; piſciculis littoralibus, perq; maria paſsim enatare, pariterq; apud incolas mirum nõ haberi: ſed quia paſsim id euenire ſoleat, quotidiano uſu miraculum eſſe deſinere, Alexander ab Alexãdro dierum genialium 4. 9. ¶ Genus teſtatum quoddam nauigijs putreſcente fæce ſpumoſa adnaſci apud Ariſtotelem legimus. ¶ Barliatæ (uox corrupta uidetur, malim brãtæ uel berniclæ) dictæ aues è ligno creſcunt. Fertur enim abiegnum lignum in aqua marina relictum, cum paulatim putruerit, humorem craſſum emittere, quo denſato paruæ ſpecies auium formentur ad magnitudinem alaudarum, quæ nudæ primum paulatim deinde plumis ueſtiantur, & roſtro interim à ligno ſuſpenſæ per mare fluitent uſq; ad maturitatem, donec ſe commouentes abrumpantur, & ita demum ad iuſtum incrementum perueniant, (&, ut Iacobus Athonenſis epiſcopus in Orientali hiſtoria ſcribit, ſicut aues cæteræ uolare incipiant,) Iſidorus. De his certum eſt quòd in orbe noſtro circa Germaniã nec per coitum generant, nec generantur, Bartolemæus Anglicus. Berneca (Bernicla) quę ex arbore naſcit, in quibuſdam quoq; Flandriæ partibus inuenitur. Hæc auis ſuperfluitatem nõ habet, ſicut nec arbores, Obſcurus. Barbates (inquit Albert. lib. 23. de hiſt. anim. malim brantæ uel barniclæ) aues falſò quidam dicũt ideirco nominari uulgo **Baumgenß**, (id eſt anſeres arborũ) eò quòd ex arboribus naſcãtur, à caudice & ramis dependentes, & ſucco qui inter corticem eſt nutriantur. dicunt etiam aliquãdo ex putridis lignis hęc animalia in mari generari, præcipuè ex abietum putredine, aſſerentes à nemine unquã has aues uiſas coire uel oua parere. Sed hoc omnino abſurdum eſt. ego enim & alij complures mecum uidimus eas coire, & oua fouere & pullos alere.



Auis

Auis hæc aliquanto minor anſere eſt, & roſtrum anſeris habet: caput quaſi pauonis (aliàs, colorem capitis ut pauo, ſed nullam è pennis criſtam:) pedes nigros ut cygnus, digitos membrana coniunctos ad natandum, color in dorſo cinereus ad nigredinem declinat, ſtruma (collum parte ſupina) nigra eſt, uenter cinereus uel ſubalbidus, Hucuſq; Albertus. ¶ Diuerſus ab hoc uidetur anſer arboreus, Germanicè uulgò dictus, Baumganß, coloribus præcipuè differens, cuius iconē egregius pictor & auceps Argentoratenſis ad uiuum (ut ait, auem enim ipſe non uidi) expreſsit, quam hic adiecimus. Anſere paulò minor eſt, & in ſalicibus moratur infra ſupraq; aquā. Roſtrū ei nigrum (ut pictura indicat) qui color etiam capitis eſt, colliq; proni, dorſi, caudæ & alarum, circa oculos & gula tota ſiue collo ſupino albicat, ubi & maculis quibuſdam cinereis aut fuſcis notatur, quæ in pectore fuſco magis nigricant, in uentre tum albæ tum nigricantes apparent, crura fuſca.

ITERVM DE EISDEM, EX DESCRIptione regni Scotiæ Hectoris Boëthij.

Has figuras auium, quas Scoti Clakis appellant, ut & alias quaſdam Scotici maris, quas infra memorabimus, doctiſſimus Io. Ferrerius Pedemontanus ad nos miſit, præſtantiſſimi apud Scotos uiri Henrici à S. Claro liberalitate. Mari huius generis roſtrum acutius, fœminæ obtuſius eſt, ut geminæ icones oſtendunt.





RESTAT iam de anſeribus (inquit Hector Boëthius) quos Clakis appellant, quòsq; uulgò perperam in arboribus naſci in his inſulis (Hebridibus) credunt, ea quæ huius rei cognoſcendæ multo iam tempore ſtudioſi re diligenter explorata perſpectaq; cognouimus, diſſerere. Mari enim illis interiecto mihi magis eorum procreandi uis quædam ineſſe uidetur quàm alicui alij rei. Varijs enim modis, uerum in mari ſemper, prouenire conſpeximus. Etenim ſi lignum in id mare proijcias, temporis tractu primū in eo uermes excauato ligno naſcuntur, qui ſenſim enatis capite pedibusq; atq; alis plumas poſtremò edunt. demum anſeribus magnitudine æquales, cum ad iuſtam peruenerint quantitatē, cœlum petunt auium reliquarum more remigio alarum per aëra delati. Id quod luce clarius anno à partu uirgineo milleſimo quadringenteſimo nonageſimo plurimis ſpectantibus in Buthquhania uiſum eſt. Nam quum in eam ad Pethslege caſtellum fluctibus huiuſcemodi lignum quoddam ingens delatū eſſet, rei nouitatem, qui primi conſpexerant admirantibus, ad loci illius dominum accurrentes rem nouā nunciant. Is adueniens trabem ferra diuidi iubet, quo facto ingens confeſtim apparet multitudo partim uermium, alijs adhuc rudibus, alijs membra quædam formata habentibus, partim etiam formatarū perfectè auium: inter quas quædam plumas habebant, aliæ implumes erant. Itaq; rei miraculo ſtupentes iubente domino in templum D. Andreæ Terç (aliàs, Tyrę, & melius, id pago cuidam nomen eſt) lignū comportant, ubi & hodie manet undiq;, ſicuti erat, à uermibus perforatum. Huius ſimile duobus ſubinde annis in Taum æſtu appulſum ad Bruthe caſtellum multis accurrentibus oſtenſum eſt. Nec diuerſum eſt quod exinde duobus rurſum annis Lethe portu Edinburgenſi uniuerſum populum ſpectare contigit. Ingens enim nauis, cui inſigne ac nomē Chriſtophori erat, ubi tres perpetuos annos ad unam Hebridum in anchoris cōſtitiſſet, huc reducta atq; in terram ſubducta, plena omnia exeſis trabibus qua mari ſemper merſa fuerat, uermium huiuſcemodi rudium partim aut perfectam nondum auis formam habentium, partim iam abſolutorum, oſtendit. Cæterum cauillari id quiſpiam poſsit arbo-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 150 sur 825

rum truncis ac ramis, illis in insulis natarum, uirtutem hanc inesse: Christophorum quoq; illam ex trabibus Hebridianis contextam asserens. Itaq; quod ipse quoq; abhinc septem annis uidi haud grauabor in medium adducere. Alexander Gallouidianus Kilkendensis ecclesiæ pastor (uir præter insignem probitatem rerum admirandarum studio incõparabili) cum extracta alga marina inter caulem & ramos à radice statim pariter & usq; ad cacumen enatos qua coniunguntur conchas adnatas uideret, rei nouitate attonitus, mox cognoscendi studio eas aperit, ubi magis multò quàm antea obstupefactus constitit. Non enim piscem in testis conclusum comperit, sed (dictu mirabile) auem, ac pro illius magnitudine testas quoq; inauctas, quibus enim paruæ inerant, & ipsæ quoq; apertæ eas pro quantitate complectebantur. Itaq; ad me extemplo, quem eiusmodi rerũ cognoscendarum iam olim magna cupiditate detentum nouerat, celeriter accurrit, remq; omnem monstrat, nõ magis rei miraculo obstupefacto, quàm re tanta ac tam inaudita conspecta, læto. hac enim re satis constare arbitror, non hæc procreandarum auium semina aut truncis, aut arborum inesse fructibus, sed ipsi Oceano: quem Maro, ut Homerus, patrem rerum haud temere appellauit. Verum quoniã id fieri uidebant cadentibus in aquam arborum ad littus positarũ pomis, ut temporis tractu ex illis eæ apparerent uolucres alites, in eam sententiam abducti sunt, ut poma illa in ipsas commutari opinarentur, sed falsò. Nam tempore adnatis ex ui maris primum uermibus, atq; ijs sensim excrescentibus, uicissimq; pomis illis ex humiditate corruptis disparentibusq;, non satis accuratè perspicientibus ex illis in has transmutari formas uisæ sunt, Hector Boëthius.

DE PVFFINO ANGLICO.

AVIS quædam aquatica, anati similis colore (licet uiridem colorem circa caput & collum non habeat) & rostro, magnitudine minor, plumosa, apud Anglos (ut audio) puffin uocatur, sale conditur, & in delicijs habetur. editur etiam quadragesimæ tempore, quòd uideatur quodammodo piscibus affinis, cum sanguinem frigidiorẽ habeat. In mari degit, & uolat, ubi etiam capitur, ut Anglus quidam nobis narrauit. Et rursus alius quidam Anglus eandem auem his uerbis nobis descripsit: Marina est, consimili penè forma cum aue quam Angli cotam appellãt (aut fulicæ nostræ fluuiatili) nisi quòd exilior est, & colore magis subfusca, (quàm nigra:) pennis caret, plumis tantum ceu lanugine quadam uestitur. itaq; subuolare nõ potest. suburinans alga & cochleis uictitat. Si quando uel metu uel aliam ob causam locum ocyus mutare instituit, alarum pedumq; extremitate nitẽs, aquas celeriter quasi prorepens præterlegit. Retibus gregatim capiuntur, uasisq; sale conditæ in quadragesimam reponuntur, Hæc ille. Turnerus tertiũ urinatricis genus, quod anserculo nuper ab ouo excluso simile facit, rostro tantum exiliore, pro pennis lanuginem quandam habere scribit, nec in mari sed stagnis aut fluuijs non rapidis degere. Veteres Græci in gripho auem non auem pro uespertilione dicebant, Angli puffinum suum, quem auem natura fecit, non solum nomine, sed re ipsa etiam & licentia cibi, auem non auem uel auem piscem faciunt.

DE ANATIBVS FERIS IN HELVETIA communibus, quarum nomina Latina nobis incerta sunt: & primum de duabus Anatibus feris torquatis.

ANAS FERA TORQVATA MINOR.

ANAS fera torquata, quæ magnitudine, forma & uoce inter cæteras proximè ad cicures accedit, (aut magnitudine etiã superat,) à nostris appellat Groſſent, id est anas magna, & à uoce Retſchent. ad Constantiensem lacũ à capitis alarumq; coloribus Blaſſent, Spiegelent. Circa Verbanum lacum Italicè, ni fallor, ceson: quanquam aliqui cygnum sic appellant. Caput ei uiride, rostrum subflauum. collum superius uiride est, infra castaneæ coloris, in medio circulus albus, unde torquatam appellauimus: ut uideri possint anates illæ quas Aristophanes πορφυρομέλανας uocat, & Scholiastes pennis candidis tanquam zona ambiri scribit. In medijs alis transuerso situ cœruleus color est, (inde nomen apud aliquos, Wild blauw enten,) qui tamen pro diuerso ad Solem obiectu uariat: paucis infra supraq; pennis candidis. Pars dorsi caudam uersus ex cœruleo ferè ad uiridem & nigrum inclinat. inferius puto, nigra est. Venter ex albo cinereus & uariè maculosus, uel (ut Græcè dicam,) στικτός. quæ quidem uarietas ex macularum punctis per pennas quasi guttatim dispersis in aquaticis auibus non paucis spectatur. Cruribus rubet. ¶ Idem genus Eberus & Peucerus describunt, his uerbis: Anates syluestres maiores, quas Germani Groſſenten, Wertzenten uocant, (id est anates maiores uel Martias à Martio mense,) ima suprema q; corporis parte cæsiæ sunt. pennas alarum & alijs aspersas coloribus, præcipuè tamen purpureo nitentes habent. collo capitiq; uiredo ad nigredinem tendens inest, medium collum candidus ambit circulus. Fœmellæ uariæ, sed cinereæ & nigris albisq; maculis distinctæ, Hæc illi. Non alias equidẽ boscades maiores Athenæi esse dixerim, quarum supra memini. ¶ Easdem anates à nonnullis in nostra regione puto appellari Hagenten, id est anates sæpium, nimirũ quòd circa sepes in fluuiorum ripis



ripis (quanquam illæ de quibus superius scripsi in lacubus frequentes sunt) obuersentur, aiunt illas magnitudine cicures æquare, coloribus insigniri pulchris, uiridi, spadice uel castaneæ, uario: in medijs alis uirere, pedibus rubere. Anas syluestris uera (id est domesticæ maximè similis, inquit Albertus) dorso & uentre grisea (cinerea) est. mas in collo quasi pauonis radiãtes habet pennas, colore composito ex uiridi & cœruleo, torquem album circa collum, & in alis uersus uentrẽ maculam uiridi splendentem. sed fœmina magis declinat ad nigrum colorem cum cinereo mixtum. Est autem uox fœminæ crassior, maris acutior, ut in omni anatum genere. Cæterum hoc genus anatis duplex est, nempe maius & minus, utrunq; notum apud nos, Hæc ille.

DE ANATE FERA TORQVATA MAIORE.

VNIVS generis, ut ex Alberto recitaui, anatum torquatarum duæ sunt species: de minore iam dictum est. maior apud nos uulgò nominatur Stoltzent uel Stotent, hoc est anas scrutatrix. quòd rostro fodiens fundum, arenam & herbas, uictum sibi perscrutetur, quod & reliquæ propriè dictæ anates faciunt: sed hæc forte magis aut frequentius, cum corpore etiam maior sit. Glandes etiam amat & auenam, & in agros auena consitos aliquando inuolat. Coloribus cum præcedente magna ex parte conuenit, præsertim rostri, capitis & colli, &c. Qui uenantur eas apud nos in lacubus, tandiu persequuntur donec fatigatas capiant.

ANAS magna, ein grosse Ente. Rostrum eius in medio nigrum, à lateribus flauescẽs: tergum in nigro flauicante maculosum. Venter reliquo corpore dilutior. Alæ cinereæ, in quibus pennæ quædam lineis duabus transuersis albæ, quædam insigni fulgore sic radiantes, ut aliter in opaco, aliter in sole gemmare uideantur. In mare omnes propemodum partes insigniores. Rostrum flauum, caput collumq; gemmantis uiriditatis, medium collum circulus ambit albus: pars altera spadicis colore est. Venter magis uarius atq; densus, plumas perdicũ habens similes. Cauda in nigro uiridans, quæ in fœmella, tergo æqualis est: pedes crocei, qui in eadem fœmella, lutei, Georg. Fabricius.

ANAS gramínea uel iuncea, ein Schmilente, nomen habet apud Misenos, quòd certo graminis iunciue genere (cui à foliorũ angustia nomen uulgare schmalen. uide supra in Anate c.) pascatur, inq; eo frequens uersetur. rostro & pedibus nigris. reliqua cum anate magna illi sunt æqualia, color tantum corporis est dilutior. Idem.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 152 sur 825



DE ANATE FERA FVSCA VEL MEDIA, id est mediæ magnitudinis.

ANAS ſyluestris fuſca à colore dicta apud nos, **ein wilde grauwe Ent**, magnitudine & figura ad urbanam accedit. Roſtrum ei latum, inferius omnino nigrum: ſuperior uerò roſtri pars ante & retro tantum nigricat, per medium ex fuſco albicat. Caput totum & maxima colli pars colore ruffo uel caſtaneę ſplendent nitentq;. Inferior uerò colli pars iuxta dorſum & pectus undiq; nigricat, ut dorſi etiam finis & cauda. Reliqua dorſi pars cum alis, muſtelinum colorem refert ut mures pontici ſeu uarij dicti. inſunt autem pennę uario colore diſtinctæ ex albis



albis nigrisq; lineis cymatili ductu perquam elegantes. Idem in uentre color, sed obscurior: à quo præcipuè uentris colore nomen anatis fuscæ à nostris impositum uidetur. Interior alarum pars pennis albis constat. Crurum color glaucus, digiti quoq; pedum glauci uel subalbi, sed nigris membranis coniuncti. Idem aut omnino proximũ genus est, quod supra à colore nominauimus Rothalß, (quo nomine circa Argentoratum utuntur,) & an penelops dici posset dubitauimus, cum similiter φοινικόλεμνος & ποικιλόδειρος sit, hoc est collo puniceo & uario, & anatum generi adscribatur. nam de magnitudine nihil habemus: cum Scholiastes Aristophanis & magnitudine columbæ; & rursus anate maiorem penelopem describat. Esto igitur nobis tum rothalsa tum anas fusca (siue una planè species est, siue generis unius proximi duæ species minimum differentes) nõ aliud quàm penelops ueterum, donec alius aliquid certius adferat. Eberus & Peucerus anates quasdam Germanicè uocant Mittelenten (hoc est mediæ magnitudinis, ut ego interpretor,) latiusculis & simis rostris, cinereum colorem nigredine in eis uariante, & ueterum boscades esse suspicantur. Sunt autẽ hæ uel eædem cum illis quas hic describimus: aut saltem magnitudinis ratione idem uocabulum Germanicum eis conuenit.

ANAS mediocris (inquit Georg. Fabricius) ein Mittelente, à magna differt quantitate & forma; minor enim est, minusq; colorata, in alis præsertim atq; pedibus; nam & horum membranæ ni-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 154 sur 825

græ ſunt, quæ in anate magna flaueſcũt: & uenter quoq; candidior, ac minus uarius. Alæ in maſculis partim nigræ, partim albæ ſunt, & pauculis pennis rubris tinctæ.

DE ANATE MVSCARIA.



ANAS muſcaria, Wuggent, ſic uocatur à noſtris, quòd muſcas ſupra aquam uolantes captet. Huic quoq; ut ſuperiori magnitudo & figura ferè ut domeſticæ anati. Roſtrum latum & ſimum, cuius lamina ſuperior per medium nigricat, utrinq; flauet: inferior planè crocea eſt. longum, quatenus extra plumas eminet, digitos duos. Dentes utrinq; ſerrati, latiuſculi, & quodammodo membranacei, flexiles, eminentes. inferioris tamen laminæ dentes minimum eminent, & ſtrias oblongas ducunt. Color plumarum per totum ferè corpus uarius eſt, ex nigricante, charopo, albo & muſtelino alicubi mixtus: uel, ut breuiter dicam, qualis perdicum ferè, hoc

hoc est κοραμνοῦς, ut pulueratricum plerarunq;, sed distinctus. Ventris plumæ albent, interius fuscæ. Pedes flauent, digiti nigricantibus membranis cohærent. collũ tam supina quàm prona parte στικτὸν est, hoc est uarium quibus supra dixi coloribus. Vertex magis nigricat quàm cæteræ partes: qui color etiam in alis habetur. eędem & cauda breues sunt. Huic congener uidetur anas strepera, quam infra describemus Georg. Fabricij uerbis. Sed in Podamico lacu circa Constantiam aliud etiam anatis feræ genus muscarium appellari audio, quod alibi à cœno palustri etiam **Mürent** (ut querquedulæ diminutiua uoce **Mürentle**) & **Moßent** dicatur, corpore magno & coloribus elegantissimis insigni, unde eandem quam supra torquatam maiorem nominaui esse conijcio. Sed cæteras etiam anates plerasq; muscas sectari aiunt. Georg. Fabricius aliã nobis muscariam descripsit, quæ apud Misenos nominetur **Pilente** uel **Pilwegichen**. Hæc (inquit) muscas captat, & ideo à pueris delectationis causa alitur. ad quod respexit in Captiuis Plautus, Patricijs pueris aut monedulæ, Aut anates, aut coturnices dantur, quis cum lusitent. Muscis autem suspenso gradu placidè ingrediens insidiatur. Rostrum longum & molle, & colore cinereum: qui & reliqui corporis est, excepto uentre, qui nonnihil candidior. Vocem noctu lachrymanti aut lamentanti similem edit. paulò maior est motacilla, Hæc Fabricius. sed apparet eum motacillam nobis hoc nomine ignotam facere.

DE ANATIBVS PLATYRYNCHIS, id est latirostris.



Figura hæc schellariæ nostræ rostri latitudinem non exprimit: quod emendabit pictor, si quis colores addet.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 156 sur 825

ANATEM platyrynchum appello à roſtri latitudine. rhynchos enim non de ſuibus tantum dicitur, ut quidam putant, ſed etiam de auibus, non rhámphos modo, ut annotauit Euſtathius. Noſtri ſchellariam uocant, Schellent, à roſtri figura, ut conijcio. imitatur enim quodammodo genus quoddam crepitaculorum ex ære, quę Germani ſchellas nuncupant: uel potius, quoniam inter uolandum (ut audio) alis ſuis ita perſtrepat, ut crepitaculorum huiuſmodi ſonum repræſentet. Roſtrum ei nigrũ, breue, medio palmo (id eſt duobus digitis) longum, & eiuſdem ferè latitudinis: non planum aut ſimum ut muſcariæ, ſed conuexum inſtar clypeorum, quare aliqui Schiltent, id eſt clypeatam appellant. Hæc etiã anatis urbanæ magnitudinem non excedit, ut & muſcaria: & pedes ſimiliter flauos habet, ſed maiores, lõgiores: & digitos itidem nigris iunctos membranis. Pennæ ubiq; nigræ ſunt, ſed in collo nigricant ex albo: in alis inferioribus albæ. Capitis color qui caſtaneæ obſcurus, uel ruffus admixto nigro. Prona (anterior. puto) pars colli & uenter albent. Dentes in ſuperiore roſtri parte undiquaq; conduntur interius, nec eminent: inferiores uerò oblongas ſtrias ducũt ut in muſcaria anate. Lingua nigricat. Audio eam piſcibus quoq; ueſci. Eadem uel omnino congener eſt, quam clangulam Geor. Fabricius nominauit. nam & Miſeni (ut ſcribit) appellant ein Klinger, ab alarum clangore, quæ firmiſſimæ ſunt, nec ſine ſono in uolatu mouentur. Roſtrum ei latum, ſed breue ac obtuſum, & nigrum, caput magnum & in nigro uiridans. ſecundum oculos, qui in hoc genere pulchri ſunt, utrinq; macula alba eſt. in fœmella nec uiror ille, neque hæc macula apparet, (figuram ſchellariæ noſtræ ex fœmina faciam arbitror, quoniam macula caret.) Tergum & cauda nigra. alæ partim nigræ, partim candidæ. gula cum uentre tota candida. in fœmella gula nonnihil in cinereo maculoſa. Pedes in ambabus flaui, Hæc ille. Sed capitis etiam quam miſit iconem apponemus, ut & roſtri latitudo (non expreſſa à pictore noſtro) & macula ſecundum oculos, appareant.

CAPVT CLANGVLAE.



RVRSVS idem uel maximè congener platyrynchi anatis genus eſt, quod audio uocari à Germanis (circa Argentoratũ) weiſſer Sittnogel, (neſcio qua nominis ratione, cuius generis etiam fuſcam ſpeciem inueniri aiunt, illam nimirum quam ſupra deſcripſimus:) ab Anglis ſcheldrake, quæ uox ad Germanicam Schellent accedit. Roſtrum ei ſimiliter breue & bene latum (ut in pictura ad me miſſa cõſpicor) & nigrum. ut caput etiam ac dorſum & alæ: quarum tamen in medio magna pars alba eſt, & rurſus in ſuperiore parte. colli etiam pars inferior, pectus & uenter albent. inter roſtrum quoque & oculos albæ ſunt maculæ. reliqua circa oculos pars maculis è cœruleo uiridibus ambitur. Crura & pedes è ruffo flaueſcunt. Sed alij aliter deſcribunt ſcheledracum Anglorum: uide infra inter Mergos magnos.

ALTERVM apud nos genus platyrynchi anatis, ſimiliter ut primum Schiltent, id eſt clypeatam nuncupant: aliqui priuatim Täſchenmul, ob inſignem roſtri latitudinem, quæ ad duos pollices accedit. taſcham enim appellant noſtri marſupij genus latiuſculum quod à zona ſuſpenditur. Roſtrum ei nigrum, latum & in fine quadam cochlearis ſpecie. mediæ extremitati breuis quidam & paruus uncus adiungitur. inferior roſtri pars ſiue lamina ſuperiorem ita ſubit ut intra eam tota includatur. Dentes ab utraq; roſtri parte molles, flexiles, recti, in hoc anatum genere (quod ſciam) omnium longiſſimi, ad dimidij digiti longitudinem. aut forte etiam cæteris anatibus dentes æquè longi, ſed roſtro magis adhærent, non ita prominent. Caput nigricat, ſed occipitium & pars poſterior uſq; ad medium colli uiriditatem præ ſe fert. Collum duos palmos longum. Reliquum corpus ut anatis cõmunis, uel aliquanto minus. Pedes & crura crocei coloris. plumæ uẽtris ruffæ (quæ in ſuperiore genere albæ ſunt.) Superior alarũ pars ex cinereo cœrulea. reliquæ pennę partim fuſcę, partim ſubuirides. Hanc quoque piſces captare aiunt.

CAPVT FVLIGVLAE.



ANAS fuligula (ſic uocat Geor. Fabricius imitatione Germanicę uocis apud Miſenos ein Rüſgen) à fuligineo totius corporis colore. roſtrũ ut in clangula breue eſt, ut in latiroſtra (maiore, mox deſcribẽda) latũ. unde & latiroſtra minor uocari poteſt. In alis una linea tranſuerſim alba. uenter albus. pedes ut anatis paruæ (querquedulæ,) à qua etiam nõ differt magnitudine.

ANAS latiroſtra maior, ein Breitſchnabel.

Huic

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 157 sur 825

Huic roſtrum duplo ferè, quàm in cæteris latius, idq; in mare nigrũ, in fœmella modò flaueſcens, modò maculis uarium. Striæ quoq; longæ, & frequentes magis, quàm in ullo alio genere. Collum in albo cinereoq; maculoſum, gulæ pars inferior alba. Alæ in parte ſuperiore iſatidis colore ſunt, media albæ, poſtrema in nigro uiridantes, reliqua cinereæ. Venter ſpadicis colore, in fœmella mediocri anati ferè ſimilis, in albo flaueſcens. pedes cum primo genere conueniunt, in utroque ſexu, Georg. Fabricius.

CAPVT LATIROSTRAE MAIORIS.



¶ HIS aliam ſpeciem addo quam peregrinam eſſe aiunt, & Seeuogel, id eſt auem marinam cognominãt: roſtro itidem breui, latoq; & conuexo, ad cœruleum colorẽ dilutum inclinãte: pars media tamẽ nigricat, ut & caput & cauda extrema, & longiores alarum pennæ: quæ tamen duabus zonis diſtinguuntur, inferiore alba: & ſuperiore ſimiliter, ſed quam per medium linea ruffa diuidat. Collum breue, album inferius, dorſum fuſcum, pectus ruffum: ut etiam pedes, ſed hi dilutius. Latera cinerea, fuſcis & breuibus punctis lineisue diſtincta. Oculos puncta obſcurè uiridia ambiunt. Sed hanc quoq; deſcriptionem picturæ tantum intuitu confecimus. Quærendũ an hęc ſit *ſlub* dicta apud Friſios, auis aquatica anate minor, ſed roſtro latiore.

ANATEM quandam cirrhatam noſtri à corpulentia **Vollenten** appellãt: cui itidem roſtrum latiuſculum, corpus gallinæ magnitudine, plenum & obeſum: quamobrem in cibo cæteris pleriſq; præfertur. Totum roſtrum ſuperius in hac glauco colore eſt: inferius nigrum. Caput etiam & collum undequaq; nigra. mas apicem in uertice gerit nigris pennarum cirrhis conditum: prope quem pennæ utrinq; ex nigro uirent. Dorſum eſt fuſcum punctis albicantibus tanquam puluere inæqualiter aſperſum, quæ tam parua ſunt ut lateant niſi penitus aſpexeris. Fuſcis alarum pennis candidæ ſubſunt, quarum extremitas iterum nigreſcit. Cauda breuis, ut anatũ generibus, undiq; fuſca. Venter & ſupinæ partes alarum albent. Pedum digitos glaucos nigræ coniungunt membranæ.

DE ALIIS QVIBVSDAM ANATIBVS, QVAS Georg. Fabricius apud Miſenos nobis deſcripſit.

ANAS fiſtularis, **ein Pfeifente**, à ſono acutiore, quem fiſtulæ modo emittit, denominata, aëris meatus in roſtro habet latiores: roſtrum colore iſatidis, circa unguem ductus nigros quaſi fila. Collum rubro nigroq; uarium. tergum partim plumeũ, ut uenter anatis magnæ, partim rubris nigriſq; pennis temperatum. Alæ parte ſuperiore cum tergo conueniunt, media maximaq; albæ ſunt, ima cinereæ. In fœmella uerò nec roſtrum, nec tergum, nec alæ eodem ſunt ornatu: ſolus uenter in utriſque candidus.

ANAS ſtrepera, **ein Leiner**, à uocis ſtrepitu grauiore. Roſtrum nigrum, collũ in nigro alboq; quaſi ſquamoſum, dorſum in cinereo flauicans, ſubalæ quaſi perdicum pennæ. Alæ rubras, nigras, albas pennas permixtas habent. Venter ſuperne candidus, cauda nigra, & in extremo cinerea. Pedes lutei, membranæ nigræ. Hæc muſcariæ noſtris appellatæ, quam ſupra deſcripſimus, congener uidetur.

ANAS caudacuta, **ein Spitzſchwantz**, nomen à cauda longiuſcula accepit. Roſtrum ſuperne nigrum, à lateribus iſatidis dilutæ imitatur colorem: in fœmella cum maculis nigris cinereũ. In alis pennæ infimæ tranſuerſim albæ: mediæ in nigro gemmantes uiridi & damaſceno: extremæ nonnullæ flauicantes. Hæc in fœmella uarietas non eſt: ſed lineæ tantũ duæ tranſuerſim albæ. Capite cum anate mediocri, dorſo cum ſtrepera conuenit, pedes membranæq; cinereæ.

ANAS quadrupes, magnitudine anatis paruæ. Roſtrum latum, & in latitudine tenue, figura à noſtratibus omnibus aliquantum differens, priore parte nigrum, extrema flauum. Capitis ſumma pars ad collum uſq; nigra, circa oculos cinerea. Niger circulus collum ambit, nigrum tergum, nigræ alæ, nigra cauda. Venter albus. Pedes flaui, & inter ſe non procul diſtantes, ut pictura indicat. Hanc anatem mortuam uidi. nam duæ aſſeruantur Torgæ in armamentario illuſtriſſimi Electoris Saxoniæ. Audiui à quibuſdam circa Merſeburgum ad Salam eius generis captas eſſe, Hæc Fabricius, qui imaginem quoq; anatis quadrupedis ſibi uiſæ ad nos miſit, quam hoc loco appoſuiſſem, ſi à ſculptore dum hæc æderemus cælata fuiſſet. Vidi ego columbæ etiam quadrupedis effigiem typis excuſam & publicatam, de qua ſuo loco ſcribetur. Alæ & crura auium ex oui luteo fiunt, indicio eſt quòd pulli, qui ex ouo cuius lutea duo ſunt abſq; ſepiente membrana quatuor alis & totidem pedibus naſcuntur, arbitranturq; prodigium, quale olim Mediolani contigit, Cardanus lib. 12. de Subtilitate. Atqui anas hæc, ut & columba cuius memini, tetrapodes tantum fuerunt, non etiam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 158 sur 825

tetrapteri. Sed de ouis geminum uitellum habentibus, plura adferam in Gallina c.

ANATES longirostra, mustelaris, raucedula & alticrura, sic dictæ à Georg. Fabricio imitatione uernaculæ linguæ, quoniam piscibus uictitare mihi uidentur, quod uel ex rostri figura coniicio, inter mergos infrà à nobis referentur.

ACRONIVS lacus, quem Constantiensem uocamus, multa anatum genera alit: & inter alias, quæ ab accolis uocantur Krautenten, id est herbiuoræ: Mooren uel Mürenten, quas puto ab ab anate torquata maiore non differre: Trybuögel, Kätzle, de quibus nihil hactenus certum resciui. Bellonius morillons Gallicè dictas aues in anatum genere numerat.

HISPANI in Hispaniola insula & uicinis inuenerũt anseres sylvestres, turtures, anates nostris grandiores & cygneo candore, capite purpureo, Petrus Martyr. Sed aliter Christophorus Columbus, In Hispana insula (inquit) turtures sylvestres & anates nostris proceriores inuenimus, anseresq; oloribus candidiores, capite tantum rubeo.

DE ANATIBVS QVIBVSDAM GERMANIAE inferioris & maritimæ, Meanca, Tela & Slupo, &c. anate fera minoribus.

IN Germania inferiori & maritima apud Frisios audio inueniri auium aquaticarum & anatibus ferè similium diuersa genera, & nominatim ista, Smeant, Teling, Slup, Gruffuogel, Wild enten: Primum ex his minimum esse, secundum maius primo, tertium secundo, quartum tertio, quintum omnium maximum. Meancæ aues (Murmellius Germanicè uocat Meank) ab imitatione uocis sic dictæ, anatibus maiores (lego minores) sunt, breui collo, breuibus pedibus, coloris cinerei, oculis glaucis, rostro partim croceo, partim rubeo, semper clamant meanca, cadauerum cupidissimę, & præcipuè hominum: itaq; gaudẽt tempestatibus, insidiãtur tamen etiam paruis animalibus. Ab his auibus etiam multas alias aues maritimi meãcas (nimirum quas uulgò Mew dicunt) uocant, Albertus. Scribit autem eadem quoq; de fulica: nempe auem aquaticã esse, de genere mergorum, anate minorem, cadaueribus uesci & tempestatibus gaudere: colore tamen distinguit nigram esse docens. Vnde apparet has aues congeneres esse: & generis quidem larorum, uel (ut Plinius uocat) gauiarum, quæ aues subinde circa aquas uolitant columbarum ferè magnitudine, clamosæ, famelicæ, piscivoræ, plumosæ & leues: rostro collo & pedibus omnino tales, quales meancas Albertus describit, palmipedes, &c. ut pluribus dicetur in Lari historia. Fulicam etiam Albertus nidificare scribit in petris circa aquas, & laros Aristoteles in petris maritimis. sed Aristoteles cinerei tantum lari meminit, qui circa lacus & fluuios uictitet: quem meancam Albertus uocat, nostri Mewb & Holbrot, &c. & albi, qui è mari uictũ quærat, ein wysser Mewb. nos uerò alias etiam differentias coloris eorum suo loco adferemus. Alberti quidem fulica de qua nunc dixímus, alia est quàm fulica hodie Italis appellata. uide in Fulica. Ex Frisio quodam accepi meancam anati sylvestri ferè simílem esse, minorem, quæ in sublime uolatu efferatur imminente serenitate, alba circum latera. uocabat autem ipse Germanicè Schmeant. Sed hæ aues cum uolaces sint, & rarò natent, anatum generi non debent adscribi.

¶ De tela & uuigena, uide supra in Querquedula.

¶ SLVBuel Schlub Frisiorum lingua genus anatis est, minus quàm anas fera propriè dicta, sed rostro latiore. Hæc forte fuerit species una ex anatibus platyrynchis, quas supra descripsimus.

NON dubito quin & alia complura anatum genera cõperiantur, alia in alijs regionibus: quanquam ueteres pauca nominarunt, ut ardearum quoq; tria tantum genera, quæ tamen innumera reperiri Oppianus in Ixeuticis author est. ego uerò non plura ardearum quàm anatum genera extare puto, multoq; magis si quis mergorum etiã genera anatibus adnumeret. sunt enim mergi nonnulli anatibus non cætero tantum corpore sed etiam rostro fermè simíles, ut anates primo intuitu existimari possint.

DE MERGIS IN GENERE, QVIDQVE AB ANATIBVS differant, & seorsim de Mergo apud Latinos ueteres, & Aethyia apud Græcos.

MERGVS non tam species auis est, quàm genus multas sub se species continens. aues tamen, quæ ut plurimum mergi (Merch apud Germanos) uocantur, uariæ sunt ut picæ, (&c. ut infra dicemus inter diuersos mergos, quorum uulgaria tantũ nomina tenemus,) Albertus. Veteres non fecerunt plura mergorum genera, fortè quòd cum anatibus ea confuderint. Nos cum aliâs distinguimus, tum dentibus, qui anatibus omnibus molliores, flexiles transuersiq; per rostrum pertingunt: mergorum, illis quibus rostrum latiusculum (minus tamen latum quàm anatibus) duri ac rigidi, utrinq; tantum in marginibus rostri: cæteris, quibus rostrum latum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 159 sur 825

tum non eſt, ſed in acutum deſinit, nulli. Veteres quidem nullius auis, quod ſciam; dentatæ meminerunt, præterquam Diomedeæ, quam Iuba cataractam uocat: ut hæc quoq; mergorũ generis exiſtimari poſsit, ut ſuo loco dicemus. Mergi præterea magis aquatici ſunt quàm anates: ideoq; ſemper ferè in aquis manent, non æquè in terram & ripas egrediuntur ut anates. Et crura uel non æque abſoluta habent, uel breuiora, uel non eodem ſitu ſed poſterius: quamobrem incõmodè ingrediuntur. Piſcibus magna ex parte uiuunt; & diutius quàm anates urinari poſſunt, & natando celerius inſequi. Pleriſque eorum ceruix procerior. in fame etiam herbis & alijs quibus anates ueſcuntur. Mergum Varro ait dictum eſſe quòd mergendo ſe in aquã captet eſcam, ſed hoc cum diuerſarum ſpecierum aues aquaticæ faciant, (omnes quidem palmipedes & quodammodo anatiformes, magnitudine tamen, coloribus, roſtriq; figura differentes,) de una tantum ſpecie mergi uocabulũ uſurpaſſe ueteres Latini uidentur, eadem ſcilicet quam Græci æthyiam uocant. Obijci quidem poteſt, æthyiam apud Græcos marinam tantũ nos legere, & quæ in ſaxis maritimis oua pariat Ariſtotelis: mergum uerò à Plinio non marinum tantum, ſed etiam ſtagnorum incolam poni: non in ſaxis ſed in arboribus nidificantem: unde doctiſsimus Vuottonus mergum ab æthyia auem diuerſam eſſe ſuſpicatur. Sed cum eruditi hactenus omnes eandem eſſe auem tradiderint, & pleraque de æthyia à Græcis tradita, Plinius de mergo interpretatus ſit, nihil eas inter ſe differre præterquã nomine credimus. Idem enim animal & marinum aut maritimum eſſe, & circa fluuios ſtagnáue aut in ipſis morari, cum in auium tum in piſcium genere, nihil prohibet: ſiue quòd à mari quædã aſcendant, ut alcyones aues, lupi piſces: ſiue quòd utrobiq; naſcãtur, idq; uel nullo diſcrimine corporis & naturæ, uel aliquo illo diſcretæ, ut percæ marinæ à fluuiatilibus. Quin & eaſdẽ aues in arboribus nidificare, aut ſi arbores deſint, in nudis ſcopulis, nihil erit abſurdi: ut apes aliàs in arborum aliàs in terræ cauis nidificant. Tranſtulit ſanè locum ſuum Plinius ex Ariſtotelis de animalibus hiſtoria 5. 9. ubi nulla arborum mentio: ſed tum lari tum æthyiæ ſaxis maritimis oua parere ſcribuntur. Quòd ſi æthyiam mergum eſſe negemus, nullum aliud quo appellari Græcè poſsit uocabulũ nobis relinquitur, nam dypten, poyngem & bũngem poëtica eſſe legimus, & idẽ cum æthyia ſignificare. Hæc noſtra quidem eſt ſententia: ut pluribus tamen per nos ſatisfieret, ſeorſim quæcunq; apud ueteres Latinos de mergo prodita inuenimus, ſeorſim etiã quæ apud Græcos de æthyia, cõſcripſi, ut cõferenti utriuſq; hiſtoriam unam eandemq; auem aut diuerſas iudicandi libertas relinqueretur. His iam perſcriptis incidi in Turneri Angli de mergo ſcripta. Mergus (inquit) Anglicè a cormorant, Germanicè ein Sucher, (ſed alibi urinatricis quoq; primum genus Germanicè Sucher interpretatur, Anglicè douckera uel louna,) Et rurſus, Mergus auis eſt magnitudine ferè anſeris, pulla, roſtro longo, & in fine adunco, palmipes, corpore graui: forma corporis aui ſedenti, erecta eſt. Plinius in arboribus nidulari ſcribit, at Ariſtoteles in ſaxis maritimis. Quod uterq; aut uidit, aut à referentibus aucupibus didicit, ſcripto mandauit. Et ego utrunq; obſeruaui. nam in rupibus marinis iuxta hoſtium Tinæ fluuij mergos nidulantes uidi, & in Northfolcia cum ardeis in excelſis arboribus. Qui in rupibus maritimis nidificant, ex præda marina ferè uiuunt: qui uerò in arboribus, amnes, lacus & fluuios uictus gratia petunt, Hæc Turnerus. Apparet autem ex deſcriptione, quòd mergum auem intelligat, quam noſtri Scharb nominant, Angli (ut audio) cormorant. quanquam Galli etiã aliam auem cormorant uocãt, nempe phalacrocoracem, quem inferiores Germani Schwemmergans appellant. De mergo magno nigro (ſic enim Albertus uocat, & carbonem aquaticum) qui & ſimpliciter mergus ueteribus dictus uidetur, per excellentiam ſcilicet, plura leges infra inter mergos magnos. Mergum aquarum dulcium audio uulgò Græcè hodie βουτηλίδα nominari.

¶ קאת, kaath, & שלך, ſchalac, Hebraicas uoces ferè confundi, & pro eadem aue accipi uideo, cum Deut. 14. utraq; ſeorſim nominetur inter immundas aues: ubi Munſterus pro kaath, upupam uertit. LXX. catarrhacten, Hieronymus mergulum: aliqui ardeam: ut ſchalac etiam Leuitici 11. Hieron. & LXX. nycticoracem, aliqui mergulum, alij ardeam. Dauid Kimhi ſchalac ex magiſtrorũ ſententia השולח, heſchula, auem quandam marinam exponit piſcium captatricem: Onkelos שלינוא, ſchalenuna, mergulum. Abraham Eſre Leuit. 11. auem (inquit) dicunt eſſe, quæ natura ea eſt prædita ut abijciat fœtus ſuos. Is nimirum (ut iudicat eruditus quidam apud nos) eſt cuculus. Arabica translatio Deut. 14. habet גבא, ſemag: Perſica uocẽ retinet Hebraicam. קאת, kaath, Dauid Kimhi à uomendo dictam putat. Rabi Ionas auem uocatam dicit קיאה, kaah, & thau radicalem putat literam, ut Pſalmo 102. לקאת מדבר. Porrò in Thalmud magiſtri uocant קיק, kik, uel hakik, quam auem cuculum Iudæi putant. adſtipulatur R. Abrahã Pſalmo 102. & Leuit. 11. auis eſt, inquit, ſolitudinem amans à uomendo dicta, cuius uox ceu בחי, cohi, id eſt ploratus, in Thalmud kik dicta. Deuter. 14. Chaldæus קהא, katha, Arabs קוק, kuk, reddit, Perſa uocem Hebraicam ſeruat. LXX. Leuitici 11. & Pſalmo 102. pelecâna uertunt. Deuter. 14. (ut dixi) catarrhacten: Eſaiæ 34. ὄρνεα. Sophoniæ 2. chamæleontes, (ſed koah uel koach chamæleon eſt, non kaath.) Hieronymus Pſalmo 102. LXX. imitatus pelicanum, alibi onocrotalum. Sunt quidem aues iſtæ, mergus, catarrhactes, pelicanus & onocrotalus, omnes piſciuoræ, & onocrotalum uideo à quibuſdam cum pelicano confundi: alioqui pelicano magis conuenit uomitus. aiunt enim illum conchas deuoratas poſtquam concoctionis calore apertæ fuerint reuomere, ut carnem à teſtis ſeligat. uox uerò lamentabilis (aut potius terribilis, inſtar rudentis aſini) onocrotali eſt. Pagninus & Oecolampadius kaath Eſaiæ 34. pro onocrotalo ac-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 160 sur 825

cipiunt קאת, kaath, Iudæi noſtri dicunt eſſe Widhopff, id eſt upupam, Munſterus.

¶ Græci hodie mergum marinum, ut audio, uocant καλικατζᾶ. Mergum alij mergonẽ uocant, Ambroſius Calepinus. ſed mergón, uox apud Italos uulgaris eſt, nõ Latina. faciunt autem mergones diuerſos & magnitudine differentes. Mergi ab imperito uulgo ſmergi dicuntur, Erythræus Italus. Mergi ſunt nonnulli quos ceruos aquaticos uocant, Seruius: ego pro ceruis coruos reposuerim. nam & Hiſpani (ut eruditus quidam ex illa gente nos docuit) mergum coruũ marinum uocant, cuoruo marino: coruí nimirũ nomine indito à colore nigro. Albertus catarrhacten (ipſe perperam carthates ſcribit) mergum nigrum interpretatur, qui forte ſcharbus noſter fuerit, & coruus aquaticus Ariſtotelis potius quàm catarrhactes. Scio quidem mergos quoſdam cornutos uocari, quod plumas inſtar cornuum habeãt, ut Seuerus Sulpitius ſcripſit, ſi rectè citat author libri de nat. rerum. ſed hoc nihil ad ceruos. criſtæ potius quàm cornua dici debent: & ſi cornibus conferri poſſent, non tamen ceruinis & ramoſis. ſed de his infra pluribus, adiecta etiam figura. Mergum Galli uulgò interpretantur ung plongeon uel plonget: quæ uox ad Græcorum πώϊγγας & βῆγγας accedit. ¶ Germani mergum Sucher interpretantur, aliqui Teucher ſcribunt, Tucher, Suchent. ſed alij alias aues his nominibus deſignant. illam quæ propriè Sucher appelletur, aiunt columba minorem eſſe, &c. Vide in Vrinatrice. Flandri uoce diminutiua Sũkeckin.

B.

Subſtricta crura gerentem, & ſpatioſum in guttura, Ouidius mergum cognominat. Longa internodia crurum, Longa manet ceruix, caput eſt à corpore longè, Idem. Mergi contra omne genus auium pedes habent in cauda, ita ut in terra ſtantes inſtar hominis pectus erectum præferant, Author libri de nat. rerum. Inſatiabilia animalium, quibus à uentre protinus recto inteſtino tranſeunt cibi, ut lupis ceruarijs, & inter aues mergis, Plinius. Ariſtoteles animalia illa quibus inteſtina recta ſunt, ciborum auida eſſe ſcribit.

C.

Mergus tum in aquis dulcibus degit, tum in mari, ut ſupra docuimus. Mergi maria aut ſtagna fugientes uentum præſagiunt, Plin. Idem alibi mergos marinos nominat. Mergũ mare carpentem, Ouidius dixit. Aequor amat: nomenq; manet, quia mergitur illi, Idem. Mergus flumina ſtagnaq; innatat, ſic dictus quòd in aquis ſe mergat. diutius tamen ſub aquis morari non ualet, quòd aëris reſpiratione indigeat. quum percuti metuit, in aqua mergitur, & piſces perſequitur, Author libri de nat. rerũ. Inter aquaticas mergi ſoliti ſunt deuorare quæ cæteræ reddunt, Plin. In aquam ſe cibum captans aſsiduè mergit, Varro. Mergos apricos, Verg. 5. Aeneid. Celeres, Georg. 1. ¶ Mergi etiam uocem mutant, ut canit Lucretius: Accipitres atq; oſsifragæ, mergiq; marinis Fluctibus in ſalſo uictum uitamq; petentes, Longè alias alio iaciunt in tempore uoces. ¶ Mergi in arboribus nidificant, Plinius. ſed quoniam æthyia eadem mergo eſſe uidetur, æthyiam uerò Ariſtoteles in ſaxis maritimis oua parere ſcribit: Io. Claymondus, ne Plinius ab Ariſtotele diſſentire uideatur, hunc locum ſic legit: Gauiæ in petris nidificant, mergi etiã in arboribus. Verum codices omnes, quos quidem uiderim, inquit Vuottonus, in altera litera conſentiunt. ¶ Oua pariunt mergi incipiente uere, plurimum terna, Plin. ¶ Mergorum pulli ut primum ab ouis excluſi fuerint, ſi matrem eos perdere contigerit, adeò ualidi ſunt, ut ipſi ſeſe nutrire poſsint, Albertus & Author libri de nat. rerum.

E.

Mergos pleroſque capi puto ſimiliter ut anates, uiſco, defatigatione, bombarda, piſciculis in acum aut hamum affixis funiculo inſertum. In ciuitate quadam ad magnũ fluuium ſita in Oriente, hoſpitem piſcaturum comitatus uidi in nauiculis eius mergos ſuper pertícas alligatos, quibus ille guttur filo ligauit, ne piſces captos deuorare poſſent. Ponunt autem ad ſingulas naues tres magnas ciſtas, unam in medio, & ab utroq; extremo ſingulas. Tum mergos ſolutos dimiſit: qui mox piſces quàm plurimos cepere, & ipſimet in ciſtas illas impoſuêre, ita ut breui tempore omnes repleuerint. Tum hoſpes filis à gutture eorum ſolutis, eos iam ſibi ipſis piſcari & piſcibus paſci permiſit. Hi paſti ad loca propria reuertuntur, iterumq; pertícis alligantur, Odoricus dè Foro Iulij.

Mergi anatesq; pennas roſtro purgantes, uentum præſagiunt: cæteræq; aquaticæ aues concurſantes: item mergi maria aut ſtagna fugientes, Plin. Iam ſibi tum curuis male temperat unda carinis, Cum medio celeres reuolant ex æquore mergi, Clamoremq; ferunt ad littora, Verg. 1. Geor. Huius auis natura eſt ut ſæpe mergens aurarum ſigna colligat, & præuidẽs tempeſtatem futuram, propere medio reuolet ex æquore, & ad littorũ tuta cum clamore contendat, Ambroſius Calepin.

F.

Si quis tunc mergos ſuaueis edixerit aſſos, Parebit prauí docilis Romana iuuentus, Horat. 2. Serm. Hyeme obeſiores ſunt propter pauciorem tum temporis motum, omne enim animal ſereno aëre gaudet, & in eo amplius uagatur, Obſcurus.

G.

Remedia quæ Latini ex mergo tradiderunt, & ex æthyia Græci, coniungere uoluí, (non ſine diſtinctione tamen nominum,) quòd authores ipſi unam & eandem auem his nominibus intelexiſſe uideantur. ¶ Aethyia tota aſſata & in cibo ſumpta elephantiaſin ſanat, & ſpleni medetur, Kiranides.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 161 sur 825

ranides. ¶ Aethyiæ sanguis antipharmacum est, & ferís uenenatís resistit, Idem. ¶ Magi contra quartanas deuorari iubent cor mergi marini sine ferro exemptum, inueteratumq; conteri, & in calida aqua bibi, Plinius. ¶ Aethyiæ uenter aridus potus (codex manuscriptus habet, & portatus & potatus) concoctionem perfectam ac bonum stomachum præstat, Kiranid. Serenus etiam scribit uentriculum mergi raptum (id est in cibo sumptum) stomacho mederi. Ventrem mergi aliqui commendant tanquam medicamen peptícum, id est concoquens, siue protinus elixum, siue arefactum (σκελετόν ὕων) comedas. At nos id experti uanam esse promissionem cõperimus, sicut sanè etiam quod de interna tunica gallinarum memoriæ est proditum, Galenus de simplic. lib. x 1. Atqui nec ipse mergi uentriculus facile concoquitur, neq; quicquam ad aliorum concoctionem iuuat, Vuotonus è Galeno. Crediderunt forte aliqui, mergi uẽtriculum in cibo, quod eà auis uoracissima est & plurimum concoquit, nostram quoq; cõcoctionem roborare posse: quemadmodum nostro tempore multi putant pellem mergi maioris nigri (scharbum uocant nostri) unà cum plumis interioribus paratam à pellifice, & uentriculo nostro applicatam, uim concoctricem eius promouere, non calore tantum suo, sed peculiari proprietate. ¶ Inueteratum sale (σκελετόν ὕων, id est simpliciter exiccatum) æthyiæ iecur, ex hydromelite duobus cochlearijs potum, secundas pellit, Dioscor. Aethyiæ iecur assatum cum oleo & modico sale datum, mirificè conferre affirmant à rabido cane morsis. ita enim præsentaneum esse remedium, ut æger protinus aquam flagitet, Aetius. ¶ Aethyiæ fel cum cedria inunctum, euulsos palpebris pilos non sinit renasci, Kiranides. Aethyiæ oua dysenteriam & renes & stomachum sanant, Idem.

H.

a. Mergus etiam genus propagationis in uite dicitur. Nonnullos tamen in uineis characatis animaduerti (& maximè eluenaci generis) prolixos palmites quasi propagines summo solo adobruere: deinde rursus ad arundines erigere, & in fructum submittere, quos nostri agricolæ mergos, Galli condosoccos uocant, eosq; adobruunt simplici ex causa, quòd existiment plus alimenti terram præbere fructuarijs flagellis, Columella lib. 5. cap. 5. Et rursus 4. 15. mergum esse ait, ubi supra terram iuxta suum adminiculum uitis curuatur, atq; ex alto scrobe submersa, perducitur (aliàs producitur) ad uacantem palum. tum ex arcu uehementer citat materiem, quæ protinus applicata suo pedamento ad iugum euocatur. Item Palladius, 2. 21. Mergum (inquit) dicimus, quoties uelut arcus supra terram relinquitur, alia parte uitis infossa. Mergi post biennio reciduntur in ea parte quæ supra est, & in loco iustas uites relinquũt. Veteres uineas mergis propagare potius quàm totas sternere Atticus præcipit, quòd mergi mox facile radicantur, ita ut quæq; uitis suis radicibus tanquam proprijs fundamentis innitatur, Columella 4. 2. Galli hodie uulgò mergum in uinea appellant marquotte, quasi mergottam per diminutionem, alij courson, brin, Carolus Stephanus. ¶ Metendi genera complura sunt, multi mergis, alij pectinibus spicam ipsam legunt, Columella 2. 21. Videntur mergi (inquit Beroaldus) esse ferramenta idonea metendis frugibus, quæ à Plinio mergites appellantur, sic scribente: Stipulæ alibi mediæ falce præciduntur, atq; inter duos mergites spica distringitur. Notum est illud Maronianum, Aut fœtu pecorum, aut cerealis mergite culmi. Exponunt Grammatici mergites dici manipulos spicarũ, (ut Seruius,) quo intellectu an hic & apud Plinium mergi mergitesq; accipi possint, æstiment eruditi, Beroaldus. Mergæ, furculæ quibus acerui frugum fiunt: dictæ à mergis uolucribus. ut enim illi se in aqua mergunt, dum pisces persequuntur: sic messores eas in fruges demergunt, ut eleuare possint manipulos, Festus. Palas uendundas sibi mergas datas, Vt hortum fodiat atq; ut frumentũ metat, Plautus in Pœn. Si attigeris ostium, Iam hercle tibi messis in ore fiet mergis pugnis probis, Idem Rudente. Hinc est conijcere mergitem apud Vergilium accipi posse pro manipulo uel aceruo, quantus scilicèt uel semel instrumento messorio (quod mergum Beroaldus uocat, masc. g. à plurali ablatiuo mergis apud Columellam, qui à singulari etiam fœmininо merga formari posset: Plinius mergitem) meti potest, uel quantus mergite furca simul tolli. ¶ Mergus, aliàs mergur, mergoris, genus uasis quod nonnulli situlam appellant, quòd hauriendæ aquæ mergatur, Calepinus sine authore. Mergulus, instrumentum quo lampadis lychnus continetur, Idem sine authore. ¶ Mergi aues in aqua mersant uel mersitant, uel (ut ueteres dixêre) mertant.

¶ Epitheta. Celeres, Vergilius. Tranquillo silet, immotaq; attollitur unda Campus, & apricis statio gratissima mergis, Idem Aeneidos 5. Marini, piscantes, edaces, turpes, incolæ aquæ, apud Textorem.

¶ *Smilax aspera à Romanis mergina uocatur, ut inter nomenclaturas apud Dioscoridem comperimus.*

¶ h. Aesacos filius Priami & Alyxothoës, dum nympham Hesperien quam amabat insequitur, Ecce latens herba coluber fugientis adunco Dente pedem strinxit, uirusq; in corpore liquit, Ouidius x 1. Metam. Et mox, Vulnus ab angue, A me causa data est, Aesacus loquitur. Tum propter dolorem è scopulo in mare se præcipitans, à Tethy in mergum conuersus est, & optatę non est data copia mortis. Indignatur amans se inuitum uiuere cogi, Obstariq; animæ misera de sede uolenti Exire, utq; nouas humeris assumpserat alas Subuolat, atq; iterum corpus super æquora mittit. Pluma leuat casus, furit Aesacus, inq; profundum Pronus abit, letiq; uiam sine fine retenᵗ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 162 sur 825

tat. Fecit amor maciem, longa internodia crurum, Longa manet ceruix, &c. id est in mergum mutatur. ¶ Est & Aesacus fluuius Troianus ad Idam montem.

¶ Mergos diuus Martinus diuina uirtute coëgit aquam contra naturam suam deserere, & arida loca desertaq; petere, Author libri de nat. rerum, ex uita puto diui Martini per Seuerum Sulpitium condita.

¶ Mergus prius uitabit aquas, de re incredibili dixit Ouidius 1. de Ponto. Nam prius incipient turres uitare columbæ, Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas, Quàm malè se præstet ueteri Græcinus amico.

DE AETHYIA.

A.

AETHYIAM Græcorum non aliam auem quàm mergum Latinorum esse, supra dixi: sed quoniam aliqui super hoc dubitant, de utraq; seorsim agere placuit: remedia tamen quæ ex æthyia sunt supra in Mergo commemorauí. ¶ Ἀίθυια (quę & ἀιθυια apud Demetrium Constantinopolitanum recentem admodum scriptorem nominatur,) Eustathio, Hesychio, Suidæ, Etymologo & Varino, eadem est quæ κορώνη θαλάσσιος (uel θαλασσία, uel ἁλία, uel ϛναλία) id est cornix marina. Atqui Arrianus in Pontici maris nauigatione cornicem marinam unà cum æthyia, tanquam aues diuersas, enumerat. Eadem fortasis apud illum est quæ coruus marinus uocatur, Vuottonus. In Pontica insula (inquit Arrianus) quæ Achillis insula uel cursus dicitur, multæ sunt aues, lari, æthyiæ, & cornices marinæ innumeræ, hæ colunt Achillis sanũ. mane enim quotidie aduolant ad mare: inde madefactis pennis ad templum studiosè redeunt & aspergunt: & cum bene habet, rursus pauimentum alis exiccant, Hæc ille. Appion corónen ait eandem esse auem quæ & larus & æthyia dicatur, Etymol. Nos de alia cornice aquatica quæ hodie in quibusdã Angliæ locis sic appellatur, aue eiusdem ferè naturæ cuius ispida, infra dicemus posi Cornicem, & plura ibidem de Cornice marina. Vergilius fulicas appellat aues, quas Aratus æthyias uocat: mergi uerò Græci ab Arato ὄρωδιοι appellantur, Ioach. Perionius: sed erodios ardeas esse, æthyias uerò mergos ueterum scripta ostendunt. Apud Aristotelem de hist. anim. 1. 1. ubi Græcè ἄιθυια καὶ κολυμβὶς legitur, Albertus habet anser salicis. ¶ Mergum æthyiam Græci uocant, & poetæ dypten. alíqui nihil est aliud dyptes uerbum ex uerbo, quàm mergus. poetæ Græci etiam poyngas & bungas dicunt aues eas, Phocion author, Hermolaus. πάϊγγδυ, αἱ ἄιθυιαι, κληθεῖσαι βὸγγδυ, πρὸ τοῦ βολὼ καὶ τοῦ ἰυγῶ, (melius ἰυγῶ, ut Varinus habet,) Etymologus. Ad poyngem quidem Græcam uocem Gallica plongeon accedit, sic enim Galli mergum uocant. Τὸν δ' ὁῖα δύπτην κηρύλον ὀΐζ σχῶ Αὐλῶν θεισει κῦμα γυμνίτιν φάϱγον, Lycophron. ubi δύπτης caruli, id est alcyonis maris epitheton est: Scholiastes δυκόλυμβον interpretatur. Δύπτης, ἄιθυια, κολυμβητὴς, δύτης, Hesychius & Varinus. hoc est, homo urinator uel natator, uel mergus auis. Δύπται δ' ἐξ ἁλὸς ὀρχόμενοι, Apollonius Argonaut. lib. 1. Νηδίας, τὰς ἀιθυίας, Hesychius & Varinus. Κὴξ, auis est marina, hirundini similis, quam alij larum, alij mergum interpretantur, Eustathius: & Varinus idem in Κὴξ εἰναλίη. Peculiaris quædam species mergi marini est in Creta, urinari solita, diuersa à phalacrocorace (cormorant) & reliquis mergis, quam Aristoteles æthyiam uocauit. qui littora Cretæ habitant, uutamaria nominant & calicatezu. magnitudine est querquedulæ (d'une sarcelle,) albo uentre, capite & dorso nigra, itemq; alis & cauda. digito pedum posteriore caret sola palmipedum. Pluma ei instar lanuginis, ualidè inhærẽs cuti. Rostrum marginibus acutis, cauum & planum ferè, lanuginosis plumis bona sui parte obducitur, nigrum superiore, album inferiore parte; uertice lato, Petrus Bellonius in libro Gallico Obseruationum, &c.

C.

¶ Suidas in uoce Ἡμιοχὰς æthyias marinas facit. ¶ Mergi (æthyiæ inquit Oppianus in Ixeuticis 2. 6.) insatiabiles sunt & maximè uoraces. pisces ingestos mox aluo reddunt, atq; etiam uiuos nonnunquam. Soli inter amphibias aues uolitando piscantur, ita ut simul utrunq; faciant (ἠμὶ ταῦτ' θηρῶσι καὶ ἐπῆαν ται.) Congros, anguillas, & alios lubricos læuesq; pisces deglutiunt. Vrinantur & sub aqua manent diutissimè. (merguntur autem toto corpore, non collo tantũ ut pelecani.) Alios quoque pisces delphinorum & canicularum instar persequuntur. Non in pelago solum, sed paludibus etiam uersantur, tum maximè cum uis aliqua uentorum mare infestat. tunc enim immorari in eo non solent. Has in auium genere solas uocem emittere aut percipere negant, Hæc ille. Apparet autem ex his Oppiani uerbis, æthyiam oportere magnam aliquam auem esse, quæ congros & anguillas deuorare possit, & delphinorum canicularumq; instar uenari, quod morficem (uide infra inter mergos magnos) facere Albertus scribit. Itaq; nostri merguli parui nigri, & alij anatibus non maiores, æthyiæ dici non poterunt. Aethyia apud mare uictitat, Aristot. Auis est marina, insatiabilis, omnibus nota, Kiranides. Aethyiæ & aliæ quædam uolucres degunt quidem in fluido, uictumq; inde emoliuntur, sed aërem non humorem recipiunt, & foris parere solent, Aristot. Mergi & gauiæ saxis maritimis oua bina ternáue pariunt: sed gauiæ æstate, mergi à bruma ineunte uere. & incubant

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 163 sur 825

cubant cæterarum auium more. sed neutra earum auium cõditur, (latet,) Aristot. de hist. 5. 9. quem locum transferens Plinius, mergos in arboribus nidificare reddidit; quod Aristoteles nusquam scribit.

D.

Aethyis perquam inimicæ sunt ciconiæ & creces, Philes.

E.

Sæpe anates feræ aut æthyiæ marinæ alis in continente concussis, uentum imminere præmonent, Aratus. Aethyia si obuia fuerit nauí uelificanti, & uolans submerserit se in mari, tempestatem minatur. si uerò peruolans (præteruolans) supra petram resederit, (aliàs, si uerò peruolauerit, aut super petram consederit,) felicem nauigationem promittit, Kiranides. Aethyas cum frequentius in mare sese immergunt, tempestates nauigantibus futuras præsagire ferunt. huius causam reddunt, quòd tranquillo mari progredi non audet æthya marinarum belluarum metu: at cum tempestatem præsenserit, audacter progreditur, quòd tunc temporis marinæ illæ beluę in altum abierunt. Verum Aratus, Aethyę (inquit) maria aut stagna fugientes, pennasq; in terra rostro purgantes, uentum præsagiunt, Vuottonus. ego nihil huiusmodi apud Aratum legisse memini: nisi Vuottonus forte putat Plinium pro πτερύσσεσθαι πτέρυγας, pennas rostro purgare, ex Arato uertisse.

F.

Aethyia ad saturitatem usque ab accipitre in cibo sumi potest, suauissima enim eius caro est, & facilis concoctu, Demetrius Constantinopolitanus.

G.

Vide supra in Mergo G.

H.

¶ a. Aethyam aliqui Latinè per y. tantum scribunt: Græci uerò semper ι. diphthongum in pe nultima. Dicta quidem æthyia uideri potest, quasi ædyna, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ δύειν καὶ δύπτειν: uel ἀπὸ τοῦ αἴθειν propter nigrum colorem, ut etiam Aethiopes. Αἰθύσσειν καὶ ἀναιθύσσειν, ῥιπτεῖν, πλεῖν, φορεῖσθαι, ἀπὸ τῆ αἰθυίας τῆ ὠκαλίας πτερώσης, Etymologus. Aethyiam Græci etiam pro thyia, id est pila uel mortario dicunt: forte quòd pistillus in eo mersetur emergatq; subinde.

Epitheta. Aethyas Aratus uocat δύπας, quoniam (ut inquit Theon) dum mersantur mari fiat δῦπος, id est uortex, siue κυκλοτερὴς τοῦ ὕδατος φορά, Cælius. Ὅς πόδε ναίεις Εὐπλοίης αἰθυίαις ἰχθυβόλοισι λεπτὰς, in Epigrammatis ut citat Suidas. id est, Qui habitas in hoc promontorio mergis piscatoribus frequentato.

¶ Αἰθυίας ἄνθος, genus est herbæ, Hesychius & Varinus.

¶ Erysichthonem quendam inuenio ἄιλωνα (ἀιθυιαν potius) cognominatum, quòd cibo inexplebilis esset.

¶ c. Ἀλλ' ἐμὲς αἰεὶ Κύμασιν αἰθυίης μᾶλλον ὀρωρίσατο, piscator quidam apud Callimachum. Ἐνθ' ἅδε μὲν τῆ βόθυς ἁλίγκιαι αἰθυίῃσι δῶμα, Apollonius lib. 4. Τῆς δὲ λ' αἰθυίαι, ὑδὲ κρυόεις κάδης, Euphorion apud Suidam in κάδης: quæ uox larum significat. est autem utraq; auis perquam uorax.

¶ h. Aethyiæ epitaphiũ legimus Anthologij Græci lib. 3. sectione 24. in fine. ¶ Leucothea apud Homerum Odysseæ ε. æthyiæ comparatur. Αἰθυίῃ δ' εἰκυῖα ποτὶ (uolatu) ἀνεδύσετο λίμνης. Et rursus, Αὐτὰρ ὅ γ' ἂψ ὀπίσω πόντου ἐδύσετο κυμαίνοντος Αἰθυίῃ εἰκυῖα, μέλαν δέ ἑ κῦμα κάλυψεν. ¶ Αἰθυία, αἰθίωπα ὄρνιθα κατὰ τὸ αἴθω, ut uidetur apud Lycophronem, Eustathius. Pallas æthyia cognominatur, quoniam humana prudentia (quæ per Palladem innuitur) inuenta est nauigatio mergi quadam imagine, Cælius.

¶ Diuus Martinus aliquando mergos in flumine conspicatus piscium prædam sequi, & rapacem ingluuiem assiduis urgere capturis: Forma (inquit) hæc dæmonum est, insidiantur incautis, capiunt nescientes: captos deuorant, exaturariq; non queunt deuoratis. Imperat deinde potenti uirtute uerborum, ut eum cui inhiabant gurgitem relinquentes, aridas peterent desertasq; regiones: eo nimirum circa aues illas usus imperio, quo dæmones fugare cõsueuerat. Ita grege facto, omnes in unum illæ uolucres congregatæ, relicto flumine, montes syluasq; petierunt, Seuerus Sulpitius in uita D. Martini.

DE MERGIS DIVERSIS.

¶ FVLICA auis est aquatica, quæ mergus niger uocatur, anate minor, Albertus. sed de fulica suo loco dicemus in F. litera.

¶ BRENTHVS merguli species est piscis uenantis, Albertus. quanquã bathyos apud illum corruptè scribitur. Vide supra in Brentho inter anates feras.

¶ Seuerus Sulpitius tradit mergorum quãdam speciem à re cornuta uocari, eò quòd rubeas plumas in capite instar cornuum habeat, Author lib. de nat. rerum.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 164 sur 825

DE COLYMBO ET COLYMBIDE, VEL VRInatrice, item de Thracibus & Dytinis.

COLYMBIDEM, colymbadem & colymbum apud authores inuenio inter aues aquaticas: apud Aristotelem etiam colymbris legitur, sed corrupte. Gaza apud Aristotelem transtulit urinatricem. Vrinatrix auis ex aqua sibi uictũ emolitur, circa lacus & amnes uersatur, ex palmipedum numero, sed foris parit, Aristot. Colymbi & colymbades ab urinandi uoluptate appellantur, inter omnes (aquaticas aues) minimæ, atri ac sordidi coloris, (ὑπερομέλαινα,) acuto rostro, soli earum spectantur oculi, cætero merguntur, Hermolaus ex Athenæo. σκέπτονται τὰ ὄμματα, τὰ δὲ πολλὰ (λοιπὰ) καταδύνεται, Athenæus. Idem non colymbos neq; colymbadas, ut Hermolaus uertit, sed colymbida bis nominat, utrobiq; adijciens paruum: quasi colymbum alium maiorẽ esse insinuet. Nos quidem infra mergi genus describemus, quod colymbus maior rectè appellari posse uidetur. Κολυμβὶς, auis quædam est, Hesychius & Varin. Κόλυμβοι, αἱ κολυμβάδες, τὰ ὄρνεα ἃ ζωὴν ἔχει ἐν κολυμβήθραις, Idem: hoc est, aues uel animalcula in piscinis. Phascades dictæ paulò maiores sunt quàm paruæ colymbides, cætero similes anatibus, Athenæus. Κολυμβὶς nominatur in Auium choro apud Aristophanem. Νήττης καὶ κολυμβάδος, (id est, anatis & urinatricis,) Callimachus meminit in libro de auibus: item Aristophanes in Acharnensibus pariter nominans, ἀπαγᾶς, φαλαρίδας, Τροχίλος, κολυμβὸς, (cum acuto in ultima,) &c. Athenæus. Numerat autem has aues inter lautitias Bœotorum. Nostri codices Aristophanis, κολύμβος paroxytonum habent, quod placet. Κόλυμβοι (inquit Oppianus lib. 2. Ixeuticorum) semper natant, & ne somni quidem aut cibi gratia in continentem exeunt, ne noctu quidem, neq; tempestatis metu aut frigoris: sed solo partus tempore. Ventis aduersi natant, ne illorum ui aliquando inuiti in terram extrudantur. quod THRACES etiam ac DYTINI faciunt. Quanquam autem tria hæc auium aquaticarum genera (inquit idem lib. 3. Ixeut.) omni tempore (πανημερίαν) natare soleant, non tamen effugiunt uenatores, qui cum tranquillum est mare, nauiculam ingressi aliquousque nauigant, quatenus aues remigij strepitu non terrentur. Tum is qui rete fert, puppi insistit: alter uerò proræ, paulatim nauiculam temone promouens. qui & lucernam in testa gerit, (alius forte tertius hoc facit, aut idem qui rete gerit,) quam auibus ostendit cum iam prope fuerint. Aues stellam uidere se putantes, nauiculam propius accedere patiuntur. Tum auceps lucerna in naui occultata ne aues dolum intelligant, rete extensum eis iniicit.

¶ Vrinatrices aues quæ natando in aquam demerguntur & rursus emergunt, sunt innumeræ, magnæ & paruæ, inter quas gainæ & id genus sunt, Niphus. ¶ Vrinatrix minima mergorum & reliquarum auium quæ uictum ex aquis petunt, ὑπερομέλαινα tota, præterquam in uentre ubi albet, mergit sese & conspectos pisces diu sub aquis prosequens huc illuc fertur, priusquam reuertitur, unde & nomen inuenit Germanicè Schwartztücherlin, hoc est mergulus niger: & Wasseramsel, hoc est merula aquatica, Eberus & Peucerus. Sed nos aliam uocamus merulam aquaticam, quæ piscibus quidem uiuit, palmipes tamen non est. Aristoteles urinatricis unum tantum genus (inquit Turnerus) commemorat: ego tamen tria urinatricum genera uidi. Horum primum totum nigrum est: & si cirrum, quem in capite gerit, exceperis, mergo, quo tamen triplo minor est, cætera quod ad corporis attinet effigiem, non dissimile est. & hoc genus nautæ nostrates lounã nominant, alij doukeram (Angli a douker, Germani ein Sucher. sed alibi mergũ quoq; Germanicè Sucher interpretatur, Anglicè uerò cormorant.) Secundum genus turdo nõ maius est, anati colore & corporis effigie simile: & hoc Angli mediam urinatricem nuncupant. Tertium genus adeò nuper ab ouo excusum refert anserculum, ut nisi rostrum huius paulò tenuius esset, ægrè alterum ab altero discerneres. Non enim pennas, sed lanuginem quandam (quod nos supra de puffino Anglorũ scripsimus) earum loco obtinet. Degunt hæc pleruncq; tria genera in aquis stagnantibus, aut fluuijs non admodum rapidis, in quorum ripis arundines & carices nascuntur, Hæc Turnerus. Audio & COOTTE dictam apud Anglos auem esse in fluuijs ac stagnis, quæ subinde ad fundum usq; urinetur, non piscibus tamen, sed alga, limo, gramine, paruisq; cochleis uictitet: forma & colore fulicæ nostræ similis, paulò minor: in cuius rostro paruum tuberculum rubeum emineat. Ad uolandum ineptam esse aiunt: quare uulgo fertur non posse illam diutius uolare quàm pedis cauo arreptam (priusquam uolat) aquã retineat. Auem, quæ Sucher appellatur, in nostris lacubus & Acronio, minorem columba esse audio, fuscam, & latiusculo rostro. Eandem puto Albertus mergulum nigrum uocat.

H.

a. Græci uerba νήχεσθαι & κολυμβᾶν deriuarunt ἀπὸ τῆς νήττης καὶ κολυμβάδος, (κολυμβίδος, Eustath.) Athenæus. Κολυμβᾶν uerbum natare significat, pro quo Dôres significantius dicunt κολυμφᾶν, ἀπὸ τοῦ κόλυς φαίνεσθαι οὖν ὑπὸ τὸν ὕδατα, quòd natantium in aquis corpora mutila & non integra appareant, Etymologus. Matres planus Alexandrinus iocosa quædam problemata quasi ad Aristotelis imitationem cõfinxit, quale est: Διατί ὁ ἥλιος δύεται μὲν, κολυμβᾷ δ' οὔ; hoc est, Cur Sol mergatur quidem (nam δύεσθαι Græcis mergi significat, idemq; uerbum de Solis occasu usitatum est) non natet tamen. Cæterum urinari uerbum apud Latinos, uel urinare etiam (ut Grammatici scribunt) & inurinare apud Columellam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 165 sur 825

Columellam in aquam mergi, & natando (rursus) emergere significat. Eadem est causa quare sub aqua diu ranæ & phocæ urinentur. Hinc urinator dictus qui sub aqua natat. Callistratus Iureconf. Ad legem Rhodiam, urinatores appellat eos, qui merces è mari extrahunt, nauigij gratia iactatas. Sed in rem emendabilem usus lapsus esse, quod per urinatores omne fermè extractum est, &c. Liuius 4. Dec. lib. 5. Quæ uerò huius uocis origo sit, non memini hactenus legere: quare coniecturam meam adscribere non grauabor. Vrinatorem Græci ἀρνευτῆρα uocant, ὁ δ' ἀρνευτῆσαι ἐοικὼς, κάππιπ' ἀφ' ὑψηλοῦ πώεγος, Homerus Iliad. μ. ubi Scholia ἀρνευτῆσαι interpretantur κυβιστῆσαι δύτη, id est urinatori. nam hi quoq; in caput seipsos proijciunt, quemadmodū arnes, id est agni petulci & lasciui in caput saltare & quasi aërem cornibus impetere solent. Aut igitur urinare Latini ab hac uoce Græca dixerunt: aut ab uria aue urinatrice, de qua nunc scribemus. Sunt & oliuæ colymbades apud Athenæum. Est columbarium uas quasi colymbarium, à uerbo κολυμβᾶν: uide in Columba.

DE VRIA.

VRIA, οὐρία, dicta (auis aquatica) non multò minor est anate, rostro longiore ac tenui, colore sordido figlinæ, (figlino, Vuottonus,) Hermolaus ex Athenæo. τῷ χρώματι ὑπαροκβράμος (ὑποκβράμος, Eustath.) ὅτι, τὸ δὲ ῥύγχος μακρόν τι (forte μικρόν, Vuottonus, sed Eustathius etiam μακρὸν habet) καὶ σχοῖνον ἔχει, Athenæus. Videri quidem potest hoc nomen non origine Græcum esse, sed ab urinari uerbo Latino deriuatum: & urinatrix siue colymbis, de qua proxime dictum, ferè non aliud ab hac uria differre, quàm quod minor est. Vriæ plus cæteris (anatibus feris) nigricant, Eberus & Peucerus, sine authore, interpretantur autem Meerenten, hoc est anates marinas. Ego urias esse dixerim quas nos appellamus Stiechele: de quibus infra seorsim, & colore magnitudineq; tantum à colymbide prædicta differre, quamuis dycchelina nostra, anate multò minor est, sed inueniuntur eiusdem generis anati pares, & quædam maiores, de quibus in Colymbo maiore scribam.

DE PHALARIDE.

ANGVSTVM & phalaris rostrū obtinet, caput rotundius, uentrem subcinericeo colore, tergus nigricat, Hermolaus ex Athenæo: apud quem tamen nos legimus, ὑπερθε τὴν γαστέρα καὶ τὸν νῶτον. Apud eundem phálaris proparoxytonum scribitur, apud alios φαλαεὶς aut φαληεὶς, oxytonum. Aristophanes in Acharnensibus ἀπάγας, φαλαεῖδας inter Bœotorum delicias nominat. ubi Scholiastes phalarides genus auium interpretatur, quæ secundum quosdam in Phaleride nascantur: quod & Varinus repetit. Est autem Phaleris uel Phaleros, portus Athenis celeber, à quo Demetrio Phalereo cognomen. Aristophanes in auibus ludens, & auium quasi apotheosin conscribens: Veneri (inquit) immolaturus, aui phalaridi (prius) triticum immolet; siue hanc auem tritico uescí innuens, (quanquam laro, quam auem pisciuorā esse constat, paulò pòst placentas mellitas sacrificari iubet,) seu aliam ob causam. Monet autē eo in loco Scholiastes phalaridem auem esse palustrem siue lacustrem, & pulchram: hic uerò iocosè eam attribui Veneri, διὰ τὸν φαλλόν. hoc est propter nominis allusionem ad membrū uirile, unde corruptus Suidæ locus emendari potest. Vide plura apud Varinum in φαληεὶς. Phalaris auis sacra habetur Veneri, nō modo propter phallos & ithyphallos quos Comici introducunt, sed etiam propter albū genituræ colorem. φάλιον enim album est, Eustathius. Aristoteli phalaris nominatur inter palmipedes quæ circa lacus & amnes uersantur. Aristoteles ait (citante Athenæo) passeres mares hyeme perire, fœminas superare, coniecturam faciens è colore, mutari enim pro diuersis anni partibus colorem passerum, ut merularum etiam & phalaridum quæ aliquando albescunt, quem locum ego corruptum arbitror, ex Aristotelis de anim. hist. lib. 8. capite ultimo, ubi legitur merulas pisces & turdos & caridem (non phalaridem) colorem mutare, ut & aues quasdam. Vere enim eas nigrescere, post uer denuò albescere. Non ignoro tamen merulas etiam aues colorem mutare. Legimus præterea apud Athenæum ἀλιπελείδας πτερυγίους μυείας, στυλάδας καὶ χήνια ἤτοι ὀρτύγια πτερυγία. ubi pro ἀλιπελείδας suspicor φαληεῖδας legendum. Possunt autem etiam aquaticæ aues sale condiri, ut puffini in Anglia. Αἱ φαλαρίδες, ut & aliæ amphibiæ uolucres, laqueis capiuntur, ad quos alliciuntur sparsis ad stagnorum fluminúmue margines frugibus, hordeo, siligine aut milio, Oppianus Ixeut. 3. Phalerides in Seleucia Parthorum, & in Asia aquaticarum laudatissimæ habentur, & iam in Italia quoq;, Plinius. Phalerides; & querquedulæ quomodo inclusæ nutriantur, scripsimus supra in Anate E. ex Columella & Varrone. Apud Varronem non phalerides sed phalarides legimus. qui cum de anatibus scripsisset, subdit: Sunt item non dissimilia alia genera, ut querquedulæ, phalarides, &c. ¶ Phalaris anatum syluestrium fœmellārum colore, qui entephros (subcinericeus) est, cōspicitur, rostro angusto & oblongo, rotundo capite, Germanicè Wurtuogel, Reck, Eberus & Peucerus. Aggregator phalaridem autem apud Kiranidem folegam (id est fulicam) interpretatur. Phalaris auis est (ut Kiranidæ interpres transtulit) quæ dicitur alba frons. Nam tota nigra est, & frontem solum albam habet. Inuenitur autem in fluminibus & stagnis. Huius cerebrum cum ueteri oleo permixtum omnes passiones ani curat. Auis ipsa in cibo sumpta uenenis aduersatur. Hæc ille. Et sanè huiusmodi auis est quę hodie à nobis Bölch uel Böl-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 166 sur 825

bene, ab Italis folega dicitur, tota nigra, macula tantum frontis alba, &c. ut in fulica copiosius dicetur: ac fieri potest ut phalaris Græcè, à macula illa alba nominata primum sit. φάλος enim album & splendidum significat, unde & phalerę dictæ.

DE MERGIS ALIQVOT, QVORVM NOMINA

uulgaria tantum nobis cognita sunt: primum in genere, deinde de mergis uarijs, hoc est albo nigroq; distinctis: ex quibus unum anatem Rheni uocant, cuius figurā hîc apposuimus: cui aliæ quædam congeneres sunt, magnitudine quidem & coloribus diuersæ, collum omnibus quàm in anate procerius.



DE

DE mergis in genere iam supra scripsimus, hîc pauca addam, quæ ad illos tantum mergos pertinent quorum sola uulgaria nomina mihi cognita sunt. Nostri igitur cum anates à mergis non rectè distinguant, auem illam aquaticam, quam mergum Rheni dicere debebant, & alteram quę mergus glaciei uel brumalis uocanda erat, anatem Rheni, & anatem glaciei uocitant: Rhynenten, Ysenten, Suchenten. quod nomen postremum ex mergo & anate compositum uideri potest. Sunt autem hæc duo genera collo longiore inter illos mergos de quibus deinceps hîc agemus: qui omnes anatibus similes sunt, cum aliâs, tum magnitudine ferè & rostri latiusculi figura, rostrum tamen eis aliquanto angustius quàm anatibus est, & aliter dentatum, ut supra dixi: & omnibus in fine magis aduncum, ut commodius pisces retineant. Mergus Rheni maior est cæteris: nam cæteri ferè anate paulò minores sunt, ille par. Quidam ex eis apud alios Germanos appellantur merchi, (Merch,) hoc est mergi corrupto nomine. alij nonnæ, (Nunnen,) id est moniales, à colorum uarietate, albi & nigri præsertim. Kernellæ nomẽ unde Germani quidam imposuerint nescio, quæ sola etiam in hoc mergorum genere, albo & nigro non similiter ut cæteri distinguitur. hanc supra descripsi post querquedulas, id est anates minores, an ex earum genere esset addubitans.

¶ Sed dicam primò de mergo Rhenano, qui in hoc genere mergorũ anatiformi maximus est. Corpus huic undiq; albo & atro colore distinctum. Rostrum & pars circa oculos nigrum est, in occipitio maculæ utrinq; atræ. Reliquum caput partim album, partim fuscum aut cinereum. Prona colli & pectoris pars cum uentre candidi coloris sunt, sed qui passim cinereis punctis aut maculis distinguatur: quæ quidem inferiore uentris & laterum parte cymatili ductu delectant intuentem. Crura circa imum uentrem prominent. Pedes digitiq; fusci, membranæ intersunt nigræ. cauda nigra, alæ dorsumq; totum nigris & candidis aliquot spatijs uicissim distinguuntur. Sunt qui nõnam (id est monialem) albam appellent: ut fuscam monialem alteram quæ infra describetur. aliqui Ysenten, id est anatem glacialem. Et hic est mergus cuius apposita hîc figura est.

¶ Eiusdem planè generis est, nec aliud ferè differt mergus alter, nisi quòd magnitudine inferior est, & caput collumq; exterius candidius habet, ac dorsum totum nigrum, non albis spatijs distinctum. Puto etiam ore differre, quod huic cum lingua & dentibus interius rubeat: illi non item sed potius nigricet. Hunc aliqui mihi mergum album uocauerunt, ein wysse Tuchent. Italicè morgon quasi mergum: Lucarni & Bellinzonæ, gyuen: in alijs quibusdam Italiæ lacubus polono: quidam garganellum, nescio quàm rectè. nam & alijs anatibus hoc nomen ab Italis tribui uideo. sed alium quoq; mergum maiorem cirrhatum circa Bellinzonam Itali garganey uocant: ut garganello diminutiuum sit. Hic mihi circa brumam ex Vrsa Heluetiæ fluuio allatus est, paulò minor anate fera communi, pisces adhuc faucibus continebat. Longitudo ab extremo rostro ad caudam extremam dodrantes duo cum palmo, caput album erat: sed maculæ nigræ cingebant oculos. quales & occipitium utrinq; insigniebant, medio interuallo albo relicto. Pectus, collũ & uenter tota alba. In dorso supremo egregiæ quædam plumæ alternatim albæ nigræq;. inde etiam ad latera uersus pectus tæniæ similiter discolores utrinq; procedebant. Rostrum ut anatis, denticulatum, angustius, è fusco ad cœruleum dilutum uergens: extremitate deorsum incuruata, crura digitiq; ut præcedentis. Alæ nigræ candido spatio maiusculo distinctæ: & inferius alijs duabus lineis candidis, ut in præcedente etiam. Dorsum planè nigrum, cauda fusca palmum longa. Ventris plumæ minimæ interiores, fuscę erant: exteriores & quæ apparent, ut dixi, albæ. ¶ Piscibus tantum uescuntur, cum alijs, tum gobijs fluuiatilibus, & interdum trochis. lapides etiam subuertunt, ut gobios captẽt. Hæc etsi de priore tantum genere audiui: de utroq; tamen uerè dici puto.

¶ Hoc genus Albertus mergum uariũ appellat. Et lib. 23. in Mergo, Aues (inquit) qui ut plurimum mergi uocantur, uariæ sunt ut picæ, anatibus alioqui magnitudine rostro & pedibus non dissimiles. (Ex diuersis sanè quos hîc describimus mergis uarijs, primum & secundum genus colorum albi nigriq; distinctione ad picam magis accedit quàm sequentia.) Et rursus in Anate, Anatis tertium genus uarium est ex albis maculis & dicto colore (sed de nullo certo colore prius dixerat, quamobrem lego, & nigro colore) compositum: & est genus mergi, cuius duæ sunt species magnitudine tantum diuersæ. Ego pro duabus istis mergi uarij speciebus, duas quas iam descripsimus acceperim, quanquam enim ea quæ sequitur quoq; mergus uarius minor appellari possit, non tamen nigro tantum & albo coloribus ut præcedentes distinguitur, sed alijs insuper (capite & collo præsertim) ut dicemus. Idem Albertus alibi trochilum Aristotelis, authoritate Auicennæ, asserit esse auem similem picæ, sed aquaticam & uariam, rostro anatino. Eberus & Peucerus hanc auem Germanicè Saucher uocant, uaria est (inquiunt) candida quibusdam partibus, quibusdam nigra, palmipes.

¶ Tertium mergi uarij siue glacialis (nam nostri uocant Ysentle) genus est, simile superioribus, sed capite & superiore colli externi parte ruffo spadiceue aut puniceo, (id est ruffo obscurè) collo inferiore uersus pectus fusco uel cinereo ferè. eminẽtibus modicè plumis capitis, magis quidem in mare, in quo etiam rostrum anterius qua incuruatur, rubere puto: in fœmina albere. Dorsum undique nigrum est. Alæ etiam nigræ, sed albo distinctæ ut præcedentium: hoc est primũ spatio amplio re albo, deinde alijs duabus lineis inferius. constant autem lineæ istæ albæ, extremis pennarũ albens

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 168 sur 825

tibus. Venter etiam albus est & supina (interna) pars colli superius. Crura ut præcedentium, breuia, fusca, membranis inter digitos nigris. Rostrũ ex cœruleo nigricat: angustius & breuius quàm anatis, dentatum. Magnitudo totius auis querquedulæ par, hoc est anate minor. Collum digitos circiter octonos longum: corpus reliquum ferè septenos, cauda quaternos. In uentriculo eius pisces inueni. Per summa frigora tantum, unde & nomen ei à gelu, apud nos capitur in lacubus, & fluminibus etiam puto. Aiunt hoc genus aliquãdo ferè totum album reperiri, sed rarò, primum forte genus, id est maius (supra nobis descriptum) intelligẽtes, quod passim toto corpore multò plus albi habet. In cibũ apud nos per hyemẽ ueniunt hi mergi, non minus quàm anates feræ uulgò laudati.

¶ Non alia est, ni fallor, quam Georg. Fabricius mustelarem uocauit (uulgò ein Wiselgen) à similitudine mustelę, quam (inquit) refert capitis rubore. Rostrum cęsium, non latum est, sed ungue (unco) corneo acuminatum, ut in longirostra. Collum in cinereo album, gula & uenter candida, tergum nigrum, alæ nigræ, in initio, medio, atq; extremo albis pennis transuersim distinctæ. Pedes cinerei, membranæ nigræ. Eiusdem cum longirostra magnitudinis. Capitis eius figura hæc est.



ALII EIVSDEM GENERIS MERGI, OMnes ex Georg. Fabricij descriptione.

¶ ANAS longirostra, ein Langschnabel oder Schluchtente, primum nomen à rostro, alterum à gemitu uocis traxit. Rostrũ nonnihil rotundum, digiti longitudine, colore in nigro flauicante. Caput cristatum, collum subrubrum, corpus totum nigrum, præter alas, in quibus paucæ tantum pennæ candidæ. Vẽter magnæ & paruæ anati fœmellę similis. Pedes crocei, membranæ lutreæ. Mediocri anate paulò est minor. Caput ei huiusmodi.



Longirostram maiorem paulò inferius describemus.

¶ Anas raucedula, ein Rogis, à raucedine uocis originẽ nominis apud nos sortita. Caput cristatum: rostrum cum longirostra conuenit, nisi quòd colore est nigrius. Corpus & alæ cinereæ, gula & uenter alba. Pedes nigri, & ut in mergulo, rectà extantes.

¶ Mergus ruber, ein roter Teucher, à parte superiore capitis & colli rubra denominatur. Huic gula in nigro flauescens. Corpus alæq; plumis uariegatis, anatis streperæ subalis, & uentri anatis magnæ respondent. Alarum extremitas nigra: cauda itidem nigra. Capitis magnitudine anatẽ magnam æquat, latitudine pedum reliqua genera omnia superat.

¶ Mergus niger, ein schwartzer Teucher, omnia anati mẽbra paria & æqualia habet. Rostrum ei nigrum, collum spadicis colore, corpus ut in fuligula: alæ nigræ, cum linea transuersa alba. Venter in nigro albo q; flauescens. Pedes & membranæ nigræ. ¶ Albertus mergi nigri anate minoris meminit, quæ alio nomine fulica dicatur. Nos etiã infra mergulũ nigrũ rostro acuto describemus.

¶ Anas alticrura, huius nomen lingua nobis uernacula scire ex aucupibus non potui, hoc imposui differentiæ gratia, dubitans tamen, an inter anates numerari debeat. Rostro acuto est, partim nigro, partim rubeo. Collum albus ambit circulus, tergum in cinereo album, uenter candidus. Alæ latissimæ, in quibus pennæ quatuor, extremæ utrinq; nigræ, in medio candidæ, reliquæ nigræ cum candidis apicibus. Cauda tota candida, in extremitate suprema parumper nigra. Crura quàm in dictis generibus exiliora & altiora, pedes candidi, & candidæ membranæ. Hucusq; Georg. Fabricius. Volui autem alticruram quoq; anatem ab eo dictam, mergis adnumerare, quòd rostrum acutum ei tribuat. quamuis hoc in loco illos tantum mergos quibus rostrum latiusculum & anatiforme est, describere institueram.

DE CAETERIS MERGIS EIVSDEM GENERIS, hoc est anatiformibus, rostro latiusculo anterius adunco, & albo nigroq; distinctis: sed collo breuiore multó.

EST & uarius ille mergus, (sed collo breui, ut sequentia etiam tria genera, quantum ex picturis conijcio,

conjcio. ipſas enim aues nondum uidi,) quem circa Argentoratum Germani monialem fuſcam (Grauwe nun: ut primum genus ſupra deſcriptum monialē albam) appellant. Huic ſi collum breuius non eſſet, per omnia ferè cum mergo illo quem tertio loco ſupra deſcripſimus, conueniret.

Ab hoc ferè coloribus tantum differt, qui iiſdem in locis (circa Argentoratum) Merch, hoc eſt mergus ſimpliciter uocatur. roſtrum ei ruſſum, unco extremo albo, caput collumq; ruſſo colore cla ro ſpectantur, cirris retro exiguis eminentibus. Crura ſubflaua: pectus & uenter albent. Dorſum nigrum eſt, ut etiam cauda & longiores alarum pennæ. ſuperior alarum pars ad fuſcū uel cinereum uergit, media candicat.

¶ Huic rurſus congener eſt, ſed maiori alarum parte albus, quem circa Argētoratum mergum album uocitat uulgus, (wyſſe Merch:) Hollandi ni fallor, Pylſtert. Roſtrum huic quoq; ruſſum: ſed caput cum collo nigrum, uiridibus aliquot (uel è cœruleo uirentibus) punctis reſperſum. Crura rubicunda, dorſum nigrum, macula inferius alba adiuncta.

DE MERGO CIRRHATO SIVE LONGIROſtra maiore, & illo qui à thymallis piſcibus uorandis nomen apud Germanos habet.

MERGI cirrhati quanquam & alij quidam ſunt, ſed cirrhis criſtiſue plumarum breuioribus; illum cuius capitis figura hîc adiecta eſt, priuatim ſic nuncupare libuit. Circa lacum Acronium (Conſtantienſem nos dicimus) uocatur ein Gann uel Ganner, neſcio quam ob cauſam: niſi fortè quòd maior anate cum ſit, ad ganſæ, id eſt anſeris ferè magnitudinem accedat. Aliqui uocant Merg uel Merrach, nominibus à mergo corruptis. Sed alius etiam hoc maior mergus & anſeri magnitudine propior, de quo proximè dicetur, Merrach à noſtris appellatur: Bellinzonæ & circa lacum Verbanum Italicè garganey: à quo diminutiuum eſt garganello ſupra memoratum. Capitur aliquando in lacu noſtro circa brumam, maximi frigoris indicium. Roſtrū ei anguſtius quàm anati, minimi digiti longitudine, extremitate ſuperiore uncata. unde & longiroſtra maior appellari poterit. nam minorem longiroſtram, ſimiliter cirrhatam, &c. ſuperius Georg. Fabricij uerbis deſcripſimus. cutis ad latera roſtri ſuperioris rubicunda uel punicea eſt, in medio nigricat. dētes duri, firmi, ſerrati, retrorſum flexi, ut in merrachio maiore. Caput ruſſum uel teſtacei coloris eſt, cirrho retrorſum eminente. Eiuſdem coloris & collum eſt aliquantiſper: cætero extrinſecus cinereum, ut & dorſum cum cauda aliſq;. Sed maiores alarum pennæ fuſcæ ſunt: macula in eis media parte inferiore alba. Crura & digiti pedum rubent, interiectis membranis ex ruſſo fuſcis. Collum paulò breuius dodrante. dorſum quoq; dodrantale eſt, cauda digitorum quinq;. Corpus in latitudinem quodammodo compreſſum. Plumæ uentris ex albo luteæ uel ruſſæ. Huius generis mergus ad me allatus, uiſco captus fuerat. Ad incedendum ineptum eſſe aiunt: ſemper in aquis manere, nidulari inter harundines. ſub aqua diutiſsimè omnium ſe continere, & urinando ad quadraginta aut quinquaginta pedes procedere: caput inter natandum ſublime attollere. ¶ Hippárion auem chenalopeci ſimilem eſſe Grammatici Græci tradunt, nec aliud. Nos ita dictam conjcimus, quòd equi inſtar iubata ſit, iuba ſcilicet ruſſa uel pili uulpini ferè colore: quod mergo cirrhato pulchrè conuenit: ut magnitudo quoq; chenalopecis, quæ infra anſerem eſt, anatem ſuperat. Si quis tamen colymbum maiorem, de quo paulò pòſt ſcribetur, hipparion à iuba eiuſdem coloris appellare malit, per me licebit. quanquam ille magnitudine ad chenalopecem non accedit, & iubam nō extrinſecus tantum ut equi, ſed in circuitu totius colli ſupremi habet.

¶ In lacu Acronio mergi quoddam genus, collo procero, pedibus nigris, anate communi maius, audio nominari Aeſchenten, hoc eſt anates thymallorum, quòd thymallis piſcibus uictitent.

DE MERGIS MAGNIS, MERGANSERE, Gulone, Scheledraco, & Morfice.

MERGVS anſeri ſimilis magnitudine figuraq;, Meerrach dictus à noſtris, (quanquam ſuperius quoq; deſcriptum mergum cirrhatum aliqui ſimiliter nominant,) per hyemem aliquando in lacu noſtro capitur, ſed raro. Hunc nos merganſerem appellabimus. Caput ei cum tertia colli parte ex uiridi nigricat. Collum reliquum album eſt cum aliquo pallore. infima colli pars nigreſcit, itidemq; dorſum. cauda cinereo colore eſt. alæ dorſum uerſus nigræ, mox albæ cum pallore quodam, dein iterum nigricant ſed remiſsius, mox iterum albæ ſunt idq; intenſius, extremæ pennæ nigricant. Sub alis prima pars albet, poſterior ex albo nigroq; mixta reſplendet. Plumæ uentris & ſupinæ caudæ, giluæ ſunt, id eſt ex albo & flauo. Palmipes eſt ut anſer, crura & pedes cum membranis inter digitos minij colorem habent. femorum plumę in prona parte uariæ ſunt, ſubalbidæ & nigricantes per interualla cymatili ſpecie. roſtrum eius, mergi cirrhati roſtro ſimile eſt, ab extremitate ad oculum uſq; ſi metiaris digiti medij, id eſt longiſsimi, longitudine.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 170 sur 825



Color eiuſdem per mediam partem pronam niger, utrinq; ruſſus uel puniceus. dentes habet ſerratos, aſperos, retrorſum inflexos: & alium ordinem dentium minorum paulò interius, ſed id tantum in ſuperiori roſtro, cuius etiam extrema portio adunca eſt. Cutis & caro, euulſis plumis, pallido ſeu luteo colore ſunt. Aliqui apud nos hoc genus mergi anatem Italicam uocant, in cibo laudant: & pondere aiunt interdum ad libras duodecim accedere: uentriculum ei corneum eſſe, firmiſsimum puto intelligentes & omnia concoquentem.

¶ In Acronio lacu eadem uel cognata auis, anſere maior, inepta ingredi, Seefluder nominatur.

¶ GVLO nobis appelletur propter uoracitatem, auis marina, quam Angli (ut audio) gul indigetant.

getant. Vorax est piscium, magnitudine anseris, colore giluo (aut ex fusco flauente,) gregaria, mensis lautioribus contempta.

¶ SCHELEDRACVS (Scheldrack) ab ijsdem uocitatur auis fluuiatilis, genere mergi quod cormorantũ appellant, minor, (uel si mauis, anseremino r, anate maior. rostro lato, extremitate acuminata (unco fortasis,) & dentibus acutissimis pleno: ex giluo subruffo, ut pedibus quoq; pectore albo, cæteræ partes uariæ sunt. Piscium uoracissimum hoc genus auium est: quos mira industria quasi constipatæ, & ordine dispositæ insectantur, donec ex alto in angustias minus profundas compulerint: quò coactos deuorant. Caro eorum minus lauta. ¶ Sed alij diuersam auem, quam supra inter anates platyrynchos tertio loco descripsimus, Anglorum scheledracum esse aiunt: de quo Angli ipsi iudicent, nos hæc ex auditu tantum prodimus.

¶ Eadem uel proxima est quæ MORFEX nominatur Alberto, auis aquatica, magna, uulgò apud inferiores Germanos Scolucherez (uel ut Murmellius scribit Scholucheren) dicta. nigra est, rostrum ei serratum & ualidum, ungues fortes. Sub aqua mergitur, & pisces magnos capit, præcipuè anguillas. Gregatim nidificat in arboribus iuxta aquam, & pullos piscibus pascit. Voraces sunt hæ aues, & à nido auolaturæ, si cibis recens ingestis nimium grauari se senserint, euomunt eos, ut leuiores ad fugam sint. quæ uerò non euomunt, aliquando pereunt. Fimus earũ siccat arborum ramos in quos inciderit. Saturatæ alas ad Solem expandunt ut siccentur, palis & arboribus insidentes. Volatura uix eleuatur, & caudam diu in aqua trahit, unde & à quibusdam humidus culus (Vuchtars, ut Murmellius scribit: nos potius scriberemus Fiichtars) uocatur, Hæc Albertus lib. 23. historiæ anim. Cæterum lib. 5. cap. 3. de eadem sic scribit: In nostris regionibus auis est aquatica nigra, quæ pisces in fluminibus & maribus uenatur, ac plurimum detrimenti infert: pectore & uentre cinereo, tardi uolatus. Cùm mergitur, diu manet sub aqua. Rostrum ei dentatum instar falcis messorum, quo retinet pisces lubricos ut anguillas. Rami uentris eius eluuie infecti arescunt, ut ardeæ etiam & ferè omnium aquaticarum fimo. hanc quidam uocant coruum aquaticum, Germani Schaluchorn (fortasis à uoracitate, quasi ein Schlucker. uide plura mox in Carbone aquatico.) Pullos uere educat, ut cæteræ aues. nidificat in arbore alta & magna iuxta aquam piscosam. Vide mox etiam in Carbone aquatico. Sed de coruo aquatico, quoniam diuersæ sunt sententiæ, dicam infra post Corui historiam. Quærendum an hæc sit auis, quam audio quibusdam inferioris Germaniæ locis uocari Aelgiiß, quasi anserem anguillarum, quòd illas deuoret. magnam & totam nigram esse aiunt. Sed alij aliquam mihi narrant accipitrum generis esse, magnam, & apud nos quoq; capi: piscibus & anguillis uictitare, in quos ab alto conspectos rectà deferatur. Quærendum etiam an eadem sit quam à Gallis audio cormarin, id est coruum marinum appellari, anate maiorem, rostro anatis rubente.

DE CARBONE AQVATICO, ET MAGNALIBVS.

ARISTOTELES de animalibus 7. 3. Corui aquatici, (inquit, ut Gaza uertit, Græcè κόραξ tantum legitur,) magnitudo est quãta ciconiæ, sed crura breuiora. palmipes, natansq; est, colore niger, insidet arboribus & nidulatur in ijs hic unus ex hoc (palmipedum) genere: ubi Albertus, Hunc (inquit) uocamus carbonem aquaticum, uulgo Scalueren (Stettini Schulueren.) Scalucheren uel Scholucheren, idem coruum aquaticum in duobus alijs locis interpretatur. quem tamen ab hoc diuersum existimo, quòd rostrum ei serratũ tribuat, pectus & uentrem cinereum. quæ nostro scharbo (aui quam uulgò Scharb & Netzescharb uocamus) non conueniunt. Vtriq; tamen ut uictus idem, sic magnitudo ni fallor eadem tribuitur. utræq; merguntur, & diu sub aquis manent. Vtræq; in arboribus nidificant. Vtranq; coruum à colore dixeris: ut confundi eas aliquando mirum non sit. Audio & apud nos scharbos dictos, alios uentre albo esse, alios alterius coloris, cætera similes. Scharbi quidem nomen uel à coruo factũ conijcias, qui Italis corbo & coruo dicitur: uel ab atro carbonis colore. nam uicini nobis Galli carbonem uocãt scharbon, ipsi charbon scribunt. in qua sententia etiam Albertus fuisse uidetur carbonem aquaticum hanc auem nominans. uel ab acumine marginum rostri eius. nostri enim acutum dicunt scharpff. Turnerus hanc auem simpliciter mergum appellat, Anglicè cormorant, Germanicè ein Sucher: & tum circa mare in rupibus maritimis, tum circa amnes, lacus & fluuios in arboribus nidificare testatur, ut supra recitaui in Mergo. Aues palmipedes sunt mergus uarius: & mergus magnus niger, qui à quibusdam carbo aquaticus uocatur, Albertus 7. 3. Scharbus, quem hæc dum conderem manibus tractabam, longus erat dodrãtes quatuor cum palmo, à summo rostro ad extremam caudam extensus. rostrum ei acutum & peculiare, superiori parte instar Latinæ literæ sigma ſ. inflexũ uncò descendente, piscibus attrahendis apto, sex digitos longum. idem superius nigricans, utrinque albebat. Cutis inferiori rostro & utrinq; sub oculis obtendebatur crocea. Plumæ uẽtris albæ. Crura octo digitorum longitudine. digiti pedum quaterni, nigri, amplis nigrisq; mẽbranis iuncti. Pennæ dorsi in ambitu colorem ex uiridi nigroq; mixtum præ se ferebant, per mediũ ex cinereo lucido ac rufo. Collum supinum plumæ partim albæ partim nigricantes tegebãt. Capitis colliq; prona parte color ex uiridi & nigro permixtus mihi uidebatur. Alæ ad sedecim digitorum longitudinem extende-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 172 sur 825



bantur: eodem colore quo dorſum, niſi quòd amplius ſubruffi coloris ex ſubruffo lucido ac cinereo mixti.

¶ Carthates (inquit Albertus lib. 23. ſcribendum Catarrhactes) de genere eſt mergorum, auis nigra, quæ ſubmerſa aquis continet ſpiritum ad ſpatium quo homo uelox poteſt ambulando geometricum miliare conficere. Piſcibus multum nocet & uorax eſt. Videtur autem eundem carbonem aquaticum eſſe inſinuare, nigri coloris eſſe ſcribendo, cum Oppianus catarrhacten album faciat. Ariſtoteles nihil aliud de catarrhacte ſcribit, quàm uictitare eum mari, & cum ſe in altum immerſerit, manere non minus temporis quàm quo ſpatium tranſieris iugeri. minorem eſſe accipitre, gula tota ampla & lata. Cæterum in prædicti ex Ariſtotele loci interpretatione, catarrhacten Albertus Latinè mergum magnum uocari ſcribit, nulla de colore eius mẽtione facta. Nos gauiarum potius ſiue larorum generis quàm mergorum catarrhacten arbitramur. Vide infra in Catarrhacte. Sabaudi

baudi auem quandam cui roſtrum ſit inſtar anatis, corbeau crochereyx uocãt: nimirum ab anterioris partis aduncitate. Galli enim crochu uocant aduncum uel hamatum, quod ſcharbo noſtro conuenit: ſimilitudo uerò ad anatis roſtrum non conuenit, quare inquirendum an auis ea Alberti potius morfex ſit. Itali auem aquaticam totam nigram magun appellant: ut & homines urinatores: uel mergum minorem nigrum, uel potius magnum (de quo hic ſcribimus) intelligentes. nam eundem quoq; alij morgon appellant, uel mergon. ¶ Cum in Rheno apud nos ſcharbi apparent, ſignum aiunt eſſe magni frigoris, & periculum ne uites frigore pereant. memini tamen in lacu noſtro etiam Septembri Menſe in fine alterius decadis aliquando captos, cœlo quidem frigido. Porrò quanquam hæ aues totæ nigræ appareant, ſi quis tamen penitius inſpiciat colores deprehendet diuerſos. nempe in alis nonnihil ruffi ſplendentis admixtum, & in cæteris pleriſque pennis aliquid ſubuiride, ut in coruo quem ſyluaticum uocamus. Fieri tamen poteſt, ut pro ſexus ætatiſq; differentia colores quoq; uarient. Memini ego me ſcharbum uidiſſe cui in collo ſupremo & in uertice, multæ plumæ albæ inerant, neſcio ſenectutis ne, an alia ratione. Certum eſt hanc auem longo ſpatio uri nari poſſe, non admodum in aqua natat, ſed frequentius alicubi inſidens, palis præſertim aut pertícis aquæ fundo infixis, piſces ſpeculatur. Per autumnum ferè ad lacus noſtros aduentat. In magno frigore ſubinde alas extendit. Piſces nantem ſequi & paſsim adnatare ferunt, quaſi odore eius illectos. Pellifices nonnulli pellem eius præparant, ut pro tegumento imponatur uentriculo, tanquam uim concoquendi promoueat. nam & auis ipſa ualidiſsimo uentriculo & alimentum omne celeriter conſumente eſſe creditur, unde uulgò dicunt, de homine uorace uel multi cibi, ſcharbi uentriculum ei eſſe. Vide ſupra in Mergo G. Sic apud Ariſtophanem legimus galli uentrem habere, qui omnia concoquat.

¶ MAGNALES aues ſunt Orientis, ualde magnæ, pedibus nigris & roſtro, hominib. innoxiæ, piſcibus in fluminib. & ſtagnis & alijs aquis inſidiantes ut deuorẽt, Alber. ex epiſt. Alex. ad Ariſtot.

DE COLYMBIS MAIORIBVS.



ERGORVM genus cui roſtrum anguſtum eſt & in acutum deſinit anate uel maius, uel par, (nam de minimo dicemus mox priuatim,) noſtri Stickel uocant, unius ſcilicet literæ mutatione à mergo quem uocãt Sucker. Inuenitur in noſtro lacu & uicinis quibuſdam, & Lemanno ſeu Geneuenſi. Is quem in Lemanno captum uidi paulò minor anſere erat, collo oblongo: roſtro duos digitos longo cum dimidio, anguſto & in mucronem deſinente: dorſo nigro, collo inferiore & uentre albo plumis ferè niueis. Digiti pedum terni, lati, adhærentibus membranis, ſed aliquouſq; diuiſi, non ut in cæteris aquaticis coniuncti. Venetijs hanc aut ſimillimam auem ſpergam uocant (quaſi ſmergam nimirum, nam & mergi uulgò illic ſmergi dicuntur) roſtro & pedibus ut dixi, colore è fuſco nigricantem, collo ferè caſtaneæ colore, &c. Inuenitur apud nos aliud genus, cætera quidem ſimile, ſed criſtatum plumis circa uerticem & collum ſupremum eminentibus, ſuperius nigris, ad latera ruffis, inſtar pilorum uulpis. Vngues omnibus in hoc genere latiuſculi, præſertim medius, non ut in cæteris auibus omnibus teretes & in mucronem attenuati: ut non ſolus homo, ſicut Plato eius definitioni contra cauillantem Diogenem addebat, πλατυόνυχον dici debeat. Crura etiam omnibus iuxta aluum ferè retrorſum porrigũtur, natationi potius quàm ingreſſui apta, femoribus in uentre conditis. quamobrẽ in terram ſi quando egrediantur, facile capiuntur, propter incommodum ingreſſum. Vidi in uno aliquando inæqualem tibiarum ſitum, altera antrorſum, altera retrorſum porrecta. Quidam eos nunquam in terram egredi putãt, & in ipſa aqua (in arundinibus nimirum) nidificare. Alta uoce clamant, piſciculis uiuunt. Appellatur hic mergus circa lacum Verbanum iurár: à Sabaudis (ni fallor) loere: quo nomine etiam pigram & ſegnem mulierem uocant, à nota huius auis ad inceſſum tarditate. Seuerus Sulpitius tradit quandam mergorum ſpeciẽ eſſe, quæ à re cornuta uocetur, eò quòd rubeas plumas in capite inſtar cornuum habeat, Author libri de nat. rerum, ſed mergus cirrhatus quoq;, de quo iam ſcripſimus, criſtatus eſt cirrhis retrorſum uerſis, inſtar iubæ potius, quàm ſurſum & cornuum inſtar ut mergus hic de quo in præſentia agimus. & quoniam hipparion Græci auem chenalopeci ſimilem faciunt, eundẽ mergum cirrhatum, quòd ferè equi inſtar iubatus ſit & ad chenalópecis magnitudinem propius accedat, potius quàm hunc præſentem, chenalópeca facere placuit. Vocetur ergò mergi, de quo agimus, genus criſtatum, cornutum: in uniuerſum uerò colymbus maior, ſiue criſtatũ ſiue abſq; criſta fuerit. quòd ut colymbis parua (ſuperius deſcripta) minima ferè in uolucrum aquaticarũm genere, perpetuò in aquis natet, roſtro ſimiliter anguſto & acuto. Atheneus ſanè colymbidem paruam nominat, & rurſus deſcribens phaſcades, maiores eſſe dicit quàm paruas colymbides, innuens ſcilicet eiuſdem generis etiam maiores inueniri. quod ipſa quoq; nominum forma oſtendit, quæ colymbo primitiua eſt, colymbidi diminuta. Nos tamen quæcunq; uel de colymbo, uel de colymbide colymbadeue apud ueteres ſcripta extant, ſuprà in unum caput coniunximus. Quòd ſi cui etiam uriam maiorem appellare libuerit, non repugnabo, quoniam & roſtri figura conuenit, & urinandi conſuetudo: & minimum in genere mergorum de quibus hic ſcribimus, ſupra uriã ſimpliciter dictam eſſe coniecimus. ¶ Mergi contra omne genus auiũ pedes habẽt in cauda, ita ut cum in terrà ſtant, geſtu pectoris ſicut homo erigantur, Author libri de natur. rerum. Conuenit autem hic pedum ſi-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 174 sur 825



tus, & corporis erectio, præsenti mergorum generi magis quàm ulli cæterorum: nisi forte carboni etiam aquatico, id est scharbo nostro conueniat.

¶ Colymbi maioris cornuti uidi etiam alterum genus plumis, quæ circa caput eminent, minus ruffis alboq; permixtis, breuioribus, collo circiter duos palmos longo, &c.

¶ In Acronio lacu auem quandam nunc dictis congenerem, sed anſere maiorem, rarò capi audio, Fluder appellatam, nimirum ab inepto eius per aquæ superficiem motu, cum neq; uolare possit recte, neq; ingredi commodè, nisi simul pedibus alisq; nitatur, ut cæteri etiam colymbi, propter crura retrorsum uersa: rostrum ei oblongum esse, angustum, acutum. Vocem altā sui cuiusdam generis ædere, urinari quàm profundissimè, ita ut orgyarum uiginti spatio quandoq; sub aqua capiatur, reti uidelicet aut mucrone ferreo cui infixus piscis fuerit. Singulas duabus drachmis & dimidia argenteis

argentei ferè uænire. Hanc ego colymbum maximum appellauerim.

¶ Colymborum genera in agro Tigurino circa medium Auguſti menſis plerunq; lacu Gryphio dicto, retibus magna copia publicè capiuntur: & diem illum inde colymborum nominant accolæ, den Tüccheltag, eo enim tempore uolare omnino non poſſunt propter pennarum mutationem. Merguntur quidem ſemper celerrimè, ut auditum etiam bombardæ ictum effugiant.

DE TRAPAZOROLIS VEL MERGVLIS.

TRAPAZOROLAM Ferrariæ in Italia uocant (alibi arzuolam: circa Verbanũ lacum piombin, id eſt plumbinam, quòd nomen alij iſpidæ aui melius, ut puto, attribuunt) mergi genus exiguũ, quod etſi uriam Athenæi eſſe conijciò, aut congenerem maximè, de qua ſupra egi: quemadmodum & colymbidi, id eſt colymbo minori: (Videntur enim colymbis & uria magnitudine tantum differre,) ut ſuum tamẽ cuiq; iudicium liberum relinquam, peculiariter quę de trapazorola Italis dicta cognoui, hîc cõſcribam. Trapazorola igitur omnino à colymbo maiore, quem deſcripſi proximè, nihil aliud quàm magnitudine differt, quum longè minor ſit: & inſuper quòd trapazorolæ nullæ criſtam iubámue habent, colymbi uerò maiores aliqui habent. Noſtri hunc mergulum uocant Tüccheln, quæ uox diminutiua eſt à uoce Tüccheln, id eſt colymbo maiore, aliqui Hürchele, aliqui Suchentle, ſed minus proprièe. nam cum roſtrum ei anguſtum ſit non debet ab anate denominari. Sunt & alia Germanica nomina de eadem hac aue (ni fallor) uſurpata: Küchen uel Küggelen, Tüchterli, Pfurtzi, apud Heluetios: & Käferentle apud Sueuos aut Rhętos quoſdam, quaſi anaticulas ſcarabeorũ dicas, quos forte perſequuntur, minimas & pinguiſſimas eſſe aiunt. Angli, ut audio, dob chekin, hoc eſt mergum pullum à paruitate. Hollandi Arſevoet, (nos ſcriberemus Arßfüß) eò quòd podici pedes ſint adiuncti, (unde pygoſcelis Græcè uocari poſſet, πυγοσκελὶς, ζῷόν τι, καὶ ὁ βραχὺς, Heſychius & Varinus, etſi idem ſitus crurum in maiore etiam colymbo eſt.) Luſitani adem uel gatirhas. Magnitudo ei ferè columbæ, roſtrum tanquam turdi aut merulæ, digiti pedũ lati, adhærentibus membranis fuſcis, non continuis tamen ſed triſariam diſſectis, ut in colymbo maiore quoq; unguibus ſimiliter latiuſculis. Pectoris & uentris plumæ argenteæ ſunt, ſed in imo uentre coloris fuſci. Roſtrum ſuperius nigricat, utrinq; rubet, inferior roſtri pars ferè tota rubet ſanguineo colore. Capitis colli uentriſq; plumæ fuſcæ ſunt, admixto perpauco rufo. alæ nigricant, habent tamen etiam albentes pennas, ſed non ſine fuſcis maculis. Supina alarum pars, ut uenter, albet. Collum utrinq; rufum eſt: & in ſupina quoq; parte, ſed remiſsius. Capitis ſupina pars alba eſt. Ad dorſi extremi latera partim rufæ, partim nigrantes pennulæ habentur, cauda nulla. Pupillam nigram circulus ambit ſpadicis coloris obſcuri, ſi bene memini. Odor quidem grauis, ſed in cibo commendantur, carne ferè teneriore pinguioreq; quàm cæteræ palmipedes auium. Multa tenuia oſsicula in femoribus habent ab una tantum parte circa articulum agglutinata, dimidia oſsis femoris longitudine. In diſſectis imam gulæ partem amplam & capacem reperi: in uentriculo piſces concoctos & lapillos. Pedibus incedere non queunt, niſi pariter etiam alis nitantur. Primæ inter palmipedes feras ad urbem noſtram in lacu, ut audio, aduenium.



¶ His ita perſcriptis, eiuſdem auis deſcriptionem à Georg. Fabricio accepi huiuſmodi. Mergulus, ein Mirgigeln, roſtro acuto eſt quale turdorum, corpus nigrum: gula excepta, quæ in mare rubra, in fœmella eſt candida. Venter in nigro alboq; maculoſus. Pennæ alarum nigræ & cæſiæ ſiue glaucæ, & albo conſperſæ. Pedes fiſsi, nec acutis unguibus incurui, ſed planis recti: & adeò rectà extantes, ut in tergum queat reiicere. Crura plumis deſiſsimis ueſtita. Quatuor igitur ab alijs inſignes differentias habet. Roſtri, ut dixi, quod acuminatur, non hebeſcit: alarũ, quæ ſunt breuiſsimę: pedũ, qui à cęteris fiſsione aliquantum, digitorum aũt latitudine, & rectitudine unguium plane ſunt differentes. Caudæ deniq;, quæ teres eſt, & uix articuli longitudine. Hæc auis ob alarũ breuitatem ſalit potius quàm uolat: neq; innatare aquis, ſed globi inſtar inuolui uidetur.

¶ Vidi etiam alterum genus, aliquanto maius & nigrius, per caput ſcilicet, collum & dorſum,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 176 sur 825

rostro etiam nigro. Ventre albo: circa clunes & femora pennis quibusdã albis, alijs ruffis: ad latera etiam capitis post oculos utrinq; ruffis paucis. Circulo in oculis pulchro & croceo: genas etiã linea eiusdẽ coloris ambiente. lõgitudine à rostro ad extremos pedes extensos retro, dodrantũ duorum, si bene memini. hoc mihi Turca quidam karabatak uocabat. Huius capitis icon hæc est. Merguli nigri Albertus meminit, haud scio hanc an diuersam auem intelligens. Sunt ex hoc genere mergulorum alij dorso fusco, alij ad ruffum inclinante: & alis alij nigris, alij non item, &c. Præterea alij in fluuijs tantũ degunt, alij in medijs aquis gregatim ferè. ¶ Puffinum apud Anglos dictum audio huic generi non dissimilem esse, cum aliâs tũ quod plumas instar lanuginis potius quàm pennas habeat, id quod Turnerus de tertio urinatricis genere scribit, quod anserculũ nuper ouo exclusum (inquit) adeò refert, ut nisi rostrum huius paulò tenuius esset, ægrè alterum ab altero discerneres.



¶ In Gallia mergus paruus fluuiatilis est, uulgò un castagneux, (fortè quòd colorem castaneæ referat, ut ex suprascripptis quidam, capite præsertim,) ignotus in Græcia, Petrus Bellonius.

DE ANSERE DOMESTICO: ET DE Anseribus quædam in genere.



A.

ANSER lingua Arabica aut finitimis dicitur אווז, auaz, si rectè scribitur, fortè legendum anaz, (nam alioqui anatem & anserem qui libros Arabicos superiore seculo Latinè reddidêre, confundunt:) aut קקי, kaki, ut legimus apud Munsterũ in Lexico trilingui. in Hebraicis quidem Lexicis nihil tale inuenio. Græcè χὴν dicitur, hodie uulgò χίνα: quanquam & anas (ut quidã scribit) uulgo hodie χῆνα nominetur. Italicè la papara, ocho, ut Scoppa scribit. uulgò paparum uel paparus, Monachi Itali in Mesuen. Aliqui papero Italicam uocem, pullum anseris interpretantur. Recentiores Græci quidam anatẽ uocant pappon uel pappitzan. Euphronius Grammaticus in Auibus Aristoph. πάππον genus auis interpretatur. alij negant, & Callimachum inter aues pappi non meminisse aiunt. Verbum quidem παππώζειν etiam ueteres Græci de anserum uoce dicunt, teste Polluce. Anseres & ocæ siue aucæ à Græcis χῆνες appellantur, Hermolaus Barbarus Venetus. Rasis interpres & alij recentiores barbari Italicæ linguæ uulgaris imitatione aucam pro ansere scripserunt. Ocha nomẽ est à Græco deductum, ac à nostris compositum ex illorum masculino articulo, & χὴν, id est anser, ultima litera abiecta. aliqui o. in au. diphthongum commutantes dixerunt aucha, Io. Tortellius. Aut forte à Saracenis. scribit enim quidam anserem marem Saracenis ocke nominari, fœminam Vuoszhe. Hispanicè ansaron. Gallicè oye uel iars. oyard priuatim de mare. Oyon & oyson diminutiua sunt. Germanicè Ganß, Frisij Gůs proferunt, ut uulgus nostrum Gauß. Mas priuatim Ganser uel Ganserich. Plinius tradit à Morinis Belgicæ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 177 sur 825

Belgicæ populis ganzas appellari: (aliâs gantas, ut Rhenano placet,) anſeres quoſdam, (candidos, uerum minores:) & hoc nobis compertum in Morinis eſt, ita tamen ut omne genus anſerum ganzas ferè nominent, Hermolaus. Anglice a goſe uel gooſe. Illyricè hus uel genſy.

B.

Ariſtoteles de hiſt. anim. 8. 3. duo anſeris genera facit, maius, & minus quod gregatile ſit: Plinius domitum & ferum. quare aliqui minorem Ariſtotelis anſerem, eundem & ferum exiſtimant. Anſeres hodie optimos habet, ut audio, Turingia. abundant iiſdem circa Norlingam in Germania regio, & Gallis finitima Mediomatricum. Arabiæ pars auſtrum uerſus contra Aethiopiam aſſurgens, aues omnis generis habet præter anſeres ac gallinas, Strabo. ¶ In regno Senegæ Nigritarũ anſeres ſunt non ut noſtræ, ſed colore & pennis multijugis uariatæ, Aloyſius Cadamuſtus. Hiſpana inſula anſeres habet oloribus candidiores, capite tantum rubeo, Chriſtophorus Columbus. In prouincia Manzi uel India ſuperiore præcipua ciuitas eſt Cenſcalan: in hac anſeres habentur pulchri, duplò maiores noſtris, toti albi: cum oſſe ſupra caput unius breui (forte oui) quantitate, colore ſanguineo, ſub gula pellis per ſemiſſem pendet, pinguiſsimi ſunt, Odoricus de foro Iulij. Sed hi anſeres forte ſylueſtres ſunt.

¶ Anſer eſt auis aquilæ magnitudinis, Author lib. de nat. rerum. Anſer domeſticus ferè cuiuslibet coloris inuenitur qui in anſere ſylueſtri eſt, nempe albus, & cinereus, & utroq; uarians, (ut etiam anas cicur:) ſed non niger, nec uiridis, nec alterius quàm dictum eſt coloris, Albertus. Anſeres maximos & candidiſsimos eligere oportet, Anatolius. Albi fœcundiores ſunt: uarij uel fuſci minus, quia de agreſti genere ad domeſticum tranſierunt, Palladius.

¶ Anſer roſtrum latum habet ut anas, Albert. Gula ei tota ampla & lata, Ariſtot. Aues quæ anterius in collo pappam ſiue ſtrumam (ingluuiem) habent: hæc in quibuſdam maxima eſt, aſcendens in collo uſq; ad linguæ radicem, ſicut in anſere, Albertus. Appendices quaſdam paucas habet infra qua deſinit inteſtinum, Albertus. Teſtes lumbis innexi ſunt infra ſeptum tranſuerſum omnibus ouiparis: de ſingulis ſinguli meatus pertinent, eodemq; coëunt ſupra oſtium excrementi, ut in piſcibus. iſq; meatus qui in coitu amborum conſiſtit genitale eſt: quod in minoribus latet, in anſere uerò & ſimilibus euidentius eſt cum recens interint, Ariſtot. Anſer palmipes eſt, Ariſtoteles & Plinius.

C.

Anſer tum maior tum minor circa lacus & amnes uerſatur, Ariſtot. Non terra ſolum contentus eſt, ſed etiam aquam requirit, Varro. ¶ Omnis anſer clamoſus eſt, & uix unquam tacet, Albertus. Gratitat improbus anſer, Author Philomelæ. Græci παπαπαῖαι dicunt de uoce anſeris, autore Polluce: & anſerem ipſum Itali paparam. Aratus κλαγγηδὸν aduerbio de anſerum uoce utitur. Argutus anſer, Martialis. Anſerum clãgorem Plinius dixit. Anſer nocturnas excubias celebrat, & uigilias ſuas cantus aſsiduitate teſtatur. Gallos in limine adeſſe canebat, Vergilius 8. Aeneid. de anſere, ubi Seruius, quaſi prædiuinabat. nam canere & dicere & diuinare ſignificat. Omnis anſer parum dormit, Albertus. Leuiter audit, Idem. Natura eſt ad ſenſus & ſtrepitus ales acuta & ſolicita, Grapaldus. Nullum animal ita odorem hominis ſentit, Plinius. Humanum longè præſentit odorem Romulidarum arcis ſeruator cãdidus anſer, Lucretius. Canibúsue ſagacior anſer, Ouidius 11. Metam. Adnotatum eſt in apris præcipuum eſſe auditum: uel (ut Græcus præfert codex) in anſeribus, Cælius. ¶ Anſer natura uorax eſt, uentriculo calidiſsimo. gaudet herbis, riguis & frigidis, laurum non attingit. Cibarijs ſummè humidis, quibus interius refrigeretur, delectatur, Aelianus. Improbum anſerem apud Vergilium aliqui inſatiabilem interpretantur. Herbilis anſer, herba paſtus, qui graciliór eſt quàm frumẽto paſtus, Feſtus. χλιῶς μοι κῆπος εἴκοσι σίτου (πυρόν; apud Athenæum) ἐδώδιμος ἐξ ὑδάτων, Homerus. De cibo & ſaginatione anſerum, uide plura in E. Herbam in Varrone pabulo anſerum ſeri ſolitam, non herin, ut habent exemplaria, ſed ſerin ſeribendum monemus, authore Columella. ferunt eam cum eſt aqua tacta, & cum eſt arida, quaſi renouellari uiridemq; fieri, Hermolaus. ¶ Mirum in hac alite à Morinis uſq; Romam pedibus uenêre, feſsi proferuntur ad primos, ita cæteri ſtipatione naturali propellunt eos, Plinius. Sunt autem Morini Belgicæ, quos Plinius ultimos hominum dicit, & ita uocantur hodie, Hermolaus. Volant extento collo omnes anſeres, ardea contracto, Albertus. Anſeres feri maximè uolaces ſunt, & uix à uolatu ceſſant, niſi neceſsitate cibi: domeſticis contra, uolatus eſt grauis, paſcere officioſiſsimum, quieſcere ac dormire præcipuum, Author libri de nat. rerum. Quòd natura calidiſsimi ſunt, idcir co lauationum cupidiſsimi exiſtunt, etenim natare gaudent, Aelianus. ¶ Anſeres in aqua coëunt, (uide etiam in E.) pariunt uêre: aut ſi bruma coiuêre, poſt ſolſtitium, quadraginta propè diebus. bis anno, ſi priorem fœtũ gallinæ excludant: aliâs (uidetur abundare uox aliâs. fortè al' in margine ſcriptum fuit, non enim bis, ſed ter anno pariunt, ad ſummum quater, uide in E.) pluríma oua ſedecim, pauciſsima ſeptem. Si quis ſurripiat, pariunt donec rumpantur, (&c. Vide in E.) Plinius. A partu ſeſe aquis ingurgitant, Ariſtot. Aliquando hypenemia oua pariunt, Idem & Plinius, quę quidem reliquias eſſe prægreſsi coitus (ut quidam dicunt) falſum eſt. ſatis enim conſpectum eſt in nouella tum gallina tum anſere, gigni ſine coitu, Ariſtot. Coëunt, non ſubinde, nec quouis anni tempore ut gallinæ & anates ferè, (ut audio,) ſed uêre tantum. itaq; magis propter plumas apud nos, quàm

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 178 sur 825

propter oua nutriuntur. Varios, albo & cinereo coloribus, apud nos & in Sueuia albis præferri aiunt: quòd & firmioris sint ualetudinis, & fœcundiores, nec deteriore pluma. Chychelinches apud Auicennam sunt aues compositæ ex anſere & ſtruthione, quæ pullos æstate educunt, Albertus. mihi hic locus ex Aristotele de hist. anim. 6. 2. translatus corruptusq; uidetur, & pro chychelinches legendum chenalopeces, id est uulpanseres. Anserum fœminæ tantum incubant, quæ ut cœperunt, nunquam intermittunt, sed perpetuo fouent incubitu, Idem. Anser tricenis diebus incubat, Aristot. uigintiocto, Columella. ad uicesimam nonam usq; diem, Florentinus. tricenis diebus: si uerò tepidiores sint, uigintiquinq;, Plinius. ¶ Anates, anseres, cæteræq; aquaticæ annuum fastidium purgant herba sideríte, Plinius. Anser unus ex pedestribus morsus à cane rabído, nec rabit, nec moritur ex morsu. quare apud Aristotelem libro 8. cap. 22. de historia anim. ubi legitur, animalia à cane rabído morsa omnia rabiunt excepto homine, (πλὴ ἀνθρώπου. ubi aliqui legunt πρὸ ἀνθρώπου, id est prius uel citius quàm homo:) quidam medicus legit πλὴ χηνὸς, id est excepto anſere, quod licet uerum sit, non temere tamen mutandus est Aristotelis locus, Niphus. Anser coruusq; ab æstate in autumnum morbo conflictari dicuntur, Plinius. Lauri folia etiam in fame non attingunt, ut neq; rhododaphnen ullo modo. præclarè enim intelligunt, si quid tale comederint, se uita priuatum iri, Aelianus. Infestantur sui generis pediculo. Pimpinella maiore quæ in pratis nascitur mulieres quędam ad pituitam anserum utuntur, Tragus. ¶ Anseris uita perlonga est, uidimus enim anserem domesticum, qui annos sexaginta excesit, Albertus.

D.

Anseres uerecundi & cauti sunt, Aristot. Ab authoribus non glorioſum tantum animal pauo traditur, sed & maleuolum, sicut anser uerecundum. quoniam has quoq; quídam addiderunt notas in his, haud probatas mihi, Plinius. Anser & catus imitantur uerecundiam, Albertus. Tribuitur autem anseri uerecundia fortè, quòd non frequenter ut gallinæ & anates, nec quouis anni tempore coëat, & in aqua tantum. χὴν Græcis nomen tulit παρὰ τὸ χάσκειν, id est ab hiando. quoniam & uorax animal est, & solet plerunq; cum uel superbia aliqua uel metu ducitur, (ὅτι αἱ θρασυνόμεναι ἢ δειλιῶσι) hiare, Varinus. Anseres feri etiam mitigantur, ut in B. diximus. ¶ Anserum historias qui homines amauerunt, differam ad Philologiam d. ¶ Anseres nihili faciũt canes & magnas struthiones, accipitrem uerò uel minimum formidant, Aelianus. Aquila anseres ex cohorte rapit, Idem. Ἁρπάζει δὲ χὴν ἥρπαξ' ἀπὸ πολεμικῆς φήνικος, Homerus de aquila. Et rursus, Ἀλλ' ὡς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἀϊσσόντων ἄνεμος ἄνεμον ἔνθα ἐφορμᾶται ποταμὸν παρὰ βοσκομένάων χηνῶν ἄγρανον. Inimicitia est inter pennas aquilæ & anseris: & una aquilæ penna coniuncta multis pennis anseris, consumit eas: id quod expertus sum in pennis alarum: & forte idem accidit etiam in alijs earundem auium pennis, Albert. uide in Oue D. Anseres à lupis & uulpibus rapiuntur, & ideo ab eis custodiendæ sunt, Crescentiensis.

E.

Anseres quomodo capiantur, quæ ab authoribus tradita sunt, omnia ad feros tantum capiẽdos pertinere uidentur. quamobrem eousq; differemus.

Amphibij generis sunt quæ non terrestria tantum, sed aquatilia quoq; desyderant pabula, nec magis humo quàm stagno consueuerunt: cuius generis anser præcipuè rusticis gratus est, quòd nec maximam curam poscit, & solertiorem custodiam præbet quàm canis, Columella. Idem anserem nutriendum censet, non quia magni fructus, sed quia minimi oneris. Anates sunt naturę anserum, & eodem modo nutriuntur, Crescentiensis. Genus auium quod philogræci uocant amphibion, non est ulla uilla ac terra contentum, sed requirit piscinas: quas, quía ibi anseres aluntur, nomine χηνοβοσκεῖον appellatis. Horum greges Scipio, Metellus, & M. Seius habẽt magnos aliquot. Merula, Seius (inquit) ita greges cõparauit anserum, ut hos quinq; gradus obseruaret, quos in gallinis dixi. Hi sunt de genere, de fœtura, de ouis, de pullis, de sagina. Primum iubebat seruum in legendo obseruare, ut essent ampli, & albi, quod plerunq; pullos similes sui faciunt. Est enim alterum genus uarium, quod ferum uocatur, nec cum his libenter congregatur, nec æque fit mansuetum, Varro. Curandum est ut mares, fœminæq; quàm amplissimi corporis, & albi coloris eligantur. nam est aliud genus uarium, quod à fero mitigatum domesticum factum est: id neq; æque fœcundum est, nec tam precioſum, propter quod minime nutriẽdum est, Columella. Et rursus, Qui greges nantium possidere studet, chenoboscia constituant, quæ tum demum uigebunt, si fuerint ordinata ratione tali. Cohors ab omni cætero pecore secreta, clauditur, alta nouem pedum maceria, porticibusq; circundata, ita, ut in aliqua parte sit cælla custodis: sub porticibus deinde quadratæ haræ cęmentis, uel etiã laterculis extruuntur: quas singulas satis est habere quoquouersus pedes ternos, & aditus singulos firmis ostiolis munitos, quía per fœturam diligenter claudi debent, & extra uillam: deinde non longe ab ædificio si est stagnum, uel flumen, alia non quæratur aqua: sin aliter, lacus, piscinaq; manu fiant, ut sint quibus inurinare possint aues. nam sine isto præsidio, non magis quàm sine terreno recte uiuere queunt. Anser non ubiq; haberi potest, ut existimat uerissime Celsus, qui sic ait: Anser neq; sine aqua, nec sine multa herba (sine herba, Palladius:) facile sustinetur, neq; utilis est locis consitis: quia quicquid tenerum contingere potest, carpit, sata & morsu lædit & stercore. Sicubi uerò flumen aut lacus est, herbæq; copia, nec nimis iuxta satæ fruges, id quoq; genus nutriendum est, Columella & Palladius. Si desit fluuius, lacuna formetur, Palladius.

¶ Anseris

¶ Anſeribus paſcendis deſtinetur ager paluſtris, ſed herbidus, Colum. & Quintilij. atq; alia pabula conſerantur, (ſi herba non ſuppetit, Palladius) ut uicia, trifolium, fœnumgræcum, agreſtia intyba, (ſed præcipuè genus intubi quod ſerin Græci appellant, Colum.) lactucæ quoq; in hunc uſum ſemina uel maximè ſerenda ſunt. quoniam & molliſſimum eſt olus, & libentiſſimè ab his auibus appetitur. Tum etiam pullis utiliſſima eſt eſca, Colum. Palladius, Quintilij. Cæterum cauendum eſt ne edant gramen, (agroſtin,) quod eis cauſa cruditatis exiſtit, Quintilij. Anſeres paſcunt in humidis locis, ubi pabulum ſerunt, quòd aliquem fructum ferat: ſeruntq; his herbam, quæ uocatur ſeris, quòd ea aqua tacta etiam cum eſt arida, ſit uiridis. Folia eius decerpẽtes dant, ne ſi comederint ubi naſcitur, aut obterendo perdant, aut ipſi cruditate pereant. Voraces enim ſunt natura. Quo temperandum iſs, qui propter cupiditatem ſæpe in paſcendo ſi radicem prenderint, quam educere uelint è terra, abrumpunt collum. (Columella & Plinius hoc non anſeri, ſed tenero tantum pullo accidere ſcribunt,) Perimbecillum enim id, ut caput molle. Si hæc herba non eſt, dandum ordeum, aut frumentum aliud. Cum eſt tempus farraginis, dandum ut in ſatu ſeris dixi. Cum incubant, ordeum his intritum in aqua apponendum, Varro. Inter anſerum cibaria legumen omne porrigi poteſt excepto eruo, Palladius & Quintilij. De ſaginatione anſerum inferius dicetur.

¶ Saliunt (coëunt, Plinius) ferè in aqua, dum ſe mergunt in flumen aut piſcinam, Varro. Ineunt non ut priores aues (cohortales terreſtres) de quibus diximus, inſiſtentes humi. nam ferè in flumine aut piſcinis id faciunt, Columella. Anſeribus ad admittendum tempus aptiſſimum eſt à bruma: mox ad pariendum & ad incubandum à Calendis Martij uſq; ad ſolſtitium æſtiuum, quod fit ultima parte Menſis Junij, Colum. Varro, Palladius. Si permittit locorum conditio, anſeres uel paucos utiq; oportet educare: ſingulisq; maribus ternas fœminas deſtinare. nam propter grauitatẽ plureis inire non poſſunt, Colum. & Palladius. Albi fœcundiores ſunt: uarij uel fuſci minus. quia de agreſti genere ad domeſticum tranſierunt, Palladius. Germani uarios, ni fallor, albis præferunt, ceu firmioris ualetudinis, nec minus fœcundos, nec pluma deteriore. Singulæ ter (non plus quater, Varro) anno pariunt, Columella & Quintilij: ſi prohibeantur fœtus ſuos excludere, quod magis expedit quàm quod ipſæ ſuos fouẽt. nam & à gallinis melius enutriuntur, & longè maior grex efficitur, Columella. Plus parient, ſi gallinis oua illarum ſupponantur, Palladius. Bis anno pariunt, ſi priorem fœtum gallinæ excludant: plurima oua ſedecim, paucíſsima ſeptem. Si quis ſurripiat, pariunt donec rumpantur, Plinius. Pariunt uſq; ad duodecim, interdum tamen & plura: ex quibus ſanè aliqua ipſi aui (πάππος ὄρνιθι, Cornarius uertit gallinis, quod non probat Andreas à Lacuna) ſunt ſupponenda, Quintilij. Minimè autem concedendum eſt fœminis extra ſeptum parere: ſed cum uidebuntur iedem quærere, comprimendæ ſunt, atq; tentandæ: nam ſi appropinquant partus, digito tanguntur oua, quę ſunt in prima parte locorum genitalium. quam ob rem perduci ad haram debent, includiq; ut fœtum edant: idq; ſingulis ſemel feciſſe ſatis eſt, quoniam unaquæque recurrit eodem, ubi primo peperit, Columella. Sed nouiſsimo fœtu cum uolumus ipſas incubare notandi erunt (aliquo ſigno) uniuſcuiuſq; partus, ut ſuis matribus ſubijciantur. quoniam negatur anſer aliena excudere oua, niſi ſubiecta ſua quoq; habuerit, Idem: ſed Plinius, Varro & Quintilij ſimpliciter ſcribunt, oua aliena ab eis non excludi. Pariunt ſingulis fœtibus oua, primo quina, ſequenti quaterna, nouiſsimo terna. quem partum nõnulli permittunt ipſis matribus educare. quia reliquo tempore anni uacaturæ ſunt à fœtu, Columella. Extremum partum matribus iam uacaturis educare permittimus. parituræ ad haram perducantur. Cum ſemel hoc feceris, conſuetudinem ſponte retinebunt. Gallinis ſicut pauonina, etiam anſeris oua ſupponas. Sed anſerina oua ne noceant ſuppoſitis, ſubijciatur urtica, Palladius. Cuſtodiri debet ut ouis ſubijciantur radices urticarum, quo quaſi remedio medicantur ne noceri poſsit excuſsis anſerculis, quos enecant urticæ, ſi teneros pupugerint, Columella. Vide inferius etiam de urtica, in cura pullorum. Intra cohortem ut protecti ſint, ſecretis angulis haras facere oportet, in quibus cubitent & fœtus ædant, Columella. Singulis ubi pariunt faciundum haras quadratas circum binos pedes & ſemipedem. Eis ſubſternendum paleas, Varro. Cællas, in quibus incubitant, ſiccíſsimas eſſe oportet, ſubſtrataſq; habere paleas: uel ſi eæ non ſunt, gratiſsimum quodq; fœnum: cætera eadem quæ in alijs generibus pullorum ſeruanda ſunt, ne coluber, ne uipera, felesq;, aut etiam muſtela poſsit aſpirare: quæ ferè pernicies ad internecionem proſternunt teneros, Columella. Oportet oua ſubijcere uſq; ad nouem, Quintilij. Ad incubandum plerunq; ſupponunt nouem aut undecim, Varro & Plinius. qui hoc minus, ſeptem: qui hoc plus, quindecim, Varro & Columella. Supponuntur etiam gallinis anſerum oua (ſicut pauonina) plurima quinq;, paucíſsima tria, Columella. Incubant fœminæ tantum tricenis diebus: ſi uerò tepidiores ſint, uigintiquinq;, Plinius. tempeſtatibus (cum ſunt frigora) dies triginta, tepidioribus uigintiquinq;. & Columella ſimiliter: ſæpius tamen (inquit) anſer trigeſimo die naſcitur. Vt plurimum incubant dies undetriginta, ſed frigore inualeſcente triginta integros, Quintilij. Sunt qui hordeum maceratũ (aqua) incubantibus apponant, nec patiantur matrices ſæpius nidum relinquere, Columella & Quintilij.

¶ Anſerem recens excuſſum quinq; diebus primis patiuntur in hara clauſum eſſe cum matre. deinde quotidie cum ſerenitas permittit producunt in prata iuxta piſcinas aut paludes, ut paſtu ſaturatus etiam potu fruatur, Varro, Colum. Quintilij. Faciunt autem eis haras ſupra terram aut

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 180 sur 825

ſubtus: easq; cellas prouident ne habeant in ſolo humorem: ſed habeant molle ſubſtramen è palea, aliáue qua re: néue eò accedere poſsint muſtelæ, aliæúe beſtiæ quæ noceãt, Varro. Pullos quidem non expedit plures in ſingulas haras quàm uicenos adíjci: nec rurſus omníno cum maioribus includí, quoníam ualidíor enecat infirmum, Idem & Columella. Porrò cauendum eſt ne teneri anſerculi aculeis urticæ compungantur, unde (interdum) enecantur, Idem & Palladius. Pullis anſerum urtica contactu mortifera, remedium contra eam eſt, ſtramento ab incubatu ſubdita radix earum, Plinius. Víde ſupra ubi de incubatione anſerum ſcripſimus. Proſpíciendum ígitur ne uel ab urtica, uel ſpína alíqua exaſperentur: & ne hœdínos porcínósue pílos deuorent, (ne ſetas deuorent, Palladius,) quíbus deuoratís intereunt, Quíntílíj. Præterea ne eſuríens anſerculus míttatur in paſcuum: ſed ante concíſis intubís, uel lactucæ folíjs ſaturetur. nam ſi adhuc parum firmus & índigens cíborum peruenit in paſcuum, fruticíbus aut ſolídíoríbus herbís obluctatur ita pertínaciter, ut collum abrumpat, Columella. Mortífera pullís anſerum etiam auídítas, nunc ſatietate nímia, nunc ſuamet uí: quando apprehenſa radice morſu ſæpe conãtes auellere, ante colla ſua abrumpunt, Plínius. Varro quidem non pullo ſed anſerí ſímpliciter collum hac uí alíquando abrumpí refert. Mílium, aut etiam tritícum, míſtum cum aqua pullo rectè præbetur: atq; ubí ſe paulum confírmauít in gregem coæqualíum compellítur, & ordeo alítur, quod & matrícíbus præbere nõ inutile eſt, Columella. Pullís excluſís (prímís quínq; díebus, Colum.) polẽtam uel maceratum far, (ἄλφιτα καὶ σῖτον ἐμβεβαχώτα, id eſt polentam uel frumentum maceratum, Quíntílíj,) ſícut pauonibus obíjciunt, nonnulli etiam uíride naſturtium conſectum minutatim cum aqua præbent, eaq; eis eſt eſca iucundíſsima. Pullís prímum bíduo polenta, aut ordeum apponitur: tríbus proxímís naſturtíum uíride conſectum minutatím ex aqua in uas alíquod. Cum autem ſunt incluſi in haras, aut ſpeluncas, ut díxi, uíctui obíjciunt his polentam ordeaceam, aut ſarragínem, herbámue teneram alíquam concíſam, Varro. Semine papaueris prímís decem díebus paſcendí ſunt, Creſcentiẽſis. Lactuca circa chenoboſcium ſerí debet, olus anſeríbus gratíſsímum, & pullís etiam eorũ utilíſsíma eſca, Colum.

¶ Mox ubi quatuor menſiũ ſunt, farturæ maxímus quíſq; deſtínatur. (Quatuor menſibus bene ſagínantur, Pallad. ſed Varro ad ſagínandum elígi ínquit pullos círciter ſeſquímenſe qui nati ſint, eos íncludí in ſaginario.) quoníam tenera ætas præcípuè habetur ad hanc rem aptíſsíma: & eſt facilis harum auíum ſagína. nam præter polentam & pollínem ter die níhil ſanè alíud darí neceſſe eſt, (polentam & pollínem aqua madefacta dant cíbum, íta ut perínde ſe ſaturent, Varro. Polenta dabítur in die ter, Palladíus:) dummodo ſecundum cíbum largè bíbendí poteſtas fiat. Ne uagandí facultas detur: ſintq; calído & tenebroſo loco incluſí, quæ res ad creandas adípes multum cõferunt. Hoc modo duobus mẽſibus pínguéſcunt: & ea propter etiam tenerríma pullities ſæpe quadragínta díebus redditur opíma, Columella. (nam paruulí ſæpe die trigeſímo moríuntur, Palladíus. apparet autem uocem, moríuntur, corruptam eſſe pro ſagínantur.) Locus (ſaginarium) ſolet purgarí: quòd ípſí amant locum purum, neq; ípſi ullum, ubí fuerínt, relínquunt purum. M. Cato de re ruſt. cap. 89. gallínas quæ prímum parierínt, concluſas farcire docet cum turundís factís è polline uel farina ordeacea conſperſa, quę in os índantur. paulatím (inquit) quotídie addas & ex gula cõſyderes quod ſatís ſiet. bis in die farcías, & meridie bíbere dato, nec plus aquã ante (anſerí in uaſe appoſítam) ſínas quàm horam unã. Eodem modo anſerem alíto niſi prius dato bíbere bis in die, & bis eſcã. Græcí ſagínandís anſeríbus polentæ duas partes, & furfuris quatuor aqua calída temperant, & íngerunt pro appetentís uoluptate ſumenda: tribus per díem uícibus potu adíuuant: media quoque nocte aquam miníſtrant. peractís uerò x x x. díebus, ſi ut iecur his tenereſcat, optabís, tunſas caricas, & aqua maceratas in offas uolutabís exíguas, & per dies uíginti contínuos miníſtrabís anſeribus, Palladíus. Impínguantur anſeres domí delíteſcentes (in domíbus calídis, ut addit Cornarius) ſi prímís duobus díebus duabus partibus polentæ & furfurum quatuor aqua calída ſubactís paſcantur uel ad ſaturitatem uſq; (ut uertit Cornarius, cuíus translationem paulò ante recítata Palladíj uerba confírmant. Andreæ à Lacuna translationem hîc non probo.) Edunt autem ter in die ac circa noctem mediam: ſed largíus bíbunt. Vbi iam adoleuerínt íſchades aridas in tenues partes comminuens, & cum aqua læuígans currículo uíginti díerum in potu exhíbe, Quíntílíj. Et mox, Exactís trígínta díebus, ſi quís uelit hepata eorum diſtendere, íſchadas aridas comminuens & aqua ſubígens, eas currículo uíginti díerum, aut ad mínus decem & ſeptem íllís per os ínjcito. Nonnulli ad ſagínandum anſerem, augendumq; hepar íllíus, ubí ípſum anſerem incluſerunt, tritícum madefactum proíjciunt & hordeum. Tríticum ſiquídem pínguefacit celeríter. At hordeum carnem candídam reddit. Veſcatur itaq; dies uíginti quínq; ſpeciebus nutrimentorum iam dictís, aut per ſe altera aut utraq; ſimul. Secundo autem collyría apponenda ſunt, nímírum ex eis cõfecta, ſeptem quídem quotídie ſíngulis, idq; quínq; díerum ſpacio. Dein uerò paulatím augendus eſt numerus, perſeuerandumq; dies xxv. ut ſint ex toto trígínta. Quíbus expletís, elíxans íſchadas, fermẽtumq; earum decocto ſubígens, humectansq;, porrígito, ſic dies quatuor perſeuerãdo. Quíbus etiam díebus melícratum offerendum eſt. Cæterum ter in die ídípſum mutabís, & non eadem utẽrís. Atq; in hunc modum relíquis ſex (ſexagínta, Cornarius) díebus ſequentibus cum fermẽto dícto caricas tundens, proíjcito. Qua ſolícitudíne poſt dies ſeptem (ſexagínta, Cornarius) fruẽrís tum anſere ípſo, tum iecínore ípſíus & tenero & candído. Quod quídem ubi prímum extractum eſt, íníjcere oportet in uas

alíquod

aliquod latum, cui ſit aqua tepida infuſa. Ipſam autem aquam ſecundo & tertio mutare conuenit. Præſtant autem fœminarum tum corpora tum iocinera. Sint uerò anſeres nõ anniculi, ſed duorum annorum uſq; ad quatuor, Hæc illi. Saginantur uerò melius ſi ad ſatietatem milium præbeamus infuſum, Pallad. Anſerem unum aiunt ſaginari poſſe modio (quem noſtri quartarium uocãt) auenæ, ea tantum & aqua ſubinde appoſitis. Sunt apud nos qui hoc modo ſaginent. Anſerem loco an guſto includunt, in quo conuerti non poſſit, ſed ſedere tantum aut ſtare, aliqui etiam oculos ei effodiunt, ut audio. tum paſcunt eum inſertis offis è milio, in ſartagine frixis, deinde lacte madefactis, potum nullum apponunt. Sic pingueſcere aiunt, & iecur ad mirificam magnitudinem excreſcere. Sed plura de iecore anſeris, & quomodo in anſere augeatur, leges infra in F.

¶ Anſerum pennæ duræ (hoc eſt maiores in alis) ſcriptoribus conueniunt & ſagittis, Creſcentienſis. Molliores, quæ plumæ potius dicuntur, culcitras farciunt. hæ quibuſdam in locis bis anno uelluntur, ut delicatorum ceruices mollius recumbant, Platina. Anſer plumas præſtat, quas & autumno uellamus & uere, Pallad. & Colum. Noſtri uellunt uere, æſtate media, & autumno quoq; ſi hyems non ſit præpropera. Sunt qui albam præferunt plumam, alij coloris differentiam non curant. Molliſſimarum pretium in libras quæ ſedecim unciarũ ſunt, duo denarij, id eſt didrachmum: cæterarum ferè ſeſquidrachma. Pluma non modo culcitras & ceruicalia, ſed & totos lectos facimus, ut mollius cubemus, Humelbergius. Candidorum alterum uectigal in pluma. Velluntur quibuſdam locis bis anno. Rurſus plumigeri ueſtiuntur, molliorq; quæ corpori quamproxima, & è Germania laudatiſsima. Candidi ibi, uerum minores, ganzæ uocantur. Precium plumæ eorum, in libras denarij quini. Et inde crimina plerunq; auxiliorum præfectis, à uigili ſtatione ad hæc aucupia dimiſsis cohortibus totis. Eoq; delitiæ proceſſere, ut ſine hoc inſtrumento durare iam ne uirorum quidem ceruices poſsint, Plinius.

¶ Tempeſtatis ſignum imminentis præbent anſeres κλαγγηδὸν ἐπεγειρόμενοι βρωμοῖο, Aratus: hoc eſt maiore ſolito clangore ad paſcua exeuntes. Ex quo loco Plinius uertit, Anſeres continuo clangore intempeſtiui. Auienus uerò, Gramina ſi carpit ſemeſa petacius anſer, clangoris mentione omiſſa, quod non placet.

¶ Anſer etiam cuſtodia nobis eſt uſui. Horas, noctes, & fures clangore prodit, Author libri de nat. rerum. Clangore prodit inſidiantem, ſicut etiam memoria prodidit in obſidione Capitolij cum aduentu Gallorum uociferatus eſt canibus ſilẽtibus, Columella. nos eam hiſtoriam referemus infra in h. Sunt qui acerrimos ac ſagaciſsimos canes in turribus nutriant, qui aduentum hoſtium odore præſentiant, latratuq; teſtentur, anſeres quoq; non minore ſolertia nocturnos ſuperuentus clamoribus indicant, Vegetius.

¶ Anſerum lætamen ſatis omnibus inimicum eſt, Palladius.

F.

Anſeris & ſtruthocameli caro excrementitia eſt & difficulter concoquitur, Galenus 3. de alim. & Symeon Sethi. A Celſo numeratur anſer inter cibos ualẽtiſsimæ materiæ & plurimi alimenti. Anſerinæ partes, aliis exceptis, duræ & excrementoſæ ſunt, nec facile concoctionem admittunt, Galenus in lib. de cibis boni & mali ſucci. Domeſticis cunctis auibus craſsiorem, calidiorem humidioremq; carnem habent, Symeon Sethi & Elluchaſem. Anſeres natura humidiores ſunt omnibus auibus & duriores concoctu, Raſis. Anſerum caro craſſa eſt, Auicenna. calida & humida abſceſſu ſecundo, Elluchaſem. Anſerum caro abunde calida eſt, ſed minus quàm anatum, & humidiſsima inter cicurum auium carnes, craſſæ ſubſtantiæ: & propter nimiam humiditatem febres generat, corrigitur autem ut in anatibus dictum eſt, Mich. Sauonarola. Propter frigiditatem & craſſitiem inſalubris eſt anſerina caro, Albertus. Anſer tempore peſtilentiæ ab Alexand. Benedicto menſis damnatur. Vide plura in Anate G. in pleriſq; enim anatina & anſerina conueniunt. Anatis caro non multum differt ab anſerina, ſed calidior eſt, Platina. Carnes pullorum anſerum, ſi pingues fuerint, & quatuor menſium ætatem non exceſſerint, à pluribus appetuntur, Creſcentienſis. Caro anſeris frigida, ſicca, dura, atribiliaria, & concoctu difficilis eſt, Albertus: quod & de anate ſcripſit, quum medici iam citati utranq; auem calidam & humidam faciant. Anſerina minus dura eſt quàm anatina, Idem. Inter grues & anſeres caro otidum, (id eſt tardarum) media eſt, Galenus. Anſeres ueteres noxios eſſe iis quos hæmorrhoides frequenter uexãt, Arnoldus de Villanoua monuit. Anſeris caro in cibo conuenit accipitri, ſed abſq; multo ſanguine. nam ſi eo copioſiore utatur accipiter, corde grauatur: & ad uenationem donec concoxerit ineptus fit, inſtar hominis ebrij, Demetrius Conſtantinop. ¶ Anſeris carnem & recẽtem & ſalitam comedimus, Platina. Anſerinas carnes Iudæi hodie, ut audio, ſaliunt, & fumo exiccant: unde pulchrè rubeſcunt. Anſer iuuenis aſſus præfertur, Tragus.

¶ Anſerem & cæteras terra & aqua uiuentes aues, mali nutrimenti crediderim: tutius quidem & alis & pectore ueſcemur, Platina. Anſerina & gallinacea colla quàm cæterarum uolatilium meliora putantur, ſi ſanguine intercutaneo caruerint, Idem. Anſerum caro quidem eſt qualem dixi-mus: alæ uerò non ſunt cæterarum auium alis deteriores, Galenus. Anſeres ad cibum hyeme probiores ſunt, Arnoldus de Villanoua in libro de conſeruanda ſanitate. Et rurſus, Pulli gallinarum & anſerum quandiu pipticantur, (pipiunt,) magis conueniunt æſtate & autumno. Atqui Plinius,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 182 sur 825

Anſerem coruumq́ (inquit) ab æſtate in autumnum morbo conflictari dicunt. Anglos in cœna nunquam anſeribus ueſci audio. ¶ Ventriculus uolatilium ſi concoquatur uberrime nutrit: gallinæ quidem & anſeris præſtantiſsimus eſt, Galenus. præfertur uentriculus anſeris pinguis, deinde gallinæ pinguis, Elluchaſem. ¶ Teſtes & lingua anſeris quidnam iuuent in cibo, quære in G.

¶ Anſer diebus feſtis ad conuiuium ueniebat Alexandro Seuero, Lampridius. Aegyptij anſeres tum elixos tum aſſos apponũt quotidie, Diodorus Siculus. Anſer elixari debet, Platina. De porcello lactente condimentis quibuſdam farciendo aſſandoq́, Platinæ uerba recitaui in Sue G. Idem autem (inquit) ex anſere, anate, &c. Ius candidum in anſere elixo: Piper, careum, cuminum, apij ſemen, thymum, cepam, laſeris radicem, nucleos toſtos: mel, acetum, liquamen & oleum, Apicius 6.5. In anſere: Anſerem elixum calidum è iure frigido Apiciano. Teres piper, liguſticum, coriandrum, mentham, rutam, refundis liquamen & oleum modicè temperas. Anſerem elixum feruentem ſabano mundo exiccabis, ius perfundis & inferes, Idem 6. 8. Anſeres iuuenes minutatim conciſi in paſtillo per duas horas coquuntur. Poſſunt etiam integri coqui in maſſa farinæ ſecalis cum aqua calida ſubactæ, quemadmodum paſtilli de carne ceruina coquũtur, & tantundem temporis. Anſeres σιτόδυποι, id eſt altiles & ſaginati dipnoſophiſtis apponuntur in conuiuio quod Athenæus deſcripſit: qui & coqui cuiuſdam apud Diphilum hæc uerba citat: Ἐγὼ δ' ὑμῖν χοιρίδια πρόφρεινα κρομβώσας ὅλα ἀέρειον ἑπτάχοα χλωρᾶς θρῖ φυσίματα. uidetur autem dicere anſerem in porcello aſſum ſe apponere. Vocabant autem Troianum ſiue Durium porcellũ, in cuius uentre aues & condimenta diuerſa coquebant, ut expoſitum eſt in Sue G.

¶ Noſtri ſapientiores (exteris, inquit Plinius) qui anſeres iecoris bonitate nouêre. Fartilibus in magnam amplitudinem creſcit, exemptum quoq; lacte mulſo augetur. Nec ſine cauſa in quæſtione eſt, quis primus tantum bonum inuenerit, Scipio Metellus uir conſularis, an M. Seſtius eadem ætate eques Rom. Pinguibus & ficis paſtum iecur anſeris albi, Horatius Serm. 2. 8. ubi Acron, ex parte (inquit) totum (ſcilicet anſerem denotauit.) Anſeris ante ipſum magni iecur, anſeribus par, Altilis, Iuuenalis Sat. 5. In omni iecinorum genere præſtat anſerinum, tanquam humidius, tenerius, & ſuauius: deinde iecora gallinarum, Raſis citans Galenum. Adhibetur & ars iecori ſuum, ſicut anſerum, inuentum M. Apicij, fico carica ſaginatis, à ſatietate (aliâs, ac ſatie) necatis repente mulſi potu dato, Plinius. Aſpice quàm tumeat magno iecur anſere maius. Miratus dices, hoc rogo, creuit ubi? Martialis. Hepar συκωτὸν, (id eſt ficatum, ficubus ſaginatum. unde Itali hodieq́ uulgò iecur ſimpliciter ficatum nominant) præſertim ſuum ficis ſiccis multis nutritorum, eſt præſtantiſsimum: ſic (ficis) paſtum iecur anſeris albi, ſeu iecur anſeris nutriti alimẽtis lacte imbutis ſuauius, coctu facilius, melioris ſucci, Syluius. χλωρὰ ἥπατα, id eſt anſerina iecinora memorat Pollux: item Athenæus, qui hæc Romæ in magno pretio fuiſſe ſcribit. Idem hunc Eupolidis uerſiculum citat, Εἰ μὴ σὺ χλωὸς ἧπαρ ἢ ψυχλὼ ἔχεις. hoc eſt, Niſi anſeris forte hepar, aut ſenſus habes: quod ego interpretor, niſi parum ſapis, aut non amplius anſere. nam & mulierculæ noſtræ hominẽ parum ſapientem uocant ein witzige gantz, id eſt anſerem prudentem. Nec defenſa iuuant Capitolia, quo minus anſer Det iecur in lances Inache laute tuas, Ouidius 1. Faſtorum. Anſere occiſo iecur ſcitè eximè, in frigidam impone, ut ſolidius ſit. deinde in adipe anſerino in ſartagine frige, & aromatibus condi. Cibus eſt principum, ut quidam celebrant. Plura de iecore anſerino augendo ſcripſimus præcedenti capite in ſaginatione anſeris.

¶ Anſeres commendantur apud nos & adipe: liquamine etiam inde excogitato, quo præcipuè Hebræi condimentis utuntur, Grapaldus. Hoc adipe plura cibaria cõdiri Platina ſcribit. Liquamen quomodo fiat ex adipe porcino uel anſerino, docet Platina de honeſta uoluptate 2. 21. cuius uerba recitaui in Sue F. ¶ Alæ gallinarum & anſerum in cibo laudantur: & colla quoq; ſi ſanguine intercutaneo caruerint, Platina. Anſeris lac uocamus lingua uernacula, anſerinum pingue lacti incoctum, ſachare uuiſq́ paſsis adiectis: hoc inter lautelas recenſetur. ¶ Meſſalinus Cotta Meſſalæ oratoris filius, palmas pedum ex anſeribus torrere, atq; patinis cum gallinaceorum criſtis condire reperit, Plinius.

¶ Gallinarum ac phaſianorum oua præſtantiora ſunt, deteriora uerò anſerum ac ſtruthocamelorum, Galenus. Oua anſerum deterrima, Pſellus. Apud nos pauperiores ſoli anſerum & anatum ouis ueſcuntur, frixis aut iuri permixtis. Oua anſerum, anatum, & ſtruthionum craſſa ſunt, & difficilia concoctu. quòd ſi quis ijs uti in cibo uelit, uitellis tantum utatur. Anſerum oua malum ſuccum pariunt, Symeon Sethi: & mox ſubijcit: Dicũtur proprietate quadam peculiari euphyiãn, hoc eſt ingenij bonitatem præſtare ijs qui cum melle & butyro aſsiduè ea eſitauerint. quæ uerba de anſerinisne priuatim an de ouis in genere prolata ſint, incertum.

G.

Gallinæ & ſimiliter anſeris ius poſt uomitum dari contra ſumpta uenena, memini legiſſe. Si neq; qui exugat (uenenum morſu ſerpentis inflictum,) neq; cucurbitula eſt, ſorbere oportet ius anſerinum; uel ouillum, uel uitulinum, & uomere, Celſus 5. 29. & Nicander contra cantharides. Iis qui coriandrum hauſerunt poſt uomitionem irino oleo cõcitatam, auxiliatur ius ſalſum ex gallina & anſere, Dioſcorides. Ius de pullo anſeris in aqua elixi contra toxicum dat Nicander. Heraclides medicus eryngen herbam in iure anſeris decoctam, remedijs omnibus contra toxica & aconita efficacio-

efficaciorem arbitratur, Plinius. Ius anſeris potum cum uino, prodeſt eis qui biberint uinum multum, aut aconitum, uel doryenium, id eſt herbam Apollinarem. proſunt & uiſcera anſeris aſſa & in cibo ſumpta, Kiranides. ¶ Cygni auis loco ponitur anſer, Syluaticus. ¶ Antonius Guainerius inter remedia arthritidis unguentum ex anſere deſcribit quo innumeri homines reſtituti ſint, ſed ipſos quos recitat innominato authore uerſus utcunq; barbaros, adſcribam. Anſer ſumatur ueteranus qui uideatur, Mox deplumetur, uitalibus euacuetur. Intus ponantur quæ ſuperius numerantur. Trita caro tota triti, (locum apparet mutilum & deprauatum eſſe. legi poteſt, Trita caro catti parui) mox pelle remota, Vnctum porcinum, thus, cera, ſagimen ouinum, Pondere ſint æquo ſal, mel, faba, ſitq; ſiligo. Poſt hoc aſſetur: tamen aſſus non comedetur. Vas ſupponatur, ſic ut liquor accipiatur. Quo membris unctis, gutta diſſoluitur omnis. Certe hoc unguentum præſtat ſuper omne talentum. Io. Gœurotus in libro Gallico de curandis morbis unguentum ad arthritin deſcribit huiuſmodi: Anſerem pinguem deplumatum exenteratumq; felibus paruis bene habitis minutatim inciſis farcito, adiecto etiam ſale, & ad ignem lentum aſſato: & quod deſtillauerit, reſeruato. Aduerſus ſpaſmum (inquit M. Gatinaria) extat experimentum egregium, quod Nic. Florentinus ex Thadæo refert: conuenit autem poſt diuerſiones & euacuationes, reſoluens ac remittens dolorem, huiuſmodi. In anſeris pinguis exenterati uentre cattus minutim inciſus cum lardo, myrrha & thure (uentre ſcilicet à farctura conſuto) aſſetur in ueru: & ſupponatur uas aceto albo medium, (ex dimidio plenum.) Defluentem hinc pinguedinem, poſt primum ſuccum qui minus utilis eſt, colligito ſupernatantem aceto, & in aliquo uaſe recondito. Deinde buliat anſer in dicto aceto, & pinguedo quæ copioſè ab eo ſeparabitur, aceto ſupernatans, ſimiliter colligatur & miſceatur cum prima. Hac inungetur membrum ſpaſmo affectum. Ipſe noui quendam ſimili unguento feliciter uſum ad tendines in ceruice induratos atq; obtortos. Anſerem exenteratum farcimus carnibus felis annoſæ, & herbis quæ neruos iuuent, ut inde eliquatus adeps ſit medicamentoſior, Syluius. Leonellus Fauentinus reſolutionis curam præſcribens, anſerem ueterem deplumari exenterariq; iubet, & in uentrem eius imponi, pinguedinis anatis, lupi, uulpis, taxi, felis ſylueſtris, ana ʒ. 2. ſaluiæ uiridis, iuæ, primulæ ueris, herbæ paralyſis uel arthriticæ ana manip. ſemis. Herbæ uirides (inquit) cum adipibus ualidè tundantur. his farctus anſer in ueru aſſetur: & pingui quod deſtillauerit collecto, ſpina dorſi membrumq; paralyticum inungatur.

¶ Sanguis anſeris utiliſsimè in antidota miſcetur, Dioſcor. Vide ſupra in Anate G. Ad deleteria letalia ue mirabile: Sanguinem anſerinum cum aceto bibendũ dato: aut anatis ſanguinem cum uino, Nicolaus Myrepſus. Anſeris ſanguis calidus bibitur contra leporis marini uenenum, Dioſcorid. Auicenna calidum bibendum eſſe non exprimit. Aetius adhuc calentem cum paſſo bibi iubet. Sanguis anſerinus contra lepores marinos ualet cum olei æqua portione. item contra medicamenta mala omnia aſſeruatur cum Lemnia rubrica, & ſpinæ albæ ſucco, paſtillorum drachmis quinq; qui in cyathis ternis aquæ bibantur, Plin. Idem ſanguis ſiccus miſcetur medicamento ad febres chronicas in libro qui Galeno adſcribitur de remedijs experimento probatis inter Azariconis medicinas. Sanguinem à cerebro profluentem anſeris ſanguis aut anatis infuſus ſiſtit, Plinius. Ad coryzam equi: Anſerem album per dies XXVIII. hordeo ſolo paſces, & uino potabis. deinde decollati ſanguinem colliges, & folle exceptum in nares equi immittes, Innominatus.

¶ Plumas de uentre anſerum tritas & inſperſas, ſanguinẽ ſiſtere aiunt, Innominatus. Ad ſanguinem è naribus profluentem ſiſtendum: Pinnam anſeris quàm maximam, uel calami ſcriptorij fiſtulam modicè pleniorem, aptare oportebit ad longitudinem naſi, atq; ita præcidere ut ex utraque parte perforata ſit, atq; inuoluere eam faſciola tenui lintea quaſi inſtita, & explere circuitum eius, donec uideatur in narem cum cunctatione quadam recipi poſſe: atq; ita ut eſt circunuoluta immergere eam naſo aceto acri infectam: & per eam inijcere interdum acetum acre, uel ſuccum ſupradictorum medicamentorum. Hoc autem remedio magis uti oportebit cum per utraſq; nares fluxerit ſanguinis abundantia. nam qui ſine inſtrumento temere acetum aliaq; acria medicamenta infundunt, ſæpe nares ipſas lędunt, unde reſpiratorius ad fauces meatus quandoq; obturatur, Marcellus. Vt ſanguinem è naribus elicias, pẽnæ anſerinæ caulem craſsiorem ſumito, eiusq; neruoſam partem denticulatim inſtar ſerræ inciſam in narem uſq; ad oſſa ethmoide immittito.

¶ Subditicium purgatorium: Medullam anſeris aut cerui magnitudine fabæ affuſo unguento roſaceo & lacte mulièbri terito, uelut pharmacum teri ſolet, & cum hoc os uteri illinito, Hippocrates lib. 1. de morbis mulieb. Et mox, Aliud ſubditicium molle: Medullam anſeris magnitudine nucis, ceram magnitudine fabæ, reſinæ lentiſcinæ aut terebinthinæ magnitudinem fabæ: Hæc cum roſaceo unguento ad lentum ignem liquefacito, & uelut ceratũ efficito. deinde ex hoc tepido os uteri illinito, & pectinem irrigato.

DE ADIPIS ANSERINI REMEDIIS EXTRA CORPVS. SVMITVR ET intra corpus aliquando, ſed rarò: quod ubi fit, aſteriſcum apponemus.

Anſerum quoq; & omnium auium adeps præparatur, exemptiſq; uenis omnibus patina noua fictili operta in ſole, ſubdita aqua feruenti liquatur; Saccaturq; lineis ſaccis & in fictili nouo repo-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 184 sur 825

ſitus loco frigido minus putreſcit addito melle, Plinius. Recens exemptis membranis in fictilem ollam demiſſus, quæ altero tantopere capacior ſit, quantus ſit modus adipis, quem curare inſtitueris, obſtructo diligenter uaſe, flagrantiſsimo ſoli exponitur. eliqueſcens inde humor in fictile alterum excolatur, donec adeps omnis abſumatur. mox loco uehemẽter frigido reconditur. & ad uſus digeritur. Alij fictile fulciunt ſuper aquam calidam, aut tenuem & elanguidam prunam, quæ ſolis uicem penſet. Eſt & alia curandi ratio: Exemptis membranis teritur, coniectuſq; in ollam eliquatur, adiecto minuti ſalis momento. Mox lineo colo transfuſus reponitur. Vtiliter in medicamenta additur, quæ laſsitudines & fatigationes leuant, Dioſcorides. Vide etiam ſupra in Anate G. Gallinaceus anſerinuſq; ſic odoribus imbui ſolent: Cuiuſuis eorum percurati ſextarij duo fictili olla excipiuntur. eryſiſceptri, xylobalſami, palmæ elatæ, & calami planè contuſi, ſingulorum ſeſcuncia admiſcetur. uini Lesbij ueteris cyathus unus adijcitur. ea ter efferueſcunt prunis. mox uaſe ſublato ab igne, die noctuq; refrigerantur poſtridie liquata per linteum craſſum, mundum in uas excolantur. ubi uerò adeps coierit, concha excipitur, fictiliq; nouo denſius operto perfrigidis locis reponitur. Hyberno tempore id inſtituere oportet. æſtate ſiquidem pinguia non coguntur. Nec deſunt qui Tyrrhenicæ ceræ momentum adijciant, quò facilius in unum corpus omnia coaleſcant. (Vide infra in Comageni unguenti deſcriptione ex Plinio.) Eadem ratione ſuillus adeps & urſinus cæteriq; id genus, odoramentis imbuuntur. Verum ſampſuchi odorem adeps ipſe repræſentabit hoc modo: Curati quàm optimè adipis, præſertim taurini, mina una, tempeſtiuiq; ſampſuchi exquiſitè confracti ſeſquimina miſcentur, & inſperſo largiore uino digeruntur in offas, quæ in uaſe cooperto nocte quieſcunt. matutinis in fictili olla leuiuſculo igni, affuſa aqua, leuiter coquuntur. dumq; ſuum adeps odorem exuerit, defæcatus ac bene opertus, nocte tota permanet. poſtero die deterſa ſorde quæ peſſum ierat, ſampſuchi, ut dictum eſt, contuſi iterum ſeſquimina priori paſtillo adijcitur, eodemq; modo in offas cogitur, alijs quæ diximus peractis, decoquitur & colatur. & ſi qua fundo hæſit ſpurcitia, deraditur, & frigido loco reconditur. Si quis tamen incuratum adipem anſerinum, gallinaceum, aut uitulinum, à putredine tueri uelit, ita faciundum eſt: Quemuis adipem diligenter elotum & ſiccatum in umbra ſuper cribrum, per lintea munda manibus uehementer exprimat, linoq; conſutum umbroſo in loco ſuſpendat. & poſt multos dies noua charta inuolutum, frigido loco recondat. Pinguia autem indito melle uindicantur à putredinis uitio. uis omnium eſt excalfacere, mollire, rarefacere. Hæc omnia Dioſcorides.

¶ Anſerinus adeps calidior eſt ſuillo, & morſus in alto corporum magis obtundit, Galenus. Idem in opere de compoſ. med. ſec. genera medicamentum ex liquabilibus deſcribens, adipẽ inijci iubet tenuium partium: qualis eſt (inquit) leoninus, pardalinus, hyænæ, urſi. nam de anſerino quid attinet dicere? præſertim ſi anſeres ruſtici (ἀγροικικὰς, hoc eſt rurí degentes non incluſi,) fuerint. Anſerinus maximè tenuium partium eſt, gallinaceus illi proximus, Syluius. Citra moleſtiam reſiccat, Galenus ſec. loc. in medicamentis Apollonij ad capitis dolorẽ. ¶ Pro medulla cerui adeps anſerinus ſubſtitui poteſt, Hippocrates in libro de ſterilibus. Heras (inquit Galenus ſec. loc. 9. 6.) pro œſypo adipem anſ. pari pondere coniecit: eſt autem locus inter medicamenta ad ani uitia. Seuum ſtruthocamelinum efficacioris eſt ad omnia uſus, quàm adeps anſerinus, Plinius. Cucurbita toſta in argilla ac trita cum adipe anſeris uulneribus medetur, Idem. Bubonis cerebrũ cum adipe anſerino mirè uulnera dicitur glutinare, Plin. Anſerinus (uidetur cinis repetendum ex præcedentibus: ſed de adipe anſerino intelligendum ex Marcello hunc locum recitante patet) cum cerebro & alumine & œſypo, attritis medetur, Plinius. Adeps anſerinus cum butyro pari pondere paſtillis ingeſtus ſanguinem ſiſtit, Idem. Marcellus adipem anſerinum cum pari butyro infuſum naribus ſanguinem inde manantem ſiſtere ſcribit. & Plinius alibi adipem anſeris aut anatis infuſum ſanguinem à cerebro profluentem cohibere. ¶ Anſeris adeps cum oleo roſaceo phlegmonis medetur, Galenus ad Piſonem. Anſeris pingui in phymate curando uſus, bene habui, Amatus Luſitanus. Anſerinus adeps maximè tenuium partium eſt, ob id in uolucrum genere præſtat ad ſcirrhi curationem, Syluius. Tubera & quæcunq; molliri opus ſit, efficaciſsimè anſerino adipe curantur, Plinius. Adeps anſ. omnes durities ſoluit, Aeſculap. & Conſtantinus. Emollit etiam uteri durities & collectiones, ut infra dicetur. Igni ſacro medetur, Plinius. Sinapi illinitur liuoribus ſugillatisq; cum melle & adipe anſerino, ut cera Cypria, Idem. Poſt uenena ſumpta uomitus eſt prouocandus cum aqua calida mixto butyro, cui rectè additur etiam parum adipis anſeris: uel adeps ipſa cum uino dulci decocta bibitur, Gainerius. Adeps anſ. utilis eſt in acopis ac malagmatis, Kiranides. ¶ Honorem debemus Comagenorũ clariſsimæ rei, (inquit Plinius 29. 3.) Fit ex adipe anſerum, alioquin celeberrimi uſus eſt, ad hoc in Comagene Syriæ parte cũ cinnamo, caſia, pipere albo, herba quæ comagene uocatur, obrutis niue uaſis, odore iucundo, utiliſsimum ad perfrictiones, conuulſiones, cæcos ac ſubitos dolores, omniaq; quæ acopis curantur, unguentumq; pariter & medicamentum eſt. Fit & in Syria alio modo, adipe auium (anſerum) curato ut diximus, additis eryſiſceptro, xylobalſamo, phœnice elate, item calamo, ſingulorum pondere qui ſit adipis, cum uino bis aut ter ſubferuefactis. Fit autem hyeme, quoniam æſtate non glaciat niſi accepta cera. Et lib. 10. cap. 22. Aliud (inquit) reperit Syriæ pars quæ Comagene uocatur: adipem eorum in uaſe æreo cum cinnamo niue multa obrutum, ac rigore gelido maceratũ, ad uſum præclari medicaminis, quod ab

gente

gente dicitur Comagenum. Vide etiam ſupra ex Dioſcoride, ubi eius uerba retuli de odoribus imbuendo gallinaceo anſerinoq; adipe. ſed Comageni nomen Dioſcorides non habet: quod tamen apud Nicolaum Myrepſum alicubi legiſſe memini. ¶ Adeps anſeris & phaſianorum recipitur in emplaſtrum diapyranu apud Aeginetam 7.17. tribuit autem huic emplaſtro uim diſcutiendi.

¶ Apollonius apud Galenum ſec. loc. medicamenta quædam ad capitis & temporum dolorem ex adipe anſ. illinere iubet. ¶ Sanguinem à cerebro profluentem anſeris aut anatis adeps cum roſaceo coctus (& infuſus) ſiſtit, Plinius. uidetur autem ſanguinem è naribus fluentem intelligere. ¶ Somnos allicit œſypum cum adipe anſerino & uino myrtite, Plinius. ¶ Cutem in facie adeps anſeris uel gallinę cuſtodit, Plinius. utilis eſt εἰς ὠλιμέλασαν πρόσωπον, Dioſc. hoc eſt, ad conſeruationem faciei, ne ſcilicet tempeſtatibus aut Sole lædatur. Ruellius uertit, ad mangonizandam faciem: Marcellus Vergilius, ad nitorem uultus. ¶ Si uulnus (ὄμματι) acciderit in oculo equi, & gramiæ (lemæ) craſſæ emanant, cum periculo ne oculi ſubſtantia effluat, medullam ouillam tritam illines, & manu aliquandiu cohibebis bis die. præſtat autem medulla recens. quod ſi ad manum illa non fuerit, adipe anſ. gallinaceo ue uteris. iuuat etiam medulla cum adipe anſ. permixta, Abſyrtus & Hierocles hippiatri. Commedatur etiam ab Hierocle ſepiæ oſtracum ad equorum leucomata, cum aliis quibuſdam & adipe anſeris permixtum. Seuum uituli cum anſeris adipe & ocimi ſucco, genarum uitijs aptiſsimum eſt, Plinius. ¶ Adeps anſ. alopeciæ medetur, Auicenna. Infantum alopeciarum uitia anſerinæ adipis perfrictione ſupplentur, Marcellus. Galenus de compoſ. medic. ſec. loc. inter remedia alopeciæ, Vrſæ adeps (inquit) præſtat ſi uetuſtior extet: quanquam etiam hyænę, leonis q; ac pardalis ac anſeris adipes conueniunt, & quicunq; tenuium partium ſubſtantiam habent, quò prompte in cutis profundum penetrare queant, atq; ad radices uſq; capillorum pertingant. Et rurſus ad eundē affectum, Quæ ex adipibus (inquit) componuntur modica item thapſia ammixta, ſimiliter proſunt: præſertim ſi euphorbij & adarcij addatur pars duodecima. ſit autem adeps trium generum, leonini, pardalij & hyænæ, cuiuſq; pars una. Si uerò hyænæ adeps non adſit, ſufficit præſentibus reliquis duobus uti, anſerino ammixto. ſi uerò omnes quatuor habeas, ſimul omnes miſcebis, addito inſuper (ſi adſit) urſino, &c. ¶ Porrigínem & ulcera capitis naſturtij ſemen emendat cum adipe anſ. authore Seſtio, Plinius. Naſturtij ſemen mixtum adipi anſerinæ tritumq;, furfures capitis aſsidua lauatione depellit, Marcellus.

¶ Ad aurium uitia diuerſa. Adipem anſerinum, gallinaceum, ſuillum, uulpinum, auricularibus medicamentis multis admiſceri apud Nicolaum Myrepſum obſeruauimus. Si auricula aliquo pacto uitiata fuerit, anſerina adipe infuſa diligenter expurgabitur, ſanitatiq; reddetur, Marcellus. Vide inferius ad aures percuſſas aut fractas. Si terreni uermes cum adipe anſeris decocti infundantur auribus, conſtat deplorata uitia eo remedio ſanari, Plinius & Marcel. ¶ Adeps anſ. inſtillatus dolorem aurium lenit, Dioſcor. Auicenna & Symeon Sethi. Anſerinum aut gallinaceum adipem liquefactum ſenſim inſtilla, Apollonius ad aurium dolores apud Galenum de comp. ſec. locos, ubi Galenus: Gallinaceus (inquit) & anſerinus adeps, ſiquidem euacuatum corpus inuenerint, & humorem qui inflammatam affectionem excitat non amplius influentem, duabus rationibus tum mitigandi tum curandi profuerint. Si uerò influente adhuc cauſa adhibeatur, affectioni quidem nihil auxiliantur, leniunt tamen doloris acceſsionem ſiue ſymptoma, quemadmodū etiam ſi ob humorum acredinem mordacitas contingat. Ocimum auribus utiliſsimum infantium, præcipuè cum adipe anſerino, Plinius. Adeps anſ. cum ocimi ſucco tepefacta inſtillataq;, dolores auricularum infantilium leuat, Marcellus. Aures mirificè iuuat adeps anſ. cum ocimi ſucco impoſitus, Plinius. Seuum uitulinum adipe anſ. mixtum adiecto ocimi ſucco, tepidum auribus dolentibus infuſum optimè ſanat, Marcellus. ¶ Ad contuſas & fractas aures: Adipem anſerinum & lac muliebre mixta inſtilla, aut adipem bubulum ac anſerinum æquis partibus liquefactos inſtilla, aut myrrham & adipem anſ. uel butyrum, uel reſinam, & conchylij partem internam æquis partibus trita ſuper aurem & propinqua tempora impone, Aſclepiades apud Galenum. Lac muliebre aurium uitijs medetur modicè admixto oleo: aut ſi ab ictu dolent, anſerino adipe tepefactum, Plin. Cum auris percuſſa & rupta fuerit, ſeuum anatis (lego anſeris: anſerē enim & anatem interpretes Arabum nonnunquam confundunt:) coletur guttatim, & apponatur cum eo lac muliebris. hæc tepida cum ſucco baſilici cuius ſemen eſt rubeum, apponantur, (inſtillentur,) Raſis ex Galeno in Anſere in libro de 60. animalibus. Si ex ictu aliòue caſu auricula uitiata fuerit, tum per ſe anſerina adeps ſola diligenter expurgata, leuiq; igne liquefacta, infuſa auriculæ, & dolorem tollit, & uitium perſanat, Marcellus. Ad aurium inflammationes in ſuperficie cutis ex humorum impreſsione aut plaga obortas: item tumores ac rubores, adipem anſerinum & lac muliebre mixta inſtilla: aut adipem bubulum ac anſerinum æquis partibus liquefactos inſtilla, Apollonius apud Galenū. Apud eundem Andromachus medicamento ad auriū ulcerationes ſiccas non humentes inſcripto, miſcet adipem anſerinum, &c. ¶ Terreni uermes cum anſeris adipe uel cum oleo decocti, ſine dubio medentur auribus purulentis, Marcellus. ¶ Si uerò obtuſa ſenſus remoretur in aure, Lumbricos terræ, ſeuumq; ex anſere rauco Excoque, ſic ueterē poteris depellere morbum, Serenus. Gra uitatem aurium emendat adeps anſerinus: quidam adijciunt ſuccum cepæ & alij pari modo, Plin. Auricularum ſonitum ac grauitatem emendant ſucco ceparum cum adipe anſ. aut cum melle in-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 186 sur 825

ſtillato, Idem. Et alibi, Allij ſuccus auribus inſtillatur cum adipe anſ. Adeps anſ. cum cepæ ſucco mixtus bene, auriculæ infuſus, ſurdis auditum reuocat, Sextus. Adipem anſ. & fel bouis, ac laurinum pari menſura mixta inſtillato ad auditus grauitatem, Apollonius apud Galenum. Si maior ſit dolor aut grauitas aurium, ſeuum bubulum cum adipe anſ. tepefactum infundunt, Plin. Et rurſus, Prodeſt & ſeuum uituli cum anſeris adipe & ocimi ſucco. Adeps anſerinus miſcetur croci ſucco, & allij contuſi ſucco, quæ infuſa auribus incommodos ſonitus tinnitusq; earum propriè & unicè tollunt, Marcellus. Ad ſonitus & inflationes aurium, Nitrum & reſinam & adipem anſ. æquis partibus cum oleo ammixto diſſoluta inſtilla, Apollonius apud Galenum. Et rurſus, Cepas & allium & adipem anſ. pari menſura trita & excolata infunde. Sonitum ac grauitatem in auriculis emendant cum adipe anſerino aut cum melle inſtillantes ceparum ſuccum, Plinius. ¶ Si aqua auditorium meatum intrauerit, plurimum prodeſt adeps anſerinus, (atq; item uulpinus, & gallinaceus,) mediocriter calidus infuſus, Galenus ſec. loc. & Euporiſt. 1. 16. Adeps anſ. cum croci ſucco mixta & tepefacta ac ſic infuſa, aquam & omnem humorem de auriculis euocat & perſanat, Marcellus. Si aqua aurem ſubierit, anſeris aptus Immittetur adeps ceparum nõ ſine ſucco, Qui grauis eſt oculis, ſenſum tamen auribus auget, Serenus. Idem planè remedium legi apud Plinium, Sextum, Aeſculapium, & Galenum, qui tepefactum inſtillari iubet: Sextus bene miſceri.

¶ Adeps de anſeribus cum butyro pari pondere infuſus profluuium narium ſiſtit, Marcellus. Vbi cruſtæ ulceri narium obductæ exciderint (ui ſternutatoriorũ,) adipe anſerino aut butyro cum roſaceo cerato curantur, Lampon ad ozænas apud Galenũ ſec. loc. Eodem in opere medicamento cuidam Aſclepiadis ad ozænas adeps anſ. adijcitur. ¶ Adeps anſ. labiorum rimas illitus ſanat, Dioſcor. Symeon Sethi, Plinius, & Marcellus. fiſſuras faciei & labiorum, Auicenna. Profundiores in labijs fiſſuras, adipe caprino aut anſerino curabis, Nicolaus Myrepſus. Hirci ſeuum efficax eſt labrorum fiſſuris cum adipe anſerino ac medulla ceruina, reſinaq; & calce, Plinius. Sed paulò aliter Sextus, Sepum capræ (inquit) & adipem anſerinum, & medullam cerui, & cepe cum reſina ſimul & calce uiua, fac ut malagma, mirè ſanant labiorum fiſſuras. Vlcera oris ac rimas (ſciſſuras) ſeuum uituli uel bouis cum adipe anſerino optimè iungit, Marcellus: Plinius etiam ocimi ſuccum addit. Ad aphthas, id eſt ulcera oris, adipem ſuillum aut anſerinum manna inſperſa illinito, Archigenes apud Galenum de compoſ. ſec. loc. ubi Crito etiam ad aphthas medicamentum componit ex alumine & malicorio punici dulcis: quod (inquit Galenus) niſi adipem anſerinum miſcuiſſet ad putrefactiones fortes congrueret.

¶ Rigor ceruicis adipe anſerina, uel potius gruina perunctus, uelociſsimè mollietur, Marcel. Ad ceruicum tumores ſedandos, quorum uitelli cocti cum adipe anſerino illiniuntur, felle caprino æquis ponderibus permixto, atq; inde ceruices fricantur, Idem. Anethi ſiccí ueteris puluerem, & reſinæ pityinæ puluerem cum adipe uetere anſerino aut gallinaceo, * edendũ mane ieiuno empyico cochlearia tria, & ueſpere tantundem dabis, mirè ſubuenies, Marcellus. Idem medicamento è cancris marinis, &c. pro phthiſico, * adipem anſ. addit. ¶ Hydropicis œſypum ex uino addita myrrha modicè potui datur, nucis auellanæ magnitudine, aliqui addunt & anſerinum adipem, & oleum myrteum, Plin. Adeps anſerinus cum eiuſdem cerebro & butyro & alumine & œſypo impoſitus ad ceroti modum efficaciter renibus prodeſt, Marcellus. Adeps anſerinus cum eiuſdem cerebro & œſypo & alumine ſubigitur, & imponitur ani omnibus cauſis, Idem. Adeps anſerinus alijq; diuerſi apud Galenum de comp. ſec. locos miſcetur medicamẽtis ad ſedem. Sedis uitijs prodeſt butyrum cum adipe anſ. ac roſaceo. modum ipſæ res ſtatuunt, ut ſint illitu faciles, Plin. Argimonia trita cum adipe anſ. impoſita condylomatis medetur, Marcellus. Condylomatis priuatim araneus dempto capite pedibusq; infricatur. ne acria perurãt adeps anſ. cum cera Punica, ceruſſa, roſaceo infricatur. item adeps cygni. hæc & hæmorrhoidas ſanare dicuntur, Plinius, cuius uerba, ne acria perurant, contra acres & calidos ſedis dolores interpretor. Nam & apud Galenum Euporiſton 1. 116. ſic legimus: Ad ſedis ex ardore dolores recentem anſ. adipem inungito & emplaſtri in modum imponito. Heras in medicamentum quoddam ſedis, pro œſypo (inquit Galenus) adipem anſerinum pari pondere coniecit. ¶ Medicorum aliqui axungia ad podagras uti iubent, admixto anſeris adipe, taurorumq; ſeuo & œſypo, Plinius. Lac muliebre podagris illini iubent aliqui cum œſypo & adipe anſerino, Idem.

¶ Oeſypum ſanat ulcera genitalium cum anſerino adipe, Dioſcor. ¶ Inhiberi Venerem pugnatoris galli teſticulis anſerino adipe illitis adalligatisq; pelle arictina tradunt, Plinius. Vrinæ incontinentiam cohibent leporis teſticuli toſti, uel coagulum cum anſerino adipe in polenta, Plinius.

¶ Adeps anſerinus matrici utilis eſt, Auicenna. Adeps anſ. aut gallinaceus recens & ſine ſale conditus, ad uuluæ uitia proficit: ſale inueteratus, & qui temporis ſpatio acrimoniam concepit, uuluæ inimicus eſt, Dioſcor. Et alibi, Adeps anſerinus & gallinaceus conueniunt muliebribus malis. Lac muliebre cum œſypo & adipe anſerino, uuluarum doloribus imponitur, Plin. Hippocrates hunc adipem mollitorijs uteri medicamentis crebro admiſcet. Vuluarum duritias & collectiones (locorum durities & concretiones, Sextus) adeps anſerinus aut cygni illitus emollit, Plinius: quin & cæteras durities ubiuis, ut ſupra dictum eſt. Adeps anſerinus utilis eſt in peſſarijs, Kiranides. Si menſes non prodeant, adipem anſeris & netopum, ac reſinã permixta ac lana excepta apponito,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 187 sur 825

ponito, Hippocrates de morb. mulieb. 1. Si aqua ex uteris fluat, ſulfur & anſeris adipe m*delingat, Hippoc. de morbis mulieb. Olympias Thebana maluas cum adipe anſerino abortiuas eſſe dicit, Plinius. Subdititium ad eiſciendum fœtum immortuum, Teſtam recentem & adipem anſ. terat ac apponat, Hippoc. de morbis mulieb. lib. 1. Medicamenta quædam cum adipe anſ. aut ouilla * bibenda conſulit mulieribus abortui obnoxijs Hippocrates in libro de ſterilibus. Ibium cineres cum adipe anſeris & irino perunctis, ſi conceptus ſit, partus continere tradunt, Plin. Adipem anſ. calentem adhuc à recenti ex uentre anſeris exemptione illini iubent uentri & coxis puerperæ ſtatim à partu, & eadem loca mox faſcijs lineis aſtringi, quæ per dies nouem relinquantur, ita uentrem ſine rugis & læuem permanſurum, And. Furnerius. ¶ Vt caſtigentur (conſtringantur) papillæ, Anſeris ſeuum illine cum lacte tepente, Serenus. Mammas à partu cuſtodit adeps anſeris cum roſaceo & araneo, Plinius. Cum anſerino adipe perunctis mammis dolores minuere putant, molas uteri rumpere, ſcabiem uuluarum ſedare ſi cum cimice trito illinantur, Idem.

DE REMEDIIS EX CAETERIS PARTIBVS, ET EXCREMENTIS anſ. & primum ex cerebro.

¶ Anſerinus (addendum, adeps, ex Marcello) cum cerebro & alumine, & œſypo, attritis medetur, Plinius. Adeps anſ. cum eiuſdem cerebro & œſypo & alumine ſubigitur, & imponitur ani omnibus cauſis, Marcellus. Adeps anſ. cum eiuſdem cerebro & butyro & alumine & œſypo impoſitus ad ceroti modum efficaciter renibus prodeſt, Idem. Cerebrum anſ. (inquit Kiranides) cum proprio adipe & melle lotum, & decoctione uel iure ſuperpoſitum, rhagades & hæmorrhoides, omnemq; tumorem ani curat. cum roſeo (roſaceo oleo) uero & adipe, & aſsiſgufis (ſic habet codex noſter manuſcriptus) uel teſtis ouorum ſolutum, ad tumores matricis facit. cum medulla ceruina ad ſciſſuras labiorum & chimetla conuenit. ad athas (lego aphthas) utile cum ſucco ſtringit. cum melle quoq; ea quæ circa linguam ſunt ſanat. cum nardo ad rheumatizãtes aures facit & antiquas, (Vide inferius in remedijs ex iecore) cum paſſulis uero purgatis carbunculos curat. cum liliaceo oleo immiſſum mortuos fœtus educit, Hæc omnia Kiranides.

¶ Lingua. Ad eos qui inuoluntariè urinam reddunt: Anſerinas linguas per triduum, quoque die unam, edendas apponito, Galenus Euporiſt. 2. 76. Idem apud Plinium & Marcellum legimus: ſed linguas inaſſatas illi in cibo ſumi iubent. authorem Plinius citat Anaxilaum. Lingua anſ. peculiari proprietate ad ſtranguriam, hoc eſt urinæ difficultatem facit, Symeon Sethi. Apud Marcellum inuenio, anſerum ſylueſtriũ linguas aſſatas à calculoſis in cibo efficaciter ſumi. Anſeris linguam in cibo uel potione ſumptam, mulierum libidinem mouere aiunt.

¶ Stomachus anſ. prodeſt ſtomachicis, inteſtina cœliacis, cor & pulmo phthiſicis, Kiranides.

¶ Iecur anſ. iuuat hepaticos, Kiranides. Salſum cum nardo eliquato, & repurgans in aurem indito, magnum aurium dolorem remittit, Galen. Euporiſt. 2. 4. Nos ſupra adipem anſ. ad aurium dolores commendari ſcripſimus: & adeps ſanè cum nardo, (id eſt oleo nardino) permiſceri eliquarique poteſt, iecur non item. Verum Kiranides neq; iecur neq; adipem, ſed cerebrum anſ. cum nardo ad rheumatizantes aures commendat.

¶ Fel anſ. contuſis oculis laudatur, ita ut poſtea hyſſopo (lego, œſypo) & melle inungantur, Plinius. Fel anſeris cum felle bubulo & ſucco daphnæ, ſurdos ſanat, Kiranides. Anginis felle anſ. cum elaterio & melle citiſsimè ſuccurritur, Plinius, & Conſtantinus Monachus apud quem corrupta eſt lectio. Fel anſeris, maximè quidem ſylueſtris, cum ſucco praſi aut polygoni, in peſſario poſitum, conceptionem præbet, uiriſq; intenſionem, Kiranides.

¶ Teſtes anſerum ſi comedantur, dicuntur multum ad ſobolem creandã facere, Symeon Sethi.

¶ Recentiores quidam cinerem plumarum anſeris aduerſus calculum commendant, Alexander Benedictus.

¶ Anſeris, accipitris, gruum, & ſimiliũ ſtercora, de quibus multa nugaces quidam fabulantur, inutilia eſſe experimento compertum eſt, Aetius. Excrementum anſ. ob nimiam acrimoniam inutile eſt, Galenus de ſimplic. lib. 10. Noſtri anſerẽ rurſi perſequi iubent, & ſtercus quod in fuga concalfactus emiſerit collectum, inflammationibus quibuſdam (gebrũt uel griggelen uulgò uocant) in manibus puerorum imponunt, ut eas maturet rumpatq;. Laurentius Ruſius medicamento acri contra morpheam ſerpiginem uel impetiginem in equis inſcripto, ſimum anſ. admiſcet. Recentiores quidam medici medicamentis ad anginam hoc fel adijciunt. Stercus anſ. potum tuſſes mitigat, Kiranides. Facilius enituntur, quæ ſimum anſ. cum aquæ cyathis duobus ſorbuêre, Plinius.

¶ Ova anſerina & pauonina, idem faciunt quod gallinarum, Kiranides. Cocti anſerini oui putamen minutiſsimè tritũ dimidia drachmæ quantitate ex uino propinato, Galenus Euporiſt. 1. 114.

H.

a. Volucrum pleræq; à ſuis uocibus nominantur, ut hæc, upupa, cuculus: item hæc, anſer, galina, &c. Varro. Recentiores quidam anſerem fœminino genere proferunt, quod non laudo. ueteres enim ſemper maſc. genere dixerunt, extra quod rei ruſt. ſcriptores, cum de fœminis anſeribus earumq; partu loquuntur, genere utuntur fœm. ut Varro & Columella, Singulæ (inquiunt) non

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 188 sur 825

plus quater in anno pariunt. Columella anſerculum uoce diminutiua dixit. χλὼ, id eſt anſer à Græcis ſic dicitur à uerbo χλάειν & χανδὸν ἐδίειν, hoc eſt ab oris hiatu & uoracitate, nam & uorax eſt animal, & inſuper hiare ſolet ſubinde cum uel audaciam uel timorem præ ſe fert, Euſtathius & Varinus. χλῶδες cõmuniter maſculino genere dicuntur, Ionicè fœminino. apud Homerum in utroq; genere reperimus, Euſtathius & Varinus in φλὼ. χλῶδες ἐπεφυγέμεναι, Aratus genere fœm. Ἀεὶς ἄρπην (legendum, ἀρχλὼ) χλὼα φορῶν, Homerus. Et alibi fœminino, ὡς ὅτε (ἀιετὸς) χλὼ ἥρπαξ' ἀκπάλοιμοῖλιν ὠκὺν, Homerus o. Odyſſeæ, citat Athenæus. χλὼ generis communis eſt. ἔστι δὲ καὶ ἐθνικὸν. & deriuatur à uoce ἠχὴ, quæ clamorem ſignificat. eſt enim animal clamoſum & uocale, Etymologus & Varinus. Ganß, id eſt anſer, uox Germanica, facta uideri poteſt ex Dorica χάν. ¶ χλωία ὀρνίθια, anſerculi aſsi, Menippus Cynicus apud Athenæum. χλὼ, τὸ χλωάριον, Suidas. ἑφθὰ χλωίσκων μέλη, Eubulus apud Athenæum. χλωιδὸς, pullus anſeris, Varinus in λαγωός: unde χλωιδεῖς in plurali apud Euſtathium. Porrò χήνια non anſerculos, ſed coturnices paruas interpretantur.

¶ Epitheta. Argenteus anſer, Verg. 8. Aeneid. à colore: de anſere illo albo, qui clangore ſuo Gallos Capitolium inuaſuros prodidit, quem Lucretius quoq; candidum cognominat. Homerus etiam ἀργὸν χλὼα, id eſt album anſerem dixit, Odyſſ. o. ſed hæc epitheta propriè non ſunt dicenda, quæ non omnibus in eadem ſpecie indiuiduis conueniunt. Argutus anſer, Martialis. Herbilis anſer, herba paſtus, qui gracilior eſt quàm frumento paſtus, Feſtus. Improbus anſer, Verg. id eſt, inſatiabilis, nulli probandus, Seruius. Plumigeri, Plinius & Cicero pro S. Roſcio. Canibúsue ſagacior anſer, Ouidius x 1. Metam. Raucus, Q. Serenus. Et apud Textorem, palmipes, planipes, latipes, clangens, garrulus, gratitans, ſaginatus, ſtridulus, aquaticus, canorus, paluſtris. ¶ Ἀργὸν χλὼα ἤμφορον, Homerus Odyſſ. o. Βεσπαδὴς χλὼς νέον ὀρταλιχᾶα, Nicander in Alex. Καὶ πολιὸν χλὼῆν ζεύξῃ & ἁρυδροείῳ, in Epigrammate ut Suidas citat. πλατύποδες, Scholiaſtes Ariſtoph. in Auibus.

¶ Deriuata. Anſerinus, quod ad anſerẽ pertinet, uel ex anſere ſumptus, Plinio & Columellæ. Ouã ædit fœtus anſerini ſimilia, Marcellinus de crocodilo. Anſerarium, hara anſerum, ut legitur apud Columellam lib. 8. in capitis 14. inſcriptione: in textu uerò ipſo chenoboſcĩũ tantum & hara.

¶ χλωὸς uel χλωεὰ oua, id eſt anſeris uel anſerina, nominantur ab Athenæo. χλωίσκος, pars nauis, Suidas. ὡς δὲ ἡ πρύμνη ἤρξατο ἐπανίστασθαι ἀφέμα καμπύλη χρυσῷ χλωίσκῳ ὡραϊσμένον, Lucianus in dialogo qui πλοῖον ἢ εὐχαὶ inſcribitur. id eſt, Vt uerò ipſa puppis ſenſim aſſurgit inflexa aureo anſerculo ornata, Lazaro Bayſio interprete. Quod nos anſerculum (inquit) uertimus, intellige formã anſerculi efficiam ad puppis ornamentum, ut uidimus in antiquis nauibus depictis, (quarum mox iconem apponit.) ὅ, τι γὰρ ἐν τῇ πρύμνῃ χλωίσκος ἄφνω ἐπῆρξατο καὶ ἀνέκραγε, Lucianus in ueris narrationibus. id eſt, Anſerculus enim qui ad puppim erat, repente alas promere cœpit, & clangorẽ fundere. Grammatici Græci cheniſcum ſcribunt lignum eſſe in puppi ſeu prora, ex quo anchoræ ſuſpendantur. Cheniſcus (inquit Phauorinus) pars eſt proræ cui appenduntur anchoræ, quæ & carinæ nauis eſt principium. Sunt & qui puppis potius principium dicant, ad quam epotides nauis connectuntur. Sed utcunq; ſit, cheniſcus dictus eſt, quoniam nauium artifices eam partem in anſerini capitis formam effingunt, ponuntq; in ſummo nauis, fortè quòd uel nauigium in eius ſpeciem & ſimilitudinem formant: uel potius boni augurij cauſa, tanquam immerſibilis nauis ſit, ut auis illa quæ fluctus enatet, Hæc fermè ille (ex Varino, qui ex Etymologo trãſcripſit, & Euſtathio in Iliados ſeptimum. Cheniſci meminit Artemidorus etiam lib. 2. Onirocriticorum, ubi cheniſcon ait in ſomnis ſignificare nauis gubernatorem. Meminit & Lucianus (locis ſuperius recitatis.) Vt mirũ ſit Cælium Rhodiginum (inquit Lil. Greg. Gyraldus) uirum multæ lectionis, planè hoc ipſum ignoraſſe, ut qui nauem eſſe cheniſcum putarit, non nauis partem. Sunt & qui in Apuleio x 1. libro parum ſcitè ita legant: Puppis intorta cerucho: cum antea rectè legeretur, puppis intorta cheniſco. Hæc L. Greg. Gyraldus. Τὰ κοῖλα τοῦ ζυγοῦ ὑφ' ἃ ὑποδέγονται οἱ ἵπποι, ζεῦγλαι: ὧν τὰ ἄκρα, ἀκροχλωίσκοι, Iulius Pollux libro 1. unde acrocheniſcos intelligimus extremas iugorum (quibus equi iunguntur) partes nominari, nimirum à ſimilitudine quadam figuræ ad anſerina roſtra. Cheniſci, cuiuſmodi ſunt in lyra, excogitati ſunt ad axes continendos. ubi enim fibulæ non ſint, quid poterit aliud utilius inueniri? quod ad uim igitur uſum habent fibularum: decoris autem cauſa inſculpta habent anſerina capita lignea, Oribaſius in libro de machinis cap. 4. ¶ χλωίζειν uerbum ad Muſicos pertinet, quaſi tibiarũ ſonum præſentans, Hermolaus. Et alibi, Gingrinas tibias ab anſerina uoce dictas putant. nam & Græci χλωιάζειν, pro eo quod eſt tibia ſonare, dicunt. De gingrijs tibijs uide infra in c. χλωίζειν δὲ εἴρηται τῶν τῷ αὐλεῖν. Diphilus Synoride, Ἐχλωίασας, πιεῖσα τοῦτο πάντες οἱ πρὸς Τιμοθέου, Athenæus. ¶ χλωκμα, καταμώκημα, id eſt irriſio, illuſio. χλωῆσαι, deridere, Heſychius. χλωύσρα, oſcitatio, καὶ τὸ σρατολύεσθαι, (lego σραγγολύεσθαι, id eſt pigritari & ſegniter agere,) Heſych. χλωυσρᾶσθαι, χασμᾶσθαι. χλωυσεῖς, βοᾶς, κέκραγας. ψιθυρίζεις σραγγολύῃ, Heſychius & Varinus. χλωσροφοι, qui nutriunt, paſcunt uel ſaginant anſeres, χλωσοσοικοὶ dicti à Cratino apud Athenæum. χλωσοσία, χλωσοσικία, Heſych. Plato in Ciuili circa eam pos Theſſalicos χλωσοσίας eſſe ſcribit. ſed forte χλωσοσίας legendum per σ. Extra urbem ſunt συσσίαι: forte & γυρανοσσίαι & χλωσοσίαι ſecundum Platonem, Pollux lib. 9. χλωσοσκεῖον, locus ubi aluntur anſeres, Hermolaus. utitur hac uoce Varro. Quintilij in Geoponicis χλωσοσκεῖον proparoxytonum ſcribunt, niſi mendum eſt. Legimus & χλωσροφεῖον apud Columellam. ¶ Genßlachtig, ac ſi dicas χλωσιδῆ, noſtri uocant cutim perfrigeratam & in poros ſurgentem, (φεικώδη,) cum ſcilicet pororum

rorum ueluti margines perfrictione eriguntur & inhorreſcunt: qualis anſerum plumis euulſis ſpectatur pellis. Conuenticulum mulierum de rebus inutilibus blaterantium uulgus noſtrum deridens, forum anſerinum, **ein genßmerckt**, appellat.

¶ Icones. Boëthi ſtatuarij infans ex ære eximiè anſerem ſtrangulat, Plin. In uaccam æream circa Pyrenen bos conſcendit, & anſeris picturæ anſer acceſsit & inſilijt, Athenæus lib. 13. ὁἰοὶ ᾧ μαλιστ' ἔοικας ἐπῆρωμιδῶ, Εἰς δυτέλειαν χλωὶ συγγεγραμμένῳ, id eſt, anſeri uiliſsimè picto, Ariſtoph. in Auibus. De cheniſco nauigij paulò ante ſcriptum eſt.

¶ Plantæ. Noſtri **genßfüſſel**, hoc eſt chenopodem appellant herbam à foliorum figura. Eſt autem fortè eadem chenopus illa, cuius flores, ut etiam rumicis, apibus attingi Plinius negat, lib. 11. cap. 8. noſtri eam ſuibus ueneno eſſe obſeruarunt: ut copioſius ſcripſi in Sue c. Rurſus apud Plinium 21. 15. ubi cynops legitur, codices quidam manuſcripti (ut Hermolaus annotauit) chenopus habet: quod non probo, cum locus ille totus ex Theophraſto translatus ſit, apud quem nulla cheno pus legitur. Hermolaus ibidem promittit ſe de chenopode dicturum in Corollario, in quo tamen ego nullam eius mentionem reperio. Aſpalathus nomen ſeruat in Creta, & alia planta perſimilis ei ibidem achinopodia uocatur, Pet. Bellonius. Vocant & uitis genus **genſſüſſel** in Palatinatu regione Germaniæ. ¶ Nyctegreton herbam Democritus chenomychon etiam uocari autor eſt: quoniam anſeres à primo conſpectu eius expaueſcant, Plin. 21. 11. ¶ Hederam (inquit Calcagninus, ex Plutarcho nimirum) Dionyſio cõſecrarunt, quam Aegyptij chenoſirim, id eſt Oſiridis plantam uocitant. Chenoſeris quidem uocari poſſe uidetur herbę quam ſerin uocant genus, anſeribus præcipuè gratũ, unde & **genßdiſtel**, id eſt carduus anſerinus à noſtris uocatur. ſonchi aſperi & ſyluestris ſpecies, ſeri autem herba anſeres delectari, ſupra in c. docuimus. Hieronymus Tragus intybum hortenſe etiam Germanicè inquit dici poſſe **genßzungen**. Anſerina herba nominatur in Breuiario Arnoldi, capite de ramice: & fortè non aliam intelligit quàm Germanicè ſimiliter ab anſere dictam **genſerich** uel **genßkraut**, quòd anſeres eius pabulo gaudeãt: & Gallicè bec d'oye, id eſt roſtrum anſeris. poteſt autem illa uideri argemone altera Dioſcoridis, quanquam ſcio illud caput, ut Marcellus Virgilius monet, in uetuſtiſsimis codicibus nõ extare. Recentiores quidam eandem herbam à colore argentariam uocant, ut & aliam quandam ab hac diuerſam. Vis ei aſtringendi, glutinandi, ſiccandi ſine morſu. Bellis maior, flos anſerinus uulgò (**genßblũm**) multis Germaniæ locis appellatur. Maluam ſylueſtrem minorem aliqui uocant **genßbappeln**, id eſt, anſerinam maluam: & ſedi genus tertium, **genſelkrut**: & ulmariam à recentioribus quibuſdam herbarijs ſic dictam **genßleiterle**: & auriculam muris (quam uulgò morſum gallinæ uocant) **genßkraut**, id eſt anſerum herbam, ab eo ſcilicet quòd eius cibo delectentur. Noſtri anſerinum uinũ, **genßlewyn**, per iocum de aqua dicunt.

¶ Propria. Anſer poëta quidam fuit Vergilij obtrectator, cuius meminit Seruius Bucolica enarrans ægloga 7. Et rurſus ægloga 9. ubi poëta ſcripſerat, Argutos inter ſtrepere anſer olores, alludit (inquit Seruius) ad Anſerem quendam Antonij poëtam, qui eius laudes ſcribebat, quem ob hoc per tranſitum carpſit. De hoc etiam Cicero in Philippicis dicit: Ex agro Falerno anſeres depellantur, ipſum enim agrum ei donârat Antonius. Idem Cicero in oratione pro Roſcio Amerino Brutium aduerſarium irridens, ac cæteros qui accuſationes factitabant oratores, anſeres eos appellat. χλωάς, nomen proprium eſt, Suidas. Eſt & χλωιόλας uiri nomen ab anſere factum in meretricijs dialogis Luciani: ſicut Genſericus Germanicæ originis. Chena, χλῶα, urbs Laconicæ, ciuis χλωνὺς. Cheneus uel Chenenſis fuit Myſon, meminit Laertius. Chenæ uicus memoratur à Pauſania alicubi, in Meſſenicis ni fallor. Chenoboſcia, χλωοβοσκία, urbs Aegypti è regione Dioſpolis, quaſi ab anſerum paſturis dicta, quæ tamen nullæ illic apparent: circa crocodilos autem occupantur Chenoboſciatæ, Stephanus.

¶ b. Oneſicritus perdices conſcripſit in India anſerum magnitudine eſſe, Aelianus. In mariş Caſpij inſulis auem naſci ferunt quæ magnitudine uel egregium anſerem ſuperet, & uocem ranis (aliâs catelli, aliâs capræ) ſimilem ædat, &c. Idem alibi uerò hanc auem Caſpiam Indicámue nominans, anſeri magnitudine æquat. Alhalbari eſt auis magna ſicut anſer, non multum uolans, & eſt nota apud uenatores Damaſci, Andr. Belluneñ. Μνοῦς eſt lana uel lanugo tenerrima, quæ in agnis & pullis equorum prima naſcitur: uel pennæ tenuiſsimæ, anſerum præſertim, Varinus. Viſæ ſunt etiam ſerpentes anſerinis pedibus, Plin. ὁι χλῶθ ὑποτύπτοντες (forte ὑποφύπτοντες) ὥσπερ τὰς ἄμμας Ἐς τὰς λεκάνας ἐνέβαλον αὐτοῖς τοῖν ποδοῖν, Ariſtophanes in Auibus: ubi Scholiaſtes addit, ἀλλ' ὁ πλατύπους ἅν ἄλλων μᾶλλον εἴη ὁὗτος χλῶας.

¶ c. De uoce anſerum Germani quidam, ni fallor, utuntur uerbo **ſchnätteren**, quod etiam ad muliebres blaterationes transferũt. Gingrire, anſerum uocis proprium eſt, unde genus quoddam tibiarum exiguarum gingriæ, Feſtus. hinc & gingritor tibicen appellatur, Perottus. τίγγρας parua quædam tibia lugubrem & flebilem uocem emittit, Phœnicum inuentum, & Muſæ Caricæ congruens. Porrò Phœnicum lingua Adonia Gingran uocat, unde & tibiæ nomen, Pollux, 4. 10. Et rurſus cap. 14. Gingras (inquit) erat etiam ſaltatio ad tibiã, ab ipſa tibia ſic dicta: ὄρχημα πρὸς αὐλὸν, ἐπώνυμον τοῦ αὐλήματος. Cingriæ tibiæ dicebantur, quæ licet breuiores eſſent, ſubtilioribus tamen modis inſonabãt, Perottus. Gingrinas tibias ab anſerina uoce dictas putãt. nam & Graeci χλωιάζειν, pro

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 190 sur 825

eo quod est tibia sonare dicunt. ego à Ginge, qui sit Adonis, Hermolaus. Ἡ χλῶα πλαταγίζοντα καὶ κεχηνότα, Eubulus apud Athenæum. Τῶν δ' (Græcorum in aciem euntium) ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ χλωῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δολιχοδείρων, Ἀσίῳ ἔν λειμῶνι Καϋστρίῳ ἀμφὶ ῥέεθρα, Ἔνθα καὶ ἔνθα πετῶν-ται, ἀγαλλόμενα πτερύγεσσι, Κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών, Homerus Iliad. β. ¶ Κα-στρίου νῆσις χορός, Λαχαίνοισιν ὥσπερ χλῶαι ἠχηεισμένοι, Theopompus apud Athenæum. χλῶας πυρὸν ὀρυ-πομένας πᾶσα πύελος, Homerus Odyss. τ. ¶ In crassa satur urinare lacuna Anser auet, Politianus.

¶ d. Εἰ μὲν σὺ χλωὸς ἦπαρ, ἢ ψυχλὼ ἔχεις, Eupolis apud Athenæum: dictum uidetur in stolidum. uide supra in F. Ὡς δ' ὁπόθ' ἑρκιόφοιτος ἀνὴρ ἐρίηλοι ἀθήσωσιν Ἤμβροι ἀνδρὸς χλωῦνος, ὅς τις σῆσιν εἰδῆται βαλλοι, Σὰ-νεσιν, τόθ' ἧπερ ἰάνηται εἰσορόωντες: Ὡς αἶγας πρωΐοις ὑΐδος ἐγήθεον, Q. Calaber lib. 6. ¶ Cum Lacyden (aliâs Lycaden) peripateticum altorem suum anser tantopere amaret, ut & cum ipso simul ambularet, & cum ille sederet, hic quoq; ab ambulando quiesceret, & ipsum nunquã relinqueret, eum ipsum Lacydes mortuum non minus ambitiosè, quàm aut fratrem aut filium sepulturæ honore affecit, Aelianus. Potest & sapientiæ uideri intellectus anseribus esse: ita comes perpetuò adhæsisse Lacydiphi losopho dicitur, nusquam ab eo, non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digressus, Plinius. Hermeas Samius anserem scribit ὁραδιῶαι λακύσιος τὸ φιλοσόφου, Athenæus. Quin & fama amoris, in Glaucen Ptolemæo regi cithara canentem, quam eodem tempore & aries amasse prodi-tur, Plin. Glaucam citharœdam à cane amatam fuisse audio: alij dicunt non à cane, sed ab ariete: alij ab anser e, Aelianus interprete Gillio. Et alibi, Nihil mirum in Chio Glaucen citharœdam ho-mines, cum ea esset pulchritudine eximia, adamasse: siquidem ab ariete & anser e etiam eandem au-dio amatam fuisse. ¶ Anseri Argis dilecta fertur forma pueri nomine Oleni, Plinius: qui locus corruptus aut ab autore non rectè scriptus, ex sequentibus Aeliani & Athenæi uerbis emendari po test. In Aegio (legendum enim Ἀιγείῳ, non Ἀγείῳ) puerum amauit anser, ut Clearchus prodit Erotí-corum primo: quem Theophrastus in Erotico Amphilochum appellatum, & genere Oleniũ fuisse scribit, Athenæus & Eustathius. In Aegio Achaię urbe (cuius etiam Stephanus meminit) præstan tem forma puerum nomine Amphilochum, sicut Theophrastus refert, anser amauit. Nam cum in Aegiensi custodia is puer cum perfugis ab Olenio (si rectè transtulit Gillius: malim, ab Oleno, urbe scilicet Achaiæ, uel Aetoliæ, uel Bœotiæ) teneretur, ei anser dona afferebat, Aelianus. Emendan-dus igitur & Plutarchi locus, apud quem in libro Vtra animalium, &c. non in Aegio, sed in Aegy-pto, hic anser fuisse legitur.

¶ e. Anseres σιτόλυσσ apud Athenæum lego, nos fartiles & altiles dicere possumus. ¶ Anse-ris uiuentis si quis abscideri t linguam, posuerit q; super pectus uiri aut mulieris dormientis, confi-tebitur omnia quæcunque fecit, Kiranides. ¶ Parte alia bifero plumosam corpore messem Nu trit, Politianus de anser e. ¶ Agris & segetibus nocent, improbus anser, Strymoniæq; grues, Ver gilius 1. Georg.

¶ f. Sacerdotibus Aegyptijs quotidie carnis bubulæ & anserinæ satis abundeq; est, Herodo-tus. Χλωίσκοι ὀπτοί, id est anserculi assi, nominantur à Menippo apud Athenæum inter delicias. Ὡς καὶ σιτόλυτος χλωὸς ὁμοῦ σκολιάζει νεοττὸν ὀπτὸν ἁπλῶς καὶ τόνδε, Archestratus apud Athenæum. Heliogabalus canes iecinoribus anserum pauit, Lampridius. Χόνδρον αὐτῷ σίλλυσιν γάλακτι χλωὸς, Eubulus in Pro-cride. de lacte autẽ anseris dicto scripsi supra in F. Vt tuus iste nepos olim satur anseris extis, &c. Persius Sat. 6.

¶ h. Extat Germanicum carmen de anseris laudibus non illepidè scriptum. Est & anseri ui-gil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus. quamobrem cibaria anserum censores in primis locant. Eadem de causa supplicia annua canes pendunt, inter ædem Iuuentutis & Summani, uiri in furcas sambucea arbore fixi, Plinius. Hanc historiam describunt T. Liuius ab urbe condita lib. 5. & Plutarchus in Camillo, & Io. Tzetzes Chiliade 3. cap. 102. Atq; hîc auratis uolitans argenteus anser Porticibus, Gallos in limine adesse canebat, &c. Vergilius 8. Aeneid. ubi Seruius, Historia (inquit) talis est: Brenno duce Senones Galli uenerunt ad urbem, & circa Alliam fluuium occurrentem sibi deleuerunt exercitum omnem populi Romani. Alia quoq; die quum uellent ingredi ciuitatem, primò cunctati sunt timentes insidias, quia & patentes portas, & nullum in muris uidebant. Postea paulatim ingressi, cuncta uastarunt octo integris mensibus, adeò ut ea quę incendere nõ poterant, militari manu diruerent, solo remanente Capitolio, ad quod cum utensilibus reliqui confugerant ciues: qui tamen à Gallis obsidebantur, etiam id penetrare cu-pientibus: quos alij per dumeta & saxa aspera, alij per cuniculos dicunt conatos esse ascendere. Tunc Manlius custos Capitolij Gallos detrusit ex arce, clangore anseris excitatus, quem priuatus quidam Iunoni dederat dono. Nanq; secundum Plinium, nullum animal ita odorem hominis sen-tit: quod Ouidius in Metamorph. intelligens dixit, Nec seruaturis uigili Capitolia uoce Cederet anseribus. Et paulò post, Et satis prudenter argenteum anserem dixit, nam quasi epitheton est colo-ris, & significauit rem ueram. nam in Capitolio in honorem illius anseris, qui Gallorum nunciârat aduentum, positus fuerat anser argenteus. Galli (inquit Aelianus) uictis Romanis, in urbem irru-perunt, Romamq; præter arcem Capitolinã, ad quam difficilis ascensus erat, ceperunt: quam etiam fidei suæ permissam custodiebat M. Manlius consul (qui filium suum, etsi rebus præclare gestis, & pugna strenuè pugnata, tamen quòd iniussu imperatoris pugnasset, morte mulctauit:) Eam Galli

undiq;

undiq; ſibi inacceſſam uidentes, & noctem intempeſtam ad inuadendos ex inſidijs arctiſsimè dormientes, accommodatam rati, qua non cuſtodiebatur, ac ſilentium à cuſtodibus erat, non arbitrantibus inde Gallos inuaſuros eſſe, aggrediuntur: ac tum capta arx fuiſſet, niſi anſeres interfuiſſent. Nam canes obiectum cibum ſilentio edebant. At enim anſeres, cum ex eorum natura ſit ad obiecta cibaria clamores tollere, & minime ab ſtrepitu conquieſcere, editis clangoribus, M. Manlium & circunfuſas cuſtodias è ſomno excitarunt. Ex quo factum eſt, ut nunc iam quotannis canes ſuę fraudis pœnas Romanis dent, ad memoriam ueteris eorum proditionis. Anſer uerò certis diebus in honore eſt apud Romanos, & magna pompa in foro incedit, Hæc ille. Cenſores magiſtratu aſſumpto cur primum anſerum cibaria locare ſoliti fuerint, inquirit Plutarchus in problematis rerũ Romanarum 94. Faciunt hoc, inquit, in memoriam Capitolij anſerum clãgore ſeruati. ante omnia autem id faciunt, ſiue ut rem minimi ſumptus primum perficiant: ſiue quòd cum cuſtodes ipſi rerum maximarum futuri ſint, & rerum publicarum tum ſacrarum tum ciuilium inſpectores, ab animali in primis cauto & prouido boni ſcilicet omínis & ſignificationis gratia, initium ſui muneris & curam auſpicantes. Romulidarum arcis ſeruator candidus anſer, Lucretius. Hæc ſeruauit auis Tarpeĩ templa Tonantis. Miraris? nondum fecerat illa Deus, Martialis.

¶ Vidimus aliquando anſerem bicorporem: & nuſquam erant connexa corpora niſi in dorſo: bicipitem, alis quaternis ac totidem pedibus. & ibat ad quamcunq; partem conuertebatur. fuit autem breuis uitæ, Albertus de animalibus 18.6. ¶ Eriphus poëta (Athenæo teſte) ex ouo anſerino Ledam (imò Helenam) natam ait, alij ſimpliciter ex ouo. Vide in Aquila h. in metamorphoſi Iouis in aquilam.

¶ Per anſerem & huiuſmodi iurare mos erat ueteribus, Heſych. & Varinus. Οἱ δὲ ἴβιν καὶ κύνα καὶ χῆνα & πλατάνους ἐπώμνυντο, Lucianus. Λάμπων δ' ὄμνυσιν ἔτι καὶ νῦν τὸν χῆνα, ὅταν ὀξαπατᾷ τις τί, Ariſtoph. in Auibus. id eſt, Lampon etiam nunc iurat per anſerem, ubi quis fallit in aliquo. ubi Scholiaſtes: Primi (inquit) Socratici hoc iuramentum uſurparunt. Nam Socrates libro 12. Creticorum ſic ſcribit: Rhadamanthus cum regnum adminiſtraret, uidetur omnium hominum iuſtiſsimus fuiſſe: & ferunt de illo quòd iuramentis per deos interdictis, iurare iuſſerit anſerem, canem & arietem & ſimilia. Fuit autem Lampon ſacrificus, diuinator (oraculorum autor) & uates, cui etiam Athenienſium coloniam in Sybarim deductam aliqui attribuunt, ipſum cum Athenienſis eſſet cum alijs nouem ducem eius fuiſſe dicentes. Iurabat autem per anſerem tanquam auem uaticinam, (μαντικὸν, auguralem, Eraſmus.) conſecutus eſt etiam cibum honorarium in Prytaneo, Hæc ille: & eadem Suidas, qui inſuper addit hunc Ariſtophanis uerſum conuenire in illos qui iuramento adhibito quempiam decipiunt. Hinc & Eraſmus in Chiliadibus, Λάμπων ὄμνυσι τὸν χῆνα, id eſt, Lampon iurat per anſerem, inter prouerbia recenſet. ita autem loquebantur (inquit) ubi quis decipere tentaret iure-iurando. Per anſerem quidem iurare Socrati apud Platonem familiare eſt. Socrates quidam Athenienſis (ſic loquentem inducit Theſpeſionem gymnoſophiſtam Philoſtratus in uita Apollonij) ſenex fatuus, ut uos putabatis, canem, anſerem, platanum deos putans, per eos iurare conſueuit. Minimè uerò fatuus habitus eſt, inquit Apollonius, ſed diuinus quidam uir & uerè ſapiens. iurabat autem per ea quæ dixiſti, non tanquam deos, ſed ne per deos iuraret. Ne deorum nomina cuiuis ſermoni adhiberentur, Rhadamanthus per anſerem & arietem iurare iuſsit, non Socrates ut quidam uolunt, Suidas in χῆνα. Socrates per animalia quædam, ut canem & anſerẽ iurabat, & ante ipſum Rhadamanthus, Porphyrius lib. 4. de abſtinendo ab animatis. Et mox, Lex apud Cretenſes erat authore Rhadamantho, omne genus animalium iuramentis adhibere. Conijciat autem aliquis per χῆνα & κύνα frequentius quàm alia animalia quoſdam iuraſſe, quòd hæc uocabula quodammodo alludant ad ζῆνα, id eſt Iouem. ſic enim & noſtrum uulgus in iuramentis Dei nomen declinans, ferè una litera immutata id effert.

¶ Telemacho patris reditum optanti & de procis uindictam, Odyſſeæ ο. ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις Ἀργιλίου χήνων φορέων ὀνύχεσι πτέλωρον Ἥμερον ἐξ αὐλῆς. hoc eſt, aquila ad dextram uolãs apparuit, magnum & candidum anſerem domeſticum ex corte raptum unguibus ferẽs. uide in Aquila h. Somnium Penelopæ de anſeribus uiginti ab aquila interemptis, referam in Aquila h.

¶ Iuxta Lebadiam ciuitatem Phocenſibus finitimam nemus eſt Trophonij. Ferunt ibi Hercynnam unà cum Proſerpina ludẽtem, anſerem, quem tenebat, inuitam dimiſiſſe. Atqui in cauam ſpeluncam auis cum deuolaret, & ſubter lapidem ſeſe occultaret, ingreſſa Proſerpina, cepit ſub lapide ſedentem. Aquam itaq; profluxiſſe aiunt, quo loco lapidem amouerat Proſerpina, & hac de cauſa fluuium dictum fuiſſe Hercynnam, Pauſanias in Bœoticis. ¶ Martialis lib. 9. Velium Domitiani comitem inducit Marti anſerem uouere: qua de re eius pulchrum legimus epigramma, Dum comes Arctoi, &c. Petronius Arbiter anſeres Priapo ſacros facit, cuius uerba adnumerabo. Itaq; ad caſæ (inquit) oſtiolum proceſsi, & ecce anſeres ſacri impetum in me faciũt, fœdoq; ac ueluti rabioſo ſtridore circumſiſtunt trepidantem. atq; alius tunicam meam lacerat, alius uincula calciamẽtorum reſoluit ac trahit: unus etiam dux ac magiſter ſæuitiæ non dubitauit crus meũ ſerrato uexare morſu. Oblitus itaq; nugarum pedem menſulæ extorſi, cœpiq; pugnaciſsimum animal armata elidere manu, nec ſatiatus defunctorio ictu morte me anſeris uindicaui. Cum protuli anſerem, anus ut uidit tam magnum æquè ſuſtulit clamorem, ut putares iterum anſeres limen intraſſe: & complosis ma-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 192 sur 825

nibus, Scelerate, inquit, occidisti Priapi delitias, anserem omnibus matronis acceptissimum, &c. Hæc ille. mulierculæ quidem nostræ in pueris membrum uirile uulgò & iocantes anserem nominant. Iunoni etiã anser dicatus est, ut T. Liuius in Capitolina obsidione indicat. Isidi deæ Aegyptiorum, (quæ & Luna putabatur, ab aliquibus Ceres,) anser mactabatur, securiq; illi apponebatur, ut Herodotus & Ouidius testantur, Gyraldus. Aegyptijs quibusdam nullam pecudem fas est immolare præter sues, & boues mares & uitulos, dummodo mundos, & anseres, Herodotus libro 2. De sacrificijs ex animalium sex generibus, inter quæ etiam anser numeratur, apud ueteres usitatis, diximus in Oue h.

¶ Tota urbe in hostium potestatem redacta, solus collis Capitolinus remanserat, qui etiam ipse caperetur, nisi saltem anseres dijs dormientibus uigilarent. Vnde penè in superstitionem Aegyptiorum, bestias auesq; colentium, Roma deciderat, cum anseri solennia celebraret, Augustinus de Ciuitate Dei 2, 22. Minus mirum autem anseri hunc honorem habuisse gentiles, cum Christiani contra gentiles profecturi, diuinum penè honorem anseri tribuerint. Hæc enim uerba in uita Henrici quarti imperatoris in Saxonum Chronicis leguntur: Vrbanus Pontifex habito in Hispania concilio, crucem contra gentiles prædicari tum primum decreuit. Collecta magna hominum multitudo, duce Godeschalco presbytero Hierosolymã nauigare instituit, quæ uniuersa perijt naufragio. nam Godeschalcum impostorẽ fuisse sermonibus ferebatur. Secuta alia multitudo, quæ Petro Monacho duce, inter uias Iudæos omnes ubicunq; locorum inuentos occidit: & quò uoluit, peruenit incolumis. Fuerunt in eadem expeditione Godefridus & Balduinus comites Lotharingiæ, Robertus Flandriæ, Raimundus S. Eligij, Boimundus Siciliæ, & nepos eius Tancredus, & quidam Italus episcopus. Tantus autem erat hominum concursus, ut ab aratro agricolæ, pastores à gregibus, matres à cunis, monachi & uestales è claustris aduolarent. Secum uehebant anserem, quẽ publicè alebant, & spiritum ei sanctum inesse erant persuasi. Carolum quoq; Magnum reuixisse, & tanti itineris comitem credebant, & prouincias inter se distribuebant, antequam eas caperent, Hæc ex Chronicis Saxonicis ad uerbum excerpsimus.

¶ Anseres uicinis uel familiaribus furtim auferre, pro furto ferè apud nos non habetur: sed etiã familiaritatis indicium, si illi quorum anser fuerat, ad cõuiuium in quo anser subreptus apponatur, inuitentur. itaq; sæpe è culina dum assatur, aufertur. Celebratur à nostris prouerbij instar conuiuale hoc dictum, Essend was jr hand/vnd lassend den lüten die genß gon. id est, Vescimini præsentibus, & anseres alienos relinquite, cuius originem ferunt huiusmodi. Vir quidam parum astutus, cui anser subreptus erat, passim de illo inquirens circumibat: & cum forte cœnantes quosdam obseruasset, suspicatus anserem suum, (id quod res erat,) ab illis cõsumi, stans foris pone fenestram, sermonibus illorum auscultabat. Tum quendam intus (qui nimirum foris stantem illum animaduerterat) cæteros hortantẽ audiens, ut cibis præsentibus uescerentur, relictis anseribus alienis, suspicione deposita, discesset.

¶ De prouerbio, Lampon iurat per anserem, paulò ante scriptum est. ¶ Cœlum nõ animum mutant qui trans mare currunt, Horatius. eiusdem sententiæ prouerbium celebrãt Germani, Ein ganß über meer/ein ganß wider hãr. hoc est, Anser etiam mari traiecto redit anser. Quidam sic efferunt, Es flog ein ganß über Rhein/ Vnd kam ein gagag wider hein. nam gága de uoce anseris per onomatopœiam dicimus. Anserem autem pro stolido dici uulgò, scriptum est supra in F. in mentione iecinoris anserini. ¶ Omissa hypera pedem insequeris, prouerbium affine illi Hollandorum, Su süist nae thennen ay/vnde leist tganser ay varen. id est, Gallinarum oua conquiris, & anserina negligis.

DE ANSERIBVS FERIS IN GENERE.

Figura subsequens anseris syluestris est, ex illis qui sub initium hyemis sublimi uolatu migrant.

A.

ANSER ferus, syluestris uel immansuetus, quomodo appelletur in diuersis linguis, nihil est opus recensere, cum nullum ei peculiare nomen sit, sed cum adiectione syluestris in omnibus (quod sciam) linguis nominetur: ut ab Italis ocha saluaticha: ab Hispanis ansar bráuo, à nostris wilde Ganß: & à quibusdam Schneeganß, hoc est niuis anser. quòd sub initium hyemis imminentibus iam niuibus apud nos migrare soleat. Anseres indomiti & proprię libertatis, uolacissimi sunt: domestici contrà, Author libri de nat. rerum. Aristoteles anserum duo genera facit, maius & minus, recentiores aliqui minus idem quod ferum esse putant, quoniam Plinius non aliter quàm in domitum & ferum partitur.

¶ Anser syluestris (inquit Albertus) apud nos quatuor generum inuenitur. Est enim anser cinereus maior, qui à colore uulgò Graganß dicitur: (Huius generis esse puto illum cuius figuram apposui.) & eiusdem coloris ac figuræ minor, qui propter corporis leuitatem altius ac longius uolat. Tertium genus totum album est, præter alarum extremas quatuor uel quinq; pennas, quæ nigerrimæ sunt. uulgò anseres grandinis siue niuis uocantur, (Hagelgänß, Schneegänß. sed nostri alios

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 193 sur 825



alios etiam feros primi & ſecundi generis niuis anſeres uocitãt, ut dixi.) ſunt autem hi quoq; parui, & altè ac longè lateq; uolant. Sed minores ſunt quarti generis anſeres, quibus roſtrum anſerinum eſt, color capitis ut pauoni, abſq; criſta tamen. in dorſo cinerei ſunt, ad nigrum declinantes, in ſtruma (collo) nigri, & in uentre cinerei, anſeres arborum dicti, quòd uulgus eos ex arboribus naſci credat. (Hos alibi ſcribit maculas nigras in uultu habere, & cinereos eſſe. Sed de anſere arborum plura leges ſupra in Branta uel Bernicla inter anates feras.) Cygnus etiam uidetur generis anſerini eſſe tum roſtri figura, tum pedum, uictuq; : & ſibilo tempore pugnæ ſimili. ſed magnitudine excedit. Quidam denique anſerum generi addunt auem quæ poſt ſtruthionem maxima ſit, & in alpibus ac locis ad aquilonem deſertis degat: quam nos nunquam uidimus. niſi forte ſit auis illa quam uolinare uocamus, cygno maior, Hæc omnia Albertus. Eſt autem auis, quam uolinare nominat, onocrotalus, diuerſa ab illa quam Plinius tetraonis genus alterum facit, maximam auium poſt ſtruthocamelum. ¶ Anſerum ferorum genera dicta miſcentur inter ſe. apud nos enim anſer ferus, qui colore capitis pauonem refert dempta criſta, cum domeſtico coiuit: unde prognati pulli omnes patris colorem repręſentarunt, magnitudine uerò exceſſerunt, Albertus. Inter anſeres (domeſticos) genus uarium ferum uocatur, & cum albis nec libenter congregatur, nec æquè fit manſuetum, Varro: nec tam fœcundum nec tam pretioſum eſt, eoq; non nutriendum, Columella.

B.

Anseres feri niuales dicti, multi reperiuntur in alpibus Helueticis, Stumpfius. Anserum generis sunt chenalopeces (aliàs chenerotes, aliàs ceramides) anseré fero minores, Plinius. Anseres indomiti glauci coloris sunt, Author libri de nat. rerum. sed quomodo diuersa eorum genera tum magnitudine tum coloribus differant, dictum est præcedenti capite. Anser ferus, quem ego uidi, tota forma parum à domestico differebat, longus dodrantes circiter quatuor, aut paulò minus: extensus scilicet à summo rostro ad imos pedes, magnitudine domestici. rostro nigrò utrinq; per medium croceo: palmipes, crura pedesq; toti, id est digiti cum membranis ex croceo rubebant. capitis colliq; color fuscus erat, supra magis nigricans & forte nonnihil ruffi habens: inferius uerò plus cinerei. Venter totus cinereus. inferior pars caudę, & in tergo etiam utrinq; pars à cauda alas uersus, plumis uestiebatur albissimis. Caput ferè anatinum magis quàm anserinum, aliquãto minus quàm anseris. Dorsum & alæ nigricabant, admixto modicè castaneæ colore, præsertim in minoribus & superioribus pennis. margines tamen extremi in nonnullis albicabant, in alijs cinerei erant. in extrema uerò dorsi parte caudam uersus purè nigricabant. in media cauda albæ quædam erant, subcinericeæ tamen pennæ eminebant: inde rursus nigræ, ultima pennarum caudæ postremitas albicabat. Alis bene extensis una aut altera series pennarum in extremo albentium apparebat. ultimæ maximæq; alarum pennæ omnium præcipuè nigræ erant, altera earum extremitate, quæ in conspicuo erat, in angustam lineam albentem degenerante. in eisdem alis pennæ ab externo angulo cinereæ descendebant, & paruulæ quædam eiusdem coloris ab interno.

C.

Reperiuntur, ut dixi, in alpibus. Omnes (inquit Albertus) nutriuntur ad Aquilonem in paludibus. ¶ Anseres, similiter ut grues, tum uolandi duces, tum somni custodes habent, nunquã sine clamore. Vox eis absurda, silentium rarum: quod ubi necessarium uidetur lapillo ori immisso uocem continent, tanquam non aliter sibi temperaturi. Hoc autem faciunt ob metum aquilarum. nam Taurum montem superaturi, ubi aquilas timẽt, lapillos (uide eadem de re paulò post) rostris ferunt, ad coercendam linguam. Cæterum pascua locorũ, etiamsi latissima nacti fuerint, facile obliuiscuntur, ideoq; semper oberrant & uagantur. sed lucri nonnihil ex hoc malo eis accedit, quòd non facile capiantur ab aucupibus, qui familiares auibus locos obseruant, & quò ire illę redireq; solent semina ad illiciendum proijciunt. anseres uerò propter obliuionis uitium locos eosdem non repetunt. Oppianus Ixeuticorum 2. Anseres, grues & anates quotannis discedunt, Demetrius Constantinop. Plutarchus anseres Cilices in Tauri montis traiectu (ut modo ex Oppiano Cilice poeta retuli) calculis satis magnis ora obstruere scribit, ut obstreperã naturæ suę garrulitatem tantisper compescant, dum hostem clam præteruecti fallant. Aelianus & Marcellinus anseres simpliciter Taurũ montem transmittentes hoc facere scribunt. sed forsan hoc præcipuè faciunt qui circa Ciliciam sunt anseres feri, quòd ijs uicinus mons Taurus necessario transuolandus sit. Sed grues quoq; in sua migratione arenam ore, alij pedibus lapillos gestare tradunt: ut minores quoq; aues inter migrandum, contra uim uentorum, ut Plinius refert: & coturnices etiã. Silentij bonum uel cassa ratione animantia prę-monstrant. nam æstu oriente digressi anseres, & syderis uapore coacti nimio, ac occidua petentes, ubi Taurum superaturi montem sunt aquilis abundantem, rostra lapillis occludunt, ne clangorem eliciat uel ultima necessitas, quos uolatu pernici collibus eiectẽt transmissis, Cælius. Anseres quoque & olores simili ratione (ut grues & ciconiæ) commeant. sed horum uolatus cernitur, (hoc est, ut ego interpretor, magis in cõspicuo est quàm gruum, quòd minus in sublimi uolent.) Liburnicarum more rostrato impetu feruntur, facilius ita findentes aera, quàm si recta fronte impellerent, à tergo sensim dilatante se cuneo porrigitur agmẽ, largeq; impellenti præbetur aura. Colla imponunt præcedentibus, fessos duces ad terga recipiunt, Plinius. Et mox de minoribus quoq; auibus, quæ migrare solent, dicturus, Verum hæc (inquit) commeantium per maria terrasq; peregrinatio, non patitur differri minores quoq;, quibus est natura similis. Vtcunq; enim supradictas magnitudo & uires corporum inuitare uideri possunt. Io. Tzetzes Chiliade tertia migrationẽ & uolatum in sublimi gruum describens, gruibus planè eundem modum seruare etiam anseres ait. Syluestres anseres omnes gregatim uolando, ordinem seruant literatum, sicut & grues: & quò facilius uolent, flatui se committunt uentorum. quamobrem multi prædicunt uentos, frigora & imbres ad uolatum ipsorum. Altè autem uolant (ut grues, Stumpfius) superiorem uentũ prævalere inferiori cognoscentes. Vix unquam uerò expectant hominem: & de loco ad locum sicut grues se mutant, sed non latent. Volando defessi dolent, & uociferantur, Albertus. Et alibi, Anseres feri omnes (quorum genera quatuor esse diximus) recedunt à terra nostra quæ est latitudinis 47. graduum, & in Sclauiam (Illyriam) ad loca aquosa, palustria & arundinibus referta, ubi fœturæ operam dant, se recipiunt. In principio autem hyemis reuertuntur ad nos propter pascua & aërem magis temperatum: & tunc uolant in gregibus maximis, ita quòd millenì uel amplius uidentur. Volant autem, cum uentus spirat à septentrione, ad meridiem: quum à meridie, ad aquilonem. itaq; uolantes semper flatu uenti sustinentur, unde uulgò dicunt uolatum anseris indicare uentum. Similiter scribit Auicenna, obseruatum sibi in regione sua, quòd aues quædam aquaticæ tempore ueris ad mare mortuum (falsum) ueniant, quod propriè dicto mari salsius & calidius est; & inde recedant ad intus qui demore uocantur,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 195 sur 825

cantur, (forte, ad Indos qui Mauri uocantur. ſed Auicennæ de animalibus codex impreſſus, habet: & inde recedũt ad locum de cauriſiue) ac inde traiecto Nilo ad lacum de canteſme (de trauluſtem) dictum, quædam uerò uſq; ad lacum deterrabeſten dictum, & alios in iſs regionibus lacus, perueniunt. Et paulò poſt, Aues quædam ante hyemem receſſuræ, uociferantur altè uolando, ne qua earum remaneat, & ut augeatur ſocietas recedentium, ut ſcribit Auicenna. Ambroſius addit, quòd etiam debiliores quaſq; & tardiores ſulciunt aduentatione (ſuſtentatione) alarum: & expectant ſe inuicem quò minus obnoxiæ ſint inſidijs auium, à quibus perirent, niſi ſe mutuò & expectarent & iuuarent, Hæc omnia Albertus. Aues aquaticas, ut ciconias, hyeme in Aegypto degere, in quam è Septentrione auolarint, Pet. Bellonius obſeruauit. Anates anſeresq; feri quomodo cum ciconijs migrent in Lyciam, atq; illic circa Xanthum fluuium aduerſus coruos, cornices, uultures, aliasq; carniuoras aues pugnent, in Ciconia c. ex Kiranide recitabitur. Anſeres indomiti aëris alta petunt: uolantq;, ut grues, ordine literato, uolatu ſecundum flatus uentorũ directo. Aquilone flante petunt auſtrum, frigidam aëris conſtitutionem imminere præſentientes. Vix autẽ à uolatu ceſſant, niſi eſurie coacti. in tantum enim uolatu delectantur ut raro dormiant: cum domeſtici contrà ad uolandum propter grauitatem ignaui ſint, Author libri de nat. rerum. Girfalco uenit à regionibus tranſmarinis in cohorte multarum aucarum ſylueſtrium, Obſcurus. Audio grues citius migrare, nempe Septembri menſe. obſeruaui ego circa decimum eius menſis diem auolantes, tum die, tum nocte, quod ex clangore ipſorum intelligitur. anſeres autem feros tardius, nempe in fine Septembris, & Octobris initio. Vidi enim aliquando ſexto Octobris die permultas auolãtium turmas, quæ ab Oriente Galliam & Occidentem uerſus per turmas triangulas (trianguli ſpecie ſine baſi, duabus tantum productis coſtis) uolabant. hoc enim ordine forſan commodius omnes uentum recipiunt, quo ſuſtinetur uolatus, nec ullus impedit alterum. ſic etiam omnes facile ducem ſuũ quem ſequantur proſpiciunt. Volant ferè ſilentes, niſi turbatus ſit ordo. tum enim clamant, defeſſos ac procul ſequentes expectant & clangore uocant. Expectando uidentur ſe humilius terram uerſus demittere, quod quidem facilius faciunt quàm aſcendere, cum nec prorſus loco manere poſsint, nec pergere uelint.

¶ Anſeres feri incipiunt coire poſt hyemale ſolſtitium, deinde initio ueris pariunt oua, ad ſummum ſedecim. Aiunt autem ſi oua ſubinde ſubtrahantur, pariturum anſerem uſq; ad defectum, Albertus. ſed Plinius hæc de numero ouorum, & partu ſi ſurripiantur, donec rumpatur, de anſere domeſtico tantum ſcribit. fieri tamen poteſt, ut idem de utriſq; uerum ſit. Quæ ex feris mitigentur, non concipere tradunt, ut anſeres, Plinius. ¶ Anſer ſylueſtris captus fuit apud nos, qui per elixationem trium dierum naturalium emolliri non potuit: & tandem induratus fuit, ita quòd cultello ſcindi non potuit, nec ullum animal de ipſo uoluit guſtare; Albertus. Noſtri ſanè anſerem ſylueſtrem ſiue niualem, longè uiuaciſsimum eſſe putant, ita ut ætatem maximè longæuam ſignificaturi, uulgò dicant als alt als ein Schneeganß. hoc eſt, tam prouectæ ætatis quàm anſer niualis.

D.

Anſeres feri tam cauti ſunt, ut in Tauri mõtis tranſitu propter metum ab aquilis lapillis ora impleant, ne clangant, teſte Ammiano Marcellino, ut ſupra dictum eſt copioſè in c. Eorundem uolatus quo literam Pythagoræ referunt, ingenio non caret.

E.

Anſeres capiuntur à falconibus & aſturibus, Creſcẽtienſis. Girfalco uenit à regionibus tranſmarinis in cohorte multarum aucarum ſylueſtrium, quarum unam nocte propter frigus pellẽs ſub pedibus ſuis, aliam interdiu capit in cibũ, Obſcurus. Anſeres, cygni, & aliæ aues quædam quomodo capiantur reti in ripis fluuiorum, Creſcentienſis deſcribit lib. 10. cap. 18. & mox alium anſeres irretiendi modũ cap. 19. Quomodo anſeres & aliæ magnæ aues baliſtis & ſagittis capiantur, ibidem cap. 28. Anſeres quomodo gregatim reti capiantur, lege ſupra in Anatibus feris E.

F.

Anſer ferus quem uidi, deplumatus exenteratusq;, crudus adhuc ſuauiter olebat, inſtar leporis aſsi quodammodo.

G.

Anſerum ſylueſtriũ linguæ aſſatæ efficaciter ſumuntur in cibo à calculoſis, Marcellus. Fel anſeris, maximè quidem ſylueſtris, cum ſucco praſi (porri) aut polygoni in peſſario poſitum, conceptionem promouet, & in uiris intenſionem, Kiranides. Anſeris feri ſimus ſuffitus dæmonia eijcit, & lethargum ſanat, & ſuffocationem matricis, Idem.

DE VVLPANSERE.

A.

CHENALOPEX, Latinè uulpanſer dici poteſt, ut Gaza ex Ariſtotele tranſtulit, Plinius nomen Græcum reliquit. χηνέλοπες aues quæ & χηναλώπηκες dicuntur, Heſychius & Varinus. Chenelopem aliqui eandem penelopi auem exiſtimant: uide ſupra in Penelopis hiſtoria inter Anates feras. Anſerũ generis ſunt chenalopeces (aliàs penelopes,) & qui-

bus lautiores epulas non nouit Britannia chenerotes (aliâs chenalopeces, aliâs ceramides,) fero anſere minores, Plinius. Chenalopex (inquit Turnerus Anglus) ab anſere & uulpe nomen habet. Noſtrates hodie uocant bergandrum (forte quaſi mõtanam anatem, Bergenten.) anate longior & grandior uulpanſer eſt, pectore ruffeſcente. in aquis degit & in cuniculorum foueis. interdum & in excelſarum rupium cauernis (unde forte nomen ab Angloſaxonibus, noſtris patribus, ſortitus eſt) nidificat. Nuſquam aliâs uulpanſerem uidi, niſi in Tamiſi fluuio. Aiunt tamen frequentem eſſe in inſula Tenia uocata, & illic in ſcrobibus cuniculorum nidulari. Moribus admodum uulpinis eſt. nam dũ teneri adhuc pulli ſunt, ſi quis eos capere tentet, prouoluit ſeſe uulpanſer ante pedes captantis, quaſi iam capi poſsit: atq; ita allicit ad ſe capiendam hominem, eouſq; dum pulli effugiant: tum ipſe auolat & reuocat prolem, (idẽ refertur de perdicibus & uanellis dictis,) Hæc ille. an uerò amorem illum in ſobolem, & in ea tuenda aſtutiam tanquam de aue quam bergandrum ipſi uocant, obſeruatum tradiderit: an potius quod Aelianus de chenalopece prodit, repetierit, incertũ eſt. Et rurſus in epiſtola ad me, Vulpanſerem Angli uocãt a bergander. nidulatur in cuniculorũ foueis more uulpium, anate maior, minor anſere, alis ruffis. Eliota Anglus chenalopecem ſuſpicatur eſſe auem quam Angli nominent barnaclam, de qua ſcriptum eſt nobis inter Anates feras. Infra deſcribetur anſer ſtellatus uulgò dictus, de quo inquirent eruditi an forte chenalopex ſit uetetum. Petrus Belonius ſcribit ſe menſe Septembri in Aegypto uidiſſe uulpanſerem pullos recenter excluſos in Nilum deducentem: atq; eam eſſe auem fluuiatilem, quæ à Gallis bieure, id eſt fiber dicatur, eò quòd ſimiliter ut fiber uiuarijs noxius ſit, deuorandis ſcilicet piſcibus.

B.

Boſcadum genus alterum anate maius eſt, chenalopece minus, Athenęus. Anſeris ſpeciem habet uulpanſer, Aelianus. De ſpecie bergandri, quam Turnerus chenalopecem facit, uide in A.

C.

Vulpanſerem Ariſtoteles numerat inter aues palmipedes quæ circa lacus & amnes uerſantur, de hiſt. anim. 8. 3. Et alibi oua hypenemia quãdoq; ab ea pari ſcribit, quod & Plinius ex eo repetijt.

D.

Rectè uulpanſeri nomen inductũ eſt, inquit Aelianus, quod ex ingenitis naturæ ſuæ rebus trahit. Cum enim anſeris ſpeciem habet, tum probe cum uulpe callida improbitate comparari poteſt. atq; etiam ſi corpore quàm anſer inferior ſit, animi tamen robore ſuperior, & ad inuadendum præſtantior habetur. ab aquilæ & felis & cæterorum hoſtium ſuorum iniurijs ſe defendit, & propulſat. Pullos ſuos uehementer amat, eandemq; operam quam perdix in eis tuendis ponit. nam ante ſuos fœtus ſeſe prouoluens, aucupi ſpem ſui capiendi oſtendit. hi uero interea cum uenator illuditur, elabuntur: quibus fuga elapſis, is ſeſe alis alleuans diſcedit, ac ſæpe ut pulli facilius elabantur, capiendum ſe uenatoribus præbet. Hinc eſt quòd Aegyptij in hieroglyphicis (ut refert Orus) pro filio deſignando anſerem pingunt.

F.

Inter oua principatũ tenent pauonina, deinde uulpanſeris, tertio gallinarum, Epænetus & Heraclides Syracuſanus apud Athenæum.

G.

Faciei tumoribus ſarmentorum cinerem alicui ferarum adipi admiſcens illinito, leonis uidelicet, aut pantheræ, aut urſi: ſin his careas, animalis quod Græci chenalópeca uocant, Aretæus ad Elephantiaſin.

H.

a. χλωαλώπηξ auis eſt quam diximus. κωαλώπηξ uerò canis Laconicus ex uulpe & cane natus. Ciceluchez pro chenalopece uox eſt corrupta apud Auicennam de animalibus: in Alberti opere chychelinches ſcribitur. ¶ χλωαλωπήκεια ὠά, id eſt uulpanſerina oua apud Athenæum legimus. ¶ Theagenes quidam in Auibus Ariſtophanis χλωαλώπηξ nominatur, ubi Scholiaſtes hominem illum improbum & uerſutum fuiſſe interpretatur. Didymus uerò (eodem citante) hunc ſimul & Philoclem ὀρνιθώλεις fuiſſe ſcribit, hoc eſt capite ſuperius acuminato. Plura de hac uoce dicemus mox in h. Lyſiſtratus etiam, qui tanquam mollis, & alibi tanquam pauper & aleator traducebatur, χλωαλώπηξ appellabatur, Scholiaſtes Ariſtophanis in Acharnenſibus & Suidas.

¶ b. ἱππάριον auis quædam eſt chenalopeci ſimilis, Heſychius & Varinus.

¶ h. Aegyptij ex uolucribus uulpãſeres ſacros eſſe aiunt, Herodotus lib. 2. Aegyptij uulpanſeribus honorem habent, quia ſunt pullorum ſuorum amantes, Aelianus. ¶ χλωαλώπηξ tanquam uocabulum prouerbiale ab Eraſmo in Chiliadibus ponitur. Theagenes (inquit) quòd eſſet garrulus ac ſtupidus more anſerum, & uerſipellis more uulpiũ, uulgari ioco dictus eſt χλωαλώπηξ, uoce compoſita ex anſere & uulpe. quanquam Didymo magis probatur anſeris nomen additum, quòd auitio ac præſertim anſerinis ſupra modum delectaretur, uidelicet uulpium more, Hæc Eraſmus: ſed ineptè. neq; enim tale quicquam apud Didymum legitur, uerum ea tantum uerba quæ nos paulò ante ex Scholijs in Aues Ariſtophanis citauimus, ubi ὀρνιθώλης conuertimus, non illum qui auitijs & anſerinis carnibus delectaretur, ut Eraſmus uertit: ſed hominem capite ſuperius acuminato. Nam eodem in loco Scholiaſtes rationem inquirens cur Philocles Corydus nominatus ſit, ſic ſcribit:

Μήποτε

μόνοτε ὀξυκέφαλοι ὧν ἡ ἄνω καὶ ὀρνιθώδεις τὴν κεφαλὴν. & mox subiungit quòd Didymus scribat, Theagenem quoq; & Philoclem ὀρνιθώδεις fuisse. Οἱ τὴν ῥῖνα ἄκραν λεπτὴν ἔχοντες, ὀρνιθώδεις, Aristoteles in Physiognom. hoc est, qui summum nasum tenuẽ habent, aues hac parte referunt. Sed aliter Adamantius, Ῥὶς μακρὰ καὶ λεπτὴ πάνυ ὀρνιθώδης. τοιαῦτα δ' ἂν καὶ τὰ ὄμματα σοφόδινα. Et in præfatione, γίνεται δὲ ἐν ἀνθρώποις εἴδη ὀρνιθοειδῆ, καὶ θηριοειδῆ, ὁ παντελῶς, ἀλλὰ τρόποις ἐξεικασμένα.

DE ANSERVM GENERIBVS DIVERSIS.

LAQVEIS & retibus (παγίσι καὶ βρόχοις) anates capiuntur, & linurgi (λινοῦργοι) & cenchritæ (κεγχρίται) & alia genera anserum, & celeres phelini, (φελῖνοι,) & phalarides, & plurimæ aliæ aues amphibiæ cibo deceptæ, nam ad ripas lacuum aut fluuiorum hordeum, siliginem, aut milium spargunt, Oppianus lib. 3. de aucupio. Videntur autem ex his linurgi & cenchritæ anserum generi annumerari: dictiq; cenchritæ, quòd cenchro, id est milio inescentur.

¶ Gulæ partem inferiorem amplam habent bubo, anseres agrestes, & aquosus anser similiter, Albertus: ubi Aristoteles ægocephalũ, noctuam, anatẽ, anserem, larum & catarractẽ nominat, &c.

Chenerotes (sic enim aliqui apud Plinium legunt, ubi alij chenalopeces, alij ceramides) fero anseremínores, Eberus & Peucerus Germanicè interpretantur Seegense, id est anseres marinos. Vide supra in Branta.

¶ Anserum genera fera tria ex Alberto memorauimus supra. Est præterea quartum genus (inquit idem) minimum inter cætera, cui rostrum anseris, color in capite qui pauoni, sed crista nulla, color dorsi cinereus ad nigredinem uergens, in struma (colli parte anteriore) niger, in uẽtre cinereus, hoc uulgus de arbore nasci ait. Cæterum alibi faciem eius maculis distingui scribit. Sed de ansere cui uulgare nomen ab arboribus factum est, plura leges supra in Branta: ubi cum multa recitassem de generatione auium quæ in mari ex putredine nascantur, hęc etiam addenda fuerant: Audisse me nuper ex hominibus nõ indignis fide, in Normannia putrescentibus lignis ad mare auiculas quasdam gigni. & rursum ex alio quodam homine literato, Circa Normanniam in Oceano (præcipuè in insula cui nomen Re) nasci testas quasdam biualues, rubicundas, quæ singulæ adhæreant ad nexum quendam communem enascentem è foraminibus earũ ceu umbilicis, eiusdem substantię, & reperiri aliquando circiter octoginta cohærentes. ex his testis auiculas nasci, lautas, magnitudine coturnicis, quæ in mari uiuant. Kiranides sanè author est (non satis grauis) è thynnis piscibus in littore putrescentibus uermiculos quosdam nasci, qui paulatim crescente magnitudine, quæ muscas initio non excedat, in aues coturnices conuertantur.

Ascalaphus aliquibus putatur esse genus anseris, Niphus. sed nos ascalaphũ bubonem esse credimus, aut congenerem auem nocturnam. Vide infra in Bubone.

Est in alpium montibus anserum genus inter aues maximum præter struthionem, sed tanti ponderis ut manu capiatur immobile super terra, Author libri de nat. rerum ex Plinio, ut apparet: qui tamen non anserum, sed alterum tetraonum genus hoc appellat. Videtur autem congener esse auis quam Germani anserem trappam (Trappganß) appellant. uide Tetraonem post Gallinæ historiam. Otides stardas (uulgò) uocant, quasi tardos anseres, Budæus in Pandectas annotans.

Anseris genus quoddã ferum Itali ciccun, uel ocham sternã uocant, ut audio: Germani Sterngansß, hoc est anserem stellatum. Hunc Ferrariæ in Italia uidi in insula Padi. leuis est põdere, dorso & alis cinereis, reliquo corpore albo, palmipes, ut anser, pedibus tamen non rubris, pectore maculis aspersо, ut inde stellatus forte sit appellatus. ciccun quidem à uoce dictum putârim. rostrum minus latum est quàm anseris, magnitudo inter anatem & anserem. Quærendum an hic ueterum uulpanser sit.

Sunt & alia ferarum anseriní generis auium Italica nomina: ocha marina, id est anser marinus. ocha grossa, id est anser magnus, ocha baletta, quæ piscibus uiuit. & ocharella, quæ forma diminutiua ab ocha, id est anseré est, hanc deplumatam & calidam uentri impositam colicam sanare promittunt aliqui, ut Venetijs audiui.

Phalacrocoraces in Germania inferiori uulgò uocãt Schwemmergenß: hoc est anseres natantes, si rectè interpretor. maculam habent in medio capite.

Anserum etiam generis sunt aues quædam supra nobis inter mergos magnos descriptæ, ut quæ apud nos merrachi uocantur: & qui apud Anglos gulones marini & scheldraki, pisciuoræ omnes: duæ priores anseri pares, postremæ minores. Sunt & anguillarũ deuoratores anseres, uulgò Germanis Aelgüß, (id est anguillarum anseres, in Frisia) dicti, toti nigri. de his quoq; leges supra inter Mergos magnos in Morfice.

¶ IN insula Hispana turtures syluestres & anates nostris proceriores inuenimus, anseresq; olorибus candidiores, capite tantũ rubeo, Christoph. Columbus. Hispani in Hispaniola insula & uicinis inuenerunt anseres syluestres, turtures, anates nostris grandiores & cygneo candore, capitẽ purpureo, Petrus Martyr.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 198 sur 825

DE ANSERE BASSANO SIVE SCOTICO,

cuius figuram, ut & sequentium duarum auium, è Scotia accepimus Cl. V. Henrici à S. Claro liberalitate.



ANSER Bassanus marina auis est, inquit Turnerus, uulgò dicta a solendguse, prædicto ansere (bernicla, de qua supra scripsimus inter anates feras: & in eodem capite de ansere arboreo Baumganß, uulgò dicto) paulò minor, anserem tamen uoce & forma per omnia refert, nidulatur in mari Scotico, in rupibus excelsis insulæ Basi, per antiphrasim, opinor, dictæ: nec alias uspiam in tota Britannia. Hic tanto amore suos pullos prosequitur, ut cum pueris per funes in corbibus ad auferẽdos eos dimissis, acerrimè non sine uitæ periculo conflictetur. Nec silentio prætereundum est, ex adipe huius anseris (est enim insigniter adiposus) unguentum à Scotis ad multos morbos utilissimũ fieri, quod cum Comageno à Plinio celebrato, meritò bonitate & remediorum numero potest certare, Hæc Turnerus. Ego nuper ex erudito homine Scoto accepi, hos anseres Solendgenß dictos, longiores domesticis esse, sed minus latos: in rupibus ouà parere: & superposito pede altero (unde nomen fortassis à solea, id est planta pedis, quam & Germani sic nominant) tandem excludere. magnam eorum copiam capi ad insulam Bass iuxta Feurt fluuium, qui præterlabitur Edeburgum in Scotia: nec alibi usquam reperiri, digredi procul, uel ad sex circiter miliaria à littore, eius naturæ esse, ut cum nouum piscem uiderint, priorem euomant, idq; sæpissimè faciant, & ultimum demum pullis suis afferant. tot autem pisces euomere, ut qui in præsidio arcis sunt, pisces electos ad cibum colligant, facile capi, nec refugere capturos.

¶ In æstu Scotici maris circa Hebrides insulas (inquit Hector Boëthius in descriptione regni Scotiæ) præter alias insulas nobilis est Maia diui Hadriani ac eius sodalium martyrio pro Christi nomine coronatorum reliquijs. Altissimo hîc scopulo fons aquæ dulcis largissimus, admirando naturæ miraculo, medio mari scaturit. Omnia exuperans rerum in se nouitate Bas castellum uiribus humanis propè inexpugnabile. In hoc quoq; æstuario situs est scopulus angusto aditu uix piscariam nauem recipiens, qui non in sese ædificia extructa habet, sed excauatus non incommodiora domicilia intus præbet quàm si magnis operibus extructus esset: cæterum longè hac re munitiora. Quic quid autem in eo est, portentosæ plenum est nouitatis. Auium enim quas uernacula lingua Solandis (ane solend gwys) appellamus, haud absimilium ijs quas Aquilas Plinius aquatiles uocat, in eo ingens copia inhabitat, nec in ullo ferè alio loco. Eæ quum primum aduenium incipiente uere construendis nidis tantam lignorum uim comportant, ut auferentibus qui illic inhabitant (nec enim id ægrè ferunt) satis in annum ex ea parte prospectum sit. Pullos suos piscibus alunt ijsq; delicatissimis. Nam si quempiam ante ceperint auolantesq; meliorem fundo maris nantẽ conspiciant, abiecto illo, magno sese impetu præcipitantes immergentesq; prædam persequuntur illam, ubi uero ad nidum escam pullis adportarunt auferentibus rursus hominibus haud grauate cõcedunt, continuò pro alijs auolantes. Pullos quoque nec repugnantibus deprædantur, unde ingens commodum ad Castelli dominum redit. Nam cutem detrahentes cum pingui, oleum inde magni precij conficiunt: habent quoq; intestinum quoddam paruum oleo singularis uirtutis refertum. Coxendicem enim arthriticq; & id genus morbos sanare consueuit, ut appareat hanc auem, cum alioqui omnibus modis hominum usibus inseruiat, quòd rarior sit hoc solo se esse inferiorem, Hæc ille. Et rursus, Est & Aliza una Hebridum, ijs auibus quas Solandis nominatas diximus abundans.

DE GV-

DE GVSTARDA AVE SCOTICA.

HANC etiam auis aquaticæ, ut appareret, & anserum ferorum generis iconem è Scotia accepi, absq; alia descriptione. nam quæ gustardæ auis in Historia Scotica Hectoris Boëthij nobis demonstrata est, non ad auem quæ hîc pingitur, sed ad otidẽ pertinet, (ut in historia eius recitabimus,) quæ tarda & starda hodie in multis Europæ regionibus uulgò uocatur, nostris trappa. itaque cum in nomine huius ad nos missæ iconis erratum suspicer, nihil aliud addam donec rem certius cognouero.



FIGVRA HAEC CAPRICALCAE EST.

DE CAPRICALCA, quam Scoti uulgò appellant ane capricalze.

CAPERCALZE, id est syluestres equi appellati, solius pinus arboris extremis flagellis uictitant, Hector Boëthius in Historia Scotica. Audio hãc auem coruo paulò maiorem esse, ac in delicijs haberi. Tænijs transuersis fuscis per collum, pectus, & uentrem distinguitur: cauda ferè nulla, &c. ut pictura ostendit.

DE ANTHO.

ANTHVS auis est magnitudine fringillæ, Aristot. Pulcher ei color, Idem: hinc nimirum & nomen factum, ut ἄνθος, quasi floridus diceretur. Gaza ex Aristotele florum transtulit. Pedes habet fissos, uermiculis uescitur, Aristot. de hist. anim. 8. 3. nec ijs solum, sed herbis quoq; pascitur, Vuottonus: quod tamen ego apud Aristotelem nusquã reperio. Circa aquas (amnes) & paludes degit, uictus facilis, (ἀβίοτος,) Aristot. Florus, spinus & ægithus odium inter se exercent: & nimirum sanguinem ægithi & flori misceri non posse dicitur, Idem. Aegithum anthus odit in tantum, ut sanguinem eorum non credant coire, multisq; ob id ueneficijs infament, Plinius. Florus odio equum habet. pellitur enim ab equo pabulo herbæ qua uescitur, nubeculans (ἐπαφύμος) hic, nec ualens acie oculorum est: quippe qui uocẽ quidem equi imitetur, atq; aduolans equum fugget: sed interdum excipiatur, occidaturq; ab equo, Aristot. Est quæ equorum hinnitus, anthus nomine, herbæ pabulo aduentu eorum pulsa, imitatur. ad hunc modum se ulciscens, Plin. Equus & piscis anthias inimici sunt, Philes: sed ineptè, cum anthum auem dicere debuisset.



¶ Florus, φλόρος, auis est per o. breue: φλῶρος uerò per o. longum, nomẽ proprium uiri, Suidas, per linguæ Latinę scilicet imperitiam. debet enim prima, etiam cum auem significat, produci, cum uerbum floreo primã semper producat. apparet autem recentiores Græcos Latinorum imitatione florum dixisse. nam &

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 200 sur 825

anthos Græcè flos eſt. Flori quidem nomen de hac aue Græci hodieq; retinent, Gallis bruant dicitur, ut Bellonius annotat. Eberus & Peucerus Germani Saxones Tyrolt interpretantur. ¶ Auē illam quæ hinnitum equi imitetur, ipſumq; fuget, noſtris regionibus ignotam eſſe Albertus ſcribit. Apud eundem & Auicennam hæc auis corruptè ybos, ibis, ydos, hyz, acontis & accurtis, nominatur. duo poſteriora nomina corrupta apparet ab anthos, cætera ab hippo, id eſt equo, quoniam equi uocem imitatur. Albertus alicubi ſtultè eandem facit ciconiam, ubi ybos uel ibis legerat, nimirum quia ibis Aegyptia ciconiæ ſimilis eſt. Sed alia eſt auis Ariſtoteli de hiſt. anim. 9. 21. dicta ἵππος, ubi Gaza piponem uertit: ut alibi πίπραν, picum auem intelligens.

DE APODE.



A.

APODES apud Ariſtotelem legūtur, Gazà apedes ſeu depedes reddit, à paruitate pedum ſic dictæ aues. Eædem ab aliis cypſeli uocantur, Ariſtot. & Plinius. κύψελος auis ſimilis hirundini, Heſychius & Varinus. Aliqui hanc uocem per l. duplex ſcribunt, cypſellus, quod non placet: facta eſt autem à ſpecie nidi, ut in c. oſtendam. Cypſelos Pſellus in libro de uictus ratione trogletas nuncupat, quia in foraminibus & cauis ferè latitent, Cælius. Sed Cælium ex translatione Ge. Vallæ deceptum ſuſpicor. nam hoc interprete, Pſellus laudat in cibo paſſeres & troglatas, (legerim paſſeres trogletas. hęc quidem uerba, quæ hirundinibus ſimiles ſunt, pedibus curtis, G. Vallam de ſuo adieciſſe cōiicio,) qui foraminibus turrium ſolum ſe committunt, (unde nimirum etiam pyrgitæ hi paſſeres appellantur, inter attenuantes cibos cum merulis, perdicibus, &c. circa finem lib. 1. de uictus ratione à Pſello memorati.) Eberus & Peucerus Germani χελιδόνας θαλασσίας, id eſt hirundines marinas etiam nominant, ſine authore: niſi forte ex Plinio ita nominandas putauerunt, qui ſcribit: Apodes hirundinum ſpecie toto mari cernuntur. Sunt qui alcyonem alicubi hodie uulgò hirundinem marinam uocent: Germani uerò meropem aut meropi congenerem auem. Albertus lib. 1. de animalibus, cum ſcripſiſſet de apodibus, quorū pedes mali ſint, ſed alæ bonæ, ſubdit: Dicit autem Auicenna auem minorem quàm ſit ueſpertilio, (hirundo potius, ut uitium ſit interpretis, ſed apus hirundine maior eſt. Itaq; legerim, Dicit Auicenna apodem auem maiorem eſſe quàm ſit hirundo) & eſt (inquit) de genere ueſpertilionis, (hirundinis,) quæ in terram cadens ſuper alas cadit, & Arabicè uocatur abaſic, (uoce forſan corrupta ab apode,) & uacillat in motu ac ſi careat pedibus, &c. Ariſtoteles quidem illo in loco nullam ueſpertilionis, ſed apodis tantum & hirundinum mentionem facit. Apedes dicuntur hirundines ſaxatiles & ſpelunciæ, Niphus. Apodhia (apodes, melius) uocantur aues ſimiles hirundinibus, maiores tamen, plurimum uolantes, ſic dictæ quia uſu pedum carent, apud plures dardani uocantur uulgò, Syluaticus Italus. Sed Itali quidam meropem quoq; dardanum aut ſimili nomine uocant. Scoppa Italus cypſelum auem Italicè interpretatur la rendena: ſed ea uox hirundinem ſimpliciter ſignificat, & ipſe alibi chelidóna, id eſt hirundinem ſic reddit. Apodes aues ſunt hirundinum ſpecie, quas & cypſellos uocamus hodie in Venetia prouincia, Hermolaus, Hiſpanis apus uencéio dicitur, aliis arrexáquo. Gallis martinet, uel martelet, & la grande hirondelle, id eſt hirundo maior. Geor. Agricola apodem eandem cum hirundine riparia facit, & Germanice interpretatur Spirſchwalben, noſtri Spyren nominant, & Murſpyren. alij Gerſchwalm, uel Geyrſchwalb. ſunt autem iſtæ hirundinibus maiores. has Turnerus Anglus uel hirundines ruſticas appellandas putat, uel apodes maiores, Anglicè dictas the great ſuuallouues, hoc eſt hirundines magnas, (uel martlettes, ut Eliota Anglus habet.) Minores uerò apodes, quæ hirundine minores ſint, in templis & turribus nidulari ſolitas, unde & nomen habent apud Anglos à turribus, apud Germanos à templis, Kilchenſpyren, Reyn-

Reynſchwalben,) quas ego potius hirundines ruſticas fecerim. In præſentia quidem de maioribus tantum agam. Idem Turnerus diuerſam ab utraque iam dicta auem facit falculam ſiue ripariam, quam Germanice interpretatur ein überſchwalbe uel Speiren. ſed noſtri apodes maiores, ut dixi, Spyren nominant, quæ uox per onomatopœiam forte facta fuerit. Illyrij (ni fallor) apodem uocant rorayg, uel roreycz. De riparia hirundine ſcribemus ſuo loco in H. & de argathyli quoq; inter hirundines: quam Plinius etiam riparíarum generi adnumerat, alij parrarum legunt. Eberus quidem & Peucerus argathylin hirundinum generis faciunt, & Germanicè Spirſchwalben interpretantur.

B.

Apodes ſimiles ſunt hirundinum, Ariſtot. & Plinius. haud enim diſcerni ab hirundine poſſunt, niſi quòd tibijs ſunt hirſutis, Ariſtot. Apus maior (cuius figuram dedimus) hirundinum maxima & nigerrima eſt, Turnerus. Apodes à paruitate pedum dictæ ſpecie hirundini & falculæ proximę ſunt, Gaza ex Ariſtotele. Apodes dicuntur, non quod ſine pedibus ſint, ſed eorum careant uſu, (ut Plinius quoq; ſcribit:) hoc autem differunt ab hirundinibus tam agreſtibus quàm domeſticis, quòd tibias habent hirſutas, Georg. Agricola. Qui negant uolucrem ullam ſine pedibus eſſe, confirmant & apodas habere, & ocen (Hermolaus legit nycterin ex Ariſtotelis primo de animal.) & drepanin in eis quæ rariſsimè apparent, Plin. Alas habent longas & latas, pedes piloſos & adeò minutos, ut his carere putentur, Eberus & Peucerus. Digiti pedum duo antrorſum, & totidem retrorſum tendunt, quod in icone quam damus, expreſſum non eſt.

C.

Apes auis apparet omnibus anni temporibus, Ariſtot. Apud nos, ut audio, primæ auiũ diſcedunt, ultimæ redeunt. Plurimum uolant apodes. hæ ſunt quæ toto mari cernuntur, nec unquam tam longo naues tamq; continuo curſu recedunt à terra, ut non circunuolitent eas apodes. Cætera genera reſidunt & inſiſtunt: his quies, niſi in nido, nulla. aut pendent aut iacent, Plinius. Gregatim plerunq; uolant & altius cæteris: & in arbore more hirundinum aliarum nunquam conſiſtunt, Turnerus. Pennis plurimum ualent, moribus, uolatu & ſpecie hirundini ac falculæ proximæ ſunt, Ariſtot. Apodes plures numero hybernis menſibus inter ſe nexæ latent in ripis fluminũ, lacuum, paludum, & in littoribus ac ſcopulis maris, unde accidit ut piſcatores interdum ita inter ſe iunctas ex aquis extrahant. dictæ autem ſunt ripariæ, quòd ſoleant ripas excauare, & in eis nidos conſtruere ac latere, Georg. Agricola. Nidificant in ſcopulis, Plinius. Apodes nidum ſpecie ciſtellæ producta longius, fictæ ex luto, (νοσσιὰν ποιοῦσιν ἐκ πηλοῦ) uno aditu dato arctiſsimo faciunt: idq; locis anguſtis intra ſaxa & ſpecus, ut & belluas deuitare poſsint & homines, Ariſtot. & hyeme à frigoribus tutæ eſſe, Georg. Agricola. Hirundo quam Galli martinetam uocant, nidificat in terra, & in ripis fluuiorum, Bellonius. Circa turres degit, in terram delapſa ſe erigere nequit. Nidulatur in crepidinibus fluuiorum altiſsimè, uel in terra, uel in glarea. Pedibus dependens ſomnum capit.

E.

Pueri in Creta apodes & meropes capiunt cicadis, ut in Merope dicetur.

G.

Apodes ex uino tormina ſanant, Plinius.

H.

a. Apodes, genere maſc. apud Ariſtot. de hiſt. anim. 9. 30. Plinius fœm. gen. protulit. Scoppa uocem cypſelos fœmininam facit, ego maſculinam malim.

¶ Κυψέλη & κυψελὶς ſordes aurium ſignificant. Κυψέλαι καὶ κυψελίδες, ὁ ἐν τοῖς ὠσὶν ἐπισυναθροιζόμενος, (lego ῥύπος συναθροιζόμενος,) Heſych. & Varinus. item uaſa frumentaria, καὶ τὰ κοινὰ σκεύη (lego σκεύη:) & auris pars caua, & pars quædam camini, Idem. Κυψελόδυσμον, ſordibus obturatum, Suid. & Varin. Κυψέλη, alueare, πλεκτὸν ἀγγεῖον μελιττῶν, Heſych. Κύψελον, κύβδρτον μελιττῶν, Idem. Κυψέλη, κυβδρτὸν μελιττῶν, λέγεται δὲ καὶ ἡ ὁπλὴ τοῦ ὠτός, ἀφ' ἧς μέλιτται ἐκπτεφωλεύουσιν ὥσπερ ἐν κυψέλῃ ἢ φωλεῷ. τὸ μέλι δὲ ἐλέγετο ὑπὸ τῶν κεφαλῶν, Suidas & Varinus. Κυψελικὸν, μελιτοφάττναι, Heſych. & Varinus: malim κυψελίδες. Κυψέλη, genus menſuræ ſex medimnos capiens, quo triticum uel hordeum metiebantur: ſic dictum ἀπὸ τοῦ κεκρύφθαι αὐτοῦ τὸν ἔλλω. ἐσί γὰρ σιτεινόν. erant autem cypſelæ non ſolum ex uiminibus contextæ, (πλεκτοὶ,) ſed etiam figlinæ, Varinus ex Scholijs in Pacem Ariſtoph. Cypſelidas in auribus apud Hippocratem memini legiſſe, has Latini (inquit Aretæi interpres Iunius Paulus Craſſus) aurium marmorata ſeu cerumina uocant. Cypſeli aues nomen habent quoniam nidulantur ἐν κυψελίσιν ἐκ πηλοῦ πεπλασμέναις, ut Ariſtoteles loquitur. hoc eſt ciſtellis ex luto fictis, ut Gaza reddit. Suidas cypſelen etiam uas uinarium fuiſſe ſcribit, citans hæc innominati authoris uerba: Ἅμα δὲ σπένδω καὶ ταῖς οἰνηραῖς κυψέλαις συγκομίζομεν. Pariſijs qui collegia inhabitant literarum ſtudioſi, cæteros martinetos nominare ſolent. Sunt qui Indicam autem pedibus omnino deſtitutam, (quam auis Paradiſi nomine deſcribemus in P. elemento,) apodem appellent: quibus ad uitandam nominum confuſionem non aſſentior, niſi Indica aliúdue cognomẽ adijciatur. Galli & Itali quidam iſpidam auem uulgò uocant martinet peſcheur, id eſt apodem piſcatricem. ¶ Vnni populi apodes cognominati ſunt, quòd nunquam ferè pedites ſed ſemper equites iter facerent, ut meminit

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 202 sur 825

Suidas in uoce Ἀκροσφαλῆς. ¶ Cypselus Corinthiorum tyrannus fuit, unde patronymicum Cypselidæ. Cypselidarum anathematis in Phædro meminit Plato. Vide Suidam. Athenæus libro 14. Niciam teſtem adfert, qui in Arcadicis ſcribat Cypſelum urbem condidiſſe iuxta Alpheum in campo, & Cereri ædem cõſtruxiſſe cum ara: & in eius feſto certamen de pulchritudine mulierũ inſtituiſſe, in quo uxor eius Herodice prima uicerit. Cypſela locus munitus eſt in Arcadia, cuius apud Thucydidem mentio fit hiſtoria quinta. Eſt & in Thracia nominis eiuſdem adiacens Hebro ciuitas, Cælius. ¶ Cypſelus non parit aquilam, prouerbium citatum à G. Heldelino. Eraſmus non memorat.

DE AQVILA GERMANA, (QVAM HERODIVM Albertus & alij quidam uocant: Aelianus chryſaëton & ſtellarem:) & de Aquilis in genere.

Figura ſubſequens aquilæ eſt, quæ in montibus Rhætiæ & Heluetiæ capitur.

A.

EX his quas nouimus aquilæ maximus honos, maxima & uis, Plinius. Aquila mas rex eſt omnium auium, Kiranides. Aquilam auium reginam eſſe uolunt, Acron. Herodius rex dicitur auium, non quòd regem uerè imitetur, ſed potius à uiolentia tyrannidis, quòd omnibus uim inferat, Albertus. uocat autem herodium, primum & præcipuum aquilæ genus. Omnis aquila (inquit) uiget acie uiſus, maximè uerò illa quæ nobilis aquila uocatur, quæ herodius Latinè (ſuo ſcilicet ſæculo, non apud eruditos) dicitur, Hæc ille. Sed alij herodium interpretantur hierofalchum, alij diuerſam auem. Vide ſupra in Hierofalcho inter falcones. Nos ubicunq; hoc in capite herodium nominabimus ex Alberto, primam & præcipuam aquilam intelligemus. Aquila rex auium eſt, ſi non alarionem excipias, quæ forte aquilarum ſpecies potentiſſima eſt, Ioannes Saresbarienſis in Polycratico. ego pro his uerbis, ſi non alarionem, malim legere, ſi modo aërophilon excipias. legimus enim falconem ſacrum ſiue Britannicum à quibuſdam aërophilum (corrupta forſan uoce pro hierofalco, quanquam hierofalcum & falconem ſacrum diuerſos faciunt) uocari, ſub quo nec aquila nec ulla auis rapax auſit uolare. Videtur ſanè falco ſacer uel aëriphilus, colore, magnitudine, fortitudine, & prædandi ingenio, ad aquilam germanam Ariſtotelis accedere. ¶ Petrus Bembus in epiſtolis falconem dicit eſſe aquilam. nos aquilam à falcone genus eſſe diuerſum docuimus in Accipitre B. Regio circa Tarnaſari Indiæ urbem eius generis aquilis, quas falcones appellamus, abundat, Ludouicus patritius. Ariſtoteles ſextum aquilarum genus gneſium, id eſt uerum germanumq; appellari ſcribit. Vnum hoc (inquit) ex omni auium genere eſſe ueri incorruptiq; ortus creditur. cætera enim genera & aquilarum, & accipitrum, & minutarum etiam auium, promiſcua adulterinaq; inuicem procreant. Sed aliter Plinius, Percnopteros (inquit) imbellis & degener, ſola aquilarum exanima fert corpora, cæteræ cum occidere conſidunt, (ſic habent codices impreſſi: ſenſus eſt, aquilas cæteras non ueſci cadaueribus, ſed ijs tantum animalibus quæ ipſæ occiderint. Hermolaus, Gelenius, Vuottonus, nihil hîc mutant,) hæc facit ut quintum genus gneſion uocetur, uelut uerum, ſolumq; incorruptæ originis, &c. quaſi ad percnopteron tantũ (quæ degener eſt & cadaueribus ueſcitur, & gypæetos dicitur, quaſi ex uulture & aquila compoſita) comparata gneſios dicatur, non ut Ariſtoteles uult (ex quo tamen tranſtulit) ad totum aquilarum accipitrumq;, imò omnium auium genus. Recentiores quidam barbari, ea quæ Ariſtoteles aquilæ, omnia ferè uulturi adſcribunt. Ariſtoteles & alij quidam, inquit Albertus, aquilam & uulturem ad idem genus auis referunt, (nos hoc neq; apud Ariſtotelem, neq; alium ueterem legimus. decepit eum forte gypæeti deſcriptio, quæ aquila uulturina ſpecie eſt: aut potius Auicennæ & Arabum interpretes, qui pro aquila aliquãdo uulturem reddunt.) hinc eſt quòd aliqui uulturem nobiliſsimum genus auis eſſe ſcribunt, quod non eſt in uſu noſtro. nam uultur apud nos permagna quidem auis, ſed pigra & ignobilis eſt. aquilarum uerò apud nos magna ualde eſt diuerſitas in colore, quantitate & moribus, Hæc Albertus. unde apparet uerba eius non rectè intellecta à Nipho, qui ſcribit: Albertus maximam & legitimam aquilam propriè putat eſſe uulturem, quod exploratum mihi non eſt, niſi forte alium Alberti locum legerit. Aelianus maximum genus aquilarum chryſaëton, (id eſt auream aquilam, à colore ruffo fortaſsis) ab alijs ſtellarem (nimirum propter notas macularum, ut etiam ardeæ genus) appellari ſcribit, & non ſæpe apparere. hoc (inquit) Ariſtoteles ait uenari hinnulos, lepores, grues, anſeres ex cohorte. Deſcribit autem eius pugnam aduerſus taurum, ut recitabimus infra in D. eandem enim cum Ariſtotelis aquila germana eſſe apparet. Eſt & accipiter aſterias, de quo ſupra dictum.

¶ Aquila Hebraicè נשר neſer dicitur, ut & inter Iudæos conuenit, & interpretes Veteris teſtamenti Chriſtianos. pro hac uoce Deuteron. 14. Chaldæus habet גישרא, niſra. Arabs נסר, neſer, ſamech litera pro ſchin poſita. Perſa, אן סי מורג, an ſi mureg. LXX. ἀετός, Hieronymus aquila. Pſalmo 103. ubi alneſer legitur in Arabica translatione, Abraham teſtis eſt lingua Iſmaëlitica ita uocari aquilam.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 203 sur 825



aquilam. Ab hac uoce Latini fortaſſe niſum accipitris ſpeciem dixerint. ¶ זרזיר, ſarſir, ut Dauid Kimhi dócet, quídam canem leporarium interpretantur curſu uelocem, alíj nemer, id eſt pardum, alíj ſpeciem auis immundæ, alíj gallum, ut Hieronymus Prouerb. 30. ſecutus Septuaginta interpretes, qui ἀλέκτορα reddiderunt. nam R. Ioſeph dicit eſſe nomen animantis ambulantis inter gallinas, Munſterus. Dauid Kimhi præterea ſarſir ſecundum aliquos interpretatur, אשטרגל, aſturgol: qua uoce aliqui ſturnum denotari putant, ego potius aſturem ſiue aſtorgium, id eſt accipitrem maiorem. Leui ben Gerſon exponit טרפיתא, tacphu, (forte טרפיתא, tarphuta, id eſt uulturem intelligens:) uel רבורים, id eſt apiculam: uel neſer, id eſt aquilam. Author commentarij cui titulus Cabuenaki, canem leporarium. ¶ Deuteron. 14. Chaldæus pro Hebraica uoce פרס, pheres uel peres reddit עקר, ar: ubi Auguſtinus Steuchus accipitris uel aquilæ genus eſſe ſuſpicatur. Germani quidem aquilam Ar, uel Arn uocant, ſed de uoce peres dixi in Accipitre A. & in capite de Accipitribus di-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 204 sur 825

uersis. Aridam uel aradam Alberto ex Auicenna uultur est: quo in loco Aristoteles uulturis tantum mentionem facit, Albertus etiam aquilarum genera addit, alibi uerò uulturem, uel uulturem & bubonem, ubi Aristoteles aquilam habet, inepte ponit, Auicennę nimirum interpretem secutus. Aquilæ duo genera sunt, aquila absolutè, & altera dicta zimiech, uel zummach, Tardiuus. Et rursus, Albedo in capite aut dorso aquilæ, signum est aquilæ melioris, quæ Arabicè uocatur zummach, Syriacè napam, Græcè philiadelphe, Latinè milion. Sed ex his Græcum & Latinum aquilæ nomen apud nullum idoneum authorem reperias. Barbara nomina, achal, gagila & haukeb, Syluaticus aquilam interpretatur: ut hager achthamach, aliàs athamach, lapidem aquilæ Serapionis interpres. ¶ Aquila Græcis est ἀετός, & hodie uulgo similiter, uel ἀϊτός. Cypriis ἀγύρ, ut Hesych. & Varinus scribunt. Italis aquila uel aguglia: mas priuatim terzolo d'aquila. Hispanis águila. Gallis aigle. quo nomine Sabaudos puto etiam de miluis uti: ut Germani quoque uoce Aar de aquila propriè, sed etiam de miluo. alij scribunt Ar uel Arn, uel Arr: unde composita nomina, Stockar, Stoßart, Fischarn, Busart: hoc est, aquila truncorum, aquila feriens (quam maximam & germanam esse puto, cuius etiam supra figuram posui,) haliæetus, buteo. Flandri Arnt uel Arent protulerunt. Heluetijs & alijs pleriscp Germanis uox Adler usitatior est: quæ uox mihi composita uidetur, quasi Adelar, id est aquila nobilis, ein edel Arn, ut priuatim & per excellentiam de uero & nobiliore genere dicatur. Sunt qui Aern scribant, uel Ern pro aquila, sed audio apud Frisios & Anglos ernam peculiare genus aquilæ dici, de quo nos infra in Pygargo. Vox quidem Ar, deriuata uideri potest à Chaldæis. nam Deuter. 14. pro Hebraica uoce peres, quæ accipitrem significat, Chaldæus reddit ערי, ar: ubi Augustinus Steuchus accipitris uel aquilę genus esse suspicatur. Postremò Anglis aquila est an egle. aquila germana, a right egle. Illyrijs orel uel orzil.

B.

Aquilæ quibus in locis abundent, dictum est in Accipitre B. Multæ sunt in Tauro monte, Cælius: & in Caucaso, Philostratus. Rhodus aquilam nõ habet, Plinius. quare pro ostento habitum, quòd aquila in culmine domus Tiberij in hac insula consedisset, ut Suetonius annotauit. Scythia & Sarmatia aquilam non gignunt, Strabo lib. 7. ¶ Aquila germana aquilarum omnium maxima est, maior etiam quàm ossifraga, sed cæteras aquilas uel sesquialtera portione excedit, Aristot. media magnitudine est, Plinius: sed locus uidetur mihi corruptus: malim, cæteras media magnitudine excedens. Aquila magnitudine est anseris, Liber de nat. rerum. Volantium apud nos maxima, ansere multò est maior, maximè alis & cauda potius quàm corpore ipso ac põdere, Cardanus. Accipitres magnitudine non inferiores aquilis habentur, Aelianus. Falco sacer magnitudine est aquilæ uel paulò maior, Alber. Bubo apud nos aquilę magnitudinẽ æquat, Albert. ¶ Aquila germano colore est ruffa, (ξανθὴ, Vergilius aquilam fuluam dixit,) Aristot. colore subrutilo, Plin. Rubeus uel ruffus color laudatur in aquila, Tardiuus. Aquilus color est fuscus & subniger, à quo aquila dicta esse uidetur, Festus. de aquilo colore uide plura in a.

¶ Aquila aduncis est unguibus, Aristot. Vncis unguibus sunt quibus incuruum est rostrum, ut accipitres, aquilæ, Aelianus. ὅσοι δὲ ἐν ὄρεσιν ὑψηλοῖς καὶ ἀπορρώγεσι γεγάμφωκεν ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν, οἷα δὴ ἀετὸς, ἱέραξ, καὶ κεγχρὶς, ἄλλα τε μὴ πίνοντες, Suidas in Ἐπιρρώγες. Oculi profundi laudantur in aquila, præsertim si nata sit in montibus occidentalibus, Tardiuus. Albedo in capite aut dorso aquilæ, signum est aquilæ melioris, quæ Arabicè uocatur zummach, Idem. Quorũ oculi non glauci sed charopi sunt, animosi habentur, per coniecturam à similitudine ad leonem & aquilam, Aristot. quales autem sint oculi charopi, docui in Leone B. Quorum nasus est aduncus (ἐς γύπα) & à fronte bene discretus (διηρθρωμένην) magnanimi cõsciuntur, exemplo aquilarũ, Idem. Huiusmodi nasum quidem etiam in homine aquilinum uocant, & regium quiddam præ se ferre existimant. quoniam aquila quoque rex auium habetur. Genus aquilæ uniuersum cauda breui prædictum est, alis magnis & latis potius quàm longis & acutis, sicut sunt alæ generis falconum. Rostrum etiam aquilæ magnum, oblongum & paruum (uncum, potius) habent, pedes magnos & flauos, Albertus. In asture anterior capitis pars porrecta paulatim arctatur & terminatur in rostrum, sicut & aquilæ caput, falconis non item, Idem. Quomodo accipitres sui corporis partibus ab aquilis & falconibus differant, expositum est in Accipitre B. ¶ Herodius oculos habet supra modum ardentes, croceos: ita quòd alba oculi pars topazium ferè exprimit, & pupilla ad sapphirum nigrum perlucidum conculcatæ nigredinis accedit: & loca ciliorum (superciliorum forte) eius sunt os eminens aliquantulũ super (supra) oculos, ita quòd membra (palpebras puto intelligit) eius uisum colligere uidentur, Albertus. uidetur autem nihil aliud dicere quàm oculos eius cauos & profundos esse, & uidendi aciem in eis ita melius colligi. Et rursus, Herodius est aquila prægrandis, tota nigra, licet in senecta color in dorso & super alas ad cinereum uertatur. pedes ei admodum crocei, ungues longi ac ualidi: rostrum magnum cinereum ad nigredinem declinans: alæ magnæ & planæ, pennæ rectæ, quæ in fine alarũ nonnihil diuaricatæ & sursum recuruæ sunt. Aquilæ maxima uis, quocirca ossa ijs natura tribuit durissima crassissimacp, quibus & medullæ minimum ineſt, Vuottonus. Fel earum peracre est, colore æruginco, interdum nigro, Galenus.

¶ Aquilæ pullum ante paucos annos in agro Tigurino captum & in urbem allatum uidi huiusmodi: Alarum pennæ maximæ in contrarium extensæ interuallum relinquebant dodrãtum no-

uem &

uem & dimidij. Longitudo à principio roſtri ad finem caudæ, dodrantes quinq;. Proceritas ſtantis pro more, non extenſo collo, dodrantes tres, palmo minus. Pedes erāt crocei, & crura à pedibus ad palmi menſuram ſine plumis. digiti pedum medij, lōgitudine & craſsitudine humani medij in uiro mediocre, aut paulò maior. pars dorſi ſuperior inter alas cucullum quodammodo ſua figura referebat, nempe triangula, mucrone deorſum uerſo. Ventris plumarum color ruſſus ferè aut caſtaneæ, maculis albis aſperſus. roſtrum poſterius ſubflauum, anterius nigricabat Indico propè colore. longitudo roſtri ſuperioris ad tres digitos ferè, unco præterea ad digiti menſuram deſcendente. A media lingua unci duo hamorum inſtar retrorſum ſpectabant. In agro etiam Heluetiæ Solodorenſi quinto priuſquam hæc ſcriberem anno, iuxta pagum Hofeſtettam, Iulio menſe, capti ſunt duo pulli aquilæ, deſcriptioni præmiſſæ conuenientes. pennæ ceruicis rigebant & longiuſculè diſtabant. qui aquilam adultam uiderant, colorem cum ætate mutari aiebant, & pennas albas in capite, pectore & alis, omnes ad fuluum colorem conuerti. Hoc genus aquilæ audio etiam circa Geneuam ſæpe capi, prægrande, ita ut cum uolare nititur aquila, licet nondum adulta, ſune alligata ad crus hominis robuſti, ægrè ab eo retineri poſsit; Cicuratas per urbem uolare aiunt, & feles aliquando ſuper tectis arripere ac dilaniare.

C.

Aquilæ locis æditioribus conſidunt, Ariſtot. Montium uertices æditos & conſpicuos incolunt, ſiue cum à uenatu ad quietem ſe recipiunt, ſiue ſoboli nidos parant; & raro ſanè ad campos rupibus relictis deſcendunt: ſed ut plurimum è ſpeculis ſuis cœlum proſpectant, Oppianus in Ixeuticis. Montes magnos ſæpius quàm paruos frequentant, Xenophon. De nidis eorum, ac quibus eos in locis collocent, dicetur inferius. Dicunt quidam herodium, ut alias quoq; rapaces aues, roſtrum nimis aduncum & ungues, ad lapidem acuendo atterere, quum hæc inſtrumenta ad prædam hebetata fuerint; & hoc quidem compertum eſt eſſe uerum, alio autem tempore non facilè nec diu ſedent aues rapaces in ſaxis, ne acies unguium retundatur. apud nos tamē herodius ſemper in præruptis ſilicibus ſedens & nidificās inuenitur: ſed ſemper ſubſtratum habet ceſpitem, uel puluerem, uel linum, uel animalium prædando comparatorum pelles, Albertus. ¶ Aquila germana conſpectu rara eſt, Ariſtot. & Plinius: more eius quam cymindē uocari díximus, Ariſtot. ¶ De aquilarum uoce κλάζειν dicimus, ut κλαγγάζειν de gruibus, κλαγγῶ de utriſq;, Pollux & Varinus. Ἀετὸς ὀξὺ κεκλαγώς, Q. Calaber. Clangunt aquilæ, Author Philomelæ. Melanæetus aquila ſola eſt ſine clangore, ſine murmuratione, Plinius. Clangorem aquilarum aut uulturum facile columbæ ſpernunt, Gillius ex Aeliano. Εὐφημός ἐστιν· ὃ γὰρ μυνείσκεται ἀδὲ λέλακεν, Ariſtoteles de melanæéto, ubi Theodorus transfert, modeſta neq; petulans eſt. quippe quæ non clangat, neq; lippiat aut murmuret, ſed uerbum lippire apud Latinos non aliter quàm pro ὀφθαλμιᾶν, id eſt lippitudine oculorum laborare inuenio: & forſan à Gaza primum per onomatopœiam confictum eſt.

¶ Cælius Rhodiginus adnotauit in aquila uiſum eſſe præcipuum, in cane uim odorandi, &c. Aphrodiſienſis etiam in problematis ſcribit, aquilas inter aues oculorum acie acutiſsima principatum ſibi uendicare. Ex ſenſibus ante cætera homini tacius, deinde guſtus: reliquis ſuperatur à mul tis, aquilæ clarius cernunt, &c. Plinius. Cur in amicorum uitijs tam cernis acutum, Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? Horatius Serm. 1. 3. Ἀετὸς ὄρνις ὁρᾶτικὸς (lego ὀξυτικὸς uel διοπτικὸς,) καὶ ὀξὺς ὢν τοῦ ὁρᾶν καὶ ἱπτάσθαι, &c. id eſt, Aquila auis eſt in primis perſpicax, & plurimum tum uiſu tum uolatu ualet. ait enim Ariſtoteles, pullos eius ad Solis radios opponi à parente, & non conniuentem pro genuino agnoſcere, alterum ejicere ex quo haliæetus fiat, Scholia in Iliados ρ. Aquila ex auibus maximè acres & acutos oculos habet, in quam Homerus hoc conſentit & teſtimonio eſt, in morte Patrocli ſimilem huic aui inducens Menelaum, cum requireret, quē ad Achillem mitteret nuntium de morte amici, Aelianus. Omnis aquila uiget acie uiſus, maximè uerò illa quæ herodius & nobilis aquila uocatur, Albertus. Et rurſus, Aquila cicurata prædam uidet leporum inter fruteta latentem, antequam ab homine uel canibus obſeruari poſsit. Aquila ab acumine oculorum nominatur. eſt enim tanti obtutus, ut cum ſuper maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta ſublimitate piſciculos natare uideat, & inſtar tormenti deſcēdens raptam prædam pennis (pedibus) ad littus pertrahat. Nam & contra radios Solis fertur obtutum non flectere. Vnde & pullos ſuos ungue ſuſpenſos radijs Solis obijcit, & quos uiderit, ceu dignos genere conſeruat. qui uerò flexerint obtutum, quaſi degeneres abijcit, Iſidorus: ſed horum uel utrunq;, uel ſaltem quod priore loco refertur, ad haliæetum, id eſt aquilam marinam potius pertinet. Aquila hoc indice ſuorum pullorum ingenuitatem legitimam experitur, eos adhuc implumeis ac ex ætate infirmos ſolem intueri aduerſum cogit: ac ſi quis illorum ſolis radios ægre intuens, nictatione oculos obnubat, nido expellit, & uelut adulterinum abdicat. Sin autem ſolem ſine nictatione reſpiciat, extra ſuſpicionem eſt, atq; idcirco inter legitimos adſcribitur, quòd cœleſtis ignis eſt generis incorruptus index, Aelianus & Io. Tzetzes 12. 438. Maximè curant aquilæ ut generoſos fœtus alant: quare pullos uolatu aduerſus ſolem probant: & nimio ſplendori cedentem, aut oculis conniuentem pro ſpurio reijciunt, nidoq; pellūt, Oppianus in Ixeuticis. Herodius acutiſsimè uidet, ita ut ſolem in rota poſsit intueri. itaq; pullos dicitur ſuſpendere, & illos ejicere qui ſolem in rota ſine lacrymis aſpicere nequeant, Albertus. Idem ſcribit Ambroſius lib. 5. Hexam. at Plinius non aquilam, ſed

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 206 sur 825

haliæetum, id eſt aquilam marinam pullos ſuos cogere aduerſos intueri ſolis radios refert, loco ut apparet translato ex Ariſtotele de hiſtoria anim. 9. 34. ubi tamen Græcus Ariſtotelis codex noſter ἀετὸν, id eſt aquilam ſimpliciter pro haliæeto habet. Vuottonus totum Ariſtotelis caput iam citatum mendoſum ſuſpicatur, mihi quidem ſi pro æeto haliæetum reſtituas, mendi nihil ſupereſſe uidetur. Haliæetum autem legendum eſſe cum ſequentia probant, ubi hanc aquilam per mare & littora uagari, & auium marinarum uenatu uiuere tradit: & haliæetum Gaza ex hoc loco tranſtulit, Plinium ſcilicet ſecutus: ſed Albertus quoq; haliæetum legit, nimirum ex Auicenna.

¶ Aquilarum genera omnia carniuora ſunt, Ariſtot. Delectãtur aquilæ agnina, hinnulorum & leporum pulpis, Oppianus in Ixeut. Aquila uiolentum animal non modo in aſſequendis ad uiuendum neceſſarijs rapinas facit, ſed etiam uſu carnium delectatur. nam ad ſe explendam lepores, hinnulos, anſeres ex cohorte, & alia pleraq; rapit. Vna tantum ex aquilarum genere, quæ Iouis appellatur, carnes non attingit, ſed ad uictum ei herba ſatis eſt, Aelianus. Vide etiam infra in D. quænam animalia uenetur aquila: & rurſus in E. cicurata quibus cibis alatur. Vnum par aquilarum magno ad populandũ tractu ut ſatietur indiget, determinant ergo ſpatia, nec in proximo prædantur, Plinius. Cymindis noctu uenatur more aquilæ, Ariſtot. Videtur autem ſentire, non quidem aquilam noctu uenari, ſed cymindem ita uenari noctu ut aquila interdiu. Et alibi, Tempus aquilæ operandi uolandiq; à prandio ad meridianum, mane enim quieſcit uſq; dum ſorũ frequens, & prandendum iam ſit. Idem ex Ariſtotele repetijt Plinius. Cadauer aquilæ nullum attingunt, niſi forte ab ipſis relicti animalis, Oppianus in Ixeuticis. Io. Tzetzes in Varijs 5. 9. Leones (inquit) & aquilæ cadauera non deguſtant, ſiue propter fœtorem, ſiue per ſuperbiam quandam, cum in ſuo uterq; genere regiam dignitatẽ obtineat. de feris loquor. nam de captis incluſiſq; tum leonibus tum aquilis, non habeo quod dicam. putarim enim illos non mortua ſolum corpora uorare, ſed etiam ex melle placentas, & huiuſmodi. Aquilæ & uultures ultra maria cadauera ſentiunt, &c. Niphus in libro de augurijs ni fallor. Nullum genus falconum aut accipitrum ad reliquias prædæ ſuæ reuertitur quando ſylueſtre eſt: nec ullum ex eis inſidet cadaueri ſicut faciunt aquilarum & miluorum genera, Alber. Aquilæ (ut quidã his in rebus exercitatiſsimus mihi narrauit) in regionibus ad Septentrionem, ut in Suetia & Liuonia, ut plurimum piſces edunt, & in nidis ac circa nidos earum, inueniuntur anguillæ & piſces, Idem. In uetere Teſtamento quoq; in hiſtoria Iobi legimus de neſer, id eſt aquila: Vbi fuerint cadauera, illic adeſt: & in nouo, Vbi fuerit corpus (σῶμα, cadauer) illuc congregabuntur & aquilæ, Matthæi cap. 24. & Lucæ 17. Ariſtoteles gypæetum tantum ex aquilis cadaueribus ueſci ſcribit. Aquila multis diebus ieiunat, Author libri de nat. rerum.

¶ Aquila, ut aduncæ (& carniuoræ) aues propè omnes, ſine ullo potu uiuit: quod Heſiodus neſciuit, facit enim in narratione obſeſſionis Nini, aquilam augurij præſidem bibentem, Ariſtot. Aquila nunquam fontium ad potionem eget, nec puluerulentas uolutationes quærit, ſed & contra ſitim ſuperior eſt, & laboris alleuationem extrinſecus obiectam non expectat: uerum & aquas & requietem præclarè contemnens, ſublime fertur, ſurſumq; in cœleſtem locum uolans, maxime procul ex alto æthere acutiſsimè inferiora uidet, Aelianus. & Piſides apud Suidam: cuius & hoc carmen citat: Ἀλλ' εἰσὶ δίψης καὶ κρύος εὐκίνητοι. Suidas etiam in uoce Ἑπτεγγχὶς aquilam inter aues aduncas non bibentes numerat. Quod ad potum, ſanguis animalium quæ ceperint, eis ſufficit: aquam uerò non guſtant, Oppianus in Ixeut. Aegyptij aquilam non aquam ſed ſanguinem teſtantur bibere. Gillius. Aquilæ pulli ſanguinem lambunt, Iob 39.

¶ Herodius hoc commune habet cum cæteris rapacibus, quòd niſi eſcam prædámue, aut illum à quo tenetur, aſpiciat, ſemper ferè pedes reſpicit, quum ſcilicet ſibi relinquitur, Albertus.

¶ Herodius cur altiſsimè uolet, dicam in D. ex Alberto. Aquilæ aërem uolatu ſuperãt, & ſublimius euadunt, Oppianus Ixeut. Aquila ſola auium directo uolatu ſurſum aut deorſum fertur, cæteræ flexionibus utuntur, Aelianus. Aquilo uentus à uehementiſsimo uolatu adinſtar aquilæ appellatur, Feſtus.

¶ Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua, Pſalm. 103. ſentit autẽ Pſaltes uires ſuas quæ debilitatæ & propè fractæ ſint, ſic redintegrandas ut aquilæ iuuentutis robori & uigori pares eſſe queãt. Quomodo autem renouetur uel ad iuuentam redeat aquila, alij aliter interpretantur, ut oſtendam: mihi quidem uix alia ratio huius mutationis tam probabilis uidetur, quàm quæ à mutatione pennarum intelligitur. uidentur enim aues quæ pennas mutarint, quod in rapacibus præcipuè animaduertitur, ut aquilis & accipitribus, quodammodo renouari. Meminit autem pennarum abiectionis in aquila Micheas propheta, Caluitium tuum (inquit) ſicut aquila, capite primo. Sic & ſerpentes iuueneſcere dicuntur quotannis cum leberidem, id eſt pellem ueterem exuerint. Super aquilæ ſenio duo ſcientiſsimi ac ſanctiſsimi uiri ſic ſcribunt: Aquilæ (inquit Hieronymus) ubi conſenuerit, grauantur pennæ (& oculi) quærit illa fontem, erigitq; pennas, calorem in ſe colligit, eo modo ſanantur oculi, in fontem ſe ter mergit, atq; ad iuuentutem redit. Vnde in Pſalmo, Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. Quo in loco Auguſtinus quoq;: Dicitur (inquit) aquila dum ſenio grauatur, roſtri immo dicè creſcentis unco non poſſe oſtia aperire, (uide infra ad finem huius capitis C.) nec cibum capere, unde langueſcens naturæ ui collidit roſtrum ad petram, cuius attritu excuſſo quod redundabat, ad cibum redit, atq; ita reparatur ut iuueneſcat omnino, Cælius. Quòd autem nimiam roſtri & unguium

guium aduncitatem acuendo ad lapidem emendet aquila, uerum & compertum esse scribit Albertus. Rabi Sahadias, ut testatur R. Dauid (in commentario in caput Esaiæ 40. ni fallor) ait aquilam ante omnes aues esse maximi uolatus, & quolibet decennio, donec ad centum annos perueniat, petere ignem elementarem, atque eius calore supra modum accensam in mare se præcipitem dare, & sic renouari, plumasq; ei nouas repullulare: at cum centesimo anno id facere tentet, destituí uíribus, ita ut è marí cum se in illud præcipitauerit, resurgere nequeat, atq; ita emorí. Aquila cum senecta grauatur, nubes omnes uolatu sublimí superat: unde calore solís oculorum eius caligo consumítur: & mox ímpetu cum ipso caloris æstu descendens aquís frígidíssímís tertío ímmergítur, indeq; resurgens statím nídum petít: & ínter pullos iam ualídos ad prædandum, ín qualítate (sic legítur) frígorís & caloris, quasí quadam febrí correpta, cum sudore quodam plumas exuít, & à pullís suís fouetur ac pascitur, donec pennas plumasq; recuperans ínnouetur, Obscurus. Quòd autem dícit Iorach & Adelinus (ínquit Albertus) de herodío, non sum expertus. Dícunt enim hanc aquílam, quum senuerít tempore quo pullí iam adulti uenarí possunt, sícubí deprehẽdat fontem clarum & latè scaturíentem, rectà supra íllum ín sublíme efferrí, usq; ad tertíum aëris locum, quem ín Meteorís æstum uocauímus, ubí cum incaluerit ita ut ferè exurí uídeatur, subitò demíssis retractísq; alís ín fontem frígídum íllabí, ut à frígídítate forínsecus astríngente calor ínternus augeatur: tum fonte relícto ad nídum suum non procul dístantem aduolare, & inter alas pullorum tectam resolutí in sudorem: & sic cum ueteribus pennís senectam exuere, induíq; nouis: ínterea uerò donec renatæ fuerínt, nutrírí præda pullorum. Ad hoc non habeo quod dícam, nísí mírabília naturæ esse multa. in duobus quídem herodíjs qui apud nos alebãtur, nihil huíusmodí obseruaui. erant enim íllí cícures, & ad modum alíarum auíum rapacium mutabantur, Hæc Albertus.

¶ Alíorum animalíum non semper maribus fœmínæ ad coítum obediunt: aquílæ coítum nunquam recusant. nam & ter & decies quamuís ínítæ sínt, sí tamen mares præterea eas appetant, parent, Gillius. Falconum genera plura sunt, cum propter regionum díuersítatem, tum quia cum accípítribus, nísís & aquílís permíscentur, Albertus. Sextum aquílæ genus (de quo nos hîc præcípuè agímus) gnesíum, íd est uerum germanumq; appellant. unum hoc ex omní auíum genere esse ueri ícorruptíq; ortus creditur. cætera enim genera & aquílarum & accípítrum, & minutarum etiam auíum, promíscua adulterínaq; ínuícem procreant, Arístot. Haliæeti suum genus non habent, sed ex díuerso aquílarum coítu nascuntur. íd quídem quod ex íjs natum est, ín ossífragís genus habet, è quíbus uultures progenerantur mínores: & ex íjs magní, qui omníno non generant, Plínius. uídeo autem eum hæc transtulísse ex Mírabílíbus Arístotelís, cuíus locí uerba quoníam alíqua ex parte obscura sunt, Græcè adscríbam: ἐκ (τοῦ ζεύγους) τῶν ἀετῶν (θάτερον τῶν ἀγόνων) ἁλιαίετος γίνεται (παραπλαξ, ἕως ἂν σύζυγα γένηται:) ἐκ δὲ ἁλιαιέτων φλὼψ γίνεται ἐκ δὲ τούτων (οἱ πόρκνοι) καὶ γῦπες. οὗτοι δὲ (ἐκεῖνοι διορίζουσι πρὸς οὓς γῦπας, ἀλλὰ) γίνωσι οὗς μεγάλους γῦπας. ὅτοι δ' εἰσὶν ἄγονοι. Ex his quæcunq; parentheſi ínclusímus Plínius nõ attígít: nísí forte ab ínítío pro hís uerbís, ἐκ τῶν ἀετῶν θάτερον τῶν ἀγόνων, legít ἐκ τῶν ἀετῶν ἑτερογόνων, uertítq; ex díuerso (hoc est, díuersí generís) aquílarum coítu, quod non dísplícet: quanquam magis ínclínat animus ut legatur, θάτερον τῶν ἑκγόνων, quasí hoc sensu, Ex coítu aquílarum pullus alter sít haliæetus, (ídq; uícíssím, nunc mas scílícet, nunc fœmína,) donec utríusque sexus haliæeti prognati fuerínt. ex his deínde ossífraga nascítur. ex ossífragís percní aquílarum generís & uultures. hí tandem etsí uultures gignant maiores, quoníam tamen íj steríles sunt, οἱ διορίζουσι πρὸς οὓς γῦπας, non dícuntur peculíarem speciem gígnere. speciem enim íllam appello quæ possít sibí símile procreare. Hæc ínterpretatio nostra sí cuí non placet, doceat meliorem. ¶ Theocronos accípítrís quodam genere ígnauo patre, & aquíla matre nascítur. uíde supra ín Capíte de accípítríbus díuersís. ex talí quídem parente conceptum ouum enixa fouere negatur.

¶ Nídificant ín petrís & arboríbus, Plínius. Víde supra ab ínítío huíus capítís c. Nídulantur locís non planís, sed celsís, præcípuè quídem arduís saxís & præcípítíbus, sed arboríbus etiam, Arístoteles. An propter ímperíum tuum eleuat se aquíla, atq; exaltat nídum suum? ín petra habítat, & moratur ín præruptο saxo ueluti in munito loco: índe explorat escam: ín longínquum prospícíunt oculi eius, Iob 39. Alíæ ab alíjs longíssímè nídificant, ne mutua ex locí propínquítate ínopes prædæ pereant, Aelíanus. Vnam sedem & unum nídum semper habent, Iorath. Nídum aquílæ magnæ difficile est adíre propter altítudínes montium ín quíbus nídíficat. qui pullos índe eximere uolunt, à rupe demittuntur longíssímo fune, ut etíam ad falconum nídos, Albertus.

¶ Aquílæ ouа pariunt terna, sed pullos bínos excludũt, ut ex uersu, quem ad Musæum referunt autorem constat, Excludit bínos, ædít terna, educat unum. Sed quamuís magna ex parte sic fíat, tamen & tres uísí alíquando sunt pullí, Arístot. & Plínius. Plutarchus in Marío scríbít aquílam gemínos tantum pullos parere, Textor Rauísíus. Herodíus apud nos raró supra unum pullum ínuenítur habere, quamuís duo ouа paríat. Et hoc íam comperímus per sex annos contínuos ínspecto nído aquílæ cuíusdam, ídq; magna difficultate. non enim potuímus experírí, nísí ab alta rupe submísso homíne per longíssímum funem, Albertus. Et alíbí, Herodíus unum tantum ouum parít, & sí duo pepererít, plerunq; alterum corruptum ínuenítur: & hoc experti sunt aucupes terræ nostræ, quæ est superíor Germanía, per octo contínuos annos, nec unquã in nído herodíj supra unum pullum ínuenerunt. Sunt enim hæ aues (rapaces & aduncæ) calidíssímæ naturæ: quare ouа incubantí-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 208 sur 825

bus illis calescunt ac si ebullíant. Et rursus lib.23.Dicunt aliqui(inquit)herodium duos aut tres pullos excludere,oua tantum bina parere: ex quorum altero unicus pullus, ex altero bini enascantur, quod ego falsum esse arbitror,quin potius hæc aquila cum magno sit corpore,parum ad semen confert:eoq; non supra unum aut duo oua parit, aut ad summum tria si iuuenis fuerit,ita ut ex singulis ouis pulli singuli procreentur, nisi quid forte contra naturam nouetur. Cum uerò plures duobus enati fuerint,alterum ferè abijcit propter nutriendi difficultatem:id quod sæpe in multis auibus obseruatum est.Ego tamen,ut supra dixi,non inueni unquam plus uno pullo in nido aquilæ.indiget enim pullus copioso nutrimento, quod à parentibus procul requirendum est, quòd si quando duo inueniantur,id erit in Septentrionalibus regionibus iuxta syluas & mare, ubi cum è mari piscium, tum auium & quadrupedum minorum è syluis præda copiosa habeatur. ¶ Pullum alterũ in educando expellunt tædio nutriendi.nam & degenerare ac hebetescere aquila dicitur, eo tempore, ut fœtus ferarum rapere non queat:nomenq; hinc exaëti,hoc est degenerantis aquilæ accipit.ungues etiam eius inuertuntur diebus paucis,& pennæ albescunt,ut meritò suos oderit partus. sed pullum eiectum ossifraga excipit,atq; educat,Aristot. Alterum(inquit Plinius)expellũt tædio nutriendi. Quippe eo tempore ipsis cibum negauit natura,prospiciẽs,ne omnium ferarum fœtus raperentur. Vngues quoq; earum inuertuntur diebus ijs,albescũt inedia pennæ,ut merito partus suos oderint. Sed eiectos ab his cognatum genus ossifragæ excipiunt,& educant cum suis. Verum adultos quoque persequitur parens,& longe fugat,æmulos scilicet rapinæ. Aquilæ in regionibus nostris nõ alunt pullos suos nisi in nido:& poltea educunt ad prædam, & cum per se iam prædari possunt,longissimè à nido suo eos abducunt,ita ut circa nidum ipsorum rarissimè appareant. ipsi uerò retinent habitationem,ut retulit mihi falconarius peritus: qui aiebat quòd ne in eadem quidem regione parens pullum iam adultum & ad acquirendam prædam idoneum secum esse pateretur, Albertus. ¶ Incubat aquila tricenis diebus,& ferè maiores alites,Aristot. & Plinius. Mittit(expellit) pullos suos aquila antequam tempus sit, adhuc parentis operam desiderantes, nec uolandi adeptos facultatem:quod per inuidiam ita facere creditur.natura enim inuida & famelica est, nec copiosa uenationis.magnum tamen quid nanciscitur,cum uenatur,inuidet igitur suis liberis iam maiusculis,atque edaciusculis,& ob eam rem unguibus secat. Pulli etiam ipsi inter se pugnare incipiunt de sede, ac pastu.Itaq; à parente ejiciuntur,& pulsantur.dejecti uociferantur,periclitanturq;. Sed ossifraga recipit eos benigne,& tuetur,& alit,dum quantum satis sit adolescant,Aristot. Genera aquilarum non æquè omnia prolem fastidiunt:sed difficilior in alendo una,cui nomẽ pygargo:benignior quæ tota nigricat colore,Idem. Causam ejectionis(inquit Albertus lib.23.) alij aliam assignant. dicunt enim quidam ideo abijci pullum,quòd spurium & ignobilem esse parens suspicetur. hi enim aiunt aquilam fœminam cum alio genere quàm herodij aliquando coire, quod nos improbamus. Alij uerò aquilam diuersi generis oua sua fractis herodij ouis supponere aiunt: & ideo alienum aliquando esse pullum aquilæ,& propter hoc probatione indigere.Sed quia herodius ferocissima auis est, cui etiam inesse dicitur præscientiæ quiddam, quo absens quoq; si quid aduersum nido appropinquet,præsentit:uidetur nullum genus auis tantæ audaciæ, quod ad nidum eius ausit appropinquare:præcipuè cum ponere oua in alieno nido non sit nisi uilissimarum auiũ & ignobilium: quæ ouis suis fouendis non sufficiunt:& huiusmodi aues ad nidum herodij nunquam accesserint.Alij denique dicunt herodium ipsum sua oua alterius generis aquilæ supponere, permiscendo inter oua illius: ouis uerò iam exclusis herodium naturæ instinctu reuerti, & pullos suos, quos ab alienis ad inspectionem radiorum Solis dignouerit,alere:alienos abijcere,hos uerò colligi & nutriri ab aquila, cui ab initio herodius oua sua suppositerat. Et hoc ego, si experientia non deesset,probabilius iudicarem.Nam incubatio ouorum,occupatio est & maceratio per abstinẽtiam, quam herodius propter naturæ suæ mobilitatem & cibi copiam, qua uti consueuit,non facile sustinet.Dici etiam potest pullum aliquem ab herodio,non tanquam spurium & adulterinum, sed simpliciter tanquam uiliorem & minus generosum abijci, Hucusq; Albertus. Iniquissima circa pullorum educationem aquila est:alterum enim è duobus quos excluserit in terram eiectum pulsu alarum allidit: & alterum tantum educat:fœtu proprio dum laborem nutricationis fugit abalienato. Huiusmodi scilicet parentes illi sunt,qui paupertatis prætextu infantes exponunt,quiq; in distribuenda hereditate erga liberos nimium inæquales se exhibent, Author Græcus incertus apud Antonium Monachum Melissæ 2. 10.

¶ Tribus primis aquilarum generibus (hoc est melanæeto, pygargo, morphno) & quinto(hoc est,gnesio)inædificatur nido lapis aëtites, quem aliqui dixêre gagaten, Plinius. Nos de nominibus,descriptione,natura & remedijs huius lapidis,plura scribemus infra in G. ubi & gagaten diuersum esse lapidem ostendemus.In præsentia sat fuerit causas annotasse, cur hunc lapidem aquilæ nidis inferant, in quibus tradendis authores dissentiunt. Aquilæ aëtiten gentilem suum lapidem in nidum imponunt tanquam aduersus fascinationis iniuriam amuletum,Aelianus ut ex Gillij interpretatione apparet. E mari uel terra sublatum lapidem inferũt in nidum quo tutior sit ac firmior, Orus:depressus scilicet pondere, Gillius. Cum parturiunt,lapidem quendam nidis imponunt ut tempestiuè pariant, neq; per uim pulso fœtu immaturo abortiant. Non constat autem de hoc lapide: sunt qui de montibus Caucasejs, alij ab Oceani littore peti tradunt, Oppianus in Ixeuticis.

Aquila

Aquila per naturam nimiſ eſt caloris, adeò ut & oua quibus ſuperſedet poſsit coquere, (percoquere, Cælius,) niſi admoueat gagatem lapidem frigidiſsimum, ut teſtatur Lucanus, Fœta tepefacta ſub alite ſaxa, Seruius. Sunt qui aëtiten in nido aquilæ prodeſſe dicunt ad mitigandum calorem ouorum uel corporis aquilæ, id quod eſt probabile. alij ut formentur aut uiuificentur oua. alij ne frangantur, quod falſum eſt. nam citius ad lapidem, quàm ad ſeipſa colliſa franguntur, Albertus. Aquilæ & ciconiæ nunquam nidos extruunt, quin lapides illis imponant: aquila aëtiten, ciconia lychniten dictum: propterea quòd facem adhibent, ut oua fœtum producãt, & ſerpentes nidis non appropinquent, Philoſtratus in uita Apollonij. Sunt qui tradant duos lapides aquilã in nido ponere, (nomine Indes, ſine quibus parere non poſsit, Author libri de nat. rerum,) ſine quorum præſentia oua uiuificari nequeant. ſed an uerum ſit ignoratur. hoc certum eſt, aues quaſdam interponere ouis lapides, ut grues, Albertus. Plinius, ut Salueldenſis citat, aetitas ſcribit in aquilarum nidis reperiri binos, unà marem & fœminam, & ſine his parere aquilas nõ poſſe. excluſis uerò pullis (inquit Salueldenſis) achaten ſupponũt, qui eos à uenenatorũ morſu cuſtodiat. Sed achatę in aquilę nido nullus author probus mentionem facit. ueriſimile eſt aetiten indoctos in echiten & achaten mutaſſe. Eſt autem gagatæ potius quàm achatæ uis ſerpentibus contraria. Quærendum an ut gallinæ libentius & commodius pariunt cum ouum (aut lapidem colore figuraq; ouo ſimilem) in nido habent, ſic aquilæ lapidem ouiformem in nidum ſuum deferant, cui forte inter pariendum innixæ enitantur commodius. Oua à corruptione præſeruat aquila lapide in nidum impoſito, Author uetus cuius nominis non recordor. In Geoponicis Græcis 1. 15. aquilam callitrichum (non expreſſa cauſa) nido imponere legi, authore Zoroaſtre.

¶ Vt aquilarum pulli teneras adhuc pennas ſortiti, & à parentibus uolatus edocti, non longè ab ipſis primò diſcedunt: deinde robuſtiores facti ipſos etiam parentes ſuperuolant, præſertim cum guloſos ſentiant, ac nidoris gratia terram uolando radentes: ſic Apollonius paruus adhuc Euxeno præceptori uoluptuario obtẽperabat, &c. Philoſtratus ex quo deſcripſit Suidas in Εὔξηνος. Aquilæ pulli ſine clangore ſunt, & ſine murmuratione, Author libri de nat. rerum. Aquilæ parentes quomodo pullos ſuos intuitu aduerſus ſolem probent, dictum eſt ſupra in mẽtione aciei oculorum huius alitis. Pullis, quorum excrementi locum ligârit aliquis ut cibum faſtidientes prædam relinquant, multiplicem prædam afferunt, quam colligit qui ligauit, ut referetur infra in E.

¶ Scythiæ terræ incola auis eſt, magnitudine otidis, hoc eſt auis tardæ, quæ duos procreat pullos. & quæ peperit oua non incubitu fouet, ſed condita in leporina, aut uulpina pelle relinquit, atq; ita obuoluta in ſumma arbore collocat. cumq; à uenatione uacat, cuſtodit. & ſi quis ſcandit, impugnat, & uerberat alis, perinde ut aquilæ faciunt, Ariſtot. 9. 33. In Scythis auis magnitudine otidis, binos parit, in leporina pelle ſemper in cacuminibus ramorum ſuſpenſa, Plinius. Niphus dubitat an auis hæc Scythica otidis genus ſit, ſed ab otide, id eſt tarda nobis cognita diuerſum. quoniam Græcè legitur, Ἐν δὲ Σκυθίᾳ ὀρνίθων γλαῦξ ὅσην ἀετὸς ὠτίδες. ſed Gaza legit ὡς ὠτίδες, ut ex translatione conijcio, Plinium ſcilicet ſecutus: & rectè mea quidem ſententia. neq; enim otidem ſiue noſtram ſiue alterius generis hanc eſſe putârim, ſed de genere aquilarum. Eſt aquila grãdis in Septentrione, quæ duo oua ſemper parit, ut ſcribit Plinius (imò Ariſtoteles,) eaq; in leporis aut uulpis pelle in cacuminibus ramorum ſuſpendit ut calore Solis foueantur, Author libri de nat. rerum. Eadem Albertus tanquam ex Plinio recitat: ſed neq; Plinius nec Ariſtoteles hanc auem aquilam eſſe ſcribunt, ut facile conſtat ex uerbis eorum paulò ante citatis. Omne genus aquilarum (inquit Albertus) partes uulpinæ pellis ſiue à uulpe quam raptam dilaniârit, ſiue caſu inuentas, colligere ſolet, ut oua in eis reponat, uel in alio quopiam molli & calido pilo. Quòd autem Plinius prodit aquilam aquilonarem oua in pelle uulpis inuoluta à ramis arborum ſuſpendere, donec Solis calore perficiantur, (& excludantur pulli) tum ad eos redire, expertus ſum eſſe falſiſsimũ. quoniam in Liuonia ubi aquilæ aquilonares & perquã feroces magnæq; ſunt, nihil planè huiuſmodi experimur: ſed potius fouent oua aquilæ, & piſcibus, auibus, quadrupedibusq; nutriunt pullos ſuos, Hæc ille. Circa Scricfinniã regionem Septentrionalem remotiſsimam aquila grandis detracta leporis pelle oua ſua inuoluit, cuius fœtifico calore pulli educuntur, Olaus Magnus: ex cuius Regionum Septentrionalium Tabula hanc figuram adiecimus.



¶ Viuit tempore longo, quod diuturnitate nidi eiuſdem declaratur, Ariſtot. ¶ Aquilæ ſenecta, corydi iuuenta. uide ſupra inter prouerbia ex Alauda. Senectam quomodo deponat, & iuuentutem recuperet, lege ſupra in mutatione pennarum eius. ¶ Teſtudines pro medicamento uorant aquilæ, Oppianus in Ixeut. ¶ Oppetunt non ſenio, nec ægritudine, ſed fame, in tantum ſuperiore accreſcente roſtro, ut aduncitas aperiri non queat, Plinius. Seneſcentibus aquilis roſtrum ſuperius accreſcit, incuruaturq; ſubinde magis magisq;, ut demum fame intereant, Ariſtot. Senem qui fame perierit uolentes monſtrare Aegyptij, aquilam pingunt aduncо roſtro. huic enim ſeneſcenti aduncum fit roſ-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 210 sur 825

ſtrum, itaq; inedia perit, Orus. Symphyto interimitur aquila, Aelianus & Philes. Negant unquam ſolam hanc alitem fulmine exanimatam, ideo armigeram Iouí cõſuetudo iudicauit, Plinius.

D.

Qui aquilarum modo oculos charopos uel naſum aduncum habent, animoſi eſſe conijciuntur, ὀξύχοι καὶ μεγαλόψυχοι, Ariſtot. Herodius perquam iracundus eſt & ſuperbus ſicut & aliæ rapaces, & ideo ſolus uolat præterquam tempore generationis & educationis pullorum. tum enim ſuper pullos uolitat docens eos uolare & prædari, Albertus. Vnum genus aquilarum eſt, quod in nutricios ſuos admirabilem charitatem retinet, cuius rei exemplum eſt aquila Pyrrhi, quam ab omni cibo ſe prorſus abſtinentem, mortuo domino ſuo immortuam fuiſſe ferunt, Aelianus. Aquilam Pyrrhus honorabat, Io. Tzetzes. Pyrrhus rex aquila appellari gaudebat, Plutarchus: Vide infra inter Propria in a. Pyrrhus Epiri rex habuit aquilam, ἀετὸν, ὃς ἐχειρώσατο, εἰ τις πότε πρόσφευγοι, γύψ & ἐλεφάντας, Io. Tzetzes 3. 134. reliqua ut Aelianus. Quod idem alumna uiri priuati feciſſe dicitur, ſeſe nimirum in medios rogos, cum dominus cremaretur, immiſiſſe: ſunt qui dicant non uiri, ſed mulieris alumnam fuiſſe, Aelianus. De eadem Plinius, Eſt (inquit) percelebris apud Seſton urbem aquilæ gloria: educatam à uirgine retuliſſe gratiam aues primo, mox deinde uenatus (feras ſcilicet à ſe captas) aggerentem. Defuncta poſtremò, in rogum accenſum eius iniecíſſe ſeſe, & ſimul conflagraſſe. Quam ob cauſam incolę, quod uocant Heroum in eo loco fecêre, appellatum Iouis & uirginis, quoniam illi deo ales aſcribitur. Vide plura inferius in H. d. De gratitudine aquilæ cuiuſdam à ſerpente ſeruatæ in ſeruatorem ſuum, hiſtoria referetur infra in mentione pugnæ aquilæ contra ſerpentes. Herodius prædam cum alijs auibus liberaliter communicat: ſi tamen præda non ſufficerit, proximam ſibi quanq; deplumat & deuorat. Nõ facile etiam prouocatur ab æmulis auibus, ſed patientiam ſimulat donec prouocatrix tanquã confidens appropinquet, quam illa mox captam dilaniat, Albertus.

¶ Aquila ſi quem deprehenderit uiolantem nidum, uerberat ſuis alis & unguibus lacerat, Ariſtot. Ex omnibus animalibus maximo ſtudio in fœtus ſuos exiſtit: quare acerrimo odio eum perſequitur, quem in nidum inuaſiſſe conſpexerit, non inultum impunitumq; dimittit, nec ad repetendam pœnarum moderationem quandam roſtro utitur, ſed illum alis uerberat, & unguibus lacerat, Aelianus. Aquila altiſsimis arboribus nidificat, quò mala beſtia non accedat: pulloſq; cautè cuſtodiens non deſerit, donec ipſi ſeſe defendere ſciant ac poſsint. Itaq; contra draconem uel hominem aliúdue animal quod eos turbare uel rapere uoluerit, mira animoſitate pugnat, ſeq; mortis periculo pro eis exponit. eoſdem humeris ſuis tollit, ut ad uolatum prouocet, & ſanguinem lambere docet, Author libri de nat. rerum. Aquila prouocans ad uolandum pullos ſuos & ſuper eos uolitans, expandit alas ſuas, & portat in humeris ſuis: ſic Deus Iſraelem, Deuteron. 32. ¶ Pullum alterum tædio nutriendi expellit. hunc excipit & educat cum ſuis oſsifraga, ut dictum eſt ſupra in C. Adultos pullos (pullum potius: nam unum tantum educare fertur, uide in C.) perſequitur longè fugans, æmulos ſcilicet rapinę, Author libri de nat. rerum. (Hoc idem faciunt omnes aues rapaces, maximè uerò herodius & falco: propter quod etiam falcones & herodij electi à parẽtibus, retibus aucupum capti in regionibus ubi nunquam nidi eorum inueniuntur, peregrini uocantur, Albertus.) Aluntſuos pullos donec poteſtas uolandi fiat: tum nido eos expellunt: pòſt regione quam ipſi genitores incolunt, tota exterminant. Tenent enim ſingula aquilarum paria longũ tractum. unde fit ne ullo pacto uicinos habere patiantur, Ariſtot. Genera aquilarum non æquè omnia prolem faſtidiunt, ſed pygargus præcipuè in alẽdo difficilis eſt, benignior quæ tota nigricat colore, Ariſtot. hanc & Plinius ſcribit ſolam aquilarum fœtus ſuos alere. Aquila quomodo pullos legitimos probet ac dignoſcat aduerſo in Solem intuitu, ſcripſimus ſupra in C. ¶ Pulli aquilarum & ciconiarum adulti, parentes ſuos alunt, & uolatum ipſorum promouent, Io. Tzetzes in Chiliad. ¶ Aquila aliquando, ut refert Auicenna, uiſa eſt deuorare aquilam. ſed hoc non facit niſi præ nimia ira, in colluctatione nimirum propter prædam. in hac enim tandem quæ uicerit deuorat uictam, ſi præda ab ea extorta non ſuffecerit, Albertus & Niphus.

¶ Apes non ſunt ſolitaria natura ut aquilæ, ſed ut homines, Varro.

¶ Fiunt multa ſolerter & prouidè ab aquilis, quorum hic aliquot exempla ſubijciam. In Septentrione quòd frigidius illic cœlum eſt, in uulpis aut leporis pellem detractam & ab arbore ſuſpenſam oua ponit, ut in C. ſcriptum eſt. A meridiano tempore operantur & uolant: prioribus horis diei, donec impleantur hominum conuentu fora, ignauæ ſedent, Ariſtot. & Plinius. Vnum par aquilarum magno ad populandum tractu ut ſatietur indiget. determinant ergo ſpatia, nec in proximo prædantur, Plinius: ſentiens, ut apparet, aquilas diuerſorum parium non in propinquis inuicem, ſed multum diſtantibus locis prædari, quod quidem uerum eſſe uidetur: ſed Ariſtoteles (unde hunc locum tranſtulit Plinius) alio ſenſu dixit, aquilas (eiuſdem paris) non uenari locis ſuo nido propinquis, ſed longè diſtantibus. quod quidem non temere facere uidẽtur, ſed ut ita minus nidum prodant, qui ex longinquo obſeruari non facile poteſt: uel ut prædam quæ in proximo capi poſſet, ad uſum magis neceſſarium reſeruent, cum illa ſemper ferè potiri poſsint: remotior uerò citius aut euaderet aut ab alijs rapacibus auibus comprehenderetur. Aelianus eas hoc facere ſcribit, ne mutua ex loci propinquitate inopes prædæ pereant. Rapta nõ protinus ferunt, ſed primò deponunt, expertæq;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 211 sur 825

expertæq; pondus tunc demum abeunt, Plinius. Gaza ex Aristotele paulò aliter: Rapta (inquit) non protinus ferunt: sed cum corripuerint & sustulerint, deponunt, expertæq; iam pondus requiescũt. (Græcè legitur, Ὅταν δὲ κωμήσῃ καὶ ἄρῃ, πίπτει· καὶ οὐκ εὐθὺς φορᾷ, ἀλλὰ ἐκπειρασθεὶς τὸ βάρος ἀφίησι.) leporem etiam non statim rapiunt, sed expectant dum prodeat in plana, nec protinus de alto in terram ruunt, sed paulatim descendunt. quæ ideo faciunt, ut tutiores ab insidijs sint. considunt etiam locis æditioribus, quia difficulter à terra tolluntur. uolãt sublimes, ut perquàmmaximè procul aspiciant. quapropter homines solam auium omnium aquilam esse diuinam perhibent. Omnes (aues) profectò quibus ungues aduncí, minime in saxis consistunt, quoniam saxi duricies impedimento curuaturæ unguium est, Hæc Aristot. Frequenter herodius ungues pedum rostro acuit, ut firmius retineat prædam, Albert. Et rursus, Herodium aiunt, sicut & alias aues rapaces rostrum & ungues nimis aduncos ad lapidem atterendo acuere, quando hæc ad prædam hebetata fuerint instrumenta, & hoc quidem uerum esse constat. Condunt reseruantq; suo in nido quantum cibi pulli supersit, quòd enim die quaq; facultas uenandi non datur, fit interdum ne quod portent extrinsecus habeant, Aristot. Aetiten lapidem nidis imponunt, uel ad confirmandos illos pondere, uel aliam ob causam, ut copiosè scriptum est capite præcedenti. Zoroastres solus, quod sciam, callitrichon herbam eas in nidum inferre meminit. Aquilæ testudines pro medicamento uorant, Oppianus in Ixeut.

¶ Aquila uiolentum animal & tyrannicum non modo in assequendis ad uiuendum necessarijs rapinas facit, sed etiam usu carnium delectatur. nam ad se explendam lepores, hinnulos, anseres ex cohorte, & alia pleraq; rapit, Aelianus. Falcones & accipitres prædam digitis apprehensam capiunt: aquilæ uerò (ut audio) posteriore digito pedis prius feriunt: unde & à feriẽdo aquilæ nomen Stoßart apud nos impositum. Venatur aquila lepores, hinnulos, uulpes & reliqua quæ uincere ualeat, Aristot. Aquila absolutè dicta capit leporem, uulpem, capreolum. aquila autem dicta zimiech, capit gruem & aues minores, Tardiuus. Lepores, præsertim anniculi, rapiuntur ab aquilis, uide in Lepore D. Cyro aduersus Armenium proficiscenti, continuò in primo agro exurgit lepus: aquila autem uolans dextera, leporem despiciens fugientem, & irruit & percussit illum, extulitq; correptum, eoq; ablato in collem proximum, pro libidine utebatur præda, Xenophon 2. de pædia. Et alibi, Lepores (inquit) plures sunt in insulis, quòd illic nec à uulpibus occidantur, nec ab aquilis. nam aquilæ montes magnos potius frequentant quàm paruos cuiusmodi in insulis sunt. In leporario oportet esse latebras, ubi interdiu lepores deliteſcant in uirgultis atq; herbis, & arbores patulis ramis quæ aquilæ impediant conatus, Varro. Melanæetus aquila priuatim à præda leporum λαγωφόνος cognominatur: de qua infra priuatim. ¶ Vulpes supina aquilæ impetum excipit, ut ex Pindari Pythijs scripsi in Vulpe D. Sed aquila quoq;, referẽte Aeliano, quum in pugna (nescio contra quæ animalia) uicinam se ad succumbendum sentit, sese supinam ad terram abijcit, & in hostem ungues dirigit, quod ipsum cum hostis præstare non possit, in fugam facile impellitur. Aquilæ quædam cicuratæ in Tartaria etiam in lupos insilire, eosq; in tantum diuexare non dubitant, ut ab hominibus sine labore capi possint, Paulus Venetus.

¶ Herodius rex dicitur auium, non quòd uerum regendi modum imitetur, sed potius à uiolentia tyrannidis, quia omnibus dominatur dum omnes uincit ac deuorat: quamobrem & aues omnes hostes habet, Albertus. ¶ Aquilarum pennæ mixtas reliquarum alitum pennas deuorant, Plin. Non modo præsentem & uiuentem reginam auium aquilam cæterę omnes uolucres extimescunt; atq; eius conspectum exhorrent: sed & pennæ eiusdem si quis cum aliarum pennis commiscuerit, incorruptæ atq; integræ manent: aliæ cum illis communitatem non ferentes, putrescunt, Aelianus. Pennæ aquilarum alias consumunt. est enim aquila auis fœtidissima & σηπεδονώδης, hoc est putrefactioni inferendæ idonea. Vnde ab eo exesas animalium reliquias nullum aliud attingit, Theophylactus Simocatus. Vna penna aquilæ coniuncta multis pennis anseris consumit eas: id quod expertus sum in pennis alarum: & forte similiter res se habet in cæteris quoq; harum auium pennis, Albertus. Vide plura in Oue D.

¶ Accipiter eiusdem ferè consuetudinis & rapacitatis est ut aquila, Albertus. Aquila capit accipitrem & quamuis aliam auem rapacem, quum eas uiderit gestare lora pedum, cibi id aliquid esse putans: ac ideo eas capere conatur, ut conijcimus. nam in deserto, ubi hæ aues feræ sunt & sine loris, non inuadit eas. hoc periculum ut euitetur, aquilam aliámue auem rapacem cicuratam non nisi ademptis loris in prædam emittes, Tardiuus. Accipitres iustæ magnitudinis & integrę ætatis, fæpenumero contra aquilas & uultures pugnare aiunt, Gillius. Herodius, qui uulgo girfalco dicitur, aquilam quoq; uincit, Glossa Biblica. Falco montanus miræ est audaciæ, ita ut aliquãdo aquilam inuadat, ut in eius historia diximus. ¶ Cymindis siue chalcis, qui accipiter nocturnus est, bellum internecinum gerit cum aquila, cohærentesq; sæpe prehenduntur, Plinius & Aristoteles. ¶ Dissident olores & aquilæ, Plin. Aquilæ pugnat olor, uincitq; eam sæpius, Aristot. Et alibi, Aquilam si pugnam inceperit repugnantes uincunt: ipsi autem nunquam nisi prouocati inferunt pugnam. quod & Athenæus ex eo repetijt, sed in singulari numero, cum Aristoteles (hoc quidẽ in loco, lib. 9. cap. 12. nam superius cap. 1. aquilam à cygno uinci scribit) in multitudinis numero cygnos aquilam uincere scribat. quod uerisimile est, si cygni plures, cum sit auis gregaria, aquilã unam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 212 sur 825

aggrediantur, ſin aliquando ſingularem cygnum inuenerit aquila, aut ab alijs eum auerterit, non mirum eſt ſi uincit. Cygnus ab aquila ſæpe hoſtiliter appetitur, nunquam tamen uincitur, ſed eam prouocantem animi non ſolum robore, ſed iure etiam optimo uincit, Aelianus. Si qua auium rapacium (inquit Albertus) ut uultur uel aquila inceperit pugnam cum cygnis, defendunt ſe fortiter, ipſi tamen pugnam non incipiunt: & aliàs uincunt, aliàs uincuntur. Tempore enim noſtro multis uidentibus ex ſocijs noſtris pugnauit aquila cum cygno: & euolabant ſimul in aerẽ adeò ſublimem ut uiſum noſtrum effugerent: demum poſt duas ferè horas deciderunt. erat autem aquila uicirix & ſuperior cygno. tum accurrente miniſtro noſtro ut cygnum caperet, aquila fugit. Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cygnum Suſtulit alta petens pedibus Iouis armiger uncis, Vergilius 9. Aeneid. Aquila etiam cum ardeola pugnat. unguibus etenim ualens aggreditur. hęc autem repugnando emoritur, Ariſtot. Grues cum ſe ab aquila impeti perſpiciunt, in orbem conſiſtunt, & contractæ in ſinum falcatæq; ac tanquam in aciem ſtructæ, ſpeciem pugnæ oſtendunt: quare aquila regreditur, Aelianus. ¶ Ammianus Marcellinus anſeres dicit in Tauri montis tranſitu propter aquilarum pauorem lapillis ora implere ne clangant, uide ſupra in Anſeribus feris c. Ὡς ὅτε χλὼ ἠρπαξ ἀπταλομορφύλλῳ ἐνὶ οἴκῳ, Homerus. ¶ Neſſotrophium contegitur clatris ſuperpoſitis uel grandi macula retibus, ne aquilis aut accipitribus inuolandi poteſtas ſit, Columella. Anates ab aquila quomodo ſe defendant, lege ſupra in Anate D. quanquam anates feras in aquis marinis haliæetus potius, id eſt aquila marina inuadit: morphnus uerò, quæ & neſſophónos, id eſt anataria ab anatum cęde nuncupatur, in dulcibus ut conijcio. ¶ Veſtibulum in quo cohortales aues aluntur, retibus munitum ſit, ne aquila uel accipiter inuolet, Columella. Albæ gallinæ propter insigne candoris ab accipitribus & aquilis ſæpius abripiuntur, Columella.

¶ Clangorem aut aquilarum aut uulturum facile columbæ ſpernunt, non item circi & marinæ aquilæ, Aelianus. Et ſi aquilas conflictationibus cornices eludere ſtudent, has tamen illæ præclarè contemnunt, & deorſum ferri ſinunt: ipſæ uerò ſurſum ſubuolantes, æthereum locum ſecant, quod quidem ipſum non cornicum timore agunt. (Quiſnam hoc dicat, qui planè ſciat aquilarũ uim?) ſed potius propria quadam animi magnitudine earum infra ſe uolantiũ lapſus facile patiuntur, Aelianus. Apud nos pugnãt cum aquila cornix & pica & monedula & huiuſmodi aues, eò quòd aquila deuorat eas. Vidimus enim aliquando cornices & picas deplumantes aquilam, quæ reſidens in arbore patienter iniuriam diſſimulabat: propter quam diſſimulationem cornicula quædã propius accedens rapta eſt ab aquila & deuorata, Albertus. ¶ Chenalopex audax eſt in felem & aquilam à quibus infeſtatur, Aelianus. ¶ De aquilæ pugna cum cygnis ſæpe uincentibus, ſuperius dixi. ¶ Aquila & ciconia cauſam pugnæ habent quòd una comedit oua alterius, Albertus. Et alibi, Ciconia aquilas etiam inſequitur tempore pullorum, & cætera rapacia. & ſi ſola non ſufficit, aduocat alias. ¶ Herodius altiſsimè uolat ut de præda circunſpiciat, & propter auium æmulationẽ, nam aliquando aues quædam leues ſuper eam euectæ deplumant eam. Aues etiam magnæ ſi ſublimitate eam excederent, ut grues & ciconiæ roſtrorum mucrone interimerent eam, Albertus. ¶ Falco ſacer aquilam ferè magnitudine æquat: & ſub ipſo nec aquila uolat, nec ulla auis rapax propter metum: ſed ſtatim hoc uiſo cæteræ aues cum clamore fugiunt, Idem. ¶ Aquilæ hoſtes ſunt ſitta & trochilus. ſitta enim oua aquilæ frangit. aquila tum ob eam rem, tum etiam quòd carniuora eſt, aduerſatur, Ariſtoteles. Apud Nigidium ſubis appellatur auis quæ aquilarum oua frangat, Plinius. Aquila cum auicula trochilo, cui & ſenatoris & regis nomen, pugnare fertur, Ariſtot. Aquila & trochilus diſſident, ſi credimus, quoniam rex appellatur auium, Plin. ¶ Vultures & aquilæ hoſtes inter ſe ſunt, Aelianus. Aquilam uultur timet, Philes.

¶ Diſſidet aquila cum dracone. ueſcitur enim aquila anguibus, Ariſtot. Aquilæ alarum crepitum ubi primum draco auribus perceperit, in latebras ſtatim abditur, Aelianus. Aquilę non unus hoſtis ſatis eſt, inquit Plinius, (dixerat autem proximè de primi & ſecundi generis, hoc eſt melanæeti & pygargi aduerſus ceruum pugna. ſed quæ hic aduerſus draconem deſcribitur pugna aquilæ ſimpliciter tribuenda eſt, quod & alij authores faciunt:) acrior eſt cum dracone pugna, multoq; magis anceps, etiamſi in aere. Oua hic conſectatur aquilę auiditate malefica: at illa ob hoc rapit ubicunque uiſum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita ſe implicans, ut ſimul decidat. Aquila infeſto animo contra draconem pugnat: draco quidem ex fruticibus prodiens, facile aut ouem aut leporem eximit ex unguibus aquilæ. Et interea dum hic cum aquila pugnat, lepus ſeſe in fugã dat: & draco fruſtra oculos in aquilam retorquens, eam perſequitur, quòd in ſublime elatam attingere non poſſit, Gillius ex Nicãdro. Aquilam ferunt ubicunq; uiderit ex alto ſerpentem, magno mox ſtridore oppreſſum laniare: & poſtquam extracta de uiſceribus uenena decerpſerit, adhuc (forte, ſuctu) faucium deuorare, & uirus quod inerat extinguere, ueneno calore decocto, Iorath. Ariſtoteles uidetur dicere uulturem cum dracone pugnare, quod non eſt uerum: (nuſquam hoc ſcribit Ariſtoteles, ſed Auicenna aut eius interpres uulturem cum aquila ſæpe confundit:) ſed neq; aquila omnis cum dracone pugnat. Sed quoddam aquilæ genus eſt paruum, quod uenatur ſerpentem quendam qui draco generali uocabulo nominatur. Aquila etiam cum tyro (uipera) & dracone pugnat pro animalibus quæ aliquando uenantur, dum alter alteri prædam auferre conatur, Hæc Albertus. Vtq; uolans altè raptum cum ſulua draconem Fert aquila, implicuitq; pedes, atque unguibus hæſit:

Saucius

Saucius at ſerpens ſinuoſa uolumina uerſat, Arrectiſq; horret ſquammis, & ſibilat ore, Arduus inſurgens: illa haud minus urget adunco Luctantem roſtro: ſimul æthera uerberat alis, Vergilius Aeneid. XI. His addam ex Aeliano hiſtoriam prolixiorem quidem, ſed memorabilem: Decem (inquit) & ſex uiri frumentum in area baculis excutientes, uaſtiſsimis ſolis ardoribus cum ardentiſsime ſitirent, unum ex ſuis ut aquam de proximo hauriret fonte, miſerunt: Is meſſoriam falcem in manibus habebat, & in humeris ſitulam geſtabat: ubi uero ad fontem uenit, aquilam extrictiſsime offendit ſerpente circumplicatam, iam iam proximam ut ſtrangularetur. in eam, ut ſæpe ſolet, inuolauerat: ueruntamen non ſuarum fraudum compos in ea ipſa expugnanda euaſerat. at enim ſpiris illius circumuenta, uicina erat ad pereundum. Agricola uel quòd non ignoraret, uel quòd au ditione accepiſſet aquilam Iouis nuntiam & miniſtram eſſe, & item quòd egregie teneret feram beſtiam eſſe, falce ſerpentem ab aquila abſcidit, & uinculis eam, unde effugere non poterat, exſoluit. Cumq; his obiter geſtis reuertiſſet, atque hauſta aqua uinum temperatum omnibus miniſtraſſet, ij quidem auidiſsime bibere ingrediuntur: is autem qui aquam hauſiſſet, iam poſt illos bibiturus erat (nam tum famulus non compotor erat) ad labra poculum cum admouiſſet, ſeruata aquila circum lo cum illum etiam nunc uerſans, ſic in poculum inuolauit, ut potio effunderetur (ut ſcyphus frangeretur, Io. Tzetzes 3.134.) Ille quòd grauiter ſitiret indignatus ait: Hãc ne gratiam, cum ſis illa (nam auem recognoſcebat) tuo conſeruatori refers? itáne Iouem gratiarum inſpectorem & præfectum uereris? Cum hæc elocutus ſe ad alios conuerteret, uidet ex uenenata potione palpitantes, extremum ſpiritum efflare. Serpens, ut conijcere licebat, ſuo ueneno fontem imbuerat. (Aquila ſerpentem ſcilicet uiderat uenenũ euomentẽ in uas [quo aqua hauſta fuerat, uel è quo bibebant] Tzetzes.) Itaq; redemptionis præmium ei qui ſe conſeruaſſet, aquila cum pari ſalute compenſauit. Hæc dicit Crates Pergamenus, & Steſichorus in quodam poemate graui & antiquo, & in uulgus haudquaquam peruulgato, Hæc omnia Aelianus.

¶ Idem Aelianus polypi cum aquila pugnam his uerbis deſcribit: Quum in ſaxum (inquit) non admodum è mari eminens polypus aliquando correpens aſcendiſſet, ibiq; explicatis alis ſumma cum uoluptate, quòd frigida tempeſtas eſſet, à tepore ſolis caleſceret, neque ſanè ſe in ſaxi colorem uertiſſet, quod quidem ipſum cum ad declinandas, tum magis ad moliẽdas piſcibus inſidias facere ſolet, aquila acris & acuta in uidendo, prędam, ſi non ſibi futuram bonam, attamen paratã & promptam ſibi & ſuis pullis perſpicue cernens, quanto potuit maximo alarum impetu in polypum inſiluit: Sed & piſcis hic circumplicantibus aquilam & pertinaciter adhæreſcentibus cirris, in profundum detraxit, hoſtem capitaliſsimam, ſimul & interfecit: quæ quidem Lupus hians (ut eſt in prouerbio) inani ſpe illuſa, deinde in mari mortua fluitabat. Legitur in eandem rem Antipatri Theſſali epigramma libro 1. Epigrammatum Græcorum, titulo In piſces inſcripto. In Creta uí tauros inuadi ab aquila chryſaëto ſiue ſtellari dicta ſolere in hunc modum narrant. Interea taurus ſecum abijcit ad paſtum, ex inſidijs aquila in ceruicem inuolans, crebras illi ac acerrimas plagas roſtro infligit. Ille tanquam aſilo excitatus, primum incenditur ad curſum, deinde quà poteſt ſe in fugã confert. Quandiu in plano & ſtabili loco fertur, ab aquilæ moleſtia requieſcit, ea nimirum quoad in planiciem excurrit, nihil ei negotij exhibet, at quieta uolans illum acerrime obſeruat, quacunq; ingreditur. Cum illum proxime ad præcipitem locum ac decliuem acceſsiſſe uidet, explicatis in orbem alis, illius oculos quatit, & ea quæ ante pedes ſunt, nihil illum prouidentem, magna ui præcipitem agit, laniatuq; uentrem appetens, quantum eius cupiditas fert, nullo deinde negotio præda potitur. Ab aliena præda ſe continet, nihil enim tale etſi humi iacet attingit, ſed ex ſuis laboribus gaudet, atque à communicando cum alijs ſe ſuſtinet. Poſteaquam expleta atq; exſaturata eſt, ſua aſpiratione graui & tetra reliquias imbutas relinquit, alijs iam ad uſum ineptas, Aelianus.

E.

Accipitrum uel aquilarum pullos funè longiſsimo ab excelſis montium rupibus in ſportis demiſsi auferunt è nidis, Albertus. Aquilas quicunq; Caucaſum habitãt inimicas habent: quamobrem illarum nidos ubicunq; apparent, igniferis ſagittis incẽdunt, laqueos inſuper ad eas capiendas tendunt, Prometheũ ulciſci dictitantes, Philoſtratus in uita Apollonij. Falcones & herodij electi à parentibus, & retibus aucupum capti in regionibus ubi nunquam nidi eorum inueniuntur, peregrini uocantur, Albertus. ¶ Plura aquilarum eſſe genera ſatis notum eſt, quorũ ad uenationem nonnullis utimur, Grapaldus. Aquila capi debet adhuc parua. ſolet enim audacia & ingenio per ætatem proficere. quare difficilius adulta capitur, Tardiuus. Aquilæ cicurantur, quæ paruæ ſcilicet nidis exemptæ fuerint. nam illas quæ in feritate adoleuerunt non tutò cicuraueris. quoniam facile propter audaciam ſuam & robur inſtruentis faciem aliásue partes grauiter læderent. Manſuefiunt autem ut hominibus uenatu acquirant quaslibet aues magnas: præcipuè uerò ut canum auxilio capiant lepores, cuniculos & capreolos. Qui aquilam ad uenationem effert, debet eſſe robuſtus, ut pondus eius ſuſtinere poſsit. Et ſtatim cum uiderit prædam à cane deprehenſam, aquilam conſuetam & inſtructam dimittet, quę ſemper ſuper canes uolabit, & cum leporẽ uiderit ſubitò deſcendet & capiet eam, Creſcentienſis. Herodius cicur ſuper manu ſedens geſtari non poteſt, ſed potius brachio toto ſuſtineri debet ab humero ultra manum pelle ceruina munito, & cum uolare conatur, dimittenda eſt ne brachium geſtantis lædat. itaq; aut coopertis fertur oculis, aut cum uolare

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 214 sur 825

cupit dimittitur. Reuocata, redit ad brachium aucupis, ut uel prædã adepta uel fruſtrata, quieſcat, Albertus. ¶ Rubeus color laudatur in aquila & oculi profundi, præſertim ſi nata ſit in montibus occidentalibus, Tardiuus. Plura leges quod ad electionem aquilæ, ſupra in B. ¶ Quũ aquila uolans caudam extendit, & ſe circa illam conuertit, & uerſus plagam aliquam aſcendit, ſignum eſt meditantis fugam: Item ſi non deſcenderit ad ſonum paſtus offerendi: niſi forte nimis ſatura eſt, aut nimium obeſa. Ne igitur fugiat, cõſue pennas caudæ ipſius ne extendere poſsit, nec ad uolatum eis uti. aut depluma ambitum podicis, ita ut podex nudus appareat. ſic enim propter frigiditatem aeris ſublimis, non conabitur tam altè uolare. Verum tunc timendum eſt illi à cæteris aquilis, quas propter caudam conſutam euitare non poterit, Tardiuus. Quum aquila pugno relicto circa illũ uolat, aut in terra, ſignum eſt fugitiuæ. quòd ſi periculum ſit, ne tempore illo quo aues libidine incenſæ generationi operam dant, aquila aufugiat, dabis ei in cibo arſenicum ſiue auripigmentum rubeum, quod libidinem eius extinguet, Idem. Quum aquila dominum ſuum circunuolat, ſic ut nõ longè ab eo recedat, ſignum eſt fugitiuam non futuram, Idem. Aquila (fera) capit accipitrem & quamuis aliam auem rapacem, aquilam quoq; cicurem, quum uiderit eas geſtare lora pedum, cibi id aliquid eſſe putans. hoc periculum igitur euitandi cauſa lora pedum aquilę cicuri, aut cuiuis aui rapaci uolaturæ, adimito, Tardiuus. Aquilæ quædam cicuratæ in Tartaria etiam in lupos inſilire, eosq; in tantum diuexare non dubitant, ut ab hominibus ſine labore & periculo capi poſsint, Paulus Venetus. Lepores & uulpes (inquit Aelianus) ad hunc modum Indi uenantur, neq; enim ad capturam eorum canibus egent: aquilarum & coruorum & miluorum pullos educunt, ad uenationem q; inſtituunt. Inſtituendi ratio hæc eſt: Primum ut ad leporem & uulpem mãſuefactos carnem appenderunt, eos de manibus dimittunt, ad quos à tergo inſequendos auibus emiſsis fruendæ carnis ad eos ipſos alligatæ poteſtatem uenatores cõcedunt. Aues autem acriter inſequuntur, & ſimul ut uel hanc, uel illam ceperint, præmium pro captura carnem conſequuntur. Hæc nimirum apud eos proſequendi has beſtias maxime illecebra eſt. Poſtea uero quàm eas exacte ad uenandi ſcientiam erudierunt, in montanos lepores, ac feras uulpes emittunt. aues conſueti prandij ſpe quæ ex obiecta præda eis oſtenditur, & inſequuntur, & celeriter comprehendunt: atq; ut Cteſias ait, quod ceperunt, dominis reportant, non plane inſciæ pro carne illa prædæ domeſticæ antea appenſa, ſe ex fera præda nunc uiſcera habituras eſſe. Nutritur aquila omni genere carnium, nec facile morbo corripitur, cum leporẽ ceperit, paſcatur eo ſæpius, ut poſtea libentius perſequatur, Creſcentienſis. Plura de cibo aquilæ uide ſupra in C.

¶ Qui prope nidum aquilæ habitant, unum ex pullis eius (accedentes ad nidum armati, præcipuè capitibus, timore aquilæ) auferunt, & ad palum alicubi alligant. Tum illi uociferanti parentes adferunt lepores & cuniculos, ſi in locis illis reperiantur, & gallinas & anſeres, quæ accolæ ſibi colligunt. interdum feles ac uulpes. nuper quidam pullo ſic alligato gallinam attulerunt cum pullis ali quot intra pennas matris, qui ſine ulla læſione ab accolis collecti & nutriti ſunt, Creſcentienſis. Aquilæ magnæ & feroces in Liuonia regione Septentrionali (inquit Albertus) piſcibus, auibus, & quadrupedibus pullos ſuos nutriunt. Incolæ autem nidis exemptos ſub arboribus ponunt aluo ligata uel conſuta, ut cibi appetitum amittant. Parentes uerò nihilominus auiũ piſciumq; prædam apportant, quam incolæ colligunt ut ſe & familias paſcant. interdum tamẽ ſoluunt pullis anum ne moriantur, quo præda fruantur diutius. Et aliquando quidam, ut ab illo ipſo homine fide digno accepi, in uno nido aquilarum antequam pulli complerentur, plus quàm trecentas anates, & ſupra centum anſeres, lepores circiter quadraginta, & plurimos magnos piſces collegit.

¶ Aquilæ, uel cuiuslibet uaſtæ alitis pinnis quæ rigorem habent, alueária emundentur qua parte emundari non poterunt, Columella. Scythæ, & imprimis Androphagi ex eis & Melanchlæni & Arimaſpi aquilarum ac uulturum oſsibus ad tibias utuntur, ἀετῶν καὶ γυπῶν ὀστοῖς αὐλητικῶς ἐμπνέουσι, Pollux.

F.

Aquila Deuteron. 14. & Leuit. 11. inter aues immundas recenſetur. Aquilæ cibum nobis interdixit legislator, ut & aliarum rapacium, inſinuans nullo commercio illis hominibus qui per rapinam uiuunt coniungi nos oportere, Clemens lib. 3. Pædagogi & Stromateon 5. Aquilam, halięetum, uulturem & huiuſmodi ſublimipetas ac rapaces aues, Moſes in cibo prohibuit, faſtum ſcilicet ſupra alios ſe extollentem & rapacitatem damnans, Procopius.

G.

Vultur eadem omnia poteſt quæ aquila, ſed infirmius. pro uulture etiam abſente accipiter ſubſtituetur, ſed minore efficacia, Kiranides. Aquila quomodo mactari, & ut ſingulæ eius partes ad remedia ualeant, adiurari debeat, idem author lib. 3. ſuperſtitioſiſsimè deſcribit. ¶ Pellis aquilæ curata diligenter cum plumis ſuis, & uentri ſtomachoq; pro faſcia appoſita, colicos magnificè adiuuat & ſtomachicos: & eos qui colicam (uitio) ſtomachi patiuntur, liberat, & concoctionem iuuat, Kiranides. ¶ Aquilæ pennam uel alam ſi quis ponat ſub pedibus mulieri in partu laborãti, mox pariet. ubi uerò primum pepererit, tolles pennam, Kiranides. ¶ Ad cephalalgiam magnum miraculum: Os capitis aquilæ alligatum patienti in corio ceruino uerticem ſanat. tempora uerò aquilę hemicraniam curant, dextrum dextro alligatum, ſiniſtrum ſiniſtro, Kiranid. Ad dolorem hemicranij:

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 215 sur 825

cranij: Aquilæ capitis os, aut uulturis, dextrum dextro lateri dolenti, siniſtrũ ſiniſtro appende, Galenus Euporiſt. 3. 34. ¶ Cerebrum aquilæ cum oleo & modica cedria inunctum, ſcotomaticos & omnem capitis affectum ſanat, Kiranid. Cerebrum perdicis aut aquilæ in uini cyathis tribus morbo regio reſiſtit, Plinius. Oculis aquilæ cerebro aut felle inunctis claritatem uiſus reſtitui dicunt, Idem. his quidam uerba eodem in loco ſequentia, cum melle Attico, adiungunt: alij ad ſequens medicamentum referunt. Et alibi, Aquilæ cerebro uel felle uiſus claritatem reſtitui & ſuffuſiones curari dicunt. Hepar aquilæ ſiccum & tritum, cum proprio ſanguine ac oxymelite per dies decem (potum) epilepticos ſanat, Kiranides. ¶ Fel omne acre eſt & calfacit, ſed aliud alio magis aut minus: aquilinum inter efficaciſsima numeratur, Dioſcor. Accipitrum & aquilarũ fella nimis acria ſunt, quin etiam exedunt, quod uel colore ſuo ærugineo teſtantur, qui tamen interdum niger reperitur, Galenus de ſimplicibus 10. 13. Apud eundem de compoſit. ſec. locos 4. 7. fel aquilæ miſcetur ocularibus compoſitionibus ad ficoſas aliasq; eminentias, & oculorum ſuffuſiones, &c. De uſu huius fellis ad oculorum claritatem reſtituendam, & emendandas ſuffuſiones, Plinij uerba recitaui paulò ante inter remedia ex cerebro aquilæ. Aquilæ quam diximus pullos ad contuendum ſolem experiri, mixto felle cum melle Attico inunguntur oculorum nubeculæ & caligationes & ſuffuſiones, Plinius. ſcripſerat autem hoc facere haliætum, ſed alij hãc facultatem ſimpliciter aquilino felli adſcribunt. Oculis hebeſcentibus felle aquilæ cum melle Attico inunctis, uiſus præſtatur acutiſsimus: ut non ſibi tantum ſed hominibus quoq; acutũ cernant aquilæ, Aelianus. Idem remedium Sextus ad ſuffuſionem oculorum commendat, ſed quidam (inquit) illud magis prodeſſe credunt, qui his medicamentum hellebori l. j. aut dimidiam myrrhæ, tantundẽ mellis Attici, obtemperatam faciunt inunctionem, (ſed uidentur hæc uerba corrupta.) compoſitio forte talis eſt, ut fellis & hellebori ana ʒ. j. myrrhæ & mellis Attici ana ʒ. ſ. ad inunctionẽ miſceantur. Fel aquilæ cum ſucco praſij herbæ myrrhaq; & melle fumum non experto, inunctum oculis, omnem obſcuritatem & hebetudinem tollit, nec ullum in eis uitium fieri ſinit, Kiranides.

¶ Tuſsi medetur lingua aquilæ collo ſuſpenſa, Galenus Euporiſt. 3. 37.

¶ Ad lumborum dolorem, aquilæ pedes euellunt in aduerſum à ſuffragine, ita ut dexter dexteræ partis doloribus adalligetur, ſiniſter læuæ, Plinius.

¶ Stercus anſerinum præ nimia acrimonia inutile eſt. coniſcio autem ita eſſe & accipitrum & aquilarum. Verum fugiẽda eſt materia omnis eiuſmodi quæ difficulter comparari poteſt, Galenus. Verrucas & myrmecias fimus aquilæ illitus curat, Kiranides. Florentinus in Geoponicis confirmat illuc nunquam acceſſurum ſerpentem, ubi aquilæ aut milui fimus cum ſtyrace in ſuffimentum fuerit adhibitus. Aquilæ fœminæ ſtercus cum melle ſynanchicos ſanat, & quaſuis paſsiones circa collum, & ad tuſſes prodeſt, Kiranides. Fimus aquilæ ſuffitus, in partu laborantes adiuuat mulieres, & corruptos fœtus educit, & ſecundas extrahit, Idem.

¶ De aëtite lapide quem Latinè aquilinum dixeris, aut aquilæ lapidem, ut Sextus. Quòd aquilæ hunc lapidem, & quam ob cauſam, in nidos imponant, ſuprà in C. docuimus. Tribus primis aquilarum generibus, (hoc eſt melanæeto, pygargo, morphno) & quinto (hoc eſt, gneſio) inædificatur (forte non ſimpliciter impoſi, ſed cum reliqua materia intertexi & implicari ſentit) nido lapis aëtites, nihil igne deperdens, Plinius. Eſt autem lapis iſte prægnans, intus cum quatias alio uelut in utero ſonante, Idem & Dioſcorid. Aquilæ lapis in uentre eius aut in nido inuenitur, Sextus. Aëtites lapis gignitur in Euphrate fluuio Parthiæ, Chryſermus apud Stobæum. De aëtite nõ conſtat: ſunt qui è montibus Caucaſeis, alij ab Oceani littore peti tradunt, colore candidiſsimo, ſpiritu grauidum, qui etiam ex agitatione ſonum ædat: ita potentem ut aquæ bullientis in lebete feruorem extinguat, Oppianus in Ixeuticis. Aëtites duas naturas habet, alter rarus & inanis eſt, alter denſus ac ſolidus, Zoroaſtres in Geopon. 15. 1. Aëtites lapis (inquit Plinius 36. 21.) ex argumento nominis magnam famam habet. Reperitur in nidis aquilarum, ſicuti in decimo uolumine diximus. Aiunt binos inueniri, marem & fœminam: nec ſine ijs parere quas diximus aquilas, & ideo binos tantum. Genera eorum quatuor. In Africa naſcentem puſillum & mollem, intra ſe ac ueluti in aluo habentem argillam ſuauem, candidam, ipſum friabilẽ, quem fœminei ſexus putant. Marem autem, qui in Arabia naſcitur, durum, gallæ ſimilem, aut ſubrutilum, in aluo habentem durum lapidem. Tertius in Cypro inuenitur, colore illis in Africa naſcentibus ſimilis, amplior tamen atq; dilatatus: cæteris enim globoſa facies, habet in aluo harenam iucundam & lapillos, ipſe tam mollis ut etiam digitis frietur. Quarti generis Taphiuſius appellatur, naſcens iuxta Leucadem in Taphiuſa (oppido Cephaleniæ,) qui locus eſt dextra nauigantibus ex hac ad Leucadem, inuenitur in fluminibus, candidus & rotundus. huic eſt in aluo lapis qui uocatur callimus, nec quicquam tenerius, Hæc Plin. Apud nos (inquit Ant. Braſauolus Ferrarienſis medicus) duo genera ſunt, alterum album marmoris colore & effigie: alterum nigrum, ſubnigrum, uel cinereum. Vocant & lapidem prægnantem quòd intus alterum lapidem album contineat, qui ſonat ſi quatiatur. In aquilarũ nidis inueniri ſcribunt ueteres, quod nos nunquam fieri putamus. Frequens eſt in Apulia monte Gargano, & uarijs Apennini locis. Albus in fluminibus inuenitur, (præcipuè circa initia riuorum & fluminum.) Ex Armenia alioqui Alexandriam uehitur, inde Venetias. Abutuntur eo quidam ad multas ſuperſtitiones & uanitates. hoc uolunt furta detegi, hoc non poſſunt etiam optima cibaria edi, hoc futura

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 216 sur 825

prædícere tentant,hoc deprehenduntur uxorum furta, Hæc Brasauolus. Lapis aquílæ ínuenítur ín India ínter Chímonas & Sarandín,(alíâs Chímoas & Sarãdí.)Græcí antarron(uox apparet corrupta,forte à Græca apud Dioscorídem καπόκιον,nísi potius καπόχιον legendum est.est enim(ínquit) aëtites καπόκιον ἐμβρύωμ,hoc est amuletum retinens fœtus)íd est alleuiantem partus. Reperta est autem huíus lapídis facultas ab ípsa aquíla. nam cum aquíla fœmína parítura est oua,mas ei hunc lapídem ex Indía allatum supponit,ut facíle & mínorí dolore pariat,Serapío. Hic lapis ex India adfertur,símilis castaneæ,nísi quòd habet colorem nebulæ uel puluerís, (alíâs, colorẽ uellereum,fortè cínereum)& cum agítatur, lapíllus alíus ínterior audítur, qui fracto exteriore apparet sícut auellana,ad albedínem declínans,Rasis apud Serapionem.ídem alíbi(ínquit Serapío)hunc lapídem ouo símilem facit.Multa erudítè de aëtítis eorumq; differentíjs scríbit Georg. Agrícola líb. v. de natura fossílíum. Vt belemnítes(ínquit)aut terram aut arenam aut lapidẽ ín se contínet, íta geodes amplectítur terram:aëtítes lapídem uel arenam, enhydros líquorem. sed hí differunt à belemníte fígura. nam plerícq; omnes ín spécíem orbis globatí sunt, sed modo absolutí, modo cõpressí. eum certè qui complectítur terram Plínius alíâs ín aëtítis numerat, alíâs geoden uocans separatím persequítur. Dioscorídes geoden ab aëtíte dístínguit:quòd ílle terram,unde ípsí nomẽ ímpositum, hic lapídem contíneat.adeò certè magnam cognatíonem ínter se habent,ut ex eadem constent matería,non alíter ac belemnítæ díuersas res etíam ípsí contínentes,ut ferè ín eodem loco gignantur,gignuntur autem ín Saxonibus ad Hildesheímum:ín Mísenorum montíbus ad Salam, & nõ longè ab Aldebergo,ac uerò etíam sub arce Motestha,ínueníuntur uerò cùm torrentes ex magnís & assíduís ímbrí-bus terrã eluunt.Dictus est aëtites uel à colore aquílæ candícante cauda,ut sentít Plínius:uel quòd ín aquíle nídís reperíatur.Mísenus nõ longè ab Aldebergo repertus ín rutílo níger est,(&c.omitto enim differentías eorum quas adfert mox à colore,odore,fígura,magnitudíne,durítíe,asperítate et contrarijs,postremò à contentís.)Quídam cum quatíuntur, sonum non ædunt, quòd calculí íntus adhæreant:sonant uerò ín quíbus ílli líberí ac soluti íntus íacent. Nec uerò pæantides, gemonides etíam uocatæ,quæ ín Macedonía ínueníuntur íuxta monumentum Tiresíæ: nec císítes quí nascítur ín Aegypto circa Copton:nec gasídane,quam Medí & Arbelítæ míttunt,alíj sunt lapídes quàm aëtítæ candídí.quía enim ípsí medentur parturientíbus,pæantídes uocãtur: quía prægnantes quasí fíunt & pariunt alterum lapídem,appellantur gemonídes: quía concípiunt, císítæ (sed íta cysítæ potíus per y.dící deberent)nomen ínuenerunt. Gasídanæ uocabulum peregrínum est, tamen quía concípere dícítur,& íntra se partum fateri concussa,satís intelligímus etíam aëtíten esse. Verum de hís lapídíbus quísq; quod sibí uídebítur uerius sentíat. Omnino autem iam dícti lapídes sunt hí, quos Theophrastus & Mutíanus parere crediderunt. Enhydros quoque ad aëtítas pertínet, Hæc Georg.Agrícola. Aëtítæ genus unum(ínquit Christoph.Encelíus) prægnans est arena & lapíllís, alíud chelonítide(sic uocat ímpropríè lapídem cuí spécies sít conchæ,pectínís aut strombí,)alíud sílícem candídum contínet.talem ego ad Albím ínuení,candídum,subrotundum,durissímum,ín cuius superfícíe cellulæ erant tanquam ín fauís apum:cuius spéciem alteram alíquãdo extra matrícem (lapídem contínentem)ínuení solam,pílei quadã forma. ¶ Vídí ego aëtíten magnítudíne & forma paruæ pílæ lusoríæ,planè rotundum,ex ruffo albícantem. & alterum oblongíusculum,angulosum(tribus aut quatuor angulís) spadíceum ferè uel magís fuscum: longítudíne pollícís transuersí, crassítudíne mínimí dígítí ferè. uterq; lapíllum contínebat. ítem alíum ex Palæstína allatum, aspérum sabulo,nígrícantem,latum,quí arenam contínebat. alíum denícq; ouí fígura. Aëtítes síue geodes quem aperuí dum hæc scríberem,ruffus erat,magnítudíne pruní, terra síue argílla prægnans albícante,glutínosa,terræ fígíllatæ uulgarís colore saporecq;, crustam quoq; ambiẽtem ex eadem substantía índuruísse gustus prodebat.crusta quídem potẽtíus quàm argílla síccare & astríngere uídebatur.Eadem,ut conjício,generatur cum argíllæ exíguæ massæ (possunt autem ín aquís & fluuíjs uolutatíone offensioneq; tum díuídí ín exíguas partes, tum ín fígurã rotundam redígí)per superfícíem frígore índurantur: aut forsítan etíam calore, síue Solís, síue ex terra subeunte, uel temporís díuturnítate. Exíccatís autem exterioríbus & ín crustam conuersís, tanquam ín ouí generatione, ínterióra molliora manent & humídítatem suam conseruant,ut quæ per crustam nímís densam eua porare non possít. Quòd sí fortuitò massula non mera argílla constet, sed lapíllum arenásue contíneat, ea quoq; ín medío relínquuntur, crusta ambiente propter exíccatíonem se contrahente, mínusq; locí occupante.quare spacíum alíquod ínane relínquítur.unde sonítus.Hæc quídem de generatíone & differentíjs aëtítæ obseruaui. & ut naturam quoq; eíus experírer, bís unum huíus generís ígne candefecí,quí nihíl índe lædí aut mutarí uísus est, ne colore quídem: ut conjíciam eandem ferè eíus substantíam esse,quæ argíllæ illíus ex qua uascula fusoría aurífabrorum fíunt. ¶ Vultures quum cœperunt oua ædere, alíquíd afferunt ex Indico tractu, quod est tanquam nux, íntus habens quod moueatur,sonumq; subínde reddat. Quod ubí sæpe apposuerunt,multos fœtus producunt:sed unus tantum remanet quí ímmusulus uocatur,Textor. ¶ Chymístæ aëtíten pro chrysolítho,& porphyríte, & chrysochromo cognomíne Macedonico, & polychromo accípíunt, Hermolaus ín Corollarío. Ocytocius lapis est mínor aëtíte, planus tactu & resonans, Kiranídes l. 24. Et alíbí,Aëtítes lapis rubeus est colore ut cera. gestatus seruat ín utero fœtus, & abortus prohíbet. est enim ocytocius,(forte καπόκιον,ut Dioscorídes habet.) ¶ Lapis echítes(corrupta uox pro aëtíte)íd

te)id eſt aquileus, gemmarum optima eſt, coloris punicei, & uocatur ab aliquibus herodialis (ab indoctis ſcilicet, qui herodium ut dixi in A. pro aquila maxima & nobiliſsima accipiũt) eò quòd aquilæ eum in nido ouis ſuis apponant, Albertus. Aetiten aliqui dixere gagaten, (aliâs gagiten,) Plinius. Seruius quoq; aetiten nominat gagaten. ſed gagaten ſcimus eſſe longè diuerſum lapidem, qui cum uritur odorem ſulphureum reddat, ut Plinius alibi ſcribit: aut bituminoſum reſinæue ut Dioſcorides & Orpheus. itaq; non poteſt nihil igne amittere, neq; frigidiſsimus eſſe, quæ duo aetitæ attribuuntur. quanquam de gagate Plinius refert, uti eo magos in ea quam axinomantiam uocant, & peruri (inquit) negant, ſi euenturum ſit quod aliquis optet, ſed magicum hoc, non naturale eſt. Strabo gangiten in Armenia repertum ſcribit quo ſerpentes fugentur, hunc (gagiten ſeu aetiten Plinij) an alium accipiat, nondum liquet, Hermolaus. Mihi uerò dubium non eſt, quin gagaten intellexerit Strabo. hoc enim tantum ſerpentes fugari authores ſcribunt, non etiam aetite. Alius ab aetite eſt gagates uel gangites lapis, quem Nicander ἐγγαγγίσλα πέτρλω dixit, medicis notus, Cælius. Cæterum cum aetites igni reſiſtere poſsit, teſte Plinio; & aquæ bullientis in lebete feruorem extinguere, ut Oppianus ſcribit, (alij idem de iaſpide tradunt) eo quidem nomine pyrimachus dici poſſet. Sed alius eſt lapis pyrimachus cuius meminit Ariſtoteles lib. 4. de Meteoris, ſcribens illũ quoque ut ferrum igne uehemente liquari; & quod ab eo igne ſoluto fluat, rurſus concreſcere & durari. Eiuſdem & Theophraſtus meminit in libro de lapidibus. Interpretes Ariſtotelis qui nam hic lapis ſit, non docent, aliqui recentiorum pyritem eſſe ſuſpicantur. Pyrimachum aliqui alabaſtrum eſſe dicunt, quod non credo: alij lapidem è quo ignis ferro excutitur, Niphus. Belloníus in Memorabilibus ſuis capite 53. lapidem quendam deſcribit, quem Græci uulgò asbeſton, alij uarouitnicon nominent, &c. qui an ſit pyrimachus, inquirendum eſt. Eſt & amiantus lapis alumini ſimilis qui nihil igne deperdit ut ſcribit Plinius. ſed hunc non puto liquari, ut neq; aetiten, liquari enim & nihil deperdere, forte ſolius auri eſt.

¶ Aetites ad multa remedia utilis eſt. ſed uis illa medica non niſi in nido direptis, Plinius. Et alibi, Lapis aetites in aquilæ repertus nido, cuſtodit partus contra omnes abortuum inſidias. Aetitæ omnes grauidis adalligati mulieribus uel quadrupedibus, in pelliculis ſcarificati, uteri animaliũ continent partus, non niſi parturiant, remouendi, alioqui uuluæ excidunt. Sed niſi parturientibus auferantur, omnino non pariunt, Idem 36. 20. eſt autem obſcurum quid ſibi uelit per hæc uerba ſcarificati uterit & forte corruptus eſt locus: malim ego, lubrici uteri animalium, ex Dioſcoride. Aetites mulieribus commodus abortibus aduerſatur, Aelianus. Phylacterium eſt prægnanti, & præſtat ut mulier partum perferat, Sextus. Aetites alter denſus eſt & ſolidus, qui mulieribus alligatus perficit fœtus: alter rarus & inanis intus, (uidetur hîc aliquid deeſſe, tum quia de facultate poſteriorís nihil dixit, tũ quia Græcè legitur: ἀλλ' ὁ μὲν νεκὸς πδιαπτόμλνθ, &c. & ſequi debebat, ὁ δὲ ἀραιός, &c.) Zoroaſtres in Geoponicis 15. 1. Collo appenſus aetites amolitur abortum, Author incertus. Vt fœtus retineatur, lapis aetites appẽdatur, Galenus Euporiſt. 2. 57. Aetites ſiniſtro brachio adalligatus contra muliebrium locorum lubricitatem fœtus in utero retinet. parturientibus uerò à brachio ſublatus femori alligandus eſt, ut ſine dolore fœtus excludatur, Dioſcorid. Collo mulieris ſuſpenſus cõceptum impedit, Cõſtantinus: per errorem fortaſsis, quòd apud Dioſcoridem uel ipſe uel alius quem ſequutus eſt, ἀπόκιον pro κεπόκιον legerit. Non igitur pugnãt authores ſi alij appenſo hoc lapide fœtum retineri, alij promoueri partum & facilem reddi tradunt: quoniam diuerſis corporis locis alligatus diuerſum præſtet: nempe ſupra uterum retineat, infra uterum uerò detrahat partum. quanquam Chryſermus apud Stobæum aetiten ait obſtetrices difficulter pariẽtibus ſuper uteros (ὡς τὰς γαςέρας) imponere; & ſic illas confeſtim ac ſine dolore eniti. Aetius uero 16. 21. aetites (inquit) ſuper uentre geſtatus, prægnantes fœtusq; conſeruat, nec ſinit uuluam emolleſcere. Mulieribus & cæteris animalibus ſi ſupponatur hora partus, facile minoriq; dolore pariẽt, Serapio. habetur autem (inquit) apud nos à quàm pluribus, & perſæpe hanc uim ei uerè attributam eſſe experimento cognoui. Hoc idem Raſis (Serapione citante) expertum ſe ait. Nos ſuperioribus diebus periculum aetitæ in parturiente facientes, nihil iuuamenti obtinuimus, Amatus Luſitanus. Iac. Syluius in Gallia uſu quotidiano huius lapidis uim probatam ait, ut ſupra quidem alligatus partum contineat, ad femina uerò attrahat. Apud nos aliqui in hunc uſum hoc genus lapidum uel rude uel cruſta ſuperiore dempta complanatum, argento includunt, ut ad quanque corporis partem alligari commodè poſsit: quaſi uerò uis certa huic lapidi inſit fœtum ad ſeſe attrahendi ut magneti ferrum. Atqui experimentis etiam hac in re non uidetur fides habenda. quicquid enim appenderis parturienti, inſtantibus iam doloribus partus & utero nitente, naturaq; mouente fœtum, ut plurimum paulò pòſt pariet mulier: non minus fortè, quàm aliud quodcunq; à natura excernitur, ſi iam maturum ſit ac niſus partis excernentis accedat, ut plurimum procedet, niſi nimium infirma & debilitata ſit natura. Scio animum & fiduciam nonnihil præſtare: ſed hîc uerbis potius ſpe & conſolatione plenis & religione confirmari, atq; in Deum dirigi debet, nõ in phylacteriis & amuletis hærere, ne per ſimplicem in illa fiduciam idololatria committatur. Conatur enim dæmon ut per alios innumeros dolos, ſic præcipuè per magiam quæ uerbis & amuletis uires mirificas tribuit, mentes hominum à Deo abſtrahere, hanc interim non magiam ſed creatæ à Deo naturæ uim eſſe aſſerens. Scio etiam occultas rerum eſſe facultates, qualis eſt magnetis in attrahendo ferro, ſed in illis, cum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 218 sur 825

ex primis aut ſecundis qualitatibus (ut phyſici & medici uocant) cauſas cur quidq; fiat reddere nequeamus, unam habemus communiſsimam, nempe totius ſubſtantiæ ſimilitudinem aut diſſimilitudinem. ὡς ἀεὶ τὸ ὅμοιον ἄγει φύσις εἰς τὸ ὅμοιον. Quænam uerò ſubſtantiæ ſimilitudo, quæ uera ſympathia lapidis ad fœtum in utero fuerit? An quòd ſimiliter aliquid incluſum intra ſe geſtat, quod concepiſſe, quoq; ueluti grauidus lapis uidetur, ſicut uterũ fœtus? Sed ficta huiuſmodi inter ſe rerum ſimilitudo innumeras nobis ſuperſtitiones peperit. atqui magis fermè ridiculũ eſt hanc facere ſimilitudinem ſecundum ſubſtantiam, atq; animal pictum eiuſdem ſubſtantiæ cum uiuo afferere. Sed his omiſsis ueniam ad reliqua quæ de facultatibus aetitę authores tradũt. Omnes aetitæ exiccant: quidam inſuper aſtringunt: ex quibus geodes ea quæ obſcurant oculos, purgat: & cum aqua illitus, ſedat inflammationes mammarum & teſtium, Georg. Agricola. Verrucas & myrmecias aetites applicatus ſanat, Kiranides. Prohibet caſum epilepticorum, Euax & Albertus, hinc eſt forte quòd Serapio ſcribit poni eum loco pæoniæ. Tritus & exceptus ceroto parato cum cyprino (unguento) aut gleucino alióue calfaciente, comitialibus magnopere prodeſt, Dioſcorid. Adallígatus unà cum piſce aquila oſſa confracta reſtaurat, Kiranides. Prodeſt cum ad alia plurima, tum ad rigores qui per circuitus reuertuntur, & præſertim ad quotidianas facit ſi corpori allígetur, Trallianus. Aetiten lapidem cum ouo ac modico roſaceo podagris illini iubet Aetius 12.44. ¶ Κλεπτελεγχος eſt, hoc eſt furta detegit, ſi quis eum impoſuerit in panem qui edendus ſit. nam fur panem illum quamuis commanſum dentibus ſuis deglutire non poterit. eodem modo cum cibarijs coctum, furem prodere aiunt, cum cibaria illa deuorare nequeat, Dioſcorid. Hunc morem ſic deprehendendi furem in Græcia etiamnum durantem pluribus deſcribit Belonius in Memorabilibus capite 23. Si quis de cibo aliquo tanquam uenenato ſuſpicionem conceperit, aetites in cibum impoſitus prohibet ne deglutiri poſsit ſi uenenum ſit mixtum: lapide uerò ſubtracto nihil prohibebit quin cibus deglutiatur, Euax & Albertus qui hoc à Chaldæis prodi ſcribit. Kiranides uidetur aetitæ lapidis facultates quaſdam ſuperſtitioſas non ſatis diſtinguere à facultatibus attributis lapidi, quem ait reperiri in capite piſcis aquilæ.

H.

a. Aquilus color eſt fuſcus & ſubniger, à quo aquila dicta eſſe uidetur: quamuis etiam ab acutè uolando dictam uolunt, Feſtus. Aquila ab acumine oculorum uocata eſt, Iſidorus. ab acumine: habet enim tria acuta, uiſum, iram, & inſtrumenta uenandi, quæ ſunt ungues & roſtrum, Albertus. Iouis ales, & Iouis armiger per antonomaſiam abſolutè pro aquila apud Vergilium ponuntur. uide infra in h. Flammiger ales, pro aquila quæ Iouis fulminibus ſeruit, ut exponit Lactantius, Statius 8. Thebaid. οἰωνὸς ταχὺς ἄγγελος, pro aquila Iliad. ω.

¶ Ἀετὸς, Atticum eſt: ἀητὸς commune. utroq; modo apud Ariſtotelem ſcriptum inuenio. Attici ut pro κλαίω, κλαύω: ſic ἀητὸς ſine ἰôta proferunt, idq; aptius, ut uidetur, quoniam πηδᾷ τὸ ἀΐσσειν (hoc eſt ab impetu uolãdi) hæc auis denominatur, Orion apud Etymologum. Aetòs dicitur à uerbo ἀΐσσω quod eſt impetum facio, quaſi ἀϊτὸς. uel πηδᾷ τὸ ἀεὶ ἐπὶ ὃς εἶναι. fertur enim illam à Ioue ſemper ueri euentus nuntiam emitti, Etymologus. uel ab α. particula intendente & nomine ἐπὶς, ὡς λίαν ἀληθὴς καὶ ἄσπιλος ἐν τοῖς οἰωνίσμασι. uel quoniam Iouí, qui allegoricè aërem denotat, ſacra eſt, eadem origine qua aer, à uerbo ἄω (id eſt ſpiro) deriuatur, Euſtathius. ¶ Ἀιβιὸς, aquila, Pergæis, Etymologus & Varinus. locus apud Heſychium deprauatus eſt. Γίνος, aquila, Varinus. Γαραὸς, aquila Macedonibus, Idem & Heſychius. Alibi tamen apud eoſdem inuenio, quòd aquila Macedonum lingua ἀγχιόπης dicatur: & rurſus eadem lingua ἀιγίπυψ, apud Etymologum & Varinum. Φλέγμας, aquila eſt fulua & uehemens: aut ſi Græcè mauis, ἀετὸς ξανθὸς, ὀξύς, Heſychius & Varinus. ſed pro φλέγμας repono φλεγύας, quam uocem Suidas quoq; pro aquila interpretatur. Φλεγύας eſt aquila dicta ἀπὸ τοῦ φλέγειν καὶ λαμπρὸς εἶναι. aliqui autem uulturi ſimilem interpretantur. Μεσφνοῖο φλεγύαο, Heſiodus in Aſpide. Varinus aquilæ nigræ interpretatur: & poteſt ſanè à uerbo φλέγω, φλεγύας, pro nigro accipi, ut ἄλφων ab ἄλφω. ſed de morphno aquila dicam infra priuatim. φλεγὼ quidem & φλεγυρὸν Grammatici βίαιον & λῃστρικὸν, id eſt uiolentum & prædonem uel rapacem exponunt, quod aquilæ conuenit. Ἀργιφος, aquila apud Perſas, Heſychius & Varin. Ἀκυλεὺς, aquila, Heſychius. apparet autem uocem eſſe corruptã à Latina. Eſcos, id eſt aquila auis, Syluaticus, corrupta forſitan uoce à Græca aetos. Hyperionis auis eſt aquila fœmina, ſimilis aquilæ mari, Kiranides. Καταῤῥάκτης, aquila, Sophocli in Laocoonte: harpyias etiam in Phineo catarrhactas uocat. ſed catarractes uel cataractes propriè & priuatim uocatur non aquila ipſa, ſed aquilæ ſimilis quædam auis rapax, ὄρνεόν τι ἁρπακτὸν, ut Euſtathius in Dionyſium ſcribit: in parecbolis Homericis ſimpliciter genus auis rapacis interpretatur.

¶ Epitheta. Iouis ales, Iouis armiger (Aeneid. 9.) quibus & per antonomaſiã abſolutè pro aquila utuntur. Ferox, Horatius. Fulua, Aeneid. 11. Et apud Textorẽ, Alitũ regina, altiuolans, aſtriuolans, bellatrix, coruſca, flammigera, grata Iouí, nubiuaga, nuncius Iouis, prædatrix, præpes Vergilio. (Vide Feſtum in dictione præpetere. Vergilius etiam præpetes pennas dixit. Nec reſpirandi ſit copia præpete ferro. Ennius de pugna Cæcilij, ingruentibus in eum ueluti imbre, telis.) rapax, regalis, regia, ſublimis, uenatrix. ¶ Ἀετὸς ἀείρων, Iliad. ο. licet autem ἀείρειν interpretari uel à colore nigrum, fuluum, ruffum: uel ab animi feruore, aut ab impetu & uehementia uolandi. Διὸς ἄγγελος ὄρνις, Theocritus Idyl. 17. Μέγας ἀητὸς ἀγκυλοχείλης, Odyſſeæ τ. Ἀγκυλοχείλων interpretantur uel qui. χείλος,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 219 sur 825

χῆλος, id est rostrum aduncum habeat, uel chelas, id est ungues uncos. Cleonem Aristophanes traducens, coriarium & furem illum esse innuens βυρσαίετον ἀγκυλοχείλω cognominauit, quasi aduncas & rapaces manus habentem. Sed de huius uocis etymologia & interpretatione plura leges apud Varinum in elemento A. Βασιλῆϊ θ' ὄρνις ἀιετὸς, Nicander. Accipitrem Homerus ὦκιστον tantum uocat, ἀετὸν uerò κραιπνότατον simul & ὦκιστον. Ὀξὺς, in Epigram. Ὀιωνὸς ταχὺς ἄγγελος, absolutè pro aquila, Iliad. ω. Ἀιετὸς ταναύπτερος, Hesiodus in Theogonijs. Ταναοίπτερος ὄρνις, ibidem de aquila. Τελειότατον πετεηνῶν, Homerus Iliad. θ. ubi Scholia exponunt aquilam auium maximam, uel auspicia perfecta præbentem, ὡλοτελεστικώτατον. Ἀετὸς ὑψιπέτας, Aristoph. in Auibus. Ὑψιπέτης, Iliad. μ. & ν. Ὑψιπετήεις, Iliad. χ. Ὀιωνῶν βασιλεὺς per antonomasiam, Pindarus. Ἰμπνὸς, Apollon. Argon.

¶ Aquilus color est fuscus & subniger, à quo aquila dicta esse uidetur, quãuis eam ab acutè uolando dictam esse uolunt. Aquilus autem color ab aqua est nominatus, qui color incertus est inter album & nigrum, Festus. Aquila quidem germana colore ruffo uel subrutilo describitur, melanæetus autem & anataria seu morphnus nigricant. Aquilius prænomen (cognomẽ) ab aquilo colore, id est nigro est dictum, Idem. Corpore aquilo, Plautus Pœn. Colorem inter aquilum candi dumq; Suetonius in Augusto. Aquilinus, quod ad aquilam pertinet, aut quod aquilæ est simile. An tu inuenire postulas quenquam cocum, Nisi sit miluinis, aut aquilinis ungulis? Plautus, id est rapacibus. Aquilo uentus à uehementissimo uolatu adinstar aquilæ appellatur, Festus. Vt aquilifero moranti cuspide sit comminatus, Tranquillus in Cæsare, sed legendum aquilifer casu recto, ex Plutarcho, Cælius. Vide inferius inter icones.

¶ Legimus in templis etiam uocari ἀετοὺς, id non aliud indicat, quàm tecta, quæ item pteratà uocant, sed & aetómata, sicuti in Agamemnone auctor est Ion, (ex Scholiaste Aristophanis.) Corinthiorum autem fuisse inuentum id cecinit Pindarus, quum in Olympijs ita scribit de Corinthijs, Τὶς θεῶν ναοῖσιν ὀιωνῶν βασιλῆα δίδυμον ἔθηκε; Antè uerò retroq; aetómata concinnari solita, prodidit auctor Didymus, Cælius. Corinthij inuenerũt τὰ ἐπάνω τῶν νεῶν δίπλακα ἀετώματα, Scholiastes in Olympia Pindari Carmine 13. Sed alij uidentur aquilæ effigiem interpretari apud Pindarum, quæ templis imponi solita sit, ut ex hisce Scholiastæ uerbis colligo: Ὁ ἀετὸς ὀιωνῶν βασιλεύς ἐστιν ὁ ὢν τῶν ὀρνέων πτερωτικώτατος. Πτερὰ καὶ πτέρυγας, καὶ ἀετώματα, καὶ ἀετοὺς, id est pinnas & aquilas uocant tecta templorum, Varinus & Suidas. Ἀέτωμα, τὸ εἰς ὕψος ἀνατεταμένον τῆς ὀροφῆς ὥσπερ τρίγωνον, Galenus in Glossis & Suidas. hoc est tectum quod utrinq; in altum tendit figura triangulari, neque enim omnia tecta hac specie constituuntur, apparet autem non modo templorum, sed quarumuis ædium tecta in hanc formam constructa sic dicta fuisse. Solent autẽ ditiores huiusmodi tectis ante ac retro muros triangulari figura per interualla scansilia se colligentes in mucronem, pinnarum extensarum similitudine, adiungere qui ipsi muri uel pinnę murorũ an similiter aeti uel aetómata dici possint, iudicẽt alij. Ἀετὸς uel ἀιετὸς, τὸ ὀρόφωμα τὸ ἰσοσκελὲς τοῦ ὀροφου ὃ πινδὺ ἀέτωμα καλοῦσι, σέγασμά τι τῶν οἰκων ἐμφερὲς τῇ πτήσει τοῦ ἀετοῦ, Suidas & Etymologus. Eustathius simpliciter aetòn & aétoma partẽ templi esse scribit, sic dictam à similitudine alarum aquilæ. Galenus lib. 3. commentariorum in Hippocratem de articulis, Ἀέτωμα οἶκός (inquit) uocat culmen seu supremam domus partem triangulari forma. nam si solarium (ἡλιακτήριον) quispiam facere uelit, loco tegularum aream planam cõstituet. at si tegulas imponat, ea forma tectum erigit, qua facile pluuialis aqua defluere queat. unde in altum mediõ culmine à posteriore in anteriorem partem per longitudinem porrecto hinc & inde supra laterales parietes tectũ humiliter deducitur, ut geminarum demissarum alarum speciẽ præferat. ex qua similitudine ueteres huiusmodi tecto aetomatis nomen indidisse uidentur: quod & ἀετὸν appellarunt cum alij, tum Diocles Carystius hunc locum paraphrastícè reddẽs, Hæc ferè Galenus. Græcus quidem codex admodum deprauatus est. Interpres Latinus uertit lacunar, & testudinatum, quàm rectè uiderit ipse. Ἀετὸν quidem dictum apparet, quòd in tali contignatione tecti, trabes inter se oppositæ, colligatæ uideantur & connexæ. Aquilas templi Tegeatarum Pausanias in Arcadicis dixit. Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας φέψομεν πρὸς ἀετὸν, Aristophanes in Auibus. Ἀετὸς, τὸ ἐφ' ἑκάστῃ κνήμῃ τοῦ τροχοῦ σιδήριον, id est ferramentum iuxta singulos rotæ radios, Pollux, Etymologus, Hesiodus & Varinus. καὶ κυμαντὸν τὸν ἐν τοῖς γέισοις, Hesiodus & Varinus. ¶ Ἀετιδέα, pulli aquilarũ Aeliano, Suidas. ¶ Aristophanes Cleonem traducens tanquam coriarium & pecunias publicas suffurantem βυρσαίετον ἀγκυλοχείλω nominauit. ¶ Ἀέτειον πτερὸν καὶ κρέας, id est aquilinam pennam & carnem Græci dicunt, Suidas. ¶ Ὄρνεον ἀετῶδες, auis aquilæ similis, ut de catarrhacte & harpe auibus apud Grammaticos legimus.

¶ Ἀετὸς ἵππων, equus celerrimus, in epigrammate Archiæ, Anthologij 1. 33. pro equo omnium pernicissimo, quãdo aquila inter aues uelocissima est. Oppianus Iberos equos tantæ celeritatis esse scribit, ut solæ cum eis aquilæ certare possent. Ἀετογενεῖς dicti equi à genitiua quadam nota, quam habent circa armos, à Sarmatis probantur tanquam ad cursus aptissimi: improbantur qui eadẽ circa caudam & clunes habuerint, Absyrtus 115. Conuenit sanè à pernicissima auiũ aquila equos etiam uelocissimos sic appellari, etsi nulla huiusmodi corporis nota foret. ¶ Exaetus dicitur aquila dum nutrit pullitiem à fortitudine sua degenerans, adeò ut fœtus ferarum rapere non queat, ut in C. docuimus. ¶ Est & aquila piscis, ἀετὸς apud Athenæum. Καρχαρόδοντα dicuntur, quorum rotundi & alternatim (uel pectinatim) inuicem inserti dentes sunt, ut leo, canis, pardalis, ἀετὸς & pisces carniuori, Scholia in Aristophanis Equites. ¶ Aetites lapis descriptus est in G.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 220 sur 825

¶ Ἀετὸς, herba quædam in Libya nascens, Varinus & Etymologus. sed ἀφ' ᾧ etiam tanquam herbæ nomen apud Varinum legitur, uoce nimirum corrupta. Galenus lib. 6. de simplicibus medicamentis refert Pamphilum quendam in opere suo de herbis grammatico & magico potius quàm medico, ἀετὸν, id est aquilæ herbæ meminisse, cuius apud neminem Græcorum mentionem se inuenisse scribat, sed tantum in libro quodam qui Hermæ Aegyptio tribuatur de 36. sacris herbis horoscoporum, quas omnes (inquit Galenus) nihil quàm nugas & figmenta esse constat. Hæc fortè fuerit Prometheum dicta herba Apollonio in Argonauticis, quã fingit natam è sanguine Promethei aquila iecur eius depascente, unde & radix sanguinolenta appareat: flore croceo cubitali, (uel cubitum distante à terra,) caule gemino. Scholiastes ait poetam hæc fingere, à nullo enim rhizotomo talem stirpem describi. Nos centaurij maioris tantum radicem succo manare sanguineo apud ueteres legimus, cui tamen reliqua descriptio non conuenit. Ἀετόνυχον, herba, Hesychius & Varin. Dioscorides (aut quisquis nomenclaturas ei adiecit) leontopodium dictam herbam, aetonychon etiam nominari prodit. Aegineta uerò lithospermum aetonychi semen esse ait. Sed lithospermon ea est herba quam uulgò milium solis uocitant, longè à Dioscoridis leontopodio diuersa. Lignũ aquilæ quoddam dictum peregrinum & aromaticum hodie in nostrũ orbem afferri audio. Herba quam Galli ancholiam uocant, nostri aquilegiam, aliqui angelicam, Matthæolus Senensis aquilinam nominat: aliqui amorem perfectum.

¶ Icones. In sceptris regum aquila erat, Scholiastes Aristophanis. ¶ Aquila fuit signum singularum legionum Romanarum: unde aquilifer dicebatur signifer in Romana militia. Aquilam Romanis legionibus C. Marius in secundo consulatu suo propriè dicauit. Erat & antea prima cum quatuor alijs: lupi, minotauri, equi apriq; singulos ordines anteibãt. Paucis ante annis sola in aciem portari cœpta erat, reliqua in castris relinquebantur. Marius in totum ea abdicauit. Ex eo notatum, non ferè legionis unquam hybernasse castra, ubi aquilarum non sit iugum, Plinius. Ex quibus L. Petrosidius aquilifer, quum magna multitudine hostium premeretur, aquilam intra uallum proiecit, Cæsar 5. belli Gall. Quum signa militaria, quum aquilam illam argenteam (cui etiam sacrarium scelerum domi suæ fecerat) scirem esse præmissam, Cic. 2. in Catil. Signa decus belli Parthus Romana tenebat, Romanæq; aquilæ signifer hostis erat, Ouid. 5. Fast. Infestisq; obuia signis Signa, pares aquilæ, Lucan. lib. 1. Vt notæ fulsêre aquilæ, Romanaq; signa, Ibid. Aquilæ duæ, signa sexaginta sunt relata Antonij, Galba ad Cicer. lib. 10. Iupiter egrediens ad bellum contra patrem Saturnum, aquilę uidit augurium: cuius cum uicisset auspicio, fictum est quòd ei pugnanti tela ministrasset: unde etiam à felice augurio natum est, ut aquilæ militum signa comitẽtur, Seruius. Primum signum totius legionis est aquila, quam aquilifer portat, Vegetius de re milit. 2. 13. C. Cæsare, M. Lepido Coss. decimæ legionis Aquilæ Cn. Pompeij filio, quæ fulmina tenebant, uisæ dimittere, & in sublime auolare: ipse adulescens Pompeius uictus, & fugiens occisus, Iul. Obsequens. Traditur primam aquilam, quæ in exercitu Crassi ferebatur, sua sponte cogente nemine, esse conuersam, aduersus Parthos proficiscentis, Plutarchus in uita Crassi. Ἀετοφόρῳ λευκώνῳ, libro 8. Sibyllinorum. Aquila etiamnum signum est imperij Romani, cui bina capita affinxerunt postquam imperium in Orientale & Occidentale diuidi cœpit. sed pictores dum elegantius quàm uerius reprę sentare aquilam student, iconẽ eius paulatim omnino corruperunt. Ὡς ἔφην θ', ὥς χρυσὸς, ὥ ἐκλδικῶ ἐλέφαντ θ' Ἀετῶ ἀνοχόῳ κεφαλὰ δι' ἀπαΐδα φορβίνης, Theocritus Idyl. 15. De aquilis aureis in tẽplo Delphico, leges infra in h. Aquila aurea in porta templi Hierosolymitani ab Herode consecrata, à Iudæis aliquibus postea deiecta est: quorum aliqui comprehensi iussu Herodis uiui combusti sunt, ut tradit Iosephus Antiquitatum Iud. lib. 17. cap. 8. De aquila super tumulo Aristomenis, uide in h. mox post prouerbia. In carcerum Olympici certaminis embolo, id est rostro, delphis æreus in canone erectus uisitur, & in medio ara quæ aquilam ex ære alis longè extensis sustinet. Est autem machina huiusmodi, ut ea commota delphinus in terrã cadat, aquila uerò sursum prosiliat, Idem Eliacorum 2. Leocras (lego Leochares, ex Tatiano) statuarius aquilam fecit, sentientẽ quid rapiat in Ganymede, & cui ferat, parcentem unguibus etiã per uestem, Plinius 34. 8. Diuus Augustus in Curia quam in comitio consecrabat, duas tabulas (pictas) impressit parieti: quarum alterius admiratio est, puberem filium seni patri simílem esse, salua ætatis differentia, superuolante aquila draconem complexa, Idem. Memini cum Romæ ætatem tererẽ, ad Palatij radices ponè Anastasiæ templum, sacellum effossum fuisse, quod tum plerique Consi putarunt, propter frequentes conchas marinas ibi repertas, ubi & effigies albæ aquilæ cum crista rubra in sacelli fornice seu testudine, quod tum plerique consilij symbolum interpretabantur, Lil. Greg. Gyraldus. Apis Aegyptiorum in tergore effigiem aquilæ habet, Herodotus. Vt hominem significent Aegyptij qui tutò urbem habitat, aquilam pingunt quæ lapidem gestet, hæc enim è mari uel terra sublatũ lapidem in suum infert nidum quò tutior sit ac firmior, Orus 2. 50. Regem qui solitudine gaudeat, quiq; errata non condonet si uelint significare, aquilam pingunt, hæc enim desertis in locis nidum sibi construit, sublimiusq; cæteris uolucribus uolat, Idem 2. 57. Cum suis sacris literis Aegyptij uictoriam pingerent, aquilam formabant, quoniam ea auis cæteras aues superare solet, Lil. Greg. Gyraldus. Aquilæ pullus masculum & orbiculatum (ἀῤῥωγόνον καὶ κυκλωσιδῆ) quippiam, uel semen hominis connotat, Orus 2. 3. Emblemata quædã Alciati de aquila, infra in h. referam. ¶ Est & aquila sydus, de qua Higinus:

Hæc

Hæc eſt (inquit) quæ dicitur Ganymedem rapuiſſe, & amanti Ioui tradidiſſe. hanc etiã Iupiter primus ex auium genere delegiſſe ſibi exiſtimatur: quæ ſola tradita eſt memoriæ, cõtra Solis exorientis radios contendere ualere. itaq; ſuper aquarium uolare uidetur. Hunc enim complures Ganymedem eſſe finxerunt. Nonnulli etiam dixerunt Meropem quendam fuiſſe, qui Coon inſulam tenuerit regno, & à filiæ nomine Coon, & homines ipſos à ſe Meropas appellârit. hunc autem habuiſſe uxorem nomine Ethemeam, genere Nympharum procreatam: quæ cum deſierit colere Dianam, ab ea ſagittis figi cœpit, tandemq; à Proſerpina uiua ad inferos arrepta eſt: Meropem autem deſiderio uxoris permotum, mortem ſibi conſciſcere uoluiſſe: Iunonem autem miſertam eius, in aquilam corpus eius conuertiſſe, & inter ſidera cõſtituiſſe: ne ſi hominis effigie eum collocaret, nihilominus memoriam tenens coniugis deſiderio moueretur. Aglaoſthenes autem qui Naxica ſcripſit, ait Iouem Cretæ ſurreptum, Naxum delatum, & ibi eſſe nutritum: qui poſtquam peruenerit ad uirilem ætatem, & uoluerit bello laceſſere Titanas, ſacrificanti ei aquilam auſpicatam: quo auſpicio uſum eſſe, & eam inter aſtra collocaſſe. Nonnulli etiam dixerunt Mercurium, alij autem Anapladem pulchritudine Veneris inductum in amorem incidiſſe: & cum ei copia nõ fieret, animum ut contumelia accepta defeciſſe: Iouem autem miſertum eius, cum Venus in Acheloo flumine corpus ablueret, miſiſſe aquilam, qui ſoccum eius in Amythaoniam Aegyptiorum delatum Mercurio traderet: quem perſequens Venus ad cupientem ſui peruenit: qui copia facta, pro beneficio aquilã in mundo collocauit, Hæc omnia Higinus. Aquila occidit 13. kalend. Auguſti, Plinius. Exorto Leone occidit, exoritur autem cum Capricorno, &c. Vide aſtronomos: ut Higinum de ſagitta qua Hercules aquilam interfecit. Griphus eſt apud Athenæum, quæ nam eadem in cœlo, terra, & mari habeantur: ad quem reſpondetur, Vrſus, ſerpens, aquila, & canis. addo & leporem. ¶ De ſpecio tricipiti, capitibus aquilæ, leonis & bubonis, quod Marcomiro Troianorum circa Mæotin regi apparuit, ex Munſtero hiſtoriam ſcripſi in Bubone a.

¶ Propria. Aegyptus dicta eſt olim Aëria, & Aëtia (Ἀετία) ab Aëto quodam Indo, Euſtathius in Dionyſium. Aquila urbs Brutiorum ex ruinis Furconij antiquiſſimi oppidi à Longobardis ædificata, ut ſcribit Volaterranus. Aquileia urbs Carnorum metropolis, à legendis aquis dicta exiſtimatur. Aëtos fluuij nomen eſt in Scythia, aliqui Nilum etiam olim Aquilam dictum uolunt, Vide in h. in fabula Promethei. ¶ Aquilam Iudæum Ponticum & Priſcillam uxorem eius inuenit Corinthi, Actor. 18. Pontij Aquilæ tribuni meminit Suetonius in C. Iulij Cæſaris uita. Aquilius prænomen (cognomen) ab aquilo colore, id eſt nigro, eſt dictum, Feſtus. Huic ſimile eſt apud Græcos Aetius. Εὐρυμέδων, ὁ Ποσειδῶν, ἢ Ποσειδῶν, ἢ ἀετὸς, καὶ Ἑρμῆς, Heſychius & Varinus. Eurymedon quidem fluuius eſt Pamphyliæ. fuit & hoc nomine auriga Eurycreontis regis, & Neſtoris miniſter, ut Varinus ſcribere uidetur: item Fauni filius apud Statium in Thebaide. Aiax Telamoni natus primum Aëtos dictus eſt, propter auſpicium aquilæ præteruolantis cum Hercules in Telamonis gratiam ſacrificaret eo nomine ut filius ei naſceretur, ut copioſius ſcripſi in Leone h. in leonis Nemeæi mentione. Pyrrhus rex aquila appellari gaudebat, Plutarchus. Ab rerum geſtarum excellentia præſigni Pyrrhum eſſe aquilam cognominatum, id eſt aëtòn, prodit hiſtoria, Cælius. Πύῤῥῳ τῶν στρατιωτῶν ἀετὸν αὐτὸν προσαγορεύοντων, Τί γὰρ (εἶπεν) ὁ μέλλω τοῖς ἡμετέροις (niſi ὑμετέροις per v. legendum eſt) ὅπλοις ὥσπερ ὠκυπτέροις αἰρόμενος, Plutarchus in Apoph. Aetius uiri nomen, hæretici ex Antiochia Syriæ, de quo multa Suidas: item ſcriptoris rei medicæ. Huic Latinè reſpondet Aquilius. Magi hominum ad animalia bruta affinitatem inſinuantes, brutorum etiam nominibus eos appellant: ut leones, iiſdem ſacris initiatos, mulieres hyænas, miniſtros coruos, patres aquilas & accipitres, Porphyrius in libro de abſtinendo ab animatis.

¶ b. Quòd ſi omni tẽpore ſimiles miluijs ſint ſtymphalides atq; aquilis, aues mihi uidẽtur Arabicæ, Pauſanias in Arcadicis. Diuus Ioannes in Apocalypſi ſcribit ſe uidiſſe quatuor animalia plena oculis ante & retro, quorum quartum ſimile fuerit aquilæ uolanti, &c. Vide in Leone H.a. Similem uiſionem legimus in prophetia Ezechielis cap. 1. Inter beſtias quatuor à Daniele uiſas, (ut legimus cap. 4. hiſtoriæ eius) prima erat ſicut leo, erãtq; ei alæ ſicut aquilæ. Aquilæ inter aues aſpectu ſunt maſculo, ἀῤῥῳωποί, perdix fœmineo, Adamantius. Cteſias ſcribit gryphes aquilino ore eſſe, Aelianus.

¶ c. Ὀρ (Eteoclẽ) ἐφ' ἁμετέρα γᾶ Πολυνείκης Ἀρθεὶς νεικέων ὀξέα κλάζων ἀετὸς εἰς γᾶν Ὡς ὑποδρέπτα, λυκᾶς χιόνι πτέρυγι σεγανός, Sophocles in Antigone. Ὡς ἄρα νᾶσος ἔειπεν, ὁ δ' ὑψόθε ἐκλαγξεν φωνᾷ Ἐς τρὶς ὑπὲρ νεφέων Διὸς αἴσιος ἀετὸς ὄρνις, Theocritus Idyllio 17. Reperitur etiam de homine κλάζειν. Ὀξέα κεκληγώς, Homerus de Therſite. ¶ Vt in cane uulturina ſagacitas, ſic acies aquilina in uenatore requiritur, Budæus. Aquila de rupibus diſpicit eſcam, & è longinquo proſpiciunt oculi eius, Iob 39. Sic fatus Menelaus abiuit, Πάντοσε παπτάνων, ὥς τ' ἀετὸς, ὅν ῥά τε φασὶν Ὀξύτατον δὴ πάντων ὑποδρανέων πετεηνῶν· Ὅν τε οἱ ὑψόθι ἐόντα πόδας ταχὺς οὐκ ἔλαθε πτώξ Θάμνῳ ὑπ' ἀμφιλόμῳ κατακείμενον· ἀλλά τ' ἐπ' αὐτῷ Ἔσσυτο· καί τε μιν ῥηϊδίως ἀνέλοιτο θυμόν, Iliad. ρ. Homerus cernẽdi agendiq; celeritatem aliàs accipitri palumbario comparat: aliàs aquilę, Ὅν τε καὶ ὑψόθι ἐόντα πόδας ταχὺς οὐκ ἔλαθε πτώξ. indicat enim aciem uiſus, quòd è ſublimi cernat: pernicitatem uerò quoniam uelociſsimum animal capiat, Varinus in Πραξιδόλη. Κέλησιν (equis Iberis uelociſsimis) τάχα μὲν θ' ἁνωτίου ἰσοφαρίζοι Ἀετὸς ἀθρήσειεν ὠκυάλοισιν γυάλοισιν, Oppianus. Excitabit Dominus contra te gentem è longinquo,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 222 sur 825

quæ ut aquila aduolabit, Deuteron. 28. Aquilis uelociores, leonibus fortiores Saul & Ionathas, 2. Regum 1. Velociores aquilis equi illius, Hieremias 4. Sicut aquila uolabit (hostis,) & expandet alas suas super Moab, Idem 48. Aquilis cœli uelociores sunt persecutores nostri, super montes persecuti sunt, in deserto insidiati sunt nobis, Idem in Threnis 4. Venient equites eius è longinquo, & aduolabunt ut aquila festinans ad uorandum, Abacuc 1. Diuitiæ faciunt sibi alas, & ueluti aquila subuolant in cœlum, Prouerb. 23. Tria sunt mirabilia apud me, imò quatuor quæ non cognoui: Via aquilæ (pro quauis aue hoc loco, Munsterus) in cœlo, &c. Prouer. 30. Dies mei transierunt instar aquilæ quæ uolat ad escam, Iob 9. Aquila in petris manet, in saxis præruptis atque inaccessis rupibus commoratur, Iob 39. Aquila nunquid ad tuum præceptum eleuabitur, & in arduis ponet nidum suum? Ibidem. Si eleuaueris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus, Hieremias 49. & Abdias similiter. Sustinentes Domino mutabunt uires; renascentur (eis) pennæ in modum aquilarum, Esaias 40. Lais meretrix uidetur mihi ταυτὰ πεπονθέναι τοῖς ἀετοῖς. ὅτοι γὰρ ὅταν ὦσι νέοι ἐκ τῶν ὀρέων πρόβατ' ἐδίοισι κἀλαγῶς, Μετέωρ' ἀναρπάζοντες ἀπὸ ῥηϊδίως, ὁπόταν δὲ γηράσκωσιν, ἤδη τότε ἐπὶ τοῖν νεοῖς ἵζουσι πεινάοντες κακῶς, Κἄπειτα τότ' ἤδη νομίζεται τάφας. Sic & Lais nunc (inquit) otiosa est & bibula, nihil aliud quærens quàm ut in diem cibo ac potu saturetur, Epicrates apud Athenæum. Aquilam adhuc iuuenem in ouilia Demisit hostem uiuidus impetus. Nunc in reluctanteis dracones Egit amor dapis atq; pugnæ, Horatius in Odis 4. 4. Oculum qui subsannat patrem, & cõtemnit doctrinam matris, corui eruent, & pulli aquilæ deuorabunt, Prouer. 30. Qualis ubi aut leporem, aut candẽti corpore cygnum Sustulit alta petens pedibus Iouis armiger uncis, Vergilius nono Aeneid. imitatus illud Homeri, Ὥρμησεν δ' ἀλέϊ ὣς τ' ἀετὸς ὑψιπετήεις, Ὅς τ' ἐισὶν ποδώκεστ' ὀρέων πτερόεντα κάτοικος, Ἀρπάζων ἢ ἀφὴν ἀμαλὸν, ἢ πῶϊον ἀγρῶν, ut Seruius obseruauit. Ὡς ὅτε γὺψ ἥρπαξ ἀποτάλλομένην ἢ οἶν, Homerus alicubi de aquila. Testudines terrestres fœminæ in coitu supinæ iacent: quo peracto cum se conuertere nequeant, præda tum alijs animalibus tum aquilæ relinquuntur, Aelianus. ¶ Est in iuuencis, est in equis patrum Virtus: nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam, Horatius in Odis 4. 4. ¶ Massurius apud Plinium immussulum auem dicit esse pullum aquilæ priusquam albicet cauda: Vide infra in Capite de aquilis diuersis.

¶ d. Portaui uos super alas aquilarum, Exodi 19. ubi Munsterus in Scholijs, Portaui uos quasi in humeris, sicut aquila pullos suos portat in alis præter morem aliarum auiũ, quæ pullos pedibus, quo uolunt, portant. Est etiam aquilæ natura (inquit Paulus Fagius) ut sensim pullos suos ad uolandum excitare & prouocare soleat. Sic Deus populum suum excitauit, quando ex Aegypto eduxit. R. Salomon hunc locum explicans, Omnes cæteræ aues (inquit) pullos suos ponunt inter pedes suos, eò quòd timeant sibi ab auibus quæ altius uolitant, aquila uerò non timet sibi, cũ una omnium altissimè uolet, quia uerò ab homine timet, ne forte iaculo impetatur, pullos super alis gestat: quasi malit seipsam iaculo perire quàm pullos suos. ¶ Puerum auium studiosissimum, Philarchus memoriæ prodidit, aquilæ pullum quem dono accepisset, uario & multiplici cibo aluisse, & studiose diligenterq; curasse, (& ægrotantem aliquando curasse, Io. Tzetzes 3. 134.) Nam cum ipsum non tam quam rem ludicram alebat, sed tanquam uel amores suos & delicias, uel natu minorem germanum fratrem, sic sanè is aquilam magna cum cura & diligentia tuebatur. Cum autem progressu ætatis in mutuam inter se amicitiam uehementer exarsissent, atq; accidisset ex morbo ut puer laboraret, tum ei aquila assiduitate officij assidebat. Cum enim is quietem caperet, ipsa quoq; quieti se dabat: cum uigilaret, eadem assistebat: cum non ederet, ipsa pariter cibum non admittebat. Postea uero quàm è uita excessisset, atq; efferretur ad monumentũ sepulchri, eum prosecuta est: postq; ubi cremaretur, in medios rogos se immisit, Aelianus. Sed carmina tantum Nostra ualent Lycida tela inter Martia, quantum Chaonias dicunt aquila ueniente columbas, Vergilius Aegl. 9. Tam dispar aquilæ columba non est, Nec dorcas rigido fugax leoni, Martialis. Ἀλλ' ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἀετὸς ἄλφα Εἶναι ἐφορμᾶται πυκαμὶν παρὰ βοσκομένῃσιν Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δ' ὀλιχοδειράων, Homerus Iliad. ω. Ὡς δ' ἀετὸς ὑψιπετήεις, Ὅς τ' ἐισὶν ποδώκεστ' ὀρέων πτερόεντα κάτοικος, Ἀρπάζων ἢ ἀφὴν ἀμαλὸν, ἢ πῶϊον ἀγρῶν: Ὡς Ἕκτωρ ὀίμησε, Iliad. χ. Τῷ μὲν (draconi) ἑκπάγλου κοτέων Βασιλῆϊ ὄρνις Αἰετὸς ἐκ πλαγχῆς (aliâs δ' ἄλθρης) ἐπάϊξεν, &c. draco enim auium omnium nidos inuadit, & si aquila recens agnum aut leporem rapuerit, is illi è fruteto aliquo prosiliens abripit, Nicander.

¶ e. Proditur memoriæ, Pythagoram, quum superuolantem susurraminibus magicis excantasset aquilam, ita deduxisse, ut mitem redderet ac prorsus cicurem. Propterea Ammianus: Pythagoras (inquit) femur suum apud Olympiam aureum ostentabat, & cum aquila colloquens subinde uisebatur, Cælius. Apollonidæ epigramma extat lib. 1. epigrammatum Græcorum titulo εἰς ὄρνις, in aquilam quæ in Rhodum uenerit, ubi alioqui aquilæ insunt, quum Nero Imperator illic ageret, eiq; ultro mãsuetam se præbuerit. ¶ Πληγὴν ἀτράκτῳ πτερικῷ φέρω ἀετοῦ, Aeschylus: hoc est, aquilam sagitta ictam. ¶ Aëtites lapis suspensus in sinistro brachio conciliat amorem, & diuitias auget ubi fertur, Euax & Albertus. Quæcunq; facit aquila (in remedijs & amuletis) hæc & uultur, Kiranid. Idem superstitiosas quasdam & uanas facultates aëtitæ lapidi si cum alijs quibusdam gestetur, attribuit, indignas adscribi. iubet quidem in eo sculpi aquilam, &c. Et rursus, In hyænio lapide sculpe aquilam dilaniantem piscem, &c. locus est corruptus.

¶ Ad gratiam & fortunam. Dexter oculus aquilæ in panno mundo ligatus, & in sinistra manu retentus,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 223 sur 825

retentus, in collocutionibus magnam gratiam & amicitiam præstabit. Sinister autem oculus in corio ceruino appensus nunquam sinit ophthalmiam pati gestantem, Kiranides. Supra oculos aquilæ in supercilijs inueniuntur duo lapides, unus in unoquoq; supercilio: qui ligati in pelle lupi aut phocæ aut hyænæ, aut aquilæ, ad collum gestantem conseruant ab omni iniuria, & contra noxas ferarum, & dæmonum hominumq; insidias arcent, & omne bonum conciliant, Idem. Si quis cubitum se conferens os uel rostrum aquilæ ad caput ponat, uidebit in somnis quod uoluerit, Idem. Cor aquilæ impositum uino cum melle & aromatibus, & ita smyrnizatum per dies septem, deinde in corio lupino gestatum, omne malum, morbos & feras amolitur: ita ut gestans semper prosper, beatus ac diues futurus sit, Kiranides. Ad amorem: Aquilæ renunculi & testiculi sicci infusi & sub perspersi condito, in potu uel cibo dati, siue uiro siue mulieri, concupiscentiam & amorẽ magnum excitant, Idem. De aquila dextræ alæ penna retenta, diuitem & amabilem facit gerentem, Idem. Vngues aquilæ à pueris & à perfectis gestatæ, ab omni malo ac phantasmate iniquo, & ab omni nocumento liberant gestantem, Kiranides. ¶ Elleborum nigrum effossuros circumscribere iubent, spectando exortum precandoq; (ut id liceat sibi concedentibus dijs facere, Plinius) cauereq; aquilam tam à dextra quàm à sinistra, periculum enim secantibus imminere aiunt: & si aquila prope adolauerit, moriturum illo anno qui succidit, augurium esse, Theophrast. de hist. 9. 9.

¶ g. Nerui de collo & dorso aquilæ ad collum & spondylos ligati, dextri ad dextrum, & sinistri ad sinistrum latus, chiragricis prosunt. Similiter & nerui pedum, podagram pedum, & genuum dolores sanant, Kiranides. Aquilæ lingua appensa in panno lineo, arthriticos, cionidas, & tussientes magnificè sanat, Idem. Sinistræ alæ pennam si quis tenuerit, & in oleo tinxerit, & à loco tenente usq; ad sacram spinam (os sacrum) mulierem in partu laborantem unxerit, illico pariet, Idem.

¶ h. Historiæ & fabulæ. Aristomenem quomodo aquila sustinuerit, & uulpecula è Ceada liberârit, ex Pausania narraui in Vulpe h. ab initio ferè. ¶ Ptolemæum Sotêrem Arsinoæ filium, ferunt Macedones expositum & ab aquila nutritum esse, quæ sublimis supra infantem alis extensis & æstum Solis nimium & pluuiam auerterit, & aues gregales depulerit, & laniatarum coturnicum sanguine tanquam lacte ipsum aluerit, Suidas in Lago. Ganymedes Troïs filius fuit, iuuenis speciosissimus, quem aquila (ut fabulantur) dum uenaretur in Ida monte Troadis, rapuit, mensæq; Iouis ad præministranda eidem pocula adhibuit, contempta Hebe Iunonis filia (quæ prima causa fuit inuidiæ Iunonis erga Troianos) postea in Zodiaco positus. Xenophon in Symposio non ob formã corporis, sed ob præstans ingenium à Ioue raptum esse ait. Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores, Vergilius primo Aeneid. Raptus alite sacrã Miscet amatori pocula grata suo, Author Priapei carminis. Nam Ioui ad pocula stare finxerunt. Non enim ambrosia deos aut nectare, aut Iuuentute pocula ministrante lætari arbitror: nec Homerum audio, qui Ganymedem à dijs raptum ait, propter formam, ut Ioui pocula administraret, nõ iusta causa, quur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad deos transferebat: diuina mallem ad nos. Aquilam quæ rapuit Ganymedem, quem aquarium in Zodiaco aliqui esse finxerũt, inter sydera collocatam nugantur, ut supra inter icones retuli ex Higino. Leocras (Leochares, ex Tatiano) statuarius aquilam fecit, sentientem quid rapiat in Ganymede, & cui ferat, parcẽtem unguibus, etiam per uestem, Plinius. Aetherias aquila puerum portante per auras Illæsum timidis unguibus hæsit onus, &c. Martialis. Alciati emblema sub lemmate Deus, siue Religio, In Deo lætandum:

Aspice ut egregius puerum Iouis alite pictor — Fecerit Iliacum summa per astra uehi.
Quis ne Iouem tacitum puerili credat amore? — Dic, hæc Mæonius finxerit unde senex?
Consilium, mens atq; Dei cui gaudia præstant, — Creditur is summo raptus adesse Ioui.

¶ Cum Prometheus post factos à se homines Solis ignem furatus esset, irati dij febres & morbos immiserunt terris: & ipsum Prometheum in mõte Caucaso per Mercurium religauerũt ad saxum, adhibita aquila quæ eius cor exederet. Hæc autem omnia non sine ratione finguntur. Nam Prometheus uir prudentissimus & à prouidentia sic dictus, primus astrologiam Assyrijs indicauit: quam residens in monte altissimo Caucaso, nimia cura & solicitudine deprehenderat. Dicitur autẽ aquila cor eius exedere, quòd ἔχ@ est solicitudo, qua ille affectus syderum omnes deprehenderat motus, &c. Seruius enarrans illud Vergilij sextæ Aeglogæ, Caucaseasq; refert uolucres furtumq; Promethei. Iupiter (ut canit in Theogonia Hesiodus) Prometheum ligauit, & aquilam ei immisit quę hepar eius immortale exederet, cuius tantundem noctu reparabatur, quantum interdiu aquila consumpsisset, hanc deinde Hercules interemit. Higinus in sagitta sydere sic scribit: Hanc unam de Herculis telis esse demonstrant, qua aquilam dicitur interfeciſſe, quæ Promethei iocinora dicitur exediſſe. Et paulò post, Iupiter Prometheo uincto aquilam admisit, quæ assidue noctu renascentia iocinora exesset. Hanc autem aquilam nonnulli ex Typhone & Echidna natã, alij ex Terra & Tartaro, complures Vulcani factam manibus demonstrant, animamq; ei ab Ioue traditam dicunt, &c. Agroetas tertio & decimo rerum Scythicarum scribit, aquilam Promethei iecur depasci solitam, inde uideri receptum uulgò, quòd is perfœcunda potiretur regione, sed quam tamẽ fluuius Aetos, id est aquila, maximè infestaret. Scimus autem hepatis aut uberis appellatione fertilitatem plerunq; significari. Quum illuc accessisset Hercules re perspecta, fluminis impetum & copiam alueorum crebritate exinaniſſe, atq; inde iudicatum, aquilam peremisse, & à uinculis soluisse mox Prome-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 224 sur 825

theum, Cælius. Et paulò post, Herodotus adijcit Prometheum Scytharum regem fuisse: quumq; eius imperio obnoxia regio summa necessariorum laboraret inopia, nec succurri ab rege posset, quòd Aquila fluuius excrescens nimio plus agros dilueret, ibi coortos homines in uincula Prometheum coniecisse. Herculem uerò illum liberasse, & fluuium corriuasse in mare. Ad Nilum qui diceretur Aquila, rem deducit Siculus Diodorus. Aquilas quicunque Caucasum habitat, inimicas habet, propterea illarum nidos, ubicunq; enatę fuerint, igniferis sagittis incendunt, laqueos insuper ad eas capiendas tendunt, Prometheum ulcisci dicitantes, eò usq; fabulis fidem adhibuêre, Philostratus lib. 2. in uita Apollonij, ubi plura etiam de Prometheo eiusq; uinculis scribit. Vide Apollonium in Argonauticis lib. 2. & eius Scholiasten Græcum ad numerum 56. Alciati Emblema inscriptum, Quæ supra nos, nihil ad nos:

Caucasia æternum pendens in rupe Prometheus
Et nollet fecisse hominem: figulosq; perosus
Roduntur uarijs prudentum pectora curis,
Dirípitur sacri præpetis ungue iecur:
Accensam rapto damnat ab igne facem.
Qui cœli affectant scire, deûmq; uices.

Fulgentius in Mythologico (ut Gyraldus recitat) non ab aquila Promethei iecur corrodi, sed à uulture tradit, idq; perbelle interpretatus est, cui & Petronius Arbiter in his hendecasyllabis congruit:

Cui uultur iecur ultimum pererrat,
Et pectus rabit, intimasq; fibras,

Non est, quem tepidi uocant poetæ,
Sed cordis mala, liuor atq; luxus. Vide Macrobiũ 1. 10. De Prometheo herba nata è sanguine Promethei aquila eius iecur depascente, unde & radix sanguinea sit, supra in a. scriptum est. ¶ Senescentibus aquilis rostrum superius accrescit, incuruatumq; subinde magis magisq;, cui rei data est fabula, ut hoc ita accidat aquilæ, quoniam cum olim homo esset, hospiti iniuriam intulerit, Aristot. ¶ Fertur aquilam aliquando sagitta ictam, cum pennam sagittæ adaptatam uidisset, dixisse, Τάδ' ἐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεθα. ita hic etiam Euelpis inquit, Ἐνχ ὑπ' ἄλλων πάσχομεν τοῦτ', ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν γνώμῃ. Aeschylus hanc parœmiam Libysticam uocat. ¶ Apud Aristophanem Comicum in Auibus homines quidam interrogant ab auibus, quomodo uiuere cum eis queant implumes ipsi & uolandi nescij. Epops auis respondet commodè id fieri posse, Pisthetærus uerò dubitat: quoniam & apud Aesopum fabula feratur de uulpe, quòd infeliciter aliquando commercium cum aquila habuerit. Scholiastes monet hanc fabulam apud Archilochum esse Aesopo antiquiorem. ¶ Scarabeus contra aquilam, Vide infra inter prouerbia. ¶ Καὶ δύμες Ἀμφίονα Κατωθαλώσω πυρφόροισιν ἀετοῖς, Aristoph. in Auibus. ¶ Vaticiniũ Esdræ de aquila gerente typum ecclesiæ Romanæ, doctissimus uir Theodorus Bibliander præceptor noster exposuit, libro typis publicato.

¶ Aquila Ioui sacra. Armigerum Iouis pro aquila dixit Vergilius 9. Aeneid. & Ouidius Metam. 13. Negant unquam solam hanc alitem fulmine exanimatam, ideo armigeram Iouis consuetudo iudicauit, Plinius. Aliqui eò quòd altissimè uolet, à poetis armigeram Iouis fingi aiunt, & alitum reginam dici. Regia ales pro aquila Ioui sacra, Ouidius 4. Metam. Tutelæ Iouis deputata dicitur, quia prosperum auspiciũ eius aduersum Titanas pugnaturus accepit, Acron in Horatium. Aquilam fingunt in bello Giganteo Ioui arma ministrasse. Quoniã Iupiter & Saturnus reges fuerunt. sed dum Iupiter cum patre Saturno haberet de agris cõtentionem, ortum bellum est: ad quod egrediens Iupiter aquilę uidit augurium: cuius quum uicisset auspicio, fictum est quòd ei pugnanti tela ministrasset: unde etiam à felice augurio natum est, ut aquilæ militum signa comitẽtur, Seruius in nonum Aeneid. Et alibi, Aquila (inquit) in tutela Iouis est, quia dicitur dimicanti ei contra gigantes fulmina ministrasse: quod ideo fingitur quia per naturam nimij est caloris adeò ut & oua, quibus superſedet, possit coquere, nisi admoueat gagatem lapidem frigidissimum. Auium præstantissimæ sunt aquilæ, quæ Iouis etiam sceptris proximè fulmina insidere creduntur, Oppianus in Ixeuticis. Ὁ Ζεὺς γὰρ ἀιετὸν ἔσκε ὄρνιν ἔχων ὑπὸ φλιφαλῆς, Aristophanes in Auibus: ubi Scholiastes, Debuit dicere in sceptro, ut etiam Pindarus: Εὐθέα γ' ὑποσκήπτῳ Διός, aut dixit in capite, quoniam solebant aues unicuiq; deo sacras in capite imagines cuiusque collocare. Iouis imago continebat læua sceptrum: dextra uerò nunc aquilam protendere uidebatur, nunc Victoriam. Et quidem aquilam, quòd Iupiter ita superioribus & cœlestibus imperet, ut aquila cæteris auibus: Victoriam uerò, quoniam omnia ei subiecta atq; deuicta sint, Lilius Greg. Gyraldus. Iupiter aquilã delegit, Ζεὺς ἀετὸν εἵλετο: prouerbium usitatum ubi quis ascisçit sibi præclaros, suisq; rebus accommodos, Erasmus. Aquila Ioui sacra est, & Græcis à uerbo ἄω quod est spiro uidetur ἀετὸς dici, à quo uerbo etiam ἀὴρ, id est aër (quem Iouis nomine allegoricè innuunt) deriuetur. Huic igitur cõsecratur tanquam & nomine affinis, & tanquam deo perfecto auis perfecta, & cœlesti altiuolans, Eustathius in primũ Iliados. Fabula est, quòd cum Rhea parturiret Iouem, aquila apparuerit, (uel etiam eodem die nata sit, ut habet Scholiastes Homeri Iliad. 9. & in pugna aduersus gigantes præteruolârit, Idem,) ideoq; Iouem hanc alitem sibi delegisse in auium distributione cum res inter se diuiderent Titanes, Κατὰ τὴν ἀπόκληρωσιν τῶν πτηνῶν, Idem in octauum Iliados. Aquila Ioui gratissima auis esse fertur, siue tanquam rex regi, siue quia secũdum fabulam eodem die nata est quo Iupiter, uel quoniam ei regnum occupaturo, felicis faustiq; euentus augurium præbuit, uel quia natum Iouem in cœlum deportauit. Fabulantur aliqui Meropem Coum, cum uxorem mortuam deflere non desineret, & in luctu hospitio Rheam suscepisset, in aquilam mutatum semper adesse Ioui. Aelianus uerò latronem quendam fu-

dam fuiſſe ſcribit, qui deinde in aquilam mutatus, uncis unguibus uideatur, & in ſenecta roſtro eius nimia aduncitate reddito inutili, hanc pœnam (famem ſcilicet in ſenectute) uitæ dum homo eſſet nimium belluinæ luat, & inſuper odium ſcarabeorum. Cæterum Byzantia Mœro poëtria ſcribit, ut refert Athenæus in libro XI. de poculis, quòd Iupiter in Creta nutritus ſit, Νέκταρ δ' ἐκ πέτρης μέλιτος ἀειρὸς ἀφρὸν ἀφύσσων ταμφιλήϊς, φορέεσκε πετῶν (forte ποτὸν) Διὶ μητίοντι. Τῷ καὶ νικήσας πατρὸς Κρόνον οὐρανοπατὴς Ζεὺς ἀθάνατον ποίησε καὶ ἔραζε ἐκάτηβόλος. Vocat autē Hecuba aquilam Ioui chariſsimum οἰωνῶν, id eſt auium uel ſimpliciter, uel illarum potius ex quibus auſpicia ſumūtur, Hæc omnia Euſtathius in Iliad. ω. Iupiter aquilæ imperat, & tanquam miniſtro utitur erga homines quibus aliquid ſignificare uoluerit, Scholiaſtes Homeri. Aues hominibus deorum ſententiam nunciant, aquila Iouis, ciconia Iunonis, &c. Porphyrius lib. 3. de abſtinēdo ab animatis. Ἐκ Διὸς ἀιγιόχοιο τιμὰν ἔχει ἀιετὸς ὄρνις, Theocritus Idyl. 33. Ὡς ἅρπα νᾶσσαν ἔσπεν, ὁ δ' ὑψόθεν ἐκλάγξεν φωνᾷ· Ἐς τρὶς τόσσα νεφέων Διὸς ἄσπετος ἀετὸς ὄρνις, Theocritus Idyl. 17. Vna tantum ex aquilarum genere, quæ Iouis appellatur, carnes non attingit, ſed ad uictum ei herba ſatis eſt, Aelianus.

¶ Aquilæ ſublimes uolant, ut perquam maximè procul aſpiciant. quapropter homines ſolam auium omnium aquilam eſſe diuinam perhibent, Ariſtoteles. Aquilam Thebani colunt, Strabo lib. 17. Thebæ aquilam honorant, tum quia regia uidetur auis, tum Ioue digna, Diodorus Siculus lib. 2. de fabuloſis antiquorum geſtis.

¶ Quòd ſi animantium cruore afficiuntur ſuperi, cur non mactatis illis uulturios, aquilas, &c? Arnobius lib. 7. contra gentes. Si hecatombe imperatorio ſacrificio fiat, non centum pecora, ſed centum leones, centum aquilæ, & cætera huiuſmodi animalia centena feriuntur, Iul. Capitolinus.

¶ Cum Lacedæmonij peſte uexarentur, acceperunt oraculum deſituram illam ſi quotannis uirginem nobilem immolarent. Et cum ſors aliquando in Helenam incidiſſet, & ea pro more ornata ad ſacrificium produceretur, aquila repente deuolans abreptum enſem ad armenta detulit & in iuuencam demiſit, quare Lacedæmonij deinceps à uirginibus mactandis abſtinuerunt. Hiſtoriam refert Plutarchus in Parallelis minoribus: & mox alteram ſubiungit de Valeria Luperca apud Valerios ſimiliter ſeruata, hoc eſt enſe per aquilam rapto & in iuuencā demiſſo. Eſt autem locus is mutilus, & idem apud Varinum quoq; Lexici ſcriptorem in Neoptolemo corruptus: uterq; collatione alterius emendari poteſt. Tranſcripſit ex Plutarcho etiam Cælius 13. 20. ſed loca obſcuriora non attigit. Iis uerò comparant fidem (inquit Cælius) quæ de Priſco Tarquinio T. Liuius perſcribit.

¶ Delphi in medio uniuerſæ quodammodo Græciæ & intra & extra Iſthmum, imò & totius orbis conſiſtere uidebantur, unde & tellurís umbilicum appellabāt, fabulam addentes quam refert Pindarus, confingens ab Ioue duas dimiſſas aquilas in hoc coiſſe loco, unam ab ortu, alteram ab occaſu, quidam autē dixēre coruos, Strabo lib. 9. Pindarus in Pythijs carmine quarto Pythiam ſiue Sibyllam Χρυσέων Διὸς ἀεὶ πὰρ θαλάμοισιν cognominat: Vbi Scholiaſtes, Ferūt Iouem cum uellet maximè mediam orbis habitabilis partem certa menſura deprehendere, duas pari uelocitate aquilas, unam ab oriente, alteram ab occidente emiſiſſe: illas uerò conueniſſe Delphis ſeu Pythone, itaq; Iouem in memoriam rei ad deſignandum terræ habitabilis medium in templo Apollinis aquilas aureas conſecraſſe aiunt, quæ poſtea in bello Phocico, cuius author Eumelus fuit, ſublatæ ſint.

¶ Metamorphoſes. Iouem transformatum in aquilam ut raperet Ganymedem deſcribit Ouidius lib. 10. Metam. Idem lib. ſexto de Arachne puella telam cōtexente, Fecit & Aſterien aquila (id eſt Ioue in aquilam mutato) luctāte teneri. uide in Coturnice h. Idem lib. 12. Metamorphoſeon fabulatur Periclymenum in aquilam uerſum, ab Hercule, quem plurimum unguibus uncis infeſtabat, ſagitta in ſublimi confoſſum, quum inquit: Mira Periclymeni mors eſt, cui poſſe figuras Sumere quas uellet, rurſusq; reponere ſumptas, &c. De Merope qui Cōon inſulam tenuerit in aquilam conuerſo, fabulam ex Higino retuli ſupra mox poſt icones: & ex Euſtathio paulò ſuperius in Aquila Ioui ſacra. Aelianus uerò latronem quendam in aquilam mutatum ſcribit, quæ ſceleris ſui pœnam luat roſtro per ſenectam adeò incuruato, ut cibum capere non poſsit, & ſcarabeos infeſtos patiatur. Venus in aquilam mutata Iouem in olorem mutatum ſequitur: & uterq; demum inter ſydera locatur. uide in Cygno h. ex Higino: & Cælium Rhodiginū 11. 19. Vt apud Mœrò poëtriam aquila: ſic apud Homerum peleiades (uel pleiades Ioui ambroſiam adferunt, Euſtathius: Corrupta forſan lectione: nam Ioui infanti aquilam nectar attuliſſe, peleiades uerò ambroſiam Mœrò canit, ut recitat Athenæus, ex quo ſua Euſtathius mutuatur. Vtriſq; (aquilæ & peleiadibus) ut gratiam referret Iupiter, inter ſydera eas retulit.

¶ Auſpicia. Aquila alis & uolatu auſpicium facit, Feſtus. Octauius Auguſtus cum luſtrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum ſæpius circumuolauit, tranſgreſſaq; in uicinam ædem, ſuper nomen Agrippæ ad primam literam ſedit, &c. Suetonius in uita Auguſti. Contractis ad Bononiam triumuirorū copijs, aquila tentorio Octauij Auguſti ſuperſedens, duos coruos hinc & inde infeſtantes afflixit, & ad terram dedit, notante omni exercitu, futuram quandoq; inter collegas diſcordiam talem, qualis ſecuta eſt, ac exitum præſagiente, Ibidem. Auſpicia quædam ex aquila, retulimus etiam paulò antè in Aquila Ioui ſacra. Arabes audiunt (ἀκάσιν, intelligunt) coruos, Tyrrheni aquilas, Porphyrius lib. 3. de abſtinendo ab animatis. Ἀετὸν Grammatici Græci dictum aiunt, ab α. particula intendente & ἐτὸς, quod ualde & ſemper uera ſit ales ac

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 226 sur 825

fatalis in auſpicijs. Troianis feliciter pugnantibus apud Homerum, & iam foſſam ac uallum Græcorum tranſituris aquila ſiniſtra apparet, non tanquam infauſta auis (ut Scholiaſtes interpretatur) cum alioqui aues ſiniſtræ infortunatæ ſint, ſed ad decipiendos Græcos quo minus illi ſibi cauerent, tanquam Troianorum deſiderio non ſucceſſuro. Sed poetæ uerſus adſcribam. Ὄρνις γάρ σφιν ἐπήλθε πόρησ' ἐμέναι μεμαῶσιν Αἰητὸς ὑψιπέτης ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐόργων, Φοινήεντα φέρων ὀνύχεσι πέλωρον, Ζωὸν ἔτ' ἀσπαίροντα. καὶ οὔπω λήθετο χάρμης. Κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα (κρατέοντα) τῷ σήθεϊ πὰρ δέ οἱ ἰαχὴ Ἰάνωθεὶς (καμφθεὶς) ὀπίσω. ὁ δ' ἀχθήσας ὀδύνῃσι, μέσῳ δ' ἐγκάββαλ' ὁμίλῳ. Αὐτὸς δὲ κλάγξας πτῆτο πνοιῇσ' ἀνέμοιο. Τρῶδε δ' ὀρίγνυσαν ὅπως ἴδον ἀλόλυγα ὄφιν Κέμβλυον ᾧ μέσσοισι, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο, Homerus Iliad. μ. Ὣς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπιστο δεξιὸς ὄρνις Αἰητὸς ὑψιπέτης, ἀΐδηλ δ' ἴαχε λαὸς Ἀχαιῶν Θαρσαλέοι περ ἐόντες, Iliad. ν. Αὐτίκα δ' Ἀτρεΐδῃ πῆκε (Agamemnoni oranti Iupiter) τελειότατον πετεηνῶν Νεβρὸν ἔχοντ' ὀνύχεσι, τέκος ἐλάφοιο ταχείης. Τὸν ῥ' ἄνω Διὸς ὠκὺ πόδι καλλείριος κάββαλε νεβρόν, Iliad. θ. Et mox Οἱ δ' ὡς οὖν εἶδον ὅτ' ἄρ ἐκ Διὸς ἦλυθον ὄρνις. Hîc Scholiaſtes τελειότατον πετεηνῶν, id eſt, perfectiſſimã auium interpretatur maximam, uel ſigna perfecta ædentem, & maxime perficientem ea quæ ſignificat: uel præcipuã & nobiliſſimam auium, ut Euſtathius docet. Ὡς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπιστο δεξιὸς ὄρνις Αἰητὸς ἀργιλιῶν χῆνα φέρων ὀνύχεσι πέλωρον Ἥμερον ἐξ αὐλῆς, &c. Odyſſ. ο. Χῆνές μοι πῆλοι ἐείκοσι πυρὸν ἔδουσιν Ἐξ ὕδατος, καὶ τέ σφιν ἰαίνομαι εἰσορόωσα. Ἐλθὼν δ' ἐξ ὄρεος μέγας αἰητὸς ἀγκυλοχείλης Πᾶσι κατ' αὐχένας ἧξε καὶ ἔκτανεν. οἱ δ' ἐκέχυντο Ἀθρόοι ἐν μεγάροισι. ὁ δ' ὄρνις αἰθέρα δ' ἶσον ἀφῖκτο. Αὐτὰρ ἐγὼ κλαῖον ὅ μοι ἀμφὶς ἔκτανε χῆνας Ἀψ δ' ἐλθὼν κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐϋπρήχυνλι μελάθρῳ. Φωνὴ δὲ βροτέη κατερήτυνε φώνησέν τε: Θάρσει Ἰκαρίη λίην τηλεκλειτοῖο, Οὐκ ὄναρ, ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλόν, ὅ τοι τετελεσμένον ἔσται. Χῆνες μὲν μνηστῆρες, ἐγὼ δέ τοι αἰητὸς ὄρνις Ἦα πάρος, νῦν αὖτε τεὸς πόσις εἰλήλουθα: Ὃς πᾶσι μνηστῆρσι ἀεικέα πότμον ἐφῶσω, Somnium Penelopes quod illa Vlyſſi nondum agnito recenſet Odyſſeæ τ. Priamo Iouem oranti αἰητὸς ὀξὺ κεκληγὼς Ἧστο ἀριστερὸν ἔχων ὀνύχεσι πέλωρον Εὐρυμέδων οἰμησεν ἀριστερός, Quintus Calaber libro primo. ¶ Mirum & rarum prodigium aquilæ & cygnorum ex Aeneidos Vergilij duodecimo recitabitur in Cygno h. Auſpicium aquilæ præteruolantis fecit ut Aiax Telamonis filius primum Aetos diceretur, ut ſcripſimus in Leone h. & ſupra in a. inter nomina propria ab aquila ducta. Scribit Plutarchus (in Parallelis minoribus cap. 6.) aquilã quandoq; cum duces manipulorum epularentur cum Polynice Amphiarai haſtam abreptam ſuſtuliſſe in altum, moxq; demiſiſſe: eã uerò terræ impactam lauri ſpeciem præbuiſſe ueram: inſequenti die hoſtibus acri prælio ibidem cõgredientibus, terræ hiatu repentino hauſtum cum curru, quod hárma dicunt Græci, Amphiaraum perijſſe: conditam ibi poſtea urbem, hármatis cognomine fuiſſe inſignem. Cuius rei auctor ſit in tertio Κλισεωγ Triſimachus. Fuit uerò præcellens uates Amphiaraus, &c. Cælius. Aquila correptum à ſatellite iaculum, in ſublime detulit, dehinc in profundum abiecit, Plutarchus in uita Dionis inter portenta Dionyſio tyranno exhibita, quibus illi exilium & regni amiſſio funeſtæq; calamitates prædicebantur. Xanthias ſeruus in Veſpis Ariſtophanis narrat ſomnium ſuum, Ἐδόκουν αἰετὸν καταπλαμμενον ὑπ τῶν ἀγορᾶν μέγαν πάνυ Ἀναρπάσαντα τοῖς ὄνυξιν ἀποίδα Φορᾷ ἐπίχαλκον αἴνικας εἰς τ' ὠρανόν, Κἄπειτα ταύτην ἀφεβαλεῖν Κλεώνυμον. Traducit autem Cleonymum ceu ῥιψάσπιδα. Strabo lib. 17. de pyramide tertia in Aegypto, quæ primis duabus minor ſit, ſed maiore impenſa ſtructa, ſic ſcribit: Hæc dicitur meretricis ſepultura ab amantibus effecta: quam Sapphò poetria Doricham uocat, alij eam Rhodopem nominant, atq; fabulam quandam narrant, quod ea dum lauaretur, aquila alterum ex calceis è manu ancillæ correptum Memphim deportârit, & in ſublime ſupra regis uerticem iura dantis elata, calceum in illius gremium demiſerit: & quod ille calcei concinnitate & rei miraculo permotus, per totam regionem miſit ad eam inquirendam quæ huiuſmodi calceum ferret, & quod ea in urbe Naucratitarum inuenta atq; adducta, & regis uxor fuerit, poſt mortem uerò hanc ſepulturam habuerit, Hæc Strabo. Eandem hiſtoriam recitat Aelianus lib. 13. Variæ hiſtoriæ, regem Aegypti in cuius gremium iniectus ſit calceus Pſammetichum nominans. De aquila quæ Auguſtæ ex alto abiecit in gremium conſpicui candoris gallinam, ſcribemus in Gallina h. inter auguria. Pro uirginibus immolatas legimus iuuencas in quas aquilæ ereptos ſacrificis enſes, quos iam uirginibus intentabant, demiſerant, referente Plutarcho in Parallelis Græcarum & Romanarum hiſtoriarũ. fuit autem uirgo altera apud Lacedæmonios nomine Helena, altera apud Valerios nomine Valeria Luperca. in quas ſors ceciderat ut immolarentur, cum deus propter peſtem uirginem aliquam quotannis ſacrificandam reſpondiſſet. Vide etiam Varinum in Neoptolemo. ¶ Aquila partem extorum immolante Hecuba in Ilio, ad Græcos portat, apud Dictyn Cretenſem libro 4. Et rurſus libro 5. ſacrificantibus Troianis aquila ſtridore magno immittens ſeſe, extorum partem ereptam ad naues Græcorũ deponit. Galbę Cæſaris auo procuranti fulgur, cũ aquila de manibus exta rapuiſſet, & in frugiferam quercũ contuliſſet, ſummum, ſed ſerum imperium portendi familię, reſpõſum eſt. Atq; ille irridens: Sanè, inquit, cum mula pepererit, ut pluribus retuli in Mulo h. Exta de ſacrificantis manu ab aquila rapta, tam efficaci auſpicio fuêre, ut nullũ præſentius aut felicius fuerit, Alexander ab Alex. Cyro aduerſus Armenium proficiſcenti continuò in primo agro exurgit lepus: Aquila autem uolans dextera, leporem deſpiciens fugientem, & irruit, & percuſsit illum, extulitq; correptum, eoq; ablato in collem proximum, pro libidine utebatur præda. Augurium igitur Cyrus intuitus, cum lætatus eſt, tum Iouem regem adorauit, dixitq; ad pręſentes: Venatio quidem pulchra eſt futura, ſi Deo libuerit, Xenophõ 2. de Pædia Cyri. Aquila, ut aduncæ aues propè omnes,

fine

ſine ullo potu uiuit, quod Heſiodus neſciuit. facit enim in narratione obſeſsionis Nini, aquilam augurij præſidem bibentem, Ariſtoteles. Ex aquilæ ſignificatione filium ſuũ nomine Midam, Gordias regem fore coniecit: cum ſupra huius caput arantis primo uolaſſet, deinde totum diem in iugo ſeſſitare non prius deſtitiſſet, quàm is ad ueſperam arationem dimiſiſſet, Aelian. Galeotes & Telmiſſus fratres, filij Apollinis, & Themiſtûs filiæ Zabij regis Hyperboreorum, oraculo in Dodona accepto, ut hic orientem, ille occidentem uerſus nauigaret, & ubicunq; de ſacrificijs ipſorum femora rapuiſſet aquila, aram ibi conderent: Galeotes in Siciliam, Telmiſſus in Cariam, ubi Apollinis Telmiſsij ædem condidit, Stephanus. Ante ultimam Bruti (aduerſus Cæſarem & Antonium pugnam) ut P. Volumnius prodidit, aquila prima (uexillum) apum plena conſpecta eſt: & duæ aquilæ in medio utriuſq; exercitus ſpacio ante prælium cõgreſſæ ſimul pugnarunt: quarum pugnam dum ambo caſtra utrinq; intuentur, ſilentium incredibile tenuerunt: ceſsit uerò atq; fugit aquila è partibus Bruti profecta, Plutarchus in uita M. Bruti. & Val. Maximus 1. 4. Deiotaro uerò regi omnia ferè auſpicata regenti, ſalutaris aquilæ conſpectus fuit: qua uiſa abſtinuit ſe ab eius tecti uſu: quod nocte inſequenti, ruina ſolo æquatum eſt, Val. Max. ibidem. C. Panſa, Hircio Coſs. in caſtris Cæſaris luce prima, in culmine prætorij ſuper linteum conſedit aquila: inde circunuolantibus minorib. auibus excita: de conſpectu abijt, Iul. Obſequens. Tranquillus in Tiberio cap. 24. Ante paucos (inquit) quàm reuocaretur dies, aquila nunquam antea Rhodi cõſpecta, in culmine domus eius aſſedit. Extat & epigramma ſuper hac re Apollonidæ Græcum, Anthologij lib. 1. ſectione in Aues inſcripta. Præpetes aues dicuntur (inquit Alexander ab Alexandro) quæ uolatu auguria faciunt & futura prædicunt. Ex his autem, aquila, uulture, & buteone, ſanquali & immuſſulo lætãtur, easq; felicis euentus eſſe (aiunt,) cum ingentibus alis patulæ & porrectæ uolant. Et mox, Aquila ſi dextra ex parte uenit, felix omen facit, & magnarum rerum auſpicia: quas quidem uolatu augurium facere, præcipuè ſi ſtridentibus alis euolare uideant, omen futuri maximi boni, ac læta & magna portendere dixerunt. Vultures aquilarum fœtus implumes occidiſſe, nidosq; euertiſſe, ipſosq; à paſtu pedibus & roſtro abegiſſe, Tarquinio Superbo exilium & regni amiſsionem, quæ mox ſecuta ſunt, portenderunt. Aquilam Tarquinio Priſco pileum detraxiſſe in ſublimi, deinde capiti reposuiſſe, regnum ominatam ferunt: Sicut Ariſtander aquilæ augurio uictorem Alexandrum prædiuinauit, Idem. Et rurſus, Si uultures, corui, & aquilæ in unum coirent, cædem haud dubiam interpretabantur. Obſeruatum eſt ut minora auſpicia ſemper maioribus cedant, licet priora ſint. ſiquidem cornicis aut columbarum auſpicia, aquila ſuperueniente, irrita fiunt: aquilarũ uerò augurium, fulmine aduenient, nullum eſt, Alexander ab Alex. Si cor uictimæ raptum ab aquila aut auibus fuiſſet, nimium propicios deos oſtenderunt, Idem. Et mox, Galbæ fulgur procuranti, cum aquila exta rapuiſſet, & in ſublimem quercum detuliſſet, imperium portendit. C. Marius Syllam fugiens iam fermè omni ſpe deſtitutus, hortabatur tamen ſocios, ne in ultima ſpe, ad quã ſeruari ſe antiquorum augurum reſponſo credebat, deſererent. Nam cum ualde adoleſcẽs eſſet & in agris uerſaretur, nidum aquilæ ſeptem pullos habentem domum retulit. Parentes hoc magna cum admiratione intuentes, augures conſuluerunt. Illi reſponderunt, Marium clariſsimum uirum futurum, maximum principatum atq; imperium ſepties habiturum. Sed hoc aliqui fabuloſum putant, quòd aquila geminos tantummodo pullos pariat, Plutarchus in Marij uita.

¶ De Cypſelo Corinthi tyranno adhuc priuato oraculum Pythia huiuſmodi reddidit. Concipit in petris aquila enixura leonem, &c. ut ex Herodoto recitaui in Leone h. proximè ante prouerbia à leone facta.

¶ Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis & uarietate, uenit ad Libanum, tulit Cedri medullam, tranſportauit in negotiatorum urbem, Ezech. 17. Aquila grandis tulit de ſemine terrę, poſuit illud in terrę ſuperficiem pro ſemine, ut radicem firmaret ſuper aquas multas, quod creuit in uineam latam, fructificauit in palmites, & emiſit propagines, Ibidem. Aquila altera grandis magnis alis, multis plumis, & uinea iſta mittit radices ſuas ad eam, & palmites ſuos ut irrigaret eam de areolis germinis ſui, Ezech. 17. Aquila nónne radices uineæ grandis euellet, fructus eius diſtringet, ſiccabit omnes palmites germinis eius, & areſcet, & non in brachio grandi, ut euellat eam radicitus, Ibidem. Quaſi aquila ſuper domũ Domini, clama uelut tuba in gutture, eò quòd tranſgreſsi ſunt fœdus meum, Oſeæ 8. Aquilæ cum duodecim ſuis alis, & octo ſubalaribus, & tribus capitibus myſterium exponitur 4. Eſdræ 12. Aquilæ ſomnium, duodecim alarum & trium capitum, regnantium ſuper totam terram, habens octo contrarias pennas, cui uenit finis primo, ſecundo & tertio 4. Eſd. 11. Aquilæ unius uolantis audita uox magna, Væ uæ uæ inhabitantibus terram, Apocalypſis octauo.

PROVERBIA.

E ſquilla nõ naſcitur roſa, prouerbiali figura dixit Theognis, innuens è probis parentibus naſci liberos probos, ex improbis improbos. Simili forma dixit Horatius in Odis, Neq; imbellem feroces progenerant aquilæ columbam, Eraſmus. Tam diſpar aquilæ columba non eſt, Nec dorcas rigido fugax leoni, Martialis. ¶ Aquilam cornix prouocat, Αετὸν κορώνη ὀρεσκελεῖ. Tradunt peculiare cornicibus eſſe iritare aquilam. uerum illa negligit prouocantem, intelligens nimirum ſibi ab illa noceri nõ poſſe. Locus igitur fuerit adagio, ſi quando leuiuſculus quiſpiam homuncio, qui neq;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 228 sur 825

prodesse queat, neq; lædere, maximis uiris oblatrat, Erasmus. ¶ Cypselus nõ parit aquilam, prouerbium citatum à G. Heldelino. ¶ Iupiter aquilam delegit, ubi quis ascisci sibi præclaros suisq; rebus accommodos, uide supra in Aquila Iouis sacra. ¶ Ioan. Tzetzes Chiliade 8. cap. 243. cum recitasset prouerbium, Τῶ γὰρ ὄζει τοῖς κολοιοῖς φρονεῖς ἢ βασιλέας; mox subijcit, Huic simile est illud nostrum, Τῶ γὰρ φρονεῖς τοῖς αἰετοῖς σὺ γλαύκων & δυμάτων, καὶ νόμων τότε πορνικῶν; &c. ¶ Lupus aquilam fugit, Vide in Lupo h. ubi periculum imminens euitari non potest. ¶ Aquila non captat muscas, Αἰετὸς δ' θηρεύει τὰς μυίας. Summi uiri negligunt minutula quæpiam. Animus excelsus res humiles despicit: aut egregiè docti nonnunquam in minimis quibusdam labuntur. Et maximis occupati negotijs ad pusilla quædam conniuent. Effertur & citra negationem adagium, Αετὸς μυίας θηρεύει, id est, Aquila uenatur muscas, quoties magnis minima sunt curæ. Huic non absimile est quod habet Gregorius Theologus in epistola ad Eudoxium rhetorem, Μὴ ἀνάσχῃ ἀρισβύειν ὧν κολοιοῖς ἀετὸς, id est, Non sustineas tenere primas inter graculos aquila, Erasmus. Pindarus etiam graculos cum aquilis confert, ut paulò post in prouerbio Aquila in nubibus, recitabimus. ¶ Aquilam noctuæ comparas, Αἰετὸν γλαυκὶ συγκρίνεις. Martialis in Scazonte, Aquilasq; similes facere noctuis quæris. Aquila uisus acerrimi, adeò ut ἀσκαρδαμύκτως, id est, non conniuens aduersus solem intueatur. contrà noctua solis lumen modis omnibus refugit, Erasmus. ¶ Aquila in nubibus, plericq; interpretantur de re magna quidem illa, sed quam non facile assequaris: alij de ijs, qui longè reliquis præcellunt. Aristophanes in Equitibus: Ὡσπερ εἰσδραμοῦμαι, εἰς ὧν νεφέλησιν αἰετὸς γενήσομαι. Gaudeo isthoc nomine Quòd aquila fiam in nubibus uidelicet. Verba sunt populi Athenienſis, promittentis sibi futurũ ut orbi uniuerso imperet. Et paulò inferius in eadem comœdia tanquam oracului pronunciatur, Αἰετὸς ὡς γίγνει, καὶ πάσης γῆς βασιλεύεις. Quippe aquila es, terræq; omnem dominaris in orbem. Dicuntur & hæc de populo Athenienſi: nisi forte placet allusio ad spes huius principatus inanes. Rursum in Auibus, Αἰετὸς ὧν νεφέλησι γενήσεται. id est, Aquila in nubibus fies. Interpres admonet alludere poëtam ad oraculum, quondam Athenienſibus redditum, quo prædicabatur futurum, ut Athenienses tanto interuallo reliquas urbes superarent, quanto aquila in nubibus reliquis auibus esset sublimior. Pindarus item in Nemeis, se uocat aquilam, Bacchylidem æmulum graculum, uidelicet quòd illum immenso uinceret interuallo. Αἰετὸς ὠκὺς ὢν πετανοῖς, ὅς ἔλαβεν ἄνω πολύφρονα μεταμανόμενον Δαφοινὸν ἄγραν ποσί. Κραγέται δὲ κολοιοὶ πεπεινὰ νέμονται. Quorum carminum hæc est sententia: Aquila pernix inter uolucres, quæ repente aduolans eminus, corripuit cruentã prædam: Loquaces aũt graculi humi pascuntur, Erasmus. Αετὸς ὢν νεφέλαις, ὦδε δ' ὑλαλώξων, παρόδον ἀετὸς ὢν νεφέλαις ὧν ἐχ ἁλίσκετ', Suidas & Varin. ¶ Κάνθαρος αετὸν μαιεται, id est, Scarabeus aquilam quærit: cum imbecillior atq; impotentior, mali quippiam molitur, struitq; insidias inimico longè potẽtiori. Est & altera lectio, atq; ea meo quidem iudicio uerior, ὁ κάνθαρος αετὸν μαιένεται. id est, Scarabeus aquilæ obstetricatur. Sensus, utrumuis legas, fermè idem est. competit enim in humilem & imbecillum, qui uiribus longè præpollenti, malitiosis insidijs & clancularijs dolis perniciem machinatur. Aristophanes in Lysistrata, Ὑπερχολῶ γάρ, αετὸν τίκτοντα κάνθαρός σε Μαιδύσομαι, id est, Supra modum iracor tibi. scarabeus aquilam ego te, Quando oua paries obstetrix iuuabo. Super hac refertur apologus quidã apud Græcos non inelegans, quem Lucianus indicat Aesopicum esse, cum ait in Icaromenippo, fabulatum fuisse Aesopũ, quemadmodum aliquando scarabei & cameli cœlum conscenderint. Meminit eiusdem fabulæ etiam comicus Aristophanes in Pace, &c. Erasmus. Aquila utpote regia auis, quamuis cætera paruа animalcula contemnit, scarabeum tamen odio prosequitur, quoniam oua eius à scarabeis perduntur. Hinc & fabula conficta est, scarabeum reptando aut euolando (ut hippocantharus apud Comicum) in aquilæ nidum, oua eius perdidisse. itaq; aquilam inopem consilij, supplicem in Iouis gremio oua deposuisse: scarabeum uerò illuc quoq; peruenisse, & Iouem ut eum excuteret surgentem, simul etiam oua effusa fregisse, id quod optabat scarabeus. Inde ortum prouerbiũ, Αετὸν κάνθαρος μαιδύσομαι, Eustathius in Iliados ultimum. Suidas hoc prouerbium usum habere scribit, si qui potentiores qui priores iniuriam fecerint ulciscantur, fertur enim scarabeum aquilæ oua perdere, ἀφανίζειν. Emblema Alciati, inscriptum A minimis quoq; timendum:

Bella gerit scarabæus, & hostem prouocat ultrò Robore & inferior, consilio superat.
Nam plumis aquilæ clàm se neq; cognitus abdit, Hostilem ut nidũ summa per astra petat.
Ouaq; cõfodiens, prohibet spem crescere prolis. Hocq; modo illatum dedecus ultus abit.

¶ Aquilæ senecta, corydi iuuenta, Vide in Alauda h. ¶ Ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ πρόσιμος, Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς, Euripides. hoc est, Nullus non aër patet aquilæ, & nulla non terra uiro forti patria est. ¶ Aquilam testudo uincit: Vide supra in Testudine terrestri h. ¶ Aquila thripas aspiciens, Αετὸς θρῖπας ὁρῶν: de magnis qui pusilla negligunt. Est thrips auicula quædam (imò uermiculus) minutissima, quam aquila cum uideat, ut est oculatissima, haud tamen dignatur persequi, utpote prædam unguibus suis parum dignam. Ad hunc quidem modum (inquit Erasmus) inuenio in commentarijs Græcorum, uerũ haud scio an mendosè. nam thripas reperio uermiculi genus esse. ¶ Aquilam uolare doces, Αετὸν ἵπτασθαι διδάσκεις: eiusdem sententiæ est prouerbium cuius illud, Delphinum natare doces. Quod enim delphini inter pisces, id aquila inter uolucres. Allusisse uidetur huc Gregorius in epistola quadã ad Eudoxum rhetorem: Τὸς πολλὸς ἐα χαίρειν, καὶ ἐᾶν κολοιὸς πῖπτειν αετῶν διακμάζοντας: Sine ualere uulgus, sine esse graculos, qui uolatum aquilarum probent, Erasmus.

Meminit

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 229 sur 825

Memínit Suídas, & ait conuenire in íllos qui alíos docere conantur ea quæ ípſi melíus callent. ¶ Fertur (inquit Aeſchylus, qui parœmíam hãc Líbyſticam uocat,) πλησὸν ἀτρακίῳ τοξικῷ τὸν ἀιετὸν ἐπεὶν ἰδόντα μηχανὴν πτερώματος. Τοῦδ' ἐχ τῶν ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτεροῖς Ἁλισώμεθα. Ita híc etiã Euelpís inquit, Οὐχ τῶν ἄλλων πτόχομεν τοῦτ', ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν γνώμῃ.

¶ Emblema Alciati cum lemmate Fortítudo uel Signa fortíum, per dialogíſmum:

Quæ te cauſa mouet uolucrís Saturnia, magni
Hoc moneo: quantũ ínter aues ego robore præſto,
Inſideant timidæ tímidorum bulta columbæ,
Vt tumulo inſideas ardua Ariſtomenís?
Tantum ſemideos ínter Ariſtomenes.
Nos aquilæ ínterpidis ſigna benigna damus.

DE AQVILIS DIVERSIS, QVARVM ueteres meminerunt.

ARISTOTELES & Plínius ſex aquílarum genera fecerunt, ín quíbus enumerandis neque magnítudinis neq; nobilítatis, neq; alíus ordo ab eis obſeruatur, nos quídem literarum ordíne ſíngula deínceps recenſebímus. Sed príus dícendum de íllis, de quíbus uel dubitatur, uel quæ ínepte à quíbuſdam aquílarum generí adſcríbuntur. Poſtremò aquílíni generis aues à recentíoribus memoratas adíjciemus. ¶ Díuerſæ ſunt ſpecíes aquílarum, permagnæ, mediocres, paruæ. Rurſus quædam nobiliores ſunt, nec appetunt niſi aues & animalia terreſtría uiua, alíæ ferè ígnobiles & degeneres, quæ non ſolum carnes uíuas, ſed etiam cadauera (ut aſínorum & alía) & píſces exanímatos petunt: & hæ accedunt ad naturam & ígnobilitatem míluorum, Creſcentienſis.

¶ ACCIPITRES, ἱέρακες, genus eſt aquílarum, Scholiaſtes Homeri. Sed accipítrínum genus cum aquílíno imperítè confundi, ſcripſí in Accípitre a. Nothí accípitres eſſe creduntur qui cenſentur in genere aquílarum, Aelianus.

¶ ACMON, ἄκμων, genus aquílæ eſt, Heſychíus & Varínus. Forte autem duo luporum genera apud Oppíanum ab hoc aquílæ genere ſíc dícta ſunt, ut círcus etiam & íctínus lupi ab eíuſdem nomínis auibus rapacíbus. Alrachme aquílam Syriacè dictam ín gypæeto deſcríbemus: cui uoci ſi líteram ínitiãlem demas (nam al articulus eſt) omnino cum acmone conuenit.

¶ Αἰγυπιὸν alíj genus aquílæ, alíj uulturem ínterpretantur, ἀπὸ τοῦ ἀίσσειν, Heſychíus, Varínus, & alíj. nímirum quaſi ἀίσσοντα γύπα. Suídas príſcos non γύπας, ſed αἰγυπιὸς tantum protuliſſe ſcríbit: & αἰγυπιῶν pro γυπῶν apud Herodotum quoq; legi. Sed nos Iliados σ. legímus, πολλὸς δὲ κώδιος περὶ γύπιος ἔδοντα Τρώων, ín quo loco penultimam uocis γύπας produci monet Euſtathius. Cæterum Iliad. σ. ubi hi uerſus Homeri leguntur, Οἱ δ' ὣς τ' αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες ἀγκυλοχεῖλαι περὶ πρὸ ὑψηλῶν μεγάλα κλάζοντε μαχοντε, (Hi duo uerſus leguntur etiam in Aſpide Heſíodi,) ὣς οἱ (Patroclus & Sarpedon) κεκλήγοντες ἐπ' ἀλλήλοισιν ὄρουσαν: Euſtathius αἰγυπιὸς aquílarum generis eſſe ſcríbit: & aquílis maxímè proprium eſſe ut petris ínſiſtant: quòd arborum rami eas non ita capiant, & in terra propter unguíum aduncitatem íncedere non poſſint. Mihí quídem αἰγυπιὸς, ſi aquíla eſt, ut Grammatícis placet, gypæetus eſſe uídetur, cuí ſententíæ nomínis etiam ratio aſtipulatur. Ἐξεδίλω ὄρνισιν ἑοικότες αἰγυπιοῖσι φηγῷ ἐφ' ὑψηλῇ, Iliad. ν. de Minerua & Apolline. Μακρότονος δ' ὀϊστὸς ἐπάλμενος αἰγυπιὸς ὥς, Iliad. υ. Κλαῖον δὲ λιγέως, ἀδινώτερον ἢ τ' οἰωνοὶ φλώαι, ἢ αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες, οἵσί τε τέκνα ἀγρόται ἐξείλοντο πρὸ ὃ γε πω νήπια ἔγνω, Odyſſ. π. de Vlyſſe & Telemacho filio eum agnoſcente. Οἱ δὲ (Vlyſſes cum ſuis) ὣς τ' αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες ἀγκυλοχεῖλαι ἐξ ὄρεος ἐλθόντες ἐπ' ὀρνιθεσι θοῇσι, τὰ μὲν τ' ὀπὶ πεδίον νιφὰς πήσασαι ἔχουσι· Οἱ δ' ἔτε τὰς ὀλέκουσιν ἐπάλμενοι, οὐδ' ἐτὶ τοῖς ἀλκὴ γίνεται, οὐδὲ φυγή. χαίρουσι δ' ἔτ' ἀνδρῶν ἄγρῃ, Odyſſ. χ. Πάντες δσιν, ὅτε πλωὸν ἀγέλαι, μέγαν αἰγυπιὸν ὑποδείσαντες, Sophocles in Aíace. Nulla auis tangit cadauer animalis à baſiliſco mortui, non Αἰγυπιοὶ γῦπές τε, κώραξ τ' ὀμβρήρεκ πρώζων, Nicander. ¶ Auium nomina in ιψ, quæ tres ſyllabas excedunt acuunt ultimam, ut αἰγυπιὸς, χαραδριὸς, &c. Etymologus. ¶ Αἰγίπιον etiam aquílam ſignificat Macedonibus, Heſychius, Varínus & Etymologus. ὡς αἰγυπιὸς τοῖς πτηνοῖς τὰς ἐμπύας (νικᾷ,) Philes. id eſt, Quantum aquíla uolatu culíces uíncit. Melampus uates ex ægypio uolucre quædam cognouiſſe tradítur, ut in Nelei hiſtoría refert Scholiaſtes Homeri in Odyſſ. λ.

¶ Aquila AEGOLIOS non eſt nota apud nos, Albertus ex Ariſtot. de animal 8. 3. ubi Græcè αἰγωλιὸς legítur: quæ uox ululam ſignificat.

¶ CIRCVS, κίρκος, genus aquílæ quod accípiter dícitur, Scholiaſtes Homeri. Vide ſupra in Accípitre a.

¶ CYMINDIS, aquíla, Suídas. Vide ſupra ínter Accípitres.

¶ HARPE, ἅρπη, míluus aut genus aquílæ, Varínus, alíj auem aquílæ ſímilem ínterpretantur. Plura leges ínfra in Elemento H. in Harpe.

¶ Accípiter laudabílis caput habet paruum & planum ſupra ſícut aquíla HONGYLAS dícta, ὡς ὀγγύλας καλάμῳ αὐτός, Demetrius.

¶ Nicandri ínterpres ICHNEVMONEM aquílæ ſpeciem facit, Herculí ſacrã, ex Aegyptiorum ſententía, Cælius. Hermolaus Barbarus ínterpretem íſtum ichneumonẽ pro genere aquílæ ínterpretantem míratur. nos ichneumonem in Hiſtoría quadrupedum uíuip, non αἰετῷ ſed ὑδρόῳ, íd eſt lutræ genus eſſe docuímus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 230 sur 825

¶ Sanqualem auem atq; IMMVSSVLVM augures Romani in magna quæstione habent. Immuſſulum aliqui uulturis pullum arbitrantur eſſe: Maſſurius pullum aquilæ dicit eſſe, priuſquam albicet cauda. Quidam poſt Mutium augurem uiſos non eſſe Romæ confirmauêre. ego (quod uerisimilius eſt) in deſidia rerum omnium non arbitror agnitos, Plinius. Apud Feſtum immuſculus & immuſtulus ſcribi reperio, uocibus (ut apparet) corruptis. Immuſculus auis genus, quam alij regulum, alij oſſifragam dicunt, Feſtus. Et alibi, Immuſtulus ales ex genere aquilarum eſt, ſed minorum uirium quàm aquila, quæ uolucris rarò, & non ferè præterquam uêre apparet: quia æſtum algoremq; metuit. appellatur autem ita quòd ſubito & inexpectata ſe immittat, Hęc ille. uidetur autem ſecundum hanc deriuationem ab immittendo immiſſulus potius ſcribi debere, & ſic alibi apud Feſtum ſcribitur, inter hæc uerba: Oſcines aues Appius Claudius eſſe ait quæ ore canentes faciant auſpicium, ut coruus, cornix, noctua, aut quæ alis (lego, alites autem quæ alis) ac uolatu, ut buteo, ſanqualis, immiſſulus, &c. Alibi uero, Alites uolatu auſpicia facientes iſtæ putabantur, buteo, ſanqualis, immuſculus, aquila, uulturius. Quòd ſi animantium cruore afficiuntur ſuperi, cur non mactatis illis uulturios, aquilas immuſſulos? &c. Arnobius lib. 7. contra gentes. Sanqualis & immuſſuli alitum uolatus, licet æuo priore incognitus, ſecundiſſimos habere euentus cenſebatur, Alexander ab Alex. De augurio ex præpetibus auibus, ut buteone, ſanquali, immuſſulo, uide ſupra in Aquila h.

¶ Vna tantum ex aquilarum genere, quæ IOVIS aquila appellatur, carnes non attingit, ſed ad uictum ei herba ſatis eſt, Aelianus. Ego ullam talem aquilam neq; noui neq; legi: conijcio autem biſtardam uulgò dictam auem, de qua inter gallos ſylueſtres dicemus, ab aliquibus propter magnitudinem corporis & roſtrum non admodum aquilino diſſimile, aquilam herbiuoram creditam eſſe, ſed ineptè.

¶ TRIORCHIS, id eſt buteo, à nonnullis inter aquilas cenſetur, ut Varinus ſcribit. Sed is accipitrum, non aquilarum generis eſt.

DE AQVILA ANATARIA QVAM ET clangam ſeu plangam, & morphnum appellant.

ALTERVM (à pygargo) genus aquilæ, magnitudine & uiribus ſecundũ, planga aut clanga nomine, ſaltus & cõualles, & lacus incolere ſolitum, cognomine anataria, & morphna (à macula pennæ, quaſi næuiam dixeris) cuius Homerus etiam meminerat in exitu Priami, Ariſtoteles: parentheſi incluſa Theodorus interpres de ſuo adiecit. Theodorus aquilæ genus à clangore clangam interpretatur. Plangum habet Plinius, uetuſti codices clangum, Hermolaus, facile quidem fuit pro κλάγγῳ legere πλάγγῳ. uocant aũt Græci etiam clangorem κλαγγὴν, qui de aquilarũ uoce propriè dicitur, ut ſupra in Aquila c. docuimus: & paulò ante in uerſibus Homeri de ægypijs apparet. ſunt autem aquilæ quædam præ cæteris clamoſæ & querulæ: melanæetus hoc uitio caret. eſt enim δύφημος, ὅτι μυνεΐζει, ὅτι λέλικε. Percnon & morphnon Hermolaus in Plinium annotans 10. 3. pro eodem colore interpretatur. Vide in Lepore B. πόρνος (lego φόρκνος) κωνγιπιὸς ἀετὸς, ὁ ποδιστῶς καίνων καὶ κόπτων, Varinus. Vide ſupra in Capite de accipitribus diuerſis. Cæterum quod ad magnitudinem anatariæ aquilæ, cum Ariſtoteles eam magnitudine & uiribus proximè pygargum ſequi doceat, intelligendum eſt, eodem authore, in aquilarum genere minimum eſſe melanæetum, gneſion, id eſt germanam aquilam maximam, anatariam, pygargum, percnopterum & oſſifragam, mediæ magnitudinis, ita ut unaquæq; maior ſit præcedente & minor ſequente. itaq; anataria omnium præter melanęetum minima fuerit. Haliæeti uerò magnitudo non exprimitur. Sunt qui apud Plinium pro planco planũnta legant, quaſi errantem, homines imperiti, & ab Hermolao etiam reprehenſi, quod & authorem illi non habeant, & Ariſtoteles πλάγγον uocârit. Morphnos eſt aquila (inquit Plinius) quam Homerus & percnon uocat, aliqui & plancum & anatariam, ſecunda (à melanæeto, quam Plinius primo loco numerat) magnitudine & ui: huicq; uita circa lacus. Phemonoë Apollinis dicta filia, dentes ei eſſe prodidit, mutæ aliâs carentiq; lingua, Plin. Nos in auium genere nullas dentatas nouimus præter anates quaſdam aut mergos quoſdam maiores: cuius generis etiam catarractæ eſſe uidentur, quas aues accipitre minores eſſe dicũt, aliqui aquilæ ſimiles, & longiſſimo tempore ſub aqua manere. de quibus Plinius, Diomedeas aues (inquit) Iuba catarractas uocat, & eis eſſe dentes oculosq; igneo colore tradit, cætero candidis. (Vide plura infra in Catarractæ hiſtoria de auibus dentatis.) Sed morphnos nigro colore non candido eſt, ut nomen ipſum oſtendit. μόρφνον enim grammatici nigrum & obſcurum interpretantur, παρὰ τὸ ὄρφνη, id eſt, à tenebris & caligine. Νύκτα δ' ὀρφναίην, Homerus. πόρκνον quoq; nigrum interpretantur, & unam nigram πορκάζεσθαι dicunt. ſed ea nigredo nõ ſine quodam cœruleo colore eſt, qualem ferè indicum dicunt. μόρφνον uerò ſimpliciter pro nigro aut fuſco dixerim. Sunt qui μόρφνον exponant non à colore, ſed à cæde quaſi μορόφονον per ſyncopen, tãquam auicidam: hoc eſt cædis aliarum auium authorem, ἀπὸ μεμορημένον πρὸς φόνον, ἢ μόρον φέροντα. alij σύμορφον, id eſt formoſum. alij rapacem, παρὰ τὸ μαρπάσαι, τὸ συλλαμβάνειν, unde præteritum μέμαρφα, alpha in o, breue conuerſo, & nĩ abundante,

Euſtathius



Euſtathius & Varinus, Phemonoë morphnon aquilarum nigerrimam eſſe prodidit, (hic color melanæeto potius aut equè conueniret,) prominentiore cauda, conſenſit & Boëthus. Ingenium eſt ei, teſtudines raptas frangere è ſublimi iaciẽdo: quæ ſors interemit poetam Aeſchylum, prædictam fatis (ut ferunt) eius diei ruinam, ſecura cœli fide cauentem, Plinius. Vide ſupra in Teſtudine terreſtri D. Μόρφνον, εἶδος ἀετοῦ, καὶ ξανθὸς, Heſychius. Aquila illa (inquit Plinius) quam tertiam fecimus, circa ſtagna aquaticas aues appetit, mergentes ſeſe ſubinde, donec ſopitas laſſatasq; rapiat, (donec uel ſtrangulet in humore uel per ſumma corripiat, Ariſtot. qui hæc de haliæeto refert, Plinius ad morphnum tranſtulit. & nimirum utræq; circa uenatum auium aquaticarum, quibus uictitant, eodem ingenio utuntur.) Spectanda dimicatio, aue ad perfugia littorum tendente, maximè ſi cõdenſa harundo ſit: aquila inde ictu abigente alæ, & cum appetit in lacus cadente, umbramq; ſuam nanti ſub aqua à littore oſtendente: rurſus aue in diuerſa, & ubi minimè ſe credat expectari, emergente. Hæc cauſa gregatim auibus natandi, quia plures ſimul non infeſtantur, reſperſu pinnarum hoſtem

obcæcantes. Sæpe & aquilæ ipſæ non tolerantes pondus appenſum, unà merguntur. Hæc Plinius. Vide ſupra in Aquila D. Anates contra aquilam ſimpliciter, quomodo ſe defendant, uide in Anate D. ¶ Iliados ω. cum Priamus Ioui ſupplicaret, Iupiter ei aquilam miſit, πλειόστην πετεηνῶν, μόρφνον, θηρητῆρ'. ὃν καὶ φῶρκνον καλέουσι: cuius alæ tantum patebant, quantum ianua (ualuæ ianuæ) thalami diuitis alicuius uiri. Hac ad dexteram uolante per urbem plurimum lætati ſunt Troiani. Vbi Euſtathius interpres, Morphnos, inquit, ſcribitur cum acuto in penultima, φῶρκνος uerò ultimam acuit, quanquam Ariſtarchus hanc quoq; uocem barytonam ſcripſerit. Porrò auſpicium (inquit) ueteres ſic interpretantur, tanquam auis nigro colore clam adeundum eſſe Achillem Priamo indicârit, & ſpē petitionis ratæ futuræ ei fecerit quòd eſſet θηρητῆρ, id eſt uenationis & capturæ ſtudioſa. Præterea quia prædam nullam tenebat, Achillem quoq; (qui tanquam uir regius per alitem regiam designetur) placidum & mitem ipſi futurum, & quæ deſyderet perfecturū, Hæc Euſtathius ex quo Etymologus etiam & Varinus tranſcripſerunt. Κορφνός, genus aquilæ, Varinus in τριορχ☉, uoce (ut apparet) corrupta pro μόρφν☉: ut & φῶρκνος pro φῶρκνος ibidem. Diuerſum à percno aquilæ genus eſt percnopterum, de quo infra. Φλεγύας aquila eadē mihi uidetur quæ morphnus, uel potius morphni epitheton. legimus enim in Aſpide Heſiodi, Μορφνοῖο φλεγύαο, ubi Grammatici exponunt, μέλαν☉ ἀετοῦ, ut habet Varinus: quaſi phlegyam ſubſtantiuum faciant, morphnum adiectiuum, cum mihi contrà faciendum uideatur. Plura de uoce phlegyas uide ſupra in Aquila a. Scribit autem Heſiodus Herculem ſagittas habuiſſe, quæ pēnis aquilæ morphni alatæ fuerint. Ex haliæetis oſſifragæ naſcuntur, ex his uerò percni & uultures, Ariſtoteles in Mirabilibus. Morphni & aliæ quædam aquilæ nidis inædificant aëtiten lapidē, ut refert Plinius, de quo plura ſcripſimus in Aquila c. & g. Anataria aquila Auicēnæ interpreti dibachi nominaē. ¶ Morphnos matri deorum ſacer eſt, Gil.

¶ Omnia (inquit Turnerus) quæ Ariſtoteles & Plinius percno hactenus tribuerūt, Anglorum balbushardo (bushardum enim buteonem accipitrem uocant) conueniunt, ſi ſolam magnitudinem exceperis, quæ ſi alia adfuerint, hîc fortaſsis nō oberit. eſt autem illa, quam anatariam eſſe conjcio, auis buteone maior & longior, næuo albo in capite, colore fuſco proximo, ad ripas fluminum, ſtagnorum & paludum ſemper degens, uiuit ex uenatu anatum & gallinarum nigrarum, quas Angli coutas nominant. Venationem hanc, cuius meminit Plinius, inter aquilam iſtam (ſi aquila dicenda ſit) & aues aquaticas, nō ſolum ego ſæpiſsimè uidi, ſed infiniti apud Anglos quotidie uident. Si qua terræ portiuncula ſuper aquas inter arundineta emineat, in hac ſolet nidum facere, ut quoniam uolatu non admodum ualet, à præda nō procul abſit. Aues ſubitò adoritur, & ſic capit. Cuniculos iſta interdum etiam dilaniat. Nunc an iſta anataria ſit, nec ne, doctis uiris iudicandum propono, Hæc Turnerus. Eſt autem eadem auis quæ à noſtris nominatur Maßwy (quod tamen nomen puto aliquos etiam buteonibus tribuere) hoc eſt miluus paluſtris: quòd circa paludes & lacus anates aliasq; aues paluſtres uenetur. ab aliis Fiſcher, id eſt piſcator, quòd piſces etiā captet quandoq; ferat enim à noſtris recta in aquam ſe præcipitare ad piſcium capturam (ut haliæetus quoq; apud ueteres) quare hoc nomine etiam alias aues appellant quæ ſimiliter piſcantur. In lacubus & uiuariis uoracitate ſua admodum noxius eſt: ita ut in quibuſdam locis homini qui hanc auem ceperit aut occiderit tres drachmæ donentur è publico. Circa Acronium ſiue Conſtantienſem lacū Entenſtöſſel ab anatum cæde nuncupatur. perſequitur enim ut audio anates uolantes, & ſi quæ in aquam inciderit, rapit: uel gregatim ſiue uolantes ſiue natantes, tandiu perſequitur, donec fatigatam aliquam rapiat. ſolent autem illæ fugientes in gregem ſe colligere. Gallicè, ni fallor, appellatur huard, in quibuſdam locis. Turcis ſchahāu: Italis aquila ſtro, ut conjcio, aiunt enim hoc nomine auē piſcibus uiuere. Aquila truncalis etiam uulgò dicta, cinerei coloris, anates rapit, uide infra circa finē hiſtoriæ Melanæeti. ¶ Hæc ſcripſeram quum à uiro quodam Acronij lacus accola, audiui auem circa lacum illum Entenſtöſſel, id eſt anaticidam dictam, unguibus eſſe aduncis, miluo colore & roſtro ſimilem, maiorem: quæ anates rapiat, in quas toties præceps feratur, donec defatigatas tandem capiat: quod aliquando ad duos aut tres horæ quadrantes in anate una capienda diſſertur. ¶ Græci harpen deſcribunt auem aquilæ ſimilem, quæ facile in quem uoluerit locum recto impetu deuolet, ὄρνιν ἀετῶδες ἄυχρῶς ὅπου θέλει καταφόρον, Varinus. hæc autē uel miluo, uel aquilæ anatariæ noſtræ cognata fuerit.

DE ANOPAEA HOMERI.

ANOPAEA apud Homerum Odyſſ. α. de Minerua (ὄρνις δ' ὡς ἀνόπαια διέπτατο) genus auis exponitur de genere aquilarum, oſſifragæ ſimilis. alij uocem ἀνόπαια interpretantur pro ἀφανὴς, quod eſt inuiſibilis: uel pro ἀναφορὴς, quod eſt ſurſum euecta, ut Empedocles de igne ſcribit, Καρπαλίμως δ' ἀνόπαιον. id eſt, celeriter uerò ſurſum. & ſic Herodianus apud Homerum accipit, ἀνοπαία penanflexum ſcribens, neutrum plurale loco aduerbij, ut νυκνὰ pro νυκνῶς. Alij ἀνόπαια interpretantur, ἀνὰ πλὴν ὀπλὴν, id eſt per foramen in medio tecti, quod κάπνλω & καπνοδόκλω (infumibulum) nominant. ἢ δι' ἃ ἢ ὀπαίας κεραμίδος, ἤτοι τετρημένης ἢ ὠπῆ ἢ ὀχυφῆς. Sunt poſtremò qui πανόπαια ſcribant, & hirundinem intelligant: quòd Panope ciuitas in Phocide ſit. finguntur autem in Aulide Phocidis contigiſſe quæ poetæ fabulantur de Tereo, Varinus ex Euſtathio. Eſt & montis nomen Anopæa Herodoto, & uiæ iuxta Locridem.

DE

DE AQVILA ALBA SIVE CYGNEA.

AQVILAS cygneas (ut uocāt) albedine cygno planè similes, in Sipylo circa paludem Tantali, ut nominant, uidere memini, Pausanias in Arcadicis. Album genus aquilæ rarum est, inuenitur tamen aliquādo in alpibus & rupibus circa Rhenum, ut sæpe experti sumus. Est autem hæc aquila tota alba niuei candoris, magnitudine fermè herodij, id est aquilæ germanæ, ignobilior tamen minusq; uelox. Viuit uenatu leporum, cuniculorum, & huiusmodi paruorū animalium. nam aliquando catulos, uulpeculas, & porcellos rapit: & quandoq; pisces in summa aqua natantes, Albert.

DE AQVILA QVAM PERCNOPTERVM ET oripelargum & gypæetum uocant.



AQVILAE genus quod percnopterum uocant (Gaza addit ab alarum notis, sed quoniam notas ferè maculas appellamus, malim simpliciter transferre, ab alarum colore. πορκνὸν enim tum simpliciter nigrum, tum nigro colore distinctum Grammatici interpretantur. uide in Lepore B. alia est autem aquila percnus, quæ & anataria, superius descripta. alia de qua hic agimus percnopterus, illa scilicet eodem per totū corpus colore, quo hæc in alis tantum insignis,) capite est albicante, corpore maiore quàm cæteræ adhuc dictæ hæc est: sed breuioribus alis, cauda longiore. uulturis speciem hæc refert. subaquila, & montana ciconia cognominatur. incolit lucos degener, nec uitijs cæterarum caret, & bonorum quæ illæ obtinent, expers est: quippe quæ à coruo cæterisq; id genus alitibus uerberetur, fugetur, capiatur. grauis est enim, uictu iners, exanimata fert corpora. famelica semper est, & querula, clamitat, & clangit, Aristoteles interprete Gaza. Percnopterus in aquilarum genere, eadem oripelargus, uulturina specie, alis minimis, reliqua magnitudine antecellens, sed imbellis & degener, ut quam uerberet coruus. eadē ieiunæ semper auiditatis, & querulæ murmurationis. sola aquilarum exanima fert corpora, cæteræ cum occidêre considunt. Hæc facit ut quintum genus gnesion uocetur, uelut uerum solumq; incorruptæ originis, Plinius. Sunt qui aquilas simpliciter cadaueribus uesci scripserint: uide supra in Aquila C. Gillius accipitrum & aquilarum genera enumerans perdicotheron Apollinis ministrum esse scribit, ubi forte percnopteros legendum. Porrò cum apud Aristotelem γυπάετος legatur, uoce composita à uulture & aquila (quod etsi aquilæ genus sit, uulturem tamen & corporis specie & ignobilitate præ se fert, ut Aristoteles ipse interpretatur) Gaza ὑπαέτος legit, uertit enim subaquila. Est & buteonis genus quod ad uulturem accedere uidetur, unde gypotriorcha dicendum sit. sed codices

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 234 sur 825

noſtri hypotriorchen habent, & Gaza uertit ſubbuteonem. uide ſupra inter Accipitres de Subbuteone. Vultures qui medij ſunt inter uulturum genus & aquilarum, eſſe tum mares tum nigros colore audio, & nidos extruere, in quibus non oua ſed pullos ſtatim pariant, Aelianus. Subaquilum pro ſubfuſco Plautus in Rud. dixit. Eia corpus cuiuſmodi, Subuolturium? illud quidē ſubaquilum uolui dicere. Subuulturium interpretantur rapiens ad ſe homines, quemadmodum ſolent uultures. Gypæeto uoci uicina eſt uox grypæetus. γρυπαίετος χαλκηλάτης, καὶ ῥήματ' ἱππόκρημνα, Ariſtoph. in Ranis. Scholia γρυπαίετος interpretantur, inſignia ſcutorum peregrina (ἀλλόκοτα:) quod aquilas in ſcutis pingere ſolerent. Sunt quidem aquilæ omnes γρυπὰι, id eſt roſtris recuruis, unde & gryphes dictæ uidentur. & naſum aquilinum plerique nominant, quem Græci γρυπὸν. Aegypios, de quo copioſius ſcripſi ſuprà inter Aquilas diuerſas ueterum, ex ipſa nominis compoſitione partim ad uulturum partim ad aquilarum genus pertinere uidetur, ut eadem cum gypæeto exiſtimari poſſit. Circa Gazaram urbem Aegypti murium tanta copia eſt, ut niſi abundarent illic aues percnopteri dictæ Ariſtoteli, à Gallis boudrées, à quibus deuorantur, periculum foret ne fruges omnes ab iis conſumerentur, Bellonius in Singularibus.

¶ Alrachme eſt auis magna ſicut miluus, plumis corporis albis, & pēnis alarum nigris, edit carnes putridas & ſimiliſa, in Syria abundat, And. Bellunenſis. Vocatur autem rachame (uulgaris lectio habet rachamat) apud Auicennam lib. 2. cap. 589. ubi remedia aliquot ex eius felle deſcribit, his uerbis: Auis rachame fel deſtillatur cum oleo uiolaceo in aurem oppoſitam aduerſus hemicraneam & aurium dolorem. Fit ex eodem caputpurgium medicamentum pro infantibus, (pueris,) aut infunditur in nares eorum ut flatus (incluſi) diſſoluantur. Fit etiam ex eo alcohol ad albedinem (leucoma) oculi cum aqua frigida. Filius Alpatrich docet, fel huius auis exiccari in uaſe uitreo in umbra, fieriq; inde alcohol in latere morſus uiperæ, quod non eſt ueriſimile. Aliqui experimētum eius prædicarunt ad uenenum ſcorpij & ſerpentis, & uiperæ maioris, per illitionem ut uidetur. Fimum eius ſi ſuffiatur fœtum expellere traditur, Hæc Auicenna. Fimus rocham ſuffitus fœtum expellit, Serapio ex Dioſcoride, qui fimum gypòs, id eſt uulturis, hoc facere dicit. Syluaticus & uetus gloſſographus Auicennæ, alrachame (etſi apud illos corruptè legitur arathamati, aracamati, & akakamati) exponunt auem quæ dicitur frangens oſſa, id eſt, oſſifragam. Sed alrachame gypæetus potius mihi uidetur, auis inter uulturis & aquilæ naturam ambigens, quæ & oripelargus, id eſt ciconia montana dici poſsit, propter pennarum colorem in alis nigrum, reliquo corpore albicantem. Vide infra in oſſifraga. Acmon, ἄκμων, genus aquilæ apud Varinum exponitur, quæ uox ab Hebraica rachame uel rocham facta uideri poteſt. Plura de Hebraica uoce racham, lege infra in Cygno A. Aquila percnopterus, quaſi uermicularia, aut uermiculata ab alarum notis & coloris pennarum uarietate. & fortè non imperitè Albertus conijcit hoc genus aquilæ eſſe miluum, Niphus. ego neq; Niphi ſententiā de huius alitis colore, pbo, & minus Alberti qui miluo eandē ſuſpicatur.

¶ Auis illa cuius figuram damus à præclaro typographo Io. Heruagio ad nos miſſam, ſi non eſt gypæetus uel oripelargus, ex altero parente ſaltem huius generis aquilæ nata uideri poteſt. nam roſtro uulturem, colore ciconiam fermè refert, ignobilis & ignaua. Noſtris aucupibus ignota eſt, nunquam apud nos quod ſciam capta. Sed anno ſalutis noſtræ 1551. Septembris die 29. cum nix inſolita caderet, huius generis auis alis grauatis madidisq; in locum ſub dio anguſtum ciuis cuiuſdam ædibus adiunctum incidit. Magnitudo eius (ut Heruagius ad nos ſcripſit) per omnia referebat ciconiam forma & coloribus. Carniuora erat, piſces non attingebat, frigoris impatiens, corpore intenſo calore, ita ut tangentium manus frigidæ mox incaleſcerent. Quatuor aut quinq; horis uno loco immota ſedebat, & Solem aliquando ſplendentem intuebatur. Gallinæ & aues innocuam oderant. Illam plus menſe domi aluí, cibum manibus præbui, è quibus bolos deuorauit, fruſta unguibus decerpſit, & cum non biberet ex roſtro ſtillas aqueas emittebat. Tandem inter falcones ad magiſtrum equitum Galliæ deportata eſt, Hæc Heruagius.

DE HALIAEETO, ID EST AQVILA MARINA.

HALIAEETVS, ἁλιαίετος, aquila eſt marina, quanquam etiam lacus adit, ut Ariſtoteles teſtatur. Varinus ἁλίαετος ſcribit quatuor ſyllabis, & ſpiritu tenui ab initio, quod equidem non probo, in A. elemento, & in uoce πρίοχος. Ἁλιαίετος genus aquilæ eſt in mari uictum quærentis, Scholia Ariſtophanis. Niſum fabulantur in auem mutatum, quæ apud Latinos nomen retinuerit, (etſi multi uulgò accipitrem minorem, niſum appellent,) Græcè uerò haliæetos dicatur. Et modo facius auis fuluis haliæetus alis. quanquam impreſſi codices habent, halyætus in alis. Vide ſupra in Accipitre a. item in Cirrhide, ubi fabulam Niſi ex Ouidio, Vergilio, alijsq; deſcripſi. Apparet liquido ſublimis in aere niſus, Verg. 1. Georg. inter ſerenitatis ſigna. Fuit & alius Niſus Hyrtaci filius, indiſſolubili amicitiæ uinculo coniunctus Euryalo, quorum hiſtoriam copioſè deſcribit Vergilius 9. Aen. Thyr uel thyrna auis eſt, ſimilis accipitri marino, Kiranides. uidetur autem accipitris marini nomine haliæetū intelligere. Linachos apud authorem libri de nat. rerum & Albertum Magnum pro haliæeto ſcribitur. Aquilæ quintum genus eſt quod haliæetus, hoc eſt marina uocatur, ceruice magna, & craſſa, alis curuantibus, cauda lata, moratur hæc in littoribus & oris, accidit huic ſæpius, ut

cum

tum ferre quod ceperit nequeat, in gurgitem demergatur, Aristot. Et rursus, Aquila marina clarissima oculorum acie est, ac pullos adhuc implumes cogit aduersos intueri solẽ, percutit eum qui recuset, & uertit ad solem. Tum cuius oculi prius lachrymarint, hunc occîdit, reliquum educat. Vagatur hæc per mare & littora, unde nomẽ accepit: uiuitq; auium marinarum uenatu; ut dictum est. Aggreditur singulas, cum emergentem obseruarit, refugit auis ut euolans uidit aquilam, & metu perculsa se rursus ingurgitat, ut in diuersa prolapsa emergat. Sed hæc acie oculorum ualens, sedulò aduolat donec uel strangulet in humore, uel per summa corripiat. Vniuersas nunquam inuadit, arcent enim frequentes, respergentesq; suis alis repellunt, Hęc Aristot. sed eadem fere omnia Plinius transtulit ad morphnon siue anatariam aquilam. potest autem fieri ut cum utraque auibus aquatícis uictitet, simili in uenatu earum ingenio utatur.

¶ Haliæetus clarissima oculorum acie, librans ex alto sese, uiso in mari pisce, præceps in mare ruit, & discussis pectore aquis rapit, Plinius. fertur autem de catarracta quoq;, & aquila anataria nostra, quam miluum palustrem uocamus, & ispida, & cepphi quodam genere, quæ similiter piscibus uiuunt, præcipites eas in aquam delabi. unde & nomen catarrhactæ apud Græcos: & ispidam Galli plumbinam uocant, quòd plumbi instar rectà in aquam cadat: & Itali eodem nomine haliæeton, l' aquila pionbina, quam in maiorem minoremq; diuidunt, nescio à sexûne tantum an specie diuersa; magnitudine distinguentes. ¶ Haliæeti suum genus non habent, sed ex diuerso aquilarum coitu nascuntur. Id quidem quod ex ijs natum est, in ossifragis genus habet, è quibus uultures progenerantur minores: & ex ijs magni, qui omnino non generant, Plinius ex Mirabilibus Aristotelis. uide supra in Aquila c. ¶ Haliæetus tantum (id est solus inter aquilas, sed alij hoc de aquila simpliciter scribunt, ut etiam quòd acutissimo omnium uisu sit, alij de haliæeto, ut docuimus in Aquila c.) implumes etiamnum pullos suos percutiens, subinde cogit aduersos intueri Solis radios: & si conniuentem humectantemq; animaduertit, præcipitat è nido, uelut adulterinũ atq; degenerem, illum; cuius acies firma contrà steterit, educat, Plinius. Aristoteles scribit aquilam pullos cogere oculos aduersus Solem aperire, & illum qui intueri Solem sustineat, pro genuino agnoscere: alterum ejicere, qui haliæetus fiat, Scholiastes in Iliad. ρ. Vide in Aquila c. ¶ Aquila marina (inquit Oppianus lib. 2. Ixeuticorum) inter amphibias aues præstantissima est: specie quidem terrestribus aquilis non dissimilis: sed è mari uictitat, & piscium præda, illorum maximè qui sublimius & in superficie aquę natant, ita ut corporis ipsorum pars aliqua sub conspectum ueniat. At non perpetuus eis successus est. Interdum enim cum in maiores pisces aduncos unguium mucrones infixêre, nec in altum leuare possunt, pondere uicti unà cũ piscibus pessum eunt, & perduntur magis quàm perdant ad imum pelagi fundum, quo pisces urgente dolore se recipiunt. Hos aiunt spurium esse fœtum terrestrium aquilarum, ideoq; à paternis nidis repelli, deinde per alios quosdam alites educatos, neglecta terra maritimum uictum amplecti. quamobrem conspectus ipsorum exoptatus bonique indicij (nimirum copiæ piscium) apud piscatores habetur, Hæc Oppianus. Est & theocronus eidẽ aquilæ genus spurium, quod similiter piscibus insidiatur. ¶ Columbæ sibi timent ab aquilis marinis, Aelianus duobus in locis. Haliæetus rapina pascitur, sed quia uiribus destituitur, minoribus tantum auibus; quibus prævalet, infestus est, Rodolphus in Leuticum.

¶ Secundum genus accipitris, quod haliæetum dicere possumus, priore minus est, alis crassis; pro sui corporis magnitudine breuibus, unguibus crassis, oculis magnis & obscuris, (Aristoteles ossifragæ obscuros oculos tribuit, haliæeto perspicacissimos.) Non citò mansuescit, quamobrem à multis odio habetur. Anno primo cicurationis parum ualet, secundo magis placet, tertio demum satis bene aucupatur, Author libri de nat. rerũ, cuius nulla apud me authoritas: & hîc quoq; haliæetum imperitè inter accipitres adnumerat.

¶ Haliæetus cur in uetere Testamento mensis interdictus sit, dictum est supra in Aquila F.

¶ Aquilæ quam diximus pullos ad contuendum Solem experiri (id autem dixerat haliæetum facere) mixto felle cũ melle Attico, inunguntur nubeculæ & caligationes & suffusiones oculorum, Plinius. alij aquilæ felli simpliciter hanc uim adscribunt.

¶ Βαθὺν δ' εἰσέδραμε φᾶσιν Ἀιητὸς ὣς μέγα λάϊτμα, ἀφ' ὅ τότε χειροδόκης ἔστιν, Theocritus Idyllio 13. de nauc Argo. uidetur autem per ἀιητὸν intelligere ἁλιάετον. ¶ Κρατεροί τ' ἁλιάετοι ἁρπακτῆρες, Oppianus lib. 1. de piscatione, numerãs eos inter aues qui piscibus uiuunt. ¶ Ἐπὶ ποίην ἰοφείην ἁλεὴς Ἁλιαιέτους ἠὲ γῦπας; ἐχθόεσσ', ὅτε Ἴλιον εἰς αὖ δῶρ' ὀίχοιτ' ἁρπάσας; Aristophanes in Auibus, haliæetos & uultures multò maiores miluis esse insinuãs, maioríq; epulo indigere. Si cirrhidem (quæ ex puella in auem mutata fertur, &c. uide in Cirrhide supra) auem haliæetus oberrãtem uiderit, mox eam per insidias captam perdit, Oppianus lib. 2. Ixeut.

¶ Hebraicam uocem עזניה, asnija, qua auis immunda significatur Leuit. 11. & Deut. 14. Septuaginta interpretes haliæetum uertunt: Iudæi quidam gryphem, aliqui Gallicè esmerellon, id est accipitrem uulgò dictum smerillum: nomen ei impositum est à multo robore & fortitudine, ut Kimhi scribit. In ijsdem locis ueteris Testamenti aliqui etiam פרס, peres, haliæetum interpretantur, alij aliter: Vide in Accipitre A. & in Capite de accipitribus diuersis. In Auicennę interpretatione pro haliæeto alchilim redditum obseruaui.

¶ Haliæetum Turnerus Germanicè interpretatur ein Vißhårn, nostri scriberent Fiſchar, id

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 236 sur 825

est piscium aquilam. Est in terra nostra (inquit Albertus lib. 2. de animalib. & alibi) genus aquilę parvum, quod aquila piscium uocatur. pisces enim tãtum uenatur. huius pes alter digitos membranis iunctos habet ut palmipedes, ad natandum idoneus: alter fissos, unguibus uncis & acutis, aquilæ instar, ad capiendum aptus. Idem ab eo repetitur lib. 23. ubi hoc quartum genus aquilæ facit. est autem (inquit) uarium, in uentre album, & nigrum in dorso: & in struma etiam nigras habet maculas. insidet arboribus super flumina & stagna piscibus insidiãs. Haliæetus Anglicè uocatur an osprey (inquit Turnerus) Anglis hodie notior quàm multi uelint, qui in uiuarijs pisces alunt. nã pisces omnes breui tempore aufert. Piscatores nostrates escis fallendis piscibus destinatis, haliæeti adipem illinunt aut immiscent, putantes hoc argumento escam efficaciorem futuram, quòd haliæeto sese in aere librante, pisces quotquot subsunt (natura aquilæ ad hoc cogente, ut creditur) se resupinent, & uentres albicantes, ceu optionem eligendi illi facientes, exhibeant, Hæc ille. Quidam haliæetum Germanicè Soter interpretatur, Illyricè ostrziss: quæ uox cum Anglica ostrey conuenit. Aurifrigius est auis sic dicta quasi auram Phrygiam sequens (ridicula etymologia:) habet autem pedem alterum uncis unguibus ad prædam instructum, alterum latum ad natandum. Giro multiplici utitur in aere, nunc more ludentis, nunc more insidiantis, donec præda in aquis uisa impetuosè descendit, altero pede prædam rapiens, altero natante rapientem adiuuans, Obscurus & Vincentius Belluac. Audiui & ipse ab Anglis ospreium ipsorum pedem unum anseris habere, alterũ milui: quem & magnitudine referat, pectore albo esse, pisces maximos capere, oleum (adipem) in cauda pretiosum continere: uolitare per aerem, & in eo ueluti pendere uideri interdum, tum demittere adipis aliquid in aquam, unde statim pisces attoniti uertantur supini: illum mox rectà præcipitem ferri instar lapidis, & unum ex illis altero pede adunco suo arripere. Burgundi etiam auis, quam crot peschерot, id est coruum piscatorem appellant, pedes similes & eundem piscandi morem esse ferunt: qui cum piscem pede altero aquilino in aqua corripuerit, & propter pondus ex aqua euolare nequeat, altero quo palmipes est ad ripam usq; remiget. Cæterum aurifrigij nomen corruptum coniecerim à porphyrione: de quo similiter à Vincentio & Alberto scriptum inuenio, pedem alterum ei tanquam anseris esse, alterum digitis fissis: quod quidẽ ueteres neq; de porphyrione, neq; de haliæeto, neq; de ulla omnino aue, quod sciam, prodiderunt. Aut fortè aurifrigij nomen confictum est ad imitationem Gallicę uocis orfraye, quæ rursus corrupta uidetur ab ossifrago Latinorũ. quanquam Galli non ossifragum hoc nomine, sed haliæetum intelligunt, Bellonio teste. qui in Singularibus suis, Ophraye (inquit) Gallicè dicta auis haliæetus est, qui super fluuios & stagna plerunq; cernitur. Is in conspectos pisces rectà lapidis instar ex aere descendit. & quanquam Gallicũ eius nomen orfraye ad Latinum ossifragus accedat, diuersum tamen hoc aquilæ genus est. Sed rursus in Libro de piscibus in Aquilæ marinæ piscis historia haliæetum Græcorum cum Latinorum ossifraga confundit; auem unam & eandem faciens. Itali (inquit ibidem) lacum Lemanum incolentes (forte, Larium accolentes) Agnistam piumbinam uocant, Galli offraye.

¶ Haliæetum aliqui è recentioribus falconem, alij accipitrem, alij nisum interpretantur, omnes ineptè. Apud Sabaudos audio nominari aygle de mer, id est aquilam marinam, (non aliam puto quàm haliæetum auem:) & aliam bousat de mer, id est buteonem marinum, de quibus certi nihil scribere possum. Scoppa Grammaticus Italus haliæetum facit smerillum uulgò dictum, aut illum qui uulgò muscetus dicatur: ex quorum historijs (quas inter accipitres collocauimus) facile quiuis quantum ab haliæeto differant, iudicârit. Accipiter (absolutè dictus) minor est aquila truncali uulgò nominata, & maior quàm aquila quæ pisces rapit, Albert. ¶ Accipitris marini Kiranides & Aelianus meminerunt, qui inimicus sit coruo.

DE MELANAEETO SEV VALERIA AQVILA.

TERTIVM genus aquilæ, inquit Aristoteles, colore nigricat, unde & melanæetus (uel melanætus. nam melænaëtum scribi per diphthongum in secunda syllaba, ut impressi codices Aristotelis habent, quos etiam Hermolaus sequitur, non probo. Apud Eustathium rectè μελαναίητ@ scribitur. Gaza pullam & fuluiam reddidit, sed fuluus color nihil cum pullo aut nigro commune habet) uocatur. magnitudine minima, sed uiribus omnium præstantissima hæc est. Colit montes ac syluas, & leporaria cognominatur. una hæc fœtus suos alit atq; educit. pernix, concinna, polita, apta, intrepida, strenua, liberalis, non inuida est: modesta etiam, nec petulans, quippe quæ non clangat, neque lippiat, aut murmuret. De uerbo lippire, uide supra in Aquila C. Est autẽ non hæc tantum aquila nigra, sed etiam morphnos, id est anataria, quam Phemonoë (ut Plinius scribit) aquilarum nigerrimam esse prodidit. Albertus etiam herodium, sic aquilam germanam uocat, totum nigrum esse author est, cui tamen Plinius & Aristoteles ruffum aut subrutilum colorem tribuunt. Genera aquilarum non æquè omnia prolem fastidiunt, sed pygargus præcipuè in alendo difficilis est, benignior quæ toto nigricat colore, Aristot. & Auicenna. Melanæetos à Græcis dicta, eademq; ualeria, minima magnitudine, uiribus præcipua, colore nigricans: sola aquilarum fœtus suos alit: cæteræ, ut dicemus, fugant, sola sine clangore, sine murmuratione. conuersatur autem in montibus, Plin. Valeria Hermolao dicta uidetur quòd uiribus præcipuè ualeat: nisi (inquit) inularia legendum est. sed

Aristoteles

Aristoteles aliud aquilæ genus, nempe pygargum, νεβροφόνον, id est inularia cognominat. melanaëtus uerò aquila leporaria Latinè dici poterit, ut Gaza reddit pro Græca uoce λαγωφόνος, λαγοθήρας, aquilæ species, Hesychius & Varinus. Captant autem etiam germanæ aquilæ lepores. Apud Varinũ in uoce Τέρχνος, inepte scribitur μελανοδίητος pro μελανάετος. Πηλείδης δ' ἀπόρουσεν, ὅσσον τ' ὠκὺ δρόμος ὀρῶλιν, Αἰετὸς ὠίματ' (aliàs ὄμματα, sed Eustathius mauult ὠίματα) ἔχων μέλανος τοῦ θηρητῆρος, ὅς τ' ἄμα καρπὸν τε καὶ ὠκίστους πετεηνῶν, Homerus Iliad. φ. comparat autem aquilæ nigræ Achillem, quem similiter ut illam fortissimum & celerrimum facit. Eustathius hunc locum enarrans melanæetum aquilam scribit phassophonon etiam, id est palumbariam nominari, ubi lagophónon legendum est. sic enim ab Aristotele nominatur. meritò autem si aquila hęc fortissima est à leporum potius quàm palumbium præda denominabitur. descripsisse autem locum ex Aristotele Eustathium apparet, quoniam hoc etiam addit, esse hanc aquilam paruo corpore, sed cæteris robustiorem. Phassophonon quidem nos ex Aristotele inter accipitres describimus. Porrò pro μέλανος τοῦ θηρητ. aliqui legunt μέλανός τε, id est nigri alicuius uenatici alitis. alij μελανόσσε, nigros oculos habentis. alij denique μελανόστε, nigra ossa habentis, (quod contra naturam uidetur.) Sed omnes uidentur reprehendendi, scribendumq; μέλανος τοῦ (per articulum, nõ pronomen enclíticum) θηρητ. ut Eustathius annotauit. Melanæeti & aliarum quarundam aquilarum nido inædificatur lapis aëtites, teste Plinio, de quo plura scripsimus in Aquila c. & g. Primo & secundo generi aquilarum, non minorũ tantum quadrupedum rapina, sed etiam cum ceruis prælia. multum puluerẽ uolutatu collectum, insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora uerberans, donec præcipitet in rupem, Plin. ¶ Illustris Marchio Montherculeus in eo libro quem scripsit de falconibus, melanęetum esse credit genus falconis quod uenatores uocant hierofalcum: quòd & nigro colore sit, & montes syluasq; colat ac lepores captet, Niphus. Albertus Magnus tertium aquilæ genus (quod melanaëtus Aristoteli est) interpretatur aquilam quæ uulgò truncalis dicatur, Stockarn, quòd arboribus (forte truncis arborum) insidere soleat. Hoc (inquit) rapit animalia parua si quæ occurrunt, & etiam anates & aliquando anseres & huiusmodi. minus primo & secundo genere, cinerei coloris. sed color melanæeti niger non cinereus prodítur. Audio in Gallia uel Sabaudia cinerei ferè coloris aquilas sępe conspici, quæ non solæ sed quaternæ aut quinæ simul uolitent. Accipiter minor est aquila truncali, sed maior quàm aquila quæ pisces rapit, Albertus. Erna uulgò dictum genus aquilæ nigrum, per hyemem apud Frisios circa Oceanum Germanicum cernitur. hanc genus quoddam cornicum sequitur, & prædę ipsius reliquijs inhiat.

DE OSSIFRAGA.

OSSIFRAGVS siue phinis, & ut Aristoteles appellat phine, alienos fœtus cum suis alit, quos aquilæ nutriẽdi tædio eiecerint, Hermolaus Barb. Et rursus, Differt ossifragus ab ossifraga, etiamsi confundunt aliqui, quòd ossifraga septimum est aquilæ genus, quæ barbata dicitur (harpe auis ab Oppiano sola barbata memoratur, & uel eadem cum ossifraga est, uel saltem cum ea confunditur: uide in Harpe) & sanqualis, ossifragus uerò qualem indicaui, &c. Ego nullam huiusmodi apud authores differentiam inuenio. Plinius masculino genere ossifragum profert: Lucretius ossifragam fœminino, Marcellus Empiricus utroq;. Gaza ex Aristotele φλῶν ossifragam reddere solet. Ego utro genere efferatur nihil interesse & eandem auem significari dixerim. Phinis (ut Hermolaus & Cælius scribunt) φλώνης, ut χρύσης, casu recto non inueniri puto, sed φλώη tantum ut μύλη. Φλώη, auis est aquilæ similis, ἀετώδης, Eustathius. ἔδδς ὀρνέων ἴσον ἀετῷ, Suidas. Ossifraga uulgò appellatur auis quæ ossa ab alto dimittit & frangit, unde & hoc nomen accepit, Isidorus. Aristoteles sex aquilarum genera facit, quibus ossifragam non adnumerat, nimirum tanquam degenerẽ, & ex haliæetis nascentem ut mox dicemus. Aquila germana (inquit idem) maxima aquilarum omnium est, maior etiam ossifraga, μείζων ἡ φλώνης. Sex aquilarum generibus quidam adjiciũt genus aquilæ quam barbatam uocant, Thusci uerò ossifragam, Plinius. Cabarum (inquit Auicennæ interpres in historia animalium) id est ossifraga, lingua Arabica dicitur belez, & Persicè, ut puto, hamoni. Arathamati, id est frangens ossa, Syluaticus. apparet autem uox corrupta pro alrachame: quam uocẽ pro uulture positam reperio apud Auicennæ interpretem in historia animalium. Raham uel racham, רחם, auis quædam sic dicta quòd sit benigna in pullos suos quam Iudæi nostrates picam interpretãtur. translatio nostra habet Porphyrio, Leuitici cap. 11. Munsterus, Scio Hebræis uocem rahã significare misericordem & benignum: & cum ossifragæ benignitas in alendis tum suis tum aquilæ (quos è nido parentis eiectos suscipit) pullis celebretur, eandem esse auem credi potest. Aut forte latius patet uocabulum racham, ita ut uulturem, ossifragam & gypæetum cõprehendat. Vide supra in Gypæeto. Auis quæ Græcè kym (corrupta uox à φλώη) Arabicè cekar uocatur, quam Auicenna uocat kabin, eiectum aquilæ pullum recipit & nutrit. Et hoc apud nos (quanquam in montibus nostris plurima sunt genera aquilarum) nunquam licuit experiri, nisi quòd fama uulgaris est quòd aquila quosdam pullos eijciat: & alia quædam parua aquila & nigra eiectos quum inuenerit nutriat, qui cum adoleuerint ita ut iam uolare queant, deuorent nutritores suos, Albertus. Et alibi, Pullos ab aquila eiectos dicunt aliam auem colligere quam Græci fehit, (uox corrupta pro φλῶν) Latini fulicã dicunt,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 238 sur 825

ut quidam interpretantur, sed falsò. nam quæ fehit uocatur auis consubæ (sic habet) species est, quæ aquilam non nutrit. fulica autem est mergus niger uocatus, & anate minor, quæ similiter aquilam nullo modo nutrit, Hæc ille. D. Ambrosius etiam & alij quidam recentiores φάλω fulicam non rectè interpretantur. Auis quam cuni Græci quidam uocant, reuera est illa quam alij cyfred uocauerunt, & Latinè uocatur ossifragus. deijcit enim ossa ex alto super saxa, ut eis confractis medullam edat, Albertus. Idem libro 23. ubi aues singulas ordine literarum describit, ossifragam uocat kyrij, uel ut alij legunt, kynium, suprà kym scripsimus: quæ uox pro kyni forte corrupta est, aut contrà. nam m. litera & ni syllaba, facile inter se permutantur, in dictionibus barbaris præsertim: ego kyni duabus syllabis potius legerim, cum etiam cuni alibi scribatur: quæ forsitan uox à Græca φήνη corrupta est, ut aliæ pleræq; à scriptoribus Arabicis ita detortæ sunt à Græcis ut origo uix agnoscatur. ¶ Chym uel kym auis est aquila (aliàs uulture) maior: & hoc genus aquilæ quidam gryphem esse putant, Albertus: qui alibi etiam nomen kym pro uulture ponit.

¶ Ossifragæ magnitudo maior quàm aquilæ, color ex cinere albicans, Aristot.

¶ Parum oculis ualet. nubecula enim oculos habet læsos, Aristot. Carniuora est, Idem. Accipitres, ossifragæ, mergi, Longè alias alio iaciunt in tempore uoces, Lucretius. Ossifraga probè & fœtificat & uiuit. cœnæ gerula & benigna est. nutricat bene & suos pullos & aquilæ. cum enim illa suos nido eiecerit, hæc recipit eos ac educat, Aristot. Plura lege in Aquila c. de hac alite excipiente & alente eiectos aquilæ pullos. Haliæeti suum genus nõ habent, sed ex diuerso aquilarum coitu nascuntur. id quidem quod ex ijs natum est, in ossifragis genus habet, è quibus uultures progenerantur minores: & ex ijs magni qui omnino non generant, Plinius. uide in aquila c. Phene auis non solum carnes sed etiam ossa rodit & frangit, Kiranides.

¶ Κλαῖον δὲ λιγέως, ἀδινώτορον, ἢ τ' οἰωνοὶ Φῆναι, ἃ αἰγυπτοὶ καμπώνυχες, οἵσι τε τέκνα Ἄγρόται βέλεσσιν πάρος ὠκυπόροισι δάμασσαι, Homerus Odyss. π. de Vlysse & Telemacho filio eum agnoscente, huius generis alitum erga sobolem suam amorem celebrans. Quem locum imitatus est Oppianus lib. 1. de piscatione: Καὶ μήν τις φήνης ἀδινὸν γόον ἔκλυεν ἀνὴρ Ὀρθαῖον, ἀμφὶ τέκεσσιν, &c.

¶ G. Ossifragi uenter arefactus & potus (madefactus & appositus, in codice Marcelli empirici, quod non placet,) iis qui cibos non conficiunt, utilissimus, uel si manu tantum teneant capientes cibum. quidam adalligant ex hac causa, sed continuare non debent. maciem enim facit, Plinius. Vnum est ossifrago intestinum mirabili natura omnia deuorata conficienti. huius partẽ extremam adalligatam prodesse contra colum constat, Idem. huius pars extrema colligitur & reponitur, & cum opus fuerit, uentri laborantis alligatur. remedio miro omnes intestinorum dolores citissime sanat, Marcellus empiricus. Auis ossifragæ partem crematam potu morbum comitialem tollere quidam referunt, Trallianus ex Archigene. Ossifragi uentrem arefactum contra calculos & alias difficultates ueficæ commendant, Plinius. Ossifragi auis uenter particulatim potus calculos cum lotio pellere proditur, Dioscorid. Idem remedium Kiranides scribit de uentre harpyię auis. Auis ossifragæ uentriculus salitus ut seruari possit, aut exustus & in puluerem redactus, cum uini potione datus, urinam efficaciter prouocat, Marcellus. Eadem ferè remedia etiam harpæ aui attribuuntur, ut suo loco referam. ¶ Phenes os ad coxam suspensum, crissos, id est uarices in pedibus curat, Kiranides. Fel eius cum melle albedinem (leucen) & lepram sanat, Idem. Stercus aridum tritum si quis biberit uel gestauerit, concoctionem perfectam reddet; & calculosæ affectioni & dysurię medebitur, Idem.

¶ H. a. Ossifragus, qui ossium fractura debilitat quempiam, Cassius Seuerus apud Senecam lib. 6. controuersiarum. ¶ φήνειον, mons ita dictus, Suid. φήνεια, oppidum in Arcadia Stephano.

¶ Ossifragam & harpam aues Mineruæ attribuunt, Gillius. Minerua è Pylo abijt φήνῃ εἰδομένη, id est ossifragæ similis, apud Homerum Odysseæ γ. ubi interpretes phenen auem aquilæ similem faciunt. Honestior autem (inquit Eustathius) hæc comparatio Mineruæ ad ossifragam est, quàm illa, Ὄρνις δ' ὡς ἀνόστοισι δέπτατο, nam φήνη uidetur denominata παρὰ τὸ φαίνω. est autem Minerua φωσφόρος, id est lucifera. Cæterum anopæam auem aliqui genus aquilæ simile ossifragæ esse tradunt: Vide supra in capite de aquilis diuersis.

¶ Sanqualem auẽ atq; immussulũ augures Romani in magna quęstione habent. Immussulum aliqui uulturis pullum arbitrantur esse, (uide supra in Aquilis diuersis plura de immussulo:) & sanqualem ossifragæ. Massurius sanqualem ossifragam dicit esse. Quidam post Mutium augurem uisos non esse Romæ confirmauêre. ego, quod ueri simillius est, in desidia rerum omnium non arbitror agnitos, Plinius. Sanqualis auis est quæ osifraga dicitur, Festus. Alites uolatu auspicia facientes istæ putabantur, buteo, sanqualis, immusculus, &c. Idem. quod & alibi repętit, quem locum mutilum supra sub immussuli mentione inter aquilas diuersas expleuimus. Fuit diu quæstioni an sanqualis & immussulus inter aquilas censendi forẽt: quorum uolatus licet æuo priore incognitus, secundissimos habere euentus censebatur, Alexãder ab Alex. De augurio ex prepetibus auibus, ut buteone, sanquali, &c. uide in Aquila h. Sãqualis porta appellatur proxima ædis Anci, Festus.

¶ Immusculus (legerim, immussulus) auis genus, quam alij regulum, alij osifragam dicunt, Festus.

¶ Quintum aquilarum genus (inquit Albertus) apud nos est perparuum & uarium, & à quibusdam uocatur frangens os, eò quod quando carnes ossium comedit, ossa in altum subuecta super

lapidem

lapidem deiecit, & ex fractis ossibus medullam iugit, Hæc ille. sed cum paruulam admodum hanc aquilam esse scribat, non potest esse ossifraga aut φήνη, quam Aristoteles omnibus aquilis, excepta tantum germana, maiorem facit. Audio in montibus Heluetiæ nostræ auem aquilini generis nominari beinbrecher, hoc est ossifragam: ab alijs ſteinbrüchel, quasi dicas saxifragam: quoniam ossa (ut ex Alberto retuli) saxis iniecta confringat: de hac olim amicus quidam ex Clarona insigni Heluetiæ pago sic ad nos scripsit. Ossifraga quam uidi annicula erat, capite nudo & flauo colore, rostro incuruo, plumis albis: alæ hinc inde nigras habebant pennas ueluti ciconia. affirmabat auceps eas crescere ferè in magnitudinem uulturis, & omnino flauescere: & ex interioribus eius plumis, quæ teneriores sunt, pelliculas pretiosas fieri, ut ex uulturibus quoq; , ad fouēdum nimirum debilem ac frigidum uentriculum, Hæc ille. Rursus ab alijs accepi, hanc auem aliquanto minorē uulture esse, eiusq; genus quoddam uideri: colore fusco, cum uultur pectore, collo & capite magis flauescat: rarò capi: & si quando à montibus propius ad domos & pagos aduolarit, hyemem propinquam & aspe ram expectari. Item ab alio, auem esse tantam, ut spatium ab ala extrema extensa ad alteram, orgyiam siue ulnam excedat: uaria animātium genera inuadere, mures alpinos, rupicapras paruulas: nidificare in rupibus: singulas & solitarias agere, colore ex castaneo nigricante. Sed hæc forsitan aquilæ ueræ descriptio fuerit, ego nihil affirmo. ¶ Sabaudi aquilæ quoddam genus nominant aigle courte, id est aquilam breuem: & auem diuersam freynno: quam fortè Aristotelis φλῳὸν esse, nō alio quàm ex nominis collusione parum firmo argumento ductus, amicus quidam ad nos scripsit. ¶ Orfraye auis Gallicè dicta, propriè ossifragus est: etsi quidam hoc nomen caprimulgo impropriè tribuant, qui ab alijs rectius uocatur fresaye uel effraye, Bellonius in Singularibus. Et rursus, Græci suam phenen scribunt præcipuè benignæ esse naturę, & tum suos tum electos aquilę pullos bene nutricare, &c. hinc factum & nomen (ut conijcimus) & figmentum de phœnice aue apud recentiores, quæ auis super nido pingitur pectus suum dilaniās, ut cruore proprio pullos pascat. quanquam uerò Galli ophraye (aliàs orfraye) auem appellant, quæ ex uocabuli uicinitate ossifragus uideri posset, non ossifragus tamen sed haliæetus est, & circa aquas præda piscium uiuit.

DE PYGARGO.

PYGARGVS, πύγαργος, genus aquilæ sic dictum ab eo quod caudam habeat albam, ἀπὸ τοῦ γλὼ ἔχειν ἀργὸν καὶ λευκόν, Hesychius & Varinus. Pygargus (ab albicante cauda dicitur, ac si albicillam nomines, ut Gaza de suo addit) aquila, gaudet planis, & lucis & oppidis. hinnularia (νεβροφόνος) à nonnullis uocata cognomine. montes etiam syluasq; suis freta uiribus petit, reliqua genera rarò plana & lucos adeunt, Aristot. Et rursus, Genera aquilarum nō æquè omnia prolem fastidiunt: sed difficilior in alendo pygargus. Multæ aues quibus nutrimentum non sufficit pro omnibus pullis eijciunt aliquos, & imprimis genus illud (scilicet aquilæ) quod dicitur barbatum, Auicenna. Pygargus in oppidis mansitat & in campis, albicante cauda, Plinius. Pygargus & alia quædam aquilarum genera inædificant nido lapidem aëtiten, Plinius. Aëtites nomen habet à colore aquilæ candicante cauda, Idem. Pygargus Aristotelis maior est morphno, & melanæeto quæ minima est aquilarum: minor autem percnoptero & germana aquila quæ magnitudine omnes excedit, etiam ossifragam. Pygargo & melanæeto aquilis non minorum tantum quadrupedū rapina, sed etiam cum ceruis prælia. multum puluerem uolutatu collectum insidens cornibus (hæc uel illa) excutit in oculos, pennis ora uerberans donec præcipitet in rupes, Plinius.

¶ Pygargum aliqui putant esse aquilam illam quam uenatores regalem uocant, Niphus. Belisarius meminit miluū regalis, qui minus ualeat uiribus quàm milius niger. Post herodium (sic uocat aquilam germanā) apud nos nobilior aquila est quæ anseres rapit, & cygnos & huiusmodi aues magnas, & etiam lepores & cuniculos, præcipuè quando pullos habent. hæc minor est herodio, uaria ex albis & cinereis pennis intermixtis, sed in cauda penultimæ extremæ pennæ uidentur esse albæ. & alba est in pennis ani, & est breuis admodum caudæ, Albertus. uidetur autem hæc mihi ueterum pygargus. Pygargum (inquit Turnerus) literatores quidam ineptè trappum à Germanis dictum (tardam, uel bistardam) interpretantur. Sed pygargus Anglorum lingua, nisi fallar, erna uocatur, an erne. Ego ernam audio dici genus aquilę quod apud Frisios ad Oceanum Germanicum per hyemem degat, colore nigro, quod cornices quædam ut ex escarum eius reliquijs uictitent sequantur. Pygargus est forte quam Anglicè dicimus ringetayle, Eliota. Sed Turnerus ringtalum Anglis dictum ab albo circulo caudam circumeunte, buteone minorem, subbuteonem Aristotelis esse suspicatur. Quòd si minor est buteone, non poterit esse pygargus. ¶ Eustathius in commentarijs suis in Homerum Iliad. decimo, pygargum (authore Zopyro) ardearū genus illud facit, cui in coitu oculi sanguine manent. sed Aristoteles pellon ardeam difficulter coire scribit, pygargum uerò inter aquilas tantū recenset. sed Zopyri pygargus ardea, forte stellaris Aristotelis fuerit, quæ & ocnos, id est ignaua dicitur. nam argos & ocnos synonyma sunt. Pygargū (inquit Cælius Rhodiginus) esse aquilæ speciem sciunt omnes: inde Græcis rapacē quoq; indicat uox ea. Sed & in Venerea procliuior sic item dicitur (per antiphrasin, Varinus) ueluti cui minimè sit pyga ociosa. nam ἀργὸν uocant Græci cessantem. Quin & timidum rectè pygargum dixeris, quòd albicās ei sit pyga;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 240 sur 825

cui diuersum est prouerbium, Melampygo necdum occurristi. Hic enim uti Hercules robore intelligitur insignis: proinde leucopygi imbellia infames concipi ferè ualent, Hæc ille ex Varini Lexico ut uidetur: ubi pro ἐκὼν γὰρ οἱ μελάμπυγοι, καθάπερ ἡρακλῆς; lego, ἀνδρεῖοι γὰρ οἱ μελάμπυγοι, &c.

DE AQVILIS DIVERSIS APVD RECENTIORES.

ASTVRES ex genere infimo aquilarum uel miluorum: falcones uerò accipitrum nobile genus antiquis fuisse putamus, Paulus Iouius. Nos asturem uulgò dictum, accipitrem maiorem esse docuimus. Cæterum ex falconum generibus maiores, ut sacrum & hierofalcum aquilis, (sacer quidem ad aquilam germanam proximè accedit:) minores uerò, ut smerillum & lapidarem, &c. accipitribus adnumerandos iudico.

¶ Aquilæ duo genera sunt, aquila absolutè, & altera dicta zimiech uel zumach, Tardiuus.

¶ Aquilæ an accipitris genus sit ignoro, quod apud Germanos inferiores circa Oceanum CATVL appellari audio, accipitre maius, corpore uario ceu maculis aut punctis aspersо, à quo gallinę & anseres rapiantur.

¶ De Aquila truncali Alberti, quæ uulgò Stockarn dicitur, lege supra circa finem historiæ Melanæeti.

¶ Incolæ partis cuiusdam Scandinauiæ aquilæ (coruum ipsi uocant) quodam genere occiso, quod agnos & alia animalia prædatur, rostra præfecto regionis adferunt, ut testentur noxiam auem se occidisse, Olaus Magnus.

¶ IN alpibus quibusdam Heluetiæ, ut circa Curiam Rhetiæ oppidum, & circa Lucernam, auis rapacis genus (aquilæ nimirum) ab agnorum raptu Lammerzig nominant.

¶ IN regione circa Tarnasari urbem Indiæ, complura auium genera sunt, raptu præsertim uiuentia, longè aquilis proceriora. nam ex superiore rostri parte ensium capuli fabricantur. id rostri fuluum est phœniceo colore distinctũ. nihil sanè usu pulchrius, nihil amœnius, aliti uerò colos est niger, & item purpureus, intercursantibus pennis nonnullis, Ludouicus Patritius.

¶ IN India referunt auem esse rapacem, longè aquila maiorem, nigram purpureamq́, intercursantibus pennis candidis: cuius rostrum fuluum, cœruleoq́ seu phœniceo colore distinctum, adeò pulchrè ut nil iucundius usu esse possit: unde & ob pulchritudinem & ob magnitudinem capuli ex rostro huius auis fieri solent. Constat autem prędurum hoc rostrum esse oportere. Hanc uolantium auium maximam esse constat, Cardanus lib. 10. de subtilitate.

¶ INTER Misenam & Bresam Germaniæ oppida, cum rustici multa pecora, uitulos & sues amissa in syluis perquirerent, inuentus est nidus ingens, per tres quercus extensus, tanto spacio ut currus sub illo conuerti potuisset, ex magnis arborum ramis & baculis uel palis cõstructus. Quare in urbe nunciata, homines multi ad nidum missi cum ascendissent, pullos tres maximos inuenerunt, & in urbem asportarunt. è quibus mox unus mortuus est, cuius alæ per transuersum extensæ, septem ulnarum mensuram æquarunt. ungues uiri magni & corpulenti digitis nihilo erant inferiores. crura leoninis maiora. In nido multa uitulorum & ouiũ coria reperta, & hinnulus recens, & capita animantium uaria, ut uir doctissimus & fide dignus Georgius Fabricius ad me perscripsit, anno Salutis quingentesimo supra sesquimillesimum, quo ipso hic nidus æstiuo tempore inuentus est.

DE AQVILA HETEROPODE.

AQVILAE istius picturam ab Argentinensi quodam ciue pictore accepi, homine diligentissimo & auium præcipuè naturæ studioso, qui tamen nihil certi super hac aquila referre potuit. hoc tantum dicebat ab alijs quibusdam pictoribus hanc picturam ceu ueram se accepisse. Nos heteropodem appellare uoluimus, quòd in una hac auium (si uera est pictura) crura coloribus diuersis insigniantur, sinistrum cœruleo, ut rostrum quoq́: dextrum fusco albicante. Venter fuscus est & punctis nigricantibus maculosus, ut pectus etiam & collum. reliquum corpus magis nigricat, oculi subrubent. pars etiam alarum fusca est, & punctis notatur nigris ut uenter. capitis & ceruicis pennæ summæ rigere uidentur: & dorsi initium circa alarum summitates in gibbum attolli.

Hæc subsequens figura Aquilæ heteropodis est.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 241 sur 825



HISTORIA DE ARDEA IN GENERE VBI CVM cæteris ardearum generibus, tum pellæ imprimis ſiue cinereæ uulgò dictæ pleraque conueniunt.

A.

ARDEA diuerſorum generum eſt. apud nos quidem pellam ſiue cineream, ſimpliciter ardeam uocamus, & Ariſtoteles pugnam aduerſus aquilam aliâs ardeæ ſimpliciter tribuit, aliâs pellæ cognomento. Idem de hiſtoria animalium 8. 3. leucerodion erodio minorẽ eſſe tradit, per erodium proculdubio pellòn non aſterian intelligens, quæ tantum tria genera ab eo numerantur. Saxones tamen ardeam ſimpliciter ſua lingua nominantes, de alba intelligunt. Ardeola quanquam diminutiuũ eſt, pro ardea tamẽ ſimpliciter à Plinio & aliis accipitur. ¶ שלך, Schalac, Deuter. 14. & Leuitici 11. nomen auis impuræ, quam Iudæi interpretantur Reiger, id eſt ardeam, Munſterus: aliqui mergulum: Vide ſupra in Mergo poſt anates ſtatim. Ibidem leges de uoce קאת, kaath, uel kaas, quam alij ardeam, alij mergulum, alij aliter interpretantur. Huic finitima uidetur uox ברס, kos, quam exponunt herodium, falconem, nycticoracem, &c. uide infra in Bubone. ſed herodium an pro ardea accipiant, ut Græci faciunt, an pro genere aquilæ, ut recẽtiores quidam indocti, dubitari poteſt. Ardea ſchalach Hebræis à proijciendo, quòd ſe ad capiendum piſces in mare proijciat. nam & Hebræi piſces eam è mari prædari ſcribunt. Chaldæus ſchalenuna uertit, uoce compoſita à ſchalal, quod eſt prædari, & nuna quod piſcem ſignificat, à præda piſcium. Aben Ezra aliam adfert cauſam, nempe quòd abijciat pullos ſuos, P. Fagius. אנפה, Anapha, Dauid Kimhi auem dicit, quam magiſtri uocant ריח רגוגית, daiah ragaſinith, id eſt uulturem ferociſſimum &

uehementíſſimum. Ita quidem R. Salomon interpretatur Leuit. 11. & addit, ſibi uideri auem quam uulgus appellat חירורין, (heron:) Sanctes exponit ardeam. nam heron Gallis ardea eſt. Abraham à celeriter ſpirando nomen tuliſſe notat. Septuaginta & Hieronymus Deuter. 14. charadrium interpretantur: Chaldæus אבר, ibu: ſed uidẽtur Chaldęi anapha potius accípere pro upupa. Perſa an koh, אן בה. Arabs בבגח, babgach. Anapha (inquit Munſterus) aliqui picum, alíj míluum eſſe uolunt. putant autem auem illam ſic uocatam, quod facile iritetur & ad iram concitetur. quam quidam טראת, trapp uulgò (Germanicè) uocant, Hæc ille. Idem graculum interpretatur, Leuit. 11. & Deut. 14. apparet ſanè auem eſſe quæ ſpecies aliquot ſimiles contineat, quoniam additur iuxta genus ſuum. חסידה, Chaſida, Zachariæ 5. Aquila, Symmachus & Theodotion, erodium transferunt, & LXX. Leuit. 11. alíj aliter. ſed magis placet ciconiam uerti, uide in Ciconia A. ¶ Græcè φωδιὸς oxytonum & ſine aſpiratione ſcribitur, recentiores quidam Latini (barbari potius) non rectè aſpirant: & per aphæreſin etiam ῥωδιός apud Heſych. & Varinum. Ἀρδιόλη (ardeola) quam & λαθηρίω aliqui uulgò (in Græca língua uulgari, uide ne à laro corruptum ſit nomen. nam & Lycophronis interpres erodium larum eſſe putat) uocitant, ueteres autem Græci φωδιὸν, Demetrius Conſtantinop. A Græca uoce erodios apud Albertum deprauatæ leguntur, anydion, artadaton, & mothyos. ¶ Ardea Italis garza dicitur, alíjs aírone ut Scoppa grammaticus docet: hinc eſt corrupta uox Latina apud Creſcentienſem agiron: ſunt qui anghiron efferant. Hiſpanis ſimiliter garza, præſertim Luſitanis: aliquibus grou quaſi grus, propter corporis ſimilitudinem. Gallis heron, quæ uox uideri poteſt deducta à Græca erodius. Sabaudis airon uel heyron: (quãquam & lari genus ſic ab eis uocari puto.) Anglis ſimiliter an heron. Germanis quibuſdam **ein heerganß**, uoce detorta ab herodio, uel à Gallica heron. ſed uſitatius **ein reiger**, noſtris **reigel**, alíjs **reiher** uel **rayer**, Fryſijs **rarg**, Flandris **riegher**. Illyrijs cziepie: Poloni ardeæ genus zoraw appellant. Turcis balakzél. ¶ Albertus Magnus ardeam tantalum quoq; dici ſcribit, ab Iſidoro mutuatus.

¶ Erodium aliqui putarunt eſſe auem ex ijs quas Romani Diomedeas uocant. Vide infra in Elemento D. Suidas ciconiam eſſe ſuſpicatur ineptè: ſed mox tanquam emendans ſubdit, aut ciconiæ ſimilem. Longè alius eſt herodius recentiorum. nam Albertus Magnus aquilam maximam et Germanam ſic uocat: alíj hierofalcum ut in eius hiſtoria oſtendi. Ἄιθυια, id eſt mergus, memoratur ab Ariſtot. de hiſt. anim. 5. 8. ubi Albertus habet abíj, & quidam (inquit) putant eſſe ardeam: ſed ineptè. Vergilius fulicas appellat aues, quas Aratus æthyias uocat. mergi Græce ab Arato φωδιοὶ appellantur, Ioach. Perionius. Fortè etiam Plinius fulicam pro ardea è Græco alicubi reddidit. nam & cirrhum fulicis tribuit, qui ardearum eſt: & Diomedeas aues fulicarum ſimiles facit, quas alíj (ut Stephanus & Seruius) ardearum generi attribuunt. Gaza in libro de communi animalium greſſu, pro Græco φωδιοὶ, uertit fulicæ, uel potius ardeolæ. Fulicam quidem pro erodio tranſtulit Auguſtinus quoq;, & Lycophronis interpres larum eſſe arbitratur: Ambroſius etiam ſturnum, quem tamen Græci non erodiòn ſed pſãra dicunt, Cælius. Auem quam Aratus πέπφον dicit, ardeam Vergilius nominat, Perionius. Sed ardeam à mergo, fulica & ceppho prorſus diuerſam eſſe auem, qui hiſtorias ſingularum inter ſe contulerit, manifeſtiſſimè deprehendet.

B.

Ardeæ apud Heluetios abundant, propter multos & magnos fluuios & lacus piſcoſos, unde uictum petunt Ariſtotele teſte. Ardeolis omnibus communis uidetur longitudo roſtri, colli & crurum, quibus ciconias referunt. ſed collum ardeis magis inuolutum. digiti pedum terni, longi, membranis modicè iuncti, & quartus retrò pro calce ſimiliter longus. corpus pro ſua magnitudine non amplum, ſed leue & exile. Ardea coloris eſt cinerei (nos de hoc genere infra priuatim ſcribemus) minor grue, longi colli, & ſicut reliquæ etiam aues aquaticæ roſtro non multum inuoluto, Albertus. Erodius auis in capite gerit cumulum pennarum ueluti comam (aliâs coronam) oblongam, Kiranides. ſed hoc non de omnibus ardeis uerum eſt. aliæ enim apicem illum è pennis retro extenſis conditum habent, aliæ non habẽt. Porphyrioni & ardeæ inutile eſt uropygium, (cauda,) ut & alíjs aquatilibus, Ariſtot. in lib. de ingreſſu animalium.

C.

Ardeæ circa aquas & lacus piſcoſos degunt. quare in Heluetia noſtra abundant. & grammaticis (Suidæ & Euſtathio) erodios Græcè quaſi helódios dici uidetur, à lacubus & paludibus, quas Græci ἕλη nominant. Sed in mari (circa mare) etiam degunt, ut ex Arati prognoſticis apparet. Erodius auis in templis & ædificijs ciuitatum nidificat, Kiranides, neſcio quàm uerè. ¶ Procopius Gazæus ſophiſta Pentateuchum Moſis enarrans, erodium cum noctua & ueſpertilione &c. aues noctis & tenebrarum amicas eſſe ſcribit, quod non probo. Ariſtoteles ſanè de pella, quæ & abſolutè ferè ardea dicitur, diſertè ſcribit, uenationi (piſcium) eam interdiu operam dare. Euſtathius uerò in decimum Iliados ardeam noctu in aquis rapinæ operam dare. ¶ Ardea licet in aquis cibum ſuum quærat, in ſyluis tamen & altis arboribus nidum collocat, (in abietibus, Stumpfius,) Author libri de nat. rerum. Piſcibus inſidiatur: & dum per aquam ingreditur piſces pedibus eius non ſine deſiderio adnatantes, ut audio, deuorat. Erodius oſtreorum uoraciſſimus eſt. & quemadmodũ conchas pelecânes exſorbent, ſic is oſtrea teſtis obducta uorat, & ingluuie ſua concalefaciens tandiu cuſtodit, quoad calore ſtomachi diſcluduntur. Pòſt ubi is ipſe diductas ſenſerit teſtas, eas euomit, &

carnem

carnem ad sustentandum se retinet: Aelianus, Philes, & Plutarchus. Cochleis etiam seu limacibus uescitur, ut in D. referam ex Aeliano: nec minores tantum pisces, sed anguillas quoq; deuorat. Ardea, ut & mergus, cibum ferè crudum excernit, (excrementum scilicet liquidũ:) itaq; semper est uorax hæc auis, Albert. ¶ κλάζειν, id est clangere, de uoce ardeæ legimus apud Homerum Iliad. κ.

¶ Ardea per antiphrasin dicitur, quòd breuitate pennarum altius nõ uolet, Seruius: qui & hoc Lucani è lib. 5. citat, Quòd ausa uolare Ardea sublimis pennæ confisa natanti. Ardeola dicitur quasi ardua propter arduos uolatus, cum altius uolauerit, tempestatem significat, Isidorus & Albertus. Volatus ei sublimis & uehemens, Stumpfius. Anseres omnes extento collo uolant, ardea contracto, Albertus. Vropygium ei inutile, ut & aliis aquatilibus: proinde uolat pedibus retro extensis, Aristoteles de anim. ingressu. Ardeæ in grege sui generis nidificant: gregatim uerò non uolant, eo quòd pullis earum insidiantur accipitres & aliæ aues rapaces, à quibus defendi non possent nisi complures semper ardeæ circa nidos uersarentur, Albert. ¶ Ardeas dicunt aliqui tanto dolore coire, ut lachrymas sanguineas oculis emittant: quod ego falsum puto. Vidi enim ipse (inquit Albertus) sæpe coire ardeas & oua parere, nec quicquam tale experiri potui. sed sicut reliquæ aues quarum longa sunt crura, similiter & ardea coit cruribus super dorsum fœminæ flexis, ita ut pedes maris ad caput fœminę sint, & genua uersus excrementi sedem super dorsum: & tunc motu alarum se sustinens locum conceptionis fœminæ cõtingit ac semen infundit, Hæc ille. Aristoteles priuatim hoc de ardea pella scribit, pellæ (inquit) coitus difficilis est, uociferatur enim & sanguinem ex oculis, ut aiunt, emittit cum coit, parit etiam ægrè summoq; cum dolore. Idem ex eo Plinius repetit. Grammatici uerò (Eustathius & Etymologus) ἐρωδιὸν, id est ardeam simpliciter, dictam conijciunt, ὅτι ἔαρ ἰδροῖ, id est ab eo quòd sanguinem exudet in coitu. In animalibus quædam uí uel contra naturam eueniunt, ut ardeæ coitus, & ephèmeri uita, Theophrastus in Metaphysicis. debet autem de ardea mare coëunte intelligi. nam Græcè legitur, ὥσπερ ὁ ἐρωδιὸς ὀχεύει. Ardea auis est Venerea, unde aliqui ἐρωδιὸν dictum putant quasi ἐρωτιδιον, hoc est auem amori & Veneri propriam. uide infra in h. ¶ Nidificant ardeæ, ut iam diximus, in excelsis arboribus, & gregatim. Licet omnes ex mari uiuant, in terra tamen nidificant, Oppianus in Ixeut.

D.

Ciconiæ cum aliunde pullis alendis cibum comparare nequeunt, esculenta quæ prius ederant, euomunt, atq; in educandos fœtus cõuertunt: & ad uolandum pullis imperitis duces sunt. herodios & pelecanos similiter facere audio, Aelianus. Quomodo pullos aduersus accipitrem defendant ardeæ, paulò inferius dicetur. Ardeolæ fascinationis amuletũ ut pullos defendant, nidis cancrum imponunt, Aelianus, Philes & Zoroastres in Geoponicis. Pisces captant industriè sanè & dolosè, nempe Solis radios ita excipiunt, ne pisces uisa ipsarum umbra refugiant, Oppianus in Ixeut. Ostrea quomodo deuorent, & calore uentriculi dehiscẽtia reuomant, ut pulpam interiorem à testis seligant, supra in C. recitaui.

¶ Ardeola & cornix amicæ sunt, Aristot. Aelianus & Plinius.

¶ Dissident sorices & ardeolę inuicem fœtibus insidiantes, Plinius. Ardeolam aquila, utpote ualens unguibus, aggreditur. ipsa autem repugnando emoritur, Aristot. alibi uerò de pella priuatim scribit, infestam ei aquilam esse. Harpa & erodius inimici sunt, Aelianus. Ardea seipsam aut pullos suos aduersus accipitrem prædonem defendens, excrementi sedẽ illi opponit, & stercus putridum emittit: quod si accipitrem tetigerit, pennas eius putrefacit, Albertus & Author libri de nat. rerum. De falconibus qui ardeas capiũt, leges in E. Ardea odit albos laros, Philes. Pipo (pipra, sed Græcè legitur hippos in codicibus impressis) inimica ardeolæ est. oua enim & pulli ardeolæ uiolantur à pipone, Aristot. πιπὼ, ὄρνεον πολεμιὸν ὡς πνδν, ἐρωδιὸς, Hesych. lego ἐρωδιῷ, hoc sensu: Pipo auis est inimica ardeæ, ut aiunt. Perdices & erodios idcirco defugiunt cochleæ, quòd eos penoscunt penitus hostes sibi esse: nec cernere est limaces ibi serpere, ubi illi ipsi uersentur: eos tamen naturali quadam astutia cochleæ quædam præstantiores decipiunt, & circumueniunt. Siquidem ex natiuis testis egressæ, in magna securitate pascuntur. Aues autem, quas modo dixi, in testas inanes, tanquam in easdem illas inuolant: ut uerò nihil inuenerint, eas ut sibi inutiles abijciunt, atque discedunt. Illæ uerò singulæ exsaturatę pastu, atq; ex aberratione qua hostes fefellerunt seruatæ, ita in testas tanquam suam propriam domum reuertuntur, Aelianus.

E.

Ardea cum accipitrem fugit in altum euolat, Albertus. Falcones capiunt ardeas, grues, &c. Crescentiensis. Hierofalchi ardearum hostes sunt, Paulus Iouius. Nostri falcones ardearum uenatores, uocant Reigerfalcken, Galli heronniers. In ardeæ captura duo falcones pariter relaxantur, quorum unus summa petit, alius iuxta terram inuolat, ut uidelicet ille uolantem ardeam impulsu præcipitet, hic præcipitatam arripiat, Author libri de nat. rerum. Et rursus, Falconum genera duo sunt: alterum nobile, quod autem usu paruo naturaliter capit: alterum ignobile ac uile, quod nõ nisi multo labore & maceratione assuefactum hoc facit. hoc posterius genus cum ardeam ad terram impulerit, & iam prope fuerit ut eam capiat, ardea anguillam uel alium piscem quem recens uorauerit euomit: & tunc falco liberè eam uolare permittens, piscem ceu minus fœtidũ cibum sibi oblatum præferens, ocyus apprehendit, at falco nobilis piscem eiectum uilipendens, ardeam ipsam ag-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 244 sur 825

greditur, Hæc ille. Fertur falcones si sanguinem ardeæ gustarint, omne desiderium capiendi grues amittere: si uerò carnes solum sine sanguine ederint, hoc uitium incurrere non creduntur, Crescentiensis. ¶ Ardeæ sæpe oculos petũt, Turnerus. ¶ Nauta nunquam occiderit ardeam, nam quod accipitres in terra uenatoribus, hoc in mari piscatoribus ardeæ significare creduntur, Oppianus in Ixeuticis.

¶ Ardeæ hominibus charissimæ sunt, & æstatis hyemisq; tempus præsagiunt. capita scilicet pectori imponunt, eoq; maximè inclinant, unde concitatissimus uentus expectari debet, Oppianus in Ixeut. Ardea cum altius uolauerit, tempestatem significat, Seruius & Isidorus. Quòd ausa uolare Ardea sublimis pennæ confisa natanti, Lucanus lib. 5. Ardea, quasi ardua, eo quòd altè uolat. nam cum tempestatem præsentit, altè supra nubes uolare dicitur, Albertus. Ardea obstrepero clangore (& inconcinno uolatu, ut interpres Theon adjecit) è mari ad terrã auolans, uentum & tempestatem imminere præsagit, Aratus. Et rursus inter pluuiæ signa hanc auem ponit, cum terra relicta ad mare multo cum clangore festinat. Quem locum Auienus sic reddidit, Cum procera salum repetit languore (lego, clangore) frequenti Ardea. Triste (obstreperum, potius) sonans ardea tempestatem denunciat: eademq; ad mare rectà proficiscens, pluuiam portendit, Gillius ex Aeliano. apparet autem Aelianum ex Arato mutuatum. Notasq; paludes Deserit atq; altam supra uolat ardea nubem, Verg. lib. 1. Georg. inter signa tempestatis futuræ, qua non sit tutum nauigare. Ardea in medijs arenis tristis hyemem indicat, Plinius.

¶ Ardeas aliqui dictas suspicantur ab ardendo, nam quarumuis arborum rami in quibus nidificant, proluuie uentris earum infecti, aduruntur & exiccantur, ut omnium ferè auium aquaticarum fimo, qui piscibus uiuunt, Albertus.

¶ In libro quodam Germanico manuscripto hæc uerba reperi: Si pedes (die füß, nisi potius legendum fuerit die feißte, id est pinguedo) ardearum destillentur per descensum, & oleo inde collecto inungantur manus, pisces sponte adnabunt ut comprehendi possint. Pharmacopolę apud nos ardeæ adipem uendunt piscium inescatoribus. audio autem escas piscibus capiendis fieri ex adipe & ossibus ardeæ.

F.

Ardeam legimus carnis esse fœtidæ & nõ salubris. Pullorum caro præfertur. nam adultiorum caro grauiter olet. Ardeæ pro ætate diutius assari debent: possunt autem pastillis includi, eo modo quem in Gallina F. præscribemus. Quicunq; hæmorrhoides crebrò experiuntur, præsertim pulsantes, inter alia grues & agrones (id est ardeas) præcipuè caueant, Arnoldus de Villanoua.

G.

Somnos allicit ardeolæ rostrum in pelle asinina fronti adalligatũ. putant & per se rostrum eiusdem effectus esse uino collutum, Plinius. Erodij ramphum (ramphos, id est rostrum, interpres inepte ungulam transfert) cum cancri felle in corio asinino si suspenderis ad collum uigilantis, dormitabit. Si quis in conuiuio pannum in quo est ramphos (id est rostrum ardeæ) cum uino deponat, bibentes obdormient, Kiranides. Hippiatri quidam Germani equorũ oculos illini & lauari iubent coturnicum uel ardearum adipe ut sani & clari fiant.

H.

a. Ardea per antiphrasin dicitur, quòd breuitate pennarũ altius non uolet, Seruius. uel quasi ardua, quòd altè uolet. nam cum tempestatem præsentit altè supra nubes uolare dicitur: item cum accipitrem fugit. uel ab ardendo, quia fimus eius exurit id quod contingit, ut & aliarũ auium aquaticarum quæ piscibus uiuunt, Albertus. Ego ardeam uocem Latinam à Græca ἐρωδιὸς per syncopen factam coniecerim. ¶ Ἐρωδιὸς uel deriuatur à uoce ἔαρ quæ sanguinem significat, ut apud Cyrenæum: & uerbo ἰδίαω, quod est sudare. quoniam hæc auis in coitu, ut ferunt, sanguinem exudat, uel sic dicitur quasi ἑλωδιὸς, ἀπὸ τοῦ ἕλους καὶ τὸ ἰδίου, (forte ἥδιον.) φιλησ᾽ εἰ γὰρ τοῖς ἑλώδεσι τέρπεις, quòd locis paluſtribus delectetur. uel quasi ἐρωτιδιὸς, ἀπὸ τοῦ ἔρωτος καὶ τὸ ἰδίου, id est amori propria & sacra auis, est enim Venerea, ut aiunt. Sed Claudius philosophus Veneream esse negans, Mineruæ potius sacram esse ait, iuxta poetam: Τοῖσι δὲ δεξιὸν ἦκεν ἐρωδιὸν ἐχέμυθον ἐσθλὸν Παλλὰς ἀθηναίη. Cui respondere licet, ardearum secundum Aristotelem multa esse genera, ex quibus nihil prohibet alia Mineruæ sacra esse, alia Veneri. Sed Herodianus scribit ἀπὸ τοῦ χοίζω (quæ uox sibilum significat) fieri χοιδιὸς, ut ab ἁρμόζω ἁρμοδιὸς, & abundante epsilo, & omicro in o. magnum mutato ὀρωιδιὸς, iota adscripto manente. Acuit autem ultimam, ut & cætera auium nomina in ιὸς, quæ syllabas plures tribus habẽt, ἀιγυπιὸς, χαραδριὸς, βομβυλιὸς. Apud Hipponactem scribitur etiam χωδιὸς: Κνεφαῖος ἐλθὼν χωδιῶ κατηυλίδωυ: quod per aphæresin factum dixeris, si usum communem spectes: perfectum uerò si formationem, Etymologus. Ἄραμος, ὀρωδιὸς, id est ardea, Hesychio & Varino. Ἐρωγὰς quoq; & κορκιδάλλις pro ardea exponuntur ijsdem. ¶ Herodij domus dux est eorum, Psalmo 104. è uulgata translatione. Hebraicè chasida legitur. Munsterus uertit, Ciconia pro mansione sua habet abietes.

¶ Epitheta. Ardea procera, Auienus. Ἐρωδιοί τε πολλοὶ μακροκαμπυλαύχενες, Epicharmus in Nuptijs Hebæ apud Athenæum lib. 2.

¶ Xiphiam, id est gladium piscem, Galli sua lingua ardeam maris uocitant, Pet. Bellonius. Ἐρωδιὰς, ἄμαξα, Hesych. & Varinus. Erodialis lapidis meminit Albertus Magnus, eiusdem puto cum

ætite. nam aquilã germanam erodiũ uocat. Ardelio, est homo inquietus, huc atq; illuc semper uolitans: & ab ardeola deducitur, sicut à stella stellio, Sipontinus. Nil bene quũ facias, facis attamẽ omnia bellè. Vis dicam qui sis? Magnus es ardelio, Martialis lib. 2.

¶ Propria. Ardea, Ἄρδηα, Vlyssis & Circes filius fuit, ut Stephanus memorat in Antea. Ab hoc etiam Ardeam ciuitatem in Latio dictam aliqui putant, decem & octo miliaria (170. stadijs in monte) ab urbe positam: alij à feruore regionis dictam malunt, alij à Danaë Perſei matre, uel à Dauno Pilumni filio qui eam condidit, ut quidam existimant. Alij conditam scribunt à Pilumno Iouis filio & Turni auo. Hæc olim Turni & Rutulorum regia fuit. Locus Ardea quondam Dictus auis, & nunc magnum tenet Ardea nomẽ, Verg. lib. 7. Aeneid. ubi Seruius, Bene alludit. nam Ardea quasi ardua dicta est, id est magna & nobilis. quanquam Higinus in Italicis urbibus ab augurio auis ardeæ Ardeam dictam uelit. illud nanq; Ouidij in Metamorphosi fabulosum est, incensam ab Aenea Ardeam, & in hanc auem esse conuersam. Hinc ciues Ardeates dicti: ut ab Ardia Illyriæ ciuitate, Ardiæi, Stephano. Est & Ardea urbs Persidis Ammiano Marcellino lib. 23.

¶ b. Ardeæ, ut inquit Ouidius, Et sonus, & macies, & pallor, & omnia captam Quæ deceant urbem. nomen quoq; mansit in illa Vrbis. Clitarchus in India scribit uolucrem amatorio affectu flagrantem, nomine horionem, nasci, magnitudine herodio similem, &c.

¶ c. Ἐρωδιὸς φωνὴ πολὺ πολλὰ λελακὼς, Aratus. Ῥωδιὸν aliqui à sono uocis dictum uolunt, ἀπὸ τοῦ ῥοίζου, uide supra in a. Ἐρωδιὸς γὰρ ἔγχελυν μαιανδρίλιν τελέσχον ἐνῳὴν ἐθέντ' ἀφέλκετο, Simonides apud Athenæum.

¶ h. Ab ardeis uictum ex aquis primum inuentum aiunt, reliquas ab eis didicisse, cum uictus unus initio omnibus esset auibus: deinde cum gloriarentur hoc inuento, & ne ipsum quidem Neptunum natando cum eis contendere posse iactarent, hanc artẽ irato deo amisisse, quod etiã Thamyridi superbo cantori ex Musis cõtigisse aiunt. Hinc adeò reliquæ omnes aues captãdis piscibus merguntur in aquam: ardeæ natandi facultatis expertes in littore stantes uenantur, Oppianus in Ixeut. Fabulosum est illud Ouidij, incensam ab Aenea Ardeam (Latij ciuitatem, de qua supra in a. post Turni mortem) in auem esse cõuersam, Seruius. Vide Ouidium Metamorph. lib. 14. ¶ Higinus Ardeam ciuitatem ab augurio auis ardeæ dictam uult, Seruius. At nos ardeis & trõchilis & coruis deum ad futura enunciãda uti putamus, Plutarchus in libello Cur Pythia non amplius carmine respondeat. Aliqui ardeam Veneream auem esse dicunt: alij negant, & Mineruæ potius quàm Veneri eam consecrant: quoniam Homerus Iliados 10. à Minerua Vlyssi & Diomedi ardeam immitti canat. Sed respondere licet ardearum secundum Aristotelem multa esse genera, ex quibus nihil prohibet alia Mineruæ sacra esse, alia Veneri, Etymologus. Vlyssi & Diomedi noctu euntibus aduersus Troianos Minerua ardeam (ῥωδιὸν) dextram in uia misit, quam illi quidem propter tenebras non uiderunt, sed clangentem audierunt. Gauisus est autẽ (inquit Eustathius) hac aue Vlysses, uir scilicet prudentia celebris aue præsaga. nam quòd ardea insidiantibus lætum auspicium faciat Hermon testatur. Cæterum quòd illi auem audierunt tantum, non etiam uiderunt, significabat, ipsos quoq; non uenturos in hostium aspectum, sed facinus tale designaturos quod hostes omnino auditu cogniturí essent. Quòd nisi sapiens fuisset Vlysses, deterreri hac aue potuisset, quasi periclitarentur deprehendi & non latere, sicut nec ardeæ clangor ipsos latuit. Venatur autem ardea noctu (Aristoteles interdiu hoc eam facere scribit) in aquis & paludibus, & rapax est, quamobrem Minerua, non noctuam sibi sacram, sed ardeam eis immittit, paluſtribus scilicet circa Scamandrum locis conuenientem. Porrò Zopyrus pro uoce πελλὰς scribit πελλὸν, ut rapina significantius designetur, (quasi hoc genus ardeæ cæteris rapacius sit,) Eustathius.

¶ Ἐρωδιοὶ ἐπιλοφόρων λεκάνασιν, apud Aristophanem, cum aues urbem conderent, ubi Schol. ῥωδιὸς nomen finitimum est τῇ ῥᾷ, id est terræ, constat autem lutum quoq; ex terra, itaq; lutum gestare eas poeta finxit.

DE ARDEA PVLLA SIVE CINEREA.

ARDEAM pellã (cuius figura in sequẽti pagina posita est) nos simpliciter ardeã uocamus: quoniã ea apud nos magis abundat. Vide supra in Ardea simpliciter A. Sed alia etiã multa superius in Ardea simpliciter dicta, cæteris quoq; ardearũ generibus conueniunt: quædam uerò pellæ peculiariter, ni fallor, ut pugna aduersus aquilã, &c. Ardea pella igitur ijsdem nominibus quibus ardea simpliciter nominatur in diuersis linguis, aut cinereæ cœruleæue cognomen adijcitur: ut apud Germanos ein blauwer (uel grauwer) Reiger: apud Anglos the blue heron. Itali airon negro, id est ardeam nigram, nisi aliam forte intelligant ardeæ speciem. hæc enim nostra dorso cinereo magis ad cœruleum uergente quàm nigro est. Aristoteli & Plinio Græcè pellos dicitur, πελλὸς oxytonum, similiter à colore. nam πελλὸν Grammatici colorem fuscum interpretantur, φαιὸν χρῶμα ἐμφερὲς τῷ πελιδνῷ, liuido colori similem. & πελιοί, μέλανες, ὠχροί. Ex ardeis genera duo sunt cinerei coloris, magnum uidelicet & paruum, Albertus. Et rursus, Genus ardeæ unum est cinereum, acuti rostri & longi colli. Zopyrus apud Eustathium pellòn ardeam rapacem facit. scripserat autem de ardea simpliciter paulò ante Eustathius, noctu eam in aquis prædari pisces, cum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 246 sur 825



Ariſtoteles contrà, interdiu eã operari (id eſt prædæ operam dare) ſcribat. Vide ſupra in Ardea c. Pella colore eſt prauo, & aluo humida: ſed ſagax & cœnæ gerula eſt, & operoſa, (ἐπαγρὸν, id eſt induſtria circa cibum & prædam,) Ariſtoteles. Pellæ coitus difficilis eſt. uociferatur enim & ſanguinem ex oculis, ut aiunt, emittit cum coit. parit etiam ægrè ſummoq; cum dolore, Idem & Plinius. At Zopyrus apud Euſtathium in decimum Iliados, non pellon ſed pygargon ardeam, difficulter coire, & ex oculis in coitu ſanguinem fundere ſcribit. Vide ſupra in Ardea ſimpliciter c. Pella apud Anglos (inquit Turnerus) in excelſis arboribus non procul à ripis fluminum creſcentibus nidum facit. Superior pars corporis cyanea eſt, inferior autem nonnihil candicat. Ventris excrementis liquidioribus, inuadentes ſe ſubitò aquilas aut accipitres abigit, & ſe ita defendit. Vidi & huius generis, licet raras, albas, quæ neq; corporis magnitudine, neq; figura, ſed ſolo colore à ſuperiore diſtulerunt. Viſa eſt etiam alba cum cyanea apud Anglos nidulari, & prolem gignere. Quare eiuſdem eſſe ſpeciei, ſatis cõſtat, Hæc ille. Pella prælium cum iis init, à quibus læditur, hoc eſt cum aquila

aquila, à qua rapitur: cum uulpe, à qua noctu capitur: cum alauda, à qua oua eius diripiuntur, Aristoteles. ¶ Iliad. 10. legimus Τοῖσι δὲ δεξιὸν ἧκεν σφωδιὸν ἐγγὺς ὁδοῖο Γαλλὰς Ἀθηναίη. ubi aliqui pro Γαλλὰς legunt πελλὸν: quasi Minerua illis (Vlyssi & Diomedi noctu euntibus aduersus Troianos) non simpliciter ardeam, sed pullam siue cineream immiserit, quæ scilicet alijs rapacior est, ipsos etiam rapina & præda sperata potituros significans, Eustathius. Vide supra in Ardea simpliciter h.

DE ARDEA ALBA.



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 248 sur 825

ARDEARVM genus album Græcè ῥωδιὸς λευκὸς, uel λευκοπώδιον dicitur, (apud Aristot. de hist. animalium 8. 3. oxytonum est,) Aristoteli & alijs. Ardeolarum tria genera, leucòs, asterias, pellòs, Plinius ex Aristotele. Theodorus Gaza in historia animalium ex Aristotele translata lib. 8. cap. 3. albiculam numerat inter eas aues quæ circa lacus & fluuios uictum quærunt, ubi in Græcis nostris codicibus excusis nihil quod huic uocabulo respondeat, inuenio. Niphus Scholiastes albam uel albiculam auem, in margine æditionis suæ & in Scholijs, Græcè λευκὸν dici scribit, quasi ita legerit in codice suo Græco: & esse ex ardeolarũ genere, quod equidem non laudo. nam cum paulò ante leuceródiõ nominârit Aristoteles, quid attineret inutiliter repeti? Nihil autem prȩterea illic de leuco, (ut hoc uocabulum pro quacunq; aue nostris exemplaribus addendum concedam) philosophus tradit, quàm quòd caudam motitet similiter ut cinclus & aliæ ibidem nominatæ aues. Albardeola minor est quàm ardeola (pellos scilicet,) rostro lato porrecto, itidem ut illa lacus & fluuios petit, Aristot. Et rursus, Ardea candida colore est pulchro, & coitu facile (ἀσινῶς, nã ardea pella difficulter coit:) & nidulatur ac parit probè. pascitur paludibus, lacu, campis & pratis. Ardeæ quædam breues (paruæ) & albæ sunt, aliæ maiores colore uario, &c. Oppianus in Ixeut. Inter aues ardeolarum genere quos leucos uocant, altero oculo carere tradunt, (& ideò facilius capi à uenatore in latere cæco insidiante, ut Albertus addit citans Plinium: sed hoc, inquit, præter naturam esse uidetur & falsum:) optimi augurij, cum ad austrum uolant, septentrionémue. soluí enim pericula & metus narrant, Plinius. Cum aues albæ frequentes cõueniunt, multam tempestatem demonstrant, Aelianus. an uerò ardeas albas intelligat, incertum nobis est. Albę aues cum congregabuntur, Plinius inter signa hyemis. Insula heroum è regione Borysthenis fluuij sita, uocatur etiam Leuce. ὄνειαρ δὲ τὰ παρίστα κινούμενα λευκὰ πίτυκας, Dionysius, ubi Eustathius κινούμενα interpretatur aues, ὧν ἡ κίνησις ὀφθῆναι ἀστωμύλως δὲ ἡ λέξις. intelligit autem fortè (inquit) laros (albos,) uel secundum alios ciconias. Ab ardea alba creditur Alba insula in Ponto nuncupata, quòd inibi uisatur plurimum: ac proinde Pindaro per metalepsin dici Phaenna. quippe φαεννὸν signare τὸ λευκὸν, Cælius. Zopyrus apud Eustathium in decimum Iliados tria ardearum genera facit, pellòn rapacem, pygargũ cui in coitu oculi sanguine manent, (quòd alij authores de pello scribunt, hic solus de pygargo:) & aphrodision, id est Venereum. quæ forsitan albardeola fuerit. ea enim Veneri sacra præ cæteris æstimari poterit, ὅτι ὀχεύει ἀσινῶς, hoc est quoniam facile coeat, Aristotele teste, non difficulter ut pellós. Hæc ex ueteribus de ardeola alba.

¶ Nos ardeam albam duplicem obseruauimus, unam fusca seu cœrulea maiorem, Italí girono uocitant: minorem alteram quæ ijsdem garzetto uel garietto uel gargea nominatur. Germani sine differentia magnitudinis ardeam albam periphrasticè dicunt, ein wyſſer Reiger: Saxones Reiger simpliciter. uide supra in Ardea simpliciter. & Itali similiter, garza biancha. Angli a white herow. Ardeæ genus tertium album est niuis instar, maius cinereis, Albertus. Sed de maiori genere albardeolæ Turneri uerba recitaui superius in Cinerea. Garzettum, id est minorem albardeolam in Italia uidi Ferrariæ, cuius iconẽ hîc damus. auis est albissima & iuxta maris paludes inuenitur, magnitudine ardeæ. sed quam ego illic uidi calendis Augusti adhuc parua erat: & per omnia, colore excepto, cum uulgari (cinerea) ardea cõgruebat, cristam ex plumis in capite gerebat, (cristatas quidem esse ardeas quasdam Oppianus etiam in Ixeuticis annotauit.) Rostrum erat longum, acutum, pedes nigricabant, inferius tamen subitò in medio cruris niger color desinebat, & uiridis è glauco suberat ad extremos usq; ungues. minimus pedis digitus binis articulis constabat, proximus ab eo ternis, medius quaternis, ultimus quinis. In crista capitis dorsum uersus pennæ oblongæ ad duos cum dimidio dodrantes (si bene memini) nascebantur circiter sex. eas aiebant rusticos Ferrarienses cogi ad suum principem deportare: aliquando tamen clam ab eis magno pretio uendi, circiter 36. denario aureo. Guil. Turnerus albardeolam Anglicè interpretatur a cryel heron, or a duuarf heron, a myre dromble. Hanc (inquit) semel tantũ in Italia uidi, pella multò minor est, & hominis conspectum non perinde atq; cœrulea fugit. Hanc si non uidissem, Anglorũ shouelardam albardeolam esse iudicassem, Hæc ille. Ardeæ genus alterum undiquaq; album est, per omnia simile cinereæ, melius pennatum, collo longiore, & rostro anterius rotundo, tanquam duobus circulis uno alteri incumbente, unde cochleari nomen illi datum, Albertus. Nos hanc tertiã albardeolæ speciem statuimus: ita ut duæ sint rostris acutis, supra memoratæ: & hæc tertia rostro anterius lato, quã alio nomine plateam & pelecanum dici puto: de quo plura in Elemento P.

DE ARDEA STELLARI MINORE, QVAM BOTAURUM uel butorium recentiores uocant.

ARDEA stellaris Aristoteli & Plinio memoratur, ἀστερίας Græcè cognominata, quòd punctis tanquam stellis eleganter picta distinctaq; sit. Ardea stellaris piger (ocnus) cognominata, in fabula est, ut olim è seruo in auem transierit, atq; (ut cognomen sonat,) iners otiosaq; est. talis ardeolarũ uita est, Aristot. ¶ Italicè trumbono appellatur, à uoce tubæ opinor: ut & salpinx auis, siue hæc siue alia apud Græcos. ab alijs tarabusso, uel terrabusa, præsertim Ferrariæ, quasi terram perforans, rostro enim inserto palustri terræ uocem ædit horribilem. Eadem puto



puto eſt quam diminutiua uoce aigeron appellant, id eſt ardeolã. nam & ruſſam eſſe aiunt. Hiſpanicè apud Luſitanos gazola, fortè quaſi garzola, uoce diminutiua à garza, id eſt ardeola. Gallicè butorius, boutor. Vlulæ (ut habet uetus gloſſematarius in Eſaiam) ſunt aues magnitudinis coruinæ, maculis reſperſæ, quæ roſtro in palude fixo horrendè ſtrident uoce luporum ululatui ſimili, unde per onomatopœiam Gallicè uocantur buhort, (lego buttor,) Author obſcurus. Recentiores quidam butoriũ imperitè cum onocrotalo confundunt; quoniã uterq; abſonam & horribilem uocem emittit. Emittunt & olores interdum bombos ruditui aſinino non diſſimiles: ſed breues, & quæ longè audiri non poſſunt, Turnerus. ſed onocrotalus potius quàm ardea ſtellaris uocem ædit quam aſininæ compares. Germanicè, Dzrind, Merrind, Maßrü, quæ uoces omnes à boue

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 250 sur 825

factæ sunt, eò quòd eius uocem mugientis imitetur, & ab arundinibus, Rorꝛtrum̃/Rorꝛdump/Rorꝛreigel. ex quibus duo priora nomina ab arundinibus & tuba composita sunt, quòd inter arundines degere soleat & tubæ sonũ reddere: ut Moßkũ uel Moßochs/à paludibus, ac si bouem palustrem dicas. Rorꝛreigel/ardeam arundinum significat: ut Moßreigel (nam sic quoq; apud Vuirtenbergenses uocatur) ardeã palustrem. Aliqui non Rorꝛdump/sed Rorꝛdumpf scribunt, alij Rorꝛdum̃el/Frisij Reidom̃el/alij corruptius Rosdam. Sunt qui retineant Gallicum nomen pittouer. Aliqui Lorꝛind potius apud nos quàm Vꝛind appellant, id est mugientem bouem, à uerbo lůyen, (quasi ein lůyend rind.) Saxones ein wasserochs/id est bos aquaticus. Et aliqui à colore (ut amicus quidam nuper ad nos scripsit, qui hæc nomina pleraq; onocrotalo tribuebat (ein moꝛ/ id est Aethiopem: quòd colore nigro sit, insperſis pennis rubentibus, ut in gallo fero. In Germania inferiore alicubi audio uocari Somphoꝛn uel Sompshoꝛn / à sonitu tubicinis uel cornicinis. in Austria Erdbůll/quòd rostro terræ (in cauo aliquo terræ) inserto sonet. quanquã alij arũdini, alij aquæ rostrum cum mugit inserere putant. Sunt qui aquam rostro haurire dicant, & rursus emittere. Augustæ Vindelicorum Hoꝛtybel/fortè à sono qui nimium grauis & absonus audiatur, quasi δύσφημος. quidam denicq; Pickart/ (à pungendo fortassis. nam & oculos appetit,) ut Eberus & Peucerus Saxones scribunt. Anglicè etiam buttour uel bittour uel pittour uocatur. Polonicè bunk. Illyricè bukacz, aut fuser. Turcicè geluæ.

¶ Collum botauro ut & cæteris ardeis longum est, quod contrahere & extendere solet. hoc aquæ immittere dicitur, & in aquæ fundo maximè strepitum ciere, uoce contenta instar tauri, quæ ad dimidium ferè miliare Germanicum (id est horæ unius itinere) exaudiatur, idq; pluuiæ prognosticon esse. Lacus nostri Tigurini accolæ audita huius auis uoce lætantur, & annum fertiliorem sibi promittunt. Auis est, inquit Turnerus, toto corporis habitu ardeis reliquis similis, ex piscium uenatu ad ripas paludum & amnium uiuens, pigerrima & stolidissima, ut quæ in retia ab equo factitio agi potest facillimè. Colore est ferè, quantum memini, phasiani, rostro limo indito, asininos ronchos uoce refert: oculos hominum auidissimè omnium auium appetit. Quare si quid impediat quo minus stellaris esse possit, (quod mihi nõdum cernere datum est,) phoica esse oportebit, quam Aristoteles oculos maximè appetere testatur. quanquam & cæteræ ardeæ idem facere sæpe uisæ sunt, Hæc ille. Et rursus, Buttora (inquit) quam multi etiam docti onocrotalum esse putant, auis est tota corporis figura ardeæ similis, longis cruribus, sed ardeæ breuioribus. longo collo, & mirè plumoso, & rostro nec breui nec obtuso. caput pennæ tegunt nigerrimæ. reliquum uerò corpus fuscæ & pallidæ maculis nigris densissimè respersæ. Pedes habet longissimos. nam inter extremos ungues medij digiti pedis unius & calcis eiusdem, spithames longitudo intercedit. Vngues habet longissimos. nam ille qui calcis uicem in auibus gerit, longitudine sesquiunciam superat. quare ad fricandos dentes nostrates utuntur, & argento inserunt. Medius digitus utriusq; pedis, qui cæteris longior est, unguem habet portentosum, nempe dentatum & serratum, non secus atq; pectunculorum testæ serratæ sunt, ad lubricas anguillas, quas ceperit retinendas, proculdubiò à natura ordinatum. Cauda illi breuissima est, & stomachus capacissimus, quo ingluuiei loco utitur. Ventriculum non cæterarum auium uentriculis, sed canino similem habet, eumq; grandem & capacem. (atqui Aristoteles caninum uentriculum angustum & intestino ferè parem esse scribit.) Ad ripas lacuum & paludium desidet, ubi rostrum in aquas inserens, tantos edit bombos, ut ad miliarium Italicum facilè possit audiri. Pisces & præsertim anguillas uorat auidissimè, nec ulla auis est, excepto mergo, quæ ista uoracior est. Porrò præter cætera quæ superius attigi, Aristoteles in fabula fuisse ostendens, ardeam stellarem ex seruo auem fuisse factam, opinioni meæ (buttoram esse ardeam stellarem) multum patrocinatur. Vt fugitiuorum enim seruorum post fugam deprehensorum, cutis loris, flagris, uirgis & scorpionibus icta, uerberum uibicibus, tota maculosa redditur: ita huius auis plumæ nigris ubiq; maculis, sed potissimum in tergo, distinctæ & ueluti picturatæ, serui flagris cæsi cutem proximè referunt: quam rem fabulæ occasionem dedisse ex hoc colligo, quod fabularum uariarũ author Aristophanes, de attagene aue, quod ad plumarum colores attinet, huic simillima, ad hunc modum scribat: Si quis ex uobis erit fugitiuus atq; ustis notis, Attagen is sanè apud nos uarius appellabitur, Hæc omnia Turnerus. ¶ Botaurus quasi bootaurus dicitur, eò quòd tauri boatum, id est mugitum imitari uidetur. rostrum enim in terra palustri defigit, & ad modum tauri clamores ædit. Exclusos pullos mater mox sub alis fouet, singulum sub singula: & sic pullis materno corpori adhærentibus incedit, prominentibus eorum rostris cibum benignè ministrans, Physiologus author obscurus. ¶ Butorius auis sic dicta à uoce, crura habet longa, collum extensum, rostrumq; longum & acutũ sicut ardea: (cui & figura & magnitudine similis est, Albertus) sed colore differt. est enim terræ simillima. Versatur circa stagna, piscium auida. ranas etiam & animalia uenenata edit. Hæc sola ueris tempore pro cantu uocem horrificam reddit. In littore ardente Sole, eo loco ubi pisces frequentes nouit, adeò quieta stat, ut mortua appareat, & incautis piscibus minus suspecta sit. Sed cum collum longum habeat, breue id incuruando facit, ut cum pisces incautius ei quasi nihil præmeditanti adnatârint, collo extenso illos arripiat, Author libri de nat. rerum. ¶ Butorius auis collum oblongum contrahit curuando, & (mox subitò) producit extendendo, sicut ardea. cruribus quoq; longis prædita est, ut circa ripas & littora uenari pisces possit. Stat autem cum uenatur adeò immobilis, ut mor-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 251 sur 825

ut mortua uel res inanimata putetur. Similiter cùm illaqueatam ſe ſentit, ſtat immobilis, & uenatorem apprehenſurum roſtro (quo multum ualet, ut ardea) incautum uulnerat. Hæc auis miri odoris eſt cum aſſatur: Sanguis eius prodeſt arthriticis. Tempore ueris cũ libidine accenditur horribilem ſonum tanquam cornu ædit, roſtrum cœno paludis immittens, ut uox in ipſo rumpatur ad modum tonitrui, Albertus. Onocrotalus, id eſt butorius, niſi fallor (certum eſt eum falli, cum onocrotalus longè alius ſit) fixo in palude roſtro horrendè clamat, putatur autem cibum trahere de profunditate terræ uel aquæ, Obſcurus. Pigra eſt auis, & non facile refugit hominem: ut aliquando ad nidum uſq; accedentẽ expectet. Apollonius per epiſtolam Tarſenſes reprehẽdit, quòd iuxta Cydni aquas ociantes tanquam fluuiatiles aues ſederent, exiſtimo autem cum cæteras fidipedes aues piſcíuoras, tum ſtellarem præcipuè, dum piſces adnantes expectant quibus inſidiãtur, quietas & otioſas longo interdum tempore manere.

¶ His perſcriptis amici cuiuſdam hominis docti epiſtolam accepi, qua ille mihi onocrotalum deſcribit, ſed à botauro non diſtinguit. uidentur autem mihi hæc etiam eius quæ ſubſcribam uerba, ad botaurum omnia, non ad onocrotalũ pertinere. Faucibus (inquit) eſt hæc auis in tenuitate adeò laxis, ut collo ſuo anguillas duplo craſsiores deuoret. Vocem autem cum emittere uult, roſtrum, quod oblongum habet, uel aquis immergit, uel in ripã infigit: idq; facit poſt Solis occaſum, & boatum ſæpe totam noctem continuat, ad ortum Solis uel paulò poſt conticeſcens. Reliquo diei tempore, quaſi lateat, non exauditur, latêre autem uel inde colligo, quòd auditus multis ſit, uiſus perpaucis, apud nos (Miſenos) præſertim, ubi rarior inuenitur. Inſidias tendentem uſqueadeò non metuit, ut ſe loco non moueat, niſi proximè uentum ſit, tum ſe aut iuncis abdit, aut in aquas immergit. Verſatur circa paludes, & maximè piſcinas: & ad loca maritima quoq;, ut in Saxonia ad Vuiſmariam & Straleſundam, Hæc ille.

¶ Eſt auis quæ boum mugitus imitetur, in Arelatenſi agro TAVRVS appellata, alioquí parua, Plinius. Eadem forte ardea ſtellaris eſt, quando & botauri nomen conuenit, & uox mugiens, magnitudo tantum obſiſtit. Sed ſi ad tantam uocem conferatur tanta auis, parua dicetur: & eadem in ardearum genere ferè minima eſt. Hæc ſcripſeram cum Pet. Bellonium quoq; idem ſentire reperi: Butorius (inquit) Latinè à Plinio bos taurus dicitur à uoce tauri, ab Ariſtotele ardea ſtellaris.

¶ Ardea ſtellaris quam ipſe uidi, minor & breuior erat altera, cuius deſcriptionẽ ſubijciemus cum figura, coloribus per totum corpus iiſdem, uarijs & elegãtibus, perdicis ruſticæ aut attagenis inſtar, ruffis uel ſubflauis, nigris maculis aſperſis, ſplendentibus, per dorſum præſertim. cruribus ex uiridi luteis, uertice nigro, collo tres palmos cum tribus digitis longo: reliquo corpore tres palmos tantũ. Vnguis maximus ab altera parte ſerratus erat. digitus medius medium humanum longitudine ſuperabat ſeſquidigito tranſuerſo. Corpus tenue tanquam pulli gallinacei ferè: alæ etiam ferè ut gallinarum. Aegrè euolat niſi prius ſalierit. Oua parit ad undecim uel duodecim, & pauciora. Nidum eius arundinibus intertextum uidi in lacu quodam, cum ouis duodecim. Ipſa quidem colore ita ad arundineum accedit, ut inter arundines latens uix deprehendatur. In Hollandia etiam criſtatam reperiri audio.

¶ Eſt & accipiter aſterias, unde aſturem corruptè uulgò dici putant, item in muſtelorũ piſcium genere, utriq; ſcilicet (ut & ardeę) ſtellaris, à punctorum aut macularum uarietate impoſito nomine. Sed chryſaëton quoq;, quam nos aquilam germanam interpretamur, ſtellarem cognominat Aelianus. Apud eundem auis ſimpliciter ASTERIAS dicta deſcribitur. Hæc (inquit) manſueſcit in Aegypto, atq; adeò præclarè humanam uocem intelligit, ut ſi quis huic conuicium fecerit uel appellauerit ſeruam, ex ea contumelia iraſcatur: uel eandem ipſam uocauerit pigrã, ea ſic dolenter tanquam ignobilitatis & ſegniciæ arguta indignetur. Mihi ſanè hæc auis non alia quàm ardea ſtellaris uidetur, cui ſeruæ & pigræ conuicia conueniunt, nam ex ſeruo mutatam eam fabulantur, & ocnon quoq;, id eſt pigram cognominant. Sed & cicurari facile puto, ut cæteras quoq; ardeas, & ad iracundiam moueri facile, cum præ cæteris ardeis ut dictum eſt, hominum oculos appetat. ¶ Butorio auí uulgò dictæ prorſus uidetur eadem quæ ab authore Philomelæ butio nominatur, hoc uerſu: Inq; paludiferis butio bubit aquis. Sed Albertus alicubi butorium inepte nominat pro buteone accipitrum generis, ut quum falconem nigrum ei comparat. Pygargus etiam ardea quibuſdam dicta, eadem ſtellari ſiue ocno uidetur: uide mox in Ardeis diuerſis.

¶ Ad ardeam ſtellarem ſiue botaurum tum nominis tum ſoni ſimilitudine pertinent soni qui βόμυκοι Græcè appellantur Ariſtoteli in problematis 25. 2. bomugi Gazæ, bubices interpreti ueteri. Et quoniam eadem ratio uidetur ſonitus etiam harum auium, nec alia reddi poſſe, philoſophi uerba adſcribam. Cur paludibus iuxta fluuios poſitis fieri ſoleant qui bomugi appellantur, quos tauros numinis religioſos fabulæ narrant? Eſt id ſanè fremitus mugitui tauri adeò ſimilis, ut boues cum audiunt non ſecus afficiantur, quàm ſi taurum ſenſerint mugientem, (ὥσε αἱ βοὲς ὅταν ἀκούσωσιν, ὥσπερ μυκωμένου ταύρου. Gaza uidetur legiſſe, αἱ βόες ἀκούσασαι. ego nihil mutandum cenſeo. nam & uetus interpres ſic reddit: uoces ita diſponuntur auditæ: id eſt, tales uidentur audientibus quibuſcunque animalibus.) An cum aut fluuij in paludes ſe fundunt, aut paludes reſtagnant, & uel à mari offenſæ retorquentur, uel flatũ uniuerſum emittunt, tum fremitus ille excitatur? Cauſa uerò, quòd terræ cauernæ infodiuntur, in quas aqua interrumpens, quoniam fluctus in eiuſmodi redundatione mouet

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 252 sur 825

aerem per anguſtias, (ὅλλα σφῶ εἰς ἄυξυπόδαμ ἠιλίαμ) ceu ſi quis in amphoram inanem ſtrepitũ per oſculum mouerit, mugimẽto ſimilis ſonus exultabit. mugitus etenim bobus per id ipſum figuræ genus profertur. Multas autem mirasq; uoces informare figuræ cauernarũ uariæ (inæquales) poſſunt. nam & amphoræ fundum ſi quis detracto operculo uicisſim modo intus attrahẽs modo extra depellens perterat, ſonum per intercapedinem tam ingenuum reddet, ut belluæ pertimeſcãt & fugiant, quod pomariorum cuſtodes (oporophylaces) emoliri conſueuêre, Hæc ille. ¶ Pauſanias in Phocicis deſcribens imagines quæ Delphis ſpectantur: Poſt Vlyſsis ſocios (inquit) uir quidam ſedens conſpicitur. inſcriptio Ocnum eſſe teſtatur. funiculum autem nectit. Aſtat aſina, quæ quicquid eſt nexum, deuorat. Ocnum hunc hominem fuiſſe laborioſum memorant, ſed uxorẽ habuiſſe ſumptuoſam: à qua, quicquid is laboribus collegerat, non ita multò pòſt fuiſſe dilapidatum. Hæc per Ocni uxorem obſcurè tradidiſſe Polygnotum putant. Scio item ab Ionibus dici, ſi quem laboribus intentum conſpicerent, ex quibus nihil ipſe commodi caperet: Hic uir Ocni funiculum contexit. Augures præterea & auem ocnum appellant, quæ inter ardeolas & maxima eſt & pulcherrima, & auium ſi qua alia hæc certe rara eſt. Plura uide in Aſino h. in prouerbio Torquet piger funiculum, quanquam nihil illic quod ad hanc auem pertineat, affertur. ¶ Alciati Emblema inſcriptum Ignaui:

Ignaui ardeolam ſtellarem effingere ſerui
Quæ famulum Aſteriam uolucris ſumpſiſſe figuram
Degener hic ueluti qui cæuet in aere falco eſt,
Et ſtudia, & mores, fabula priſca ſuit.
Eſt commenta: fides ſit penes hiſtoricos.
Dictus ab antiquis uatibus ardelio.

DE ARDEA STELLARI MAIORE.

HOC genus ardeæ cuius figuram ſeorſim apponimus, compoſitum uidetur ex ardea pella ſiue fuſca & ſtellari. libuit autem nobis ſtellarem maiorem appellare. Itali quidam circa lacum Verbanum ruſſey appellant, fortè à colore ruffo colli & uentris. Auis, quam manibus ipſe tractaui, longa erat ſex dodrantes, extenſo corpore à ſummo capite mortuæ ad uſque pedes imos. pedes longi duos dodrantes, nempe à clunibus ad extremos pedum digitos. roſtrum octo uel decem digitos longum. Iris oculorum flaua. collum peranguſtum, paulò breuius duobus dodrantibus. Pennæ in collo ex ruffo, albo & nigro coloribus mixtæ. cauda non quatuor aut quinq; digitis longior. roſtri pedumq; color flauus, ſed in tibijs & digitis fuſcus. ſumma femora rubræ tegebant plumæ. Dorſum & alæ colore fuſco erant. Subtus alas in ſuperiore ambitu ruſæ erant pennæ, ſub roſtro & oculis albæ: uertex niger. Venter plumis rutilabat. In collo imo iuxta ſea pulas longiuſculæ pennæ, partim albæ, partim fuſcæ uiſebantur.

¶ Congenerem huic quaiottum Italicè dictum, mox inter ardeas diuerſas deſcribemus.

DE ARDEIS DIVERSIS.

GENERA ardearum infinita ſunt, Oppianus in Ixeuticis. Ardeæ quædam breues & albæ ſunt: aliæ maiores, colore uario: aliæ mediocres. Sunt quibus à capite ceu criſta quædam nutet: aliæ criſtatæ non ſunt, Ibidem. Ardearum genera apud nos duo ſunt cinerei coloris, magnum ſcilicet & paruum, & alba utriſq; maior, Niphus. ¶ Tria (inquit Zopyrus apud Euſtathium in Iliados decimum) ardearũ genera ſunt, pella quæ rapax eſt. pygargus, cui in coitu oculi ſanguine manant. (Ariſtoteles pellam ardeam difficulter coire ſcribit, pygargum uerò inter aquilas tantum recenſet.) & tertia, Venerea, ὁ ἀφροδίσιος. Fuerit autem hæc forte alba ardea Ariſtotelis, ut ſupra in eius hiſtoria docui: pygargus uerò ſtellaris, quæ & ocnus dicitur, quoniam argos & ocnos ſynonyma ſunt uocabula. utrunq; enim pigrum ſignificat.

¶ Pelecanus etiam ardearum generis uidetur. nam ardeæ albæ Ariſtoteles roſtrum latum tribuit: & reliqua ferè natura pelecano & ardeæ communis traditur circa uictum. Vide infra in Elemento P.

¶ Ardeolas marinas Totanum & Limoſam ab Italis ad mare Adriaticum dictas, deſcribam inter Gallinas paluſtres.

¶ Ardeolæ genus criſtatum ſimiliter ferè ut uanellus auis, Itali garzetam, uoce diminutiua, nominant. Sed quærendum an hæc forte eadem ſit cum ſtellari. eſt enim ſtellaris alia criſtata, alia ſine criſta.

¶ QVAIOTTI circa Adriaticum mare dicuntur ardeæ quædam ſimiles ſtellari maiori, iride oculorum ſimiliter flaua: quæ cum ad ætatem peruenerunt cirros è capite retro oblongos tendunt, albos, in extremitate nigros, alæ infra pectus albent, ſi bene memini. uel, partim albæ ſunt, partim (ſuperius) ex fuſco rubẽt, qui color in alijs corporis partibus reperitur, dorſo color ſimplex, (fuſcus puto) collo uarius.

¶ AVEM quandam ciconię per omnia ſimilem, roſtro ſubflauo, Danico ſermone audio uocari Onſchwal, & in delicijs haberi. Rurſum alius mihi narrauit in aula ducis Bauariæ ali auẽ nomine ũtenſchwalb, magnitudine & roſtro ardeæ, longo, acuto, collo fortè breuiore aliquanto, albo & nigro colore diſtinctam, cruribus altis & rubris, uertice modicè criſtato ut columbæ, ueſcentem omnibus

Figura hæc est ardeæ stellaris maioris, cuius descriptionem præcedens pagina continet.



nibus ijs ferè quæ è culina reijciuntur, quadrupedum scilicet ac piscium intestinis, &c.

¶ DIOMEDEAS aues aliqui ardearum generis esse uolunt. Vide in Elemento D.

DE ALIA QVADAM ARDEA.

¶ VIDI nuper captum apud nos ardeæ genus magnum, rostro subflaui ferè coloris, longo digitos octo ab oculis ad extremum mucronē, marginibus acutis & parte anteriore leuiter dentium loco exasperatis serratisue. Caput & collum candida, crista capitis è plumis nigris retrorsum tendebat. Dorsum & alæ cinereæ, sed maiores alarum pennæ nigricantes, &c. Pupillam oculorum circu-

culus ambiebat lucidus ex flauo ruffus, palpebræ ex uiridi flauæ. Longitudo colli ad duos dodrantes aut ſupra: in quo articuli uel ſphondyli tredecim, omnes eodem inflexu, præter unum, quartum fallor à primo, qui in contrarium flectitur. Crura fuſca ferè, quinq; palmos longa. Vnguis medij digiti altera parte denticulatus. Colli ſuperior pars ad cinereum inclinabat colorẽ, prona candidior nigris maculis pulchrè diſtincta, plumis uerſus pectus oblongis.



DE FALCINELLO.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 255 sur 825

AVIVM roſtra alia recta ſunt: alia aduncа ut accipitrum: alia falcata, idq; uel ſurſum, ut auo ſettæ dictæ apud Italos, uel deorſum ut arquatæ & falcinelli ſimiliter Italicè dictarum auium, quod arcus aut falcis ſpeciem roſtro imitentur. Libuit autem falcinellum ardeis ſtatim ſubijcere, quod & magnitudine ferè & tota corporis ſpecie ardeã referat, roſtro tantum excepto. Hanc uiuam ætate aliquando Ferrariæ in Italia uidi. Corpus ei maius columba, eleganti colore uiridi ferè, alicubi etiã puniceo admixto, ut in uanello aue, uariante ſcilicet colore pro diuerſa ad lucem obuerſione, capite & collo fuſco: ſed ſuperior pars colli anterius albicat maculis nigris interuenientibus, roſtrũ oblongum, tenue & anterius falcatũ ſicut arquatæ (cuius figurã paulò poſt ſubiungimus) & coruo ſyluatico. Crura oblonga, pedes fiſsi. Aliqui ardeam nigram Italicè, ayron negro, uocitant. Sed hæc quam uidi non erat adulta, maiorem fieri aiunt: & forſitan in colore etiam aliquid mutat per ætatem. ¶ Inter omnes quidem quas mihi uidere cõtigit aues, nulla magis ad ibidem mihi accedere uidetur. ſed color obſtat, quo minus ibis exiſtimari poſsit.

ARGATHYLIS ex ripariarum genere inter hirundines dicetur.

DE ARQVATA SIVE NVMENIO.

ARQVATAM hanc auem Latinè uocare uolui, quòd roſtrum eius inflectatur inſtar arcus. nam Itali quoq; eandem (ut conijcio) ob cauſam arcaſe nominant, aliqui uerò (Venetijs & in Apulia tarlinum ſiue terlinum per onomatopœiam à ſono uocis, alij torquatum, quia roſtrum intortum habet, alij charlot, (ut Angli kurlu, Galli corlis,) alij ſpinzago circa lacum Verbanum: ubi diuerſam quoq; auem ſpinzago d'aqua uocant, quam nos infra Auoſettam nominabimus. Germani (circa Oppenhemium) Bachuogel, à menſe Iunio quo aduẽtare ſolent. ſed alia quoq; eiuſdem nominis eſt minor, quam inter gallinas aquaticas deſcribam. alij Regenuogel, (circa Argentoratum) id eſt auem pluuiæ: alij Winduogel, id eſt uentorum auem, uel Wetteruogel, quòd tempeſtatis futuræ & imminentium uentorum prognoſticon ex ea ſumatur. ſed rurſus aliam quoq; minorem auem pluuiæ uulgò dictam inter gallinulas ſylueſtres ponemus. Circa lacum Acronium ein Gzũy: Friſij ein Schrye, (Schryck à Germanis dicitur, quam crecem eſſe conijcit Turnerus,) utriq; nimirum per onomatopœiam facto uocabulo. Hollandi Hanikens. Anglí, ni fallor, a kurlen, quam auem aiunt lautiſsimam eſſe. ¶ Marianus Sanctus Barolitanus in libro de lapide renum & ueſicæ roſtrum arcuatum appellat inſtrumentũ quod inſeritur in meatum urinarium colis, ut urina retenta eliciatur: à ſimilitudine roſtri animalis quod Veneti arcuatum nominãt. nos autem (inquit) terlinum ab ipſo uocis ſonitu. ¶ Auis arquata quam manibus tracta ui ab extremo roſtro ad pedes ultimos extenſa circiter ſeptem palmos æquabat longitudine. Corporis longitudo à pectoris ſeu dorſi initio uſq; ad finem caudæ alarúmue, ſeſquidodrãs. pondus accedebat ad uncias triginta. crura erant oblonga, colore ſubfuſco uel cinereo. digitorũ extrema pars magis nigreſcit. ſunt autem fiſsi, ſed aliquatenus membrana coniuncti: quæ etiam utrinq; iuxta ſingulos digitos deſcendit, & inferiorem digitorum partem dilatat. Vngues nigerrimi. Roſtrum circiter octo digitos longum, aliquando etiam dodrantẽ æquat. idẽ poſt tres digitos flecti incipit deorſum, colore nigrum. Pennarum color fuſcus ferè, ſed uarius & maculoſus eſt. ex eis maximè fulgẽt inſtar ſerici uilloſi, quæ inter alas & dorſum ſunt: in medio nigrę, in circuitu per interſtitia ſubrufſæ. Collum ſex digitos longum. color ei obſcurior, & plus cinerei habet quàm albi, pluma molliſsima. Pennæ in cauda quinque digitos longa nigris & albicantibus interuallis diſtinguuntur. In pectore circa nigricantes maculas plumæ ſubrubent. in alis extremitas pennarum nigreſcit. Venter & pars ſub alis albicant. Alæ ipſæ maiuſculæ ſunt, ex egregijs pennis partim nigris, partim albis & fuſcis diſcolores. Occiſa erat ictu bombardæ in prato quodam.

¶ In uentriculo diſſectæ uermiculos quoſdã & lapillos inueni. Oua parit, ut audio, ferè quanta gallinæ, quaterna, pallida, menſe Aprili. ¶ Laudantur in cibis, & gallinis etiam præferuntur: ſingulæ denario argenteo ferè uæneunt. mihi ſemel guſtanti caro ſolida, ſicca, & leporinæ ferè ſimilis uiſa eſt, fortè quòd ætate prouectior fuerat auis.

¶ Quærendum an hæc ſit ueterum numenius, νουμήνιος, (apud Varinum non rectè νουμίνιος ſcribitur,) quam auem eſſe attageni ſimilem Heſychius docet, quæ & trochilus dicatur, (nimirum à celeritate curſus, qua attagen quoq; ualet.) Legimus autem attagenem fuiſſe pteropœcilon, id eſt uarietate pennarum inſignem, quod arquatæ etiam pulchrè conuenit. Hinc factum eſt prouerbium, Attagãs, numenius, ſi quando duo improbi conueniſſent uſitatum. Improbos enim ſeruos & multis ſtigmatibus notatos, attagẽnas uocabant. Poterit autem, ut ego quidem conijcio, numenius auis dicta uideri à neomenia, id eſt nouilunio, quòd roſtri figura arcũ Lunæ recens à nouilunio creſcentis in cornua repræſentet. Quòd ſi quis non approbata hac coniectura noſtra ſcolópacem (gallinaginem Gaza uertit) potius numenium eſſe uelit, quòd Ariſtoteles illi attagenæ colorem tribuat, non multum illi contendero: etſi figura roſtri gallinaginis nouæ Lunæ, id eſt nouiter apparenti non conueniat. Quantum ad ſenſum quidem prouerbij, nihil refert quancunq; auem uariam & attagenę ſimilem ei cõiungas. Porrò trochilum auem (quem Heſychius eundem numenio facit) Clearchus apud Athenæum lib. 8. cum carulo & elorio inter παροδιστὰς nominat. ſic autem uocat aues τὰς ὠὰ



ταῖς εὐδίαις πρὰ τὸ ξηρὸν νεμομένας, hoc est quæ cœlo sereno in littore pasci soleant, piscibus scilicet in littore aut uado insidiantes. Sed plura de trochilo in Elemento T. requires. Iam cum carulum quoque, κήρυλον, Clearchus inter aues parendistas connumeret, facile conijcio illum differre à carulo alcyonis mare, qui & ceyx appellatur. neq; enim hæc alcyonum natura est, itaq; trochilo ipsum congenerem esse arbitror; & forsitan ut carulus corporis specie trochilo similis est, ita trochilus simili nomine curlu ab Anglis, corlis à Gallis appellatur. ¶ Corlis Gallorum, auis est quam Græci uulgò hodie à longitudine nasi (id est rostri) macrimito nuncupant, Bellonius. Idem alibi crecẽ auem corporis magnitudine mediã esse scribit inter aues à Gallis dictas corlis & cheuallier, rostro etiam & cruribus inter utranque, & mox ibidem nigram (quam ipse sic appellandam conijcit, uidetur autem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 257 sur 825

tem coruus syluaticus noster esse) crassitie corporis ad auem corlis accedere, uel paulò inferiorem esse ait.

DE ASILO.

ASILVS, ut Theodorus Gaza uertit, ubi Græcè οἶστρος legitur, inter aues quæ uermiculis uictitant numeratur ab Aristot. de hist. anim. 8. 3. Niphus insectum esse putat quod uulgò tabanus dicatur à sono, & inter aues numerari miratur. Sed idem insecto & aui nomen esse non mirum, cum & alia non pauca animalia in diuersis generibus sæpe nomen unum homónymon obtineant propter communem aliquam in utrisq; similitudinem, coloris, ingenij, uocis, aut quamuis aliam.

DE ASIONE.

ASIO auis est quam Græci σκῶπα uocãt, ut Gaza ex Aristotele transfert, nos infra ostendemus asionem potius otum esse. Asiones (σκῶπες) aliqui omnibus anni temporibus patẽt, & ob eam rem perennes, & semperasiones (ἀεισκωπες) uocabulo compositio appellantur: qui esui non sunt propter uitium carnis. Aliqui autumno interdum apparent, nec plus uno aut altero die immorantur: qui & esui sunt, & ualde probantur, differunt hi nullo ferè alio à perennibus illis, nisi corpulentia pinguí: & quod uox his deest, illis non deest, de generatione eorũ, quænam sit, nihil adhuc exploratum habemus, nisi quod fauonijs flatibus apparent. certum enim hoc est, Aristot. Callimachus ait duo genera esse σκωπῶν, καὶ οὓς μὲν φθέγγεσθαι, οὓς δὲ ὄ. (Videtur hîc addendum, καὶ οὓς μὲν ἀεὶ φαίνεσθαι, οὓς δ' ὄ. quanquam Eustathius etiam sic citat ut hîc habetur: sed causalem coniunctionem διὸ, quæ proximè sequitur, omittit. Aelianus etiam ex Callimacho habet, τῶν σκωπῶν οὓς μὲν φθέγγεσθαι, οὓς δὲ συγκεκληρῶσθαι σιωπᾶν.) διὸ καὶ καλεῖσθαι οὓς μὲν σκῶπας αὐτῶν, οὓς δ' ἀεισκωπας. sunt autem colore glauco, Athenæus. Asio (Scops) minor quàm noctua est, Aristot. Sed Plinius lib. 10. cap. 23. inter aues migrantes otidem & cychramum nominat: ubi in Aristotelis historia anim. 8. 12. otus non otis legitur. Rursus in eodem capite apud Plinium ubi legitur, otis bubone minor est, manuscripti quidam codices otus habent, & similiter Aristoteles. Otus bubone minor est, noctuis maior: auribus plumeis eminentibus, unde & nomen illi. quidam Latinè asionem uocãt: imitatrix aliâs auis ac parasita, & quodam genere saltatrix. capitur haud difficulter, ut noctuæ, intenta in aliquo circumeunte alio, Plinius ex Aristot. lib. 10. & rursus lib. 11. buboni & oto plumæ sunt uelut aures. Otus noctuæ similis est, pinnulis circiter aures eminentibus præditus, unde nomen accepit, quasi auritum dicas. nonnulli ululam eum appellant, alij asionem, (Græcè nihil aliud legitur, quàm, alij eum nycticoracem nominãt, (Tyrannio σκῶπας esse nycticoraces dixit, Vuottonus. Apud Auicennæ interpretem hîc bubo & golochiz legitur.) blatero hic est & hallucinator (ἔστι δὲ κόλοβος, lego κόβαλος, καὶ μιμητὴς:) & planipes (id est saltator.) saltantes enim imitatur. capitur intẽtus in altero aucupe, altero circumeunte, ut noctua, Aristoteles interprete Gaza. Aristoteles libro secundo animalium historiæ (legendum libro octauo) otum scribit κόβαλον καὶ μιμητὴν ὄντα αὐτοχρώμενον ἁλίσκεσθαι, Suidas in uoce Κόβαλος, quam per βωμολόχος interpretatur. bomolóchon autem esse ait qui ludendo aliquem decipiat. item illiberalem, malignum. κόβαλα γὰρ τὰ κακὰ. κακότεχνον, λῃστὴν ἀπὸ τοῦ κοπίδος, quasi κοπίβαλον, Etymologus. sed κίβαλος etiam λῃστὴς exponitur apud Suidam. item κοβαλίαν uel κόβαλον, τὴν μετὰ ἀπάτης παιδιάν, ἢ πρὸς πονηρὸν ἀνθρώπου κολακείαν. cæterum ludẽdo aliquem decipere, etsi accipi potest etiam simpliciter, tanquam per ludum & iocum aliquem decipere. (nam Etymologus κοβαλίαν interpretatur τὴν πρὸς ποιητὴν καὶ μετὰ ἀπάτης τοῦ μίμησιν παιδιάν:) uidetur tamen ad ludos qui pecunia deposita fiunt, ut in alea, propriè pertinere, ut κόβαλος sit aleator astutus uel improbus, ὁ κωμῳδοποιὸς ἢ νοῦν καὶ δεινὸς ὢν τοῦ βάλλειν καὶ παίζειν τοῖς πολίταις ἢ ἀσφαλῶς: uel quasi κακοβάλος, ὁ κακὸν βάλλειν, ut ipse conijcio. nã ueteres Grammatici aliter deriuant, ut ἀπὸ τοῦ κόπτειν, quod pro blaterare accipiatur, unde κώπη pro blaterone, & δημοσθένης. Aristoteles quidem mihi uidetur, ut κόβαλον uocẽ interpretaretur, per epexegesin addidisse καὶ μιμητὴν. nam blateronem dicere auem noctuarum generis, parum conuenit: ut forte nec parasitam. Cæterum βωμολόχοι proprie dicebantur homines aris assidentes & assentando aliquid de sacrificijs petentes. deinde tibicines & uates, qui sacrificijs adhibebantur. tertiò per metaphoram homines leues & abiecti, & nihil non sui lucri causa ludendo assentandoq; facere sustinentes, Suidas. Graculi etiam genus unum ab ingenio scilicet βωμολόχος Aristoteli cognominatur. A nomine κόβαλος fit uerbũ κοβαλεύειν, τὸ μεταφέρειν (aliâs μεταφορεύειν) τὰ ἀλλότρια μισθοῦ κατ' ὀλίγον, Suidas. in Etymologico non rectè κολεύειν legitur. Porrò quum Gaza μιμητὴν uerterit hallucinatorem, quæ uox Græca imitatorem significat, suspicor illũ aliter in Græco codice suo legisse, nempe μύωπα aut tale aliquod uocabulum uitij oculorum.

¶ Vt oti saltatione capiuntur, sic & scopes. Gaudent sanè scôpes imitatione, (ὁμοιότητι:) & ab eis uerbum σκώπτειν deductum est, τὸ σωματίζειν καὶ κατασχεδάζεσθαι τῶν σκωπτομένων, (aliâs οὓς σκωπτομένους,) διὰ τὸ τῶν ἐκείνων ῥᾳδίως λύειν πρόφασιν: Athenæus, ex quo etiam Eustathius & Varinus repetierunt. Apud nos quidem Græco uerbo σκώπτειν simile est & eiusdem significationis spotten. Scops, ut inquit Alexander Myndius, minor est noctua, & in colore plumbeo (μολυβδοφανὲς) albicantia puncta habet, & ab utrisq; temporibus duas pinnas subrigit, Iidem & Aelianus & Eustathius.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 258 sur 825

¶ Eberus & Peucerus asionem siue scopem illam quæ semper conspiciatur, Keiitzlin interpretantur Germanicè, hoc est noctuam paruam. alteram uerò quæ autumno tantum appareat uno atq; altero die, ein Steinkil/(id est noctuam uel ululam saxatilem:) illi (inquiunt) ἄφωνοι sunt, hi clamant sub crepusculum. Atqui auis quam nostri noctuam saxatilem nominant, Steinkutz/ auriculas nullas erigit, noctuis potius adnumeranda, cum quibus à nobis describetur: quare scops, qui auritus est, esse non potest: nisi huius etiam generis, ut audio, auritæ quædam inueniantur. Quærendum igitur an scôpes sint minimæ in noctuarum genere auritæ, ut ego conijcio, quas nostri pauas noctuas Italicas, (Kleine frömbde oder wältsche kützle/köpple/) Itali chus uel zus, in agro Patauino. harum caudas maculis uarias esse aiunt. His simile genus est apud nos, quod uocant uulgo Tschaurtle, exiguum, Italicis albius, cauda longiore, auriculis altioribus. ¶ Scopes esse uidentur, inquit Eustathius, quas Romani cucubas uocant, ἃς κικόβας οἱ Ῥωμαῖοι φασίν. uel potius, ut Varinus habet, ἃς κάφας ἤγάφας οἱ Ῥωμαῖοι φασί. hodie guuo uocitant, & locala. quæ uox (λόκαλος) legitur apud Aristotelem in fine libri 2. de historia animalium. uidetur autem ab aliquo in margine adscripta fuisse ut proximam uocem nycticorax aut ascalaphus interpretaretur. Gaza nycticorax & localos uocibus omissis, ciconia uertit. Alij bubonem Italice guuo uocant. ¶ Vlula, asio & aluco simili specie constant, & carne uiuunt, Aristot.

¶ Alexander Myndius ait apud Homerum aliquos κῶπας legere absq; sigma initiali (quod Eustathius etiam annotat in quintum Odysseæ) & Aristotelem quoq; sic eos nominasse: & hos semper uideri, nec admitti in cibum. illos uerò qui per autumnum uisantur uno aut altero die, edendo esse. differunt uerò ab ijs quos aiscôpas uocant (ὡσ̀ πάχη legendum πάχη) corpulentia, & similes sunt turturi ac palumbi. Speusippus quoq; & Metrodorus λῶπας dixerunt: iten Epicharmus qui ait οὖν κῶπας αὐτοχεμούνας ἁλισκεσθαι, Athenæus & Aelianus. Sunt ex Græcis qui scôpas bubones (ἔφφας forte pro κάφας legit) interpretentur. Alexander, sicuti Theocriti interpres inquit, οὖν σκώπας scribit, ἐκ τῶν τόρπεις ἐπὶ τῆ φωνῆ: quod est, scôpas esse uoce inamœna insuauiq;, Cælius. Scôpes dicuntur (inquit Eustathius) uel à uoce inepta, παρὰ τὸ σκαιὰν ὄπα ἔχειν. κακόφωνοι γάρ. uel quod uocem noctu emittant, παρὰ τὸ ἐν σκιᾷ, ὅ δεῖ νυκτὶ ἀθρεῖναι ὄπα. uel quòd noctu maximè cernant, παρὰ τὸ ἐν σκιᾷ ὦπα ἔχειν φιλόγλυ. uel denicq; quod uarietate gesticulationum suarum quibus naturaliter utuntur, homines σκώπτοντας, id est illos qui alios irridere & deludere solent, referant. Ab hac aue, ut scribit Athenæus, saltationis quoddam genus σκώψ nominatur, uarietate motuum insignis similiter ut hęc auis. Ab eadem uerò etiam σκωπάδοι fortassis denominantur apud Timonem, in Laconia non infrequentes, homunculi scilicet parui, σίλπωνοι ab alijs dicti: qualis etiam πίθων Pindaricus fuisse uidetur, ὃν καλὸν ἐκεῖνον ἐπονομάζει κατά τινα ὁμοιότητα σίλπωνον. Ex Athenæo quidem apparet, quòd σκώψ, & σκώπτυμα quoq; forsitan, saltationis quædam figura (siue gestus inter saltandum) fuerit. nam σκώψ (inquit) gestus quidam est prospicientium, extrema manu supra faciem inclinata, τὴν ἀερσκοπόντων τι σχῆμα ἄκρᾳ χειρὶ ὑπὲρ τῶν μετώπων κεκυρτωμένῃ. Καὶ μὴν παλαιῶν τῶνδε οἱ σκωπτύμασιν, Aeschylus. Solent quidem manum oculis hoc modo ad frontem imam opponere spectaturi aliquid ne offendãtur luce, ut oculorum imbecillitati consulatur. Et forte qui scôpem saltant, hoc modo simulant imbecillibus se scopum aut noctuarum instar oculis esse, qui lucem ferre apertam nequeant, quanquam scriptores prisci, ut Athenæus, saltationem quandam scopem dictam uelint, non ab hac oculorum prætectione, sed à motuum & gesticulationum uarietate: quòd auis hæc imitatrix similiter uarijs gesticulari motibus soleat. Sed decentior aptiorq; forsan hæc saltatio fuerit, tum corporis gestibus, tum uisus infirmitate pariter scopem auem imitando. In scope saltatione, quæ & σκωπίας (forte σκώπτυμα) dicebatur, collum quodammodo circumagebant ad imitationem auis eiusdem nominis, quæ, dum saltantem admiratur hominem, capitur, Pollux. ¶ Σκῶπτοι, aues quædam, uel gracculi, Hesychius.

¶ Scops genus est auis nocturnæ, Suidas. Σκώπτοι, ὄρνεα νυκτονόμα, κακόνομα, κακόφωνα, οἱονεὶ σκαιόπτοι τινές, Scholiastes Homeri. Scops omnes aues oris expressione, & articulata uoce longè superat: & quemadmodum psittacus & pica, sic hominum & aliarum auium uoces exprimit, Gillius tanquam ex Aeliano. nos non apud Aelianum, sed apud Athenæum libro 9. hæc uerba legimus: Γαύτα δὲ τὰ πρὸς ζῴων σύγκλησις καὶ διερθρωμένα ὅτι τῇ φωνῇ, καὶ μιμεῖται οὗτος πρὸς ἀνθρώπων καὶ πρὸς ἄλλων ὀρνίθων ἔχει. quo in loco etsi Athenæus tum prius tum post de scôpe aue scribat, non uidentur tamẽ hæc uerba mihi ad scôpem pertinere, sed in genere ad aues quorum lingua liberior (latiuscula) & uox articulatior est, ut illas & hominis sermonem & aliarum auium uoces imitari dicamus. quod quidem non solum scopem non facere puto, sed neq; ullam aliam nocturnam auem. scops enim gestu corporis & colli circumactione tantum, non etiam uoce, ad imitationem idonea uidetur. ¶ Scopes aues, (quarum Homerus in Odyssea mentionem facit, cum eas circum Calypsus antrum uersari scribit,) uiri saltandi bene periti tradunt cum saltatione comprehendi, tum genus quoddam saltationis esse, quæ (si adhibenda ijs fides sit,) scops appellatur. nam quòd ijs auibus iucundissimum sit quosdam ridicule imitari, ex eo profectum est uerbum σκώπτειν, id est, effingere, & non aberrare ab eis imitandis, quos ludicra assimulatione imitantur, Aelianus. Turturem quoq; saltatione capi author est in Hieroglyphicis Orus. ¶ Scôpes mali punici grano pereunt, Aelianus.

¶ G. Glaucomata dicunt magi cerebro catuli septem dierum emendari, specillo dimisso in dextram partem, si dexter oculus curetur: in sinistram, si sinister: aut felle recenti asinis. Noctuarum

est

est id genus maximum, quibus pluma aurium modo micat, Plinius.

¶ Ex his Plinij uerbis asionem aliam esse auē quàm scōpem, apparet. Scops enim, ut supra ex Aristotele & Athenæo Alexandrum Myndium citante, Eustathioq; retulimus, minor est noctua. asio uero secundum Plinium maximum genus noctuarum, quod mihi sanè non aliud quàm Græcorum otus uidetur, quod Plinius etiam asserit, & noctua maiorem esse scribit, id quod à Gaza non animaduersum miror. Asio quidem ab auribus dicta uidetur quasi aurio, uel à Græca uoce ὦς, uel Hebraica אזן asen uel osen. Sic enim Græci & Hebræi aurem uocant. Nominantur ab Homero scōpes auium genus; neq; harum satyricos motus cum insident, pleriscq; memoratos facile concepe-rim mente: neq; ipsæ iam aues nascuntur, Plinius. Asio auis aurita seruat hodie quoq; nomē apud Marsos, Hermolaus. Cæterum ut recentiores otum & asionem, cum scope confundunt, quoniam utraq; auis imitatrix est, & saltationibus capitur, utraq; similis noctuæ: sic ueterum quidam uicinitate uocabulorum decepti otum & otidem, ut suo loco dicemus in Oti historia. Apud Hesychium & Varinum memoratur etiam ἄσιος pro aue.

¶ Thopios (Thops legendum puto, ut auis eadem sit quæ scops) auis est nocturna, huius oculi & cor si noctu gestentur, metum exterminant, audaciam conferunt, & noxam omnē ab oculis auertunt. Eadem in cibo sumpta prosperitatem (sanitatem,) & bonum stomachum facit, Kiranides lib. 3. in Elemento ⊖.

DE ATTAGENE.

Effigies hæc est Gallinæ corylorum uulgò dictæ Germanis.



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 260 sur 825

A.

ATTAGAS, ἀτταγᾶς Atticè (apud Aristophanem in Acharnensibus) ultima circunflexa, auis quam nos ἀτταγᾶν uocamus, Varin. Athenæus attagas non attagenas dicit, etiamsi Varro & Gellius ita nominent. Atagenus (melius, attagenus per t. duplex, ἀτταγεν ὸς Athenæo lib. 7.) certe piscium è numero est, Hermolaus. Aristoteles quoque cum bis tantum huius auis mentionem faciat, nempe lib. 9. cap. 26. & rursus cap. 49. utrobique ἀτταγᾶν nominat. Attici nō rectè circunflectunt ἀτταγᾶς. nam quæ in ας. desinunt plus quàm dissyllaba, barytona sunt, ut ἀδάμας, ἀκάμας. Dicendi igitur ἀτταγᾶ (à recto ἀτταγᾶς, non ut quidam nuper scripsit ἀτταγᾶ) & non ἀτταγᾶν, Athenæus. Quæ in ας. desinunt plus quàm dissyllaba, & α. in penultima habentia, barytona sunt, ut Ἀδάμας, πολυδάμας. quare non rectè Attici uocem ἀτταγᾶς circunflectunt. est autem nomen auis, quæ communius dicitur ἀτταγᾶν, unde gignendi casus ἀτταγᾶνος. hinc pluralis numerus, Atticè ἀτταγᾶ, communiter ἀτταγᾶνες, Eustathius. Ἀτταγᾶ quidem etiam à Polluce nominantur. Inuenio & ἀτταγᾶς (& ἀτταγᾶν aliquoties apud Galenum) aliquando per t. simplex scriptum, quod nō placet. Attagâs autem dictus est per onomatopœiam, ut Aelianus docet. Ἀτταγᾶς, auis est, quam nos ἀτταγᾶνα dicimus, Scholiastes Aristophanis in Vespis & Varinus. Suidas uulgò etiam tagenarium, ταγηνάριον uocari refert. Apud eundem ταγᾶν legitur auis nomē, quæ sanè non alia quàm ἀτταγᾶν uidetur. Ἀτταβυγᾶς, εἶδος ὀρνέου, καὶ τὸ ἀτταγᾶς, Hesychius & Varin. malim ego ὁ καὶ ἀτταγᾶς. Consicio enim omnino eandem esse auem. ¶ Attagen Ionicus apud Horatium legitur, apud Martialem uerò attagena fœmininо genere: ut Gaza etiā ex Aristotele transtulit. ¶ Alduragi sunt aues quæ dicuntur franculini Latinè, Andreas Bellunensis in glossis Auicennæ, meminit autem Auicenna 2. 221. ubi uetus translatio habebat durax. ¶ Docti plerique in Italia attagênem interpretantur auē quæ uulgò dicatur francolinus uel francolina: ut Laurentius Valla in libro in Raudensem, Augustinus Niphus, & Amatus Lusitanus medicus: item Rob. Stephanus Gallus. etsi non puto Gallis usitatam esse hanc uocem. Videtur autem francolinus dictus uoce diminutiua à franco, id est nobili, quòd in cibo auium nobilissima delicatissimaque sit auis. Bononiæ, ut audio, uulgò franguelli nominantur. Est autem eadem Germanorum Haselhün, id est corylorum gallina, (sic dicta puto quòd inter corylos uersari soleat,) quod & in Italia ipse audiui, & ex icone francolini Venetijs dicti, quam doctissimus medicus Aloisius Mundella ad me misit, citra ullā dubitationem cognoui. Sed quoniam alij alium quendam francolinum faciunt, cruribus rubris, piscibus uiuentem, Ferrariæ ut audio notum: Neapoli uerò auem rostro, collo & pedibus longis, gallina crassiorem: & de gallina etiam corylorum nostra non planè constet an attagen sit, cum non palustribus locis, ut attagen ueterum, sed syluis & nemoribus tantum gaudeat: consultius uisum est, ut primum de attagen ueterum duntaxat dicta conscriberem: & mox de francolino, deinde etiam de gallina corylorum siue bonosa (nam hac tanquam Latina uoce Albertus & alij quidā recentiores utuntur) seorsim agerem: ut siue eadem auis est, siue diuersæ, suum cuique iudicium relinquatur. Gybertus Longolius attagenem esse putabat gallinam syluestrem illam quæ uulgò Germanis Birckhün à betulis appellatur, de qua inter Gallinas rusticas scribemus mox post Vrogalli historiam. nec enim attagenem esse puto, cum fœmina tantum in eo genere maculosa sit instar perdicis uulgaris. mas enim (ut quidam putant) totus niger est ex uiridi ferè. Vide infra in capite de Gallinis syluestribus in genere, & in Grygallo minore. Videtur sanè grygallus noster attagen alpinus nominari posse. Bellonius alicubi in Singularibus attagenem speciem facit lagopodis: & auē quoque Gallicè dictam canne petiere, ternis tantum digitis insistentem, lagopodis speciem attageni simillimam. ¶ Si attagenem auem palustrem & uarijs maculis distinctam esse ab Erasmo Rot. uerè scribitur (palustrem esse Aristophanis Scholiastes scribit, sed dubitari potest. uide infra in c.) Anglorū goduuittam siue fedoam, attagenam esse, indubitanter auderem affirmare. est autem ipsa gallinagini ita similis, ut nisi paulò maior esset, & pectoris color magis ad cinereum uergeret, altera ab altera difficulter posset distingui. Viuit in locis palustribus, & ad ripas fluminum, rostrum habet longum, sed capta triticum (ueteres attagenam captam cibum detrectare scribunt) non secus atque columbi, comedit. Triplo pluris quàm gallinago apud nos uenditur, tantopere eius caro magnatum palatis arridet, Guil. Turnerus. gallinaginem auē intelligit auem illam palustrem & maculis distinctā quæ uulgò nobis Schnepff, Gallis beccassa nominatur, Anglis uuodcoccus, de qua rursus idē Turnerus: Falluntur, inquit, Britannici ludimagistri, qui suum uuodcoccum attagenem faciūt, qui solis uescitur uermibus, & grana nunquam attingit. Attagân Aristophanes in Auibus dulce canere dicit. Sunt qui has starnas hodie uocatas putent, manifesto errore, quum ipsarum cantus minimè commendetur. hæ potius aues externæ uocantur, Volaterranus. Vide infra in c. de uoce attagenis. ¶ Actago, attago, atage, ate hemigi, & atacuigi uoces corruptæ ab attagêne apud Syluaticum leguntur. Attagena, id est coturnix, Idem. Sunt autem quædam (inquit alibi) coturnices magnæ, similes columbis, & hæ sunt attagenes. aliæ uerò paruæ, quæ uulgò dicuntur qualeæ. Attagen auis optimæ carnis inuenitur abundanter in Rhodo: de qua Hieronymus epistola 15. ad Asellam de fictis amicis ait: Tu attagenem eructas, & de comesto anseре gloriaris. aliqui fasianū, alij perdicem interpretantur, sed neutri bene, cum Galenus ab utrisque distinguat, reuera autem est auis quæ ab aliquibus uocatur francolino, magnitudine

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 261 sur 825

gnitudine faſiani, ſed cauda diſsimilis: pennis uario modo coloratis, ſicut gallina Indica, interdum tamen colore uiridi & cœleſti conſpicitur. ſapore quidem delicato aues omnes ſuperat, Syluaticus: ex quibus uerbis francolinum auem in Rhodo frequentem diuerſam eſſe à noſtra corylorum gallina deprehenditur: quòd ea neq; peregrina ſit, nec unquam uiridi cœruleóue colore ſpectetur.

B.

Attagen auis Aſiatica, ex Ionia olim præcipuè laudata eſt authore Gellio, Textor. Attagē máximè Ionius celebratur, quondam exiſtimatus inter raras aues, & in Gallia Hiſpaniaq; capitur, & per alpes etiam, Plinius. Mirabile in Creta ceruos non eſſe (præterquam in Cydoniatarum regione) item apros & attagenas, Idem. Attagênes in Cypro inſula hodie domi aluntur, Alex. Benedictus. Attagâs Aegyptias à guloſis celebrari Clemens in Pædagogo refert. ¶ Attagen (inquit Alexander Myndius apud Athenæum lib. 9.) paulò maior eſt perdice, totus circa dorſum παπαύρακφ, id eſt uerſicoloribus pictus maculis, figulinæ teſtæ colore, ſed magis ruffus: corpore graui, alis breuibus. Ariſtophanes attageni epitheton πηλοποικίλῳ tribuit à pennarum uarietate. uide infra in prouerbio Attagen, in ſeruum fugitiuum & ſtigmatiam. Ariſtoteles aſcálopan (Gaza gallinaginem interpretatur) attagenis colore deſcribit. Differunt genera auium, quòd alia ſunt βραχέα (malim βραχύπτερα, id eſt alis breuibus,) & non uolacia, ut attagen, perdix, phaſianus, gallus: eademq; θυθὺς βαδιστικὰ καὶ ὀλιγόπτα: hoc eſt, ſtatim nata & ingredi poſſunt & plumis ueſtiũtur, Theophraſtus apud Athenæum.

C.

Ariſtophanes in Auibus attagân nominat poſt aues paluſtres, & poſt illas quæ locis riguis (ὑδροφόσιοις) & Marathonijs pratis gaudeant. ubi Scholiaſtes hanc auem in locis lacuſtribus & paluſtribus paſci ſcribit, τὰ λιμνώδη καὶ ἕλεια (apud Suidam λεῖα legitur, non rectè. unde decepti quidam locis campeſtribus uerterunt) χωρία καταβόσκεσθαι. Rurſus idem poeta in Veſpis, τὸν πηλὸν ὥσπερ ἀτταγᾶς (quanquam codex impreſſus, ἀτταγὰς habet, oxytonum) τυρβάσεις βαδίζων. ubi Scholia, Attagâs auis in paludibus reperitur & locis cœnoſis gaudet. Cæterum miretur aliquis quòd aliorum ſcriptorum nullus paluſtrem hanc auem eſſe ſcripſerit. Ariſtoteles quidē lib. 9. cap. 49. hiſtoriæ anim. aues quæ circa fluuios, paludes aut mare degant, lotrices eſſe ſcribit: cum proximè antè inter pulueratrices attagenam cum perdice, gallina, phaſiano & alauda nominaſſet. ¶ Attagen pulueratrix eſt (quod & Alexander Myndius teſtatur) ut reliquæ aues non altiuolæ, ſed terræ propinquæ, Ariſtot. ¶ Fœcundus eſt, πολύτεκνος, Alexand. Myndius. ¶ Attagen, uocalis aliâs, captus obmuteſcit, Plinius. Attagân Ariſtophanes in Auibus dulce canere dicit, Volaterranus. ego neq; apud Ariſtophanem neq; ullum alium authorem dulcem attagênis cantum memoratum legi, & planè ſomniare uidetur Volaterranus. Ἀτταγᾶν dictum per onomatopœiam à uoce ſua ex Aeliano conſtat, qui ipſum nomen propriũ loqui & canere ſcribit. Socrates in libro de igne & lapidibus, ut Athenæus citat, ſcribit attagenes Pylas (Thermopylas Nic. Leonicus ex eodem authore transferens: in Aegyptum, Gillius ex Aeliano) è Lydia aduectas (in ſyluamq; dimiſſas, Aelianus) ad tempus aliquod coturnicis uocem ædidiſſe: deinde cum ex Cœli fluuij inundatione (τῆ ποταμῶ κοίλῃ ῥυέντι) fames (λιμὸς, ſed Gillius & Leonicus, legerũt λοιμὸς per οι, id eſt peſtis) ſuperueniſſet, & multi in regione perirent, deinde mutata uoce expreſsius dearticulatiusq; quàm quiuis expeditioris etiam linguę puer, loquutas ſubitò fuiſſe, neq; poſtea ceſſaſſe iſthuc identidem (ad noſtra uſq; tempora) blaterantes, τοῖς πᾶσι κακόεργοις κακά: id eſt, Ter malis mala. (ſed κακὸεργος uox Græca ſignificantior eſt, & uidentur Pylæi ab attagenibus cacurgi, id eſt nõ mali tantum ſed malefici appellati, quòd ipſos nimirum in fame & rerum omnium charitate captos in cibis conſumerent.) Aiunt autem eos captos neque manſueſcere, neq; idcirco amplius priſtinas uoces ædere, quòd ſeruitute conticeſcunt & obmuteſcunt: Quòd ſi ex poteſtate in libertatem uolandi dimittantur, & in ſuas ſedes perueniant, rurſum loqui, pariterq; cum libertate uocem recipere, Hæc ille & Aelianus. Luſcinia quoq; capta obmuteſcit, nec fert ſeruitutem, Oppiano: & uenatrix auis (ἀγρεὺς) Aeliano. ¶ Auis eſt ſpermológos, (id eſt, frugibus & granis ueſcens,) Alexander Myndius: ſicut gallinacei, quod Gillius & Leonicus de ſuo addiderunt. Vuottonus dubitat an σπερμολόγῳ uertendum ſit frugibus uictitans, (quod nobis placet:) an potius, ſeminibus frugibus ue erutis atq; effoſsis, ut ſpermologus auis dicta: quã ex Athenæo ſcribit ab eruendis ſeminibus nomen habere. Sed hoc parum intereſt, ſiue effoſsis in agro antequam prouenerint, ſiue aliter repertis ſeminibus ueſcatur.

D.

Attagenes ceruos amant, & in dorſo eorum ſaliunt, Gillius ex Oppiano. Attagâs & gallinaceus mutua exercent odia, Aelianus. ¶ Capti non ſolum nõ manſueſcunt, ſed ne uocem quidem amplius ædunt, niſi denuo liberi dimittantur, Alexander Myndius. Atqui Alexander Benedictus ſcribit attagênes in Cypro inſula hodie domi ali.

E.

Attagênas pedum celeritate magis quàm uolatu fretos uenator canibus immiſsis tanquam lepores capiet, Oppianus in Ixeuticis. Propter corporis grauitatem ac breuitatem alarũ à canibus uenaticis (ὑπὸ τῶν κυνηγῶν) capiuntur, Alexander Myndius. ¶ Quomodo nutriendæ & educandæ ſint hæ aues, in Phaſiano leges ex Varrone.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 262 sur 825

F.

Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum, Martialis. Phœnicides apud Athenæum libro 14. inquit se uarias delicias gustasse, myrta, mel, propylæa, (quam uocem pro cibo nusquam inuenio,) ischadas: sed horum nihil conferri posse cum attagene. κεδρὶ μὲν τούτων ὅλως πρὸς τοῦτο (malim τοῦτον, sed sic ἀπαγῆνα uox quæ sequitur recte per t. simplex legetur carminis gratia, cum alioqui per t. duplex scribi soleat) ἀπαγῆνα συμβαλεῖν τῶν ὄρνιθων. Vbi Athenæus addit, ἐν τοῖς πηκτίοις τοῦτο τὸ ἀπαγῆνον μνημονεύω. similiter per t. simplex. Ἀτταγᾶς ἥδιστον ἐνεῖν ἐν ὠοῖνικίοις λιχεῖας, Aristophanes in Ciconijs apud Athenæum. Attagen auis Asiatica inter cibos electiles quondam numerata est, maximè quæ in Ionia nascitur, authore Gellio, Io. Textor. ¶ In alimenti ratione coniunguntur ferè attagenæ cum perdicibus apud Galenum, & Oribasium & cæteros medicos, Vuotonus. Caro earum facillimè excoquitur & probum creat succum, Idem ex Galeno de alimentorum facultatibus & de cibis boni & mali suc. dicit autem Galenus succum ex attagenum carne laudabilem, nec tenuem nec crassum gigni. Idem libro 6. de sanit. tuenda attagenum carnes quibus conueniant docet: & quòd stomachicis conueniant libro 8. de compositione secundum locos. Pro nephriticis etiam laudantur in libro de renum affectibus, qui Galeno adscribitur. Alexander Benedictus uictus rationem pro calculosis describens, Laudatissimus (inquit) in cibo est attagen, si domi non educatus fuerit. nam in Cypro insula hodie domi aluntur. ¶ Durazz auis (inquit Auicenna lib. 2. cap. 221. ex emendatione Bellunensis) præfertur carni cubugi (coturnicem interpretatur Belluneñ. uulgò Venetijs dictam, hoc est perdicem cuius rostrum & pedes rubent) & alsuachut (hoc genus turturum est uel palumbium colore camelino aut cinereo, Bellunensis:) eadem temperatior, tenuiorq; ac siccior est carne altedarugi, (hoc est phasiani, uel perdicis, uel auis coturnici similis, Bellunen.) & minus calida. Cerebrum & intellectum ac genituram auget, libidinemq; promouet, Hæc Auicenna. Et alibi, Inter aues melior est caro alduragi, & gallinarum est subtilior ea, & non sunt cum nutrimento carnium alchabagi, & altaiaigi & altedarigi, (qui locus obscurus est, & haud scio an deprauatus.) Secundo loco sunt post atagenas gallinarum pulli quo ad bonum succum, sed magis præpingues. tales enim corpus humectant, & ociosos (eos qui non ualde exercentur) iuuant, coloremq; bonum comparant, & genitali semini adijciunt, & cerebri substantiam augent, & imprimis horum medulla. cerebrum quippe abunde nutrit: & idcirco aiunt quòd his qui leuiori ingenio ac mente sunt, prodest, Symeon Sethi ex interpretatione Gyraldi per nos emenda ta. ¶ Trallianus purulentis in cibo concedit phasianos non pingues, attagenas &c. ¶ Oua alduragi sequuntur naturam ouorum gallinaceorum, Auicenna. ¶ In perdice & attagena & in turture (scilicet condimentum:) Piper, ligusticum, mentham, rutæ semen; liquamen, merum & oleum calefacies, Apicius 6. 3.

H.

a. Epitheta. Ionius, Horatio. ¶ Ἀτταγενὸς piscis nomen est apud Athenæum, qui & scepinos. Est & Attaginus nomen uiri proprium libro 9. Herodoti.

¶ f. Οὐδ' ἀτταγᾶς τι καὶ σιλαγὼς (forte λαγὼς) ἀλεκτρώνων, Hipponax apud Athenæum. Meminit eorum & Aristophanes in Acharnensibus, ut qui in Megarica abundent, Athenæus.

¶ h. PROVERBIA. Attagen, Ἀτταγᾶς. Suidas indicat hoc cognominis prouerbiali loco dici solere in seruos stigmaticos, quòd hæc auis plumas habeat uarijs colorum notis distinctas. Aristophanes in Auibus, Εἰ δέ τυγχάνῃ τις ὑμῶν δραπέτης δεῦρο μολών, Ἀτταγᾶς ὅστις ποθ' ἡμῖν ποικίλος κεκλήσεται. Si quis è uobis erit fugitiuus atq; ustus notis, Attagẽ is sanè apud nos uarius appellabitur. Ad eundem modum ταὼς, id est pauones appellant Græci nitidius cultos & uersicoloribus amictos, Erasmus Rot. Idem in prouerbio Attagenæ nouilunium, sic scribit. Refertur hoc adagium à Suida, nec explicatur, (Ἀτταγᾶς νουμηνίαν, ὡς τὸν, Suidas: nec plura. apparet autem locum esse mutilum. Apostolius qui reliqua Suidæ prouerbia transcripsit, hoc prorsus omisit:) nisi quòd è diuersis locis haud difficile coniectura colligi potest dictum fuisse in turbam abiectorum & seruilium hominum. Siquidem attagen auis est palustris, uersicoloribus plumarum maculis distincta, unde seruum hominem stigmaticum, & cui tergum ob plagarum uibices, uarijs punctis esset picturatum attagenam uocabant. Porrò ad nouam lunam (sic enim Græci uocant initium mensis cum calendas non habeant, & serui distrahebantur apud Athenienses, & militum delectus agebatur, (ut Suidas scribit in uoce Νουμηνία,) Hæc ille. sed nesciebat numenium auem esse attageni similem, de quo plura leges supra in fine historiæ Arquatæ auis. Itaq; quadrabit prouerbiũ si duo inter se similiter improbi, & uarijs dolis referti (ut aues istæ maculis) conuenerint. Nesciebat etiam idem planè prouerbium esse quod alibi retulit, Conuenerunt Attabas & Numenius. Σωπήσθω ἀτταβάς τι (legendum ἀτταγᾶς τι) καὶ νουμήνιος. Quidam (inquit) legunt attagas: (& sanè omnino sic legendum est.) Dici solitum quoties improbus aggregatur cum improbo. Diogenianus tradit hos insigne par furum fuisse. Meminit huius Diogenes Laërtius in uita Timonis Nicei. Nam hoc prouerbio notabat eos, qui putabant intellectu attestante sensibus esse credendum, quum ipse nec rationi nec sensibus assentiendum putaret. Simillimum illi, quod alibi dictum est, Cum Bitho Bacchius, Hæc Erasmus: deceptus (ut apparet) à Diogeniano, qui auium nomina, hominum fuisse nomina putauit. Attagenæ macularum uarietate similis est etiam ardea stellaris, quam ex seruo (nimirum stigmatia) in auem mutatam fabulantur,

lantur, eadem scilicet ratione qua seruus improbus, uibicibus & liuoribus aut etiam cauterijs notatus, attagen dicitur.

DE FRANCOLINO.

QVONIAM francolinum uulgò apud Italos dictam auem alij aliam facere uidentur, & rursus alij attagenem francolinum esse aiunt, alij aliam quandã auem, ut supra in Attagêne diximus in A. uisum est ea quæ recentiores de francolino tradiderunt, seorsim conscribere, ijs tamen quæ iam in Attagêne A. dicta sunt cum alijs tum ex Syluatici descriptione non repetitis. Caro perdicis & francolini apud nobiles pretiosa est: & est temperata, declinans ad aliquam siccitatẽ. Videtur sanè francolinus non multum à perdice distare, uisi sunt mihi eiusdem saporis, & odoris etiam ferè. sed francolini leuiores calidioresq; & ficciores perdicibus sunt, utpote magis syluestres. nam in locis altis ac montibus degunt: & maioris sunt apud nos pretij & rariores, Mich. Sauonarola. ¶ Attagenes, id est frangolinos aues Romæ cardinalium cibum appellant, Amatus Lusitanus. Lagopis, quos francolinos uocant, ager Vicentinus abundat, qui optimi saporis bonitate fasianos & perdices superant, Zacharias Lilius. Frangolini columbarum syluestrium species, post perdices & coturnices in usu sunt. si iuuenes & pingues fuerint, optimum sanguinem generant, Nic. Massa, sed gallinarum potius quàm columbarum eos genus esse dicere debuerat.

DE GALLINA CORYLORVM SEV BONOSA

Alberto dicta, cuius figuram habes superius cum historia attagenis.

A.

AVIS cuius effigiem suprà posuimus, Italis uocatur pernis alpedica, uel perdice alpestre, id est perdix alpina, in locis scilicet qui non procul alpibus distant, ut circa lacũ Verbanum, ab alijs fasanella, ut Bellinzonæ: alijs francolino. Gallis, gelinette, uel gelinette sauuage, id est gallina syluestris, in Burgũdia & Lothoringia: uel perdris de montaigne, id est perdix montana: item geline uel gelinote de boys. Illyrijs gerzabek uel rzierziabek. Vngaris tícha sarmadàr, id est Cæsaris auis. Anglis a morehen, ut quidam mihi interpretatus est. sed hoc nomine potius gallina quædam palustris significari uidetur. Turcis iabantaú. Germanis ein Haselhũn. Græcè & Latinè attagen, ut doctorum plerique sentiunt, & mihi quoq; uidetur. Solus Gybertus Longolius otidẽ esse putauit, cui minimè assentior. Vide supra in Attagêne A. Visum est enim de attagene, frãcolino, & gallo seu gallina corylorum, distinctè agere, hoc est de singulis seperatim, quòd alij eandem tribus his nominibus, alij diuersas aues indicari existiment, ut suũ cuiq; iudicium relinquatur, facilius enim fuerit, si una est auis, coniungere hæc omnia: quàm, si diuersæ, confusa seligere. ¶ Orix genus est pulli (galli) syluaticum, perdice maius, eodem ferè colore, & uocatur à Germanis Haselhũn, id est pullus coryli: Albertus, ubi Aristotelis locum ex historia animalium 8. 12. interpretatur. nulla est autem uox Græca eo in loco quæ huic respondeat. Eandem auem Albertus & author libri de naturis rerũ bonosam appellant, nescio qua ratione, nisi forte origo est Gallica, quasi bonæ auis, quòd in cibo lautissima sit. Francolinũ (inquit Aloisius Mundella in epistola ex Italia ad nos missa unà cum auis francolini icone) Venetijs ad me deferri curaui, ut ita & sapor illius, & temperamentum gustanti mihi magis ac magis innotesceret: quæ profectò ambo mihi uisa fuerunt optima. In nostris regionibus (circa Brixiam Venetorum) ea auis capi non consueuit, licet auceps quidam mihi proculdubio affirmauerit, se plurimas per anteactam hyemẽ uenando cepisse: easq; per montes tantum arboribus consitos & syluas uideri, non per campestria, ut quæ rapacium uolucrum insidias magis timeant, quàm hominum astus: ac quandoq; in arborum ramis humiliorib⁹ insidère: & uelociter, ut coturnices quoq; assolent, currere. Palato sanè quàm gratissima est, ac magis quàm perdix, aut etiam coturnix suauior: probeq; ac multum nutrit, Hæc Mundella. Erat autem, quam misit auis, omnino eadem cum nostra corylorum gallina.

B.

Bonosa in Germania abundat, perdice maior est, (phasiani magnitudine,) colore perdicis, carne foris nigra, interius alba, Albertus. Otis (inquit Gyb. Longolius, intelligit autem gallum coryli) plumas circa aures non erigit ut ôtus, sed demittit, ut palearum quandam speciem repræsentet (potius quàm auricularum.) Perdici autem adeò similis est, ut præter hoc indiciũ, & quòd rostro paulò longiore est, ab illa parum distet, corpulentior tamen, & cruribus plumosioribus currit, ut fortasis ob hoc ab Alexãdro Myndio lagodias dictus sit, ob id quòd ceu uillis leporinis hirta uideatur, Hęc ille. Gallus coryli quem ipse consyderaui, talis erat: paulò minor gallina, rostro perbreui nigro, palpebra superior croceo aut ferè cocci colore splẽdebat, (puto autem in maribus hunc colorem intensiorem esse, in fœminis remissum.) Pennæ undiq; uariæ, sic ut color glaucus siue cinereus, niger, castaneus & albus in eis spectarentur. deniq; tota erat uaria & elegans auis. (Alarum pennæ longiores cinerei ferè coloris sunt, nigro ammixto, caput fuscum, Stumpfius.) Cauda quàm perdicí lon-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 264 sur 825

gior: in extremitate coloris glauci: paulò interius uerò linea latiuscula nigra erat. In supina etiam capitis parte plumæ nigræ. Pedes omnino hirsuti plumis ad principium usq; digitorum pertingentibus, quæ uillos leporinos ferè referebant. Digiti pedum corticosi, squamosi, glauci, multis lineis articulati, ut in gallo syluestri illo quem gallum frondium (Laubhan) nostri uocant.

C.

In syluis condensis & opacis degere solent, & plurimæ reperiuntur in syluis montanis circa radices alpium, præsertim ubi coryli & rubi abundant: nimirum ut & alantur ijs in locis & ab auium rapacium insidijs tutiores sint. Hyeme etiam in syluis manent, Georgius Agricola. Amant arbusculas, quas aliqui sambucos aquaticas (Germani Schwelken) uocant, Tragus. Insidere corylis frequenter inueniuntur, quarum iulis seu nucamentis, quæ piper longum specie referunt, uescuntur, Albertus, hinc & nomen eis Germanicum factum apparet. Negant eas coire instar aliorum animantium: sed tempore libidinis marem hiante ore discurrere donec spuat seu spumam ejiciat, quam fœmina mox deuoret & concipiat, Author libri de nat. rerum. Sed hoc falsum esse Albertus ait. nam quod ore (inquit) accipitur, in uentrem fertur, ubi alteratum nutrit, & quod superfluum est aluo redditur. Fermè omnes gallinæ syluestres (inquit Christophorus Encelius in opere de Re metallica) coeunt ore, diuerso tamen modo. Hæ species gallinarum syluestrium, quæ à corylis & uitibus nomen habent, (dicuntur enim Haselhüner & Räbhüner,) item quæ ab agris requiescentibus nomen inuenêre in Marchia, Brachhüner, Brachuögel,) coloris cyanei, optimi saporis, boni chymi, coeunt ore circa æquinoctium uernũ, osculatione facta ut solent columbæ. gallus enim istarum specierum rostrum inserit in os fœmellæ, & ita sperma infundit, more uiperarũ, in fœmellam. Hinc credibile est quod ferunt aucupes & uenatores, gallos de syluestribus gallinis, quæ à corylis nomen inuenêre (quas aliâs, nescio an bene, bonosas uocant) senio confectos oua more fœmellæ ponere, quæ excludant buffones, & ex illis nasci basiliscos syluestres, (die Haselwürm:) sicuti ex ouo galli gallinacei domestici post nouem annos excluditur basiliscus per rubetam domesticus: id quod testatur experientia. Sunt enim isti serpentes (die Haselwürm) uerè basiliski syluestres descriptione Nicandri, qui basiliscum syluestrem describit. Neque est genus per se, & rarissimè reperitur. In Marchia & in ditione abbatis Zinnensis, prope urbem Luckenwaldam cõtigit mihi uidere talem serpentem interfectum à pastore. & profectò magna in syluis ibi est copia talium gallinarum, (der Haselhüner.) Serpens erat capitis acuminati, flaui coloris & fermè crocei, longitudine ad tres palmas & ultrà, immensæ crassitudinis, cauda turbinata in latus, multis notulis candidis aluo insignitus, tergore tendête ad colorem cyaneum, oris immensi pro portione corporis. Pastor qui eum interfecerat acuminata securi, narrabat mihi illum uesci ranis, serpentibus, & omnium generum animalculis, præter bonosis, ut de quarum prosapia sit genitus. habitationem eius esse ad paludes, præcipuè ubi coryli sint. mirum in modum delectari lacte. propterea interficere eum uaccas uenenato ictu, & propterea ipsum quoq; eò magis peti à pastoribus & interfici. Retulit idem mihi pastor eius uocem esse ueluti anseris defendentis pullos, & hanc uocem Nicander uocat iygen, Hæc ille. Fides autem eorum penes authorem esto. mihi quidem nunquam persuadebit aliquis animalia ulla ore coire aut concipere, aut ex auium ouis serpentes generari. refert autem mox similem historiam de urogallorum conceptione, & serpentium quorundam ex spermate eorum in terram effuso generatione. Basiliscos etiam aliquos syluestres, alios domesticos esse, & illos à Nicandro describi, nullo authore aut teste, ne ipso quidem quo nititur Nicandro defenderit. quamobrem ad accuratiorem de hisce serpentibus inquisitionẽ, hoc scripto nostro, si forte inciderit, excitari ipsum uelim, ita quidem ne uulgo & pastoribus temere fidem adhibeat.

D.

Pullos ubi educauerunt ut iam uolare possint, aliò eos abducunt extra locum educationis ipsorum. illi uerò bini, mas & fœmina, alij aliorsum se conferunt, Stumpfius. Gyb. Longolius, qui nostram coryli gallinam otidem ueterum facit, illam quoq; equis (quod ueteres de otide scribunt) gaudere tradit, nescio ex propriáne obseruatione, an inde tantum quòd auem eandem esse persuasum habebat. Verba eius in dialogo hæc sunt. LONGOLIVS, En tibi otin (otidem potius) ut equo delectatur, caudam illius ut uellicat, ut assilit sternutãti. PAMPHILVS, Nidum parat. quamobrem setas equinas colligit. LONGOL. Nihil minus. naturalis est amor is. quamobrem qui uel uisco uel retibus uel arcu illam fallunt, equum adducunt, sed eum aucuparium, qui bombardæ uel scorpionis fragorem non exhorrescit. Nam fictis equis, quibus perdices illaqueant, rarò prehenditur.

E.

Gallinæ corylorum bis anno capiuntur, mense Martio & autumno. Auceps uocem earum diligenter obseruatam fistula imitatur in sylua. illæ si præsentes fuerint, respondent. tum auceps in tugurio aliquo humili se abscondit, & rete erectum aliquot passuum longitudine ante tugurium extendit. tum auem fistula uocat. aduolat illa, & per terram iuxta tugurium huc illuc discurrens, reti implicatur & capitur, Stumpfius. Si gallus tantum huius generis capiatur, gallina relicta, gallum alterum adducet: ita ut plures galli unam semper fœminam sequẽtes deinceps aliquando capiantur. Gallina uerò capta, gallus alteram sequitur gallinam, nec amplius ad pristinæ habitationis locũ reuertitur, Idem. Captas audio non diu ali posse, sed breui emori. Sed nuper auceps quidam mihi narrauit,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 265 sur 825

narrauit, ſe captæ cuiuſdam ingluuiem & uentriculũ reſcidiſſe, & cibo quo alerentur in eis animadueſo, aliam quandam deinde multo tempore pauiſſe.

F.

Bonoſæ caro foris nigra eſt, intus alba, tenera & gratiſsimi ſaporis, Albertus: delicata, & perdicis ferè ſapore, Author libri de nat. rerum. Noſtri cibum prorſus nobilem & ferarum auium omnium laudatiſsimam hanc auem prędicant: ità ut principibus etiam interdum poſtridie quàm cocta eſt apponatur ſola auium, aut omnino animalium fortaſsis. Sunt qui colores quatuor diuerſos in eius carne inueniri dicant. Aloiſius Mundella in probitate ſucci perdici eam comparat, ſapore etiam præfert, ut ſupra in Francolino retuli. Bonoſa capta per excrementi locum exenterari & ſaliri condiriq; poteſt, ut cum plumis etiam diu ſeruari aut procul deferri poſsit, Stumpfius.

G.

Epilepticis ſalubrem eſſe aiunt bonoſam in cibo, Stumpfius. Harum auium pennis mulieres audio uti aduerſus uteri ſuffocationem certo tempore (ſuperſtitioſè forſitan) decerptis: neſcio ſufficiúne, ut perdicum etiam pauonumq; pennis, an aliter. ¶ Ventriculos bonoſarum tres quatuórue unà cum cibo in eis contento equis aſthmaticis deuorandos dari præcipiunt hippiatri quidam recentiores.

DE GALLO PALVSTRI.

AVIS quam Scoti (& Angli quoq; ut conijcio) uocant gallum paluſtrem, ane mwyr cok, Germanicè ſcripſerim ein (Würhan) attagenis hiſtoriæ ſubijcienda uidetur. nam & in ſummis delicijs habetur, & in locis paluſtribus (unde nomẽ) paſcitur. & corpus ei ſubruffum aut ſubflauum undique punctis nigricantibus diſtinguitur. Supercilia & barbulæ è membrana rubente, ut in reliquis ferè gallis ſylueſtribus nulla. Effigiem eius ad nos è Scotia mitti doctiſsimus uir Io. Ferrerius Pedemontanus curauit. Haud ſcio an eædem ſint aues de quibus Hector Boëthius in Scotiæ deſcriptione ſic prodidit: Sunt in Scotia gallí gallinæq; ſylueſtres uocati, qui frumento abſtinent, & enaſcentibus tantum minutisq; cytiſi foliis ueſcuntur, humanæ gulæ perquam ſuaues. Gybertus Lõgolius gallinæ ſylueſtris quoddam genus uocat Kürhenn, quaſi Würhenn: quam meleagridem ſeu Africanam gallinam interpretatur: quæ itidẽ in paluſtribus locis uerſatur: ſed Athenæi deſcriptio meleagridum, Scoticis paluſtribus iam dictis non conuenit.



DE AVOSETTA.

AVIS hæc, cuius iconem in ſequẽti pagina damus, apud Italos Ferrariæ auoſetta (ni fallor) nominatur, neſcio qua ratione: & à roſtri ſurſum inflexi figura beccoſtorta & beccoroẽlla. Lucarni circa lacum Verbanum ſpinzago d' aqua: nam & arquata auis iam ſupra nobis deſcripta ſpinzago ſimpliciter eis nominatur. hæc uerò aquatica eſt, & palmipes. Turcis zeluk. Germanicum nomen nondum diſcere potui: quanquam apud nos etiam interdum capiatur, ſed rariſsimè. Ea quam Ferrariæ uidi crura habebat dodrantalia, roſtrum nigrum & ſurſum tendens in extremo acutum, quinq; digitorum ferè longitudine. pedes colore cyaneo diluto, digitos membranis iunctos. corpus ſupinum totum album erat, pronum ex albo nigroq; alternis diſtinguebatur. caput & ceruix ſuperius ex fuſco nigricabant. magnitudo totius corporis ferè columbæ aut paulò gracilior. longitudo ab extremo roſtro ad extremam caudam dodrantes duo.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 266 sur 825

Figura hæc est Auosettæ, cuius descriptionem præcedens pagina continet.



DE AVRIVITTI.

AVRIVITTIS (ut Gaza uertit ex Aristotele, p Greca uoce χυσομίτης. quidã codices perperam habẽt χυσομήτης) in spinis uictitat, uermẽ & quoduis aliud animal aspernatur. dormit & pascitur eodem in loco, ut & cæterę quæ spinam appetunt, nempe spinus & carduelis, (thraupis,) Aristoteles. Guil. Turnerus auem carduelem uulgò dictam interpretatur, Germanis **ein Distelfinck** / uel **ein Stigelitz**. Auriuittis (inquit) una est ex auiculis, quæ carduorum semine uictitãt, & uermes etiam oblatos non attingunt. Alij goldfincam aut distelfincam, spinum; alij carduelem esse uolunt. Sed si quis ex spiniuoris præter hanc aliam aurea uitta redimitam ostenderit, cui magis auriuittis nomen competat, quàm huic, opinionem meam facilè patiar explodi; alioqui non uideo, quin digna sit quę probetur,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 267 sur 825

probetur, Hęc Turnerus. Eberus uerò & Peucerus auriuittem aliam auem faciunt, quæ Germanicè dicatur Goldfinck, Lobfinck, Thumpfaff, & Gümpel, (Heluetijs Güger:) uertice tota nigra, ima parte punicea, superiore cinerea nigricans. Sed de hac aue plura dicemus in elemento R. inter eas quibus nomen à colore rubro factum est uulgò.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA A B. ELEMENTO INCIPIVNT.

DE BARITIS.

BARITAE, Βαρῖται, aues memorantur Oppiano lib. 3. de aucupio inter illas quæ uisco capiunt.

DE BETHYLO.

EST & auicula quæ uocatur betylus, olim dicta detylus, Hermolaus. sed th. aspiratũ scribi debet. Βήθυλος, εἶδος ὀρνέου, δήθυλος ἦν. mutatur enim deleta in bêta, ut Belphi pro Delphi, Etymologus & Varinus.

BITTACOS, βιττάκους, auiculas Eubulus apud Athenæum nominat.

DE BVBONE.

A.

BVBO auis est de genere noctuæ, Albertus. uidetur autem noctuam genus ad aues nocturnas facere, cum ueteres id nomen tantũ pro specie una posuerint. Kos, כוס, nomen auis Hebraicum alij aliter interpretãtur: Dauid Kimhi auem immundam ignotam nobis: uel auem quæ locis desertis degat, & uocẽ ædat similem בחי ploratui. Rabi Salomon, פלקון, id est falconem. Hieronymus Psalmo 102. nycticoracem, ut & LXX. Munsterus bubonem. Idem in Lexico linguæ Hebraicæ, Kos (inquit) est nomen uolucris ululantis & clamantis de nocte, nycticorax, uulgò קוץ, Kutz, (sic Germani noctuam uocant: & sanè Hebraica uox pulchrè alludit: sed bubonem quoq; & alias aues nocturnas noctuarum generis esse dici potest,) Hæc ille. Verba Psalmi sunt, Similis factus sum pelicano (kaat) deserti, factus sum ut bubo (kos) qui est in solitudinibus. Aquila & Theodotion, & quinta æditio nycticoracem reddũt: sexta æditio noctuam. Symmachus upupam. R. Salomon Leuitici 11. auem ait esse remotam ab hominum conspectu, (quidam sanè Hebraicè ab abscondẽdo dictam rentur) nocte uociferantem, cui similis alia sit quam uocant ייבן, ibin: forte hibou. sic enim Galli bubonem uocant. & solet R. Salomon Hebraica nomina Gallicè interpretari. Nominatur sanè Leuit. 11. kos auis inter impuras. ubi interpres Chaldæus uertit קריא, kadia: Arabs בוס, kus: Persa הבוס, hakus (quæ uoces magis etiã quàm Hebraica kos ad Germanicam Kutz, accedunt.) LXX. nycticorax, Hieronymus bubo. Et Deuter. 14. ubi LXX. & Hieronymus herodium uertunt. Psalmo 102. Chaldæus habet קיפופא, kiphupha, (noctuam quidã interpretatur. accedit quidem hæc uox ad nomen cicuma, quo Gaza nycticoracem reddit. Eustathius scôpas ait esse aues quas Romani cucubas nominent:) Arabs עצפור, azphur. Pagninus ex R. Salomone exponit noctuam, quæ uernacula (Gallica) lingua ciuetta nominetur, ac noctu clamet. Mihi quidem inter tam diuersas interpretationes animus magis ad bubonẽ inclinat. Schachaph, שחת, Leuitici undecimo & Deuter. 14. exponitur bubo, à Munstero, LXX. & Hieronymus larum aut fulicam interpretantur. Chaldæus reddit schachefa: Persa etiam uocem eam retinet, Arabs שאת, schaph. Dauid Kimhi interpretatur auem quæ laboret morbo schachefet Hebræis dicto, quo corpus attenuetur & deficiat (phthisi nimirum:) Sed Rabi Salomon sic uocat morbum in quo nascantur in carne ampullæ instar pomorum, (bubones forte, sic dicta apostemata Græcis. translatio communis Deuter. 28. pro hoc morbo uertit febrim, egestatem.) Iudæi recentiores cuculum auem interpretantur. quod si bubonem significat, deriuatũ inde (uel ab Arabico schaph) uideri poterit Germanicum bubonis nomẽ schüffel, & noctuæ generis Tschafytle, & apud Gręcos ascalaphi. Sed si auis est corpore macro & tenui, & tanquam phthisi cõsumpto, larum potius esse dicemus, quæ auis admodum tenuis leuisq;, & semper famelica est. Vicina huic apud Hebræos uox est schanaph, שנת, quam interpretantur noctuam. אי, ij, apud Hebræos aliqui bubonem intelligunt, Esaiæ cap. 13. Septuaginta onocentauros uerterunt, &c. Vide in Onocentauris inter Quadrupedes. Aduduc est nycticorax, & secundum alios est auis quæ dicitur bubo, Vetus glossographus Auicennæ. Et alibi, Hudubub, est auis quæ clamat de nocte. Hudud est auis quæ clamat nocte, Syluaticus. Ex hisce nominibus quodnam rectius scribatur haud scio: primum quidem ad Sabaudicũ accedit. uocant enim illi bubonem ung duc. Alharbe est animal uenenosum, & est auis quæ dicitur bubo, Vetus glossographus Auicennæ. Et rursus, Harbe, id est bubete auis. Sed nos harbe Arabica uoce chamæleontem significari, in historia eius docuimus.

¶ Bubo Græcè βύας appellatur, per onomatopœiam scilicet, ut & apud Latinos. Gaza ex Aristotele pro bya bubonem reddere solet. Videtur autem nomẽ esse primæ declinationis, quod alpha



in genitiuo & datiuo retineat, inde nominatiuus pluralis Βύαι, nam in Lexico Varini Βυὰι (oxytonum, malim paroxytonum) ὥφθησαν legitur. In eodem solo Βοίας reperio per οι, diphthongum, nec probo. Butalis, Βύτηλις, in Aesopi fabulis, non alia auis mihi quàm bubo uidetur, quod & noctu tantum canat, & similiter nomẽ (ut byas & bubo) à sono bu inditum habeat. Fingit autem eius cum uespertilione colloquium Aesopus, reddentis causam cur noctu tantũ canat, quoniam interdiu aliquando canens capta fuerit. Sunt ex Græcis qui scôpas bubones interpretentur, Cælius. Videspra in Asione. Audio in Græcia hodie bubonem dici σκλόπα. Buffus apud Kiranidem lib. 3, nocturna auis, ut Gerardi Cremonensis translatio habet, bubo est, coniicio autem Græcè Βῦφος scriptum fuisse, nam & apud Symeonem Sethi Βῦφοι noctuæ sunt: & in quibusdam Italiæ locis bubo uulgari lingua lo bufo dicitur. Recentiores quidam nycticoracem, id est coruum nocturnũ, eundem cum bubone faciunt, sed aues esse diuersas, collatis utriusq; historijs, facile deprehendetur.

¶ Bubo

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 269 sur 825

¶ Bubo Italicè nominatur guo, uel guuo potius. hanc enim noctuarum maximam esse aiunt. Varinus scôpas esse scribit aues, quas Romani κάφους ἢ γύφους (uel cucubas, ut Eustathius habet) appellent. In alijs Italiæ locis bubonem duco uel dugo uocitant, auem scilicet cornutam, duorum generum, quæ magnitudine distinguantur. Bubo auis, id est lo bufo, Syluaticus. Bubo magnitudine est aquilæ, & corruptè uulgò bufo dicitur, Niphus. Alibi uerò barbaiân, de maiori tantũ bubone, in usu est nomen, quanquam Scoppa Grammaticus ciuettam, id est noctuam & barbaianum unam auem faciat, ut Arlunnus bubonem & ciuettam. Et quanquam uulgus nimirum in diuersis regionibus hæc nomina confundit, docti tamen distinguere debebant.

¶ Bubo Hispanis búho est, Lusitanis búfo uel mócho. ¶ Gallis chat hurant, chahuhan, híbou. Sabaudis ung duc, id est dux, quasi princeps auium: quòd cæteris dominari uideatur, ceu uiribus superior, & cornibus in capite ceu corona insignis sit. & chassetont, id est uenatricem, quia aucupes hanc auem adiutricem aucupij habent: & alibi (ni fallor) lucherant. ¶ Germanis Vhu, uel groß Huhu, ut Georg. Agricola interpretatur. ein Schuffauß (uel Schuffans,) ein Schüffel (uel Schüffeul,) ein Kautz, ut Turnerus. sed ultimum nomen, noctuæ magis conuenit. Nominum Schuffans & Schüffeul etymologia, ad Hebræos referri potest, quod ad primam syllabam, qui bubonem schachaph, ut Arabes schaph, appellant. Alijs, ut in Saxonia, Vho: in Carinthia, Steinauff. Heluetijs Huw, Berghuw, Hüru uel Hüruw, quasi Huw, (ein grosser iuwel mit oren) uel per onomatopœiã à uoce: aliquibus Hertzog. Anglis, a lyke foule, ut Turnerus exponit: uel a shriche oule, ut Eliota. Illyrijs wyr. Turcis ugú.

¶ Glauces, id est noctuæ & nycticoraces nominantur Aristoteli historiæ animalium 9. 34. ubi Albertus sic habet, Auis quæ hein uocatur, & ea quæ glauces, sunt genera bubonum, & aliæ quædam genera sunt noctuarum. Rursus eiusdem lib. cap. 22. Alberti translatio bubonem habet pro glauce, & alibi etiam similiter, ut pluribus dicetur in D. Item libri octaui cap. 12. ubi ab Aristotele nominatur otus, quem aliqui nycticoracẽ appellent, Auicennæ interpres habet bubo & golochiz. Adeò auium nocturnarum præcipuè nomina confunduntur.

¶ Bubonis apud nos genus alterum reperiri puto, cætera quidem illi, cuius effigiem damus, simile, sed cruribus non æquè hirsutis. ¶ Buteonem aliqui apud nos uocant, Maßhuw, id est bubonem palustrem, quòd corporis specie aliquatenus bubonem referat.

B.

Bubo apud nos aquilæ magnitudinem habet, & graue canit: in Aegypto uerò alius est, magnitudine graculi, & uoce diuersa, Strabo lib. 17. Byas magnitudine nõ minor quàm aquila est, specie similis noctuæ, Aristot. Bubonem semel Venetijs iusta aquilæ magnitudine uidi, sed crura erant paulò breuiora quàm aquilæ crura solẽt esse. cætera aquilæ similis erat, Turnerus. Otis (aliâs otus, quod magis placet) bubone minor est, noctuis maior, &c. Plin. Pennatorum animalium buboni tantum & oto, plumæ uelut aures, cæteris cauernæ ad auditum, Idem. Byas unguibus aduncis est, Aristot. Uncos ungues & nocturnæ aues habent, ut noctuæ, bubo, ululæ, Plinius. Bubo est auis curuorum unguium, & acuti curuíq; rostri, sicut sunt ungues & rostra ferè omnium auium rapacium. plumis uaria est (sicut accipitres & aquilæ quædam) & magnitudine nocturnas omnes excedit, Albertus. Fuluas alas, caput magnum, grandia lumina, longos & aduncos ungues, buboni Ouidius in Metamorphosi tribuit. Nulli auium oculi maiores, Albertus. Zuetis (id est noctuis) & bubonibus collum (pro sua magnitudine) perbreue, Idem. Bubo (ut & genera picorum) binos digitos ante, & totidem retro habet. Flectit enim bubo digitum unum retro, & super binis utrinq; digitis reliquum corporis eius quiescit, sicut quiescit serpens comprimendo se super uentrem & pectus suum. Vngues habet magnos, similes unguibus aquilæ, Albertus. Atqui id genus bubonis quod nos hîc pictũ dedimus, digitos (ut plerq; aues cæterę) anterius ternos habet, posterius unum. illud uerò genus nocturnæ auis, quod Germani uocãt Schleieriul, ululam esse puto, digitos utrinque binos gerit. Stomachi inferiorem partem amplã habent, bubo & anser agrestis secundum omne genus suum, Albertus: sed eo loco (lib. 2. cap. ultimo historiæ anim.) ab Aristotele nominantur, capriceps, noctua, anser, anas, &c. aues, non bubo, mox tamen in fine eiusdem capitis ascalapho etiam, quem aliqui bubonem putant, talis gula tribuitur, ut & alijs nocturnis, noctuæ, nycticoraci, localo. ¶ Bubo quem ipse uidi, cuius icon adiecta est, magnitudine uincebat anserem, aut saltem æquabat reliquo corpore: alis uerò magnis erat, & lõgis ad tres dodrantes, cum ab initio alarum ad finem usq; maximæ pennæ ad eandem rectam lineam deflexæ extendebantur, à supremo osse alarum ad infimam extremitatem rectà, dodrans unus cum palmo erat. Caput tum forma tum magnitudine felinum referebat. pennæ supra utranq; aurem nigricantes subrigebantur, trium digitorum altitudine. oculi magni, plumæ circa orrhopygium densæ & mollissimæ, digito extenso (palmo, si bene memini) longiores. Longitudo ab extremo rostro ad ultimos pedes, siue u'timam caudam quoq;, tres dodrantes cum palmo æquabat. iris oculorum croceo colore splẽdebat. rostrum breue, nigrum & aduncum erat. pennis remotis aurium meatus magni & patentes apparebant. Vtrinque ad nares pili barbularum instar ex pennulis rigebant. pennis per totum corpus color uarius, ex albicantibus maculis, nigricantibus & subruffis. Cruris longitudo, dodrans cum palmo. eius pars supra genu, perquam crassa & torosa erat. ungues nigri, aduncí, acutissimi; pes ad extremos usque

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 270 sur 825

digitos pilosus, plumis ex albicante colore subruffis.

C.

Byas auis est nocturna, Aristo. & Suidas. idem dicere uidetur Albertus, cum inquit bubonem esse de genere noctuæ. Bubo, ut & uespertilio, uictum sibi noctu parat, Aristot. ut recentiores quidam citant. Bûphum aiunt amare uigilias, nam interdiu non apparet, Kiranides. Hebetes buboni, ut & cæteris nocturnis, interdiu oculi, Plinius. Die minus quàm noctuam uidere aiunt. ¶ In cauernis locisq; desertis commoratur, noctu uolitat solus, Io. Rauisius. Interdiu antra quærit tenebrosa, ut in cauis arborum, aut in cauernis (petrosis) montium, aut umbraculis ædificiorum quę homines non frequentant. & si quandoq; de die apparet, ab auibus in luce uolantibus deplumatur, Albertus. Deserta incolit: nec tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa, noctis monstrum, Plinius. Reperitur iuxta horrea aliquãdo propter mures, Albertus. In ecclesijs habitat, & oleum de lampadibus bibit, quas stercoribus defœdat, Author libri de nat. rerũ. Germani quidam & Flandri non bubonem, sed ululam, ni fallor, Kirchuil appellant ab ecclesijs. Plinius cum meminisset remedij cuiusdam ex ouo bubonis, subdit: Quis quæso ouum bubonis unquam uidere potuit, cum tam auem ipsam uidisse prodigium sit? ¶ Byas carnibus uiuit, Aristot. Bubo uiuit præda animalium nocte ambulantium, ut murium, & aliquando leporum & huiusmodi paruorum animalium, Albertus. Qui ad me allatus est bubo, anatem raptam deuorauerat. Oleum de lampadibus in ecclesijs bibit, & oua columbarum exorbet, Author libri de nat. rerum. Volucres pleræq; à suis uocibus nominantur, ut bubo, ulula, &c. Varro. Bubo nomen habet à uocis sono, Albertus & author libri de nat. rerum. Bubulat horrendum ferali carmine bubo, Author Philomelæ. Non cantu aliquo, sed gemitu uocalis est, Plinius. Nocte emittit uoces magnas, & boat, Kiranides. Bubo apud nos aquilæ magnitudinem habet & graue canit: in Aegypto uerò aliusmodi est, nempe gracili magnitudine & uoce diuersa, Strabo libro 17. ¶ Bubo debilis est ad uolatum, Rauisius. Vixq; mouet natas per inertia brachia pennas, Ouidius de Ascalapho in bubonem mutato. Volat nunquam quo libuit, sed transuersus aufertur, Plinius. ¶ Hylas tradit noctuam, bubonem &c. à cauda de ouo exire, quoniam pondere capitum peruersa oua posteriorem partem corporum fouẽdam matri applicent, Plinius. De bubone Plinius scribit, licet probabile non sit, quòd posterius ab ouo egrediatur. quod si uerum est, causa eius esse non potest alia quàm capitis grauitas, propter quam caput diu declinat & immobile manet; posterius (pars posterior) autem paruum est & breue, ac si auis ipsa sit decurtata, Albertus.

D.

Indoctiores quidam, ut qui ex Arabico sermone de animalibus scripta quædam transtulerunt, quiq; illorum interpretationes sequuntur Albertus & alij, cum sæpe bubonem pro noctua uerterint, ut apparet conferenti cum scriptis Aristotelis (ex quo tanquam fonte pleraq; hauserunt Arabes) multa buboni tribuunt quæ noctuæ sunt: ut inimicitias cum coruo, quanquam in hoc duplex error est, non enim cum coruo noctuam, sed cum cornice dissidere Aristoteles tradidit. Item cum Aristoteles scribat, cæteras auiculas omnes interdiu noctuam circunuolare, quod mirari uocetur, eamq; percutere: quamobrem (inquit) aucupes ea constituta auicularum genera multa & uaria capiunt: illi ijsdem ferè uerbis de bubone agunt. Bubo (inquiunt) si quando de die apparet ab auibus in luce uolantibus deplumatur: & ideo ab aucupibus ponitur iuxta retia, ut per eum aues cæteræ capiantur. Sed hic error bene cecidit: nam bubo similiter ut noctua ab auiculis odio habetur, similisq; eius ad aucupium usus est. Bubo cum ab illis auibus quæ in luce habitant impugnatur, resupina pedum unguibus se defendit, Author libri de nat. rerum. Incendula auis coruini generis pugnat cum bubone, Albertus. sed monedulam forte scripsit, non incendulam. monedulam enim alij hostem buboni ex Aristotele citant, quanquam falsò. noctuam enim cum cornice pugnare Aristoteles author est. Sunt autem & cornix & monedulæ graculiue coruini generis. Incendulæ uerò nomen nusquam legimus. Plinius semel incendiariæ meminit, (quæ suo tempore ignoretur) qua uisa sæpenumero urbs lustrata sit, ut & bubone uiso.

E.

Bubonis ad aucupium idem qui noctuæ usus est, ut iam in D. diximus: & Sabaudi hanc ob causam bubonem sua lingua uenatorem appellant, chasseton. Aliquando ad me allatus est bubo, captus in fouea quales ad capiendos lupos parari solent. ¶ Buteo uastitatis est causa his locis quæ in trauerit, ut bubo, à quo etiam appellatur buteo, Festus.

F.

Bubonem maiorem siue montanum cum præpinguis est, à quibusdam edi audio. Sed in ueteri testamento apparet hanc auem & nocturnas omnes impuras habitas.

G.

Ex bubone remedia quanquam omnia nobis aut uana & inutilia, aut superstitiosa, aut certè superflua uidentur, referemus tamen ut proposito nostro satisfiat. ¶ Sanguis bubonis, aut ius, aut caro eius, asthmaticis utilissima sunt, Auicenna libro 2. in capite de sanguine. Sanguine pulli buboni crispari capillum promittunt, Plinius. ¶ A lienis dolore liberat cinis è capite bubonis cum unguento, Plinius. Eundem cinerem alibi commendat contra nescio quod malum, cum lilij radice potum,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 271 sur 825

tum, si Magis (inquit) credimus. ¶ Bubonis cerebrum cum adipe anserino mirè uulnera dicitur glutinare, Plinius. Scabiem bubonis cerebrum cum aphronitro sedat, Idem. ¶ Bubonis oculorum cinis collyrio mixtus claritatem oculis facere promittitur, Plinius. Idem inter phreniticorum remedia, Bubonis certè (inquit) oculorum cinerem, inter ea quibus prodigiosè uitam ludificantur, acceperim. ¶ Bubonis pedes usti cum plumbagine (aliâs plantagine) contra serpentes auxiliantur, Plinius. ¶ Quartanis magi excrementa felis cum digito bubonis adalligari iubent, & ne recidant, nõ remoueri septeno circuitu. Quis hoc quæso inuenire potuit? quæue est ista mixtura? cur digitus bubonis potissimum electus est? Plinius. Catæ stercus cum ungula bubonis in collo uel brachio suspensum, post septimam accessionem discutit quartanam, Sextus. ¶ Bubonis ouo ad capillos remedia demonstrant magi. Quis quæso ouum bubonis unquam uidere potuit, cum tam ipsam auem uidisse prodigium sit? quis utiq; experiri, & præcipuè in capillo? Plinius.

H.

a. Bubo generis fœminini. Vergilius Aeneid. quarto, Seraq; culminibus ferali carmine bubo. Genere masculino Agellius historiarum lib. 4. Et quòd bubo in columna ædis Iouis sedens conspectus est, Nonius Marcellus. Solaq; (aliâs Seraq;, ut Nonius citat) culminibus ferali carmine bubo, Vergil. ubi Seruius, Sola bubo contra genus posuit: referens ad auem. plerunque enim genus à generali sumimus relicta specialitate. Lucanus, Et lætæ iurantur aues bubone siniſtro. Grammatici quidam recentiores bubonem dictum coniiciunt à bouis quodam mugitu, quem non uocali cantu sed gemitu potius reddat. Sed nobis potius placet per onomatopœiam quàm à boue sic dictum.

¶ Epitheta. Siniſter, Lucano: infandus Ouidio: ignauus, dirum mortalibus omen, eidem Metam. 5. funereus Metam. 10. Stygius, Metam. 15. raucus, in Triſtibus. Luctifer, Senecæ in Hercule. Infestus, Claudiano in Eutrop. Commemorantur & hæc Ioanni Rauisio, trepidus, fœdus, profanus, damna canens, dirus, mœstus, noctícanus, ater, feralis.

¶ Βοῦβων, bubo, uocabulum Græcum est, quo & Latini utuntur, de abscessu, siue tumore simplici potius, circa inguen maximè. nam & inguina ipsa Græci bubones uocant. uulgò quoq; nostri collectiones & inflammationes (uel inflationes potius) eius partis, inguinarias appellant, Hermolaus Barb. nostri appellant ſchwinten, büilen. Huic tumori nihil commune cum aue eiusdem nominis quod Latinum est & à sono fictum, illud Græcum, à uerbo βαίνειν & βοῦ particula intendente. ὁ μεγάλως βαίνων. nam articulus inguinis maximè necessarius est ad incessum, ἀπ' ὃ μεγάλως βαίνομεν. Vel tumor ipse sic nominatur eo in loco, quoniam ualde & in altum attollitur, aliqui βομβῶνα nuncupant. Βοῦβων ἐπάρθη τοῦ γόνατος, Menander. hinc & uerbum βουβωνιᾶν apud eundem, Etymologus. Aster (herba) ab aliquibus bubonium appellatur. quoniam inguinum præsentaneum remedium est, Plinius. Sedum maius, bubophthalmus à quibusdam dicitur, ut legitur inter nomenclaturas apud Dioscoridem: Plinius quidem zoophthalmon aliter dici meminit, quod magis placet.

¶ Buccones appellatos credunt (Pompeio Festo tradente) à buccarum magnitudine: sed alij, bubones scribere malunt, Cælius. ¶ Bubo, Βοῦβων, Lyciæ oppidum est, à Bubone latrone conditum, Stephanus. Nascitur & in Lycia creta circa Bubonem, Plinius. Grammaticus quidam recentior, Lydiæ oppidum esse scribit: sed omnino Lyciæ legendum cõiicio ex Plinio & Strabone. apud Etymologum Lycaoniæ ciuitatem esse legimus. unde Βουβωνεὺς gentile fiat, cum Βουβωνιεὺς dici deberet.

¶ e. Non omittam in bubone exemplum magicæ uanitatis, quippe præter relíqua portentosa mendacia, cor eius impositũ mammæ mulieris dormientis siniſtræ, tradunt efficere ut omnia secreta pronuciet, præterea in pugnam ferentes idem, fortiores fieri, Plinius. ¶ Buphi ungula fortunata est, & non fallens, & phylacterium appensa homini, Kiranides.

¶ h. Bubonem cum apparuit mali ominis esse, & bellum aut famem portendere uetus persuasio est, & ad nostrum usq; seculũ deriuata. Bubo funebris (inquit Plinius) & maximè abominatus, publicis præcipuè auspicijs. deserta incolit: nec tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa, noctis monstrum: nec cantu aliquo uocalis, sed gemitu. Itaq; in urbibus, aut omnino in luce uisus, dirum ostentum est. Priuatorum domibus insidentem plurimis scio non fuisse feralem. Capitolij cellam ipsam intrauit Sex. Papellio Istro, L. Pedanio coss. propter quod nonis Martijs urbs lustrata est eo anno, Hæc ille. Et rursus, L. Crasso, C. Mario coss. bubone uiso urbs lustrata est. Et quòd bubo in columna ædis Iouis sedens conspectus est, Agellius lib. 1. hist. apud Non. Marcellum. C. Claudio, M. Perpenna coss. bubo in æde Fortunæ equestris comprehensus inter manus expirauit, Iul. Obsequens. Triſtia mille locis Stygius dedit omina bubo, Ouidius Metam. 15. inter prodigia quæ Cæsaris mortem portenderint. Cum imperante Tiberio iuxta palatium Agrippa in uinculis ad arborem teneretur, insigni amictus ueste, ut eius fortuna ferebat: Germanus augur qui in uinculis etiam tenebatur, cum supra Agrippæ caput in arbore cui alligatus erat bubonem uidisset, ad colloquium eius admissus, affirmauit illum præsentem uinculorũ iniuriam euasurum, ac Iudæorum regno fœliciter potiturum: item liberos quibus regnum relinqueret procreaturum. sed si in posterum capiti suo iterum eiusmodi auem impendere uidisset, sciret morti se propinquum (intra quinq; dies moriturum) fore. quæ paulò post omnia, ut augur prædixerat, euenerunt, ut refert Baptista Fulgosius Memorabilium lib. 8. cap. 11. transcripsit autem ex Iosephi Antiquitatum Iudaicarum lib. 18. cap. 13. & rursus eiusdem operis lib. 19. cap. 7. Bubulat horrendum ferali carmine bubo, Humano genẽri

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 272 sur 825

triſtia fata ferens, Author Philomelæ. Solaq́ (aliâs Seraq́) culminibus (ſcilicet templi) ferali carmine bubo. Sæpe queri, & longas in fletum ducere uoces, Vergilius quarto Aeneid. inter portenta mortis Didûs. Byas apparens calamitatem imminentẽ ſignificat: unde apud hiſtoricos non rarò legitur, Βύας ἄφθη, & Βύας ὠφθησαν. Dion ſanè in hiſtorijs Romanorum has aues uiſas inter portenta (τέρατα) ſæpe numerare ſolet, Suidas & Varinus. Ignauus bubo, dirũ mortalibus omen, Ouidius quinto Metam. Hinc infelicia epitheta, quæ ſupra recẽſui, funereus, Stygius, infandus, dirus, ater, feralis, &c. Hic uultur, hic luctifer bubo gemit, Seneca de palude Cocyti. Aues nigræ, inauſpicatę, ut cornix, coruus, bubo, Scoppa: qui hoc tanquam prouerbiale recenſet, Auibus nigris huc acceſsiſti & ego candidis. Bubo cantans uel gemẽs potius per 12. ſigna, Luna in ſingulis exiſtente, quid ſignificet, Auguſtinus Niphus explicat lib. 1. de augurijs tabula ſexta. Maximè uerò abominatus eſt bubo, triſtis & dira auis, uoce funeſta & gemitu: qui formidoloſa, diraſq́ neceſsitates, & magnas moles inſtare portendit. ipſum tamen cantu & ſtridore querulo, dirũ facere auſpicium putant: tacens non ſemper malus fuit. quippe bubonis aſpectus Agrippæ captiuo Iudæorum regnum portendiſſe fertur, Alexander ab Alex. Die natali Ibidis, quod nomen inimici ſui fingit Ouidius,

Sedit in aduerſo nocturnus culmine bubo, Funereoq́ graues ædidit ore ſonos.

¶ De Bubonis augurio hiſtoriam memoratu dignam refert Nicolaus Clemangius, Baiocenſis eccleſiæ in Gallia aliquando Archidiaconus, qui Piſani Concilij improbitate offenſus, in quandam de Concilijs diſputationem incidit. Agens autem de Concilio Romano, quod Ioannes XXIIII. Pontifex, in Eſquilino monte æde D. Martini celebrauit, tale narrat prodigium. Conuocauerat (inquit) ante quatuor annos Romæ Concilium, maxima quorundam impulſus contentione, Baltazar Coſſa perfidiſsimus, nuper è Petri ſede, quam turpiſsime fœdabat, eiectus: in quo paucisſimis extraneis præſentibus, ex aliquibus qui aderãt Italicis (Italis) & aulicis ſuis, ſeſsiones aliquot tenuit, de rebus ſuperuacaneis, nihilq́ ad Eccleſiæ utilitatem pertinentibus. Cum autẽ ante primam Concilij cõgreſsionem pro inuocatione ſpiritus ſancti, ſacra de more fuiſſent facta, ut patres aſſederunt, & Baltazar ſublimi in loco præſedit: ecce dirus ac feralis bubo, funeris aut alterius, ut ferunt, calamitatis ſemper nuncius, è latebris erumpens, uoce illa ſua horrifica continuo aduolat, ſuperq́ trabem templi mediam, oculis in Baltazarem intentis, aſtitit. Vniuerſis mirantibus, quod nocturna auis & lucifuga, in turbam diurna luce aduenisſet, malumq́ ex prodigio ominantibus, Baltazar in quem fixa acie oculos intendebat, angi, ſudare, atq́ intra ſemetipſum æſtuare cœpit, & dimiſsis patribus ac ſoluto conuentu, diſceſsit. Aliqui prodigium in riſum uerterunt, dicentes, Specie bubonis in congregationem improborum ſpiritum ſanctum aduenisſe. Secuta altera deinceps ſeſsio, in quam eodem modo rurſus bubo aduenit, uerſo ſemper in Baltazarem contuitu, qui maiore pudore quàm priùs perturbatus, auem ominoſam clamoribus abigi, & ſupploſione manuum terreri præcepit: Sed illa non priùs amota fuit, quàm fuſtium ictibus pulſata, in conſpectu omnium examinis decideret. In hanc ſententiam Clemangius. Hic autem bubonis aduentus, augurio ſuo nõ caruit. nam & Concilium cum dedecore Pontificis diſſolutum, & Baltazar paulò poſt Conſtantię exauctoratus eſt, & Monhemij in oppido principis Palatini in uinculis detentus. Suam autem fortunam in carcere his uerſibus, deplorauit: qui quamuis ad hanc hiſtoriam nihil faciant, utilem tamen de fortunæ mutabilitate admonitionem comprehendunt.

Qui modò ſummus eram lætatus nomine præſul, Triſtis & abiectus nunc mea fata gemo.
Excelſus ſolio nuper uerſabar in alto, Cunctaq́ gens pedibus oſcula prona dabat.
Nunc ego pœnarum fundo deuoluor in imo, Vultum deformem, pallidaq́ ora gero.
Omnibus è terris aurum mihi ſponte ferebant: Sed nec gaza iuuat, nec quis amicus adeſt.
Sic uarians fortuna uices, aduerſa ſecundis Subdit, & ambiguo numine ludit atrox.
Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit, Vertice de ſummo mox ego Papa cado.

¶ Accidit aliquando ut Changius Can imperator Tartarorum uictus ab hoſtibus inter arbuſta lateret: inter quæ cum fortè bubo inſideret, uictores dum perquirunt uictos paſsim occultatos, neminem latere putarunt, quaſi aue minime illic manſura ſi hominum quiſquam adeſſet. itaque factum eſt ut ſilentio noctis ſecutæ imperator ad ſuos euaſerit & ſalutis ſuæ cauſam expoſuerit. Ab hoc igitur tempore Tartari bubonem ceu auem felicem & ſacram reuerentur, & plumas eius ceu amuletum & proſperitatis cauſam in capitibus geſtãt, ac quicunq́ illas habere poſſunt ſe felices exiſtimant, Haithonus in libro de Tartaris.

¶ Aſcalaphi in bubonem metamorphoſis deſcribitur ab Ouidio lib. 5. Metam. Aſcalaphus (ut tradunt Grammatici) Acherontis & Orphnes (uel Stygis, ſecundum Seruium in Georgica) infernalis nymphæ filius fuit. Hunc aiunt rapta Proſerpina à Plutone, cum quæreretur, num aliquid guſtaſſet apud inferos, eam accuſaſſe, atque dixiſſe, ſeptem grana mali Punici ex uiridario Ditis guſtaſſe: ex quo factum eſt ut non in totũ reſtitueretur Proſerpina. Ob hanc cauſam Ceres irata eundem mutauit in bubonem. Alius fuit Aſcalaphus Martis ex Aſtyocha filius, Ialmeni frater, cuius à Deiphobo occiſi Homerus meminit Iliad. N. Euſtathius in quartum Odyſſeæ Aſcalaphum uirum dictum putat, quaſi Acalaphum, pleonaſmo litere ſigma, per antiphraſin, eò quòd minimè mollis aut facilis tactu eſſet, ἀλλ' ἀπροσπλαυς & κὰι ἀνεπαφ & δ' αὐδρειαν: qua ratione etiã urtica Græcis ἀκαλήφη dicatur, quòd tactus earum minimè ἀκαλὸς, id eſt lenis, tener, aut mollis ſit. Idem ab eo ſcribitur in Ilia-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 273 sur 825

in Iliados o. ubi, Ascalaphum (inquit) Martis filium, aiunt in Hebræam (Iudææ) translatum, in Samaria sepultum esse, unde & Samaria dicta sit, quòd Mars illic filio sepulchrum fecerit, διὰ τὸ ἐκεῖ σῆμα τοῦ Ἄρεως, τετάσθαι σῆμα, ποιῆσαι τῷ υἱῷ. (Ascalaphi Martis filij Iliad. iôta etiam meminit Homerus.) Verum Etymologus & Scholiastes Homeri innominatus Iliad. v. Ἀσκάλαφον dictum interpretantur διὰ τὸ ἀσκαλὲς ἢ ἀφῆς, τοῦ λίαν σκληρόν. Sed ἀσκελὲς per e. potius quàm per a. scribi debet, cum durum significatur, uide Varini Lexicon. nimirum à uerbo σκέλλω quod est resicco, induro: & α. litera intendente: uel, ut α. priuatiuum sit, rigidum & inflexile, quod σκέλη, id est crura flexusq; non habet. Cæterum ἀσκάλαβος siue ἀσκαλαβώτης, stellio est, quadrupes ouipara, διὰ τὸ ἀκαλῶς βαίνειν sic dicta, hoc est à molli leniq; ingressu. ASCALAPHVS, ἀσκάλαφος, ad imum intestinum appendices paucas habet, Aristoteles in fine lib. 2. hist oriæ anim. cum alibi nusquam hoc nomen apud eum reperiatur. itaq; ascalaphum à bya (quem Gaza ex eo bubonem uertit) diuersum facit. Niphus ascalaphum genus anseris esse putauit, deceptus fortasis quòd anseris simpliciter & agrestis hoc in loco reddendo Albertus (ex Auicennæ nimirum interprete) meminit. Ego omnino bubonem, aut similem & congenerem buboni auem esse dixerim. Hebraicam uocem schachaph שחח, Deuter. 14. aliqui bubonem uerterunt, uideri autem potest ab ea Græcis deductum esse ascalaphi nomen, ut supra in A. scripsimus. ¶ Qui animalium uaticinorum animas sibi ascisere uolunt, præcipua aliqua eorum parte deuorata, animas quos illorum præsentes habent, ut corde coruorum, ἀσπαλάκων & accipitrum, easq; Dei instar futurorum præscias, Porphyrius lib. 2. de abstinendo ab animatis. Et quanquam scio ἀσπάλακα Græcis talpam esse, & hoc ipsum de corde talpæ à Plinio scribi, dubito tamen an ἀσκαλάφων melius legatur, hoc est bubonum. quoniam bubonibus, ut dictum est, præcipua fides in augurijs habetur: & bubones tanquã aues cum alijs auibus, ut coruis & accipitribus, aptius quàm talpæ numerantur. Iam cum talpæ Græcis ἀσπαλακῶν & ἀσφάλακῶν dicantur, facile factũ est ut ἀσκαλάφων pro ἀσφαλώκων poneretur. Eadem nimirum fuerit etiã ἀσφαλὸς auis, quæ alio nomine etiam ἐνθύσκως, enthyscus appellatur, Hesychio & Varino testibus.

¶ Bubo canit lusciniæ, inter prouerbia recensetur ab Erasmo Rot. cum infans suadere conatur eloquenti, aut inerudítus docere doctissimum. Authorem citat Theocritũ in Thyrside, ubi hic uersus legitur, Κἦξ ὀρέων τοι σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο, hoc est, ut ipse uertit, Buboq; montanus philomenis occinat ipsis. Etsi uerò scops alia auis quàm bubo sit, licet recentiores quidã uideantur confundere, quod ad sensum tamen prouerbij nihil interest, cum uox utriq; absurda sit. Et similiter Calphurnius etiam Aegloga sexta ex Theocrito uertisse uidetur, hoc carmine, Vocalem superet si turpis ãedona bubo, quod Erasmus citat in prouerbio Acanthida uincit cornix.

¶ Emblema Alciati, sub lemmate Senex puellam amans:

Dum Sophocles, quamuis affecta ætate, puellam
Allicit & precio, tulit ægrè insana iuuentus
Noctua ut in tumulis, super utq; cadauera bubo,

A quæstu Archippen ad sua uota trahit,
Ob zelum, & tali carmine utrunq; notat.
Talis apud Sophoclẽ nostra puella sedet.

DE BVDYTIS.

BVDYTAE, βοδύται, aues imbecilles uisco capiuntur, Oppianus Ixeuticorum tertio. uidentur autem de passerum, id est paruarum auicularum genere esse, & ita dictæ quod circa boues uolitare, easq; subire soleant. imbecillitas quidem paruitatis nota est. Coniecerim equidem has esse auiculas quæ inter boues & armenta uersari & caudas motitare solent, nostri uocant Rinderschysser, & Ryserle.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA INCIPIVNT A C. LITERA.

DE CACA.

CACA, κακὰ, Græcis nomen est auis, & idem quod κακία, id est malitia significat, Hesychius & Varinus. Videtur sanè cuiuscunq; auis hoc nomen est per onomatopœiam ei impositum.

¶ CALAMODYTES, quem cedri folio perire Aelianus author est, ad passeres pertinere uidetur, nam uulgò etiam passeris genus quod inter calamos degit, nostri Rotspatz, id est arundinarium passerem nuncupant.

DE CALIDRI.

CALIDRIS, καλίδρις oxytonum, lacus & fluuios petit, color ei cinereus, distinctus uariè, Aristot. Græcè legitur, ἔστι δὲ ὕδωρ τὸ ὄρνεον ποικιλίαν ἔχον, τὸ δὲ ὅλον κατοδευσίδες, lib. 8. cap. 3. de hist. anim. Ebe rus & Peucerus calidrin interpretantur auiculam minimã, quæ per arbores reptat picorum more, quam Germani uocant Baumkletterlin, de qua inferius in Certhia copiosius scribã. sed cum auicula hæc aquatica nõ sit, non placet calidrin appellare. quin potius inter gallinagines aquaticas eam collocârim, quarum quædam cinereo colore inueniuntur, pleræq; etiam σπιλαὶ, id est uariè maculosę in eo genere sunt.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 274 sur 825

DE CANARIA.

CANARIAM auiculam è Canarijs insulis mercatores adferũt, & uulgò auiculam sacchari uocitant, Zuckervogele. Auis est uulgaris pari magnitudine, rostro albo, paruo, & in acutum tendente: alarum & caudæ pennis totis uiridi colore: exiguo sanè discrimine ab auiculis illis quas nostri citrinas nuncupant: aut ijs quas zizelas nostri, Itali ligurinos. nisi quòd paulò maior est quàm utraq; illarum, huic aspectu similior, illa nonnihil uiridior. Cibis hæ omnes ijsdem uescuntur, lini scilicet aut papaueris semine, uel etiam interdũ milio. Canaria priuatim saccharo eiusq; arundine summopere gaudet: ut & auricula muris herba, quam uulgò morsum gallinæ uocant. hac enim ad cantum statim excitatur. Concentu ualde amœno est & acuto, quem spiritu diu non interrupto, nunc in longum, nunc in altum, uaria uocis inflexione, & musica propè, sanè lepida & artificiosa melodia extendit. Sonus emissus omnino gracilis, tamq; uibrans est, ut cum paruos faucium aliquãdo neruos intenderit, auscultantium aures, tereti quasi clangore percellat & obtundat. Ob hanc ipsam delicatam cantus suauitatem, & quod è remotissimis locis, per mare procul, deinde terra quoq; longè, summa cura & diligentia non nisi rara asportatur, magnatum ædibus alitur. Nam & ipsa per sepe grina raritate, & tanta gutturis dulcedine homines delectari, stupendum non est, præsertim quum ab Homero, Dyonisio Afro, Strabone, Ptolemęo, μακάρεων νῆσοι (Latinis Fortunatę numero quinq;, Plinio, Melæ) istæ insulæ dicantur, ex quarum una, hæc auis nomen apud nos adepta est, ubi captam negociatores adferunt. Solet autem magna in eius dignotione fraus exerceri, ita ut non pauci in ea agnoscenda decipiantur. Hæc omnia super hac aue doctrina & genere præclarus iuuenis Raphaël Seilerus Augustanus Geryonis Seileri nobilissimi medici filius ad nos perscripsit, & suum hoc in eandem epigramma adiecit.

Quid miror digitis quando rudis organa pulso — Suaue tot è cannis ire redire melos?
Plures una sonos auis hæc nil passere maior — Gramineis herbis æqua colore, dedit.
Illa tonos aptè medios quos maxima moles, — Nec calami poterant mille sonare, canit.
Ergo chelys, citharæq; fides uos, dicite nostram — Vel mutam si fas est, uel ἄμουσον auem.

DE CAPRA.

CAPELLA, αἴξ, auis circa lacus & amnes uersatur, Aristot. hist. anim. 8. 3. Bellonius in Singularibus 1. 10. auem quæ uulgo uanellus dicatur Aristotelis æga esse cõijcit, quod illa hodieq; apud Græcos æx nominatur. de quo plura leges in Vanello. Audio circa Francfordiam ad Mœnum auem quandam à uulgo Himmelgeiß appellari, id est cœlestem capram. Hieronymus Tragus ne scio quas aues (uidentur autem de gallinaginũ genere) Germanicè Wũdschnepflin uel Habergeißlin uocitari scribit, quasi capellas auenæ dicas, quòd hæ gallinulæ syluestres forte in agris auena consitis reperiantur, & uocem caprinæ similem ædant.

DE CAPRICIPITE.

CAPRICEPS auis, αἰγοκέφαλος, liene omnino caret. gulæ eius pars inferior paulò latior est, & ei us iecori simul ac uentri fel iungitur, Aristot. Aegocephalo auí lienem non esse constat, Aristot. Auis cuius caput simile est caprino, uocatur Latinè apud uulgus caper hirundinis, Albertus de animalibus 2. 2. 1.

DE CAPRIMVLGO.

CAPRIMVLGVS, αἰγοθήλας, auis montana est, magnitudine paulò maior quàm merula, minor quàm cuculus, moribus mollior, (audax est, Aelian.) parit oua duo, aut tria cum pluríma. fugit caprarum ubera aduolans, unde nomen accepit. Cum fuxerit, uber extinguí, (resiccari Aelianus) capramq; excęcari aiunt. Parum clare interdiu uidet, sed noctu perspicax est, Aristot. & Aelian. Paruas aues aspernatur, & caprarum uberibus aduolat ut exugat, (ὡς πίθεται ταῖς αἰξὶ περὶ τὸ καρτερόν,) Aelianus. Caprimulgi appellantur grandioris merulæ aspectu, fures nocturni: interdiu enim uisu carent. intrant pastorum stabula, caprarumq; uberibus aduolant, fuctum propter lactis: qua iniuria uber emoritur, caprisq; cæcitas quas ita mulsere oboritur, Plinius. Vetus interpres Aristotelis, ut quidam citant, addit hanc auem interdiu inter lapides degere. & pro Græca uoce θλακικός (Gaza uertit mollior, Vuottonus segnior & mollior) reddidit moris (ingenij) astuti, quod nõ probo. nam θλαξ & θλακικός, ut grammatici docent, contrarium potius indicant, μωρός, δύσβις, ἀνόητος, βραδύς, μαλακός, ἐκλελυμένος. nam qui ἀλαζόνα interpretãtur, errant. Sunt autem & aliæ quædam nocturnæ aues, stolidæ, ut otus & scops. Diuersa ab hac auis ægithalus est, quam Latinè parum dicimus, aliquíta men nominis uicinitate decepti cum ægothela confundunt. nam Aristophanis scholiastes in Auibus, Aegithalus (inquit) accipitris species est, sic dicta παρὰ τὸ θέειν αἰγὸς πθηλακῆναι, quòd caprã suxerit.

¶ Caprimulgos aues Romæ cognosci, & sæpe à pastoribus deprehendi, Petrus Gillius Venetijs aliquando mihi narrauit. Cum essem apud Heluetios (inquit Turnerus) senem quendam conspicatus,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 275 sur 825

ſpicatus,capras paſcentem in montibus, quos herbas quærendi gratia aſcenderam, rogabam num auem nouiſſet merulæ magnitudine,interdiu cæcam,noctu perſpicacem,quæ caprarum ubera noctu ſugere ſoleat,unde capræ poſtea cæcæ euadunt:qui reſpondit, ſe in Heluetiorũ montibus ante quatuordecim annos,multos uidiſſe, & multas iniurias ab ipſis paſſum, ut qui ſemel ſex capellas à caprimulgo occæcatas habuerat.cæterum nunc omnes ad unũ ab Heluetijs uſq; ad inferiores Germanos,ubi hodie non ſolum capras lacte priuant & occæcãt,ſed & oues inſuper occidunt,auolaſſe. Nomen auis quærenti,paphum,id eſt,ſacerdotem dici reſpondit. Sed uetulus ille mecum forte iocatus eſt. Ego uerò, ſiue iocatus fuerit, ſiue ſeriò locutus, aliud Germanicum caprimulgi nomen quàm quod me docuit iſte,non teneo. Si qui ſint, qui melius & aptius nomen in promptu habeant, proferant,Hæc Turnerus in libro de auibus. Idem poſtea in literis ad me miſsis,caprimulgum ſe uidiſſe ſcribit prope Bonnam(Germaniæ ciuitatem ad ripam Rheni, ſupra Coloniam) ubi à uulgo appelletur Nachtrauen,id eſt coruus nocturnus. Nos auis illius quæ Argẽtinę uocatur Nachtram,corrupto forſan nomine, alibi Nachtrap, effigiem infra ponemus cum hiſtoria nycticoracis. nam caprimulgum eſſe nondum auſim aſſerere,præſertim cum iuxta aquas & inter arundines eam uerſari audiam,ubi noctu clamet uoce abſona, & tanquam uomiturientis.

¶ Iſidorus & Albertus ægothelan(agothiles in eorum codicibus imperitè ſcribitur) auem peregrinam faciunt,quę in Oriente reperiatur,magna,roſtro lato:cætera uerò addunt ex Ariſtotele aut Plinio. ¶ Aeſalon uulgò caprimulgus uocatur, Niphus:cuius ego ſententiam non probo.

¶ Caprimulgus in Creta uulgò cognoſcitur,is à Gallis, quoniam noctu per urbes uolat, & clamorem perquam horribilem ædit,(un cry moult effrayant,) freſaye uel effraye nominatur: ab alijs parum rectè orfraye, quod nomen oſsifrago conuenit. Hic interdiu non uidet, non magis quàm noctua aut bubo. Colore & magnitudine fermè cuculum repræſentat. Nidificat in altis turribus & cauis templorum.in Creta uerò inter rupes montium circa mare, ubi capras nocturno ſuctu infeſtat,neq; enim ſtabulis noctu includuntur illic. Meminit harum auium etiam Ouidius ſtriges appellans,his uerſibus. Carpere dicuntur lactentia uiſcera roſtris. Eſt illis ſtrigibus nomen: ſed nominis huius Cauſa,quòd horrẽda ſtridere nocte ſolent,Bellonius. Normanni freſaiam auem dicunt uolare pedibus ad cœlum conuerſis:ſpeciem eſſe bubonis,non maiorem ulula, fuſci coloris.

DE CARDVELE.



A.

CARDVELIS dicitur eò quòd ſpinis & carduis paſcitur, unde apud Græcos acanthis dicitur à ſpinis quibus alitur,Iſidorus. Recentiorũ quidem Græcorum acanthis,eadem cardueli uideri poteſt,ſcribit enim Theocriti interpres acanthidem auem eſſe uariam & argutam,& à coloris uarietate etiam ποικιλίδα dici. Ariſtotelis uerò ac ueterum acanthis, diuerſa fuerit,ut Gazæ & Hermolao quoq; uiſum eſt, ut pote auis colore ignobili. Vide ſupra in Acanthide A. Auis Ariſtoteli thraupis,θραυπὶς,dicta,à Gaza carduelis conuertitur: quod & Hermolao probatur. Turnero quidem non aſſenſerim, qui chloridem noſtram (Grünling uulgò uocant)thraupin eſſe conijcit. Zena,id eſt auis Iouis,quam Græci uocant aſtragalinũ,nos uerò carduelem:in capite pennas rubeas habet, in alis aureas, & omnino tota eſt uaria colore, Kiranides. Aſtrolinum & aſtrogallum Matthæus Syluaticus cardellam uel carduellum auẽ interpretatur. apparet autem uoces eſſe corruptas pro aſtragalino uel aſtragalo. Carduelis olim ποικὶλις Græcis, in Creta uulgò guardelli,uel ſtragalino dicitur, Bellonius. Sed alij uidentur aſtragalini Oppiani lib. 3.de aucupio ubi celeres aſtragalinos(τοὺς ταχεῖς ἀστραγαλίνους) uiſco capi legimus.& nimirum illi paſſeribus adnumerandi ſunt,ut & ampeliones,budytæ,baritæ,ſõdes & ſpini, quas ibidem nominat & ſimiliter inuiſcari ſcribit. Nomen eis à magnitudine aſtragali inditum uidetur, tanquam minimis

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 276 sur 825

auiculis. Solent enim aliquando authores ueteres (medici) aſtragali magnitudinem nominare, quaſi notam uulgò, ut nos ferè nucis. Polybus in opere de affectibus corporis, medicamētum quoddam inſtar tali ouis accipi iubet. Cæterum aſteres (ἀστήρ) Oppiani, quas ibidem inuiſcari ſcribit, carduelesforſitan fuerint, quibus (inquit) rubicundus circulus ſtellæ inſtar in capite fulget, quanquam & alia apud nos auicula canora inuenitur, & ipſa (ni fallor) è ſpinis ſeu carduis uictitās, Schöſſerle uocant noſtri, rubente in uertice circulo. ¶ Thraupis, acanthis & auriuittis, auiculæ diuerſæ, carduorum ſemine omnes ueſcuntur, ut difficile mihi dictu uideatur, quamnam è tribus Plinius carduelem fecerit, Turnerus. Putat autem auriuittem eam eſſe quam nos hic pro carduele ſimpliciter dicta pingimus. (Vide ſupra in Auriuitti.) Quanquam enim & aliæ aues carduorum ſeminibus paſcantur, hæc tamen per excellentiam ſic dici uidetur, quòd & aliarum pulcherrima ſit, & cæteris (Alberto teſte) cantu præferatur. ¶ Carduelis etiam apud Græcos hodie uulgò γαρδέλι uocitatur. Italis gardello & gardellin, ut Nic. Erythræus ſcribit, etſi is acanthidem ſic interpretatur. alij aliter ſcribūt, gardelino, cardellino, carzerino. Carduelis (inquit Niphus Sueſſanus Italus) uulgò etiam raparinus dicitur. Sed alibi rauarinum ſonant, ut circa lacum Verbanū. Acanthida aliam à carduele crediderim, ut ſit quæ ſpinus dicitur: carduelis autē paſſer ſolitarius, ſuauiter cantillans, Grapaldus. Sed paſſerem ſolitarium à carduele & thraupide longè diuerſam eſſe auem, facile ex eius hiſtoria conſtabit. Hiſpani carduelem appellant ſirgueríto, ſielecolore: & ni fallor aliqui etiam pintacilgo. Galli chardonneret, quanquam & alias aues quæ ſpinas & carduos appetunt, eodem nomine uocent. Sabaudis, charderaulat. Carduelis auicula apud Germanos Siſtelfinck (uel Siſtelnogel) dicitur, quòd carduis inſideat: apud quoſdam uerò Stigelitz ab imitatione uocis, Albertus. Carduelis multorum generum eſt, ſed tria apud nos notiora ſunt. Primum genus dorſo cinereo eſt, à lateribus croceum, & ante roſtrum in capite rubet minij inſtar, & hoc nobilius habetur. Alterum eſt croceum paruum, quod uulgò Zeiſich (Zinßle) uocatur, (de quo in Acanthide ſcripſi.) Tertium uulgò nominatur Finck, (uide in fringilla,) cui pectus omnino flammeū rubet. Sunt qui quartum genus adijciant, lino inſidens: quare auis lini (Schöſſle) uocatur. id in dorſo ferè cinereum eſt ut primum, & in pectore ad croceum colorem cinereo dilutum uergit. Idem. Carduelem Roſtochij uocant Rotkögelken, Friſij ein Petter. Rhæti qui Germanicè loquuntur, Truns, ni fallor. Illyrij uel Bohemi ſteglick. Poloni ſczigil. Eberus & Peucerus Germani liguriní duo genera faciunt, minus quod non ualde diſſimile carduelí colorem ex albo nigroq; mixtum habeat. nos etiam (inquiunt) Siſtelfincken uocamus, maius, quod fringillā duplò excedat, cætera ferè ſimile, Kirchfinck (forte Kirßfinck) & Kernbeyſſer: colore utrunq; genus ignobile, ſed laudatum amœnitate uocis, Hæc illi. nos de poſteriore hoc genere, quod neq; paruum eſt, neq; uoce admodum placet, in Coccothrauſte dicemus. Apud nos quidem carduelis genera duo haberi audio, alterum uertice fuſco, alterum rubente. Turnerus auiculam cui nomen apud nos à uiriditate (Grünfinck, alijs itidem Kirßfinck) acanthidem eſſe conijcit. nam hæc quoq; carduorum maiorum & lapparum ſemine ueſcitur. ego illam inter chlorides poſui. ¶ Acardelentes, acalantia & actalantia, nomina corrupta ab acanthis & acalāthis, Syluaticus cardellam, id eſt carduelem interpretatur. Liſinia, id eſt auis cardella, Idem. Thraupis nominatur Ariſtoteli hiſtoriæ anim. 8. 3. ubi Albertus (ex Auicenna nimirum) azamicoz habet.

B.

Carduelesaues minimas eſſe Plinius ſcribit. Totas albas in Rhætia aliquando reperiri audio. Carduelis eſt auis parua, croceo in corpore, (alis,) rubeo in capite colore decorata, Author libri de nat. rerum. Carduelibus dorſum cinereum & fuſcum, alæ croceo colore nigroq; mixtim & alternatim uariatæ, albisq; notatæ maculis, uertex nigricans: roſtrum niger ambitus, hunc miniatus, miniatum cæſius circundat, Eberus & Peucerus.

C.

Carduelis (thraupis) ſpinam appetit. dormit & paſcitur eodē in loco. Vermem & quoduis aliud animal edere aſpernatur, ut & reliquæ ſpinam appetentes, ſcilicet ſpinus & auriuittis, Ariſtot. Mirum uidetur quòd hęc auicula carduorum acutis aculeis paſcitur, Author libri de nat. rerum. Quod carduelis dicitur paſci acutis ſpinarum & aculeis, experimento nouimus falſum eſſe. Paſcitur enim ſeminibus carduorum, lapparum, & uirgæ paſtoris, (dipſaci,) & ſimilium. Edit etiam ſemen papaueris, & rutæ & cannabis. & quæcunq; ſemina edit, roſtro decorticat, ut pura medulla ueſcatur, Albertus. Et alibi, Genera uinconum, inquit, ex ſpinis uictitant, ut auis Zeyßle Germanis dicta, & uinco cardui (id eſt carduelis) & uinco rubens pectore, & auis Gurſe dicta. Virgæ paſtoris, id eſt dipſaci, ſemina & uermiculos quæ ſunt in carduis ſuper radices ſiccatis, quærūt auiculæ, & cantant cum dantur eis, Creſcentieñ. ¶ Cardueles ualent amœnitate uocis, Eberus & Peucerus. Carduelis auicula Germanis Siſtelfinck dicitur, quòd carduis inſideat: apud quoſdā uerò Stigelitz ab imitatione uocis, Albertus. Et alibi, Carduelis omnia genera (quaterna enumerauimus in A.) muſica, ſed præcipuè primum: deinde ſecundum, eoq; minus tertiū, & minimè quartum. ¶ Carduelium genera omnia gregatim uolant, Albertus. ¶ In caueis incluſas aliquando epilepſia labo rare obſeruauimus. ¶ Carduelis auicula etiam ultra uigeſimum annum uiuit. Moguntiæ enim puer carduelem uidi, egreſſam uigintitres annos, cui ſingulis ſeptimanis roſtrum ac ungues præcidebantur,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 277 sur 825

debantur, ut papauer cibum, potumq; capere, & suo loco consistere posset. Cauea uerò & carceribus suis exuta, quo locabatur, uel prona uel supina iacebat immota prorsus præ ætate, & ad uolandum inepta, & iamiam propemodum pennis genuinis immutatis cana effecta, Iustinus Goblerus in epistola ad me.

D.

Cardueles imperata faciunt, nec uoce tantum, sed pedibus & ore pro manibus, Plinius. 10. 42. Nollem cardueles deuorari. plus enim uoce quàm patina hominem delectant. imperata enim faciunt, & pedibus atq; ore pro manibus utuntur: ut is quem in cubiculo Francisci Gonziaci cardinalis, cibum ac potum duobus uasculis æquilibribus funiculo ad se trahentem, cum uoluptate pariter & admiratione cernimus, Platina. Carduelis ergastulo clausa suppositam aquam ab imo per filum uasculo suspenso, ad se rostro trahit, pediq; filo interdũ supposito cum attigerit uasculum sitim potu sedat, Author libri de nat. rerum. Carduelium genera cornu (uasculum) à caueis, ubi includuntur, dependens, rostro trahunt ut bibant, sed cum biberint temere decidere sinunt, Albertus. Non una solum ex auium genere quæ carduorum seminibus uescuntur, imperata facit, & rostro ac pedibus pro manibus utitur, sed diuersæ spiniuoræ, nempe auriuittis (hanc ipse interpretatur uulgò dictam carduelem, & nobis **ein Distelfinck**) & alia colore uiridi (à quo & nomen ei Germanicum, **ein Grünling**:) & miliaria, quam linotam nostrates appellant. hæ omnes è duabus situlis uicissim ascendentibus & descendẽtibus, cibum ex una, & potum ex altera desumunt, (sumere assuescunt,) Turnerus. ¶ Cardueles domi in caueis aluntur multis annis propter cantum, nouem interdum aut amplius annis, donec iam senecta deficiant: & in mensas aliquando emissæ cicures admodum se præbent. Quòd si uterq; sexus coniunctus fuerit, præsertim si spatium uolandi eis negatum non sit, prolem procreant, nidificantq; in ipsis zetis siue hypocaustis apud nos, & pullitiem educunt, quanquam rariusculè. pariunt autem oua septem uel plura.

E.

Carduelium genera omnia, cum carduis insident adeò sunt stulta, ut frequẽtes una post alteram laqueo in uirgæ extremitate ligato per collum attrahantur, per foramen parietis post quem auceps lateat, non fugientibus cæteris. Similiter quando fisso ligno (amite) capiuntur, una hærente multæ conueniunt iuuandi animo, & capiuntur, Albertus.

F.

Ficedularum, carduelium, & reliquarum auium minutarum caro, si pingues sint, modo non nidificent, boni alimenti est, Platina.

G.

Zena, id est carduelis, assa & in cibo sumpta, iliacos & colicos perfectè curat, Kiranides.

H.

a. γραπτιν, genus auis, Hesychius & Varinus: corrupto forte nomine pro θραῦπιν.

CARYSTIAE aues sunt, quæ impune flammas inuolant, ita ut nec plumæ nec carnes earum flammis ignium aliquatenus cedant, Albertus Solinum citans, perperam ut uideo. neq; enim auis, sed lanæ potius, aut lapidis, qui lanæ instar pecti texiq; aptus erat, genus est quod Carystium ab oppido Eubœæ Carysto appellabatur, ex quo etiã mantilia fiebant, quæ igni iniecta à sordibus expurgabantur ac si abluta fuissent, ut Varinus refert. Plinius etiam (lib. 19. cap. 1.) meminit lini uiui siue asbesti, quod ignibus non absumatur, in India nascentis. Plura huiusmodi leges in Salamandra.

DE CARYOCATACTE.

CARYOCATACTEN appellare libuit genus graculi alpinum siue montanum, quod in sequenti pagina depictum ponitur, ut uocis Germanicæ **Nußbrecher** significationẽ exprimerem Gręcè. Latinè nucifragam dixeris. quanquam non ignoro caryocatacten apud Athenæum lib. 2. nominari uel instrumentum quo nuces frangantur, uel hominẽ qui nuces confringat. ut & mucerobaton, μυκηρόβατον, τὸν ἀμυγδαλοκατάκτην. muceros enim (μυκήρους) Lacones amygdala uocitant, ut ex Pamphilo Athenęus retulit. Et paulò antè, Seleucus (inquit) in glossis tradit, nuces magnas myceros (μυκήρους) appellari. Amerias uerò μύκηρον scribit amygdalam dici. Μυκηρόβας, καρυοκατάκτης, Hesychius & Varinus. Nucifrangibulum ioco appellat Plautus dentem, in Bacch. Mihi cautio est Ne nucifrangibula excussit ex malis meis. Sed redeo ad auem. Hæc igitur Germanis uocatur, ut dixi, **Nußbrecher**, uel **Nußbretscher**, **Nußbicker**, **Nußhäher**. Gallis cassenoix, eadem significatione. etsi auem quam nos inferius coccothrausten appellabimus, Gallis quibusdam sic dici audiam. Italis circa alpes & lacum Verbanum, merle alpadic, id est merula alpina. sed graculorum potius quàm merularum generis eam esse apparet. Turcis gargá.

¶ Præter tria graculorum genera ab Aristotele descripta (inquit Turnerus) noui & quartum genus, quod in alpibus Rhæticis uidi, Aristotelis lupo (monedula communi) minus, nigrum, & albis maculis per totum corpus, more sturni, distinctum, garrulitate reliqua graculorũ genera multum superans, semper in syluis & montibus degens: cui Rhæti nucifragæ nomen, à nucibus, quas rostro frangit & comedit, indiderunt, Hæc ille. Amicus quidam noster cum ex Curia Rhætorum op-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 278 sur 825



pido hanc auem ad nos misisset, hæc simul scripsit: Nucifraga auis similis est per omnia monedulæ in turribus nidulanti, sed minor, maculis undiq; candidis. alæ etiam extremæ candicant, & sub cauda plumæ quędam prorsus albæ uisuntur. Abundat maximè circa Curiam, & omnino graculorum generis uidetur, similiterq; obstrepera est. ¶ Est & alia auis quæ nuces rostro non frangit, sed perforat, ut nucleos comedat, unde Germanis Nuſſzhäcker/ id est nucifora, nominatur, alijs Chlán: alijs Nuſſzbicker/de qua nobis inter picos dicetur. Quænam uerò auis sit ea quam Miseni uocãt Nuſſzhäher/Lusatij Gabich, nondum cognoui.

DE AVE CASPIA SIVE INDICA.

FAMA quædam uenit in sermonem hominum apud Caspios auem procreari magnitudine maximi gallinacei, uersicolore uarietate florentem: atq; auditione accepi eam supinam uolare, & sub

ſub collum extenſis cruribus ſubleuare, (ὑποτείνων τοῦ προχήλου τὰ σκέλη, καὶ οἷον ἀνέχων αὐτὸς αὑτὸν) tum catelli uocem mittere, neq; in ſublime, ſed circum terram idcirco uolare, quòd in altum non queat ſeſe attollere, Aelianus. Et alibi, In maris Caſpij inſulis cum alias aues naſci ferunt, tum maximè unam ea ui & natura affectam, ut magnitudine quidem uel egregium anſerẽ ſuperet: pedes autem habeat gruí perſimiles, dorſo ſit uehementer rubro, uentre uiridi, collo albo, & diſſeminatis maculis croceis diſtincto, non minus quàm duo cubita longo, capite itẽ tenui & longo, roſtro nigro, uocem ranis ſimilem mittat. Item alibi, Auis Caſpia, uel potius Indica (nam in India etiam naſcitur) anſeris magnitudine, & lato quidem, ſed tenui capite, cruribus paruis eſt. uario colore diſtinguitur: nam eius dorſum purpureum eſt, uenter maxime coccineus, caput & cutis (δέρμα, melius δορά, id eſt colum, ut ſupra) exalbeſcunt, uocem caprinam mittit.

DE CATARRHACTE.

A.

CATARRHACTAS aues Callimachus memorauit, Ariſtophanis interpres. Video cataracten per ρ̄. ſimplex rectè ſcribi: cum ſcilicet deriuatur à præpoſitione κατὰ & uerbo ἀράσσω. & rurſus per duplex ρ̄. à uerbo eiuſdem ſignificationis ῥήσσω. ut σάκυς quoq; & Atticè ἄσακυς, σαφὶς & ἀσαφὶς idem ſignificant. geminatur autem ρ̄. in compoſitione, ſi præcedentis qua cum componitur præpoſitionis uocalem ſequatur. ſic à ῥέω, ῥήγνυμι, compoſita extant καταῤῥέω, & καταῤῥήγνυμι, &c. Videtur autem mihi catarrhactes auis eſſe larorum ſeu gauiarum generis, quæ apud Friſios uocatur Seemeew, id eſt larus marinus, miluo ferè æqualis, cadaueribus ueſcens, & in fame etiam anates rapiens. Cõueniunt enim uictus, & prædandi modus, & (ni fallor) etiam corporis figura. Ariſtoteles quidem utriq; gulam totam amplam & latam tribuit. Et Oppianus, Cataractes (inquit) auis eſt inſtar larí minoris. Plinius diuerſi generis aues quæ Diomedeæ & à Iuba cataractæ dicuntur, fulicarum ſimiles eſſe tradit: deceptus forſitã, ita ut pro laris, id eſt gauijs fulicas reddiderit: nam Græci quoq; nonnulli cepphum (fulicam interpretantur) & larum confundunt: & Diomedeæ non fulicis ſed cygnis apud alios authores comparantur: niſi fulicam ueterum pro lari genere nigro accipias, de quo ſuo loco ſcribemus. Recẽtiores quidam obſcurí fulicam cum Diomedea & herodio prorſus confundunt. Scio Albertum cataracten Latinè mergum magnum exponere, ſed mergorum natura non ea eſt, ut ſimiliter ab alto in præceps ruant: quanquam cataractes ſimiliter ut mergi & piſcibus uiuat, & diu ſub aquis ſe contineat. Aliud catarrhactæ genus eſt, de quo Euſtathius in Dionyſium, Catarrhactes (inquit) uocatur auis aquilæ ſimilis, è ſublimi cum impetu rectà aues inuadens, ὄρνεων ἀνιπτῶντες, ὡς ἄνωθεν καταῤῥήσσοντα τοῦ θηρεύειν τὰ ὄρνεα. Harpe, miluus eſt uel auis alia aquilæ ſimilis, quæ in ſublime euecta, facile quo libet cum impetu rectà ſe demittit, εὐχερῶς ὅπου θέλει καταῤῥάσσει, Varinus. uide in Harpe. Sophocles in Laocoonte aquilam ipſam catarrhacten uocauit, & in Phíneo harpyias, Heſychius & Varinus. Iuba Diomedeas etiam aues, ut Plinius refert, cataractas nominauit, quæ quidem ardearum generis uidentur: eò quòd in barbarorum capita, qui in Diomedeam inſulam aduenerint, roſtro ferientes & uulnerantes καταῤάσσειν, id eſt cum impetu ſe demittere ſoleant: de quibus priuatim ſuo loco dicemus. ¶ Diuus Hieronymus in Bibliſs Leuitici cap. 11. ubi LXX. pro Hebraica uoce ſchalac catarrhacten uertunt, mergulum reddit. uide ſupra in Mergo in genere. Iidem LXX. Deut. 14. Hebraicam uocem kaath, קאת, catarrhacten uertunt, Hieronymus mergulum, alij aliter. Vide rurſus ſupra in Mergo in genere. ¶ Eberus & Peucerus catarrhacten falconẽ album interpretantur. uide in Falcone albo circa finẽ.

B.

Cataractes auis inſtar larí minoris eſt, robuſtior & colore candido (Albertus mergorum generis hanc auem facit, ut dixi, colore nigro, ſed abſq; authore,) accipitri palumbario ſimilis (πωδόμοιος,) Oppianus. Cataracta auis minor quàm accipiter eſt, gula tota ampla & lata, Ariſtot.

C.

Cataracta mari uictitat, Ariſtot. Scopulis & littoribus & petris, quas chœrades uocant, ſupra aquam eminentibus inſidet, Oppianus. Suidas etiam in uoce Ἡμερινὰ catarrhactẽ marinis animalibus adnumerat. ¶ In potu marina aqua, non ut cæteræ aues fluuiatili aut fontana utitur, Idem. ſcribit autem laros quoq; marinam aquam bibere. Cataractæ adhuc teneri piſciculos tantum captant, adultiores deinde maiores inuadunt. Mors illis grauior quàm ulli ambiguæ uitæ auium contingit, acies enim oculorum ſenio confectis obtuſa, in cauſa eſt ut in mare ſe præcipites ferri ad piſcium prædam arbitrantes, ſcopulis ac præcipitijs illídantur & pereant, Oppianus. Cataractes ubi piſces aliquot natantes uiderit (perſpicaciſſimus enim eſt uel ad fundum uſq; maris) altius uolat, & pennis omnibus contractis, in mare tanquam delapſus per medium aëris interuallum quouis telo celerius fertur, & ad ulnę ſeu paſſus (ὀργυιὰς) ſpatium immergitur, donec comprehenſum piſcem extraxerit, quem mox euolans palpitantem adhuc deuorat, Idem. Cum ſe alto ingurgitârit, manet non minus temporis, quàm quo ſpacium tranſieris iugeri, Ariſtot. Piſcium uorax eſt, Procopius. Cataractæ fucum aut algam ouis ſuper petram inſternunt, nec aliter fouent, ſed uentis ſemper ex-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 280 sur 825

posita relinquunt, præterea sic etiam tractant ouа sua: mas illa unde marem procreandum conſcit, fœmina unde fœminam, in ſublime ferunt unguibus comprehenſa, inde mittunt in pelagus, atque hoc ſubinde repetunt per dies aliquot. Hoc motu concalefactis ouis pulli excluduntur, Oppianus.

D.

Pulli cataractæ mox ut lucem aſpexerint, nulla in nidis mora, parentes uolatu ſequi cõtendunt, à parentibus autem ſuſcepti, in mare demittuntur, & rurſus illico extrahuntur, ut ſic facilius auxilio parentum hoc genus exercitij ipſis reddatur. Itaq; non inepte comparaueris eos filijs agricolæ alicuius grauem annis patrem ſequentibus: quorum alter impoſito bubus aratro terram proſcindit, præit alter & ſulcis ſemina cõmittit, operantibus pater docens ſimul & gaudens aſsiſtit, Oppianus.

E.

Catarrhactas imaginibus piſcium ſuper tabulas pictis capiunt. nam dum impetu in illas ceu uiuos piſces feruntur, illiſi pereunt, Oppianus. Gauiarum genus in Rheno etiam ſic decipi audio, ut ad tabulam in qua imago gauiæ eſt, aduolantes capiantur.

F.

Cataractes interdictus eſt cibis, in translatione LXX. interpretum Leuitici XI. & Deuter. 14. Cataractes, ibis, &c. menſis prohibentur, eò quòd aues ſint piſcium uoraces, quorum rapinæ inhiant, Procopius.

H.

a. Cataractes uel catarrhactes dici poteſt, uide ſupra in A. item cataracta, ut Gaza ex Ariſtotele tranſtulit. ¶ A uerbo ῥάω fit ῥαῤῥῶ & ῥαίνω eiuſdem ſignificationis. item ῥάσσω, quod eſt cum impetu decido, ἐῤῥωμμένως καταπίπτω. unde & catarrhactes dicitur ἐπί τε ὀρέων καὶ ὕδατι πετηῶτι ποταμῷ, μεταφορικῶς δὲ καὶ ἐπί τινων ἄλλων καταῤῥαγέντων, Euſtathius in Odyſſeæ Y. Καταῤῥάσσειν ἢ καταῤῥάσσειν, κατακλάνδαι, (uidetur uox corrupta,) πόδα κλίνειν, καταβάλλειν, καταείπειν, καταῤῥῆξαι, κατιψῆσαι, aliàs καταψῆσαι, Heſychius & Suidas. Haliæetus librat ex alto ſeſe, uiſoq; in mari piſce præceps in mare ruit, Plinius. quod Græce dixerim εἰς πλῶ θάλατταν καταῤῥαῖτης. Καταῤῥέκτης, ὁρμητικός, Varinus: lego καταῤῥάκτης. ¶ Catarrhactæ proprie dicuntur loca petroſa, ubi fluuij curſu impedito, & aqua copioſa collecta, ex alto cum impetu decidunt, ἢ πλημμύρα καταῤῥάσσοντες, ἤτοι ἄνωθεν διαίως καπίοντες, unde & cœli catarrhactas dicimus, Euſtathius in Dionyſium Afrum. Catarrhactes amnis eſt Pamphyliæ, multus & torrentis more impetuoſus, ab alta petra deſcendens, adeò ut longiſsimè ſtrepitus exaudiatur, Strabo, meminit eius & Melas. Catarrhactas Danubij, id eſt partes quaſdam in quibus præceps decurrit, apud Strabonem legimus lib. 7. Sunt autem petræ quædam, & ueluti mons, per quas ingente cum ſtrepitu & uorticibus uertiginibusq; multis deuoluitur, ut deſcribit Suidas in uoce καταῤῥάκται. Nili catarrhactas legimus apud Plinium lib. 5. cap. 9. & Strabo lib. ultimo. Dionyſius Afer poëta Blemyum κολώνας dicit, οὓς σίνος καταῤῥάκτας ἤτοι καταδύσεις καὶ κρημνούς, id eſt duo illa præcipitia per quæ Nilus labitur, Euſtathius. ſunt autem duo (utrinq; ſinguli) montes, per quos defluit. Sunt & Rheni in Heluetia paulò infra Scaphuſiam, Lauffen appellant locum à decurſu aquarum: deinde aliæ ad oppidum Lauffenberg. Cataractæ appellantur etiam è terra exeuntes aquæ, & ita ex alto defluentes, ut ruere potius quàm defluere uideantur: qualem Tyburi cernimus Anienem. Item loca ipſa è quibus exeunt aquæ, cataractæ dicuntur, unde in maximis imbribus apertas eſſe cœli cataractas dicere ſolemus. Reperitur autem hæc cataracta fœmininо genere, & hic cataracles maſculino. à Græcis καταῤῥάκτης maſculino genere dicitur, Sipontinus. Cataractas quidam cœli feneſtras, aliqui nubes, & alij ſubterraneos ſpecus uocant, Io. Tortellius. In ſacris legimus, Rupti ſunt omnes fontes abyſsi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt. hoc eſt, feneſtræ aërei cœli, in quo generantur nubes & pluuia. Sicuti cataractis ex aſſeribus temperantur aquarum curſus, nunc aperiendo, nunc occludendo, in foſsis plerunq; manu factis, quarum prærupia lateritio muniuntur pariete. hinc & à Diodoro Nili celebrantur cataractæ. Quoniam, ut in remotioribus Græcorum Lexicis comperi, cataractas ea gens riuos intelligit, ac (ut apertius agam) cõductus, (Καταῤῥάκτης, ὀχετὸς, ῥύαξ, Heſych.) Cælius. Cataractæ dicuntur fores pendulæ intra portas murorũ, aduerſus irruptionem hoſtium, ex ligno ferróue, quæ demitti ac tolli pro uoluntate cuſtodum poſſunt, Germani uocant ſchutzgatter. Οἱ δὲ καταῤῥάκται ὃς εἶχον ὀλίγον ἀξιοτέρω ἀπὸ μηχανημάτων ἀνημμένος, ἀεφνίδιον καθῆκαν, καὶ ἐπιβάλοντο, καὶ τότε καταχόντες πρὸ τοῦ τείχους, ἀνεσκολόπισαν, Varinus ex authore innominato poſt uocem Ἥρωδ. Porta cataracta deiecta clauſa erat: eam partim uectibus leuãt: partim funibus ſubducunt in tantum altitudinis, ut ſubire recti poſsint, Liuius 7. belli Pun. Dictæ cataractæ, quòd ex alto defluere uideantur. Græci enim καταῤῥεῖν defluere dicunt: (ut Sipontinus ineptè interpretatur, cataractæ enim à uerbo καταῤῥάσσω, quod ſupra expoſitum eſt, dicũtur.) Dicuntur hac ratione etiam obices, quibus aquæ curſus temperatur & ſuſtinetur, ait Budæus. Patauij ſoſtegni uulgò dicuntur, Germanis loßladen, uel potius laßladen, id eſt tabulæ dimiſſoriæ: quod uel eleuatis illis aqua in præceps dimittatur, uel depreſsis cohibeatur.

DE CATREO.

CATREVS, κατρεύς, auis quædam eſt, Heſychius & Varinus. Catreum auem (inquit Aelianus)

nus)ita nuncupatam, cum ex nimia formæ pulchritudine Clitarchus ait, tum pauonis magnitudine esse, tum pennarum eius extremitates smaragdi similitudinem gerere: ac si alios intuetur, eius oculi nescias quo colore sint: sin te aspiciat, purpureos dices. Quod in aliorum oculis album, in illius pallidum est, acri atq; acuto uidendi sensu prædita est. Capitis plumæ partim candidulis ocellis, partim guttis quibusdam alijs in alias implicatis distinctæ sunt. Eius pedes sandaricini, & uox canora, & sicut luscinię sic eadem acuta & concisa est. Eam in delicijs maxime omnium auium Indi habent, ut aspectu illius expleri non possint. Ex oculis facula splendet, lucidissimæ ut flammæ similis sit: tantoq; opere gregatim uolant, ut nubes esse uideantur. Cantādi suauitas & oris expressio tanta est, ut comparationem nullam habeat, ut crassum sit, Sirenes quasdam alatas eas dicere, Hæc ille.

DE AVE ALCATRAZ.

CATREO aui peregrinæ alteram similiter peregrinam & nomine etiam finitimā subiecimus, de qua Hier. Cardanus: Genus auium, inquit, piscosum (lego picosum, quòd rostro magno longoq; sit, ut pici) est, rostri magnitudine & corporis celebre, in occidentali India alcatraz dictum, cinerea croceaq; pluma distinctum, rostro duorum palmorum in acutum tendente, à qua tamen magnitudine parum abest rostrum tum ciconiæ tum gruis.

CAVCALIAS, Καυκαλίας, auis quædam, Hesychius & Varin. Καυκαλὶς, herba similis coriandro, & auis, lidem. sed cum herbæ nomen est, caucalis potius scribitur.

CEBLEPYRIS, Κεβλήπυρις, auis apud Aristophanem nominatur in Choro auium. ubi Scholia, Forte non una uox est, sed duæ. nam & à Callimacho CEBLE, κέβλη, auis nominat. εἴτε μύρμηξ ἑρμῖνι τετραμέτροις. καὶ Θεμιστοκλέης τὴν πρώνος τις ὧν κεβλὴ πυρὶς τὴς ὀνομάζεται, (locus uidetur plane corruptus,) ut uel hîc (apud Aristophanem) uel illic (apud Hermippum) aliquid in scribendo peccatum sit. Aliter, Ceblepyrin uocem in duas diuidi non conuenit, propter numerum uigintiquatuor auium, quo constituitur chorus. abundaret enim una. Κέβλη Grammaticis Græcis alioqui caput significat.

CEBRIONES auis nomen apud Aristophanem in Auibus, ubi Epops ciuitatem ab auibus conditam uidens, exclamat: ὦ κεβρίονα καὶ πορφυρίωνα, ὡς συμβιβαλέον τὸ πόλισμα. Pulchrè autem (inquit Scholiastes) cebrionæ porphyrionem coniunxit, quoniam gigantes etiam duo qui contra deos pugnarunt, ijsdem nominibus fuêre: præsertim cum aues quoq; pugnam aduersus deos instituerent. Memoratur autem Cebriones gigas à Venere captus. Cebriones etiam filius Priami nothus fuit, qui à Patroclo saxo ictus interijt, apud Homerum Iliad. ϖ.

DE CELA.

AVEM in India nasci accepi, magnitudine triplo maiorem otide, ore permagno & longis cruribus, absonum quiddam sonare, eiusq; summas alas pallidas, cæteras uero pennas cinericias esse, Aelianus interprete Gillio. nam Volaterranus ex Aeliano camelam hanc auem uocat, sed Græcus codex noster manuscriptus κάλαν habet, id est celam: & (quod Gillius omisit) ingluuiē ei tribuit maximam, coryco, id est peræ similem. unde & nomen illi forsitan factū est. cela enim Græcis herniam & in gutture tumorem significat. Itaq; auem onocrotalo hac præcipuè parte & absona uoce similem esse coniecerim, maiorem tantum nostro & colore differentem: nec onocrotalum Indicum appellare dubitārim. Reperitur & CILLA, κίλλα, ζῷον πτηνὸν, id est animal uolucre, (ex auiūmne an insectorum genere nescio,) apud Varinum. Κίλλαι, ἀκρίδες ἄγριοι ἄνοι, Hesychius.

DE CELEO.

CELEVS auis, κελεὸς, semel & iterum Aristoteli memoratur. hanc enim & libyum pugnare scribit, lib. 9. cap. 1. de historia anim. ubi Gaza uertit galgulum cum libyo pugnare. Sed de galgulo nos priuatim agemus suo loco. Et rursus eodem capite Aristoteles: κελεὸν & λιβυὸν (galgulum & lędum habet trāslatio Gazę) aues inter se amicas esse tradit. colere enim celeon fruteta & nemora (ut Gaza uertit: nos Græcè legimus, πρὸς ποτα μὸν καὶ λόχμας, id est iuxta amnes & fruteta, quod placet, & uetus quoq; interpres sic legit:) libyum uerò saxa & montes, suisq; locis utrunq; contentum degere pacificè. Sed ne Aristoteles ipse sibi aduersetur, celeum & libyum, nunc amicas nunc inimicas inuicem aues esse scribens, priore loco nō celeum (κελεὸν) sed κηλεὸν per η, breue in prima syllaba legerim, quæ auis uel galgulus est, ut Gaza uertit, uel potius picus uiridis uulgò dictus. Quære in pico. posteriore uerò celeòs, quæ ut mihi uidetur auis aquatica est, cum Aristoteles scribat, degere eam iuxta fluuios. Κελεὸς auis est celerrima, unde & κέλλειν uerbum, celeriter pergere, Suidas & Varinus. apud Hesychium κελαιὸς scribitur. Sunt autem aquaticæ aliquot aues, cruribus longiusculis, admodū celeres cursu, ut quæ trochili etiam inde nominantur. Fuit Κελεὸς etiam nomen herois Athenis, Hesych. Aristophanes in Acharnensibus memorat aut fingit Celeum quendam (Κελεὸν) filium Amphithoi. Ἀδελφεὸς fit abundante uocali epsilo, ut & κηνεὸς nimirum, & forte κελεὸς ὡς ἀπὸ τοῦ κέλω, Eustathius in Iliados β. Καὶ τὸν ἰσόπτερα κελεὸν λέγουσιν ἀστιζόμενοι, Etymologus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 282 sur 825

DE CEPPHO.

A.

CEPPHVM Theodorus Gaza ex Aristotele fulicam interpretatur, sed quoniam an rectè id ab eo factum sit, non satis mihi constat, & quæ hodie fulica à pleriſq; populis qui Latinæ linguæ uestigia retinuerunt appellatur, nihil cum laris aut cepphis commune habere uidetur, uisum est priuatim de singulis, quæ apud authores obseruata nobis sunt, conscribere. Cepphus ea est auis quæ communiter larus dicitur, Scholiastes in Plutum Aristophanis, ex quo Suidas etiam & Varinus repetierunt. Cex, κάϊξ, uel cauex, καύηξ, ab alijs larus, ab alijs cepphus exponitur, Hesych. sed plura de hac uoce in Laro. Ego illorum potius sententiam sequor, qui cepphum non larum, sed λαρισκάϊν, id est laro similem esse scribunt, ut Nicandri interpres & sequutus eũ Varinus. Nam & Aristoteles uir hac in re omnium diligentissimus diuersas has aues facit, congeneres tamen esse conijcio, cum locus ubi degunt, uictus ratio, ingenium, & corporis species conueniant. Sed lari nomen latius patêre dixerim, quando & marini & fluuiatiles lari sunt: cepphi uerò et cataractæ (quos supra quoq; larorum generis esse ex mea coniectura docui) marina duntaxat esse larorum genera, colore & magnitudine discreta.

¶ Recentiores Græci (inquit Turnerus) qui post Aristotelem scripserunt, larum & cepphum eandem auem fecerũt, ut Erasmus in adagio λαρὸς κέπφος, ex Aristophane & eius interprete ostendit, (ex eo quidem quod hæc nomina in prouerbio coniunguntur, non est necesse unam esse auẽ, quin magis quadrat, duas sed eiusdem naturæ leuitatis scilicet & stoliditatis aues simul nominari, ad hominem stolidũ ac leuem & clamosum designandum: ut de improbis & mastigijs seruis similiter duæ aues diuersæ quidem, sed utraq; uariè punctis distincta, attagen & numenius in prouerbio iunguntur. Verũ ab Erasmo tantum cõiunctas has uoces in unũ prouerbium puto, non à ueterum quoquam.) Sed Aristoteles distinguit libro octauo de hist. anim. his uerbis, Ἔτι δὲ λαρὸς ὁ λιμνὸς καὶ κέπφος. Iam qua nam ratione autores istos conciliem, nescio, nisi dicam poetas rerum peculiares & proprias notas ac discrimina, philosophis multò negligentius obseruantes, aues corporis figura, natalibus & uictus ratione similes, licet manifestis notis differentes, easdem aues fecisse, quas seueriores philosophi ad amussim omnia expendentes, in diuersas species distinxerunt. (Atqui ego non poetas, sed grammaticos quosdam recentiores cepphum & larum cõfundere uideo, quod & ipsum facile excusatur, si larus, ut ipse sentio, genus ad cepphum sit.) Post hæc quoniam Gaza cepphum interpretatur fulicam: recentiores autem alij fulicam uanellum auem interpretantur, quam Germani kyuittam uocant, alij gallinæ aquaticæ nigræ genus, cui alba in fronte macula, de qua nos in Fulica recentiorum scribemus, reprehẽsis utrisq;, subdit, sed iam restat, ut quam auem fulicam (seu cepphum. ipse enim non distinguit) esse iudicem, ostendam. Est auis marina (inquit) magnitudine mo nedulæ, sed alis acutioribus & longioribus, colore tota albo, excepto nigro quem in capite gerit circo: rostro etiã & pedibus puniceis. Hanc ego sæpe in mari nauigans consideraui, tũ præsertim quando uel deficiente uento, uel flante contrario, emissa anchora, uentũ sequundiorem quiescẽtes expectauimus. Hęc statim soluta anchora, gauijs comitata aduolat, ex purgamẽtis nauis eiectis, escę non nihil sibi promittẽs, diutino clangore defatigata tandem keph profert, ut lari cob. unde à nostris marini cobbi dicuntur, Hæc Turnerus: qui hanc auem Germanicè ait uocari **ein wyß mewe**, Anglice a white semauu uuith, uel a blak cop. uocant autem Angli laros quoq; seecob, id est cobbõs marinos ut iam recitauimus. Gauiam albam (inquit idem) à fulica (ceppho) parum differre arbitror, solo nimirum cirro & rostro. Turneri de ceppho sententiam Eberus etiam & Peucerus confirmant, & sanè mihi quoq; placet hanc auem cepphum esse, & eandem fortassis Plinij fulicam propter capitis cirros. fulica uerò recentiorum alia demonstrabitur suo loco. in laro etiam genera eius aliquot Germanicè nominabo, ex quibus num aliqua cum ceppho aut cataracta conueniant, diligentiores qui loca maritima habitant adeúntue, obseruabunt. ¶ Auicennæ interpres in historia animalium casu alicubi habet pro ceppho, ut Albertus alicubi sokocol. Hispanus quidã cepphum seu fulicam sua lingua cercétam mihi interpretatus est, quod nomen ego querquedulæ magis conuenire suspicor. Auis quam Aratus cepphon dicit, ardeam Vergilius nominat, Perionius.

B.

Cepphus laro similis est, Scholiastes Nicandri. Plumis abundat, carne exigua prædita, Scholiastes Aristophanis. Gracilis est auis, (ἰσχνὸς,) carne nulla ferè, cum tota propè ossibus & plumis constet. Leuissima est, unde facilè uento impellitur, Hesychius: & fluctibus innatat, Scholiastes in Plutum Aristophanis & Suid. & ab ipsa leuitate nomen tulit, ut cepphos πτηνὰ ἄγαν καὶ κουφότατα dicatur, Oppianus. Currit per summam aquam, Idem. Reliqua uide in A.

C.

Cepphus apud mare uictitat, Aristot. Auis marina est, Scholiastes Nicandri. Circa mare degit, Hesychius. Circa aquas semper moratur, Scholiastes Arati. Vescitur spuma maris, qua etiã obiecta capitur, Nicander. Vide in E. Maris spumam edit, unde Aratus, Θηρεύων ἀφρὸν ἁλὸς νέμεται πολύπλα λόγχαισι, Scholiastes. ¶ Auis est uilissima & obstrepera, λάλος, Scholia in Plutũ Aristophanis. ¶ Currunt cepphi per summam aquam, & prosperum piscatoribus successum promittunt, uersari enim

enim his in locis gaudet, in quibus meliores piſcium greges fuerint, thunnos maximè comitantur: quòd ab ijs piſciculorum, quos dentibus ſuis diſcerpunt, caruncula aliquot in aquis relinquuntur, quas cepphi ſtatim ingurgitant. ſequuntur etiam delphinos, & piſcium ab illis occiſorum ſanguine paſcuntur. ſed maris quoq; ſpumam ingerunt. Nunquam ſanè otioſos aut dormientes cepphos terra mariue aliquis facile deprehenderit: ſemper aut uenantur, aut uolitant. Ad tonitrua adeò timidi ſunt, ut eorum ſonitu exaudito ex aëre in mare decidant. Generatio quidem eorum ex mari ne an ex aëre ſit, (locus hic in Græco codice noſtro mutilus uidetur,) non conſtat. nam terra etiam cum tonuerit fructus quoſdam (ut de tuberibus legimus) ſponte emittit, Oppianus. ¶ Διοτάς τι τέτηρας κέπφος ἅς ποθ' ὑλατο Δαιτὸς χατίζων, Lycophron. Nicander cepphũ celerem cognominat. ¶ Cep
10 phum parturientem imprimis clamare aiunt, uide infra prouerbium, Cepphus parturit.

D.

Cepphus auis eſt ſtolida, βλίτης, Scholiaſtes Ariſtophanis, nam facile decipitur, ut dicemus in E. unde homines ſtolidi & deceptu faciles prouerbio etiam cepphi dicuntur.

E.

Cepphi ſpuma capiuntur. appetunt enim eam auidius. quocirca ſpuma inſperſa eos uenari in uſu eſt, Ariſtot. Veſcitur cepphus ſpuma maris, & eadem per piſcatores (mare turbantes ut ſpumam colligant) obiecta capiuntur, Scholiaſtes Nicandri. Τῷ γὰρ (ἀφρῷ) ἐνιχωλιῶντι σοὶ, καὶ πότιμον ὦσαι ἐᾷ, Nicander. Piſcatores marinam ſpumam cepphis eminus primũ obijciunt, deinde propius ſubinde, donec paulatim ad manum uſq; illiciant, (aut manu ipſa ſpumam porrigant,) & ita facile
20 capiunt, Scholia in Plutum Ariſtophanis & Suidas. ¶ Cepphi cum uentum imminentem ſentiunt, aduerſi uolant, ut piſces quoq; contra uentum niti ſolent. ſic enim unda à capite eis defluens caudam uerſus, ſquamas eorum quo minus inhorreſcant componit, (complanat.) Sic & cepphi gregatim contra uentum uolantes, ne illũ ſequentibus pennæ ac plumæ peruertantur & rigeant, uenti imminentis indicium præbẽt, Scholiaſtes Arati. Cepphi cum relicto mari gregatim in terram aduerſo uento reuolant, uentũ prænunciant, Vuottonus ex Arato. Noſtri etiam fluuiatiles & lacuſtres lari (Holbzoten) inſtante uento, in aëre ſublimes uolitant, & uento ſe obuertunt. ¶ Cepphi his in locis, in quibus meliores piſcium greges fuerint, uerſari ſolent, itaq; proſperum ubi apparent piſcatores ſibi ſucceſſum promittunt, Oppianus.

F.

30 Caro cepphorum probi odoris eſt, excepta parte poſteriore ultima, quæ ſola lituũ (lego limum. Græcè ſcribitur θώκης, malim θινός, id eſt littus, & ſic quoq; legi poteſt, nõ limum, quanquam eodem ſenſu, in Gazæ translatione. Vetus interpres, quæ ſola fœtet) olet, pingueſcunt ſatis, & eſui ſunt, Ariſtot. Niphus litutum herbam exponit, ſine authoritate.

G.

Fama eſt crudæ fulicæ cor comeſum comitialem morbum diſcutere: ipſe quidẽ periculum non feci, Aretæus Iunio Paulo Craſſo interprete, in Græco exemplari legitur æthyiæ, id eſt mergi.

H.

a. Cepphi auis præter alios Callimachus in Hymnis meminit, Scholiaſtes Ariſtophanis. Cepphus quidem dictus uidetur quaſi κᾶφος, à leuitate, cum leuiſsima auiũ ſit pro magnitudinis ratio-
40 ne: aut per onomatopœiam. Inuenio & κέμφος, apud Varinum, pro eadem aue. Cîris etiam uel cirrhis auis, de qua priuatim inter Accipitres ſcripſimus, è genere cepphorum forſitan fuerit, propter cauſas illic aſsignatas. Ἁλιαίποδα, τὸν κέμφον, ἢ θαλάττιον ὄρνιν, Heſychius & Varin.

Epitheton cepphi, θοός, id eſt celer, apud Nicandrum.

Κεπφωθεὶς, ἐπαρθεὶς, ὀρθιοδεὶς, ὀξέως ἐλαυνόμενος, ἀπατηθεὶς, Heſych. & Varinus. de homine nimirum leui, inconſtante, aut ſtolido & facili deceptu. nam & cepphus auis leuiſsima eſt, & huc illuc uento impellitur, & decipitur facile. legitur etiam κεμφωθεὶς apud Varinum eadem ſignificatione. item Κεκεπφωμένας, ἐπεκμένας, apud utroſq;. Κεπφωθεὶς, καταγελασθείς. εἴρηται δὲ ὡὶ τῶν ἀλόγως δίκην εὐσήτως σωεπαγομένων, Heſychius non ſuo loco, nempe poſt Κέφαλον.

¶ h. Prouerbia. Cepphus larus, Κέπφος λαρός, in garrulum ac uecordẽ dicebatur, præcipuè qui
50 cuiuſuis rei cupiditate deceptus capitur: ab auis ingenio ductum, quam ſpuma marina gaudere & capi aiunt, (uide ſupra in E.) Ariſtophanes utitur in Pluto, interpres admonet cognomen eſſe prouerbiale. Rurſum in Nebulis Cleonem larum uocat, quòd furtis ac rapinis inhiaret. Lucianus in libello de mercede ſeruientibus, Σαυτὸν δὲ παρακαλέσας θαῤῥεῖν, ὡς χείρα τῇ ἄγρᾳ εἰ θέλεις, καθάπερ ὁ λαρὸς ὅλην πρόσχαυνον τὸ θέλεαρ. id eſt, Sumpta uerò fiducia uenatum aggredere, ſi uidetur, lari in morem, totam eſcam ore deuorans. Athenæus indicat auem hanc (larum) Herculi attributam à priſcis, quòd & ille fuerit ἀδηφάγος, atq; itidem βοφάγον eſſe uocatam. Olim præcipuus gurgitum luxus erat in piſcibus: quo magis mirum eſt hodie religionis cauſa uulgus piſcibus ueſci. proinde congruet & in obſonatores, quòd larus auis piſciũ ſit appetens, Eraſmus. Sed ueterum nullus hoc prouerbio utriuſque auis nomine in ipſum coniuncto, quod ſciam, uſus eſt. uide ſupra in A. Laros uocamus homi-
60 nes ſtolidos, βλίτους: eoſdemq; cepphos, à leui huius nominis auicula ut ueteres docent, ἀπὸ κέφου πινὸς καὶ βυμεταχειρίστου ὀρνιθαρίου, Euſtathius. uidetur autẽ βυμεταχείριστον ei idem quod κᾶφον ſignificare, quòd ut unumquodq; leuius eſt, ita manibus geritur & tractatur facilius. Κέπφος, πάσχει ἡ παροιμία ὑπὲ ἀλόγ-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 284 sur 825

γίστων καὶ ἀνοήτων ἀνδρῶν, Scholiastes Aristophanis. Καὶ κέπφοι τρήρωνες ἀλωπεκιδεῦσι πέπεισθε, Aristophanes in Pace, ubi Scholiastes: Τρήρωνες οὐκ ὦν τοὺς κέπφους, ἀλλὰ καθ' αὑτό. κέμφοι (κέπφοι hîc legit Varinus, quod placet) γὰρ οἱ κοῦφοι ἀπὸ τῶν ὀρνέων. ὅθεν καὶ σοῦ ἐλαφρὸς ταῖς φρεσὶ κούφους (forte κέπφους) καλοῦμεν. A ceppho aue quæ leuissima est, ac facile uento impellitur, homo etiam leuis ingenij, (ὀξὺς καὶ κοῦφος, ut inconstantes & ardeliones) cepphus cognominatur, Hesychius. Cepphus prouerbialiter dicitur pro homine uili & loquace, Suidas. Κεμπὸς, κοῦφος, ἐλαφρὸς ἄνθρωπος, Idem & Varinus. Conijcio autem hanc quoq; uocem deprauatam esse à ceppho, etsi literarum ordo in Lexicis obstet. ¶ Cepphus (etsi Erasmus larum uertit, quod non probo) parturit, Κέπφος ὠδίνει, antiquitus dicebatur in eos qui pollicerentur ingentia, nihil dignum promissis exhiberent. aiunt enim cepphũ auiculam cum parturit uociferari. hinc natum prouerbium, ubi quis magna præ se fert, pusilla præstiturus, Hæc fermè scribit interpres Aristophanis in Comœdiam Pacem, Erasmus Chiliad. primæ Cent. 9. repetit autem idem Chiliadis secundæ Cent. 2. ubi addit, Confine est illi, Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

CERCIS, Κορκὶς, à Varino & Hesychio exponitur genus auis, radius textorius: stirps quędam, & piceæ aut populi (αἰγείρου) arboris cacumen. Est & crex auis, de qua infra, eadem fortè quæ κορκὶς. nam & Κορκὰς apud Hesychium non alia quàm crex est, per onomatopœiam dicta. & CERCION apud Aelianum, de qua dicemus inter Motacillas.

DE CERTHIA.

Certhius Turneri.



NOVIMVS auiculam quandam exiguam, nomine certhiam, cui mores audaces, domicilium apud arbores, (καὶ οἰκεῖ περὶ τὰ δένδρα,) uictus ex cossis, (ἐστὶ θριποφάγος,) ingenium sagax in uitæ officijs, uox clara, Aristot. historiæ anim. 9. 17. Græcè legitur huius auiculę nomen κορθίος, certhius. Albertus in sua translatione legit rarycheus, ubi & alia quædam ineptè scribit, & pro thripophago, deuorare eam aliam quãdam auiculam canoram, nempe uinconem Germanis dictum, (id est fringillam.) uocari autẽ Germanicè **Barchengel**, de qua scribemus in Lanio, ficto à nobis nomine.

¶ Auis est quædam, inquit Turnerus, quam Angli creperam, id est reptitatricem nominant, quòd super arbores semper repat, quam certhiam esse credo. Ea regulo paulò maior, pectore pallido (nos tota parte supina alba uidimus) cætera fusca & maculis nigris distincta est: uoce acuta, & rostro tenui (oblongo, instar upupæ ferè) & leuiter in fine adunco: nunquam quiescit, sed semper per arbores picorum modo scandit, & cossos è corticibus eruens comedit, Hæc ille. Eberus & Peucerus certhiam auiculam carduelem minorem esse scribunt, uariam, pulchrã, audacem, uoce clara, thripophágon, & Germanicè uocari **Hirengryl**, (ab alijs puto **Hirngryll**, inter auiculas musicas maximè commendatam: quam nos infra inter chlorides species gryllum appellabimus.) Iidem reptitatricem Turneri auiculam (quam ipsi Germanicè uocãt **Baumheckel**, & **Baumkletterlin**) calidrin Aristotelis faciunt, de qua supra scripsimus. Auicula (inquiunt) parua est, cinerea & uaria, agilis & ad motũ expedita: rectà sursum prorepit, & accliuia quæq; conscendit rectissimo tramite. (nisi fortè non hanc, sed auem quam nos **Chlân** uocamus, inter picos describendã intelligunt. nam eam quoq; apud Saxones audio **Baumhecker** uocari.) Atqui ego cum Turnero potius senserim: quoniam calidris lacus & fluuios petit. quanquam dubius sum an culicilegam potius reptatricem illam Turneri (quam scandulacam Latinè dixeris) appellem. (Vide infra in Cnipologo.) Aliqui Germanicè **Rinnenkläber** nominant.

DE CHARADRIO.

A.

CHARADRIVS auis nomen est, quam Gaza Latinè hiaticolã dici posse scribit, quod circa fluminum alueos & riuorum charadras, siue hiatus riparum uersari soleat: alibi uerò rupicem transtulit, à recto rupex. Hebraicam uocẽ anapha, אנפה, Leuitici 11. & Deut. 14. Septuaginta & Hieronymus charadrium transtulerunt. sed non uidetur charadrius hac uoce

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 285 sur 825



uoce ſignificari, quoniam adijcitur iuxta genus ſuum, charadrij uerò ſpecies haberi plures non legimus. quanquam Niphus charadrium ſpeciem noctuæ eſſe cõijcit, eò ſcilicet quòd noctu ſe abdat, ſed is noctuæ uocabulo nimis generaliter utitur. Recentiores quidam obſcuri, pro charadrio ineptè caladrius, caladrion, & calandria ſcribunt. Sunt qui charadrium eandem ictero ſiue galgulo aut galbulæ auem eſſe ſuſpicẽtur, quoniam Ariſtoteles icteri non meminit, & ex charadrij aſpectu hic morbus curari tradatur. Vocatur autẽ morbus idem etiam regius, ut galbula auis alio nomine (uulgò Italis) regalbulus [& ſecũdum aliquos regaliolus Suetonio] dicitur. hinc eſt quòd Gerardus Cremonenſis charadrium in Kiranide regulum conuertit, auem enim regiam charadrium eſſe Kinides ſcribit, nimirum quòd à regibus ad huius morbi curationẽ requireretur. Ego, ne quid confu diſſe uidear, priuatim de ſingulis ueterum recentiorumq; ſcripta recitabo. Hoc quidem certò nobis conſtat, galgulum ſiue galbulam Latinè dictum, qui hodieq; nomen in Italia retinet, nõ eſſe charadrium Ariſtotelis, quod hiſtoriam utriuſq; conferentes facillimè deprehendent. De ictero aue plura uide infra in galgulo. ¶ Charadrium ipſe conijcio eam eſſe auẽ, cuius imaginem appoſui. Ea Germanicè alicubi, ni fallor, Triel uel Gtiel nominatur. Italis coruz. Hanc aliquando apud ciuem meum, qui uno aut altero anno domi aluerat, conſideraui. Videtur nonnihil ad accipitris ſpeciem accedere, niſi quòd nec roſtrum nec pedes uncos habet, ſed pennis ut accipiter aut tinnunculus ſubruffis eſt, collo, capite, pectore & uentre maculoſis: iiſdemq; partibus ex luteo ſubruffis, niſi quod colli pars poſterior magis ad fuſcum tendit. in dorſo & alis maculas quaſdam ruffas habet, cætero color fuſcus his partibus. cauda breuis & anguſta. magnitudo ei quæ gallinæ paruæ aut columbæ. crura oblonga duos palmos excedunt, colore tota ſubluteo. in quibus digiti terni, breuibus interiore parte membranis iuncti. digito poſteriore caret, ut tarda & ſtruthio. ungues breuiſsimi, mutili. Oculi magni. pupillam circulus flauus, uel aureus ambit. Roſtrum longiuſculum, anterius ni-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 286 sur 825

grícat, poſterius flauet, extremis partibus inferiore ſcilícet ſuperioreq; leuiter decuſſatis, quod in pí ctura non ſatis apparet. Auis eſt ſtolida & ſtupida, unde homines etiã ſtolidos noſtri uocant Triellappen. Domi incluſa ſubinde obambulat, aliquando in orbem ad multum tempus, circa columellam aut aliud quíppiã: aliquando recto tramite, & ſi quid impedimento fuerit, tranſilit potius quàm à uía recta declinet. oculos, etiamſi digitos admoueas, nõ claudit. facile manſueſcit: nam etiamnum libera ruri, parum ſibi timet ab homine. Aquatica eſt, & in pratís paluſtribus uel circa paludes degít. audiui aliquando in lacu noſtro glacie aſtricto, manibus ſe capí permiſiſſe. Noctu, etiam in domibus, mures captat. In Germania inferiore abundare audío, noctu uagarí, & uocem tanquam fiſtulæ ædere. Vídetur ſanè & morbus arquatus ſiue ícterus ei conuenire, cum crura tota, roſtrum & íris oculorum flauo luteóue colore in ea ſpectentur, & tota pars corporis ſupína ex ruffo colore pallescat. Híc ígitur, niſi fallor, charadrius Ariſtotelis fuerít.

Audío etiam auem quæ uulgò à Germanis quibuſdam (círca Confluentíam) Weicker appellétur, mures captare, quamobrem etiam muſtela nominatur à Carolo Fígulo, quòd muſtelę quadrupedis inſtar muribus inſidietur: quæ an eadem ſit charadrío noſtro non poſſum aſſerere. ¶ Charadrius noſter cum domi aleretur, imminente tempeſtate perquam inquíetus erat.

B.

Charadrius colore & uoce prauus eſt, Ariſtot.

C.

Vox charadrío praua, noctu apparet, díe aufugit, Ariſtot. A Procopío Gazæo etiam inter aues noctis & tenebrarum amícas cum noctua, upupa & ueſpertílione numeratur. ¶ Apud mare uíctitat, Ariſtot. & Suídas in uoce Ἡμερινά. Atqui Ariſtophanes charadrium aliasq; aues fluuiatiles ad ciuitatem auium condendam, aquam adferre fingit: & charadrę, à quíbus illí nomen, ut grammatící quoq; teſtantur, fluuíorum potius quàm maris dícuntur, prærupta ſcílicet & confragoſa cauernoſaq; circa ripas loca, præruptos torrentium alueos Gaza tranſtulit. in his enim uerſarí gaudet. Nihil ígitur prohíbet & círca mare & círca dulces aquas charadrium degere. ¶ Charadrius ſulfure interímitur, Aelianus interprete Gillio. ſed Philes qui ſua ex Aeliano tranſcripſit, charadriũ títano poto perire docet. πίτανον autem calcem, interdum etiam gypſum ſignificat.

F.

Charadrium aliqui non aſpectu, ſed in cíbo ſumptum ab ictero líberare putant. uide mox in G. in uetere quidem teſtamento hæc auis menſis ímpura pronunciatur. cauſam adfert Procopius interpres Græcus, quod noctis ac tenebrarum amica ſit, quemadmodum & noctua & ueſpertílio.

G.

Charadrius morbo regío medetur, ut affirmant quídam, ſi ab ægro uel conſpíciatur duntaxat, quocírca qui auem uendunt, abſcondunt eam, ne ab ægro príus uídeatur quàm eam uendíderint, & ille gratis curetur, ut author eſt Euphronius: Andreas non hoc uíſam, ſed in cíbo efficere author eſt, Scholiaſtes Ariſtophanis. Vide etiam infra in prouerbío, Charadrium ímitans. Charadrius ícterícis medetur. & ſi ictericus eum intueatur, refugit ílle & auerſatur oculis conniuẽs, non propter in uidiam remedíj (ut quídam putant) ſed quía contagione ſe affící ſentít, tranſeunte in ípſum per obtutum alterius affectionis ceu fluxu quodam, Heliodorus líbro 3. Aethiopicæ hiſtoríæ & Simocatus. Charadrius auis eximío naturę beneficio affecta eſt, nam ſi quis ícterícus in eam acerríme intueatur, illa contrà ſine níciatione ex animo reſpiciat, ſic affectum hominem ſuo obtutu ad ſanitatem reducit, Aelianus. Rubetam aliquis aſpíciens utcunq; optimè coloratus, pallore tanquam ícterícus afficítur: & rurſus charadrium intuens (χαραδριῷ δὲ γαλαν῀) líberatur, Philes.

H.

a. Χαραδριὸς quando auem ſignificat, acuit ultimam. εἶδος ὀρνέου μεταβαλλομένου εἰς τὰ πυκείμενα, hoc eſt auis colorem rerum obiectarum in ſe recípiens, (quanquam alíj authores ícterícorum duntaxat colorẽ abeo recípi tradíderunt. pro charadra uerò barytonũ eſt, χαράδριον (Eraſmus legit χαράδριων gen. neutro, forma diminutiua) Scholiaſtes in Ariſtophanem. Auium nomina in ιος. quæ ſyllabas plures tribus habent, ultimam acuunt, ut χαραδριὸς, ἀλγυπιὸς, Etymol. Χαράδρα, locus eſt ínæqualiter concauus, φαραγγώδης, à uerbo χαράσσειν· ὃθεν καὶ ἡ χαράδρα ὀνοματοποιήται. ἴσως δὲ καὶ ὁ χαραδριὸς, Euſtath. Concitant & charadræ melodíam quandam fluctibus ſuis, Scholiaſt. Ariſtoph. Χαραδριὸς ὄρνεον ὠνοματοποιήται ἀπὸ τοῦ τὰς χαράδρας ἀλαλάζειν, Idem. ¶ Varonum ac rupicum ſquaroſa incondita roſtra, Lucílius apud Feſtum: ubí an rupíces charadríos intelligat, non conſtat.

¶ PROVERBIVM. Charadrium ímitans, Χαραδριὸν μιμούμενος, díci ſolitũ de diſſímulante ac rem utílem occultante. Suídas refert hunc ſenarium ſcazontem ex Hipponacte, Καὶ μὴν καλύπτῃ μὴν χαραδριὸν πτέρνας: id eſt, Et num charadrion quæſo uenditor cælat. (nos aliter diſtínximus, ut duæ perſonæ in hoc uerſu loquantur.) Item Ariſtophanes in Auibus: Ἄλλως τε δ᾽ οὔπω, ὡς ἔοικ᾽, εἰς τὸν λόχμιον ἐμβὰς ἐπῴξε, χαραδριὸν μιμούμενος, id eſt, Alioquí upupa, ut uídetur, ſaltum ingreſſa abdídit ſeſe, charadriõ ímitans. Quo loco interpres narrat huius auis uim medicam (&c. uide ſupra in G.) Eraſmus. Sed commodíus uídetur, ut charadrium ímitans accípiatur pro latente uel occultato inſtar charadrij, non pro occultante. nam & charadrius ípſe interdiu (ut díximus) latére in cauernis, noctu prodire ſolet. & cum uenduntur, latent occultanturq; à uendentibus. Εὐφρόνιος ἐκ τοῦ χαραδριὸν μιμούμενος ἀξιοῖ λέγεσθαι ἀκκεκρυμμένως, Scholiaſtes Ariſtophanis.

Socrates

Socrates apud Platonem in Gorgia, quum Callinicen eò pellexisset, ut fateretur beatam uitam non esse sitam in copia rerum, sed in perpetuo influxu. nam qui satur est, aut non sitit, quoniam nec molestiam sentit, nec uoluptatē, lapidis more uiuit, potius quàm hominis: ita subijcit, Χαραδριοῦ τινὰ αὖ σὺ βίον λέγεις, ἀλλ' οὐ νεκροῦ, οὐδὲ λίθου. id est, Rursus tu charadrij quandam narras uitam, non mortui lapidisue. Marsilius uertit auem, quum Socrates uideatur sentire de uoragine, in quam quum perpetuò decurrat aqua, nunquam tamen expletur. nisi fortè charadrius auis est de numero uoracium, quemadmodum & larus, ut hinc nomen inuenerit à charadra ductum, Erasmus in prouerbio iam recitato Charadrion imitans.

¶ Ab his quæ apud ueteres de hac aue leguntur, recentiorum quorundam & obscurorum scripta de eadem separatim proponere uolui, quòd quædam sine authore & nugacia ab ijs tradantur. ¶ Charadrius est auis garrula, Rodolphus in Leuiticum. Auis est tota alba, ut quidam ferūt, quæ in Perside reperitur, (inuenta in Perside ab Alexandro,) sed illic quoq; rara, & atrijs regum requisita, eò quod multi ei capiendæ insidientur propter augurium (auxilium) quod ictericis ex ea præstatur, Albertus. Charadrios auis regia est, futuri præscia. nam si infirmum intueri recuset, mortis signum est. si uerò aciem oculorum in faciem eius direxerit, omnem ab eo morbum aufert, & uolans aduersus Solem, proijcit morbum: ita ut & ipsa & æger seruentur, Kiranides & Physiologus, & Albertus ferè similiter. Charadrius omne hominis ægroti malum intra se colligit, & in aëre uolans illic comburit atq; dispergit, Author libri de nat. rerum. Infirmum moriturum non respicit: sed si ualetudinis restituendæ spes sit, aspectu suo omnem ab eo morbum ad se trahit, ita ut æger liberetur, auis ægrotet, & sæpe pro illo moriatur, Obscurus quidam Aristotelem falsò citans: qui hoc etiam addit, Hæc auis habet os crassum in crure, cuius medulla oculos caligantes si quis illeuerit, uisus claritatem in eis promouet. Pars interior femoris caliginem aufert ab oculis, Author libri de nat. rerum, & Albertus.

¶ Charadrij cor & caput gestatum, illæsum & innocuum ab omni infirmitate facit gestantem per omne tempus uitæ suæ, Kiranides.

DE CHLORIDE.



A.

CHLORIS legitur apud Aristotelem historiæ anim. lib. 9. cap. 13. ubi Gaza luteam uertit, cum alibi (semel scilicet lib. 8. cap. 3. ubi chloris in numero earū est quæ uermibus pascuntur. neq; enim alibi ab Aristotele memoratur) chlorida luteolam uertat, diminutiua uoce Latina Græcam eiusdem formæ: chloreum uerò luteam uel luteū, utrunq; historiæ anim. lib. 9. cap. 1. Hinc decepti quidam recentiores chloridem & chloreum uel cōfuderunt uel non rectè distinxerunt. Chloridem mirum est Gazam uertisse luteam, cum uulgò nota auis sit, & à uiriditate uocetur Gręcè, Volaterranus & Niphus Itali. quibus & ipse assentior: primum enim non probo quòd Gaza luteam aut luteolam uerterit, cum chlorionem tamen reddat uireonem. quanquam scio χλωρὸν apud Græcos non de uiridi tantum, sed luteo etiam colore dici: & uitellum siue luteum oui eodem nomine uocari. deinde non aliquam lutei coloris auiculam, sed illā quæ à uiriditate apud Germanos etiam denominatur, chloridem esse iudico: non ligurinum quam Germani ciselam uocant, ut Gyb. Longolius & Guil. Turnerus putauerunt, quòd illi acanthidis apud Aristotelem historia magis conuenire uideatur. Vtrisq; obijci potest, quòd & acanthis & nostra à uiriditate dicta seminibus uescantur, chloris uerò Aristotelis uermibus. Sed nos aliam chlorin non inuenimus in præsentia: itaq; distinguendi gratia moneo lectorem, ea quæ sequuntur omnia de nostra chloride intelligenda esse, quam & uiridiam uocare libuit, ubi Aristotelis nomen non subijcitur. ¶ Nostra igitur chloris Italis appellatur uerdon aut uerderro, aut uerdmōtan, alijs (ni fallor) zaranto, caranto, aut taranto: alibi frinson, ut circa Tridentum. Lusitanis uerdelham. Sabaudis uerdeyre. Germanis Grünling, Grünfinck, alibi Kuttuogel, & circa Francfordiam ad Mœnum Tutter: alibi

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 288 sur 825

Rappfinck, quia ſemen raporum edit. Illyriſs (ni fallor) zeglolka. Turnerus acanthidem hanc auem facit, & Germanicè interpretatur, Kirßfincke, melius puto ſcripturus Hirßfinck, id eſt miliariam. non enim ceraſis, ſed milio ueſcitur, unde apud aliquos Hirßuogel appellatur. Idem Turnerus in epiſtola ad me ſcripta kirsfincam iſtam (id eſt chloridem noſtram) putat eſſe thraupin. Anglicè a grenefinche. Auis quæ Gallicè uerdier dicitur, & Græcè chloris, uulgò hodie à Græcis aſſarandos uocatur, ut in quibuſdam Galliæ locis ſerrant, Bellonius.

B.

Chloris à colore partis ſuæ inferioris pallido (ochro) dicta, Ariſtot. atqui noſtra chloris ut & ligurinus, quam alij chlorin putant, non infra tantũ ſed ſupra quoq; uirent, niſi quòd pennas aliquot nigras in alis & cauda habent, ligurinus etiam in capite. Magnitudine alaudæ eſt, Idem. hæc magnitudo ligurino non conuenit, ſed uiridiæ. Videntur ſanè hæ duæ aues tum natura tum corporis ſpecie ſimiles, magnitudine tantum differre. Grenefinca (uiridia) noſtra magnitudine paſſerem æquat, tota uiridis eſt, præſertim mas in hoc genere, fœmina pallida eſt, Turner. Auicula quã Itali zarãto uocãt, (eadẽ, ni fallor, uiridiq; noſtrę) ligurino ſimilis eſt, ſed paulò maior, roſtro latiuſculo, minus uiridis per dorſum, in pectore & ſub alis egregiè crocea, nuces edit, uſus eius in aucupio niſorũ.

C.

Chloris uermiculis ueſcitur, Ariſtot. Viridia noſtra inter ſpinas plurimum degit, & ex herbarum ſeminibus uictitat, præcipuè carduorum maiorum & lapparum, ut auriuittis minorum, Turnerus. Raporum etiam ſemen edit, unde à Germanis quibuſdam Rappfinck appellatur. Chloris nidũ ſibi ex ſymphyto (quod magna difficultate & reperitur & effoditur, Aelianus) ſtirpitus euulſo facit: ſed ſtragulum ſubijcit ex lana & uillo, parit aũt quatuor aut quinq;, Ariſtot. Chloris nidulatur in arboribus, Vuottonus. Chloridis in nido cuculus aliquãdo parit, Idẽ. Vide in Cuculo. Viridia nidulatur in ramis ſalicũ aut prunorũ ſylueſtrium. cantat amœnè, Turnerus. Cantu & uolatu libero eſt, Volater.

D.

Viridia præ cæteris manſueſcit, Volaterranus. Cibum & potum è ſitulis haurire non recuſat, Turnerus: attrahendo ſcilicet è cauea ſuſpenſas, ut in Carduele diximus.

H.

Luſcinia apud Homerũ χλωρὶς cognominatur, quòd in locis uiridibus uerſari ſoleat, uel quòd ſimul cum uireſcentibus plantis, id eſt uêre appareat, uel propter colorem, Euſtathius. ¶ Chlorites gemma herbacei coloris, quam dicunt magi inueniri in ſcyllæ auis uentre, Plinius.

¶ Eſt & χλόης apud Homerum Odyſſ. λ. filia Amphionis (qui filius fuit Iaſi regis Orchomeni & Pyli) & Pherſephones filiæ Mij, mater Neſtoris, Euſtath. & Innominatus Scholiaſtes. hãc à Diana occiſam ferunt ob matris ſuperbiam. Chloris Amphionis filia curſus certamine uicit in Elide ad Iunonis templum, Pauſanias. Fuit & Chloris Arcturi filia, cuius meminit Plutarchus in libro de fluuijs. Item Chloris una ex filiabus Niobes apud Io. Tzetzen. Apud Argiuos Latonæ ſimulacrum eſt: cui appoſitam uirginis imaginem à pallore Chlorin appellant, Niobes filiam fuiſſe, & Meliboeam initio nominatam aſſerentes, Pauſanias in Corinthiacis. Chloris nympha apud Textorẽ, cuius epitheta, Zephyritis, cãdida, uerna, florigera. fingitur hæc à Zephyro dilecta & in uxorem ducta, cui ille in munus amoris ac uiolatæ pudicitiæ, omne ius in flores cõceſſerit, & pro Chloride Floram uocauerit, itaq; dea florum habetur. Lampſacidæ flores candida Chlori tibi, Claudianus. Eſt etiam Chlôris mœcha uetula apud Horatium Carm. 3. 15.

¶ Viridiæ quam Germani Grünling uocant, ſimilis eſt alia auis iiſdem dicta Grünlinger, eadem (ni fallor) magnitudine, ſed roſtro unco & uiridior.

¶ Alia præterea Grießling, quaſi gramínea uocatur, dorſo uiridi, roſtro albicante, magnitudine fringillæ, uentre albicante & fuſco, cantu ſatis ſuaui.

DE CITRINELLA.

CITRINELLA in quibuſdam Italiæ locis, ut Tridenti, nominatur auicula chloridi noſtræ uel ligurino congener, pectore luteo ſeu citrino, capite cinereo. in caueis alitur propter cantum quo mirè excellit, præ omnibus huius generis ſerino tãtum excepto. papaueris nigri ſeminibus ueſcitur. Galli uocant tarin, & alibi (ut circa Auinionẽ) tirin, Neapolitani lequila, Turci ſaré. Hanc ſi quis chloridem eſſe malit à flauo citrinóue colore partis inferioris, cõcedam. ¶ Capitur in altis Heluetiæ montibus & alpibus, ut retrò thermas Fabarias.



¶ Simi-

¶ Similis huic est, ut audio, Canaria dicta auicula, quæ è Canarijs insulis sacchari feracibus aduehitur, suauissimi cantus.

¶ Auicula aurea, uccello d'oro, ab Italis dicitur, auicula parua instar citrinellæ, & admodum canora, aureo pectoris colore, unde & aureola dici posset Latinè, ex Italia ad Germanos adfertur.

¶ Citrinellis etiam comparatur, aut ligurinis magnitudine & partim colore, auicula in quibusdam Germaniæ regionibus, ut Alsatia, gyrola (Gyrle) nomine, per onomatopœiam ut cõijcio, cantu laudatissima. Serinus etiam auis de qua nunc scribam, alicubi Girlitz uocatur.

DE SERINO.

AVICVLA cuius hæc icon est, cantu egregiè musico omnibus huius generis (etiã citrinellæ) prælata, Italicè (ut audio) serin uocatur, unde nos etiam serinum diximus: Gallicè cedrin, haud scio an à colore citrino. nam ligurinum auiculã refert, & magnitudine & colore partim, pectore ac uentre scilicet ex uiridi fuluescens: parte superiore partim eiusdem coloris partim fusca. Imprimis mansuescit, & ad multos annos (tredecim aut quatuordecim) caueis inclusa alitur. Væneunt apud nos quæ cantu præstant, singulæ statêre duplici, aliæ sesquistatêre aut tetradrachmo. Germanicum eius nomen est Fädemle: & in Heluetia alicubi Schwäderle (quamuis aliqui diuersam hanc esse auiculam uolunt:) circa Francfordiam ad Mœnum Girlitz: ut alia quædam parua auicula huius generis in Alsatia gyrola.



¶ Non aliæ sunt, ut audio, scartzerini dictæ auiculæ, circa Tridentum capi, & ad Germanos deferri solitæ, à quibus Hirngryllen appellantur. suauiter cantillant: & forsitan nomen eis à continuo cantu factum. nam ut grylli in agris aprícis & circa balnea ac fornaces cantu suo continenter utuntur, aut fortè quòd uocem mirè flectant & uarient ad suauitatem modulationis, quasi ui quadam intellectus & phantasiæ id faciant. nam & homines ὐφαντικοὶ ὄντες, hoc est qui phantasia ualent, gryllos cerebro continere uulgus dicit. est autẽ hirn, Germanis cerebrum. Aut potius quòd summa & argutissima uocis acutie cerebrum penetrare uideantur. circa Francfordiam simpliciter Gryllen appellant. Itaq; Latinè etiam gryllum aut gryllodum, & Græcè similiter γρύλλον ἢ γρυλλῳδὸν, hãc auem appellemus licet. Capiuntur & in Germania apud Carinthios. Augustæ Vindelicorum simul uterq; sexus (canit enim uterq;) trium staterum siue drachmarum duodecim pretio uænit, ut audio. Magnitudine sunt qua ligurini, uel paulò minores, sed minus lutei. Capiuntur etiam in Heluetiæ nostræ montibus ac syluis quibusdam, & circa Vocetium montem, & circa Bellinzonam. Auceps quidam apud nos cum utrunq; sexum domi inclusum aleret, ita ut aliqua uolandi libertas esset, pullos etiam ex eis habuit. sed aliquando cum pro mare gryllo marem ligurinum adhibuisset, oua quidem nata sunt, sed ex quibus fotis nihil prouenit.

DE CHLORIONE SEV CHLOREO.

CHLOREVS, quem Theodorus quandoq; luteum, quandoq; luteam uocat, mea quidem sententia longè alia auis est, & maior quàm chloris. nam turtur & chloreus pugnant Aristoteli, & occiditur à chloreo turtur. Ad hæc chloreus & pipra dissident. oua enim inuicem exedunt, apud eundem. Et coruus & chloreus pugnant, ut refert Plinius: nisi forte exemplaria hoc in loco sint mendosa. In hoc genere lutearum nonnulli uireonem marem esse opinãtur, Aelianus. Mihi sanè chloreus & chlorion Aristotelis una eademq; auis uidetur: quod inde etiam conijcimus, quoniã à chloreo turtur uincitur, chlorioni turturis magnitudo tribuitur. frequentius autem quarum magnitudo conuenit pugnant & cõmittuntur. Plinium etiam uideo non distinxisse: Pugnant (inquit) coruus & chlorio, noctu inuicem oua exquirentes: qui locus translatus est ex Aristotelis historię anim. lib. 9. cap. 1. ubi Græcè legitur πίπρα καὶ χλωρεύς. Iam ut chloreum à chlorione recentiores quidam non rectè, ut ipse conijcio, separant: sic chloridem & chloreum confundunt, ut supra ostendi in Chloride A. Guil. Budæus, Gyb. Longolius & Guil. Turnerus & alij quidam recentiores chlorionem auem interpretantur illam quæ uulgò oriolus dicitur, Gallis loríon, nobis Widewal: de quo nos inter picos agemus. Iidem Longolius & Turnerus diuersum à chlorione chloreum rati, Germanicè interpretantur Gälgotz, quem ego passerem spermologum esse suspicor, & à Saxonibus uulgò Wonitz nominari. sic enim chloreum Eberus & Peucerus interpretantur, Turnerum scilicet sequuti ut in alijs plerisq;. ¶ Habent Itali auem quæ circa Bononiam regalbulo & rigey uo-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 290 sur 825

catur, quam in Galbula deſcribam: & Germani habent quam à noſtri figura cruciatam indigetant, nos Loxiam diximus: quarum alterutram potius chlorionem eſſe coniecerim quàm uel oriolum uel paſſerem ſpermologum noſtrum: ſed animus magis ad galbulam inclinat. ¶ ALSECRAH eſt auis uiridis nota Damaſci, Andr. Belluneñ. hæc chloris ne an chlorion ſit, inquirant quibus occaſio fuerit.

¶ Vireo (chlorionem ſic Gaza reddit, neſcio quàm rectè, cum Plinius non uiridem, ſed totam eſſe luteam ſcribat hanc auem, & Gaza alibi chlôrin auiculam luteam aut luteolam uerterit, & ſimiliter chloreum quem nos eundem chlorioni eſſe ſentimus luteum luteámue) docilis & ad uitæ munera ingenioſus notatur, ſed malè uolat, nec grati coloris eſt, Ariſtot. nõ mirum autem ſi χλωρὸν ſiue uiridem ſiue luteum colorem in hac aue ingratum dixerit, cum eundem in chloride etiam improbârit. Et rurſus, Vireo totus uiridans (χλωρὸν δὲ χλωρὸς ὅλος) ex obſcuro eſt, (hoc Gaza de ſuo addidit.) Hyeme hic non uidetur, ſed æſtiuo ſolſtitio potiſſimum uenit in conſpectum, diſcedit exortu arcturi ſyderis, Idem, Plinius & Aelianus. Magnitudine turturis eſt, Ariſtot. Vireo in luteæ genere mas, uitæ munerum ſciens eſt, ſimul & aptus ad quiduis diſcendum, ideoq; & laboris in diſcendo patiens, Aelianus. Chloreus, uulgò etiam gloreus ſiue grallus, de genere milui parui eſt, ut dicunt, Niphus ineptam Alberti ſententiam ſecutus, nam pro chlorione Albertus habet glaro, & imperitiſſimè exponit genus milui parui, qui turturis pullos è nido rapere conetur, & impugnando parentem etiam aliquando interimat. Idem Albertus ex loco Ariſtotelis de hiſtoria anim. 9. 15. pro chlorione habet florietus. hanc auem Auicenna (inquit) uocat haudon (aliâs halydon) imitatricem eſſe ſcribens geſtuum humanorum ſicut ſimia, & cantum exercere perſuauem: linguam extremam non habere acutam, pratí coloris eſſe qui aliquantulum ad nigredinem pallídam declinet. Chlorioni hoſtis eſt crex, nocet enim & ipſi & pullis. ex flagratione (incendio) procreatam hanc auem fabulantur quídam, Ariſtot. ¶ χλωρεὺς, ὀρνιθάριον χλωρόν, Heſychius & Varinus. χωρίον, οὐχεῖον κόπρου, id eſt matula uel receptaculum ſtercoris, & auis quædam, Heſychius. apud Varinum χωρίων per ω. magnum in ultima ſcribitur. ego pro aue χλωρίων ſcribendum puto, pro matula (uel latrina fortaſsis) χωρίον. χλωρεῶν, genus animalis, Suidas. ego potius χλωρίων legerim, genus auis. φωνίων, auis quædam, Heſych. ſuſpicor autem hîc quoq; χλωρίων legendum.

CHYRRHABVS, χύρραλος, auis quædam eſt, Heſychius & Varinus. Sigiſmundus Gelenius propter nominis ſimilitudinem, eandem auem eſſe conjcit quam Germani ſcharbum uocãt, quem inter mergos magnos deſcripſimus. Sed ubi deſcriptiones ipſæ deſunt, nihil momenti adfert nominum ſimilitudo.

DE CICONIA.

A.

CICONIAM Hebræi uocant chaſida, חסידה, ut recentiores Iudæi ferè interpretantur, & Munſterus in Leuítico & Deuteron. & Iob 8. & Hierem. 8. tranſtulit. accedit etymologia pietate & benignitate inſignẽ auem indicans, qualis ciconia apprime eſt. quin etiam certo tempore abit reditq;, quod Hieremias propheta illi tribuit. Quamobrem diuerſas interpretum opiniones miramur. nam Dauid Kimhi ex magiſtrorum ſententia uulturem album interpretatur: daiah lebana, id eſt miluum album, ut P. Fagius interpretatur, hunc uerò aiunt (inquit) haſida dictum, quòd faciat gratiam uel pietatem cum ſodalibus ſuis, diſtribuendo eis cibos ſuos. R. Salomõ Leuítici 11. ea repetit quæ D. Kimhi tranſcripſit: additq; uulgò dici חסידה עגורייא, ciconia: idem ſentit Abraham Eſra. Aquila, Symmachus & Theodotion Zachariæ quinto (ubi alas mulierum quas propheta per uiſionem uidit, alis comparat auis chaſida, Munſterus miluum uertit) herodium uerterunt, Hieremiæ octauo Symmachus & Theodotion uocem Hebraicam poſuerunt, Aquila herodiũ uertit. Rurſus Septuaginta Leuítici undecimo & Pſalmo 104. herodium, Deuteronomij uerò 14. pelecâna, Zachariæ quinto epopa, id eſt upupã: Hieremiæ 8. Hebraicũ relinquũt (Hieronymo teſte) ἀσίδα enim tranſtulerũt, ut & Iob 39. Hieronymus in Leuitico & Pſalmo 104. herodiũ conuertit, in Deuteron. onocrotalum, & Hieremiæ 8. miluum pro chaſida, pro agur uero (עגור, de qua uoce plura dicam in Grue A.) ibidem ciconiam. Symmachus & Sexta æditio Pſalmo 104. ἱκτῖνον, id eſt miluum. Rabí Salomon Zachariæ 5. uulturem putat. Deuteronomij 14. Chaldæus interpres pro chaſida habet charadita חרדיתא, quæ uox ad Græcam herodius alludit, (aliâs chorota, חוריתא fortè à candore, Fagius.) Arabs zakid, צקר, Perſa Hebraicam uocem relinquit. Arnobius & Auguſtinus Pſalmo 104. fulicam reddiderunt. Chaſida (inquit Munſterus) auis eſt, quam trãslator noſter uocat miluum & porphyrionem. Rabí uerò Dauid & Abraham, dicunt eſſe auem magnam quæ nidificet in ſublimioribus domibus & abietibus, ac per ſingulas hyemes & æſtates locũ mutet. ¶ Vires quas ſimo ciconiæ Dioſcorides tribuit, Serapio illum locum transferens auis lacalit ſimo adſcribit. Albertus pro ciconia lalath habet, nimirum ex Auicenna, ubi tranſtulit locum ex Ariſtotelis hiſtoria animalium 9. 13. quanquam ipſe ciconiam hac uoce ſignificari neſciuit. Alibi etiam apud eundem (ex Ariſtotelis hiſt. animal. 9. 6.) ladach pro ciconia ſcriptum inuenio. Sebaſtianus Munſterus in Lexico trilingui poſt Hebraicum ciconiæ nomen chaſida, hæc etiam ſubiungit;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 291 sur 825



iungit: deiutha חריותא: chauaritha, חוריותא: machuautha, & forte machuarta, מחוריתא: quę ego omnia Chaldaica esse puto. Alocolobri, id est ciconia, Syluaticus.

¶ Græcis πελαργὸς dicitur, quod nomen etiam hodie seruant. Italis cigogna uel zigognia. Hispanis ciguẽna. Gallis & Sabaudis cicogne uel cigogne. Germanis ein Storch uel Storck. Saxonicè ein Ebeher, ut Turnerus refert. Rostochij & alibi in Germania Adebar uel Odeboer. Flandris Houare. Anglis a storke. Illyrijs cziap. Polonis boczan. Turcis leglék.

B.

Ciconiæ in Heluetia abundant, præsertim ijs in locis à quibus paludes aut lacus non procul distant. Transpadana Italia iuxta alpes Larium locum appellat, amœnum arbusto agrum, ad quem ciconiæ non permeant: sicuti nec octauum citra lapidem ab eo, Plinius. In Fidenâte agro nec pullos nec nidum faciunt, Idem. In Germania auis est notissima, Britānis uerò plerisq; omnibus tam

ignota eſt, quàm quæ omnium ignotiſsima. nec mirum, cum nuſquam in inſula noſtra niſi captiua ciconia uideatur. Auis eſt mediæ magnitudinis inter gruem & ardeam, pennis albis & nigris diſtincta: crura longa habet, roſtrum gruinum, ſed rubrum & craſſum, Turnerus. Ciconia alas habet nigras, & caudam aliasq; partes albas, Albertus. Sunt qui ciconiis non ineſſe linguas confirment, Plinius. Hoc & Germani in grypho quodã inſinuant, **Ein vogel on zungen, Ser ander ſaugt ſine jungen**, &c. ¶ Ciconiæ cur habeant roſtrum magnum & collum oblongum, meminit Galenus lib. x i. de uſu partium. Ciconia δολιχόλαιμος eſt, (id eſt collo prælongo.) Roſtrum ei rubicolor, rectum, & orthogono acuto perſimile. Linguam habet quidẽ, ſed breuiſsimam. Pedes etiam ut roſtrum rutileſcunt. In pullis uerò roſtra ſimul ac pedes fuſco colore cernuntur, Gaſpar Heldelinus. Crura ei procera & excelſa, Idem.

C.

Glotorat immenſo de turre ciconia roſtro, Author Philomelæ. Ciconias ferunt linguas nõ habere, uerum ſonum quo crepitant, oris potius quàm uocis eſſe, Solinus. Ciconiæ quaſi cicaniæ à ſono quo crepitant dictæ ſunt, quẽ roſtro quatiente faciunt, Iſidorus. Idem de uoce ciconiæ clangere dixit. In Pythonos comę congregatæ, inter ſe commurmurant, Plin. Extat Philoſtrati epiſtolium ad Epictetum huiuſmodi: Εἰ κρότῳ ἀνοήτῳ χάιρεις, καὶ σὺ πελαργὸς ἐπεὶ ἀν πεισθεὶς (forte πεισθεὶς) ἡμᾶς κροτῶσιν, ἢ γὲ ὅμοιος (ὅ ἐμὸς) ποσὸν ὦ σωφρονίσθοις (ſcilicet κροτεῖν, aut lege σωφρονισθεὶς) τὸ ἀεὶ ἀδω, ὅσῳ μηδὲ αὐτὸς μηδ' ὑπὲρ τὸ κροτεῖν. Hoc eſt, Si plauſu temerario delectaris, ciconias etiam cum prætereuntibus nobis applaudunt modeſtius Athenienſium populo id facere putabis, quòd gratis & abſq; mercede plaudant. Ciconiæ pulli uocem gauiis (uanellos puto intelligit) preſsiorem parentum deſyderio emittunt. Porrò ſono illo, qui ſiue arterię interioris uehemẽtiore impulſu, ſiue (quod magis uidetur) modulata linguæ roſtriq; cõploſione ædítur, certe uix eſt alius uel gratior, uel plauſibilior. Hoc crepero ſono uer prænunciat, coniugem ſalutat, gratias Deo factori eglottorat. Videtur autem hoc uerbum (glottorare) ἀπὸ τῆς γλώττης factum, Gaſpar Heldelinus.

¶ Circa Theſſaliam aiunt tantam ſerpentium uim prouenire, ut niſi à ciconiis cõficerentur, incolas pellerent, Ariſtot. in Mirabil. Circa Alexandriam in ſiniſtra Nili parte, fertili & herboſa, aues aquaticæ per hyemem collectæ uidentur, quarum copiis campi & prata albent, præſertim ciconiis, quas Aegyptij merito amant, cum propter ranas quas illic nimis abunde naſcentes ciconiæ conſumunt, tum quia ſerpentes etiam integros deuorant, Bellonius. Ciconia duo maximè loca uictus quærendi gratia infrequentat, ſtagna ſcilicet & prata. E ſtagnis lacubusq;, adde etiam paludibus, uaria quidem & multa animalcula, ſed præcipuè omnis generis ranas mira celeritate comprendit, comprenſa ſtatim iactu quopiam non fallente in fauces deijcit, deiectas ſtomacho recondit. Verum eas modo ranas infenſius inſectatur, quæ regni ſui (aquarum) terminos egrediuntur. Cęterum prata ea potiſsimum frequentare inſueuit, quæ in conuallibus aut locis irriguis iacent, quod genus Græci βαϋλαμὸς uocãt: inde lacertas, cherſydros aliosq; ſerpentes, ranas calamitas, aliasq; pratorum peſtes capit, maximè autem cicinias (cæcilias, id eſt cęcos ſerpentes) quibus unicè delectatur, ſectari ſolet, Gaſp. Heldelinus. Serpente ciconia pullos Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta, Iuuenalis: qui arguens Romanos quorum liberi tales euadebant, quales à parentibus inſtituebãtur memorat naturam ciconiæ eiusq; pullorum. hi enim à teneris aſſuefacti colubris ueſcuntur. Ciconia circa lacus & paludes degit, ranas, bufones, angues & piſces comedens, Turnerus. Multifariam ſerpentibus inſidiatur, eosq; deuorat & alia uenenata animalia, nec inde perit: bufonem uerò non niſi in magna fame guſtat, tanquam præ cæteris uenenoſum, Author libri de nat. rerum. ¶ Quædam in ingreſſu ante ſe pedes iaciunt, ut ciconiæ & grues, Plinius. ¶ Ciconia uolans pedibus, tanquam gubernaculo nauta, curſum moderatur: porrectisq; in caudam quæ breuior illi contigit, pedibus, per magnum aëra contendit, Gaſp. Heldelinus. ¶ Cur grus, ciconia, & aliæ quædam aues dormientes uni tantum pedi innitantur, & caput humero alteri imponant, Hieron. Garimbertus quærit quæſtione 51. ¶ Neq; enim hirundines & ciconię, quæ in Italia pariunt, in omnibus terris pariunt, Varro. Apud Germanos in ſummis tectis, aliquando in ipſis ſummis fumarijs nidulantur, Turnerus. Nunquam nidos extruunt, quin lychniten dictum lapidem imponãt, quaſi facem adhibentes ut oua fœtum producant, & ſerpentes nidis non appropinquent, ut aquilæ aëtiten, Philoſtratus in uita Apollonij. Turdi non ut aduenæ uolucres faciunt pullos, ut in agro ciconiæ, in tecto hirundines, &c. Varro. Ciconia primo protinus aduentu ueterem nidum repetit, quem ſi quidem ſaluum & incolumem inuenit, collectis hyberno ſitu ſordibus ſtatim repurgat, inſtauratq; ſin ſæuiore aliqua uentorum tempeſtate deiectum cernit, ramentis illico undiq; ex agris paluſtriq; ulua comportatis, poſſeſsionem ſedis nouo nido occupat. Pomeria primum rotunda ſciotherico (quod uulgus Mathematicorum concauum uocat) ualde ſimilia figit, mox ædificat, deinde conſtabilit. Poſtremò ſi quid diſtortius horret, admirabili quadam roſtri induſtria in ordinem componit. Nidificat autem in ædificioribus ædium faſtigijs, aut aridis proximè, idq; rarius, arboribus, Gaſparus Heldelinus. ¶ Veneri non alibi indulgent quàm in nido. Oua triginta non amplius diebus fœmina, quatuor, anſerinorum tum magnitudine tum colore ponit: quæ quamprimum, uariatis quidem uterq; uicibus, plumis fouent. Obit autem pater incubandi munus tantiſper, dum illa ſibi per otium cibum quærat. Incubitum, niſi aſperior tempeſtas impediat, ſpatio menſis, ut plurimum abſoluunt, Gaſp. Heldelinus.

¶ Ciconiæ

¶ Ciconiæ quo nam è loco ueniant, aut quo se referant, incompertum adhuc est. E longinquo uenire non dubium, eodem quo grues modo: illas hyemis, has æstatis aduenas. Abiturę congregantur in loco certo: comitatæq; sic, ut nulla sui generis relinquatur, nisi captiua & serua, ceu lege prædicta die recedunt. Nemo uidit agmen discedentium, cum discessurum appareat: nec uenire, sed uenisse cernimus: utrunq; nocturnis fit temporibus. Et quamuis ultra citráue peruolent, nunquam tamen aduenisse usquam, nisi noctu existimantur. Pythonos comen uocant in Asia patentibus campis, ubi congregatæ inter se commurmurant, (ubi primo aduentus sui tempore ciconiæ aduolant, Solinus:) eam quæ nouissimo aduenit lacerãt, atq; ita abeunt. Notatum, post idus Augustas non temere uisas ibi, Plinius. Simulatq; ciconiolæ in pennas integras excreuêre, iamq; alarum firmiore ope leniter spirante aura, nido se tollere, mox proxima nido tecta circumuolare audent: deinde libero etiam cœlo sublimes ludere sustinẽt. Postremò cum finitimas ciconiarum ædes obuolitantes, ad alarum facienda pericula euocant: id quod idibus Iunij faciunt (eo enim tempore nidos primum egredientes deserunt, euolantq; ac reuolant. accedit quòd è pratis ipsæ quod sumant ductu instinctuq; parentum uenantur) tum, inquam, solertissima quadã ingenij perspicacitate profectionis tempus obseruant. est autem sub æstatis exitum circiter idus Augusti, (circiter diem ascẽsionis Mariæ,) Gasp. Heldelinus. Et rursus, Idibus Augusti ciconiæ iuuenesq; senesq;, collecto agmine pulcherrimo, iter laboriosum illud pernocte luna ingrediuntur. Priusquam uerò mare traijciunt, omnes quas quidem agri nostri emisêre, Athesim Galliæ flumen, non ita procul ab Sextinianis aquis, seu (ut alijs placet) Sestianis aris, nimirum ubi Marius Cimbros ferro fudit, congregantur. Illic habitis inter se publicis concionibus commurmurant, exercitum lustrant, cognitionibus diem unum aut alterum traducunt, iudicia grauiter exercent: & si quam tardatior segnities morata est, aut adulterij crimen conuicit, eam communibus sententijs dispungunt occiduntq;. Cæterum abituræ aquilonis secundum flatum prudẽter expectant, qui simulatq; pronior incidit, tum ceu lege prædicta die abitum maturant. Auium multa genera locum ita mutant, ut certum sit unde & quò se recipiant: ciconiæ uerò unde ueniant, quò reuertantur, non satis constat. Quidam ex Lycia uolare aiunt, alij ex Aethiopia, quo loco inchoata exundatione Nili fœcundatur Aegyptus, Oppianus in Ixeut. Ciconiæ hyeme latent, Aristot. nidos eosdem repetunt, Plinius. Audio ciconias cum gruibus (non simul sed diuersis temporibus) iniurias frigoris fugientes, mutatione cœli solum uertere, ac rursus hyberno tempore exacto, ad patriam sedẽ remigrantes, cum illas, tum has, sicut homines domum, probè nidos suos recognoscere, Gillius ex Aeliano. Vulgus agreste & rapa post ciconiæ discessum malè seri putat: nos omnino post Vulcanalia, & præcocia cum panico, Plinius. Ciconiæ à nobis prius recedunt quàm hirundines, Albertus. In Heluetiã ad nos aduẽtare solent circa octauum calẽdas Martij. Ciconiæ quæ æstate in Europa sunt, magna hyemis parte ut in Aegypto, sic etiam circa Antiochiam (iuxta Amanum montem) degunt, Bellonius. Et rursus, Cum circa Abydum essem uicesimo quarto die Augusti, ingentem ciconiarum uim conspexi, quæ ad tria uel quatuor millia accedere uidebatur. Volabant illæ à Russia & Tartaria, & Hellespontum agmine decussato transuersum traijciebant. Et cum supra Tenedum insulam essent, longo per anfractus tractu se conuertebant, donec in circulum omnes colligerentur. inde priusquam longius à faucibus Propontidis pergerent, in minores aliquot turmas supra uiginti se distribuebant, & se inuicem uersus meridiem sequebantur. Haud equidem adfirmare ausim, quòd quidam autores sunt hybernis in Africa ciconias diebus delitescere, perinde ut apud nos gauias (uanellos, ut conijcio, sic uocat) hirundines q; facitare ferunt: & cum has tum illas (id est gauias & hirundines) aspera hyemis tempestate, in cauas se ad mare stipites cõdere, foliis aridis muscoq; obtectas uelut demortuas latere uulgò aiunt. Sed hoc ne modo, an in longinquioribus Aphricæ terræ montium recessibus ciconiæ lateant, tanquam incompertum in medio relinquimus, Gasp. Heldelinus. Ciconias ex Africa usque ad nos proficisci, multorum nõ incerta opinio persuadet, Idem. Circiter x. calendas Martias ciconia mas aduentare consueuit, Idem. Et rursus, Ciconia mas uerno aduentu coniugem suam ad summum decem dies anteuertit. Tum nido, si fortè uiolatum inuenerit, reparato, cõiugem solicitus expectat, ea aliâs prius, aliâs decima demum nocte, perluni scilicet, aduentat. Huius ille aduentui mire gratulatur & alis applaudit. Vbi autem nido etiam accepit, diu boni, quæ dulcissima salutatio! quanta ob felicem aduentum gratulatio! quos applausus! quos complexus! quàm mellita cernas oscula! Atq; interim lenes quoq; susurri quidam audiuntur. Ciconiæ aduentus cum alijs omnibus gratissimus est, quòd dura hyemis tempestate sint leuati, tum maximè illis qui angusta contractaq; paupertate premuntur. is certe qui primus ciconiam uenisse aduertit, in quemcunq; incidit pleno ore Homeri illud decantat, Δός μοι δυσχήλιον ὅτι ἔαρ ἤλθε πελαργός, Idem. ¶ Mox primo uere pelargi (id est ciconiæ) simul gregatim pergunt: ut & aliæ aues, anseres feri, anates, aliæq; quæ ab Aegypto, Libya & Syria aduolant, & in Lycíam ad flumen Xanthum perueniunt. ubi prælium committunt cum coruis, cornicibus, colis (κολοιὸς, id est graculos intelligo) uulturibus & quibuscũq; carniuoris. Nam hæ quoq; præsciunt tempus, & eodem aduenium omnes. Tum pelecanorum (lego pelargorum, uel pelargorum & pelecanorum, ut inferius quoq; legitur) exercitus in altera ripa fluminis aciem instruit: corui autem & uultures aliæq; carniuoræ in altera considunt. Totum uero sextum (uidetur locus corruptus) mensem in pugna expectant. sciunt enim dies in quibus aggressio futura est: qua

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 294 sur 825

facta clamor ad cœlum uſq; auditur, & in flumine ſanguis uulneratarum auium apparet, ac pennæ plurimæ euulſæ decidunt, quibus Lycij lectos ſuos farciunt. Finito iam conflictu dilaniatas reperiunt innumeras aues, cornices aliasq; carniuoras, & ab altera parte non paucos pelargos & pelecanos. Quòd ſi (pelargi &) pelecani uicerint, conijcitur inde tanquam ex certo ſigno, abundantiam omne genus frugum futuram: ſin carniuoræ, ouium & boum & aliarum quadrupedum fœcundus prouentus expectatur, Kiranides. Sed cornices ciconijs inimicas eſſe parum eſt ueriſimile, ſi uerè ab alijs ſcribitur non aliter quàm ijſdem ducibus eas migrare, ut in D. referam.

¶ Videtur ciconia caput perquam rheumaticum habere. nam de roſtro eius aqua ſubinde extillat, & magis hyeme, Author libri de nat. rerum.

D.

In ciconia admiramur ingenium & prudentiam, iuſtitiam, gratitudinem, temperantiam, & naturale in alias quaſdam aues odium. Primò igitur de ingenio ac prudentia ipſarum, de reliquis deinceps dicendum.

¶ Quòd certis temporibus uno in loco congregatæ diſcedant ac reuertantur ciconiæ, utrunq; clam & noctu, & alia quædam ad ingenij earum admirationem pertinentia, in C. retulimus. Ambroſius & Magnus Baſilius tradunt ciconias iamiam commigraturas non aliter quàm collecto proficiſci agmine: ac uelut per teſſerarios, militiæ quadam imagine, tempore pronunciato, pariter moueri omnes, mirè ſeruatis ordinibus, ceu nec agminis coactor deſit. Cæterum ducendi functionem cornices ſubire, quæ illas & dirigant, & turmis quodammodo ſtipatricibus conſectentur eatenus, uti uel aduerſus inimicas aues munimento haudquaquam contemnendo eſſe credantur, ac periculis ſubire proprijs non ſuam bellandi aleam, Cælius. Cornices eas (ciconias) duces præcedunt, & ipſæ quaſi exercitus conſequuntur, Iſidorus. Ciconiæ cæteræq; aues cum uulnus per pugnam acceperint, origanum (Gaza cunilam uertit) plagæ imponunt, Ariſtot. Græcè legitur, Οἱ δὲ πελαργοὶ καὶ οἱ ἄλλοι τῶν ὀρνίθων: atqui Aelianus non quaſuis aues hoc facere ſcribit, ſed præter ciconias perdices tantum & palumbos: Plinius ciconiam tantum. Ciconiæ in urbes uaſtatas non ueniunt, ut in Philoſtrati epiſtolis legimus, his uerbis: Οἱ πελαργοὶ τὰς πεπρωμένας πόλεις ἐκ τοῦ παντὸς κακῶν πεπαυμένων ἥκω φεύγοντες. ¶ Ciconias audio cum primum aduenium nidum aliquoties luſtrare & circunuolare antequam ingrediantur. Ciconiæ nidos ſuos quotannis repetunt, & unum è fœtibus ſuis domino loci, ſub quo fœtificant, deplumatum quaſi tributum, ut fertur, deijciunt: ſed forte cauſa magis eſt tædium nutriendi. Quinimò, ut uulgo dicitur, pro decimis deijciunt deo ius ſuum ſeruantes, Inſo cuius ſignum Thuringiam, ubi decimæ non dantur, neq; intrant neq; inhabitant, ut experientia docet, Author libri de nat. rerum.

¶ Magna cura ciconiæ exacta ætate parentes alunt, etſi humanis hoc facere legibus nullis iubentur, ſed ſola bonitate naturę ad id impellantur. Idem parentes amanter ſuos fœtus curare dicuntur: Cuius rei hoc teſtimonium eſt, quòd pullos qui per ætatem è nido nondum euolare queunt, cum aliunde ad eos alendos cibum comparare nequeunt, eſculenta quæ prius ederant, euomunt, atq; in educandos fœtus conuertunt, & ad uolandum pullis imperitis duces ſunt. Herodios & pelecanos ſimiliter facere audio, Aelianus. Ἀντιπελαργεῖν (inquit Eraſmus Rot. in prouerbijs) apud Græcos eſt mutuam officij uicem rependere, maximè nutricandi fouendiq; eos, à quibus aliquando fueris enutritus aut inſtitutus: ut ſi liberi parentes ętate feſſos uiciſſim alant foueantq; aut ſi diſcipulus præceptorem inuicem erudiat. A ciconiæ natura ſumptum quæ Græcè pelargus dicitur. Ea inter aues una pietatis ſymbolum obtinet. Extat autem lex pietatis magiſtra, quæ edicit, ut liberi parentes alant, aut uinciantur. ad id reſpexiſſe uidetur Homerus Iliad. ι. cum ait, ἐδὲ τεκοῦσι θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μυνυθάδιός δ' ἐοὶ αἰών. id eſt, Nec nutricandi officium genitoribus unquam Perſoluit charis, breue at illi contigit æuum. Animantium reliqua tantiſper amant agnoſcuntq; parentes, dum egent illorum ad nutricationem opera. una ciconia parentes ſenecta defectos uiciſsim alit, & uolandi impotentes humeris geſtat, quorum poſterius laudatur in Aenea, cui inde pij cognomen: alterum miris laudibus fertur in puella, quæ matrem captiuam complureis dies ſuis uberibus aluit. Hanc ob cauſam, ut author eſt Suidas, antiquitus in regum ſummo ſceptro ciconiæ figura ponebatur, in imo hippopotamus: ut ipſo geſtamine admonerentur, pietatem plurimi facere oportere, uiolentiam cohibere. nam hippopotamus animal efferum eſt ac uiolentum, atq; adeò impium, quippe quod interfecto patre matrem init, teſte Plutarcho. Diuus Baſilius etiam ciconiarum nobis pietatis erga parentes exemplum proponit. Eôdem alluſit Crates Cynicus ſcribens Hipparchiæ uxori de filio nato, cum pollicetur ſibi curæ futurū, ut illum matri ciconiam pro cane remittat in ſenecta, canes enim uocantur Cynicæ ſectæ philoſophi. Significat igitur puerum fore pium, qui parentem iam decrepitam mutuò foueat. De ciconiarum pietate meminit & Ariſtophanes in Auibus. Ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν τοῖσιν ὄρνισι νόμος Παλαιὸς, ὃν τοῖς ὄντως πελαργοῖς κύρβεσιν. Ἐπὰν ὁ πατὴρ ὁ πελαργὸς ἐκπεπτηκὼς πάντας ποιήσῃ αὖθις πελαργιδέας προέφων, Δεῖ αὖθ' νεοττὸν τὸν πατέρα πάλιν πρέφειν. id eſt, Nobis quidem auibus peruetuſta lex uiget, Ciconiarum inſcripta tabulis, ut ſimul Ciconia parens educauerit ſuos Ciconiadas, (pullos, imitatione Græci uocabuli,) & iam uolucres euaſerint, Pulli uiciſsim nutriant patrem ſuum. Vtitur eodem Plato in Alcibiade primo. Sed nemo profecto uenuſtius, nemo felicius, quàm Angelus Politianus in quodam epigrammate, Κεἰπὲ γὰρ θαῦμα εἴην νέοι πλὴν γραῦς ἀντὶ πελαργὸς μόλω,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 295 sur 825

πελαργέομεν. id est, Si nos Latini olim Græcorum literis educati, nunc Græciam uelut anum atque effœtam uicissim suas doceamus literas. Porrò huiusmodi officium quod liberi uicissim in parentes collocant, Græci unico uerbo dicunt, γηροβοσκεῖν seu γηροτροφεῖν & γηροτομεῖν. Extat in hāc sententiam huiusmodi senarius, ἱκανῶς βιώσεις γηροβοσκηθεὶς σὺς γονεῖς. id est, Viuax eris, senes parentes confouens, Hæc omnia Erasmus. Ciconias genitorum senectutem inuicem educare inuulgatum est, (δεύλεγε πᾶσι τόδε πολλοῖς,) Aristot. unde apparet Aristophanis Scholiasten & Suidam non rectè scribere, Aristotelem simpliciter hoc uerum esse asserere. Genitricum senectam inuicem educant, Plin. Exímia illis ineſt pietas, etenim quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipsæ à pullis suis inuicem aluntur, Ita enim impensè nidos fouēt, ut incubitus assiduitate plumas exuant, Solinus. Pelargici nomi ab Aristophane dicti sunt quasi ciconiariæ leges, quibus liberi parentes alere iubentur, id quod in iure quoq; cautum est. Ideo in sceptris regijs antiqui ciconiam sculpere solebant in summo, in infimo autem hippopotamum animal improbissimum, significare uolentes iustitiæ obnoxiam esse (ὑποπτέχθαι) uiolentiam: cuius iustitiæ symbolum est ciconia, quæ parentes senio confectos alere, humerisq; gestare in uolatu creditur, Budæus ex Aristophanis Scholiaste ut apparet, ἀντιπελαργεῖν, παροιμιακῶς λέγεται τὰς χάριτας ἀντιδιδόντων: καὶ ἀντιπελάργωσις, Suidas & Varinus. A ciconiæ pietate ductum est uerbum antipelargēin, hoc est promerentibus gratiam in tempore referre, & antipelargia, huiusmodi gratiarum relatio, Budæus in Pandectas. Apud Aesopum pelargus ab agricola captus dimitti orans, Sum (inquit) pelargus auis pientissima, quæ meis parentibus obsequi soleo, eosq; non desero unquam. Quæ causa est ut Aegyptij hieroglyphica litera pietatem scribentes, ciconiam pingerent. Petronio Arbitro pietaticultrix epitheto decoratur. Diuus quoq; Ambrosius auem piam appellat. Et uerba eius Io. Baptista Pius è libro 5. Hexameron hæc recitat: Aues non erubescunt reuerendi senis membra portare, est enim uectura pietatis, quod eousq; frequenti testificatione percrebuit, ut congruæ mercedem remunerationis inuenerit. nam Romanorum usu auis pia uocatur. Quódq; uix uni imperatori consulto senatus delatū dicitur, istæ hoc aues in commune meruerunt, pios enim filios patrum prius oportuit in iudicio prædicari. Habēt etiam uniuersorum suffragia, nam retributio beneficiorum ἀντιπελάργωσις nominatur. Pelargòs enim ciconia dicitur. Virtus itaq; ab his nomē accepit, cum relatio gratiarum ciconiæ uocabulo nuncupetur, Hæc ex Ambrosio Bapt. Pius, qui idē ἀντιπελαργεῖν Latinè interpretatur redhostire. Aeneam pium à Virgilio appellari ideo scribit idem Baptista, quoniam patrem succollauit, ut ciconię patrem senis annis inuolucrem succollare solent, Franc. Syluius in epistolas Politiani. Parentes senes & ad uolatum inualidos, filij suis alis huc illuc gestant ut nutriantur: & si cæci fuerint, cibum eis ingerunt, Kiranides. Ciconiæ aues piæ parentes senio affectos suis alis gestantes incedunt, (βαστάζουσι,) Scholiastes Aristophanis, Suidas & Varinus. Ciconiæ à sua prole aluntur, & incessu uolatuq; ab eis iuuantur, Io. Tzetzes: uel si Græcè mauis, πελαργὸς πρέφουσι τὰ τέκνα τὰ ἑαυτῶν, καὶ τῇ βαστάσει πῆσαι τε τῇ τόπῳ σωφρονοῦσι. Ciconia dicitur auis pia, cum enim seniores pennis amissis uictum sibi quærere nequeunt, iuniores frigida genitorum membra refouentes cibum eis procurāt, donec pennæ ualidiores subnascantur, Author libri de nat. rerum. Parentes senes alunt & pastum educunt, Eberus & Peucerus. Ferunt autem lalath (id est ciconiam) parentes autumno nutrire, ut uêre nutrita est ab eis, alij eos non prius quàm senecta exhausti sint à prole nutriri sentiunt, Albertus. Merops eò iustior ciconijs existimanda est, quòd non in senectutem parentes alere differt, sed statim ut per ætatem uolare potest, hoc ipsum exequitur, iustitia enim & pietate omnibus auibus præstat, Aelianus. Aegyptiorum sapientes ut parentis amatorem significent, ciconiam pingunt. hæc enim à parentibus enutrita non separatur ab illis, uerum ad ultimam usque senectutem permanens parentibus uictum sufficit, Orus. Quantum temporis ciconiæ impenderint fœtibus educandis, tantum & ipsæ à pullis suis inuicem aluntur, Paulus Fagius è commentarijs Iudæorum. Genitores pullos, si forte spurca tempestas, aut ingentibus procellis imber effundatur, explicatis alis, ceu fomentis quibusdam amicis, ne algeant, obtegunt. Simulac parens progeniem paruam reuisens ad dulcem nidum appulit, ciconiolæ suaui quodam sibilo aduentum congratulantur, escamq; rostulis, tanquam oscula eliciunt, atq; interim etiam λαφυγίζοντες glotteraturiunt, colla porrigunt, hiant. tum parens quicquid immenso labore illo suo animalculorum uenata est, torto retortoq; gutture, è stomacho, quo uiua omnia condiderat, egerit: egesta pulchro certoq; ordine singulis suum dimensum dispensans, cuiusq; in os uelut præmansum inserit: eumq; laborem pium tantisper sibi sumit, dum pulli per se cibum ore collatum capere possunt, Gasp. Heldelinus.

¶ Gratam accepti beneficij memoriam (inquit Aelianus) ipsæ etiam bestiæ retinent. Tarentina mulier, nomine Heracleis, & cæteris in rebus ex maximè raro fœminarum genere fuit, & uerò ab omni stupro integram castamq; se marito conseruauit: quippe quæ ut uiuentem eum studiosè & diligenter coluisset, sic posteaquam è uita excessisset, se fidissimam & ab omni libidine continentem humato coniugi præstans, urbanas commorationes, & domum, in qua mortuum uidisset maritum, adeò malè odit, ut præ mœrore ad sepulchri monumentum, ubi sepultura affectus ille esset, miserrimè commoraretur. Hæc igitur fœmina cum æstiuo anni tempore ciconijs pullorum suorum uolatum experientibus, unus & infirmissima ætate, & alarum debilitate delapsus, alterum crus fregisset, eiusmodi casum intuita, se cognito morbo, misericordem pullo præbuit. nam & uulnus obli-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 296 sur 825

gauit,& medicamentis & cibo potioneq; adhibitis cicatricem obduxit, & ad incolumitatem perduxit,atq; iam ad uolatum confirmatum,è manibus dimisit. Hic admirabili quadam naturæ intelligentia non ignorans se conseruatæ uitæ præmiũ mulieri debere, anno pòst cum ad uernum solem fortè apricantem eam, quæ sibi benignè fecerat,perspexisset,demisso atq; humili uolatu proximè ad ipsam profecta,in eius sinum lapidem euomuit, deinde in tecto subsedit. Cuius facti admiratione commota Heracleis,dubitabat quid istuc esset.Cum igitur lapidem intus alicubi deposuisset,nocte insequenti somno soluta,eum fulgere, & radiatam domum tanquam immissis facibus ex eo splendere perspexit:ubi uero ciconiam comprehendisset, & uulneris cicatricem percepisset,hanc agnouit eam esse quam miseratione commota curauisset, Hactenus Aelianus. Eandem historiam breuius & paulò aliter Oppiani in Ixeuticis paraphrastes hoc modo expressit: Mirabilis omnino & so lertis ingenij sunt,siue iniuria cauenda, siue gratitudinis ædendum aliquod signum fuerit. Nam & hoc accidisse fertur:Cum quidam ciconiæ crus lapide confregisset,eaq; in nidum transuersa,ut posterat,se reciperet,à mulieribus quæ claudicãtem uiderant,restituta est,& cum cæteris auolauit. Sequentis deinde anni uêre cum redijsset ad eundem locum (agnoscebatur autem ex claudicationis signo)& mulieres conspectu sui,ceu quæ libenter apud ipsas diuerteret, exhilarasset: mox è rostro oblongo egregiam & pretiosam gemmam ad pedes mulierum euomuit, quod quidem illæ gratitudinis ergò fieri intellexerunt. Huic planè similis est historia, quam doctissimus uir Iustinus Goblerus I.C. ad nos perscripsit,his uerbis: Præter pietatis erga parentes laudem Gesnere, quam ciconijs & natura & historia ab antiquo tribuit, etiam re ipsa compertum est, hospitalitatis officium uicemq; ciconias agnoscere beneficio suo, & compensare. Contigit enim non procul à patria mea (Sanctogoarinum uulgus appellat)in ciuitate quondã imperij libera Vuestalia superiore,quod sepe audiui auos & maiores meos mihi commemorare, ut ciconia nidum in cuiusdam ciuis tecto haberet,in quo per multos annos ex more oua excluderet, & pullos nutricaret. Tanto autem tempore eadem auis benigni hospitis clementiam experta, ut quæ à nemine domesticorum (pio patrefamiliâs ita cauẽte)infestaretur,quotannis suo tempore & auolare & redire, eundemq; nidum repetere solebat. Habuit autem in more præter cæteras sui generis aues hæc bestia,siue hospitis frugi & modesti humanitate ducta,siue commoditate loci ædiumq;, siue (quod uerisimilius est) natura ad hoc ipsum inuitante, ut bis quotannis,nimirum sub ueris & autumni tempus pridie ferè antequam auolaret,& postridie cum rediret circum limen ac porticum domus hospitis sui uolitaret, & stridenti rostro se præsentem uelut indicaret, semper lætabundo ac ceu applaudente gestu uoceq; à patrefamiliâs accepta ac rursus dimissa. Hæc cum iam multis annis inter auem & hospitem consuetudo fuisset,tandem aliquando ex more sub autumnum auolatura ante ad porticum domus obstrepero impetu fertur,ac crepitanti rostro ceu hospiti ualedictura insolentius aliquanto gestire uisa est, cui bene precatus herus amico ore auem quasi alloquens iubet ut salua & incolumis redeat. Sub uerigi tur postmodum reuersa bestia ex more hospitem in foribus ædiũ rostri crepitu salutat, ac mox ante pedes uiri radicem magnam recentis zinziberis è gutture exerens tanquam gratulabunda collocat,rostro ut plurimum obstrepero,in symbolum hospitalitatis. Admiratus hospes peregrinum & informe quodammodo munus accipit, & uicinis uidendum præbet,certo cognoscentibus gustando ueram ac uiridem zinziberis esse radicem. Et quãdoquidem hactenus apud multos dubium fuit,& quodammodo incompertum(inter quos etiam Plinius est) quonam è loco ueniant, aut quo se referant ciconiæ:uel ex hoc facto constabit, calidas eas terras & ultramarinas, ubi zinziber hodie nasci dicitur, cum à nobis auolant, petere. Verum & hoc exemplo qualicunque, si non aliud certe nos admoneri arbitrarer,inter homines etiam cum pietatem tum hospitalitatem plurimi fieri oportere.

¶ Extat & aliud luculentum super ciconiarum mirifica gratitudine exemplum in Ixeuticis Oppiani:In Italia(inquit)ut fertur,cum serpens quidam ad nidum prorepens ciconiarum pullos deuorasset,& alteram deinde sequentis anni fœturam similiter perdidisset, ciconiæ tertio demum anno reuersæ,nouam quandam auem & prius nõ uisam,(quæ breuior quidem ciconijs erat, sed rostrum magnum & acutum ensis instar à capite exerebat,)secum adduxêre,indicata nimirum ei fœtus calamitate sui,siue pollicitationibus ullis siue uerbis ut opem ferret inuitatam. Nam utrum aues & animantes aliæ,suum inter se colloquium nobis ignotum misceãt,in dubium uocari potest. Auis hæc, nondum absoluto ciconiarum fœtu,coniuncta eis non erat: pullis uerò iam exclusis cum parentes ad comparandum pullis auiq; custodi uictum longius auolarent, ipsa nidum non deseruit, ut serpenti obsisteret. Serpens igitur paulò post progressus è latibulo, pullos aggreditur: & licet ab aue custode rostro impeteretur,non statim recessit, sed erectus corpore, caudæq; innitens, se opponebat: & secundò iam ictus spiris inuoluere custodẽ frustra moliebatur, utcunq; plurimis se flexibus insinuaret.nam facile euadebat auis in sublime se recipiẽs. Sic dum ille perdere,hæc seruare pullos annituntur,plurimis tandem ille uulneribus confossus iacuit:at non impune. auem enim in conflictu dentibus uenenatis adeò læsit,ut omnes ei pennæ defluerent. Cum uerò reuertendi tempus appetijsset,ac reliquæ ciconiæ iam auolassent,parẽtes cum pullis seruatis, ut beneficij memores se declararent,tantisper mansere,donec nouis ei pennis renatis simul auolarent,Hæc Oppianus.

¶ Ciconia riuali inuidia laborare fertur:Nam cum in Cranône Thessaliæ eximia forma mulier, cui no-

cui nomen esset Alcinoë, à coniuge peregre profecto domi relicta, stupri cõsuetudinem cum seruo quodam fecisset, hoc quidem ipsum ciconia intelligens, seruiles iniurias in dominum nõ sustinuit, quo minus quàm mox facto impetu eum sensu oculorum orbans, iniuriam in dominum illatam ulciscereturAelianus. Ego hanc uirtutem potius castitatis quàm ritualem inuidiam in hac aue appellârim. Nam, ut Author libri de nat. rerum scribit, non dubium est ciconias castitatis sectatrices esse, fœdusq; coniugij inuicem seruare. Fertur enim quòd in eminentiori loco domus cuiusdã par ciconiarum habitârit: unde mare ad pastum recedente, frequenter alius mas adueniens fœminam adulterino coitu polluebat. At illa statim eminus in fonte se mergebat, sic scelus adulterij per aquæ lauacrum delens, marem proprium deludebat. huiusmodi factum dominus habitationis frequẽter aduertit, & quadam die post adulterium eam à fonte ne lauaretur prohibuit, nec mora, masculus à pastu rediens in fœmina sua scelus adulterij deprehendit, & in præsentia dissimulans abijt. Reuersusq; secunda die maximam multitudinem secum adduxit, quæ singulæ adulteram aggressæ miseram crudeli laniauerunt morte. ¶ Ciconia tempestatẽ præsentit, quæ sicunde imminet, tum antè se medium in nidum ambobus pedibus (nam alternis aliâs insistens quiescit) confestim sistit, pennas tristior diffundit, rostrum in pectus condit, unde & plumas, ceu barbam promittit, uultum demissum eò obuertit, qua parte tempestas uentus aut imber ingruit. quod si in angulis aut marginibus nidi temere insisteret, facilius ui tempestatis præcipitaretur, Gasp. Heldelinus.

¶ Ciconia & crex, aues sunt inimicę, Gillius ex Aeliano, nescio quàm rectè. nam Philes, qui sua omnia ex Aeliano mutuatur, sic scribit: Ἐχθρὸν γε μὴν ἔχουσιν ἀεθυίαις μέγα πανηροὶ πελαργοί, καὶ βραδύπτε-ροι κρύκοις, (lego κρέκοις,) id est, Ciconiæ & creces mergis admodum infensæ sunt aues. Sed fieri potest ut eandem ob causam propter quam mergos oderunt, tanquam eodem uictu piscibus scilicet, utentes (ut conijcio) ipsæ etiam inter se inimicæ sint. Ciconia aquilas etiã insequitur tempore quo pullos nutrit, & alias rapaces aues: quibus obsistere si sola non ualeat, aduocat alias, Albertus. Aquila & ciconia causam pugnæ habent quòd una comedit oua alterius, Idem. sed Aristoteles sittam scribit aquilæ hostem esse, & eius oua frangere. Herodius (sic uocat aquilam germanam) altissimè uolat, ita ut aues omnes superet. nam si magnæ aues, ut grues & ciconiæ, sublimius ea uolarent, rostrorum acie eam conficerent, Albertus. Ciconia non modo magno uespertilionis odio tenetur, sed hæc etiam illius, Aelianus. Et rursus, Ciconiæ ouis suis pernicię molientes, uespertiliones sapientissime uindicant. Cum hæ itaq; solo suo contactu oua ipsa sterilia efficiant, hoc remedio utuntur ciconiæ: Platani folia in nidos suos inferunt, (quod & Zoroastres in Geoponicis confirmat) ad quæ accedentes uespertiliones, torpore comprehensæ, perniciem afferre non queunt. Ciconiæ serpentum hostes sunt, Isidorus.

E.

Aduenæ aues sunt, quæ certo anni tempore à nobis auolant, certo redeunt: quas cum in auiario amputatis pennis longioribus cludimus, inter mansuetas & domesticas uiuere discunt, feritatemq; exuunt, ut grues & ciconiæ, Gyb. Longolius. ¶ Qui sibi metuit, noctu præsertim dormiens, à uenenosis animalibus, nutriat circa se grues, pauones, cygnos, Auicenna: sed Bellunensis pro cygnis ciconias reponit, quod probo. ¶ Ciconia aduentus sui testimonio ueris initium denotat, D. Ambrosius. ¶ Ex ciconiarum cum carniuoris auibus conflictu in Lycia, si ciconiæ cum suis uicerint, frugum fertilitas futura præsagitur: sin carniuoræ, pecorum prouentus abundans speratur, ut supra in C. ex Kiranide recitauimus.

F.

Ciconia in uetere Testamento inter aues mensis impuras censetur: quanquam illic Hebraicam uocem chasida alij aliter interpretantur, nos omnino ciconiam esse credimus, ut in A. docuimus. Cornelius Nepos scripsit ciconias magis placere quàm grues, cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo uelit attigisse, Plinius. Ciconiæ pullos apponere mensis instituit Rufus Prætorius, ut apud Porphyrionem legimus, Grapaldus. Ciconia etiam pietaticultrix Nequitiæ nidum in caccabo fecit meo, Petronius Arbiter. Ciconiam pauci nunc uelint tangere, nedum esse, ob pastum credo quem è serpentibus & luridis bestiolis colligunt. caro eius eadem ferè quæ gruis est, Platina. Idem hanc auem elixari iubet. Mihi aliquando ciconiæ pullum gustanti caro mollis & humida uisa est. Ibidem, ciconiam & gruem Baptista Fiera in cœna sua, tanquam graues cibos improbat. Ibis (inquit) in antiquos redeatq; ciconia luxus, &c. Remedij quidem causa ciconias ali qui esitabant, ut dicetur in G. Ciconiæ in cibo non laudantur, Tragus.

G.

Ciconia assa elixáue si semel anno edatur, uêre incipiente antequam aduolet (auolet) ad bellum, innocuum & illæsum seruabit quod ad neruos & articulos eum qui comederit. Fugient enim ab eo podagra, chiragra, gonagra, ischias, arthritis, opisthotonus, & quæcunq; neruorum passiones sunt & articulorum, Kiranides. ¶ Ciconiæ pullum (elixatum, Marcell.) qui ederit, negatur annis (multis, Marcell.) continuis lippiturus, Plinius & Marcellus. Si pullum ciconiæ in olla rudi clausa usseris, habebis cinerem illum pro collyrio ad nebulam oculorum, & lachrymarum epiphoram & trichiasin. Quod si collyrium liquidum malueris, mellis acapni quantum sufficit, ut inungi possit, addito, Kiranides. Pelagonius aduersus omnes morbos (aduersus pestem) efficacissimum puluerem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 298 sur 825

credit esse, si pullum ciconiæ nondum adhuc stantem, (uolantem,) sed iam plumas habẽtem uiuum in cacabum (ollam testaceam) mittas, & gypses (gypso illinas,) perustumq; uapore furni, in pulue-rem redigas, & tritũ uitreo uase custodias: (& cum opus fuerit) grande cumulatumq; cochlearium cum uini sextario (cum uino) animalis faucibus infundas, donec recipiat sanitatem, Vegetius de art. Vet. 1. 17. & Hippiatrica Græca cap. 4. In uentrem pulli ciconiæ exenterati necdum uolan-tis imposito unciam camphoræ cum drachma ambræ optimæ: & extillantem chymico artificio li-quorem colliges, ita ut pro coloris mutatione uasa quibus liquor excipitur ter mutes. Hi faciem pur gant & nitidam reddunt, sed postremus præcipuè, Andreas Furnerius in Gallico libello de decora tione naturæ humanæ. Oleum ex ciconijs utilissimum ad inungenda membra paralytica, à Leo-nello Fauentino his uerbis describitur: Ciconia exenterata & deplumata in sufficiente modo olei communis decoquatur donec carnes ab ossibus separentur. Tum carnes per se contritæ ac denuò in eodem oleo coctæ exprimantur. hoc oleum adseruato. habet enim eundem usum cum uiperino oleo ad paralysin, Leonellus Fauentinus. Aliud ad idem: Pullum ciconiæ rostro sub alam incli-nato suffocabis puluino imposito: deinde (incisum nimirum minutatim) in alembico rosario stillati tium ex eo liquorem colliges. & primum membra paralytica decocto cancrorum absq; sale ablue, deinde liquore è ciconia collecto inunges: atq; hoc alternis facere aliquandiu perges. Aiunt quos-dam omnino resolutos, contractos & claudos huius remedij ui egregiè restitutos esse, neruos enim extendit & dirigit, Innominatus in libro manuscripto.

¶ Ciconiæ uiuæ neruos de pedibus, cruribus & alis aufer: qui podagricos & chiragricos, simi-les similibus alligati, sanant, Kiranides. Medicamentum naturale ad fistulam pedum, admodum ce-lebre, & à multis comprobatum: Neruos onagri, & apri, & ciconiæ sumito, ac plicatis inde chor-dis, dextros quidem neruos dextris ægrorum pedibus, sinistros autem sinistris alligato, ac statim dolorem leuabis. Vbi autem dolor conquieuerit, non amplius alligabis, sed ubi rursus dolorem sen serit: ac miraberis, quòd neq; dolor, neq; aliud quid periculosum subsequatur, quemadmodum mul tos attonitos fieri conspicimus, ubi pedes fluxionibus tentari desierint. Nonnulli uerò ciconiæ ner uos alijs non complicant, uerum retinent, mittuntq; in phocæ pellem, ac illigant chordis seorsim absq; neruis ciconiæ plicatis. pedibus ægri similiter illigant dextros dextris, sinistros sinistris, cum Luna est in occasu, uel in signo sterili, & Saturnum ingreditur, Trallianus lib. 11.

¶ Contra uenena omnia ciconiarum uentriculus ualet, Plinius. Echinus (id est interior mem-brana) de uentriculo ciconiæ, lotus in uino & in umbra siccatus tritusq;, bibitur cum uino diluto aqua marina aduersus uenena mortifera, Kiranid. Tradunt aliqui uentriculum ciconiæ uel eius cerebrum cum uino diluto sumptum, additis duobus granis spicæ nardi curare uenenũ cuiuscunq; naturæ, Ferdinandus Ponzetius. Nec capræ nec oues peste inficientur, si ex ciconiæ uentriculo aqua intrito singulis cochleare unum infuderis, Quintilij Geop. Canem à pestilentia seruat pul-uis uentriculi ciconiæ, solutus in aqua, inq; canis os iniectus. idem facit ius elixi eiusdem uentricu-li canis ori infusus, Blondus. Furunculis mederi dicitur uentriculus ciconiæ ex uino decoctus (& impositus,) Plinius. ¶ Intestina eius in cibo sumpta colicos sanant & nephriticos, Kiranides. ¶ Fel inunctum uisum acuit, Idem. ¶ Ciconiæ fimum si ex aqua hauriatur, comitialibus prodesse credunt, Dioscor. Nonnulli ciconiarum fimum potum orthopnoicis auxiliari asserunt, Aegineta. Fu-gienda est materia omnis eiusmodi quæ difficulter comparari potest, qua occasione complures ualidissimas uires talibus materijs testimonio adscribunt suo, ceu non facile redarguendi, uelut qui ciconiarum stercus comitiali morbo mederi scriptitant. Verum quanquam hoc multis alijs quæ scri bunt, longè sit parabilius, curiosum tamen est, ut taceam falsum esse, quod de illo est proditũ. Nam quidam ijs qui talia memorant, credulus, epoto hoc stercore nihil adiutus est. Nam & antequam ex periare promissorum prauitatem ac falsitatem ipsi qui talia scribunt, detegunt. Nam cum multis mo dis difficulter homines spirent, nec quòd omnibus conferant adscribũt, nec quòd his aut huic. Tam etsi sunt inter eos qui talia scriptitant, qui non simpliciter dyspnœæ, hoc est difficilis spirationis, sed orthopnœæ talia esse remedia dicũt, nempe ciconiæ stercus, nec uiuæ sanguinem, urinam humanam & alia his absurdiora, &c. Galenus lib. 10. cap. 27. de medic. facult. Vnguentum multa experien tia cognitum, inueteratæ etiam podagræ accommodatum: Stercoris ciconiæ quadrantem cum pa-ri axungia tritam illinito. Vtere, neq; cuiquã patefacito. multos enim seruauit, Aetius 12. 44. Idem à Nicolao Myrepso præscribitur, hisce uerbis: Emplastrum ciconiæ omnino podagricos sanans, ha bet stercoris ciconiæ, adipis suilli ueteris, singulorum selibram. Fimum ciconiarum, sed de nido ipso dum ciconiæ pullos habent, sumes, & cum axungia uetustissima permiscebis & conteres, atq; emplastri modo pedibus appones, efficaciter podagram sanabis, Marcellus empiricus. Ciconiæ fi mum cum hyoscyami foliis & lactucæ syluestris, podagricis prodest, Kiranides. ¶ Oua ciconiæ cum uino soluta, denigrant capillos, oportet autem cum pasta (farina subacta) frontem & oculos o-perire, ne liquor defluens has partes tingat. Capilli iam tincti, ablui debent, & oleo irino inungi, aut omphacio in quo solutus sit adeps ursinus uel aprinus, Kiranides. Auicẽna oua auis alhabari (tar dam Bellunensis exponit) item oua alocloæ (aliàs alochloch: ciconiam intelligo, quæ aliàs lalath & lacalit dicitur Arabicè) capillos denigrare scribit.

a. Ciconiæ

H.

a. Ciconiæ quasi cicaniæ à sono quo crepitant dictæ sunt, Isidorus. Κικώνειον, auis sic dicta memoratur in Lexico Varini, non alia nimirum quàm ciconia Latinorum. Ciconias Germanis Storcken dictas, πρὸς τὴν στοργὴν, hoc est à mirabili illo affectu & amore quo parentes prolem prosequũtur, et proles illos uicissim, Gasp. Heldelinus pulchrè diuinat. ¶ Sed huic operi exigẽdo quasi quandam machinam commenti maiores nostri regulam fabricauerunt, in cuius latere uirgula prominens ad eam altitudinem, qua deprimi sulcum oportet, cõtingit summam ripæ partem. id genus mensuræ ciconiam uocant rustici, Columella lib. 3. Telonem hortulani uocant lignum longum, quo hauriunt aquas (è puteis,) hoc instrumentum Hispani ciconiam uocant, eò quòd imitetur eiusdem nominis auem, leuantem ac deponentem rostrum dum clangit, Isidorus. Organon quõ ex puteo haurítur aqua celonium inuenio appellatum: ciconiam quidam Latinè dicunt, Cælius. Κηλώνειον, τὸ γεράνιον, Suidas, cum ει. diphthongo in penultima. idem rursus eandem uocem cum iôta simplici in penultima, equum admissarium, ἵππον ὠνθεκτήριον, interpretatur. Sed Hesychio κήλων admissarius est, ὀχευτὴς simpliciter: Celonium uerò tum per diphthongum, tum per iôta simpliciter, lignum quo aqua haurítur, ἀντλητήριον ξύλινον, & κήλων quoq; ἄντλημα. Et sanè uidetur κήλων uox primitiua esse, κηλώνιον diminutiua, ut melius per iôta tantum scribatur. etsi Varinus cum diphthongo scribat, & antepenultimam per ο. breue, deriuans à κάλον, quod est lignum, & uerbo νδύειν, τὸ ἀναδύον καὶ καταδῦον ξύλον. interim tamen geranium, id est instrumentum haustorium paruum interpretatur, quasi uocem diminutiuam agnoscens. Κηλώνιον equum admissarium idem dictum ait πρὸς τὸ κήλειν, quod est calidum, ego πρὸς τὸ κηλεῖν legerim, quod poëtis seruidum significat, & ignis epitheton est. Eustathio κήλων asinus admissarius est, & per metaphorã etiã homo libidinosus, à uerbo κηλεῖν quod demulcere & delectare significat: & κηλωσὸν lupanar, à uerbo κηλόω κηλώσω, cuius turpis significatio sit. Et forte tum κήλων pro libidinoso, proq; admissario iumento, tum uerbum κηλοῦν pro σωρεύειν, (ut uidetur,) metaphoricè à sordida plebe sic dicta sunt, ὅτι τῷ ὁμοίῳ κήλωνι ἀντλητηρίῳ κίνησιν πρὸς τὸ σωρεύειν, ut κηλοῦν sit Græcis quod ceuere Latinis. Nos lignum illud oblongum, quod alteri in terram infixo transuersum imponitur, ut anteriore sui parte (cui funis cum urna appẽditur) ceu rostro gruis ciconiæúe instar nutans, in puteum demittat, urnam, renuensq; extrahat, uocamus ein brünnenschwenckel. Aliqui simpliciter perticæ oblongæ absolutę, funem cum uase appendunt, & perticam manibus demittunt in puteum: quam ipsam quoq; aliquis celonem uel celonium dixerit, ut & perticam illam qua per canalem in puteo inserta (instrumento quali sentina nauiũ exhauritur) aqua per eundem canalem regurgitat: Et forte hoc est quod Hesychius scribit, κήλων ὁ ἐν τῇ νηῒ λεγόμενος. Isidori uerba qui hoc instrumentum telonem uocat, Sipontinus etiam repetit: Sed eruditi quidam tollonem potius uel tollenonem uocandum conijciunt. Nam tolleno, genus est machinæ, ut ait Festus, à tollendo dictum, quo trahitur aqua in alteram partem prægrauante pondere, à tollendo dictum. Collectis rursus animis in arietes tollonibus libramenta plumbi aut saxorum, stipitésue robustos incutiebat, Liuius 8. belli Maced. Vel tollenonum haustu rigandos, Plinius lib. 19. Heus sic tolloni gratia? cape hanc urnam tibi, Plautus Rud. Tolleno describitur à Vegetio 4. 21. ¶ Πελαργὸς ciconia Græcis dicitur, uocabulo composito ex contrarijs. nam πελὸν (oxytonum) nigrum seu liuidum significat (ut & πελιδνὸν, uel πελιὸν: unde πελιώματα, liuores, uíbices, suggilata,) & ἀργὸν album, Eustathius, Suidas, Etymologus. ὅτι τὸ ἔχειν πρὸς μελανόδρα ἢ λύκας, Suid. lego, μέλανας καὶ λύκους, ut & Eustathius habet in Iliad. λ. & Etymologus. Πελαγὸς pro πελαργὸς poëticum est, rhô litera omissa, Etymologus. Κικυψ, ciconia, ut Gelenius in Lexico symphono scribit. ego hãc uocem nusquam reperio. Proxima quidem huic uox est cucupha, κουκοφᾶ. scribit autẽ in Hieroglyphicis Orus Aegyptios gratitudinem significantes, cucupham pingere. ubi Mercerus interpres in Obseruationibus suis cucupham, ciconiam esse conijcit. sed quærendum an forte upupa sit, quæ ipsa quoque à pietate in parentes celebratur, eoq; nomine apud Aegyptios in honore est, ut Aelianus refert. Erodium auem, ῥωσθὸν Suidas ciconiam esse putat, aut ciconiæ símilem: nos omnino ardeam esse suo loco ostendimus. Ybos uel ibis pro antho aue apud Albertum legitur: qui eam stultè eandem ciconiæ facit. sed & recentiores quidam ibidem cum ciconia confundunt. Insula Heroum è regione Borysthenis fluuij sita uocatur etiam Leuce, ab auibus albis. nam κινώπτερα λύκαι aues albas Eustathius illic interpretatur. intelligit autem fortè (inquit) laros albos, uel secundum alios ciconias.

¶ Epitheta. Candida pennis ciconia, Ouidius 6. Metam. Glotorans, apud Textorem. Ciconia etiam grata peregrina hospita, Pietaticultrix, gracilipes, è tota Istria (Crinitus & alij legunt choraliistria, quod placet,) Auis exul hyemis, titulus tepidi temporis, Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo, Petronius Arbiter. ¶ Μακροὶ πελαργοὶ, Philes. Ζαείκου, epitheton ciconiarum, Hesychius. sed uidetur potius peculiare in aliqua lingua ciconię hoc nomen substantiuum esse. ad Germanicum sanè Storck alludit.

¶ Derisuri aliquem digitis dextræ manus in unitatem collectis ueluti ciconiæ rostrũ effingunt, & manum post tergum eius motitantes deridẽt. Persius, O Iane à tergo quem nulla ciconia pinsit. Vnde paulò post posticam sannam appellat: Posticæ occurrite sannæ, hoc est derisioni quæ post tergum fit, Perottus. A ciconia fit ciconinus, ut ciconinum rostrum, Idem.

¶ Πελαργισταὶ Aristophani & Aeliano dicuntur, ciconiarum pulli: ut ἀετισταὶ aquilarum, Suid.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 300 sur 825

Videtur autem forma patronymica. Πελαργίδης, ὁ παρὰ πελαργὸν (malim πέλαργον, cum rectum πέλαργος oxytonum ferè semper ab eruditis scribi inueniam) γόνος, Varinus in Λαγωός. ¶ Πέλαργος, genus uasis fictile, Hesychius: nimirum à figura rostri prominentis. unde & alembica uulgò dicta, hoc est uasa rostrata, in quibus uapores per halitum ui ignis euecti è uasis subiectis (cucurbitas uocant) in liquorem densantur, & cauo limbo excepti per rostrum destillant, non ineptè pelargos aut ciconias nominaris. Λάϊνον, λίθινον, πέλαργον, Hesychius: denotans fortè eiusdē figuræ uasis genus lapideum. Varinus nihil tale habet. ¶ Ὀρεοπέλαργος, id est ciconia montana inter aquilas dicta est. ¶ Pelargítis herba, πελαργῖτις, ac si ciconiariam dicas, nominatur apud Galenum de compos. med. sec. locos lib. 9. cap. 2. sect. 3. inter remedia splenicorum ex Asclepiade. propinantur eius tritæ cochlearia duo cum aceto mulso. Cornarius fatetur se ignorare quæ herba sit: quod & ipse fateor, coniicio tamen geranium primum esse, quod inter nomenclaturas Dioscoridi adscriptas pelonitis etiam nominatur, quanquam nulla ei ad lienem uis attribuitur. Vasorum quidem quæ femina includunt figura, ut gruis rostro confertur, unde gruinaria dicitur, ciconiæ etiam rostro rectè conferri potest, quare & à Germanis ab utriusq; auis rostri similitudine appellatur, storckenschnabel/kranichschnabel. ¶ Πελαργᾶν Pythagoræ significabat consulere & admonere, Suidas & Varinus. Πελαργικοὺς νῆας apud Lycophronem dicuntur naues ciconiarum coloribus tinctæ, hoc est atro & candido discretis, Eustathius & Varinus in Μίλητος. A Lycophrone naues ciconias appellari crediderim, quòd ut hæ superiore corporis parte albis, inferiore nigris sint pennis: ita naues albo uelo utantur, cætera parte propter picem, qua oblinuntur, nigra, Gasp. Heldelinus. Pelargicæ, id est ciconiariæ leges, πελαργικοὶ νόμοι, ab Aristophane dicuntur, quæ parētes à liberis nutriri, ἀντικρίφιδα, sanciunt, Suidas: ut supra in D. recitauimus.

¶ Icones. Ciconia super sceptris regum antiquitus sculpebatur, hippopotamus in imo, ut uiolentiam & impietatem iustitiæ pietatiq; apud reges præsertim cedere & subijci debere innueretur: ut supra in D. docuimus. ¶ Apollonius Tyaneus olim cum ciconias marmoreas pinxisset, è Byzantio ueras expulit, Io. Tzetzes 2. 60. Non ciconiam, ut Grammatici quidam putarunt, sed cornicem concordiæ symbolum esse Politianus in Miscellaneis ostendit. uide in Cornice. Aegyptij ut parentis amatorem significent, ciconiam pingunt. hæc enim à parentibus enutrita non separatur ab illis, uerum ad ultimam usq; senectutem permanens parentibus uictum sufficit, Orus.

¶ Propria. Ciconius nomen eius qui Brixiam condidit, ut quidā tradunt. Cicones Homero populi Thraciæ sunt iuxta Hebrum, sed his nihil commune cum ciconia aue, cum eius appellatio hæc Latina sit. ¶ Varus Pergæus sophistes à forma nasi Pelargus cognominabatur, id est ciconia, Cælius. Pelarga Potnei filia Pausaniæ memoratur. Πελαγικὸς apud Aristophanē in Auibus Neptuni cognomen est, pro Pelasgico, ut ad pelargum, id est ciconiam alluderetur, quemadmodum & Sunieracus ibidem pro Suniarato cognominatur, ut alluſio fieret ad accipitrem, quoniam in auium rep. sermo est: uel pro pelagio, quoniam pelagi præses est Neptunus, ut Scholiastes monet. In eadem fabula memoratur pelargicus murus, Πελαργικὸν τεῖχος, qui Athenis in arce fuit: cuius & Callimachus meminit, Τυρσηνῶν τείχισμα Πελαργικόν. uocat autem murum Tyrrhenum, quòd à Tyrrhenis suffossus & dirutus sit: quos qui uiderant pelargos nominabant, propter sindones quas gestabant, Etymologus. Erant nimirum sindones illæ albo & atro coloribus distinctæ, à quibus etiā monachorum & monialium nescio quæ genera hodie pelargos & pelargas dicere possis. Didymus Pelargicum murum in petris situm fuisse scribit. Coniecerim ego ita dictum quòd super eo forte ciconiæ nidificarent: ut & Pelargicum collem album in Iouis Dodonæi luco, cuius mentionem facit Eustathius Iliad. π. ubi Iupiter Pelasgicus cognominatur: alia lectio Pelargicus habet, inquit Eustathius, à colle prædicto. Πελαργοὶ fabula sic inscripta ab Aristophane citatur ab Athenæo.

¶ b. Ciconia candida pēnis, Ouidius 6. Metam. Gracilipes, Petronius Arbiter. Auis quam Galli uulgò flambant uocant, Bellonius phœnicopterum interpretatur, ciconiæ similis esse fertur, sed rostro recuruo, breuiore, tota est alba: partes uerò alarum rubent, quæ in ciconijs nigræ sunt.

¶ c. Ciconia (chasida) pro mansione sua habet abietes, Psalm. 103. interprete Munstero. Ciconia (chasida) in cœlo cognouit tempus suum, Hieremiæ 8. Choraliſtria, epithetō ciconiæ apud Petronium Arbitrū à uocis aut soni potius crepitatione. quærendū an legi possit crotaliſtria. est enim crotalum instrumentum quod manu pulsatur, laminis quibusdam ex ære rotundis, sonum ex collisione reddentibus. Auis exul hyemis, apud eundem. Quum Pompeius Magnus animi releuandi gratia ad ædes Luculli in Tusculano forte se contulisset, Lucullum culpauit, quòd ædes magnis quidem æstatis caloribus adpositas, cæterum sæuiente hyemis rigore incommodissimas eduxisset. Cui subridens Lucullus, prudenter, ut solitus, respondit: An uerò, ô Pompei, minus tibi nos quàm ciconiæ mentis habere uidemur, ut non cum ipso pariter tempore sedem quoq; permutemus?

¶ e. Pelargi uictoris cor in accipitris aut uulturis uicti pelle ligetur, scribaturq; in corde, Quoniam uici aduersarios, hoc amuletum dextro brachio alligatum quicunq; gestârit, inuictus erit & admirabilis in bello & certaminibus omnibus, potieturq; indubia uictoria & magna, Kiranides.

¶ h. Gaspar Heldelinus Lindauiensis ciconię encomium doctissima declamatione nostra memoria condidit. Quis dedit ciconiæ (chasida) pennas & plumas? Iob 39.

¶ Circa Thessaliam aiunt tantam serpentium uim prouenire, ut nisi à ciconijs conficerentur, incolas

incolas pellerent. Quamobrem ciconias honore afficiunt, & ne quis occidat lege sanxerũt, eadem in eum qui occiderit pœna decreta qua homicidas puniunt, Aristot. in Mirab. & Plinius. Noceri eis omnibus quidem locis nefas ducunt, sed in Thessalia uel maximè, ubi serpentium immanis copia est: quos dum escandi gratia insectantur, regionibus Thessalicis plurimum mali detrahunt, Solinus. Thessali ciconias colunt, eò quòd serpentium magnam multitudinem in regione (aliquando) perdiderint. quare lege sanxerunt, ut exilio mulctetur quisquis ciconiam occiderit, Plutarchus in libro de Iside & Osiride. Ciconiæ apud Aegyptios eò uenerationẽ habent, quòd senectute affectos parentes alunt, Aelianus. ¶ Ciconiam non ut grues prodigium facere dicunt: sed in auguriis haud dubiam ferre concordiæ significationem, Alexander ab Alex. Anno à Christi natiuitate 454. cum Attila Aquileiam obsideret, ciconias animaduertit quæ in turribus ciuitatis nidificauerant, uno impetu ex urbe migrare atq; fœtus suos exportare: unde magnam in urbe famẽ esse coniecit, & milites hoc auspicio exhortatus tanquam urbem interitui proximam ciconiæ desererent, urbem cepit. Aues hominibus deorum uoluntatem nunciant, Iunonis ciconia, Mineruæ crex & noctua, Porphyrius lib. 3. de abstinendo ab animatis. Si animantium cruore afficiuntur superi, cur non mactatis illis uulturios, ciconias, &c? Arnobius lib. 7. contra gentes.

¶ In Germania quidam, ut fertur, stultitiam simulans propter paupertatem, liberos suos in ciconiarum nidum imposuit tanquam ab illis alendos: quo animaduerso annona à magistratu donatus est. ¶ Pallas apud Ouidium Metam. 6. cum Arachne contendens, in tela sua Antigonen pinxit ausam contendere quondam Cum magni consorte Iouis: quam regia Iuno In uolucrem uertit: nec profuit Ilion illi, Laomedónue pater, sumptis quin candida pennis Ipsa sibi plaudat crepitanteciconia rostro. Alexander Myndius ciconias scribit exacta ætate decursaq; circum Oceanitidas insulas uolantes, hoc præmium pro pietate, quam gesserint aduersus parentes, assequi, ut ex auibus conuertantur in homines: quod existimo confictum, ob pietatem & sanctitatem hominum illarum insularum, Aelianus. De ciconia rege dato ranis à Ioue fabulam inter Aesopicas legimus, quam G. Heldelinus in Ciconiæ encomio elegantissimè describit.

¶ Prouerbium ἀντιπελαργεῖν, ac si reciconiare dicas, ut retaliare, explicatũ est supra in D. O Iane à tergo cui (aliqui legunt, quem) nulla ciconia pinsit, Nec manus auriculas imitata est mobilis albas, Persius Sat. 1. id est, quem nemo digitis dextræ manus in unum collectis ad instar rostri ciconiarum ridet. Verbi pinsere (quod à Græco πτίσσειν factum uidetur) nota est significatio, unde & pistillum & pistrinum dicimus ac pistorem. Pinsebantur enim in pilis olim fruges, pistillo subinde alternis immisso eleuatoq;. unde hordeum sic suis corticibus exutum ptissanam uocant, cum prius ἄπτισον, hoc est integrum nec decorticatum esset.

¶ Alciati emblema, inscriptum, Gratiam referendam,

Aërio insignis pietate ciconia nido, Inuestes pullos pignora grata fouet.
Taliaq; expectat sibi munera mutua reddi, Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

DE AVIBVS CICONIAE SIMILIBVS.

TRINCOS auis nominatur Monspessuli in Gallia, ut audio, auis ciconiæ persimilis, minor tantum: quæ serpentibus similiter uescitur, sed regionẽ non mutat. ¶ Est & circa Oceanum Germanicum, ut in Dania, auis magna ciconiæ similis, paucę carnis, quam ONSCHVAL Germanicè uocitant. ¶ Oppianus in Ixeuticis meminit auis innominatæ, quæ ciconijs similis sit, sed minor, rostro magno & acuto ensis instar, serpentium hoste, &c. ut recitauimus supra in Ciconia D.

¶ De ibide, quam aliqui ferè colore tantum & rostri aduncitate à ciconijs differre putant, suo loco dicetur. Strabo eam magnitudine & figura ciconiæ persimilem esse scribit: item de Phœnicoptero alibi.

DE CICONIA NIGRA.

INVENITVR etiam genus ciconiæ dorso omnino nigrũ, uentre subalbum, quod non in locis habitatis ab hominibus, sed in paludibus deserti nidificat, Albert. Idem ex Aristotele de historia anim. 9. 6. pro ichneumone (quanquam eam uocem ex Auicenna corrupte legit anschycomon & thyamon) ibidem interpretatur, quæ sit auis Aegyptia, nempe ciconia tota nigra in dorso, & inuenitur etiã fusca, (grisea,) inquit. Nos hanc ciconiam nigram appellamus, ein schwartzer Storck: quæ sæpe reperitur in montanis & syluosis Heluetiæ locis, ut circa Eremum D. Virginis, circa Lucernam oppidum, circa Tosam fluuium, & alibi. Forma & magnitudine à ciconijs propriè dictis non differt. Nidulatur in arboribus, præcipuè abietibus, quòd si rostrum aduncum haberet, ibidum generi adnumerassem. nunc cum id ei rectum sit, ciconijs subiungere placuit. Ciconia nigra quam ipse uidi Septembris initio captam cis Alpium montem non procul ab urbe nostra dissitum, huiusmodi erat: Dorsum colore eminus totum nigrum apparebat: sed si propius inspiceres uanelli uel corui syluatici colorem referebat, in quibus color niger, si



propius conſideres, cum uiridi uel ſubcœruleo & pauco purpureo mixtus uidetur. Ventri & lateribus ſub alis color albus. Auis tota à principio roſtri ad extremos pedes extenſa, dodrantes quinq; cum dimidio excedebat. Roſtrum magnum & ualidum erat, colore puniceo, ut crura etiam ac pedes. Longitudo roſtri ſuperne à mucrone extremo modicè deorſum inflexo, uſq; ad initium plumarum capitis, digiti octo. Oculos pellicula rubra ambiebat, orbicularis, niſi ante & retro in angulos deſineret. Collum pedem ferè uel digitos quatuordecim longum: Ala dodrantes quatuor, ſi ad finem longiſſimæ pennę in rectum quoad fieri poteſt extenſæ menſura procedat: cauda dodrantem: & ſimiliter cruris pars ſupra genu ad coxã: inferior uerò pars à genu ad pedem paulò breuior erat. Corpus item inter collum & caudam dodrãtale. Dorſum & pectus latiuſcula, ut in anſere ferè. Digiti pedum diuiſi, apparebat tamen initium quoddam membranæ palmipedum, præſertim inter duos longiores digitos. digitus medius quinq; digitos longitudine æquabat. Lingua breuiſſima. Pondus, libræ medicinales ſeptem cum dimidia. Longiores in alis pennæ magis quàm cæteræ nigricabant. Qua parte alæ iunguntur corpori, oblonga cauitas retrorſum extenſa cernebatur. Anterior pars pennarum intra poſteriores condebatur. Inteſtina erant inuoluta. In femore diſſecto neruos quatuordecim inueni magnitudine differentes, quorum duo latiſſimi in genu partem cartilagineam ſe inſerebant utrinq;, ſex alij minores erant, tres minimi. Poſtremò tres planiori parti incumbentes minimis aliquanto maiores. Fel uiride erat. In uentre apparebant quiſquiliæ quædam ſtercoroſæ ceu fimi bubuli, & inter eas reliquiæ quædam ſcarabeorum uel locuſtarum, nempe capita & uaginæ, quarum quædam erant diſcretæ ceu cortex in hippuri: Vnde coniicio eam tum herbis tum cruſta tectis inſectis ueſci. Sono eam crepitare aiunt ſimiliter aliis ciconiis. ¶ In cibo ferini admodum odoris eſt, & ferè piſcoſi. Videtur prius elixari debere, tum aſſari & aromatibus condiri. caro eius paulò minus rubet quàm troctæ uel ſalmonis. adeps etiam nonnihil rubet. Caro mihi guſtanti ſat bona & dulcis uiſa eſt, ſed pellis tenacior eſt, & grauiter olet, ut eam detrahi præſtet. & forſan ea detracta, præcedente elixatione nihil opus fuerit. Pediculis infeſtatur.

DE CINA-

DE CINAMOMO AVE.

CINNAMOLGVS (apud Plinium, aliâs cynamulgus) auis Aristoteli cinnamomus uocatur, nisi quis κιννάμολγον, non κινναμωμον, in eo quoq; scribendum censeat, Hermolaus in Plinium. Ego omnino cinamomum duntaxat scripserim, à cinamomo aromate; ut ex sequentibus apparebit, idq; per n. simplex. nam apud Græcos semper κιναμωμον scribi reperio pro aromate simul & aue apud medicos, Theophrastum, Aelianum, Philem, Dionysium & eius interpretem Eustathium. ὄρνιθον δ' ἐτράφθην ἀοικήτων ἀπὸ νήσων Ἥλθον φύλλα φορέοντες ἀκηράσιον κιναμώμου, Dionysius in periegesi. Nestor etiam Grammaticus contendit cinamomum prima syllaba correpta scribendum, quanquam poetę aliquando carminis gratia produxerint. Atqui cinnamum eadem significatione, apud Martialem, Ouidium, Claudianum poetas n. duplici scribitur, & Plinium quoq; lib. 10. & Solinum, unde & cinnamologus dici posset hæc auis, quam uocem in Pliniano indice reperimus, ut spermologũ & cinipologum aues dicimus. nam cur cinnamolgus aut cynamulgus scribatur, nulla planè ratio est. Plinius in fine lib. 12. Historiæ naturalis, diuersi etiam cinnami meminit: quod (inquit) caryopon appellant. Hic est succus nuci expressus, multum à surculo ueri cinnami differens, uicina tamen gratia, (unde nomen quoq; idem conijcimus impositum,) in Syria nascens. Id forte carpesium fuerit, cum & nomen alludat, & pro cinnamomo substituatur, & in Cilicia Syriæ uicina nasci dicatur: quanquam fructus cubebæ, quæ carpesium creditur, acinus uel bacca potius quàm nux est. zibibas quidem uuas puto Arabica aut uicina lingua uocari. Videtur sane mihi Hebraica uel Arabica huius uocis origo esse, siue à ken, כֵּן, id est nido, quòd in Arabia ex nido auis eodem nomine dictæ sagittis decuteretur: siue à kaneh, קָנָה, quæ uox cannam & arundinem significat. est enim cinamomum cortex fruticis figura cannæ seu canalis instar, unde & Galli hodie uulgo canellam uocitant.

¶ In Arabia cinnamomus (τὸ κιννάμωμον, genere neutro) auis appellatur, quam surculos cinnamomi portare, ac nidum ex his conficere aiunt. nidificat excelsis arboribus & ramis: sed incolæ sagittis plumbatis nidum petunt, atq; ita discusso in terram cinnamomum legunt, Aristoteles, Aelianus & Philes. In Arabia cynamolgus (aliâs cinamomus) auis appellatur, cinami surculis nidificat. Plumbatis eos sagittis decutiunt indigenæ, mercis gratia, Plinius. Phœnix rogos suos struit cinnamis, Solinus. Et mox, Cinnamolgus perinde Arabiæ auis, in excellentissimis locis texit nidos è fruticibus cinnamorum: ad quos quoniam non est peruenire propter ramorũ altitudinem & fragilitatem, accolæ illas congeries plumbatis petunt iaculis, deiectasq; pretijs uendunt amplioribus, quòd hoc cinnamum magis quàm aliud mercatores probent. Dionysius Afer cinamomũ canens ex insulis inhabitatis ab auibus eiusdem nominis afferri, terram quæ cinamomũ ferat ignotam esse insinuat, quod & Herodotus scribit. conijcimus tamen insulas aliquas circa mare rubrum intelligi. Apud Aristot. tum surculos ipsos, tum aues ex illis nidũ struentes (κινναμωμα τὰ) cinamoma (genere neutro plurali, quod apud Græcos commodius fit, apud quos ὄρνεον etiam generale auium nomen, neutrum est, ego nullum præterea neq; apud Græcos neq; Latinos auis nomẽ neutri generis noui) dici apparet, Eustathius. Cinamomum Arabes mirabilius quàm thus aut casiam legunt. nam aut quo modo, aut qua in terra gignatur, illud nequeunt dicere: nisi quòd probabili ratione utuntur quòd quidam uolunt id gigni in his regionibus, ubi Dionysius educatus est: & ipsas cinnamomi fetucas afferri à grandibus quibusdam alitibus ad nidos è luto constructos in præruptis montium & homini inaccessis. Contra quas hoc Arabes excogitauerunt: Boum asinorumq; defectorũ, & aliorum iumentorum membra minutatim concisa, in ea loca portant: & ubi iuxta nidos posuere, procul abscedunt. Ad hæc frusta delapsæ uolucres, ad nidos suos carnem comportant: cui sustinendæ impares nidi, ad terram discissi labuntur. Tunc Arabes ad eos colligendos accedunt, Herodotus lib. 3. Cinnamomum fabulosa narrauit antiquitas, princepsue Herodotus, auium nidis, & priuatim phœnicis, in quo situ Liber pater educatus esset, ex inuijs rupibus arboribusq; decuti, carnis quam ipsæ inferrent pondere, aut plumbatis sagittis, Plinius. Et mox, Omnia falsa: siquidem cinnamomum, idemq; cinnamum, nascitur in Aethiopia, &c. ¶ Cynamulgos auicula in Aethiopia de cinamomo nobiliore nidum texit, &c. hæc auicula cum suis interaneis non euiscerata comeditur, propter aromaticum odorem eorum quibus nutritur, Albertus sine authore. Nos apud Plutarchum rhyntacen auiculam legimus apud Persas nasci, in qua nihil inueniatur excrementi, sed interna omnia adipe plena sint: unde eam aëre atque rore solum nutriri arbitrantur. ¶ Idem Albertus Aristotelis ex hist. anim. 9. 14. de alcyone locum transferens, alcyonem cum cinamomo aue imprudenter confundit: ut & alij eum secuti ineptissimi scriptores.

CINDAPSVS, Κινδαψός, auis quędam, Suidas, Hesychius & Varinus. Est & musicum instrumentum eiusdem nominis, ὄργανον κιθαριστήριον: (pro quo etiam σκινδαψός legitur in Lexico uulgari, nescio quàm rectè,) eadem uoce Indus significatur, Hesychius.

CINOPEON, Κινώπεον, ὄρνεον, Varinus: tanquam certa quædam auis species hoc nomine indicetur: uel potius auis in genere. Ego κινώπεπον legendum suspicor: quæ uox aliquando auem in genere significat. Nam apud Dionysium Afrum κινώπεπα λόγκα Eustathius aues albas interpretatur, ut scripsimus in Ciconia H. a.

CINNYRIDES, Κιννυρίδες, auiculæ paruæ, τὰ μικρὰ ὀρνιθάρια. Hesychius & Varinus: per ono-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 304 sur 825

matopœiam fortè ſic dictæ, ſiue quis in genere (propter τὰ articulum adiectum) quaſuis paruas auſculas hac uoce deſignari putet: ſiue certam aliquam ſpeciem. Nam & κίσσιες, & κίσιφις, ſpecies auis, apud eoſdem legitur.

DE CNIPOLOGO, QVEM CVLICILEgam Gaza interpretatur.

ARISTOTELES hiſtoriæ anim. 9. 3. picorum genera enumerans, poſt dryocolapten ſiue pipram, id eſt picum Martium maiorem minoremq́, & coliòn (galgulum interpretantur) ſiue picum uiridem, qui omnes non alio magis uiuunt quàm uenatu uermiculorum circa arbores lignaue naſcentium, quos Græci κνίπας uel σκνίπας uocant: In ijs (inquit) eſt & auis quæ proprio nomine κνιπολόγος dicitur: magnitudine parua, quanta eſt acanthylis, colore cinereus, diſtinctus maculis, uoce parua, hic etiam lignipeta eſt. Gaza pro cnipologo culicilegam uertit, quod non placet. Etſi enim cnips uel ſcnips apud Græcos aliquando pro culice aut inſecto uolucri accipiatur, tamen cum certum ſit coſſos, id eſt uermes qui ligna erodũt σκνίπας dici, & pici (inter quos hic minimus eſt) coſsis uermiculisq́ magis quàm culicibus uictitent, unde & dryocopi & xylocopi, id eſt lignipetæ dicuntur, cum culices uenandi gratia, ligna roſtro impetere nihil opus ſit, cnipologon Græcum uocabulum potius relinquere, quàm culicilegam cum Gaza Latinè dicere uiſum eſt. CVLICILEGA uerò alia auis fuerit, κωνωπυθήρας à uenatu culicum Heſychio & Varino dicta. Albertus cnipologi deſcriptione ex Ariſtotele poſita, ut iam recitauimus, in picorum genere: hæc etiã auis (inquit) uocatur apud nos picus generali nomine.

¶ Guil. Turnerus in libro de auibus cnipologon facit motacillæ genus albo nigroq́ uariè diſtinctum, deceptus nimirum translatione: ut Eberus & Peucerus quoq́, qui cnipologon Germanicè interpretantur **Fliegenſtecher**, id eſt muſcipetam. hæc (inquiunt) à motacilla differt, quanquam & ipſa caudã moueat, muſcas uenatur & culices, colore cinereo maculis diſtincto, uoce parua, magnitudine ſpini. Sed Turnerus poſtea re melius perpenſa, in familiari ad nos epiſtola: Culicilegam Ariſtotelis (inquit) in terra Bergenſi (in Britannia) uidi, tota cinerei ferè coloris eſt, & ſpeciem habet pici Martij.

¶ Eſt apud nos auicula minima in ſyluis lignipeta, uariè diſtincta, per arbores reptans & coſſos diſquirens, quam Turnerus certhium uel certhiam Ariſtotelis eſſe coniecit, cuius figuram & deſcriptionem ſupra dedimus in Certhia, ubi plura de hac auicula leges, cui ſi color cinereus conueniret, omnino cnipologon faceremus. nunc cum colore differant, natura tamen et genere aues proximas eſſe dicemus. Vtriq́ natura pici, hoc eſt circa arbores uerſari, & coſsis uiuere. nam certhiam θειποφάγον Ariſtoteles facit, ut cnipologon κνιποφάγον. utriq́ magnitudo exigua. Sed cnipologo uox parua, φωνὴ δὲ μικρὰ, Ariſtoteles. certhiæ clara, φωνὴ λαμπρά. ¶ Culicilega, hoc eſt cnipologos ueterum Græcorum, hodie à Græcis ſuſurada uocatur, à Gallis bergeronnette, ſimilis aui cui apud Gallos nomen lauandiere, (alaudam criſtatam eſſe puto,) Bellonius.

CLIVINAM quoq́ auem ab antiquis nominatam animaduerto ignorari, quidã clamatoriam dicunt, Labeo prohibitoriam, Plinius. Ego non certam aliquam auem, ſed quæcunq́ in auſpicijs aliquid ſuo clamore fieri prohiberet, ſic dictã ex uerbis Feſti coniecto. Is enim, Cliuia (inquit) auſpicia dicebant antiqui, quæ aliquid fieri prohibebant. omnia enim difficilia, cliuia uocabant, unde & cliua, loca ardua.

DE COCCOTHRAVSTE.

A.



COCCOTHRAVSTES, κοκκοθραύστης auis quædam eſt, Heſychius & Varin. Nos hoc nomine appellare uoluimus auem cuius effigiem in ſequenti pagina damus, quod roſtro ſuo coccos & interiora grana ſiue oſsicula ceraſorum confringere ſoleat, ut nucleis ueſcatur. Italice friſon uel fruſone nominatur, uel griſon: & circa Verbanum lacum franguel ſy montagno, id eſt fringilla montana. Gallicè choche pierre: & alibi (ut audio) caſſenoix, id eſt nucifraga, quod nomẽ Caryocatactæ aui ſupra deſcriptæ magis cõuenire uidetur. Germanicè **Steinbyſſer**, **Klepper**, apud Heluetios: **Kernbeiß**, in Auſtria: **Kirßfinck**, circa Francfordiam ad Mœnum: & alibi **Kirſeſchneller**. Eberus & Peucerus acanthidis duo genera faciũt: minus (inquiunt) quod nõ ualde diſsimile carduelí colorem ex albo nigroq́ mixtum habet: nos etiam **Diſtelfincken** uocamus. Maius fringillam duplo excedit, cætera ferè ſimile, Germanicè dictum **Kirchfincken**, (lego **Kirßfincken**,) & **Kernbeyſſer**, colore utrunq; genus ignobile, ſed ualet & commendatur amœnitate uocis, Hęc illi. Audio etiam **Bollebick** alicubi uocari, hoc eſt gemmiuorã, quòd gemmas arborum comedat, ſicut illa quæ per onomatopœiam à noſtris **Gügger** dicitur. Auem etiam cui à uiriditate nomen apud nos, ut Turnerus ſcribit, aliqui **Kirßfinck** appellant, ſed legendum arbitror **Hirßfinck**, à milio quo in cibo utitur. Eſt & alia auis **Steinbyſſer** dicta, quòd calculos puto in ripis fluminum roſtro feriat dum muſcas petit, de qua in Motacilla dicemus. hanc enim Turnerus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 305 sur 825



nerus cinclum esse coniicit. Coccothraustes noster lingua Turcica, ut audio, giégen uocatur.

B.

Magnitudo ei alaudæ aut loxiæ nostri. Rostrum durum, ualidum, breue, latum, simile ferè rostro auis quam Gügger uocamus, maius, fuscum. Color capitis (in fœmina) charopus uel ex flauo ruffus, in pectore & uentre ex cinereo rubicundus. Pennæ alarum superius nigricant, in medio albent, in imo coloris ferè cœrulei uel indici sunt, item minores aliæ superinnatæ partim albicant, partim charopæ sunt. Pennis nigris rostrum inferius ambitur, & similiter oculi. Collum pronum & utrinq; ad latera plumis uestitur cinereis. dorsum ex ruffo nigricat. propius caudam charopæ sunt pennæ, extremæ in cauda albicant.

C.

Capitur in syluis, & in cibum uenit. Cerasorum ossa frangit & nucleis uescitur. Cantu peculiari nec insuaui utitur, cymbalorum (ut audio) ferè æmulo. caueis tamen includi non solet, nisi raro forte. Nam nuper auceps quidam, ut rem ridiculam ostentaret, turdi genus Bohemicum (ut Germani appellant) in cauea inclusit, idq; cerasis aridis pasci assuefecit. quæ cum turdus integra deuoraret, ossicula cerasorum quæ subinde excernebat, in subiectam caueã cui inclusus erat coccothraustes delapsa, illum alebant. ¶ Nidificat, ut audio, in arborum cauis, æstate rarius, hyeme frequentius apud nos uisitur. ¶ Itali hominem crassi ingenij, & deceptu persuasuq; facilem significantes, coccothrausten crassi rostri appellant, Tu sei un frisone da l' becco grosso.

DE COERVLEO.

NOVIMVS & saxatilem auiculam quandam, cui nomen cœruleus (cyanos, κύανος proparoxyt. quamuis apud Hesychium oxytonum legitur.) quæ maxime in Scyro colit, saxa amans, magnitudine minor quàm merula, maior paulò quàm fringilla. pede magno est, scanditq; saxa. colore tota cœruleo, rostro tenui (ῥύγχος χαλεπὸν, Gaza legit λεπτὸν, cui astipulatur etiam Alberti translatio quæ habet gracile: uetus interpres, angustum) & longo crure breui similiter ut pipo (ἵππος. Gaza uidetur πίπρα legisse, pro qua uoce etiam alibi pipo trãstulit) est, Aristoteles. Turnerus cœruleum coniicit esse auem quæ Anglicè uocetur a clotburd, a smatche, an arlyng, a steinchek: & Germanicè ein Brechuogel. Hanc inquit in cuniculorum foueis & sub lapidibus in Anglia nidulari, & hyeme non apparere. Sed Brachuogel apud Germanos aliarum etiam auium nomẽ est, ut Arquatæ supra descriptæ, & auis cuiusdam circa aquas degentis proceris cruribus, quarum neutra cœruleus esse potest. Ego Turneri cœruleum non agnosco: ut neque Eberi & Peuceri qui cœruleum interpretantur Klein Zimmer, id est turdum minorem. nullum enim turdum cœruleum nouimus. Est apud nos pici genus paulò maius fringilla, dorso cœruleo, & rostro tenui longoq;, uulgò Chlân appellant: quod an cœruleus sit, inquirẽdum. Huic similem colore aiunt esse auem quæ Steinrötele appellatur, in Austria & alibi, à saxis imposito nomine, dorso cœruleo, uentre rubicundo, suauiter canora: muris adhærens, & in eis nidificans. Omnino sanè cœruleum de genere picorũ esse coniecerim: cum & crure similiter breui ut pipra sit: (pipra autem (uel, ut Gaza uertit, pipo) Aristoteli nõ alia auis quàm picus est,) & eo ad scandendum apto: & rostro etiam ut picorum genus oblongo;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 306 sur 825

Auis, cui cyanus nomen est, natura sua ab hominum consuetudine abhorret, urbanas commorationes odio persequitur, locorum agrestium ubi homines uersari soleant insolens est. eis locis in quibus est ab hominibus solitudo, & montium iugis, & præcipitijs delectatur. Epirum & insulas hominum frequentia habitabiles, haud sanè in amore habet: Scyro, & si qua est eiusmodi alia sterilis, & ab hominibus inops, delectatur, Aelianus.

¶ Auis quam cyanon Aristoteles, Plinius cœruleum uocat, quoniam in rupibus altorum montium uersatur & merulæ similis est, nomine mutato nunc uulgò Græcis petrocossypho uocitatur, hoc est merula saxatilis. est autem merula minor, undiquaq; cœrulea, & in magno pretio propter cantum ut caueis includatur. uox ei eadem quæ merulæ, Gallicum nomen nullum: quoniã in Gallia non reperitur, ut neq; in Italia, nisi in caueis apportetur. quandoq; enim nido eximitur ut sermonem humanum edoceatur, Bellonius. Eadem prorsus mihi uidetur auis illa de qua nuper genere & doctrina supra ætatem suam ornatissimus iuuenis Augustanus Raphael Seilerus nobilissimi medici Geryonis Seileri filius his ferè uerbis ad me perscripsit. Auis quam à cœruleo colore Germani **Blawuogel** nominant, sturni magnitudine est: pectore, lumbis & ceruice pulchrè cyanea, obscurius tamen quàm ispida: dorso & alis nonnihil nigricat obscurè interim glaucis uel subcœruleis. Rostrum ei sesquidigiti longitudine, subter nares fuscum, in imo aculeatum, superiori parte adunca inferiorem ut plurimum contegente. pedes fissi ut in cæteris auibus. Degit in altissimis alpibus, neq; cacumine montium contenta, in scopulis maximè, & præruptis & niuosis locis uiuit, nec alibi eam reperiri constat quàm in montibus circa Athesim fl. præcipuè circa Aenipontem urbem. Hanc ob causam apud ipsos inquilinos in magno pretio habetur, alituráq; quibuscunq; cibis mẽsæ hominum familiaribus, istisq; qui merulis turdisq; aucupio destinatis præbentur. Voce articulata, amœna admodum & uaria est: ipsa tam docilis, tamq; diligenter res obseruat, ut pleraq; uocis articulo aliquo significet & indicet. Media & intempesta nocte expergefacta, ad astantis prouocationem, quasi iussa, claro spiritu canit, imperata quæ sibi putat iniungi, probè suo officio executura, quod uersiculis aliquando utcunq; delineaui. Cæsia auis glaucæ (glaucum colorem intelligit cœruleum) uerè sacrata Mineruæ, Præte cui seruit noctua nulla magis. Quid sibi uult? quis te docuit parere monenti? Instinctu proprio num facis ista tuo? Non puto sed deus est qui te ciet, usq; monenti Scilicet ut morem sic homo quisq; gerat. Oculos hominum aliorum alitum more appetit, quòd imaginem in ijs suam uelut in speculo intuẽs, cognati desyderio trahitur, ipsiusq; consuetudinẽ desyderat. Ante tempus autumni quo cæteræ aues incubant, proliq; dant operam, cum colore etiam uocem mutat, ac alis expansis nouos cantus excogitat, secum ipsa continuò murmurans, nec ueteris tamen quem olim didicit, obliuiscitur. Color sub hyemem è cœruleo nigrior euadit, quẽ mox circa ueris initium, in proprium rursus commutat. Adulta uel è nido materno semel egressa, uolatuiq; paulum adsuefacta, non amplius ullis (quod omnes aucupes affirmant) blandimentis uel astutijs ob innatam solertiam capitur. Nidum in præaltas deuiasq; solitudines desuper in specus congerit, quando locũ securitati idoneum nacta est, cui tutò se fœtumq; suum credere ausit, eumq; sua quoq; fraude altissimis iugis ab hominum accessu non solum abdit, sed à rupicapris etiam alijsq; feris, in cauernas deorsum condit, ibiq; pullos binos aut quaternos uermibus nutrit, dum eos extra nidum productos exponat. Tum prius uenatores siue aucupes, uel fortuitò uel ex insidijs loco animaduerso, gralla seu sparo lõgo, tereti, læui, cuius singulare & rarum inuentu lignum est (qualis rupium scansoribus rupicaprasq; præcipitantibus sæpe uitæ periculo, semper inscendendis scopulis adiumento esse solet) arrepto, ibi etiam ascendunt ubi uni plantæ uestigium non crederes. Et ne quid præteream, faciem hi, non totam, sed qua in transuersum prospiciunt, ac inde caput illis uertigine afficitur, fasciolis obtegunt, partim aduersus ipsos pullorũ parentes, partim & ueriore causa, ne quoquam latius oculorum radijs acieue pertingant, quàm quò solo pede innitendum, uel manus impli canda est. Sic illi tandem ad nidum, non absq; extremo periculo & defatigatione permeant, quem prælongã illa quam diximus fude sursum è profundo ad sese attrahentes auferunt, domiq; fouent & alunt, deinde uel carè uendunt, uel proceribus notis mares distribuunt, Hæc omnia ad nos Raphael Seilerus. suspicor autem eandem hanc auem quæ **Blawuogel** ab ipso nominatur, aut certè congenerem, à Rhætis circa Curiam alibiq; **Steinrötele** nuncupari.

DE COLARI.

COLAREM (τὸν κόλαριν) ululà cæteriq; aduncì rapiunt, unde his oritur bellum, Aristoteles de hist. anim. 9. 1. ubi Alberti translatio sic habet, Colyeuz (pro ægolio, id est ululà) genus parui accipitris, comedit auem quæ uocatur bolarcheon, id est speciem quandam passeris. Niphus etiam de colari scribit, quod passeris species uideatur. Sed certi nihil habemus. Ipse quidem suspicor eũdem fortassis collyrionem esse, de quo nunc agemus, facili librariorum lapsu.

DE COLLVRIONE.

COLLVRIO eisdem quibus merula uescitur. magnitudo eius eadem quæ superioribus est, (pardalo scilicet, & mollicipiti cui magnitudo paulò infra turdum.) Capitur hyberno potius tempore,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 307 sur 825

pore, Aristoteles. Apud Hesychium & Varinum κολλυρίων & κορυλίων legitur, utrunch pro genere auis. Sed magis placet ut collyrio legatur, nam & collyram legimus panis genus quod pueris daretur, uel panem subcinericium dictum. ¶ Guil. Turnerus in libro quem de auibus ædidit, collurionem esse putabat auē quæ Germanis Krametsuogel dicitur, id est iuniperi auis, Anglis a feldfare. Sed postea datis ad me literis, iuniperi auem uulgò dictam, secundā potius turdi speciem nunc sibi uideri scripsit, (quæ & nostra iam prius sententia erat:) collyrionem uerò auem quæ uulgò Germanis Surstel (Szostel nostris, id est turdela) dicatur. Eberus etiam & Peucerus collurionem turdorum generis faciunt, quæ Germanis Brachuogel (sed hoc nomen uagū est, & alijs etiam commune) dicatur. Capitur (inquiunt) sub hyemem maximè, nec figura nec magnitudine multum dissimilis merulę, colore fusco terreo obscuro, ut humi sedens uix agnosci & à terræ colore discerni possit. Ego hanc esse conijcio quæ à nostris Winsel appellatur. ¶ Quærendū an etiam colaris auis semel tantum ab Aristotele nominata, ubi abulula & cæteris aduncis eam rapi scribit, nō alia quàm collurio sit, librariorum forte lapsu.

DE COLVMBA DOMESTICA, ET IN GENERE QUÆ AD COLUMBACEUM GENUS PERTINENT.

COLVMBA VVLGARIS.



COLVMBA ANGLICA VEL RVSSICA.



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 308 sur 825

A.

COLVMBACEVM genus appello, quod Aristoteles πολιόφωνες, quo & domesticæ siue cellares, ut Columella nominat, & feræ columbę comprehenduntur, ut palumbes, cœnades, liuiæ, turtures. Nos de domesticis primum agemus, quarum historiæ illa etiam quæ columbaceo generi in uniuersum communia occurrēt, adiungemus. ¶ Hebræis ion, יון, columbus est, in plurali ionim, Ezechielis 7. In fœmininо ionah, יונה, columba, Genes. 8. Cæterum Ieremiæ cap. 26. & 46. ubi translatio nostra habet, columba: Hebræi legunt mœror uel tristitia, ut sit deriuatum à uerbo ianah, ינה, quod est mœrore affecit, afflixit, Munsterus. Ion quidem masculinum pro columbo, in scriptis Rabinorum frequentius est. Geneseos 8. Chaldæus interpres Hebraicam uocem ionah relinquit, pro qua Arabs habet atlekeha, אטלקחא, & hamamah uel chamamah, חמאמה: Persa kaphtar, בפתר. Rursus Psal. 55. Chaldæus habet ionetah, יונתא, Arabs dazamah, רזאמה. Charmiuno & Taëra præfectæ erant curæ capillorum & unguium Cleopatræ, significat autem Hebræorum & Syrorum lingua charmi (χαρμὴ) uitem, ἀνὼ uerò columbam illam quam Græci οἰνάδα uocant. Taëra uerò, τάεηρα, Ismaëlitarum lingua columba est, Io. Tzetzes Chiliad. 6. cap. 44. Hamam Auicennæ columba est. Quidam hemame Saracenis columbam esse scripsit. Demen chame, sanguis columbæ, Syluaticus: & pro eodem dem alcamer, apud ueterem Glossographum Auicennæ. Hara hamen, stercus columbinum, Syluaticus: pro quo etiam alibi apud eundem laaman & caficium legitur.

¶ Columba Græcè πολιόφατα dicitur, Atticè etiã πολιόφος: & uulgò hodieq; similiter, uel πολιόφη, columba domestica, πολιόφατα οἰκιδία Galeno. Columbarum genus unum Galeno (de compos. simpl. phar. lib. 10.) καπνικίδιον est, hoc est domesticum, alterum νομαδικὸν, hoc est pascuum & syluestre, Hermolaus. Italicè columbo, columba, colomba, puniono, & palumbo etiam apud Scoppam Grammaticum. Sed Hispani quoq; columbam palóma uocant: quæ tamen nomina à palumbo, id est columbo syluestri facta apparet, quanquam & palumborum alij cícures dícuntur, aut dící possunt, (ut audio,) alij ferí. Gallicè coulon, colombe, colombe priuee. Germanicè, Tub, Taube, zame Taube, Hußtube, Saxonicè & Flandricè Duue. Nostrí columbum, id est marem priuatim appellant ein Kuuter, per onomatopœiam. Sunt & palumbí cícures, nostrís zam Schlagtuben, quos & Italicos puto alíqui uocant, Welſchtuben, pedibus plumis índutí: quos alij Rusticos appellant, ghóßlet Tuben, hoc est dasypodes columbas, ut Galli pigeon patè, sed has Anglicas potius dicendas audio, & cristas etiam è plumis in capitibus habere. ¶ Anglicè a culuer, uel doue, a house doue, a rayme doue. Illyricè, golub. Turcicè, iugargen.

¶ Columba saxatilis Varroni inter altiles nominatur, (alia, ni fallor, quàm quæ Rhætis uulgò Steintube, id est saxatilis dicitur, quæ prorsus fera est.) hæc scilicet est quæ Galeno νομὰς & βοσκὰς dicitur, quòd liberius in agris & campis pascatur. (Sic & equas nomades dicunt, quæ in armento liberæ pascuntur, tanquam pascuas aut pascales:) & ἀγρίνις quibusdam, ut Vuottonus docet. nam Varro saxatiles columbos agrestes dicit. Sed adscribam ipsa Varronis uerba de triplici columbarum genere: In uillam intrò inuolant columbæ, de quibus Merula: Axi, si unquam πολιοτροφεῖον constituisses, has tuas esse putares, quamuis feræ essent. Duo enim genera earum in πολιοτροφείοις esse solent: Vnum agreste, ut alij dícunt saxatile, quod habetur in turribus, ac columinibus uillæ, à quo appellatæ columbæ, quæ propter timorem naturalem summa loca in tectis captant. Quo fit, ut maximè agrestes sequantur turres, in quas ex agro euolant suapte sponte, ac remeant. Alterum genus columbarum est clementius, quòd cibo domestico contentum intra límina ianuæ solet pasci. Hoc genus maximè est colore albo. Illud alterum agreste sine albo, uario. Ex his duabus stirpibus fit miscellum tertium genus fructus causa, atq; incedunt in locum unum, quòd alij uocant πολιοτροφεῖνα, alij πολιοτροτροφεῖον, Hæc Varro. Ex columbo agrestí & columba domestica, siue ex domestico masculo & agrestí fœmina, dum simul coëunt, nascitur genus tertium columbarum, quæ magnitudine inter utranq; columbam sunt, natura ad blandiendum natæ, pronæq; ad lasciuiam. Corrumpunt quippe alias, furtoq; comitatiores domum reuertuntur, (sed hoc Plinius simpliciter de columbis scribit.) Vnde publico edicto uetantur alí. Miscellæ à nostris ob duorum generum commistionem appellantur, Perottus. Columbí quídam uulgò saxaroli dícuntur: (& alij à pennarum colore turgni.) hi in columbarijs melius durant quàm cæteri. albí omnino uitẽtur, Crescentiensis. Hoc genus Gallis & Sabaudis est colombe passagiere aut rocheray. Germanis Veldbóck, Veldtuben by den hüſeren.

¶ Pipiones pulli columbarum dícuntur, uide in H. a. Cícero pullos columbinos dixit: recentiores quídam minus Latinè columbinos absolutè. Hebræi gosal, גוזל, uocítant pullum auis, præcipuè columbæ. Dauid Kimhi gosal auiculam paruam interpretatur: Chaldęus in uetere Testamento bar ionah, id est pullum columbæ. Arabs pherak hamas, פרך חמס, melius hamam. Persa kehuhar (forte kaphtar legendum ut supra, uel contra) bezar, בכוחר בצר. Septuaginta πολιόφατα, Hieronymus columbam. Rabi Abraham quoq; & Salomon & Iosephus, pullum columbæ exponunt. Rursus Septuaginta Deuter. 32. νεοσσοί, Hieronymus pulli. Alfrach est nomẽ commune ad omnes pullos: & aliquando usurpatur pro gallína iuuene quæ nondum oua peperit: absolutè uerò pro pullo columbino,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 309 sur 825

lumbino, imperfectis adhuc pennis necdum uolante, And. Bellunẽſ. Alnuaheb, ut ſcribunt Arabes, ſunt columbi qui iam pennis perfectis uolare incipiunt, Idem. πελειδίου & πελιδρίου Græcè diminutiua ſunt, ut columbulus apud Latinos: πελιδριεὺς etiã, uel πελιδρικὸς patronymica forma, de pipione dici poteſt. uide infra in H. a. πελιδρόπαλον apud recentiores Græcos, ut Demetrium Conſtantinopolitanum, legitur. Gallis pipio appellatur pigeon. Italis piccione. Nos circumſcribimus, ein junge Tub: uel diminutiuo utimur ein Tüble.

¶ Columbæ agreſtes, quæ & ſaxatiles Varroni dicuntur, maximè ſequuntur turres, in quas ex agro euolant ſuapte ſponte ac remeant. Hoc genus Græci πελειάδας nominant à liuore. uarij enim ſunt coloris, ac liuidi: propter quod è noſtris quidam (Gazam uidetur intelligere) eas liuias appellauere. Paucæ inter eas albæ ſunt, colore improbato. Pedes plumis nudos habent, rubidos & ſcabroſos, Perottus. Sed nos liuias omnes, ſylueſtres eſſe oſtendemus, in quo unius omnes coloris ſunt, nec ali ſolent, niſi allectatrix forte ex eo genere. Perottus quidem eius quam liuiã puto omnino non meminit. Color albus (inquit idem Perottus) in domeſticarum genere non improbatur, (ſed agreſtium duntaxat,) quòd hæ ſcilicet accipitrum iniurijs minus obnoxiæ ſint. nam intra limina ianuæ ſolent depaſci. Domeſticæ magnitudine ſuperant agreſtes, pedibuſq; ſunt ita plumatis, ut uix aliquando ingredi poſsint, Perottus.

B.

Columbæ etiam patriam nobilitauêre, in Campania grãdiſsimæ prouenire exiſtimatæ, Plinius. Alexandrinæ & Campanæ columbæ, tanquam peculiare quiddam habeant, à Columella nominantur. In Campania grandiſsimæ naſcuntur, & in Therapne, cum alioqui Spoleti ſint perexiguæ: mirum inter duodecim millia paſſuum tantam eſſe differẽtiam, Perottus. Siculas columbas olim laudatas fuiſſe Athenæus refert, qui hæc Alexidis uerba citat: πελειὰς ἥνδυ πρόφρων ἥν Σικελικὼν τὰ τῶν πάνυ κομψὰς. Et ex Georgicis Nicandri, qui Siculas columbas ali iubet. Inſulæ Veneri antiquitus conſecratæ, ut Paphus, Cythera, & Sicilia circa Erycem, præcipuè columbis abundabant: nam hæ quoq; Veneri ſacræ erãt. Theophraſtus tradit inuectitias eſſe in Aſia etiam colũbas, Plin.

¶ Columba palumbe & œnade minor eſt, maior turture, Ariſtot. Columbæ uariæ ſunt, hoc eſt coloribus inter ſe differentes, Ariſtoteles. Columbæ genus alterum clementius eſt, & colore maximè albo: agreſte uerò ſiue ſaxatile, ſine albo, uario, Varro. In Noruegia columbæ totæ albæ habentur, Gyb. Longolius. Indiam dicunt habere columbas colore melinas, (gilluas, Gillius,) Aelianus in Varijs. Athenæus Dæmachum (Daimachum) huius rei authorem adducit. Eo tempore primum quo exercitus Perſicus circa Athon montem interijt, columbæ albæ in Græcia uiſæ ſunt, ignotæ prius, Athenæus. Reperiuntur apud nos columbæ aliæ candidiſsimæ, aliæ atræ totæ, aliæ reliquo corpore præter caput & pedes: aliæ cæruleæ ferè, aliæ præterea capitibus criſtatis modicè, Cyprias nuncupant, quæ ceu nobiliores præferuntur. aliæ cruribus totis hirſutis ad extremos uſq; pedum digitos, quas daſypodes uel hirtipedes dixeris, à regione uulgo Ruſsicas uel melius Anglicas nominãt, magnitudine circiter alaudæ, roſtellis exiguis. tales Venetijs pretioſiſsimas haberi audio. gehöſſlet oder Reuſſiſch Tauben. Nuper etiam genus nouum allatũ eſt Auguſtam Rhæticorum, roſtris paruis ceu fringillarum. Noſtri columbas uulgares & uiles colore Veldböck uocitant, omnes ferè præter Cyprias: & uel unam pennam aliquando uitium coloris facere aiunt. Plumæ uerſicolores columbis à natura ad ornatum datæ, Cic. lib. 3. de finibus.

¶ De coloris uarietate in pennis ceruicis columbarum ita cecinit Lucretius lib. 2. Qualis enim cæcis poterit color eſſe tenebris, Lumine qui mutatur in ipſo: propterea quòd Recta aut obliqua percuſſus luce refulget. Pluma columbarum quo pacto in Sole uidetur, Quæ ſita ceruices circùm, collumq; coronat. Nanq; aliâs fit, uti claro ſit rubra pyropo: Interdum quædam ſenſu fit, uti uideatur Inter cœruleum uirideis miſcere ſmaragdos. In Solis deliquio (inquit Cælius Rhodig.) colorata omnia, inſita priuantur uenuſtate. Liquet id amplius in columbarũ mire ſplendicantibus pennulis, quas in earum collo conuiſimus. nanq; etiamſi unius ſint coloris, uarijs tamen aſpectibus uariè illuſtratæ ſub differenti ſpecie oculis exhibent ſeſe. cuius ratio eſt, quia mouendi uim à luce color ſuſcipit: quò uerò amplius ab illa mouetur, amplius & ipſe mouet. imbecilliores autem colores eſſe in intenſioribus, ſicuti imperfectum in eo quod perfectum eſt. Sunt qui exiſtiment diuerſos re ipſa eſſe inibi colores, diuerſasq; ſuperficies ex diuerſarum portionibus pennularum radiantes. Columbini quidem colli ſubmutantis colores meminit Hieronymus aduerſus Ioannem Origenis conſectatorem: Columbarum (inquit) colla ad ſingulas conuerſiones colorẽ mutant. Sed & Martianus de nuptijs Philologiæ: Arceſilas (inquit) collum intuens columbinum dubitabat, ſiquidẽ hac permotus uarietatis incertitudine, amplius aſtruere ἀκαταληψίαν cœpit, id eſt incomprehenſibilitatem. Sed & Nero Cæſar diſertiſsimè, ut primo Naturalium quæſtionum Seneca tradit: Colla Tiberiacæ ſplendent agitata columbæ, (ſed Cytheriacæ potius legendum, cuius uocis primam aliâs produci, aliâs corripi inuenimus. Armigerumq; Iouis Cythereidasq; columbas. Tiberiacæ quidem legi ſyllabæ menſus nõ patitur.) Meminit & Academicorum ſecundo M. Tullius, Hæc Cælius iudicans ipſe in collo columbæ plures uideri colores, nec eſſe plus uno. Ceruices columbarum ad lucem refractam auricolores fermè ſe offerunt, χρυσειδεῖς, Ariſtoteles in libro de Coloribus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 310 sur 825

¶ Columbæ & ſimília utraq; palpebra conniuent, Ariſtot. & Plínius. Ingluuies eis præpoſita uentrículo eſt, Idem. Aues quoq; gemínos ſínus habent: quædam unum ín quo merguntur recentía, ut guttur: alterum ín quem ex eo dimíttunt concoctione maturata, ut gallínæ, palumbes, columbæ, Plínius. Ingluuies ín quíbuſdam parua eſt, & fermè rotunda, ut ín ſperuerío & columba, Albertus. Columbo uentrículus eſt feruentíor, & lien eíus magnitudíne deficít, Ariſtot. Columbís, ut magnæ parti auíum, lien adeò exíguus eſt, ut propemodum ſenſum effugíat, Idem. Sexum dígnoſci haud facile eſt, níſi ínteriorum aſpectu, Idem. Columbis alíjs uentri, alíjs inteſtíno fel iungítur, Ariſtot. Inteſtino tantum fel iungítur ín columbís, Plínius. Columbam felle carere tradítur, Orus ín Hieroglyphícis & Beda. Sed Galenus ín líbro de atra bíle, rídiculos íllos eſſe ait qui columbam felle carere putant, quoníam ueſícam eíus non habeant. Idem Orus alíbi columbę bílem ín dorſo eſſe ſcríbit.

C.

Columbí ſemper uíſuntur, & hyemem etíam nobíſcum agunt, Ariſtot. & Plínius qui columbas propter hoc ínter aues perennes ponit.

¶ Volucres pleræq; à ſuís uocíbus nomínantur, ut gallína, columba, &c. M. T. Varro. Et cáſtus turtur atq; columba gemunt, Author Philomelæ. Non murmura ueſtra columbæ, Brachía non hederæ, non uíncant oſcula conchæ, Gallienus ímperator ín Epithalamío. τοττύζω (per ιῶτα ín penultíma, uel γοττύζω per ypſílon,) de uoce columbæ dícitur, (authore Polluce,) τονθορύζειν, Varínus. τοττύζω uerò & γοττῦσαι, de uoce ſuum apud Heſychíum legítur. Et apud eundem ϛομβῆσαι de columbína uoce. ¶ Columbí frugíbus uíuunt, Ariſtot. Granís (Cerealíbus) ueſcuntur, uel hís quæ ex granís conficíuntur, nec alío cíbo, Albertus. Cadauere nullo paſcuntur, ſed puro grano, Author líbrí de nat. rerum. Cætera quæ ad cíbum eorum pertínent leges ínfra ín E.

¶ Proprium columbarum & palumbíum & turturum eſſe uídetur, ne collum cum bíbunt, reſupínent (eleuent, uetus ínterpres) níſi ſatís hauſerínt, (bíberínt,) Ariſtot. Vídetur autem híc locus Vuottono ſuſpectus: fortaſsís quod apud Athenæum alíter legatur, hoc modo: ὁ δὲ Μώσιθ Ἀλέξανδρος ὁ πινδῃ φησί τὴν φάσσαν ἀνακύπτειν (lego ἀνακύπτειν ex Ariſtotele) ὥσπερ τὴν τρυγόνα. Ego Athenæi locum corruptum, Ariſtotelis íntegrum eſſe íudíco, ut melíus legatur, ὥσπερ καὶ τὴν τρυγόνα, nam Plínius quoq; ſíc tranſtulít, Proprium generís eíus, & turturum, cum bíbant colla non reſupínare, largè bíbere íumentorum modo. Vide ínfra ín H. c. Columba íuxta aquas quíeſcere gaudet, utſítím ſedet, Author líbrí de nat. rerum. ¶ Columba auís eſt multíuaga, Plínius.

¶ Aſpícís ut ueníant ad candída tecta columbæ, Accípiat nullas ſordída turrís aues, Ouídius. Columbí (præſertím agreſtes) à columníbus ædificíorum dícti ſunt, nidíficant ením propter tímorem ín ſummís locís, Varro. In alto nídificat, quò nocens beſtía nulla peruenìat, Author líbrí de nat. rer. D. Iulíus apud Mundam cum ſyluam cæderet, arborem palmæ repertam, conſeruarí ut omen uíctoríæ iuſsit. ex ea cóntinuò enáta ſoboles, adeò ín paucís díebus adoleuít, ut non æquípararet modo matrícem (arborem prímum conſítam) uerumetíam obtegeret, frequẽtareturq; columbarum nídís: quamuís íd auíum genus duram & aſperam frondem maxímè uítet, Suetonius ín Auguſto. Columbæ debílem nídum faciunt, eò quòd calída habent corpora, & non multum índigẽt calore nídí, Albertus.

¶ Coeunt ínfra annũ columbæ, quíppe quæ ſemeſtres noſſe incípiant Venerem, Ariſtot. Pullos quínquemeſtres fœtificare, author eſt Plínius. Peculíare columbís íllud etíam eſt, ut ín coítu, níſi ante mutuò oſculentur, mas non aſcendat, ſed íunior ſit, an ſenior, ínteréſt: ſenior ením prímum coítum oſculo exorditur: ſequentem & ſine oſculo agit. At íunior quoties líbet coíre, toties oſculatur, Ariſtot. & partím Plínius. Fœmína marem non admíttit, níſi præoſculatus ante coítum fuerít, Aelíanus ín Varíjs Ariſtotelem cítans & Athenæus. Atquí Oppíanus Ixeuticorum prímo de turturíbus ſcríbens: Oſcula (ínquít) antequam procreandæ ſoboli índulgeant, permíſcent; ídq; ínter eas quæ prouectíores ætate ſunt perpetuum eſt. iuníores non raró abſq; oſculís íd faciunt. Columba ſenex coíre non poteſt, ſed tantum oſculatur, Obſcurus quídam ex Ariſtotele, apud quem nos níhil tale legímus. Coruorum exoſculatíonem illam quę ſæpe cernítur, qualís ín columbís eſſe ab Ariſtotele tradítur, Plínius. Roſtrorum coníunctío coruís & íd genus auíbus ſolíta eſt, quod ín monedulís quas manſues alímus, planum eſt. genus etíam columbínum hoc ídem facít, Ariſtot. Amorem mutuum querulo gutture íctuq; roſtrí oſtendunt columbæ, ín Venerem crebro ruunt, frequentí pedum orbe facta adulatione, Platina. Columbæ quæ calídíores ſunt tempore líbídínis caudam flectunt ad terram, & trahunt eam ſuper terra, & ſíc ad Venerem mouentur mas & fœmína, Albertus. ¶ Hoc etíam columbís proprium eſt, ut fœmínæ ſalíant, ac ſupergreſſu mutuo agant, ſí mas non ſít, & cum oſculo, ut mares. & quamuís níhil altera emíttat ín alteram, tamen plura ſíc oua, quàm ex marís coítu pariunt. Verum nullus hís enaſcítur pullus, ſed ſunt omnía írrita, (hypenemía Græcí uocant, Plínius,) Ariſtot. Columba cum peperít, poſtrídíe marem repetít & concípit, ínquít Athenæus & Euſtathíus. Excludunt díe XVIII. ſtatímq; concípiunt, Plínius. Columbí cum pluríbus adoleſcere, aut coíre non patíuntur, neq; coníugium iam índe à prímo ortu ínítum deſerunt, níſi cœlebs, aut uídua. Quínetíam fœmínæ parturíenti mas adeſt, & cultu, omníq; oſfício ſungítur, ſæpe etíam fœmínam pígrius euntem ad nídum propter partus laborem mas percutít, co-

tit, cogitq; intrare. Exclusis iam pullis terram salsuginosam potissimum premanducatam in eorum os inserens, suum ingerit, atq; ita præparat ad cibum recipiendum. adultos iam, cum tempus prodeundi ex nido est, mas subigit. Ita magna ex parte columbæ mutuo degunt amore: sed interdum nonnullæ etiam ex maritatis cum alijs coëunt, Aristot. cuius uerba ferè etiam Plinius transtulit, de amore mutuo scilicet & coniugio columbarum, deq; marito circa coniugem cura & pullos, quæ infra in D. recitabimus. plura etiam de coniugio columbarum ibidem allaturi. Cæterum inter uerba Aristotelis iam recitata, ubi Græcè legitur, φροντίζῃ ἁρμοσθέσης προφῆς, id est de cibo eis conuenientè curam gerit. Gaza legit ἁλμυκίζουσις γῆς. quæ lectio mihi quoq; probatur, & Athenæus Aristotelem citans similiter legit: etsi codex noster depratuatus λαμυκίζουσις habet. Salsis quidem columbas delectari, docebimus infra capite 5. Paulò supra uerò Athenæus Aristotelis uerba hoc modo refert, καὶ γινομένων τῶν νοσσῶν ὁ ἀὴρ ἥδιον ἐμπίπτῃ ὡς μὴ βασκαινθῶσι. cum Aristoteles nõ tanquam remedium aduersus fascinationem marem in os pullorum inspuere dicat, sed ut appetitionem cibi in eis excitet, ad quam rem aptus est sapor salsus. sed Athenæus in uerbis hisce ultimis simpliciter marem inspuere dicit. Albertus etiam in sua translatione substantiam terrestrem salsam in os pullorum à patre infundi scribit. Plinius, Pullis (inquit) primo salsiorem terram collectam gutture in ora inspuunt, præparantes tempestiuitatem cibo: ubi inspuit fortasis, & præparans legendum, ut de mare duntaxat intelligatur.

¶ Columbæ soboli procreandæ plærunq; indulgent, unde sacræ Veneri creduntur. Vel decies anno pariunt, Aristot. omnibus anni partibus, Aelianus. Tota æstate fœtant, Aristot. Et rursus: Pariunt columbæ omnibus anni temporibus, pullosq; educant, si locum apricum habeant, & cibum. sin minus, æstate tantummodo fœtant. Sed proles præstantior uere, quàm autumno est: deterrima æstate, & omnibus tempore calidiore. Et alibi, Decies anno pariunt: nonnullæ etiam undecies: Aegyptiæ uerò & duodecies. In Aegypto etiam brumali mense, Plin. Columbæ ouum citius perficitur quàm gallinæ. huius enim ouum decem à coitu diebus magna ex parte consistit, columbæ paucioribus, Aristot. Albertus ouum columbinum in utero septem diebus perfici scribit. A coitu decem diebus oua matureſcunt in utero: uexatæ autem gallinæ & columbæ penna euulsa, aliáue simili iniuria, diutius, (id est tardius,) Plinius. Et rursus, Pariunt à coitu quinto die. Facultas columbis retinendi oui, etiam tempore parturiendi est. Nam si ab aliquo uexetur, aut penna in nido euulsa, uel quauis alia simili re infestetur, aut etiam sponte morosius habeat, ouum per tristiam retinet, partumq; differt, Aristot. Columbarum oua candida sunt, Idem & Plinius. Columbarium genus, ut palumbes & turtur, pariunt magna ex parte bina oua. sed complurimum terna palumbes & turtur, Aristot. Columbacei generis aues raro tria oua pariunt: quod etiam cum contingit, tertium ferè corrumpitur, Albertus. Columbæ pariunt ferè bina oua, ita natura moderante, ut alijs crebrior sit fœtus, alijs numerosior, Plinius. Columbarium genus pauca parit, utpote uolax, sicut & aues uncæ. materia enim uolatu consumitur, & in alas pennasq; conuertitur. sæpe autem parit, utpote corporis magno & uentris calore, & facultate concoquendi maxima præditum, & quòd cibum facile sibi acquirat, Aristot. De columbarum fœcunditate plura leges infra in E. Columbæ magna ex parte marem & fœminam generant: priorem marem, posteriorem fœminam. & cum pepererint primum ouum, uno interposito die, secundum pariunt, Aristot. Marem semper & fœminam pariunt, priorem marem, postridie (uel citius, Albertus) fœminam, Plin. Natura fœcundissimum est animal. quippe singulis quadragenis diebus concipit, parit, fouet, ac denique enutrit pullos: idq; ferè totius anni curriculo facit. nam si ab hyemali solstitio usq; ad æquinoctium uernum excludas tempus, reliqua parte anni fœturam ædit. licet etiam uidere columbas ipsas nondum inte grè educatis pullis oua ædere atq; incubare, Florentinus. A partu caudam distendunt, Aristoteles. Columba citra dies triginta (quadraginta Florentinus, ut iam recitaui) prole expedita superiore, parit, Aristot. Aestate quidem interdum binis mensibus terna ædunt paria. nanque octauodecimo (paulò ante scripserat, uicesimo) die excludunt, statimq; concipiunt. quare inter pullos sæpe oua inueniuntur, & alij prouolant, alij erumpunt, Plinius. ¶ Pariunt aliquando oua hypenemia, Aristot. Et rursus, In columbis maximè notatum est, quod oua quandoq; infœcunda pariant, uel ex ijs ipsis quæ conceperint coitu. nullus enim prouenit fœtus, quamuis incubitu foueantur. Irrita oua, quæ hypenemia diximus, aut mutua fœminæ inter se libidinis imaginatione concipiunt, (ut supra quoq; de columbis scriptum est,) aut puluere: nec columbæ tantum, sed & gallinæ, &c. Plinius.

¶ Incubant ambo & mas & fœmina, Aristot. & Porphyrius lib. 3. de abstinentia ab animatis. Incubat uicissim omne columbaceum genus, Athenæus ex Aristotele, & Aelianus in Varijs. Fœminæ parturienti mas adest, & cultu omnicq; officio fungitur. sæpe etiam fœminam errantem & uagantem ad nidum cõpellit: & cum pepererit oua, cogit ut incubet, Aelianus ex Aristot. Sic & Porphyrius, καὶ τὸν θήλειαν, ἂν πλείονα χρόνον ἀφῇ πλανηθῆναι, κόπτων ὁ ἀὴρ εἰσελαύνει πρὸς τὰ ὠὰ καὶ σὺν νοσσοῖς. ubi Aristoteles habet, ἐὰν ἀφμαλακίζηται πρὸς τὴν εἴσοδον ἡ νοσσιᾶς, ἀλλά τι τῶν λοχείων, τύπτει καὶ ὠθεῖ καὶ εἰσιέναι, sed sensu eodẽ. Incubãt ambo uicissim, interdiu mas, (in Græco codice nostro additur, ἢ ὄρθρου, quod Gaza rectè omisisse uidetur, cum aliorũ nemo addiderit,) noctu fœmina, Aristot. & Plinius, qui addit, in eo genere, quasi palumbes etiam & turtures idem faciant. Excludunt uicesimo die, Plinius: mox uerò subiungit, Aestate interdum binis mensibus terna ædunt paria. nanq; octauode-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 312 sur 825

cimo die excludunt. Et nimirũ æstate celerior fit exclusio. Oua columbarum propter caliditatem quindecim (tantum) diebus fouentur & excluduntur, alijs autem diebus complentur ad uolandum, Albertus. sed Aristoteles de hist. anim. 6. 4. de palumbis & turturibus hoc scribit, nempe oua harum auium diebus quatuordecim (non quindecim) in utero gestari, totidem incubari, totidem denique exclusa perfici ad uolatum. Columbarum uero oua ante dies decem, in utero perfici, ut supra scripsimus. Concoquunt atq; aperiunt columbæ citra diem uicesimum ouum quod prius ædiderint, (masculum scilicet, quod ferè die uno prius quàm fœmineũ ædunt,) perforant (πτρώσκει, in singulari, nimirum ut de fœmina intelligatur) ouum pridie eius diei quo pullum excludunt, Aristoteles. Græcè legitur, πτρώσκει δὲ τὸ ὠὸν τῇ πρωτέρᾳ (scilicet ἡμέρᾳ) ἢ ἐκλέπει. Alberti trãslatio sic habet: In fissura ouí primò columba paruula in ouo existens penetrat testam anteriore (parte) rostri sui, ita ut testa eleuetur ad magnitudinem grani tritici: & postea diuidit eam in duas partes & exit pullus. Idem alibi, Ouum columbæ in utero completur septem diebus; deinde fouetur per quatuordecim, postea fisso ouo exit pullus.

¶ Fouent prolem ambo (inquit Aristoteles) ad certum tempus, eodem modo quo oua. fœmina in opere sobolis acerbior mare est, ut cæteris quoq; à partu euenit animalibus. Mares pullis exclusis primi cibum in os ingerunt, γωμίζουσι πρότεροι τὰ νεόττια, Porphyrius. Terram salsuginosam præmansam ori eorum inserit, præparans eos ad cibum capiendum, ut supra hoc in capite ex Aristotele scriptum est. Pulli ab utroq; parente alternis cibantur, Albertus. Aues nonnullæ imperfectos & cæcos pariunt pullos, ut quæ paruæ corpore multos progenerant: & quæ in pauciparo genere copiam alimenti parere unà cum prole non solent, ut palumbes, turtur, columba, Aristot. In pullos excluſos masculum inspuere aiunt, repellentem ab ipsis omnem inuidiam, ne quo pacto fascinari possint, Aelianus in Varijs lib. 1. Adultos iam, cum tempus prodeundi ex nido est, mas subigit, Aristot. Non exeuntes (tempestiuè) de nido pullos alis percutiunt, & aliquando mas coit cum eis, & ejicit, Albertus. Pulli ut primum absoluti sunt, mox cum suis matribus parere incipiunt, Florentinus. Si uêre nati tempestiuè fuerint, ante hyemem autumno eiusdem anni pullos habebunt, Albertus. Hominum dentibus quoddam ineſt uirus: quod & columborum fœtus implumes necat, Plinius. & forsitan id sensit Martialis in districho, Ne uioles teneras præduro dente columbas: Tradita sic Gnidiæ sint tibi sacra deæ. ¶ Pulli columbarum in nido manent, donec mater alia oua pariat, nisi alium nidum illa habeat, expellit autem pater pullos è nido ascendẽs super eos tanquam coiturus cum ipsis, Albertus.

¶ Columbus tum lauare tum puluerare solet, Aristot. Gyb. Longolius tamen columbas inter aues puluerատrices rectè numerari non putat. ¶ Gregatim degunt, Aristoteles.

¶ Visum nouies recuperant, Author libri de nat. rerum.

¶ Columbæ calidissimæ sunt, & lapillos propter (calidam) stomachi temperiem deuorant, Author libri de nat. rerum. Fimum etiam feruidum habent, Idem. Columbo uentriculus est feruentior, Aristot. ¶ Columbæ & turtures annis octonis uiuunt, Plinius. In columbarijs non inueniuntur ultra octo annos durare, Crescentiensis. Turtures & columbæ uel ad annum octauum uiuunt, scilicet quæ excæcatæ allectatrices (πτελόνησαι) aluntur, Aristot. Compertum est apud nos columbam uiuere per uiginti annos, & rarò supra, Albertus. Columbæ, turtures & gallinacei herba quæ uocatur helxine annuum fastidium purgant, Plinius.

¶ Columbas perimunt fabæ aut frumentum, macerata in aqua, in qua elleborus albus infusus fuerit, Serapio. Hominum dentibus ineſſe uirus columbis implumibus letale Plinius author est.

D.

Columbi gregales sunt, Aristot. Columbam errantem cum uiderint sibi aggregant, Author libri de nat. re. Ars illis est inter se blandiri, & corrumpere alias, furtoq; comitatiores reuerti, Plin. Perottus quidem priuatim de columbis miscellis hoc scribit. Vide infra ab initio capitis quinti de uerbo πτελόνησαι. Cum hominibus degere solent, Aristot. In urbibus columbæ cum hominibus frequentes habitant, seq; ad pedes horum huc & illuc magna mansuetudine & facilitate uersant. In locis autem, ubi ab hominum frequentia solitudo est, propinquitatem hominum minime expectantes, aufugiunt. In multitudine hominum confidentiores sunt, seq; nihil ibi graue passuras plane sciunt: ubi aucupes uenatoriaq; instrumenta uersari uident, non amplius sine summa ibi formidine habitant, Aelianus. Aloisius Cadamustus in historia nauigationum suarum cap. 40. scribit se in Oceani quædam insula innominata & incognita prius, dierum aliquot ultra Canarias nauigatione, incolas nullos inuenisse: sed columbos duntaxat & uaria genera auium. Columbi (inquit) capiebantur pro libito manu hominis, non enim pauebant ad uiri conspectum, utpote ad rem sibi hactenus inuisam. Cepere igitur ex his quàm plurimos, quos scipionibus occiderant, nobisq; attulere. Columba auis innocens est, nec rostro nec unguibus lædens, Albertus. ¶ Ecce ego emitto uos uelut oues in medio luporum. estote igitur prudentes ueluti serpentes, & simplices sicut columbæ, Christus ad discipulos Matthæi x. Vbi Erasmus paraphrastes, Columbina (inquit) simplicitas præstabit, ut de omnibus bene mereri cupientes, neminem lædatis, ne prouocati quidẽ. serpentina prudentia, ne quam ansam illis præbeatis calumniandi doctrinam. Ioannes Tzetzes Chiliade 9. capite 263. hoc sensu hæc uerba à Domino prolata ait, Seruate capita uestra quemadmodum serpens, qui

insidijs

insidijs petitus uapulansq; ad mortem, omni modo caput suum abscondit: sic uos à tyrannis & impijs cruciati, caput seruate mihi, fidem uestram, & ne Deum negetis usq; ad ipsam mortem. Simplices autem sitis sicut columbæ, ac prudentes (pariter) sicut columba Noe, quæ diluuij tempore dimissa ad arcam reuersa est. Omnis sanè columba si nata fuerit domi, non recedit inde, nisi fuerit spuria, & nõ genita ibi sed aliunde adducta. Poterit præterea aliquis rhetoricè hoc dictum illustrando, seruanda iubere capita hoc est authores (αὐθέντας) & dominos nostros, nec illos decipere aut fallere dolis sacrilegis, Hæc Tzetzes. ¶ Nihil timidius columba, Varro. Fimum columbæ & ipsæ nido eijciunt, & pullos eijcere docent, Author libri de nat. rerum. Columbis inest quidam & gloriæ intellectus, nosse credas suos colores uarietatemq; dispositam, quin etiam ex uolatu creduntur (aliàs quæritur) plaudere in cœlo, uarieq; fulcare, Plinius. Aliquando sola sedens auri splendores in pennis colli sui intuens delectatur, & uolando sibi congratulatur, Albertus: colores uarios circa collum admirans, alarum plausu rostroq; plumas fulcit, & ad uolatum cultius pennas disponit, Author libri de nat. rerum. Animantes quædam magis ualent memoria, ut quibus purgatior & absolutior imaginatio est, ut apes, columbæ, Themistius. Columbi pudicitia aues omnes antestant, plures enim in eodem columbario mixtim degunt, neq; tamen quis alterius connubia uiolat, Platina. A perdicibus (inquit Plinius) columbarum gesta spectantur maximè simili ratione: mores ijdem, sed pudicitia illis prima, & neutri nota adulteria. Coniugij fidem nõ uiolant, communemq; seruant domum. Nisi cœlebs aut uidua, nidum non relinquit. Et imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt: quippe suspicio est adulterij, quamuis natura non sit. Tunc plenum querela guttur, sæuiq; rostro ictus, mox in satisfactione exosculatio, & circa Veneris preces crebris pedum orbibus adulatio. Amor utriq; sobolis æqualis: sæpe & ex hac causa castigatio, pigrius intrante fœmina ad pullos. Parturienti solatia & ministeria exhibet, Hæc Plinius ex Aristotele translata: cuius eadem de re uerba, nempe de amore mutuo & coniugio columbarum, itemq; de cura & cultu mariti tum circa coniugem parturientem & incubantem, tum fœtum excluſum, iam supra in C. recitaui. Columbas ab adulterio castissimas esse percepi, nunquam enim ex societate inter se instituta, neq; mas nisi morte ipsa uxoris distrahitur, neq; fœmina dissociatur, nisi uidua fuerit, Aelianus. Idem rursus de palumbis scribens: Ex auibus (inquit) castissimi sunt ab omni stupro. Mas enim & fœmina in hoc genere tanquam nuptijs alligati mutua consensione adeo ad stabile & certum connubium per summam castimoniam adhærescunt, ut neuter alienum cubile attingat. si autem impudico amore capti ad alienam Venerem libidinis oculos adiecerint, eos reliqui circumsedentes marem quidem mares discerpunt, fœminas uero fœminæ disperdunt. Huiusce etiã modi lex castitatis ad turtures pertinet, sanctaq; & syncera permanet: tum etiam ad columbas albas manat, præterquam quòd non utranq; occidunt, nam marem duntaxat perimunt, fœminam uerò illius misericordia permoti impunitam atque inultam in uiduitate reliquam ætatem ducere permittunt. Aegyptij mulierem uiduam, quæ ad mortem usque permanserit in eo uitæ statu uolentes significare, nigram columbam (πθεισόραν μέλαιναν) pingunt. Hæc enim quandiu uidua est, alteri uiro non miscetur, Orus in Hieroglyphicis. Mas & fœmina (inquit Albertus) postquam semel coiuerunt, non facile deserunt coniugium. Antequam uerò coiuerint, mares qui carent coniugibus, suas alijs abstrahere conantur, unde acerrima pugna oritur. Auicenna refert se uidisse duos columbos pro fœmina pugnãtes: accessisse autem fœminam ad uictorẽ, deinde pugna repetita cum uinceret qui antea uictus erat, ad eundem relicto altero fœminam redijsse. Hic sanè mos est columborum, ut si mas sine uxore, fœminam marito carentem uiderit, mox cum ea coeat: hæc statim à coitu illum sequatur & obediat, Hucusq; Albertus. Aegyptij hominem ingratum ac infestum ijs à quibus beneficio affectus est significantes, columbam pingunt. Mas enim ubi robustior euaserit, ex consortio matris patrem expellit, itaq; ei connubio iungitur, Orus in Hieroglyphicis, quod & Aelianus ex eo repetijt. ¶ Columbæ fascinationis amuletum laurinos ramulos tenues primum colligunt, deinde ad custodiam pullorum in nidos imponunt, Aelianus. Zoroastres in Geoponicis palumbes nidis laurum imponere scribit, nec causam addit, nisi quis propter blattas id eas facere conijciat: quoniam proximè de hirundinibus dixerat, ea causa apium ab eis nido imponi.

¶ Columbæ propter genuinum timorem nidificant in summis locis, Varro. Pugnax hoc animal est, alter alterum infestat, nidumq; alter alterius subit, sed rarò. nam etsi ex longinquo minus, tamen apud ipsum nidum summo certamine dimicatur, Aristot. Quum plures columbæ nidos inuicem propinquos habent, pugnant inter se pro nidis & uxoribus tota die, Albertus. Pennis eleuatis pugnant, Author libri de nat. rerum.

¶ Cum turture amicitia columbæ intercedit, Aelianus. Amici pauones & columbæ, Plinius. ¶ Vulpes communis est hostis pauonum, columbarum & omnium ferè auium, Stumpfius. Accipitres quidam celeres ad aucupiũ sunt, columbis maximè & palumbis exitiales, Demetrius Constantinop. Distinctio accipitrum ex auiditate. alij non nisi ex terra rapiunt auem: alij non nisi circa arbores uolitantem: alij sedentem sublimi: aliqui uolantem in aperto. Itaq; & columbæ nouêre ex ijs pericula, uisoq; considunt, uel subuolant, cõtra naturam eius auxiliantes sibi, Plinius, Aelianus, & Albertus. Columbas nosse credas suos colores uarietatemq; dispositam. quinetiam ex uolatu creduntur plaudere in cœlo, uarieq; fulcare. Qua in ostentatione ut uinctæ præbẽtur accipitri (niso

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 314 sur 825

Author libri de nat.rerum) implicatis ſtrepitu pennis, qui non niſi ipſis alarũ humeris elíditur, alioquin ſoluto uolatu in multum uelociores. Speculatur occultus fronde latro, & gaudentem in ipſa gloria rapit. Ob id cum ijs habenda eſt auis quæ tinnunculus uocatur. Defendit enim illas, terretq; accipitres naturali potentia, in tantum, ut uiſum uocemq; eius fugiant. Hac de cauſa præcipuus columbis amor eorum. Feruntq;, ſi in quatuor angulis defodiantur in ollis nouis oblitis, non mutare ſedem columbas, Plinius. Columba accipitris uenientis umbram in aquis proſpicit, Author libri de nat.rerum. Clangorem quidem aut aquilarum aut uulturum facile columbæ ſpernunt, nõ item circi & marinæ aquilæ, Aelianus. Bubo oua columbarum exorbet, Author libri de nat.rerum. Cornix ouis columbę inſidiatur, ut ea diſſipet & exugat, Author libri de nat. rerũ. Gallinas etiam columbis infeſtas eſſe audio.

E.

Columba ſedens, ἡμμένη πτελειάς, à Suida prouerbij titulo commemoratur, qui hoc dici ſolitum indicat de ſupra modum manſuetis ac ſimplicibus, (ὡὴ ἦν ἁπλουστάτην, ὅσα τὸ σύνθετον τοῦ ζώου, Euſtathius) comparatione ad paleutriam columbam, ſenſu ſcilicet contrario. nam columbæ, inquit, quæ euolant, fallunt cæteras, παλεύτριαι dictę, à uerbo παλεύσαι, quod eſt fallere, Hæc Suidas. Eraſmus uerò, Columbæ (inquit) cum auolant, fallunt cæteras pernicitate motus: cum ſedent, nihil mitius aut ſimplicius. neq; quicquam habent quo ſe tueantur aduerſus miluios & accipitres, præter alarum uelocitatem. Mihi uidetur dici poſſe & in eos qui ſimplicitatem ſimulant, quò magis imponant: propterea quod mos ſit aucupibus, exoculatam columbam in reti ponere, quæ ſubſultans cæteras columbas allíciat. Ea Græcis dicitur, παλεύτρια, à uerbo παλεύω quod eſt ſeducere, ſiue in laqueum illicere. Ariſtophanes in Auibus de columbis loquens, Καὶ ἐπαναγκάζῃ παλεύῃ δι' ἐμβύων ἐν δικτύῳ, id eſt, Et cogit paleutriam agere, allígatas in reti. (Et rurſus, δι' ἐμβύοι παλεύσετε: ubi Scholiaſtes, Aues excæcatæ, præſertim columbæ & palumbi, in retibus locantur ut uoce allíciant alias ſui generis, quod gloſſematici παλεύῃ dicunt.) Vide lector num legendum ſit ἡμμένη, id eſt illaqueata. id enim patitur quo fallat alias, Hæc Eraſmus. Sed apud Suidam ut ἡμμένη per μ. duplex legatur, ratio ordinis literarum non admittit, deinde Suidas non eandem facit τῷ ἡμμένῳ, & τῷ παλεύτριαν, ut Eraſmus. ſed illam ſedentem & ſimplícem: hanc euolantem aſtutam, cuius comparatione etiam contrario ſenſu (hoc enim eſt quod dícit τῇ ἀντιπαροιμίᾳ) columba ſedens, pro homine ſimplíci accípiatur. Euolantes quidem columbas arte blandiri alijs, easq; corrumpere, furtoq; comitatiores reuerti, Plinius author eſt: ut hoc nimirum Suidas παλεύῃ dixerit. Ceteri uerò ſcriptores non item, ut mox patebit, quamobrem non aliter reprehendo Eraſmum, quàm quòd Suidæ uerba quæ interpretabatur, non aſſecutus mihi uideatur. Idem Eraſmus in prouerbio, Pulchrè fallit uulpem, Παλεύῃ κρεῖττον τῷ ἀλώπεκα, dictum, inquit, apparet in eum qui dolis captaret aſtutum. nam παλεύειν eſt arte illecłare. Vnde & columbæ exoculatæ, quas aucupes in reti ponunt, quò ſubſultantes reliquas deceptas allicĩt, paleutriæ dicuntur: & qui feris tendunt caſſes παλευτὰς uocantur. Turtures & columbæ uel ad annum octauum uiuunt, ſcilicet quæ excæcatæ allectatrices (παλεύτριαι) aluntur, Ariſtot. Et mox de palumbis ac turturibus ſcribens, Et cum mares (inquit) in totum diuturniores quàm fœminæ ſint, in his marem prius quàm fœminam mori nonnulli aiunt, uidelicet documento earum, quæ domi allectatrices aluntur. Vbi Niphus Italus, Apud nos etiam (inquit) allectatrix ſiue hallucinatrix (hoc forte dicit, quoniam excæcari ſolent, ſed aliud eſt cæcum eſſe, aliud hallucinari) ſit palumbes è ſylueſtribus. Noſtri etiam liuias, id eſt minimas columbas ſylueſtres, allectatrices faciunt, Lockt uben/ut ſui generis aues in rete pelliciant. Παλεύτρια πθεισερὰ, πλανῶ: & uerbum παλεῦσαι, ἐξαπατῆσαι, ὑπαγαγέσθαι, θηρεύῃ, πθκαλεῖσθαι. ſolent enim aues aliquas excæcatas in reti collocare, Suidas & Varinus. Παλεύεται, θηρεύεται, ἀγρεύεται. Παράνομον γάμον παλεύσας, αὐτὴ τοῦ ὑπαγαγόμενος, per metaphoram. ſunt enim paleutriæ columbæ, quæ alias decipiunt & allíciunt, αἱ ἐξαπατῶσαι καὶ ὑπαγόμεναι πθὸς ἑαυτὰς, ἤγουν φενακίζουσαι. Παλευτὰ, οἱ τὰ λίνα ἐσῶντες οἷς τὰ θηρία παλεύεται, Heſych. Παλεύῃ prodecipere apud Lycophronem legitur hoc uerſu, Ἥ μιν παλεύσει δινολύτοις οἴστροι βρόχοις. Παλεύτριαι, αἱ πλάνα καὶ οἷον εἰπεῖν ἀνδραποδιστικαὶ πθοσερᾶι, Scholiaſtes Lycophronis. Eubulus apud Athenæum lib. 13. meretrices paleutrias appellauit, τὰς φενακὰς ἑταιρμάτων παλευτείας, πώλας Κύπριδος ἐξηκοντημέρους. Fuerint autem paleutrię columbæ forſitan dictæ, quaſi ueteranæ quædam, ſunt enim ueteres, id eſt olim captæ, πάλαι ἡρημέναι, ut paraphraſtes Oppiani de aucupio ſcribit. Vide etiam infra in Coturnice E. Lanarij omnes primo timidi ſunt, ſed poſtea ad columbas & anates capiendas inſtituuntur, Albertus. Columbi & aliæ aues quomodo capiantur reti, docet Creſcentienſis libro 10. capitibus 20. & 21. & rurſus capite 26. quomodo laqueis è pilis caudæ equinæ capiantur, & alijs quibuſdam. & capite 28. quomodo feriantur ſagittarum illo genere quod caput craſſum habet, pulzones uocat. Columbæ retibus capiuntur ut palumbi, (uide in Palumbo E.) ſed facilius laqueis, Oppianus tertio Ixeuticorum. Diuus Baſilius in epiſtola ad Iulittam, columbas agreſtes & αὐτονόμας à quibuſdam capi ſcribit allectas per manſuetam, quam aliquandiu domi familiariter aluerint, hanc alis unguento ſuauiter fragrante inunctis emitti ad externas, quæ poſtea ipſam domum reuolantem ſuauitate odoris inuitatæ comitentur. Serapio ſcribit columbas perimi deuoratis frugibus aut fabis madefactis aqua, in qua elleborus albus maceratus fuerit.

¶ Nihil columbis fœcundius, Itaq; diebus quadragenis concipit, & parit, & incubat, & educat, & hoc

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 315 sur 825

& hoc ferè totum annum faciunt. Tantummodo interuallum faciunt à bruma ad æquinoctium uernum. Pulli nascuntur bini, qui simulac creuerunt, & habent robur, cum matribus pariunt, Varro. Nos plura de columbarum fœcunditate scripsimus supra in c. Fœcunditas columbarum (inquit Columella) quamuis longè minor sit, quàm est gallinarum, maiorem tamen refert quæstum. Nam & octies anno pullos educat, si est bona matrix, & precijs eorum domini complent arcam, sicut exi mius autor M. Varro nobis affirmat, qui prodidit etiam illis seuerioribus suis temporibus paria sin gula, millibus singulis sextertiorum solita ueníre. Nam nostri pudet sęculi, si credere uolumus, in ueniri qui quaternis millibus numûm binas aues mercentur. Quanquam uel hos magis tolerabiles putem, qui oblectamenta delitiarum possidendi, habendiq; causa graui ære & argento pensent, quàm illos, qui Ponticum phasim, & Scythica stagna Mæotidis eluant. Iam nunc Gangeticas, & Aegyptias aues temulenter eructant, Hæc ille. Paria singula uulgo ueneunt ducenis numis, nec non exímia singulis millibus numûm (hoc est denarijs 250. Gallico uerò nomismate libris quinqua ginta Turonensibus, Rob. Cenalis) quas nuper cum mercator tanti emere uellet à L. Axio equite Romano, minoris quadringentis denarijs (hoc est libris Turonicis octoginta, Rob. Cenalis) daturũ negauit. Axius, Si possem, inquit, emere πθεισφαῖνα factum, quemadmodũ in ædibus cum habere uellem, fictilia columbaria, iam ijssem emptum, & misissem ad uillam. Quasi uerò (inquit Pica) non in urbe quoq; sint multi, columbaria qui in tegulis habent. An tibi nõ uidentur habere πθεισφαίνας, cum aliquot supra centum millium sextertium habeant instrumẽtum? è queis alicuius totum emas censeo, & antequam ædifices rure, magnum condiscas hic in urbe quotidie lucrũ ex asse semissem condere in loculos. Qui nostro tempore in nostris regionibus (in Italia circa Bononiam) rem ex perti sunt, columbas dicunt post sex menses parere, & nõ prius: & quandiu uiuunt quater aut quin quies, aut sexies, aut etiam amplius per annum parere, si alimentum abunde contingat: sin minus, ter saltem parere, uidelicet per æstatem, Crescentiensis. Agriculturę studiosis utilissima est colum barum possessio, cum ob alias causas, tum uel maximè ob commoditatem stercoris atq; pullorum, qui ægris conualescentibus admodum necessarij sunt. Reddunt enim columbæ uectigal magnum suis possessoribus: & quum duos tantum mẽses hyemis nutriantur sub tecto, reliquo anni tempore sua industria ex agris sibi quæritant pabulum, Florentinus. Columbarum amore insaniunt multi, ac super tecta exædificant turres ijs, nobilitatemq; singularũ & origines narrant, uetere iam exem plo. L. Axius eques Romanus ante bellum ciuile Pompeianum denarijs quadringentis singula pa ria uendidit, ut M. Varro tradit. Columbas redire solere ad locum licet animaduertere, quod multi in theatro è sinu missas faciunt, atq; ad locum redeunt, quæ nisi reuerterentur, non emitteren tur, Varro.

¶ De columbario seu peristereône. Vulgo columbarium uocant stabulum columbarum, ipsum ædificium & locum columbis alẽdis accommodatum: & ita Palladius quoq; appellat: Verum Columella & M. Varro columbaria capiunt pro nidis & loculamentis & cellis, in quibus singula paria fœtificant, Phil. Beroaldus. Columborum etiam possessio non abhorret à cura boni rustici. Sed id genus minore tutela pascitur longinquis regionibus, ubi liber egressus auibus permittitur, quoniam uel sumptis turribus, uel ædituissimis ædificijs assignatas sedes frequentant patentibus fe nestris, per quas ad requirendos cibos euolitant. In peristereône (inquit Varro) uno sæpe uel quin que millia sunt inclusæ. πθεισφεὼν fit, ut testudo, magna camera tectus, uno ostio angusto, fenestris punicanis aut latioribus, reticulatis utrinq;, ut locus omnis sit illustris. Néue serpens, aliúdue quod animal maleficum introire queat, intrinsecus quàm leuissimo marmorato toti parietes ac cameræ oblinuntur, & extrinsecus circum fenestras, ne mus, aut lacerta qua adrepere ad columbaria possit. Nihil enim timidius columba. Singulis paribus columbaria fiunt rotunda in ordine crebra. Ordi nes quàm plurimi possunt à terra usq; ad cameram. Columbaria singula esse oportet, ut os habeant, quo introire & exire possint, intus ternorũ palmorum ex omnibus partibus sub ordines singulos tabulæ fictæ (factæ,) ut sint bipalmes, quo utantur uestibulo, ac prodeant. Aquam puram esse opor tet, quæ influat, unde & bibere, & ubi se lauare possint. Permundæ sunt enim hæ uolucres. Itaq; pa storem columbaria quotquot mensibus crebro oportet euerrere. Est enim quod eum inquinat lo cum, appositum ad agriculturam, ita ut hoc optimum esse scripserint aliquot, siue si columbam quid offenderit, ut medeatur: si qua perierit, ut efferatur. Si qui pulli idonei sunt ad uendendum, promat. Item quæ fœtæ sunt, ut certum locum discluſum ab alijs rete habeant, quo transferantur, è quo foras euocare possint matres. Quod quidem faciunt duabus de causis. Vna, si fastidiunt aut inclusæ con senescunt, quo libero aëre cum exierint in agros redintegrentur. Altera de causa propter illicium. Ipsæ enim propter pullos, quos habent, utiq; redeunt, nisi à coruo occisæ, aut ab accipitre intercep tæ, Hæc Varro. Nec in plano uillæ loco, (inquit Columella) nec in frigido, sed in ædito fieri tabu latum oportet, quod aspiciat hybernũ meridiem. Eiusq; parietes, ut in ornithone præcepimus, con tinuis cubilibus excauentur: uel si ita non competit, paxillis adactis tabulæ superponantur, quæ uel loculamenta, quibus nidificent aues, uel fictilia columbaria (nidi seu loculamenta, quæ è uiminibus etiam non improbãtur, Grapaldus) recipiant, præpositis uestibulis, per quæ ad cubilia perueniant. Totus autem locus, & ipsæ columbarum cellæ poliri debent albo tectorio, quoniam eo colore præ cipuè delectatur hoc genus auium. Nec minus extrinsecus læuigari parietes maxime circa fene-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 316 sur 825

ſtram, & ea ſit ita poſita, ut maiore parte hyberni diei ſolem admittat, habeatq; appoſitam ſatis amplam caueam retibus emunitam, quæ excludat accipitres, & recipiat egredientes ad aprícationem columbas, nec minus in agros emittant matrices, quæ ouis, uel pullis incubant, ne quaſi graui perpetuæ cuſtodiæ ſeruitio contriſtatæ ſeneſcant. Nam cum paulum circa ædificia uolitauerint, exhilaratæ recreantur, & ad fœtus ſuos uegetiores redeunt, propter quos ne longius quidem euagari, aut fugere conantur, Hæc ille. Columbarium poteſt accípere ſublimis una turricula in prætorio conſtituta, læuigatis ac dealbatis parietibus, in quibus à quatuor partibus (ſicut mos eſt) feneſtellæ breuiſsimæ fient, ut columbas ſolas ad introitum, exitumq; permittant. Nidi figurentur interius, Palladius. Extruere domum conuenit (ut docent Quintilij in Geoponicis Græcis) temporibus (locis) claris & lucidis, tutam ab acceſſu ſerpentium, eamq; illinire accuratè. In ipſius autem columbarij muris, à pauimento uſq; ad ſummum faſtigium, nidi faciendi ſunt, quos nonnulli quidem κοιτὰς appellant, ac ſi dicas loculamenta, nos uerò κρυβίνους (nullã huiuſmodi uocem in Lexicis reperio) dicimus: in quibus ſanè & pullos ædere, & degere coniugatæ debent columbæ. Singulis porrò nidis aſſeres inſerendæ ſunt, ut per eas ipſis tranſitus fiant. In ipſa autem domo latiorem peluim expedit collocare, in qua & bibere & ablui poſsint columbæ, nec ipſius aquæ occaſione homo aſsiduè perturbet eas, id quod certe maximè incommodat. Non tamen prorſus damnandus hominum eſt ingreſſus. Neceſſarium quippe eſt interdum uerrere columbarium, ſimumq; legere: & ſi quid intus ſiniſtre habeat, id corrigere, & inſtaurare, ne ſerpens aut alia reptilia columbas uaſtent atque deturbent. Ego quidem acceſſui reptilium uolens obſiſtere, ubi elegi locum ſelectum remotumq; à contubernio domorum, columnas tranſtuli illuc pro ratione magnitudinis operis fabricandi. Quibus quidem minimè ad rectam lineam, ſed ordine circulari diſpoſitis, imponẽs capita, ac in ipſis poſtea capitibus inſidentibus dictis columnis admodum generoſas trabes (ἐπίσυλα) confirmans tandem ſupra columnas in formã orbis domunculas duas extruxi altitudine cubitorum ſeptem. In earum autem parietibus ab occaſu quidem gratia ſplendoris, feneſtram unam aperiens, ab ortu uerò aliam in hac per quam ſunt egreſſuræ ad paſturam, poſui dictum cathectem (nempe quod retinendi columbas uim poſsidet) unde columbas ad paſcua exire oportet. Cæterum à latere meridionali ianuã conſtitui ut per eam pateat ingreſſus ei, qui curandarum auium prouinciam ſubijt. Hoc enim modo ipſas uolucres hactenus illeſas ſeruaui. Siquidem nec reptilia poſſunt aſcendere per columnas utpote bitumine accurate inductas & læuigatas, neq; item catus, nec aliud animal in eas graſſari poterit quum domus haud quidẽ conſiſtant prope è quibus inſidiari queant. Columbaria (ut ſcribit Creſcentienſis) duobus præcipuè poſſunt fieri modis, aut ſuper columnis & parietibus ligneis muro circundatis lapideo, aut ſuper turri è craſsis muris conſtructa, & utrunq; nidos ſeu nidorum foramina poteſt habere. Sed præſtat in turri lapidea quàm lignea fieri: & nidos interius conſtrui: qui ſi exterius ſint, fimus perditur, qui maximè utilis eſt, & pulli facilius à rapacibus auibus capiuntur. Excitetur ergò turris lapidea ampla anguſtáue pro domini arbitrio, non admodum alta, parietibus læuigatis & dealbatis cemento (tectorio) albo, habens à ſingulis quatuor partibus breuiſsimas feneſtellas ſeu foramina, quæ columbis ſolum ad introitum exitumq; ſufficiant: ſub quibus quàm proximè circuitus lapideus emineat circunquaq;, quo muſtelæ aliæq; nocentes feræ aſcẽdere prohibeantur. Super tectum etiam feneſtra ſit, per quam ingrediantur & exeant columbi, qui ad Solẽ ſuper tecto morari gaudent. Sit autem cancellata lapidibus aut lignis, ne per ipſam rapaces uolucres alis apertis intrare queant. Nidi formantur interius, quos quidam faciunt rectos & mediocriter anguſtos, alij obliquos, quibus incubantes columbæ ſe contineant. Quidam præterea prouidè faciunt feneſtellas latas & modicè concauas ſeu longas. Sunt qui cultellos paruos circa parietes & tectum affigunt, aſſerentes in his columbas libentius incubare. Ego experimẽto didici, columbas quaſdam in muro libentius quàm ciſtellis nidificare, quaſdam è diuerſo: & rurſus alias libentius eſſe in aperto, & ſuper quacunq; re cum nido uel ſine nido incubare, alias gaudere occultari. Quamobrem non inutile puto in columbario cuiuſcunq; generis nidos habere, ut diuerſis columbarum affectibus ſatisfiat. quamuis qui in muro ſunt à fimo & pediculis purgentur facilius, quod crebrò fieri expedit, eò quòd ab eis cum augentur, plurimum incubantes columbæ lædantur. Eſt etiam opportunum quòd intra columbarium ponantur trabes in pluribus partibus, & præcipuè in circuitu, & aſsides (aſſeres) ſuper quibus tempore pluuiarum & niuium & ſuperfluí æſtus, columbæ in magna multitudine morari ac quieſcere poſsint. Sic enim à loco proprio non facile recedent. Purgetur etiam crebrò ipſarum locus, & undiq; ſit decorus. nam in pulchra domo, ſicut & homines, morantur auidius. Hoc animaduertendum, quòd unumquodq; par tres uel ſaltem duos nidos requirit, licet aliquando augeãtur in tantum ut nidos omnes & ſolarium atq; trabes, & cætera loca omnia repleant, Hactenus Creſcentienſis. Colore albicante præſertim delectantur columbi, unde Ouidius: Aſpicis ut ueniant ad candida tecta columbæ, Accipiat nullas ſordida turris aues.

¶ Aluntur in periſtereône columbæ tum clementiores, tum agreſtes & ſaxatiles: ex quibus fit miſcellum tertium genus fructus cauſa, Varro. Qui erigere columbarium uult, is à tenellis columbis auſpicari non debet, ſed ab eis quæ iam ędere pullos cœperunt. Quod ſi in ipſis primis auſpicijs columbarum decem paria iungantur citò quidem multiplicabuntur, Quintilij. Seligendæ uerò ſunt ad educationem neque uetulæ, nec nimium nouellæ, ſed corporis maximi. Curandum ſi fieri poſsit,

poſsit, ut pulli, quemamodum excluſi ſunt, nunquam ſeparentur. Nam ferè, ſi ſic maritatæ ſunt, plures educant fœtus. Sin aliter, certe nec alieni generis coniunguntur, ut Alexandrinæ, & Campanę. minus enim impares ſuas diligunt, & ideo nec multum ineunt, nec ſæpius fœtant. Plumæ color non ſemper, nec omnibus idem probatus eſt: atq; ideò qui ſit optimus, non facile dictu eſt. Albus, qui ubiq; uulgo conſpicitur, à quibuſdam non nimium laudatur, nec tamen uitari debet in iis quæ clauſo continentur. Nam in uagis maxime eſt improbandus, quod eum facilime ſpeculatur accipiter, Columella. Item feras has in turribus, ac ſummis uillis, qui habent agreſtes columbas, quoad poſſunt immittunt in πόδισφεῶνας ætate bona, parantq; ut nec pullos, nec uetulas, totidemq; mares quot fœminas habeant, Varro. In columbarijs nouis columbi prouectiores ætate (inquit Creſcentienſis) ponendi nõ ſunt, quòd ij recedere & ad ſedes priſtinas reuerti ſoleant, ſed iuuenes cum pennas perfectas aut ferè perfectas habent. Præferuntur autem ſaxatiles, ſecundo loco qui à pennarum colore uulgò turgni dicuntur. hi enim in columbarijs melius durãt quàm cæteri. albi uitandi, quòd neq; durare poſsint, & ab auibus rapacibus etiam è longinquo conſpiciantur. Quanto plures quidem initio ponentur, tanto ocyus implebitur locus. Id faciendum eſt præcipuè Auguſto & Septembri menſe, uel etiam Iulio: quo tempore facilius cibum in agris uicinis inueniũt: unde fit ne longius à columbario recedant nec perdantur. Menſe quidem Martio, Aprili uel Maio ponendi non ſunt propter contrariam rationem. Dies circiter quindecim ut minimum includendi ſunt. ſic enim pinguescent (poſtea,) & ad reuertendum peritiores erunt. nam primis quindecim diebus emaciantur. Poſtea uerò per dies aliquot præbeatur eis in columbario (etiamnum incluſis) bonus & copioſus cibus & aqua. Demum emittantur cœlo nubilo uel ſereno. ſed præſtat pluuio emitti. tunc enim egreſsi reuertuntur, nec ſubitò euolant ad remota, Hæc ille. Cæterum cibos iuxta parietem conueniet ſpargi, quoniam ferè partes eæ columbarij carent ſtercore. Commodiſsima cibaria putantur uicia, uel eruum; tum etiam lenticula, miliumq;, & lolium, nec minus excreta tritici, & ſi qua ſunt alia legumina, quibus etiam gallinæ aluntur, Columella. Cibus apponitur circum parietes in canalibus, quas extrinſecus per fiſtulas ſupplent. Delectantur milio, tritico, ordeo, piſo, faſeolis, eruo, Varro. Gratus eis cibus eſt cicercula, fœnogræcum, eruum, piſum, lens, frumentum, & quæ ex eo zizania (lolium nimirum) dicitur, Florentinus. Fœtus frequentant, ſi ordeum torreſactum, uel fabam, uel herbum ſæpe conſumant. Triginta autem columbis uolantibus diurni tres ſextarij tritici ſufficient, aut creturæ, ita ut herbum fœtus gratia menſibus præbeamus hybernis, Palladius. Pastor columbarum ſæpe locum purgato, & limum agriculturæ utilem reponat: & ſi quem ſaucium inuenerit, curet: ſi quem extinctum, eiiciat: ſi qui nimis ferí ac pugnaces alijs moleſti ſunt, remoueat & aliò ſeponat: pullos uendi idoneos depromat, cibum denicq; & potum cum opus erit affatim præbeat, Creſcentienſis. Glans fagi turdis & columbis conuenit, & eorum carnes concoctu faciles facit, Creſcentieñ. Duobus aut tribus menſibus acceptant condititia cibaria, cæteris ſe ipſas paſcunt ſeminibus agreſtibus. Sed hoc ſuburbanis locis facere non poſſunt, quoniam intercipiuntur uarijs aucupum inſidijs: itaq; clauſæ intra tectum paſci debent, Columella. Plura de columbarum cibo ſcripſi ſupra in C. Cauendum ne euolent columbæ, ne ſcilicet nidificent alibi, neue diſtrahantur egreſſæ: quare in fame ſunt exercendæ, (ſic transfert Andreas à Lacuna quod Græcè legitur, ἀλλὰ πρὶν τὸ πεινᾶν ἀσχολεῖσθαι: ubi Cornarius uertit, circa columbarium exerceantur. Vide an pro uerbo πεινᾶν commodius legatur χρῆναι. Senſus quidem hic mihi uidetur, cibum columbis affatim ſuppeditandum, ut ipſæ ſoboli tantum incubandæ, & pullis poſtquam excluſi fuerint alendis, operã dare poſsint, neq; alimentum foris quærendo diutius ab ouis aut pullis abſint.) Si uerò tanta alimenti copia non ſuppetit, matribus tantum educantibus pullos exitus permittẽdus eſt: quod ubi famem illæ expleuerint, citius redeant, pullisq; nutrimentum apportent, Florentinus.

¶ Qui ſaginare ſolent pullos columbinos, quo pluris uendant, ſecludunt eos, cum iam pluma ſunt tecti. Deinde manducato (mollificato & maſticato, uel molli, Creſcentieñ.) candido farciunt pane: hyeme hoc bis, æſtate ter, mane, meridie, ueſperi. hyeme demunt cibum medium. Qui iam pinnas (pennas magnas, Creſcentieñ.) habere incipiunt, in nido relinquunt illiſis (fractis, Creſcentieñ.) cruribus, & matribus, uberius ut cibo uti poſsint, obijciunt. Eo enim totum diem ſe, & pullos paſcunt. Qui ita educantur, celerius pinguiores quàm alij fiunt, & candidiores: parentes eorum Romæ, ſi ſunt formoſi, bono colore, integri, boni ſeminis, Varro. Eadem ratione qua gallinas, palumbos etiam columboſq; cellares, pinguiſsimos facere contingit, neque eſt tamen in columbis farciendis tantus reditus, quantus in educandis. Sed poteſt in hoc etiam auiario (columbario) ſagina exerceri. Nam ſi quæ ſteriles, aut ſordidi coloris interueniunt, ſimiliter ut gallinæ farciuntur. Pulli uero facilius ſub matribus pinguescunt, ſi iam firmis, prius quàm ſubuolent, paucas ſubtrahas pinnas, (alterius alæ, Creſcentienſis,) & obteras crura, ut uno loco quieſcant, præbeasq; copioſum cibum parientibus, quo & ſe, & eos abundantius alant. Quidam leuiter obligant crura, quoniam ſi frangãtur, dolorem & ex eo maciem fieri putent. Sed nihil iſta res pinguitudinis efficit. Nam dum uincula exercere (exerere, excutere) conantur, non conquieſcunt, & hac quaſi exercitatione corpori nihil adijciunt. Fracta crura non plus quàm biduí, aut ſummum tridui dolorem afferunt, & ſpem tollunt euagandi, Columella.

¶ Columbis utile eſſe aiunt lutum rubrum, quod appetitum in eis excitet, & pullis ſtatim dari

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 318 sur 825

debeat. Hoc Aristoteles de terra salsa scribit, eamq; à parente mare pullis recens natis in os inferi.

¶ Columbi qui nascuntur in colũbario, uel parui in eo ponuntur, non facile recedunt, etsi quando ad alia columbaria se conferunt in quibus cibum inueniunt, quum non prębetur eis in suo nec in agris inueniunt, sed omnes ferè postea tempore quo non egent cibo, reuertuntur ad locum proprium: ad quod maximè refert ut columbarium pulchrum & bonum sit. Si temporibus quibus non inueniunt escam copiosè eis præbeatur domi, ut cum nix uel gelu magnum obtinet, & mense Aprili & Maio aratis stipulis, non recedunt, & plurimos fœtus ædunt. Cibus quidem eis conueniens est frumentum, faba, uicia, melica, & alia genera quibus uesci gaudent. Pro centum autem paribus columbarum detur granorum pars corbis octaua diebus singulis, & duplum cum nihil omnino per se inueniunt. Potus etiam in columbario adsit sufficiens, quoties aquam nisi ualde remotam propter æstum uel gelu inuenire non possunt. uel in aliquo uase prope columbaria ponatur, quò descendere possint. Precipuum sanè & ferè necessarium eis est, quòd sedes ipsorum sit prope locum in quem aqua influat, unde & bibere & ubi lauari possint. Laudatur etiam ut omne genus granorum eis exhibeatur, ut sunt frumenta, faba minuta, cicercula, uicia, orobus, melica, hordeum, spelta, lolium, & alia, ut quodnam præcipuè appetant obseruetur, & id præcipuè detur eis ut auidius ibi mòrentur & pluries pariant. Palladius probat ut æstate quæ maximè pinguescunt triticum uel milium mulsa maceratum semper accipiant. Quibuscunq; enim granis mulsa remollitis pastæ non recedent, & alias secum adducent, quod non pauci asserunt. Alij uerò dicunt non referre an sit mellita esca nec ne, cum eis datur esca uesperi potius quàm mane, ut interdiu escam sibi quærere curent, & qui non inueniũt, intus inueniant nam si daretur mane, non curarent alibi inuenire. Sed tempore niuis mane dari oportet, ne exeant ad loca in quibus capiuntur, cum certum sit alibi non posse inuenire, Crescentiensis. Columbas abigit graueolentia, Basilius. Debet custos sępe ad columbas accedere: & quoties in columbarium intrat aliquam escam modicam secum portare tempestiuè, easq; semper aliquo certo & consueto modo uocare, ut magis mansuescant. Idem tegulam figlinam pro aqua in columbario collocare, quæ assidem (asserem) habeat supra se aliquantulum eleuatam, habentem multos & spissos pedes incisos atq; adhærentes, inter quos possunt caput ponere & aquam haurire nec in uas intrare, ut aqua munda permaneat, Crescentiensis. Vasa, quibus aqua præbeatur, similia esse debent gallinarijs, quæ colla bibentium admittant, & cupientes lauari, propter angustias non recipiant. Nam id facere eas nec ouis nec pullis, quibus plerunq; incubant, expedit, Columella.

¶ Oppianus libro 1. de uenatione author est colores in columbis artificiales fieri posse. nam cum colũbæ, inquit, Veneris desiderio mouentur, & oscula iam maritis miscent, columbarius pulcherrimas uarias præsertim purpureas uestes in conspectum earum exponit, quibus illæ delectatæ pullos etiam eiusdem coloris ædunt.

¶ Locus autem subinde conuerri, & emundari debet. Nam quanto est cultior, tanto lætior auis cõspicitur, eaq; tam fastidiosa est, ut sępe sedes suas perosa, si detur cuolãdi potestas, relinquat, quod frequenter in his regionibus, ubi liberos habent egressus, accidere solet. Id ne fiat uetus est Democriti præceptum. Genus accipitris tinnũculum uocant rustici, qui ferè in ædificijs nidos facit. Eius pulli singuli fictilibus ollis conduntur, stipatisq; opercula supponuntur, & gypso lita uasa in angulis columbarij suspenduntur, quæ res auibus amorem loci sic conciliat, ne unquam deserant, Columella. Columbæ tinnunculos præcipuè amant, à quibus contra accipitres defenduntur. feruntq; si in quatuor angulis defodiãtur in ollis nouis oblitis, non mutare sedem columbas: Quod auro insectis alarum articulis quæsiêre aliqui, non aliter innoxijs uulneribus, multiuaga alioquin aue, Plinius. Tradunt ueteres quòd si columbarum alæ annulo aureo argenteóue inurantur, cito & libenter eas ad columbarium semper suum redituras, nec deserturas unquam, Serapio. Non pererũt, & neq; locum deserunt, si per omnes fenestras aliquid de strangulati hominis loro, aut uinculo, aut fune suspendas. Inducunt alias, si cumino pascantur assidue, uel setosi hirci alarum balsami liquore (cadanum uidetur intelligere) tangantur, Palladius. Columbæ persistent, & alias peregrinas perducent secum, si fragranti unguento eas unxeris: uel si cyminum uorandum dederis abeuntibus ad pastũm. Quòd si lygi (id est uiticis) semen triduo in uetere uino macerâris, ac postea orobos eodem uino madefactos columbis obtuleris, & mox eas abegeris, ut primum columbæ exterę halitum sentirint, continuo omnes festinabunt ad columbarium. Citius reuocabis columbas elelisphaco (id est saliua) unà cum thure intra columbarium combusto. Perseuerabunt etiam columbæ si caput uespertilionis posueris in columbarij fastigio: aut etiam uitis agrestis ramum quo floruit tempore decerptum in colũbario reposueris, Didymus. Et rursus, Ianuas atq; fenestras nec nõ angulos colũbarij oleo opobalsami inungito, & sic manebũt. Nec etiã fugiẽt si cyminũ lentemq; melicrato infusa sparseris. Si melicratũ dederis illis in potum, ac lentibus per se passo incoctis eas cibâris, prolẽ non deserent. Non recedẽt & alias secũ adducent, si granis quibuscunq; mulsa maceratis pascantur, ut supra recitaui ex Crescentiensi. Præparant aliqui retinẽdis columbis hocce pharmacũ amatorium. Testulam (ostracum) cribratã & coctum, cũ ueteri odoratoq; uino miscẽtes simul, eis porrigunt exeuntibus ad pasturam. Sunt qui hordeaceam farinam unà cum caricis (ficubus siccis) coquentes & læuigantes mellis aliqua portione adiecta, columbis offerant. Alij ad pastum prodeuntibus dant cyminum, Didymus. Cracca ex leguminibus degenerat, in tantum columbis grata, ut pastas ea negent

gent fugitiuas illius loci fieri, Plinius. Rex Cypri in Pupho inter cœnandū columbarum circumuolantium alis nec alio flabro uentilabatur. Vngebatur enim unguēto quodam Syriaco, cui admixtus erat copiosè fructus quidam cuius cibo columbas delectari aiunt. Itaq; aduolantes odore allectæ tanquam in caput regis insessuræ, cum proximè erant à pueris repellebantur: unde parum auolantes mox reuolabant, ita ut subinde regem mediocri & commodo flatu refrigerarent, Athenæus lib. 6. Peristereon uocatur herba, caule alto, foliato, cacumine in alios caules se spargens, columbis admodum familiaris, unde & nomen, Plinius. Sunt qui hanc in columbario spargi, & circa nidos suspendi suadeant. Salsa adeò appetere dicuntur, ut nec hospitia commutent si argillam parietum sale condiueris; & iure caseorum delectari, quod à salsis dēmanat caseis. Sunt qui pro retinendis columbis in fenestra columbarij ponant argillā de furno admixta uicia. Columbæ allicíuntur hoc pastillo: Maizi seu sorgi lib. LX. cymini libræ V I. mellis X. costi libr. I. seminis uiticis libræ V. coquuntur omnia in aqua ad illius consumptionem, inde additur uini odorati optimi quantum sufficit cum libris quindecim cæmenti uetusti: & fit tumulus in columbarij medio. Columbæ aliæ cum odorem senserint ad locum ueniunt, sentiunt autem cum ipsis commiscentur indigenis columbis, cum semel adierint locum relinquere nequeunt, suauitate cibi allectæ, Hier. Cardanus. Herba carlina uulgò dicta, quæ chamæleontis species est, columbis obijcitur alijs quibusdā mixta, ut euolantes alias secum adducant. Escam columbarum quo multas alias uenentur, è radice carlinæ conficiunt hac ratione: Radici adiungunt lutum adustum de clibano, mel, urinam, muriamq; qua haleces (harengæ) conditæ fuerint, (häringlack,) & massam inde formatā columbarijs imponunt, Hieron. Tragus interprete Dauide Kybero. Sunt qui radicem carlinæ in aqua coquant, cui adijciunt lutum ruffum de furno in urina remollitum simul cum salis manipulo in eadem dissoluti, & modicum mellis. Alij carlinam cum pisis albis melle excipiunt: ad cuius massæ odorem columbæ allíciuntur. Sunt qui in unum subigant carlinam, cannabis semina, coriandrum, & lutum fornacis ueteris cum urina. Nonnulli sanguinem humanum (ut audio) cum pisis integris in uase figlino per quadrantem horæ circumagunt, deinde sanguinem manu columbis illinunt, & pisa edenda obijciunt, ut hoc remedio adhibito tum ipsæ maneant, tum alias allíciant. Cumino quidem (quod medici & pharmacopolæ Romanum uulgò cognominant) mirificè columbas delectari asseritur, itaq; hæc semina cum terra figlina miscent, adduntq; legumina quædam, & salem forte, aliqui linteola, quibus inclusa hæc semina fuerint, subalis columbarum alligant. hunc enim odorem columbæ aliænæ sequuntur. rem aiunt certam esse, ac lege prohibitā in aliquibus Italiæ locis, ubi sacerdotes etiam qui confitentes audiunt inter genera furti super hoc inquirant. Columbę amabunt locum, & alias etiam adducent, ut quidam mihi asseruit, si caput caprę excoriatum in aqua coquatur, cum copioso (libræ pondere fortasis) cumino Romano, & multo sale, (quatuor unciarum forte,) quod deinde in columbario ponatur. Vasculum uitreum impleto lacte mulieris puellam lactantis, & in columbario suspendito, sic enim augebuntur & allicietur aliæ, eruntq; mansuetiores, Ex libro Germanico manuscripto.

¶ Contra animalia columbis noxia. Aduersus serpentes & alias animantes noxias quomodo struí possit columbarium super columnis, recitatum est supra ex Quintilijs. Nemus aut lacerta adrepat, partes columbarij circa fenestras læuissimo marmorato oblinūtur: ac similiter toti parietes & cameræ intrinsecus, ne serpens aliúdue quod animal maleficum introire queat, Varro. Rutæ ramulos in columbarijs pluribus locis oportet contra animalia inimica suspendere, Palladius. Auicenna quidem mustelas etiam ruta fugari scribit, id quod mireris cum eandē impugnaturæ serpentes gustare dicantur, uide in Cato E. Didymus etiā ad feles (æluros) abigendas rutam poni suspendíq; iubet passim in columbario, præcipuè circa fenestras atque aditus omnes. Ruta enim (inquit) uim possidet feris aduersantem. A mustelis tutæ fient, si inter eas frutex uirgosus sine foliis asper, uel uetus spartea proijciatur, qua animalia calciantur, ut eam secretò non uidentibus alijs unus attulerit, Palladius. Mustelæ cinis pullis columbinis datus in offa, tutetur eas à mustelis, Plin. Caput lupi in columbario suspensum, ne catus uel furo, uel aliud animal columbis nocens accedat, efficit, Rasis & Albert. Læduntur columbæ à faginis (mustelis rusticis quas uulgò foynas uocāt, à fago, nostri Martes fagorum) mustelis & catis, & cæteris pluribus animalibus quæ de raptu auium uiuunt, contra quæ debet custos hostium & omnia loca unde intrare possunt diligenter claudere, & stafas circunquaq; eminentes procurare, ne quid sursum per parietē repere possit. Columbarium habeat appositam satis amplam cauēam, retibus emunitā, quæ excludat accipitres, &c. Columella, ut supra recitatum est. Cortios aut accipitres qui columbas intercipiunt columbarij interficere solent, duabus uirgis uiscatis defixis in terram inter se curuatis, cum inter eas posuerint obligatū animal, quod intercipere soleant accipitres, qui ita decipiuntur, cum se obleuerint uisco, Varro. Læduntur columbæ ab auibus rapacibus tam diurnis quàm nocturnis: cōtra quas (nocturnas) claudat custos de nocte fenestram: uel si ea aperta intrauerit auis rapax, & ipse perturbationē ac strepitum columbarum audierit, intret audacter cum lumine, auemq; captam occidat, nec curet de exitu columbarum. Aues autem diurnas uisco uel paruo reticulo capiat & occidat. Fenestram de subsellis cancellet & claudat, ut columbi intrare ualeant & exire, non autem auis rapax quæ non nisi alis apertis intrat, Crescentiensis. Serpens non ingredietur columbarium, si in quatuor angulis eius

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 320 sur 825

hanc uocem ἀλλᾶμ inſcripſeris, feneſtræq; (hoſtio, Florentinus) etiam ſi illam habeat. Abiges autem ipſos ex peucedano ſuffimentum molitus, Democritus & Florentinus. Sed de remedijs quibus ſerpentes pellantur, copioſè ſcribemus in Serpente in genere.

¶ Moleſtantur pulli plerunq; etiam pediculis, quos cuſtos inquiret, & nido abiecto alium mundum reponet. Item naſcuntur eis uarioli circa oculos qui exeçcant eos, maximè menſe Auguſto. Vendendi ſunt aut comedendi cum ſolo capite ſunt infecti, Creſcentienſis.

¶ Impoſtores quidam aromatibus ſanguine columbino exceptis ſiccatisq; ad Solem, rurſusq; tritis & aqua roſacea moſchata aliquoties rigatis ſiccatisq;, quarta uel tertia parte moſchi ueri admixta, moſchum adulterant. ¶ Margaritas aliqui ſic mentiuntur: Conchas paluſtres in forti lixiuio coquunt, donec cortices nigri ſeparari poſsint, reliquum album contundunt, & rore inter Pentecoſten & Auguſtum collecto deſtillatoq; excipiunt, ſubigunt, & globulos minutos formant, quos aciculà pertuſos filoq; inſertos ad Solē indurant. tum columbis deuorandos obijciunt, ita ut cibi aliud nihil præbeant, in loco puro, & per aluum reddítos ſeligunt in cribro, abluunt, & aliquandiu coquunt in aqua calcis clara & forti: demum Soli per dies octo exponunt, ut perfectè dealbentur. Alij conchas in forti aceto ad Solem uel iuxta fornacem macerant, ut à cruſta nigra purgari poſsint.

¶ Sunt qui antidotorum uim in columbis experiantur: nam poſtquam duabus columbis uenenum (arſenicum ferè) dederint, alteri mox antidotum præbēt, alteram relinquunt: quòd ſi hæc moriatur, illa ſuperuiuat, antidotum ceu rectè paratam & hominibus etiam aduerſus uenena auxiliarem prædicant. Aliqui ut uerum monocerotis cornu, quod in ſuperandis uenenis nulli antidoto cedat, ſe uendere declarent, aquam in qua illud iniectum fuerit, columbæ alteri à ueneno ſuperbibendum dant: alteram ſinunt, ut dictum eſt. Sed homines impoſtores, niſi diligentiſsimè caueatur, hîc quoq; fraudem facere poſſunt. nihil enim non comminiſcitur auaritia. ¶ De columbis quæ epiſtolas pertulerunt, dicetur in Philologia e. ¶ Homerus Iliados penultimo celebrationem funeris Patrocli deſcribens inter reliqua aliorum certamina, ſagittarios columbam (πελειάδα) funiculo ſuſpenſam à malo nauis, eminus eam impetentes facit.

¶ Fimum columbarum ad agriculturam appoſitum eſt, ita ut hoc optimum eſſe ſcripſerint aliquot, Varro. Et rurſus, Stercus optimum ſcribit Caſsius eſſe uolucrum, præter paluſtrium ac nantium. de hiſce præſtare columbinum, quòd ſit calidiſsimum ac fermentare poſsit terram. id ut ſemen aſpergi in agro oportere, non ut de pecore aceruatim poni. Ego arbitror præſtare ex auiarijs turdorum ac merularum. Caſsius ſecundum poſt columbinum ſcribit eſſe hominis: tertiò caprinum, &c. Proximum turdorum fimo Columella columbarijs, mox gallinarijs facit. Aliqui columbaria præferunt, proximum deinde caprarum eſt, &c. Plinius. Columbinum feruidiſsimum, cæterarumq; auium ſatis utile eſt, excepto paluſtrium, Palladius. Stercus columbinum ſpargere oportet in pratum, uel in hortum, uel in ſegetem, Cato. Fimus columbarum optimus eſt omnibus plantis & ſeminibus, & poteſt ſpargi quocunq; tempore anni quoties aliquid ſeritur cum ipſo ſemine, ac etiam poſtea quandocunq;. & unaquæq; corbis huius fimi æquiualet fimi ouium quadrupedum plauſtro. nam ex uiginti corbibus ſatis commodè, ex uigintiquinq; bene, ex triginta optimè impinguatur iugerum frumenti, ſi manibus per agrum ſpargatur æqualiter, & cum ipſo grano tunc ſato uertatur. Tria quidem paria columbarum in anno faciunt corbem fimi, ſi columbaria nidos intrinſecos habeant. & quò magis cibantur in columbario, tanto plus fimi recipietur ab eis. ſic enim diutius in eo morantur, nec ſemper coguntur extra quærere uictum, Creſcentienſis.

¶ Facta eſt fames magna in Samaria, & tandiu obſeſſa eſt, donec uenundaretur caput aſini octo argenteis, & quarta cabi ſtercoris columbarum quinq; argenteis, ut legitur 4. Reg. 6. æquat autem quarta pars ſextarium Atticum, argenteus numus (qui idem ſtater & ſiclus dicatur) quatuordecim ſolidos Gallicos ualebat, ut Robertus Cenalis computat. Mirari uerò aliquis meritò poterit (inquit idem Robertus) in quem uſum tanti emeretur fex illa columbina. Sunt qui dicant ad ignem conſtruendum: quod minimè credibile eſt, cum nec huiuſcemodi materia ignem foueat, nec tam abundans eſſe potuerit ut ciuitati ſatis eſſe poſſet. Exiſtimāt alij in ſtrumis columbinis recondita granula nondum digeſta empta fuiſſe ab his qui inediam patiebantur. At nec id quidē fidem meretur. nam unde illis tanta copia, ut columbos alerent, cum deeſſet pabulum tribus aut quatuor equis alendis? Rectius ergo ſentit Ioſephus, quòd fece illa columbarum utebantur obſeſsi uice ſalis. quæ ſanè miſera conditio ſummæ calamitatis ſpecimen dabat.

¶ Columbino ac ſuillo fimo plagis quoq; arborum medentur, Plinius.

¶ In ea Myſia quæ eſt Aſiæ pars, domus hac aliquando ratione cōflagrauit. Erat proiectum columbinum ſtercus, cui iam putri & excalfacto ac uaporem edenti & tangentibus admodum calido, in propinquo feneſtra fuerat ita, ut iam contingeret eius ligna, quæ largè nuper illita reſina fuerant. media igitur æſtate cum Sol plurimus incidiſſet, accendit tum reſinam tum ligna. hinc autem & fores quædam aliæ, quæ propè fuerant, & feneſtræ nuper etiam reſina illitæ facile ignem conceperant, atq; ad tectum uſq; ſum miſerant. Galenus lib. 3. de temperamentis. meminit etiam primo de differentijs febrium, & in libro de cauſis morb. & libro ſexto de medicamentis ſimplicibus columbarum agreſtium ſtercus maiori tempore perfectè accendi ſcribit, & ignem ex illo diutius durare.

¶ Columbæ ueſperi tardius ſolito ad columbarium reuolātes, ſignum faciunt pluuiæ, Incertus.

Auiuſm

F.

Auium caro minus nutrit quàm quadrupedum, ſed facilius concoquitur, præcipuè perdicis, attagenis, columbæ, gallinæ, Galenus lib. 3. de aliment. Idem in libro de cibis boni & mali ſucci, inter alimenta laudata & neq; tenuem neq; craſſum ſuccum gignentia, columbas adnumerat. In libro de uictu atten. turricolas domeſticis ad tenuantem uictum præfert. eaſdem Pſellus inter attenuantia recenſet. Gregales in turri nidificantes conueniunt ſiccis, Galenus lib. 6. de ſanit. tuenda. Idem in libro de attenuante uictu, columbas modicè edendas cõſulit iis qui otioſè uiuunt. Pſellus columborum & palumbium meminit inter ea quæ humores excrementitios pariant. Rurſus Galenus in libro de uictus ratione in morbis acutis columbas olim languentibus dari conſuetas refert: & in libro de renum affectibus, columbas ceu cibum laudabilem commendat. Columbæ nimium calidæ ſunt, & ſanguinem accẽdunt, & corpus obnoxium febribus reddunt. quamobrem ſalubrius in paſtillis ſumentur cum uuis acerbis quàm aſſæ. ſic enim minus calfacient ſanguinem. Veteres quidem columbæ (ut & nouellæ priuſquam euolarint) propter caliditatem nimiam & ſiccitatem & concoctionis difficultatem, (& quia craſſum malumq; ſuccum generant, Mich. Sauonarola) uitari debent, Arnoldus Villanou. Veteres durioris alimenti ſunt & improbandi, Platina. Purum autem hoc animal eſſe uidetur, ſiquidem cum aëris conſtitutio peſtilens eſt, omniaq; tam animata quàm inanima, ea afficiuntur, quotquot hoc ueſcuntur animali, ſoli ab hac lue immunes ſeruantur. ideoq; hoc tempore regi in cibo ſumendo nihil aliud præter columbas apponitur: idemq; iis, qui quòd diis miniſtrent puri caſtiq; permanent, Orus in Hieroglyphicis. Ex uolucrium genere gallinæ altiles omnibus præſtant: deinde perdices & palumbi debilis nutrimenti gratia exhibendi, turtures q; altiles & columbæ, Aetius 9. 30. in cura colici affectus frigidi & phlegmatici. Inter aues laudantur palumbus, columbus, & aliæ quæcunq; haud ita multum pingues ſunt, Aretæus in cura cephalæę. Hippocrates in libro de internis affectionibus diætã præſcribens in morbo hepatico quodam, columbas edi iubet.

¶ Pulli columbarum admodum neceſſarij ægris conualeſcentibus exiſtunt, Florentinus. Columbarum pulli ſunt boni chymi & ſubtilis, Galenus in libro de diſſol. contin. Sanguinem generant calidiorem & craſsiorem temperato, Ibid. Ab eodem libro 8. methodi medendi columbæ iuuenes laudantur pro calidis & ſiccis. Pulli columb. calidi & humidi, craſsiq; ſucci ſunt, quod animaduertitur ex grauitate motus eorum, & quoniam calidi actu ſunt, & cibos celeriter percoquunt, Auerrois. quare ueteres cum frigidis ſumi præcipiunt, ut cum aceto (liquore) uuæ acerbæ, pomi citrini (citrij) portulaca, lactuca, ſcariola, coriandro & ſimilibus. qui uerò iam uolare incipiunt, minus iam graues & concoctu leuiores ſunt. Conueniunt phlegmaticis non cholericis, Auicẽna & Raſis. Columbulorum caro uel pullorum columbarum calida eſt & humida & ſuperuacanea, hoc eſt ſuperfluitatis multæ, & præcipue domeſticorum, & ſanguinem craſsiorẽ calidioremq; mediocri gignit, atq; ideo nonnunquam febres facit, & frigiditate dolentes renes iuuat, ſeminiq; genitali & ſanguini adijcit, caput uerò & oculos lædit. Ferunt etiam, ſi nimiũ uſurpetur, lepram gigni, Symeon Sethi. Pulli columbarum qui iam uolare incipiunt, in cibo uires augent, Nic. Maſſa. His rite paratis medici ueſci conſulunt iis qui parũ ſanguinis habent, & quos uires ac calor innatus deſtituunt, præſertim ex longo morbo. Conferunt autem proprietate quadam dolori renum, ſperma & ſanguinem augent, Raſis. Sunt ex Arabum ſchola qui tradãt corpora pullorum columborum eſſe tardæ digeſtionis (cõcoctionis) & longæ moræ in ſtomacho. Raſius tamen, Columbus (inquit) leuis eſt cibus & ſubtilis. Et rurſus, Eſt cibus mirabilis (ſi rite paretur) ad caliditatem declinans. Pulli columbini numerantur à Rufo in ſecundo ordine auium laudabilium cum perdicibus, &c. nam in primo ordine calandrellas & ſachar (aliàs ſathur pingues) ponit. Pulli columbini turtures & filacotonæ, natura inter ſe proximæ ſunt. Sed pulli columbini nocẽt cerebro & oculis, preſertim aſsi: & multos ſuperfluos humores generãt. Sanguis eorum facile corrumpitur, (putreſcit, Haliabbas,) & morbos ſanguineos producit: & cibi cum ſucco ab his pullis deſtillante parati, quibus ſi adderetur pingue ex iiſdem columbis, augerent coitum & renibus prodeſſent, Elluchaſem ex Galeno, Theodoſio & Hippocrate ſi rectè citat. Pipiones nondum uolantes calidæ & humidæ plus quàm ſatis eſt naturæ ſunt, & ob hanc rem tardæ concoctionis habentur, Auicenna. Multum alimenti ac plus ſanguinis generant, unde inflammationes & febres oriuntur, Platina. Synanchẽ eam ob cauſam aliquando inducunt: & propter cibum eorum perijt quidam Caſsiſa nomine, qui diẽ uno comederat terde aſſa columba, Raſis. Craſſos humores generant propter nimiam humiditatẽ, Auicenna & Arnoldus. ¶ Qui tentare iam uolatum incipiunt, leuius concoquuntur, & ſuccum meliorem præſtant. debent autem ab hominibus calidi temperamẽti edi cum omphacio & coriandro & medulla citroli, (mali citrij nimirum: nam & Bapt. Fiera in magno calore labruſca condiri iubet, & acribus pomis, quanquam Albertus ex Auicenna legit citrulli, quod eſt genus cucumeris,) Auicenna. Sa lubriores ſunt, maximè ſi cocti ex agreſta fuerint, ne biliioſis ob caliditatem obſint. Hic cibus (columbarum iuuenum iam uolucrium) pituita laborantibus non incongruit, Platina. Volantes propter motum minus humidæ ſunt, & meliores, Albertus. Caro columbarum iuuenum calida eſt uſquè ad ſecundum gradum, & humida amplius, Mich. Sauonarola. Coitum promouent, R. Moſes in Aphoriſ. ¶ Columbarum proles præſtantior uere quàm autumno eſt: deterrima æſtate, & om-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 322 sur 825

nino tempore calidiore, Aristot. Per uer & autumnum meliores sunt columbuli, (quoniam his temporibus granis maximè uescuntur, Albertus) quàm qui per æstatem & hyemem nascuntur, Symeon Sethi. ¶ Columbarum pulli dantur his quibus dolet caput, apud Galenum in opere de compos. sec. locos. Aretæus elephantiacos perdicibus & columbis uesci iubet. Morsus à cane rabido, postquam mala symptomata sedata fuerint, post triduum cibetur pullis auium præter columborum, Arnoldus. Pipionis coxam præ cæteris partibus ganeones laudant.

¶ Columbino sanguine aliquos uesci, nec esse illum suillo inferiorem, leporino uerò multò peiorem, Galenus author est lib. 3. de alim. facult. Sanguis pullorum columbinorum facile corrumpitur & morbos sanguineos producit, Elluchasem.

¶ Oua columbarum percalida habentur, & mali saporis, Auicenna. nec facile indurantur per assationem, Albertus. In cibo sumpta intensionem (colis) præstant, Kiranides.

¶ Apparatus ad cibum. Columbi elixantur aliquando, sed ut plurimum assi uel in sartagine cocti comeduntur, Nic. Massa. Sunt qui sub alis compressos digitis circa cor suffocent: alij in collo superius uenam incidunt ut sanguis omnis effluat, qui etiam salubrius facere uidentur. Aut relinquendi sunt, aut assandi desiccandiq; cum frigidis & siccis condimentis. syluestrium autem uel eorum qui in turribus degunt non admodum pinguium caro, melius elixabitur, Ant. Gazius. Obseruandum ut capita eorum abscindantur cum præparantur; quoniam habent uim quandam morbum capitis chronicum generandi, teste Rasi Aphorism. 4. Auenzoar etiam in Teisir 9. 10. capita eorum & colla abscindi iubet, cuius rei causam alibi eandem assignat. Messos (Almosos, Syluaticus) genus est cibarij, ut cum columba in aceto, uel rhu, uel omphacio, uel succo limonum aut granatorum acidorum coquitur, cuius uentri imponitur menta uel gelatina, ut legitur apud Auicennam cap. 7. de uictu hecticorum, Vetus glossographus Auicennæ & Syluaticus. In palumbis & columbis altilibus: Piper, liguslicum, coriandrum, careum, cepam siccam, mentham, oui uitellum, caryotam: mel, acetum, liquamen, oleum & uinum. Aliter in elixis: Piper, careum, apij semen, petroselinum, condimenta moretaria, caryotam: mel, acetum, uinum, oleum & sinape. Aliter: Piper, liguslicum, petroselinum, apij semen, rutam, nucleos, caryotam: mel, acetum, liquamen, sinape & oleum modicè. Aliter: Piper, liguslicum, laser, uinum, suffundis liquamen: uino & liquamine temperabis: & fundis super columbum uel palumbum, pipere aspersum inferes, Apicius 6. 4. ¶ Columba iuuenis quomodo in pastillo ad cibum paretur: docebitur in Gallina F. Innominatus qui Gallicè Magirica scripsit, in pastillum è pipionibus addi iubet lardum minutatim incisum, & gingiberis aliquid. Ex pipionibus ius consumptum, uide in Capo F. ex Platina. Si crustam uoles ex pipionibus & quauis aue, primum facito ebulliant. ubi ad coctura ferè uentum erit, ex lebete eximito: exemptaq; in frusta concisa, in sartagine cum abundanti larido frigito. Inde in patellam uel testam bene unctam, crustaq; instratam, deuoluito. Huic pulmento non iniuria pruna & cerasa uel austera addes. Agrestam deinde & oua octo, si plures conuiuas habebis: uel pauciora, si paucos, cum modico iure tudicula agitato. Huic petroselinum, amaracum, mentham, gladio minutatim, quoad fieri potest, concisam admisceto, ad ignemq; ponito, longè tamen à flamma. Lente enim ebulliat ne cesse est. Cochleari interim tandiu misceri debet, donec cochleare ob crassitudinem integat. Fundito postremò hoc iusculum in crustam, ad ignemq; ac si artocrea esset, ponito: coctam, conuiuis apponito. Multum alet, tardè concoquetur, pauca recrementa relinquet, bilem reprimet, corpus exasperabit, Platina 6. 10. Idem mox capite XIII. Mirause Catellonicum ex capis aut pipionibus parare docet: ut recitabimus in Capo F. & quomodo fiat ius consumptum ex pipionibus, ibidem. In pipionem exossatum: Pipionem exinanitum & bene lotum, per diem ac noctem in aceto acri sines: lotum deinde, ac repletum aromatibus & herbis, elixum pro libidine aut assum facies. Vtrouismodo sine ossibus inuenies, Platina 6. 39. Et mox sequenti capite, quomodo ex uno pipione duo fiant docens, Pipionem (inquit) sine aqua ita appositè deplumato, ne pellem frangas. Exenterato deinde cutem integram auertes ac diriges: directam, optimo farcimine replebis. integer tum omnino uidebitur. Verum pipionem hoc modo assum, frictum, elixum facies. Assum, semicoctum, sale ac trito pane aspergès, inungesq; leniter uitello oui, ut crustam pro cute faciat. Vbi incoctus omnino fuerit, uehementi igne statim torreto, quò coloratior fiat. inde conuiuis appones. ¶ Iudebot est cibus qui uocatur rui: sunt autem micæ panis quibus superfunditur pingue de pullis columbinis dum assantur, Syluaticus.

G.

Columbæ turrium prosunt paralyticis, & partibus torpidis trementibusq;. Odor etiam columbarum in aerem resolutus, ab affectibus iam dictis præseruat, Filius Zor apud R. Mosen. Pulli columb. in cibo sumpti membra resoluta roborãt, & tremorem uniuersi corporis sanant, relaxata crura & minimè incedere potentia, ac sensu motuq; ferè priuata reparãt, Nic. Massa. Aliqui catulum uiuum aut columbum dissectum per spinam melancholicorum aut desipientium capiti affecto admouent, quod faciendum consulit Amatus Lusitanus Curatione 34. Columbarum caro recens concerpta contra serpentes auxiliatur, Plinius. Columba incisa (per uentrẽ, Arnoldus Villanou.) & imposita calida morsui serpentium, uenena omnia rapere & sanare creditur, Sextus. Sin autem subitò replicantur (id est contrahuntur) corpora morbo, Contractos reuocat neruos caro sumpta columbæ, Serenus.

¶ Columbæ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 323 sur 825

¶ Columbæ ſanguis in oculis cruore ſuffuſis & recentibus eorum uulneribus illinitur, Dioſcorides. Si ictus oculum lædit ut ſanguis in eo ſuffundatur, nihil commodius eſt quàm ſanguine uel columbæ uel palumbi uel hirundinis inungere. neq; id ſine cauſa fit, cum horum acies extrinſecus læſa interpoſito tempore in antiquum ſtatum redeat, celeberrimeq; (forte, celerrimeq;) hirundinis. Eorum ergo ſanguis noſtros quoq; oculos ab externo caſu commodiſsimè tuetur, hoc ordine, ut ſit hirundinis optimus, deinde palumbi, minimè efficax colũbæ, & illi ipſi & nobis, Celſ. lib. 6. ubi rurſus inter ea quæ purgant ulcera harũ trium auium ſanguinem cõmemorat, neſcio quàm rectè. Columbarum, turturum, palumbium, perdicum ſanguis, oculis cruore ſuffuſis, eximiè prodeſt. in columbis maſculæ efficaciorẽ putant. Vena autem ſub ala ad hunc uſum incidítur, quoniã ſuo calore utilior eſt. ſuperimponi oportet ſplenium è melle decoctum, lanamq; ſuccidam ex oleo aut uino, Plinius. Ad ſanguinem in oculis ex ictu: Columbæ ſanguis reciſus, deinde infuſus, optimè facit. Debebit autem uena aperiri quæ in aſcella eius eſt: imponitur & ſanguis in lanula & melle decocto mixto ſupra oculos, optimè facit, Sextus. Sanguis columbarum de loco pinnarum, eo momento quo pinna auellitur, oculis dum adhuc tepet, debet infundi, qui ictu aliquo uulnerati aut ſanguine ſuffuſi fuerint. album quoq; oui incocti cum croco trito oculis ſuperpoſitum, & lana alba ſuccida inuolutum medetur, Marcellus. Sanguis columbæ oculis calidus infuſus, ſanat lippitudinem & uulnera & ulcera oculorum, Kiranides. Sanguine col. (inquit Galenus de ſimpl. medic. 10. 3.) ad hypoſphagmata, id eſt ſugillata in oculis conſiſtentia, quidam utuntur, protinus uidelicet ſumentes qui ex animante mactata effluit. Hunc calidum in hypoſphagmata affundebat quidã, uenis ad alarum exortus inciſis, quò uidelicet ad multos uſus idem animal ſufficeret. (ut iterũ ſcilicet & ſæpius ex eadem columba ſanguinem oculo ſugillato infundere poſſet. nam ex mactata ſemel tantum uti licet.) Alter pullorum tenerorum extractis pennis (ſunt autem hæ molles, & fiſtulas humore plenas obtinent) eum ipſum humorem exprimebat, oculis inſtillans. At alijs medicis controuerſia fuit, pulline ſanguinem, an columbæ adultæ meningi affundere oporteret: & an maris an fœminæ. Sed collyria ſunt plurima quæ medeantur hypoſphagmatis: & maximè quod plurimam recipit myrrham, quale eſt quod à Democrate compoſitum diaſmyrnon uocant. Secundò ſunt quæ habent multum thuris: poſt quæ ſunt quæ ex croco conſtant. Quin & fœnigræci ſuccus ſanguine columbino in hoc utiq; præſtat. Quid ergo moramur aut columbos, aut palumbos aut turtures, cum omnium medicamentorum paratu facillimum habeamus fœnumgræcũ? tum memorata collyria in promptu ſeruemus? Idem lib. 4. cap. 8. de compoſ. ſec. locos, Archigenis hæc uerba recitat: Ad hæmalopas & hypoſphagmata, id eſt, ad cruentatos oculos & ſugillatos: Cum plagæ oculis illatæ ſunt & oboriuntur ex eis cruentæ ſuffuſiones, ſtatim in principio tum ad inflammationem, tum ad dolorem compeſcendum, facit columbinus ſanguis inſtillatus, & præſertim is qui ex teneris pennis exprimitur. Qui locus mihi ſuſpectus eſt: neq; enim ſanguis ex pennis exprimitur: ſed humor quidam, ut iam ex opere Galeni de ſimpl. med. recitatum eſt. utebantur autem alij ſanguine ex uenis, alij humore pennis teneris expreſſo. Idem remedium apud Galenum in libro de medicamentis parabilibus legitur. Item quòd petiam (ſic habet interpres barbarus) oculi emẽdet, & oculorum tumores, in libro de oculis notho. Quocunq; ictu læſus oculus, ſi ſanguinolentus uidebitur, palumbinus ei, uel perdicis, uel turturis ſanguis: aut ſi hęc animalia non erunt, columbinus de pinna ſublatus ſtatim, id eſt adhuc calens infundatur, Marcellus. Col. ſang. luſcioſis (nyctalopſi) illinitur, ut turturum etiam & palumbium, Dioſcor. & Plinius. Inſtillatus nyctalopa, (id eſt nocturnam oculorum cæcitatem) iuuat, Galenus Euporiſt. 1. 46. Idem legitur ex Archigene in opere Galeni de compoſ. ſec. locos. Sanguis col. miſcetur medicamento ad leucoma equi compoſito, in Hippiatricis Græcis. Peculiariter col. ſang. cruorem membranis cerebri erumpentem inhibet, Dioſcor. Abſcindit fluxum ſanguinis narium qui eſt ex uelamine cerebri, Auicenna. Enaribus fluentem ſanguinem ſiſtit columbinus ſanguis, ob id ſeruatus concretusq;, Plinius & Marcellus & Serenus. Columbæ ſanguinem (inquit Galenus de facult. ſimpl. lib. x.) Pergameni noſtri atq; adeò per totam ferè Aſiam qui capitis oſſa confracta perforant, in craſſum cerebri inuolucrum effundere aſſolent. Poſtea quidam cum haberet palumbum, nec eſſet ad manum columba, uſus eſt palumbi ſanguine, & tamen ſeruatus eſt homo ille. Et alius turturem eundem ad uſum applicans, nihil hominem læſit. Quippe ſimília efficere poſſe ſimília conſtat. Et paulò poſt, Ego uerò ſexcentos noui eorum quibus Romæ perforata fuere capitis oſſa, nec quicquam ab uſu roſacei citra columbi ſanguinẽ offenſos. Verum id calidum ſit æquè atq; columbæ ſanguis neceſſe eſt, ac fortaſsis ipſa tantum calidítatis in contactu moderatione eſt utilis, haudquaquam eximia & incognita facultate. Adeſt illi quoq; bona facultatis temperatura. Sed quid hoc: nam & hæc roſaceo ineſt, præterquam quòd leuiter aſtringat. Itaq; melius inuenire nihil poſsis in capite perforato, quàm ut roſaceo probo utaris, Hæc Galenus ex quo & Auicenna repetijt. Hierocles medicamento cuidam ad ſtranguriã equi ſanguinem columbæ admiſcet. Sanguis columbæ prodeſt podagræ, Auicenna.

¶ Adipem columbinum ad dyſuriam commendat Alexander Benedictus, inunctum ſcilicet.

¶ Columbinæ pinnæ maximè primum naſcentes uſtæ cum urtica atq; impoſitæ podagræ dolores leuant, Marcellus.

¶ Cerebella columbarum recentiores quidam medicamẽtis Venerem promouentibus miſcẽt,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 324 sur 825

oſtentatione magis, ut uidetur, quàm utiliter. nam cibi ratione & copioſius ſumpta magis ad hanc rem nimirum contulerint, quàm cum medicamentis parcè admixta. ¶ Columbarum uentriculi internam membranam adijciunt aliqui dyſentericis medicamentis, ut apud Nicolaum Myrepſum medicamento 79. & 80. obſeruauimus: quanquam illic Fuchſius echinos non internas membranas uentriculi ſimpliciter uertit, ſed adijcit erinaceorum terreſtrium, & pro πτερυγίων legit χοιράδων: ut apud Aetiũ quoq; lib. 9. cap. 48. ubi Cornarius ſimiliter uertit ut in Nic. Myrepſo Fuchſius. Oro ſcius quidem nihil in eum locum animaduertit. ¶ Celſus 4. 8. ad hepaticum morbum inter alia columbæ iecur recens & crudum commendat.

¶ Columbarum oua cum thure aut hordei decocto proſunt contra ceruſſæ uenenum, Dioſcor. Venerem concitant lutea ex ouis quinq; columbarum ſi admixto adipis ſuilli denarij pondere ex melle ſorbeantur, Plinius. Ad rhagadia, Columbina oua coquenda ſunt, & ubi induruerunt purganda: deinde alterum iacere in aqua bene calida debet, altero calido foueri locus, ſic ut inuicẽ utroque aliquis utatur, Celſus lib. 6. Et mox de condylomate tuberculo, liſdem etiam ouis recte tuberculum id fouetur, ſed deſidere ante homo in aqua debet, in qua uerbenæ decoctæ ſunt ex repreſſionibus. Paulò poſt etiam hæmorrhoidum uitium ouis foueri iubet, ſed ſimpliciter, ut gallinacea intelligamus.

¶ Columbinum fimum uehementius & excalfacit & urit, Dioſcorid. Gallinaceum omnia eadem ſed inefficacius præſtat, Idẽ. Galenus etiam acre eſſe & ualde attrahere ſcribit. Idem lib. 3. de medic. ſimpl. Columbino ſtercori (inquit) ſi manum inſeras, manifeſtam ſenties calidítatem. In agro etiam columbinum ſtercus feruidiſsimum eſſe Palladius ſcribit; & nos ſupra in E. retulimus quomodo aliquando hoc fimo arido per Solem accenſo domus conflagrârit. Columbæ ſtercus euocat & educit, Celſus. In columbis, quarum ſtercoris nobis creber eſt uſus, multò ſemper inferius ac imbecillius expertus ſum earum ſtercus quæ in domibus degebant; quàm earũ quæ in montibus, quas nomadas nuncupant, Galenus. Gallinaceum fimum omnia quæ columbinum, ſed inefficacius præſtat, Dioſcor. minus calidum eſt columbino, Galenus. Pro fimo palumbi fimum columbæ ad remedia adhiberi poſſe, & rurſus pro gruis fimo columbinum, in Antiballomenis quæ Galeni & Aeginetæ operibus adijci ſolent, legitur. Fimo columbarum agreſtium (nomadum) inquit Galenus lib. 10. de ſimplic. perſæpe utor ad multa ceu calfaciente pharmaco. & cum naſturtij ſemine tuſum incretumq; aridum pro ſinapi in iis quæ phœnigmo (rubificatione) indigẽt, adhibeo, ut ſunt inueterati affectus, hemicranea, coxẽdix, ſcotomata, uertigines, & cephalæa: & in lateribus, ſcapulis, ceruice, lumbis dolores inueterati: item nephritides & affectus cœliaci, & podagricæ arthritides, quando uidelicet in articulis eorum nondum cõſtiterint tophi ſiue pori. Atq; hoc ſtercus planè fœtidum non eſt, maximè arefactũ, quocirca & in urbibus eo uariè utimur, aliàs aliis miſcentes medicamentis. Et rurſus lib. 3. de compoſ. medic. ſec. genera, Columbarum (inquit) in turribus ruſticorum agentium ſtercus acre eſt, quo interim rurí uſus ſum in adoleſcente neruí uulnere affecto. atq; hoc agricola loco illi præfectus cum uidiſſet (erat enim non imprudens) imitatus ſemper uſurpat, & neruis uulneratis medetur. Porrò compoſitio & uſus ſimiliter ſe habet ut in medicamine ex euphorbio, ſic ut cætera nihil diſcrepent, ſed euphorbij loco ſtercus indatur. Verum ſtercus hoc ſubtilitate euphorbio cedit, eoq; duris corporibus rurí ex uſu eſt. Temperaui idem aliquando cum metallicis, experiundí gratia, ſtatim à principio cum eis terens ex aceto ad Solem, ſicut ſupra docui, multoq; acrius medicamentum euaſit, quemadmodum & cum æruginem non uſtam acceperit, Hæc ille. ¶ Stercus columbæ omnes dolores ſoluit & humores deſiccat, Aeſculapius. ¶ Morſibus uenenatis utiliter imponitur ſtercus columbinum uel anatinum, Arnoldus Villanou. Ad paſtinacas marinas, Columbinum ſtercus perfundens aqua, id ex ſimilagine leuigato (& impo nito,) Tarentinus. Ad nigras cicatrices inalbandas, columbinum ſtercus ex aqua illinito, ipſumq; cito abluito ne exulceret: aut alijs medicamentis id miſceto, ut thurí, ſaponí, cimoliæ, ana, cum aceto, Oribaſius apud Aetium 13. 129. Cataplaſma è fimo columbarum cum farina hordei & aceto, aliqui ad omnem tumorem commendant. Panos aperit fimum columbarum per ſeſe uel cum farina hordeacea aut auenacea illitum, Plinius. Fimus col. cum farina illitus prodeſt aduerſum panículas, Marcellus. Ad uomicam, id eſt tumorem ſuppuratum aut ſimilem: Simplice rheſina miſce bimus hordea tuſa, Et mulſos amnes & purgamenta columbę, His bene decoctis languẽtia membra fouentur, Serenus. Stercus col. utile eſt ad impetigines, Aeſculapius. miſcetur medicamentis ad impetigines apud Aetium. Cum cedria mixtum lefros (leucas) & alphos, & lichẽnas & lepras perfectè curat, Kiranides. Fimus colum. cum lacte caprino mixtus & potus putredinem uulnerum in uiſceribus, & extra appoſitus mirè ſanat, & apoſtematibus & fiſtulis maximè prodeſt, Arnoldus lib. 4. Breuiarij. Carbunculos emarginat, tritum cum melle (oxymelite, Plinius & Serenus) lini ſemine & oleo, Dioſcorid. Carbunculus fimo columb. aboletur per ſe illito, uel cum lini ſemine ex aceto mulſo, Plinius. Carboni medendo, Dulcacidum laticemq; cumini (lego, Dulcacidum laticem cum lini, Ex Plinio & Dioſc.) ſemine iunge, Atq; fimum pariter Paphiæ compone columbæ, Hinc line diruptas partes, & clauſa uenena, Serenus. Cum farina hordeacea & æruina (id eſt è lolio) & uiſco ac adipe ſuperpoſitum, gangrænas circuncauat & ſcrophulas diſrumpit: cum aceto autem illitum lenticulas & maculas faciei & puncturas tollit, Kiranides. Cum farina hordeacea

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 325 sur 825

deacea mixtum ſtrumas ex aceto diſcutit, Dioſcor. Aduerſus ſtrumas prodeſt ſimum columb. illinire per ſe, uel cum farina hordeacea auenaceáue ex aceto, Plinius. Ambuſtis igni medetur, Dioſcorid. Hordeum cum ſimo columbarum ad durities commendatur, Plin. Col. ſtercus omnes durities diſcutit, & humores exiccat cum oleo aut melle calefacto diſtemperatum, & ſuper durities ligatum, Sextus. Stercus columb. medicamentis contra myrmecias in equis miſcet Hierocles. Clauos pedum ſanat ſimum col. decoctum ex aceto, Plinius. Fimum col. ex melle cicatrices ad colorem reducit, item uitiligines albas ex uino, Plinius. Cum aceto tritum cicatrices omnes ſanabit, Marcellus. Liuentia & ſuggillata extenuat, Plin. Stigmata (faciei) delet ex aceto, Idem: ita ut aſſiduè medicamen ſuperducatur, Marcellus. Attritis medetur cum melle, Plin. Reperio & uſum eius ad thlaſma equi in Hippiatricis Græcis.

¶ Stercus col. uel ſolum uel cum ouo tritum, dolentibus articulis illitum prodeſt, Marcellus. Conuenit doloribus articulorum, Auicenna. Coxendicem, & podagrã in qua toſi nondum conſiterint hoc ſimo iuuari, ſupra ex Galeno retulimus. ¶ Si caluerſcat mulier ex defluuio capillorum, ſtercus columbinum impone, Hippocrates. Cum aceto tritum capiti impoſitum, alopecias & cicatrices omnes ſanat, Marcellus. Ad alopeciam Archigenis medicamentum probatum, quod Nic. Myrepſus refert: Fimum columb. bene tritum cum aceto irrigato, & nitro prius fricato loco illine, poſtea ſubtile linteum imponito: quod ubi abſtuleris, locum prius irrigato. Commendat Galenus huius fimi uſum ad inueteratos capitis affectus, hemicraneam, ſcotomata, uertigines, cephalæam. In apoplexia quidam columbum diſſectum ſyncipiti admouent, & cantharides ſpatulis. Author Additionum in Breuiario Arnoldi de Villan. antidoto cuidam contra epilepſiam ſtercus col. miſcet. Cum epilepſia fit ex bile atra, ſtercus columb. tritum cum ouis coruorum miſce, & ceu cataplaſma ſpleni impone, appoſitis prius ſanguiſugis. hoc enim cataplaſma materiam trahit à capite ad ſplenem & generat febrim. & ſic epilepticum liberat, idq; maximè ſi fiat per autumnum, Arnoldus. ¶ Stercus col. miſcetur medicamento oculari ad cicatrices, ut uidetur, in iumentis apud Vegetium Veterinariæ 2. 22. Ex aceto (coctum & illitum, Marcel.) laudatur ad ægilopas, ſimiliter ad albugines & cicatrices (oculorum, Marcel.) Plinius. Ad ægilopas probè facit thus cum ſter. columb. recenti impoſitum, Archigenes apud Galenum de compoſ. ſec. loc. Ad ægilopas, hoc eſt fiſtulas oculorum, Fimi col. aridi drachmas quatuor cum maſculo thure tere & inſperge, certũ eſt, Galenus Euporiſton 3. 14. Fimum col. adhibetur etiam ad pilorum ablationem in oculis, in libro de oculis qui Galeno adſcribitur. ¶ Fimum col. fomentis ad aurium dolorẽ adhibendis, miſcendum aliquando ſcribit Apollonius (ſi bene memini) apud Galenum de compoſ. ſec. loc. Parotidas comprimit col. ſtercus uel per ſe, uel cum farina hordeacea aut auenacea, Plinius. Tritum cum farina hordeacea & melle ſubactum calideq; adpoſitum naſcentes parotides comprimit, Marcellus. ¶ Inflammatas tonſillas Nic. Myrepſus illini conſulit ſtercore col. Fimum col. cum paſſo gargarizatum tonſillas & fauces adiuuat. etiam cum fico arida ac nitro impoſitum extra, Plinius. Marcellus, qui ſua ex Plinio tranſcribit, poſterius hoc remedium aſperitatem faucium mollire deſtillationemq; caſtigare tradit: quæ uerba apud Plinium mox ſubiecta ad ſequens ex cochleis remedium pertinent. ¶ Ad anginam & colli dolorem, ſimum ex melle inſtar cataplaſmatis imponito, Galenus Euporiſt. lib. 3. cap. 265. & ibidem cap. 69. Plinius uino & oleo permixtum, anginis illitum remedio eſſe tradi docet. ¶ Galenus, ut ſupra recitaui, huius fimi uſum prædicat ad ueteres dolores in ceruice, ſcapulis, lateribus & lumbis. ¶ Fimum col. toſtum potumq;, cœliacorum (uide ne potius colicorum) dolores mulcet, Plinius. Commendatur & Galeno ad cœliacos affectus ueteres, ſed foris adhibitum. Tritum ex melle uentri illitum, alui incontinentiam ſtringit, Marcellus. Equi ſtrophoſi collyrijs in anum indendis Hippiatri cum alia tum ſtercus col. miſcent. Ad inflationem ilium & uentris equi: Fimum col. aut gallinaceum quantum manus capit in uino diſſoluimus cum nitro, & inde clyſterem iniecimus, &c. Abſyrtus & Hierocles. Ad hydropicos Archigenis remedium apud Galenum de compoſ. ſec. locos, Aeris uſti, ſtercoris col. ana drachmam unam, rutæ ramulos tres, ſalis communis parum, cum uino Epheſio & aqua, ita ut tota mixtura heminæ dimidiæ ſit præbeto. Col. ſtercus adijcitur emplaſtro cuidam ad lienoſos hydropicos & cachecticos, apud Nic. Myrepſum, numero 71. Fimum col. cum melle illitum ileo reſiſtit, Plinius. Dolorem colicæ curat in clyſtere, Auicenna. ¶ Galenus hoc fimum laudat ad ueteres lumborum dolores: item ad nephritides. ¶ Cum oleo & uino potum Venerem inhibet, Plinius. Col. ſtercus tritum cum hordei farina, & adipe ſuilla & ouorum albo permixtum & coctum, emplaſtri more recentiſsimè renibus (dolentibus) imponitur, Marcellus. Ad urinæ difficultatem in equo, Aliqui columbinum ſtercus cum uini duabus heminis infundũt, Theomneſtus in Geoponicis. Si urina retineatur propter calculum à renibus delapſum & in lotij meatu hærẽtem, noſtrum electuarium uel puluerem eius dabis, cuius hæc eſt deſcriptio: Stercoris murium, columborum (ſcilicet ſtercoris) porcellionum, (id eſt aſellorum integrorum,) ſingulorum unciam miſcebis cum ſeſquilibra mellis deſpumati, & facies electuarium, de quo exhibebis ſemuncíam cum iure uel uino. Vel loco mellis accipe tantundem ſacchari optimi, & morſellos inde para: de quibus itidem ſemuncíam præbeas cum iure gallinaceo uel uino. Hoc remedium ſi exhibere pergas, intra triduum urinam promouebit, quamuis etiam prima ſtatim die utilitas eius ſentietur, nam lapidem renum comminuet. Quòd

i puluere uti mâlis, dentur inde ſcrupuli duo cum iure uel uino, Marianus Sanctus Barolitanus. Conſtat aquam fieri poſſe quæ lapidem ueſicæ per cathetêrem immiſſa illico confringat, ad quod duo ſunt neceſſaria ut & lapidem atterat, & ueſicæ ſit neceſſaria. primum præſtabit modus & materia. nam extremos uapores è ſcorpionum cinere, uel Macedonici petroſelini, uel tecolitho aut lapidibus cancrorum excipiemus. Sic enim aqua fiet quæ etiam porphyriten comminuat. Porrò innocentiam præſtat, ſi materia ex qua aqua excipitur, omnis ſalſedinis expers fuerit. non igitur è ſalis genere aliquo, aut alumine uel chalcantho aut uini fæce: ſed ex aliquo eorum quæ nuper retulimus aquam excipere oportebit. Equidem ſcio ſtercus columbinum ac parietariã, hoc uel illud hac arte in aquam deductum, lapides ueſicæ duriſsimos frangere poſſe. Quodnam autem illud ſit quod id facturum ſit & abſq; noxa, experientia declarari oportet, &c. Hæc ille libro 2. de Subtilitate. Fimum col. in aceto per diem ac noctem macerabis, & colando ſeparabis acetum, propinabisq; calculoſo. In hoc aceto iniectum lapidem frangi aiunt, Ex libro manuſcripto. Aliqui ſeptem diebus in uaſe uitreato macerari in aceto uolunt, deinde acetum colatum bibi. Alij ſimum col. purgari diligenter iubent, & poſtquam in aceti modo qui ſufficere uideatur (ſextarijs tribus aut amplius) diebus ſeptem maceratus fuerit, deſtillant in alembico inſtar aquæ roſaceæ. hoc liquore poto calculum ueſicæ & renum pelli aiunt, idq; experimentis cõſtare. Galenus Euporiſton 3. 273. calculoſis turturis ſtercus uſtum ex mulſa propinat, ut lapides per urinam exturbentur. Ad calculum ueſicæ, Siue palumborum capitur ſimum acre ferorum. Dulcacidis ſparſum ſuccis, tritúq; ſolutum, Serenus. ¶ Ad diſcutiendas genuum fluxiones, Salem columbinumq; ſimum terens ex oleo inunguito, Galenus Euporiſton. 3. 131. ¶ Clauos pedum ſanat ſimum col. decoctum ex aceto, Plin. 24 ¶ Stercus col. ſuffitum (Symphorianus Champegius ad ſecundas educendas radicem ariſtolochiæ rotundæ addit) per infundibulum, ſecũdas educit, Arnoldus Villanou. Idem in Breuiario fœtum uiuum aut mortuum & molam quoq; expelli tradit, ſi ſimum col. per ſe uel cum alijs (ut caſtoreo, opopanace, myrrha) felle uaccino exceptũ ſuffiatur. Suffitum huius ſimi aiunt fœtum extrahere, Aſpaſias apud Aetium.

¶ Remedia ex ſimo col. uſto. Incuſsi articuli ſimi col. cinere cum polenta & uino albo curantur, Plinius. Ambuſtis ſimi col. cinis medetur ex oleo illitus, Idem. Simi col. cinis cum arſenico & melle ea quæ erodenda ſunt (in ulceribus) aufert, Plin. Col. ſimi cinis ex oleo ulcera omnia pedum ſanat, Idem & Marcellus. Emplaſtrum de ſimo col. uſto cum aceto forti, imponitur ſuper ſicus uel hæmorrhoides ani, &c. ut legimus in Additionibus Breuiarij Arnoldi Villanou. Simum turturis (cui columbinum pares obtinere facultates uidetur) uſtum ex mulſa propinatur calculoſis, ut lapides per urinam exturbentur, Galenus in Euporiſtis.

¶ Andreas Furnerius in libro de decoratione, liquorem quendam ſtillatitium, qui faciem niti dam & teneram reddat, præſcribit, cui inter cætera (oua recentia, caſeum muſteum pinguiſsimum, uinum Maluaticum, poma arantia, oleum tartari & ceruſſam, diuerſis ponderibus mixta) pipionem adijcit.

H.

a. Columbus maſc. gen. & columba fœminini apud authores legitur: qui tamen in plurali numero fœminino magis utuntur, ut obſeruant grammatici. Columbæ appellatæ ſunt à columinibus (culminibus) uillæ, (in quibus degere ſolent,) Varro. Nonnulli à uoce primis ſyllabis correſpondente dictas putant, Grapaldus. Quòd ſi columbus per onomatopœiam dictus fuerit, eandem palumbi quoq; nominis rationem eſſe conijciemus. Columba dicta quod lumbos colat multa generatione, Albertus. Columbæ à Græco uerbo κολυμβᾶν (quod urinare ſignificat, inde forſan quod bibentes roſtrum aquæ diutius immergant) appellantur, Hermolaus in Corollario. Seruius in Bucolico ludicro titos ſcribit dici columbos non Latinè quidem, ſed multorum auctoritate tanquam Latinè. Titos uerò palumbes dici arbitror ex paſſerum ſalacitate qui ſolent πιτίζειν, id eſt, titillare. quanquam & τρωθίζειν de uoce eorum uſurpatur. hinc forte titis deriuatur, ut ſcribit Dionyſius, auiculæ ſpecies, aut etiam auis quælibet minutior, Cælius. Palumbes, ut Seruius inquit, non dicuntur Latinè, ſed multorum auctoritas Latinum fecit, ut Ciceronis in elegia, quę Thalemaſiis inſcribitur, & Virgilij in Bucolicis. Palumbes uulgus titas uocat: ita enim apud Seruium legendum (ut doctiſsimus Ge. Fabricius nos admonuit) ut ex Cornuto Perſij interprete apparet, qui titos, columbos agreſtes interpretatur, in prima Satyra. Aſcenſius in eundem locum, Titos (inquit) eſſe pullos columbinos, congruit uulgari Flandrico, quo ſic pulli gallinacei uocantur, & de iuuenibus ignauis per irriſionem dicitur, quòd ſint pulchri titi.

¶ πόθος apud Græcos dicta uidetur à duro & laborioſo uolatu, παρὰ τὸ πεπόθθαι σεβόμενος, uel à animo amoris affectu, παρὰ τὸ πόθεν ὁρᾶν. eſt enim feruidiſſima ad Venerem, Etymologus et Varinus. Attici maſculino genere πόθος efferunt, ut Alexis & Pherecrates, citante Athenæo, meminit & Euſtathius. Ἀποπεμψον ἀγγέλλοντα τὸν πόθον, Pherecrates. πελειὰς, ἀός, auis, uox deriuata à primitiuo πελεια, non ſimpliciter columba eſt, ſed genus columbę nigrioris, ut dictio ipſa inſinuat. nam πελὸν uel πελιὸν (oxytona) nigrum ſignificant, etſi nonnihil à nigro differant, (liuidum enim potius ea deſignant, qui color nigricans cœruleo dilutus uidetur, unde & Gaza liuias hoc genus columbarum ex Ariſtotele transferens nominauit,) Euſtathius in Iliados λ. Dôres πελειάδα pro columba ponunt,

ponunt, ut Sophrõ, Athenæus. Ἀπερυόσας δ' ἔπειτα θεὰ φύγῳ ὥστε πέλειαι, Ἢ ξαθὸ' ὅτ' ἴρηνος (δωσομένην) κοίλῳ αἰσχύναντο πέτηλα Χειμών. Iliad. φ. ubi Scholiastes simpliciter columbam reddit. Καὶ πτύγας θρέψαο φρασσομένας δι' ὀκυβούλους, Ἢ Σικελὰς μετ' ἀρούρας πελειάδας, Nicãder in Georgicis apud Athenæum. Videtur autem per ὀκυβούλους palumbes aut turtures intelligere, quæ bis anno pariunt, Aristotele teste: columbæ uerò singulis mensibus, exceptis nimium frigidis. quare non placet quod apud Hesychium & Varinum legitur, Δίγονοι ἡ πελειάς. Chaoniæ (Vergilio) dictæ sunt columbæ ab Epiri parte, pro Epiroticæ. nam olim in Dodona sylua Epiri oracula reddebãt. Quod ideo fingitur, quia lingua Thessala Peliades & columbæ & uaticinatrices uocãtur, Seruius. Sic & Hesychius, Πέλειαι, columbæ: & uaticinatrices in Dodona. Plura uide infra in h. ex Herodoto. Πελῆς, πελειάδας, (lego πελειάς,) Hesychius & Varinus. Peleiades poetis etiam Pleiades sydus significare, ostendemus in Peleia, id est Liuia columba H. a. Τρήρων epitheton est omnis generis columbarum proprium, Eustathius. Homerus hoc epitheton columbis tribuit propter timiditatem, Varinus. Ἀπὸ τοῦ τρεῖν καὶ ὀκλάζειν, Scholiastes Homeri. Et simpliciter aliquando pro columba ponitur. hinc dictio composita apud poetam πολυτρήρωνα, Iliad. β. sic autem Thisben Bœoticam cognominat à copia columbarum, ut Grammatici interpretantur. Αἱ δὲ Βάτλῳ τρήρωσι πελειάσιν ἴθμασθ' ὁμοῖαι, Homerus. id est, timidis columbis, Suidas. Δειλαί τοι δ' ἐλάσσιν ἐφεσβόλοισι πέλειαι: Ἄμμοι δ' ἀτρέστοις ἀνδράσι τρόπωνται, aquila loquitur ut Suidas citat in Πελειάδες. Πίλωνος ὡς ὄμμα πέλειας τρέφόμαι. est enim perquam timidum animal, Ibidem. Τρήρων, δειλή, ἀπὸ τοῦ τρεῖν, ὃ ὅτι φοβεῖται. δειλὸν γὰρ τὸ ζῶον καὶ ταχύ, Hesychius. Τρηϊ, ον, ελαφρόν, δειλόν, ταχύ, πλοῖον μικρόν, Idem. Porrò peleias etsi pro columba simpliciter à poetis poni uidetur, aliquot tamen eius nominatæ testimonia infra in Columbæ liuiæ historia ponemus.

¶ Columbulus, diminutiuum. Tu passerculis & columbulis nostris inter aquilas uestras dabis penas, Plinius epistola 202. Vt albulus columbulus Dionæus, Catullus epigrammate 27. de Cæsare cuius mollitiem notat. Περιστέριον diminutiuum apud Athenæum legitur, qui hæc Pherecratis uersa citat: Ἀλλ' ὦ περιστέριον ὅμοιον Καλλιόπῃ πέπον, κόμισον δὲ μ' ὅθ' Κύπρα καὶ Κύπρον. Ab hoc etiam alterum fit diminutiuum περιστερίδιον, apud eundem Athenæum. ¶ Pipio, id est columbæ pullus, apud Lampridium. uidetur autem per onomatopœiam sic dictus. Πιπιστρίδιος, id est, pulli columbini, Aristophanis Scholiastes, Suidas & Eustathius. ¶ Apud Germanos quosdam Taub epicœni generis nomen est, Tauber masculini, Teubin fœminini.

¶ Epitheta. Aëriæ columbæ, Ouidius, id est alte uolantes. Blanda, Idem 2. Amorum. Chaoniæ, Vergilio, à Chaonia Epiri parte, ut paulò ante docuimus. Non me Chaoniæ uincent in amore columbæ, Propertius lib. 1. Molles, Horat. 1. Carm. Molles ubi reddunt oua columbæ, Iuuenalis Sat. 3. de loco sub tecto. Thisbeæ. Quæ nunc Thisbeas agitat mutata columbas, Ouidius XI. Metamorph. de Dædalione mutata in auem rapacẽ, hoc est accipitrem secundum Grammaticos. Est autem Thisbe in Bœotia urbs, & portus Thisbeorum & nauale columbis plenum, unde πολυτρήρωνα Thisben Homerus cognominauit. Teneræ. Ne uiroles teneras præduro dente columbas, Martialis. sed de pullis intelligere uidetur, quibus dens hominis uenenum est. Volucris, Vergilio 5. Aeneid. Veneri eas consecrauit antiquitas, unde Epithera, Cythereiades Ouidio 13. Metamor. Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ, Nero ut citat Seneca lib. 1. Nat. quæst. Ales Cytherea pro columba, Silius Italicus lib. 3. per antonomasiam. Paphia, Q. Sereno. Dionææ, Statio lib. 3. Præterea, Imbellis, Horatio 4. Carm. Pauidæ, Valerio lib. 8. Argonaut. Placida, Ouidio 7. Metam. Plaudens alis, Vergilio 5. Aeneid. Præcipites, Festinæ, 2. Aeneid. Totas sine labe columbas dixit Ouidius 2. Metam. ¶ Περιστερὰ uox uersibus hexametris non commodè admittitur: quamobrem poetæ Græci πέλειαν & πελειάδα, quod genus columbæ peculiare & ferum esse dicemus, simpliciter pro columba ponunt: ut & τρήρωνα aliquando per antonomasiam, quod nomen Eustathius omnis columbacei generis proprium epitheton esse scribit. Πέλειαι δειλαί, apud Suidam. Circus apud Homerum τρήρωνα πέλειαν persequuntur, id est pauidam columbam, Iliad. χ. Ῥεῖα δίωκε μετὰ τρήρωνα πέλειαν, Ἣ δέ θ' ὑπαυδᾶ φοβέεται, id est ante ipsum fugit. Αἱ δὲ Βάτλῳ τρήρωσι πελειάσιν ἴθμασθ' ἰάχην, βήματα, ὁμοῖαι, Iliad. ε. de Iunone & Minerua. Rursus Iliad. ψ. τρήρωνι πέλεια sagittis in certamine ferienda proponitur. Θοὰς τρήρωνας, Oppianus. Epitheton quidem τρήρωνας pro pauidis, etiam alijs auibus fortè attributum inuenias, sed rarissimè. Καὶ κέφαι τρήρωνας ἀλωπεκιδεῦσι πέπεισθε, Aristophanis in Pace. ubi tamen Scholiastes hanc uocem non cephis attribuendam, sed per se accipiendam docet: ac si dicat poeta, Vos cephi (id est stolidi ac leues) & timidi fidem habetis hominibus astutis.

¶ Columba in sacris literis pro sponsa uel cõiuge charissima accipitur: quòd in columbaceo genere præcipuè coniugij lex firmissima, & mirus inter coniuges amor spectetur. Columba mea, formosa mea, Canticorum 2. Columba mea una, perfecta mea, Ibid. 6. Et capite quinto, Aperi mihi soror mea amica mea, columba mea, integra mea. Et cap. 1. Ecce tu pulchra es amica mea, oculi tui (simi es sunt oculis) columbarum. Væ prouocatrix & redempta ciuitas, columba, Sophoniæ 3. ab initio capitis: ut Hieronymi translatio habet. Sed Munsterus sic reddit, Væ sordidæ & pollutæ urbi molestatrici העיר היונה. Audiui de uiro docto, cum diceret carinam propriè esse id quod uulgò Venetijs dicitur la columba: sed eam columbam puto esse quod περιστερὸν à Polybio dicitur. Latinum nomen (quod sciam) non habet. Verba Polybij sunt in primo, Ἀυθις ἔγνωσαν ἐκ περιστερῶν

εἴκοσι καὶ ἑξακόσια ναυπηγεῖσθαι σκάφη. Id est, Rursus decreuerunt à fundamẽtis ducentas & uiginti ædificare naues. Quod enim est fundamentum in domo, id est ὑπόχυμ in naui. sic dictum opinor, quòd omnem ὑγρὸν, id est materiam nauis contineat, Lazarus Bayfius. Columbarium accipitrem Mercurio aiunt sacrum esse, Gillius, ego authores phassophoni tantum accipitris, id est palumbarij meminisse reperio. Columbarius Varroni lib. 3. de re rust. custos & pastor columbarum est. Columbarium neutri generis & columbaria fœminini (ut cellam subintelligas) locus dicitur, ubi habitant columbæ agrestes. nam domesticarum peristereônas uocamus, Perottus. ego nihil interesse puto, & omnino idem columbarium Latinis significare, quod peristereon Græcis. Qualia columbariæ tectis superponuntur, Columella lib. 9. An tibi columbaria qui in tegulis habent non uidentur habere peristereônas? Varro lib. 3. de re rust. Hic locus Italicè hodie uulgò la palumbara, uel la colombara uocatur. Porrò columbarium aliâs pro ipso ædificio, nempe fabulo columbarum capitur; aliâs pro nidis seu loculamentis in quibus singula paria fœtificant, ut supra in E. apparet. ¶ Columbaris, quod est columbi. Columbinus, idẽ, uel quod ad columbas pertinet. Columella columbare stercus dixit. Pulli colũbini Varro & Cicero. Gaza Aristotelis interpres per columbarium genus, & aues quæ specie columbacea continentur intelligit columbas, palumbes, cœnâda & turturem. ¶ Cionion siue cion uasculi genus est, quo nomine in hodiernum usq; diem utuntur cauponæ, (Germanis puto ein ſtytze.) hoc columnas à nostris ex interpretatione Græca uocitatum putes. unde apud Iurisperitos columnarium, quanquam nõ columnarium, sed columbarium fortasse pronunciandum sit. instrumenti genus ita nominatur Vitruuio, ad aquam hauriendam per tympana: etiamsi à colluuie colluuiarium sunt qui legant. In quo illud mihi occurrit, columbarium non à columbis, sed à Græco uerbo quasi colymbariũ uenisse: quando Græci κολυμβᾶν & colymbisias uocant, quod nos urinare & urinatores dicimus. Vrinatorium ergo uas, quo uidelicet aut uinũ promitur, aut aqua, columbarium à uteribus dictum existimare possumus. alioqui & columbæ ab hoc ipso uerbi Græci significatu appellantur. Quid si columnarium apud Iurisperitos pro mensa lapidea, quæ cartibum & cartibulum quoq; dicebatur, accipias? de qua M. Varro: Altera (inquit) uinaria mensa erat lapidea, quadrata, oblonga una columella, (&) uocabatur cartibulum, in qua uasa ponerentur ænea, Hæc omnia Hermolaus in Corollario. Columnarium esse uidetur Pomponio Digestis De argẽto legato, ad bibendi usum uas comparatum, etiam si minus fallor plausibilius usum iri plerisq;, si colum legas niuarium, Cælius. Ego columbaria in tympanis siue rotis haustorijs uasa eadem esse dixerim, quæ & haustra dicuntur ab usu: & columbaria à figura dicta coniicio, quia referant loculamenta seu nidos quæ pro columbis in cellis columbarijs fiunt. nisi hoc interesi, ut uidetur, quòd haustra illa quæ columbaria proprie dicuntur, caua sunt & in ipso tympano: alia uerò, ut modioli quadrati foras prominent: ut etiã figuræ Vitruuio adiectæ declarant. is enim lib. 10. cap. 9. tympanum ad aquam hauriẽdam describens: Secundum axem (inquit) columbaria fiunt excauata in singulis spacijs ex una parte, &c. ubi Io. Iocundus hoc scholion margini adiecit: Columbaria, id est caua & canales fiunt in singulis octantibus axis, per quæ aqua concepta in tympano educitur. Opàs Græci uocãt ignorum & asserum cubilia, nostri caua & columbaria, Cælius. Sunt & in organis (chirurgicis & mochlicis) quædam columbaria insculpta ad similitudinem columbarum, quæ ornandi causa facta sunt: atq; ad id etiam, ut aliud ferant epipegma, Oribasius in libro de machinamentis cap. 4. Columbar apud Plautum in Rud. genus uinculi est, teste Prisciano. Illic in columbam, (columbar,) credo, leno uortitur. Nam in columbari collum haud multò pòst erit. Et alibi, ut Sextus Pompeius citat: Non ego te noui naualis scriba columbari impudẽs? siue quòd columbaria (inquit) in naue appellabantur ea, quibus remigent, siue quod columbariorum quæstus temerarius incertusq;, Hæc Festus. Sed forte hîc etiam columbar genus uinculi accipiendum: quod à collo denominatum aliquis coniecerit. ¶ Cn. Mattius in Mimiambis, Sinuq; amicam recipere frigidam caldo, columbatim labra conferens labris, ut Perottus citat.

¶ Περιστροφιδῶν, hoc est auium columbarij generis plures sunt species, Aristot. περιστρόφια τίτυλα Nicander in Ther. dixit folia uerbenæ. Extra urbem sunt stabula, haræ, & πόδισφοι Platoni in Theæteto dictus, Pollux lib. 9. Græca uoce πόδισφοι, quæ columbarium significat, (uide supra inter Deriuata Latina,) utitur etiam Varro in præfat. lib. 2. de re rust. & lib. 3. cap. 7. eundem locum πόδισφοτροφεῖον appellat, quòd in eo columbæ alantur. Villaticæ pastionis genus in uilla est, quod appellant Græci ὀρνιθῶνας καὶ πόδισφωνας, Columella 8. 1.

¶ Icones. De Archyta Pythagorico plerisq; nobilium Græcorum & Phauorinus philosophus affirmatissimè scripserunt, simulacrum columbæ è ligno ab Archyta Pythagorico ratione quadam disciplinaq; mechanica factum uolasse. ita erat scilicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa atq; occulta concitum. Libet hercle super re tam abhorrenti à fide ipsius Phauorini uerba ponere. Ἀρχύτας Ταραντῖνος φιλόσοφος ἅμα καὶ μηχανικὸς ὤμησε πόδισφον ξυλίνην πετομένην· ἦ τῆς ἐπιπτώσεως, ὑπὲρ αὐτὸ ἀνίστατο. μέχρι γὰρ τότε. id est, Archytas Tarentinus philosophus pariter & mechanicus uir columbam ligneam fecit uolantem: quæ sicubi subsedisset, præterea non exurgebat. hactenus enim (nimirum moueri poterat,) Hæc Gellius 10. 12. At Cælius Calcagninus in libro de perenni motu terræ, Columbam (inquit) illam Archytæ ligneam certis machinis ac ponduſculis instructam fuisse legimus: ut quum moueri semel cœpisset, semper moueretur, neq; desineret: ui illa scilicet pristina

quæ

quæ motus principium dederat, nunquam deserente impulsam, structura præterea & artificio adiuuante. De hoc Archyta Pythagorico Diogenes Laertius lib. 8. scribit, primum ipsum mechanica mechanicis principijs usum exposuisse, primumq; motum organicum descriptioni geometricę admouisse, &c. Huic non dissimilem artificē Cassiodorus in Varijs Boëthiū prædicat. nam ad eundem Boëthium scribens, ut recitat Crinitus: Tibi (inquit) ardua cognosse, & miracula monstrare propositum est. Tuæ artis ingenio metalla mugiunt, Diomedes in ære grauius buccinatur, æneus anguis insibilat: aues simulatæ sunt, & quæ uocem propriam nescíunt habere, dulcedinem cantilenæ probantur emittere. Parua de illo referimus, cui cœlum imitari fas est, Hæc Cassiodorus. Ad imaginem columbæ circa Pyrenen pictæ (tanquam uiuæ) columba aduolauit, Athenæus lib. 3. In poculo Nestoris Iliad. λ. quatuor aures uel ansæ erāt, διὰ δὲ πελειάδ' ἦν ἀμφὶς ἑκασσῳ χρύσειαι νεμέθοντο. Athenæus ex eo loco peleiádas simpliciter columbas exponit, uel Pleiadas sydus. περισέρια, κοσμάρια τινὰ, Hesych. hoc est, ornamēta quædam exigua, quasi columbulos dicas, columbarum forrassis imagunculæ ex auro argentóue aut alia re pretiosa. nam peristerion diminutiuum est à peristera, quare non probo penultimam apud Varinum per ει. diphthongum scribi. Phigalenses in antro quodam Cereris simulacrum consecrarunt, quod manu altera delphinum, altera columbam sustinebat, &c. Cælius 15. 31. De columbis adoratis, leges infra in h. Hominem qui suapte natura bile careat, sed eam ab altero suscipiat notantes Aegyptij, columbam pingunt dorso erecto. illic enim bilem habet, Orus in Hieroglyphicis. Iidem columbam pingunt pro homine ingrato & infesto ijs à quibus beneficia accepit. (Columbus enim talem se in parētes præstat. quippe qui robustior factus, patrem pugnando à matre fugat, cui ipse miscetur, Cælius.) item columbam nigram pro uidua, quæ ad mortem usq; permanserit in eo uitæ statu, Idem. Spiritus sanctus super dominum Iesum columbæ specie descendens uisus, ut legimus Matthæi 3. Marci 1. Lucæ 3. Ioannis 1.

¶ Columbinam (argillam uel margam) Gallia suo nomine eglecopalam appellat. glebis excitatur lapidum modo. Sole & gelatione ita soluitur, ut tenuissimas bracteas faciat, Plin. Eadem aut similis fuerit argilla nigricans, qua agros alicubi stercorari audio: ex qua etiam optima uasa figlina & ignis tolerantissima fieri puto, qualibus aurifabri utuntur. Et ex eadem nimirum materia, sed magis indurata, etiam lapis ille niger in tenuissimas laminas scissilis, quo ad pugillares & ædium tecta utuntur. Io. Augustinus Pantheus alchymista lapidem lebetum uocat fuscum illum, qui Plurij prope Clauennam in Rhętia non procul à Lario lacu ex montibus deportatur, & ferro tornatur in uasa ignis appríme patientia: uidetur autem eundem nominare petram columbinam. Argillam crustaceam aliquando inueniri Ge. Agrícola refert.

¶ Stirpes. Peristereon, περισφερὼν, uocatur herba columbis admodum familiaris, unde & nomen, Plin. Aliqui recentiores Latinè columbinam herbam, uel columbariā, uel columbarem appellant. Nicander in Theriacis πτερισφόγγια φύτλα uocat uerbenæ folia. Scholiastes peristerēona dici scribit, ex Crateia, quòd folia diuisa habeat & pedibus columbinis similia. Est & inter sumarię nomenclaturas apud Dioscoridem peristereon, à florum scilicet specie, quæ columbarum ingluuiem quodāmodo repræsentat, unde à nostris quoq; nominatur **tubenkröpfle**: uel ad differentiam generis cuiusdam loti syluestris inodori, (cui similes sed lutei flores; quæ similiter **tubenkröpfle** apud nos uocitatur,) **rote tubenkröpfle**. Audio & chamæbatum ruribus nostris alicubi **tubenkröpfle** appellari, uel ipsum uel fructum eius. Lithospermon à Romanis columbam appellari, inter nomenclaturas Dioscoridi adiectas legitur. Columbinæ uuæ acinosissimæ, Plinius. Columbinum cicer alij Venereum uocant, candidum, rotundum, lęue, arietino minus, Plinius. hoc fortè est quod uulgò pisum album nominatur, interius flauescēs, foris læue, rotundum: quod & pisis alijs in cibo ferè præfertur: de quo plura leges apud Ruellium lib. 2. cap. 36. qui id orobiæum & orobiam Græcis uocari docet, sub quo genere etiam syluestre contineatur, eruo simile, subamarum, secundum alios dulcissimum. Rhai alhamam, hoc est pastus columbarum, (aliàs additur & camelorum, ut scribit Auicēna 2. 565.) est herba quæ fert granum simile grano myrti, sed magis cinereum: cuius medulla colore & gustu refert lentem excorticatam cum exigua dulcedine. Calida gradu primo, & humida secundo. Carnē in uulneribus generat; & cum aceto impósita ulcera pernicíosa & serpentia sedat, resoluit abscessus pituitosos, tenuium partium est, nec nocet camelis in cibo. Vermibus uenenosis aduersatur. decoctio eius capillos denigrat, Hæc ille. apparet autem legumínis quoddam genus esse, & uires easdem ferè habere quas cicer. Kuzikenden (inquit Auicenna 2. 386.) est res leuis sicut asne lutea: & in Rakia nominatur ste. cus columbarum & in Baldach & Aegypto nominatur kenden, (uel, ut Bellunensis legit, in Bagaded nominatur nux handem, uel nux gendem:) ex qua concussa cum aqua & melle fit uinum, &c. calida & humida est abscessu primo, sanguinē incidit secundum aliquos & coitum promouet. Geranij genus cui folia maluæ, rotunda, sed multiplíciter dissecta, quidam uulgo pedem columbinum nominant, præsertim in Gallijs, teste Ruellio. Seukar, id est pes colūbinus, quo tingitur oculus uel cera, Vetus Glossographus Auicennæ. Hippuris in quibusdam Germaniæ locis **tubenrock** appellatur, (à columbis,) Adamus Lonicerus.

¶ Propria. C. Cæsar Calígula Columbo (mirmilloni uictori, leuiter tamen saucio, uenenum in plagam addidit, quod ex eo Columbinum appellauit. sic certe inter alia uenena scriptum ab eo reperíum est, Suetonius. Columbarienses nominantur à Io. Baptista Egnatio in historia principum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 330 sur 825

Romanorum. Est autem Columbaria insula in mari Thusco. Perístere, περιστερή, urbs Phœnicum; gentile Perísterites, Stephanus. Perísterides, insulæ iuxta Smyrnam, Plínius 5. 31.

¶ b. Rhyndace & lagopus aues columbæ magnitudine descríbuntur. Oculi tui ueluti columbarum sunt, absq; eo quod intrinsecus latet, Cãticorum primo & quarto. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo, & requiescam, Psalmo 54. Si iacueritis inter ollas (fuligine infectas: eritis sicut) alæ columbæ, quæ tegitur argenteis (pennis,) & sunt plumæ eius símiles auro fuluo, Psalmo 68. interprete Munstero. ¶ Anno à Christo nato 1550. prope Lindauiam oppidum situm in ripa Acroníj lacus, in pago Rikkenhouio nata est colũba quadrupes ano duplici, nos quam ob causam aues quandoq; quadrupedes nascantur, inter anates díximus.

¶ c. Sonantq; turres plausibus columbarũ, Martialis lib. 3. Relinquite ciuitates & habitate in petra habitatores Moab: & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis, Hieremiæ 48. Qui sunt isti qui ut nubes uolant, & quasi columbę ad fenestras suas? Esaiæ 60. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, Cantícorum 2. ¶ Meditabor ut columba, Esaię 38. Vociferamur nos omnes quasi ursi, & meditando meditamur quasi columbæ, Esaię 59. ubi Munsterus, Meditatio columbæ, inquit, gemitus est. Meditabar sicut columba, Ezechias moribundus Esaiæ cap. 38. Et ancillæ eius minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis, Naum 2. ¶ Helioscopion quartum genus tithymali circa oppida nascítur, semine albo, columbis gratissimo, Plín. Nostri hominem qui affatim uno haustu bibat, haustum columbinum trahere dicunt, ein tuben schluck thũn/ἀμυσι πίνειν Græci. ¶ Tollunt se celeres: líquidumq; per aera lapsæ, Sedibus optatis gemina super arbore sídunt, Vergil. 6. Aen. de columbis. Et rursus, Geminæ tum forte columbæ Ipsa sub ora uiri cœlo uenêre uolantes, Et uiridi sedêre solo. Et libro 5. Qualis spelunca subito commota columba Cui domus & dulces latebroso in pumice nidi, Fertur in arua uolans: plausumq; exterrita pennis Dat tecto ingentem: mox aere lapsa quieto Radit iter líquidum, celeres neq; commouet alas. Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima prístis Aequora. Et alibi eodem libro, Et alis Plaudentem nigra figit sub nube columbam. ¶ Nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam, Horatius in Odis 4. 4. Murmur apricantes niuea dant turre columbi: Expanduntq; alas, & amicã blanda rogantes Oscula circumeunt, insertantq; oribus ora. Iam uicibus nido incubitant, genitrixq; paterq;: Iamq; ora excudunt: natisq; implumibus escã Commansam alternant, rostellaq; hiantia complent, Politianus in Rustico.

¶ d. Terra eorum facta est in desolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris domini, Hieremiæ 25. Et rursus cap. 50. Dísperdite satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis à facie gladíj columbæ. Sed utrobiq; Hebraicè legitur ionah, יונה, Munsterus sæuitiam interpretatur, uel gladium sæuientem secundum Kimhi: Ionathan uiuum inebrians. Columba seducta Ephraim, non habens cor, Osee 7. Non me Chaoniæ uincant in amore columbæ, Propertius lib. 1. Issa est purior oculo columbæ, Martial. lib. 1. Hic Hecuba, & natæ nequícquam altaria circum Præcipites atra ceu tempestate columbæ Condensæ, & diuûm amplexæ simulachra tenebant, Vergílius 2. Aen. ¶ Accípiter uelut molles columbas, Horatius. Quàm facilè accípiter saxo sacer ales ab alto Consequitur pennis, sublímem in nube columbam: Comprensámq; tenet, pedibusq; euíscerat uncis: Tum cruor, & uulsæ labuntur ab æthere plumæ, Vergílius XI. Aene. ¶ Peridexion (forte perístereon, hyperdixín habet Albertus) arbor est in India, cuius fructus dulcis est & gratus columbis, cuius gratia in hac arbore díuersari solent. Hanc serpentes timent, adeò ut etiam umbram eius fugiant. Nam si umbra arboris ad Orientem uertatur, serpentes ad Occidentem recedunt, & è díuerso. itaq; ui huius arboris serpentes columbis nocere non possunt. Si quæ autem forte aberrauerit, serpentis flatu attracta deuoratur. Nam si gregatim degant aut uolitent, nec serpens nec ocypteros, id est sparauerius eas lædere potest uel audet. Huius arboris folia aut cortex suffitu omne malum (bestias uenenatas) auertunt, Kíranides & Albertus.

¶ e. In Medera insula olim ignota, quam Lusitani nunc obtinent, copia maxima columborum fuit, quibus capiendis non alia arte usi sunt aucupes, quàm allígato pertícæ uncíno ex arboribus, quibus insidebant, aues admírabundas (ut quæ in insula deserta hominẽ prius non uidíssent) & níhil pauentes detrahendo, Aloísius Cadamustus. Idem etiam in alia quadam insula nouí orbis columbos ab homínibus níhil pauentes, scípionibus cæsos refert. Heroes apud Homerum ne aerem quídem uolucribus líberum permittebant, sed laqueos & retia (παγίδας καὶ νεφέλας) turdis & columbis (λίχλαις καὶ πελειάσι) tendebant, Athenæus. ¶ Polyphemus apud Ouídium Metam. 13. Galateæ canẽs, Munera tibi (inquit) erunt, Damæ, leporesq;, capræq;, Parq; columbarum, demptúsue cacumine nídus. Aeneas 6. Aen. certamina suis proponens, inter cætera malum nauis Erigit, & uolucrem traiecto in fune columbam, Quò tendant ferrum, (sagíttas,) malo suspendit ab alto. quam Eurytion deíjcit, & alis Plaudentem nigra figit sub nube columbam. Vídetur autem Vergílius in hoc ímitatus Homerũ, qui & ipse Iliados penultímo in certamine funebri πρόφωνα πέλειαν sagittis feriendam in malo nauis proponit.

¶ Columbæ etiam internunciæ in rebus magnis fuêre, epístolas annexas earum pedíbus obsidione Mutinensi in castra consulum D. Bruto mittẽte. Quid uallum & uigil obsídio, atq; etiã retia amne prætenta profuêre Antonio, per cœlum eunte nũcio? Plínius. Frontínus scribit Hirtium literas

teras collo columbæ seta religatas ad Decium Brutum Mutinæ obsessum ab Antonio mississe. Et forsan hanc per columbas missionẽ Iuuenalis innuit, cum scribit; Tanquam à diuersis partibus orbis Anxia præcipiti uenisset epistola penna, Grapaldus. Vno eodemq; die uictoria Taurosthenis ex Olympia Aeginam nunciata est ipsius parenti, ut alij affirmant, per spectrum. Alij uerò dicunt Taurosthenem columbam à suis pullis madidis adhuc & inuolucribus abstractam secum deportasse: cumq; uicisset, purpura amictam eam remisisse, eamq; summa cum festinatione ad pullos properantem eodem die ex Pisa in Aeginam aduolasse, Aelianus Variorum lib. 9. Iacobus tradit trans mare uersus Orientem columbas esse quæ nunciorum fungentes officio literas dominorum suorum sub alis breui tempore perlongè deportent, imprimis necessarias cum per agros inimicorum alijs nuncijs uia non patet, Author libri de nat. rerum.

¶ Columbini testiculi mulieri à uiro dati, amoris poculum sunt; sic & matrix columbæ uiro à muliere data, Kiranides. ¶ Nostri uulgaribus metris, illi qui domum castam & puram seruare uoluerit, sacerdotes & columbas non admittere consulunt. **Wilt du din huß halten suber, So hüt dich vor pfaffen vnd vor tuben.** ferè enim ubi columbę aluntur, pediculi & cimices oriuntur, & mures quoq; propter cibum allicIuntur. ¶ Surrentina uafer qui miscet fæce Falerna Vina columbino limum (fæcem, Acron; nec aliud in hunc locum) bene colligit ouo, Quatenus ima petit, uoluens aliena uitellus, Horatius Serm. 2. 4. Ouorum quidem gallinaceorum ad potiones crassas & turbidas purificandũ pharmacopolis hodie usus est: ut in ipsorũ historia copiosius exponetur.

¶ h. Columba Carnos & Illyricos in bellum commisit, Aelianus. ¶ Nota est historia sacra de columba à Noe ex arca diluuij tempore emissa, quæ primum uacua reuersa est; iterum uerò post septem dies emissa uesperi rediit cum oliuæ ramo: & rursus post septem dies, non rediit. Hanc Græci etiam poetæ ad suas fabulas mutuati sunt. nam columbã (ut refert Plutarchus in libro de comparatione terrestrium & aquatilium animantium) Deucalioni scribunt arca emissam quantisper remearet, & eôdem continuò se recipere, tempestatis: postquam auolasset, serenitatis argumentum dedisse. Cum diluuij aqua paulum cessasset, Noe ex arca coruum primum emisit, qui quidẽ non est reuersus iterum, cadaueribus se pascens multorum quæ interierant. Deinde columbam emisit, quæ arrepto ramo oliuæ reuersa est: id quod indicium erat manifestũ aquas subsedisse, Io. Tzetzes 6. 81. Qualis & ipse fuit, quo præcipiente columba Est data Palladiæ præuia duxq; rati, Ouidius in Ibin. ¶ Dercetûs deæ Syriæ filia Semiramis à colũbis fuit educata, quæ aues ideo Syris sacræ sunt, Diodorus libro 3. qui eodem loco subdit, Venerem aliquando obuiam factam Dercetò, amorem cuiusdam adolescentis sibi sacrificantis iniecisse: ex quo cum filiam dea suscepisset, sui erroris pudore affectam, adolescentem ab se amouisse, & filiam in deserta & saxosa loca, ubi columbarum erant ingentes turmæ, exposuisse; quæ columbæ puellam enutriuerunt. Mammes uir sanctus columbam habuit, Io. Rauisius Textor.

¶ Auguria. Sed carmina tantum Nostra ualent Lycida tela inter Martia, Quantum Chaonias dicunt aquila ueniente columbas, Vergil. 9. Aegloga. ubi Seruius, Minora enim inquit auguria maioribus cedunt, nec ullarum sunt uirium licet priora sint. Quod & Alexander ab Alexandro ex eo repetit: Et insuper, Siquidem cornicis (inquit) aut columbarum auspicia, aquila superueniente irrita fiunt. Columba si comitata est, (principibus uel regibus, uidetur addendum, ut mox ex Seruij uerbis patebit) prosperos successus auguratur, cæteris autem nullius auspicij credita est, Alex. ab Alexandro. Geminæ columbæ Aeneidos sexto, Aeneæ duces sunt ad inueniendum ramum aureum in nemore latentem. Geminæ tum forte columbæ Ipsa sub ora uiri cœlo uenêre uolantes, Et uiridi sedêre solo. Et mox, Pascentes illæ tantum prodire uolando, Quantum acie possent oculi seruare sequẽtum. Est autem boni ominis (ut fertur) in augurio uidere pascentes aues. Bene autem à columbis (inquit Seruius) Aeneæ datur augurium, & Veneris filio, & regi. nam ad reges pertinet columbarum augurium, quia nunquam solæ sunt, sicut nec reges quidem. Animæ alas, quas ei Plato attribuit, contemplatiuam intelligamus uirtutem, atq; item moralem, &c. Columbas sanè geminas ad aureum ramum inueniendum Aeneæ duces, non aliud quàm hasce alas esse contenderim, quibus connitentibus erigitur mens ad sapientiam, auri nomine sæpius significatam. Sed & à Venere mittuntur, quia amor diuinorũ eximius alis præstat alimenta, quibus surrigimur, mox & in deum transimus. Quam rem illa significant, Tollunt se celeres, liquidumq; per aëra lapsæ Sedibus optatis gemina super arbore sidunt, Cælius. Telemacho locuto ἐπέπαπο δεξιὸς ὄρνις Κίρκος Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος, ὃν δὲ πόδεσσι Τίλλε τελεσσάμην ἔχων, κατὰ δὲ πῆδρὰ χοΰψεν ὄρᾶξε, Odysseæ ☉. Circum de genere aquilarum (accipitrum) columbam discerpentem unguibus, felix nuncium attulisse Homerus uoluit, Alexander ab Alexan. ¶ De columba Aretullę Martialis carmẽ lib. 8. numero 32.

Aëra per tacitum delapsa sedentis in ipsos — Fluxit Aretullæ blanda columba sinus.
Luserat hoc casus, nisi inobseruata maneret, — Permissaq; diu nollet abire fuga.
Si meliora piæ fas est sperare sorori, — Et dominum mundi flectere uota ualent:
Hæc à Sardois tibi forsitan exulis oris — Fratre reuersuro nuncia uenit auis.

¶ Charon Lampsacenus in Persicis de Mardonio scribẽs, & exercitus Persici interitu circa Athon montem (cum triremes Persarũ Athon præterlegentes perirent, Aelianus in Varijs,) Tum (inquit) primum columbæ albæ in Græcia uisæ sunt, cum prius non fuissent, Athenæus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 332 sur 825

¶ Somnia. Περιστερὰς βλέπειν τι πτῆσσον βλακῶν, Senarius apud Suidam, hoc est, Columbas uidere malum aliquod præsagit. Aspasia Hermotimi filia Phocensis uiri pauperis, cum mœtum ei maximo formæ detrimento intumuisset, nec haberet unde sumptum in medicos faceret, in somno columbam uidit: quæ in mulierē mutata bono animo ipsam esse iussit, & rosea serta Veneris iam aridā cōtrita tuberi imponere: quod cum fecisset, tumor euanuit: ipsaq; rursus inter formosissimas puellas numerata est aut potius omnibus prælata. Tandem inuita relicto patre ad Cyrum Darij filium adducta, una omnium concubinarum charissima illi fuit. Vnde Aspasia insomnij memor, Veneri sacrificia gratificatoria peregit: & ingens idolum in honorem eius faciendum curauit, iuxta quod gemmis picturatam columbam statuit. Deinde Cyro in prælio contra fratrem occiso, ab Artaxerxe quoq; similiter amata & in honore fuit, ut multis scribit Aelianus ab initio lib. 12. Variæ hist.

¶ Columbæ Syris sacræ fuerunt, quòd Dercetûs deę Syriæ filiam Semiramidem aluisse crederentur, ut supra ex Diodoro Sic. recitauimus. Assyrij columbam coluerunt, Gyraldus. Et rursus, Syri pisces & columbas deos sibi consecrarunt. (quamobrem iniuria affici non patiebantur, Xenophon Anabaseos primo.) Chaoniæ Vergilio dictæ sunt columbæ ab Epiri parte. nam olim in Dodona sylua Epiri oracula reddebant. quod ideo fingitur, quia lingua Thessala Peleiades & columbæ & uaticinatrices uocātur, Seruius. Πέλειαι, columbæ & uaticinatrices in Dodona, Hesych. Mulieres Dodonæi oraculi antistites (ut scribit Herodotus lib. 2.) aiūt geminas ex Aegypto columbas aduolauisse, utranq; nigram, unam quidem in Africam, alterā in Dodonam: quæ fago insidens humana uoce elocuta sit, eo loci Iouis oraculum condi debere, & se interpretes esse. Eam uerò quæ ad Afros abisset columbam, iussisse Afris ut Ammonis oraculum conderent, quod oraculum & ipsum Iouis est. Sic illæ referebant, quarum antiquissimæ nomen erat Promeneæ, proximæ Timaretæ, minimæ natu Nicandrę: De quibus ita mea fert opinio. Si reuera Phœnices ablegauerunt fœminas sacerdotes, & earum alteram in Africa, alteram in Græcia uendiderūt: hanc quæ in Græcia illa quæ Pelasgia uocabatur, uæniſt, eam esse quæ apud Thesprotos uæniſt atq; deinde ancillantem ibidem condidisse sub fago enata fanum Iouis, quemadmodum mos erat Thebis ministrare in Iouis templo. Et posteaquam illa linguam Græcam accepit, dixisse aiunt, sororem suam in Africa abeisdem Phœnicibus (ut ipsa fuisset) uænundatam. Quòd autem mulieres à Dodonæis columbæ uocatæ sunt, ob id mihi uidetur factum, quia barbaræ essent: quòd uidelicet simile quiddam auibus sonarent. Interiecto deinde tempore columbam humana uoce locutam aiunt, postquam more ipsorum mulier locuta est, tandiu uolucris modo sonare uisa, quandiu barbare loquebatur. Nam columba quodammodo humanam uocem sonat. Nigram autem columbam esse dicētes, Aegyptiam fœminā significant. Sunt itaq; simillima inter se oracula, & illud apud Thebas Aegyptias, & hoc apud Dodonam, &c. Hæc omnia Herodotus. Paleſtæ locus Epiri est apud Oricū, ut Lucanus in quinto Pharsaliæ innuit. Eum uerò locum Paleſtæ dictum aliqui putant, quoniam geminæ columbæ fatidicæ è Syria Dodonam euolauerunt, quæ Paleſtinæ sunt appellatæ. In illis quoq; fuisse inferorum ostium ferunt, item Acherusiam, Gyraldus. aliqui uerò (ait) Palæstinas deas in Fastis Ouidij pro Furijs accipiunt. ¶ Persæ columbas albas abigunt propter leucæ affectionis odium, Cæl. ex Herod.

¶ Græci rectè dicunt & sentiunt columbam Veneri sacram esse, Plutarchus in libro de Iside & Osiride. Etymologus causam addit, quoniam maximè ferueant ad coitum, & sæpius anno pariant, quod aliæ aues non faciunt. Hinc epitheta apud poetas, Cythereiades, Cytheriacæ, Dionææ. Vt albulus columbulus Dionæus, Catullus in epigrammate Cæsaris mollitiem notans. Λευκὸς Ἀφροδίτης εἰμὶ γὰρ περιστερὸς, Alexis apud Athenæum. Venerem curru uectam aliquando legimus, columbis tracto, ut in sexto facit Apuleius: quod & Phurnutus interpretatur, propter columbæ puritatem & castitatem, propterq; oscula, ut in Peristeræ puellæ fabula, in hanc auem cōuersæ Lactantius Grammaticus retulit, Gyraldus. Et alibi, Veneri albas columbas dicabant ueteres, & ideo Aeneas apud poëtam maternas appellat aues. Athenæus author est in Sicilia ad Erycis montem statis quibusdam diebus, quas loci illius accolæ profectorios (ἀναγωγὰς) appellant, quoniā Venerem inde in Libyam quotannis id temporis proficisci (ἀναγέσθαι, quod uerbū proprie dicitur de naui soluente) constantissimè credant, nullas eo tractu columbas uideri, (reliquo uerò tempore ingentem earundem auium copiam, super deæ templo superuolare constat, Aelianus in Varijs:) ueluti quæ abeuntē uenerantes deam cum illa peregre sint profectæ. Quæ postea nonam post diem (ἣν τοῖς λιγυμβύοις καταγωγίοις, hoc est in festo reuersorio. nam κατάγεσθαι de naui ad littus appellēte dicitur) una prænuntiante, quæ ex mari in Veneris templum uolare percipitur, omnes uno turmatim agmine illico adesse uisuntur. Quamobrem incolarum profusissimo gaudio, quod magnificis epulis locupletes testantur, cæteri qua possunt hilaritate & applausu, festum concelebratur hoc tempus: uniuersusq; regionis illius tractus butyrum olere dicitur, quod aduētantis deæ certissimum esse indicium perhibent, Nicolaus Leonicenus in Varijs ex Athenæo 3. 64. meminit etiam Aelianus in Varijs. & in Animalium historia post reliqua, Nouem (inquit) diebus lapsis, unam forma insignem ex pelago Libyco spectari aiunt reuolantem, quæ non sit quemadmodum reliquæ gregales liuiæ columbæ (sic habet Gillij translatio) sed rubra, qualem nobis Anacreon canit esse Venerem: quum eam quodam loco purpuream & auro similem canit. Hanc cæterarum greges sequuntur, & rursus Erycini reuersionis dies celebrant.

¶ Sacrifi-

¶ Sacrificia. Geneſeos 15. columbam legimus adhibitam fœderi pangendo. Columbæ pulli quomodo ſacrificandi, uide Leuitici 1. & 14. Turtur aut columba quomodo offerendi, Leuitici 5. Turtures duos uel duos pullos columbarum non potens offerre, offerat decimam ephi ſimilæ, ſine oleo & thure, Leuitici 5. Cum expleti fuerint dies purgationis, &c. pullus columbæ ſiue turt. pro peccato offeratur, Ibid. 12. Par turturum aut duos pullos columbarum, Lucæ 2. Columbas uendentibus dixit: Auferte iſta hinc, &c. Ioan. 2. Matth. 21. Marci 11. ¶ Ergo ſæpe ſuo coniunx abducta marito Vritur in calidis alba columba focis, Ouidius lib. 1. Faſtor, de ſacrificio auium loquens.

¶ Metamorphoſes. Semiramis in columbam mutata memoratur Ouidio, libro 4. Metamor. his uerſibus: Vt ſumptis illius (Dercetidis) filia pœnis Extremos altis in turribus (aliàs montibus, quod magis placet) egerit annos. Grammatici Græci, ut Varinus, ſemiramin, columbam montanam interpretantur. Tranſit (Medea in aëre uecta) & antiquæ Carthæia mœnia Cæræ, Qua pater Alcidamas placidâ de corpore natæ Miraturus erat naſci potuiſſe columbã, Ouid. lib. 7. Metam. Idem lib. 15. Metam. Anij filiarũ, quæ omnia ſuo tactu in frumentum, uinũ oleũmue conuertebant, in columbas mutationem memorat. Achiui commemorant (Autocrates ſcribit, Athenæus) Iouem ipſum in figuram columbæ uerſum eſſe cum amaret Phthiam uirginẽ habitantem in Aegio, Aelianus in Varijs: & Athenæus, cuius uerba mutila ex Aeliano reſtitui poſſunt. Periſteram puellam in columbam conuerſam Lactantius Grammaticus refert, Gyraldus.

¶ Prouerbia. Aquilæ columbam non generant: Vide in Aquila h. ¶ Mitior (uel Manſuetior) columba, πραότερος πόθεν ὤν. Columbina ſimplicitas ac manſuetudo, laudatur etiam in diuinis literis. Nam hoc eſt columba in auibus, quod ouis in quadrupedibus. Ipſa nulli animantium meditatur noxam: nec aliunde præſidium habet aduerſus miluios, quàm à celeritate uolandi. Adagij meminit Diogenianus, Eraſmus. ¶ Palumbem pro columba, φάτταν ἀντὶ πόθεν ὤν, ſubaudi uerbum ad ſententiam accommodatũ. In epiſtola Mormiæ neſcio cuius ad Chremetem, (in epiſtolis Aelianis:) Ἀνλικτρίδα δὲ λυσάμενος ἧς ἔτυχεν ὤν, νύμφης κολλὼ αὐτῇ πόθεν καλῶν ἐπανήγαγέ μοι φάτταν ἀντὶ πόθεν ὤν φασίν, ἐτάξαμεν ἀντὶ νύμφης. id eſt, Redemptam tibicinam quam forte amabat, ſponſæq; ſtola amictam mihi induxit columbæ loco palumbam, ut aiunt, meretricem pro ſponſa. Vſus eſt Plato in Theæteto, λαβὼν οἷον φάτταν ἀντὶ πόθεν ὤν. id eſt, Si uelut accipiat palumbem pro columba. Error eſt in re non in ipſa ſcientia. Palumbes aũt columbis ſunt adſimiles. Cõueniet, ubi quod deterius eſt & adulterinum, pro eo quod eſt præſtantius ac legitimum ſupponitur, Eraſ. ¶ Columba ſedens: Vide ſupra in E. ¶ Columbæ prius uitabunt turres, de re incredibili dixit Ouidius 1. de Ponto. Nam prius incipient turres uitare columbæ, Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas: Quàm male ſe præſtet ueteri Græcinus amico. ¶ Non tam ouum ouo ſimile, quàm illud prouerbij ſpeciem præ ſe fert, quod eſt apud Iuuenalem Sat. 2. Dat ueniam coruis, uexat cenſura columbas. Pœna legum exercetur in humiles quoſpiam, & à quibus ob ingenij mãſuetudinem aliquid emolumenti poteſt auferri. Rapacibus ignoſcitur. Sumptum eſt ab apophthegmate Anacharſidis, qui hoc dicto eluſit ſtudium Solonis in cõſcribendis legibus, quemadmodum refert Plutarchus in uita Solonis. Leges (inquit) aranearum telis adſimiles dicebat, propterea quòd in illas ſi quid leuius aut imbecillum incurrerit, hæret: ſin maius aliquid, diſſecat ac fugit. Ad eandem pertinet ſententiam quod in Phormione ait Terentius: Quia non rete accipitri tenditur neq; miluio, Qui malè faciunt nobis, illis qui nihil faciunt tenditur. Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur, Eraſmus. Hoc ſenſu Germani proferunt, **Die groſſen dieben henckend die kleinen.** Et, **Die kleinen dieben henckt man an den galgen/die groſſen in den seckel:** Vel, **die groſſen laßt man lauffen.** ¶ Socrates ad Theodotam lib. 3. Apomnemoneumatum apud Xenophontem, Vtrum (inquit) fortunæ permittis, num quis amicus ad te ut muſca uolet, (pro quo noſtri dicunt, Expectare columbã aſſam ori hianti inuolaturã, **Warten ob einem ein gebratne tuben in das mul fliege:**) an uerò tu etiam aliquid machinationis conferes? ¶ Quos de re leui & uili cõtendere ſignificamus, de ſimo columbino certare dicimus, **Vmb ein tuben dreck haderen.**

COMMVNIA QVAEDAM OMNI COlumbaceo generi.

QVANQVAM in hiſtoria columbæ manſuetæ iam perſcripta, plurima omni columbaceo generi (quod complectitur mãſuetas, agreſtes, palumbes, liuias, œnadas & turtures) communia dicta ſint: uiſum eſt tamen hîc ſeorſim breuiter ea conſcribere quæ authores communia eſſe expreſſè docuerunt, quæ cum pauca ſint, facilius ſic inuenientur.

C.

Proprium columbis & palumbis & turturibus eſſe uidetur, ne collum cum bibunt reſupinent, niſi ſatis hauſerint, Ariſtot. Omnes uno tractu bibunt demiſſo capite, & non erigunt in potu ſæpe capita ſicut aliæ aues. nam collum earum breue & amplum eſt, & multæ aquæ capax, in alijs auibus non item, Albertus. ¶ Cantus omnibus ſimilis atq; idem trino conficitur uerſu, præterq; in clatiſula gemitu, hyeme mutis, uêre uocalibus, Plinius 10. 35. uidentur autem hæc uerba non ad palumbes tantum pertinere, ut quidam putauit, ſed ad omne genus columbarum. A ſono uocis turtur

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 334 sur 825

uocatur, & gemit pro cantu, ſicut & cætera genera columbarum, Albertus. ¶ Columbæ (& huius generis aues) coniugium mutuum ad mortem uſq; non deſerunt. & altero coniugum extincto alter uiduus manet, Ariſtot. apud Athenæum. ¶ Columbæ uel decies anno, aliæ (ut palumbes, turtur, uinago,) ſemel anno & parcius generant, Ariſtot. ¶ Pariunt magna ex parte bina oua quæ ſpecie columbacea continentur omnia, ut palumbes, ut turtur: ſed complurimũ terna, palumbes, & turtur, Ariſtot. Columbariũ genus cur multoties pariat, ſed pauca, bina plerunq; oua: Vide in Columba C. Mare uno contenta, & turtur & palumbes uiuit, (ut & columbæ,) nec alterum recipit, Ariſtot. Incubat uiciſſim omne columbaceum genus, Athenæus ex Ariſtot. Vide ſupra in Columba C. ubi etiam ex Ariſtotele cauſam ſcripſi, cur palumbes, turtures & columbę, imperfectos & cæcos pariant pullos. ¶ In omni columbaceo genere mares quàm fœminę minus uiuaces uidentur. uide in Palumbe C.

¶ Sanguine columbæ, palumbi aut turturis ad remedia utare parum intereſt, ut ex Galeno docuimus in Columba G.

DE COLVMBIS FERIS IN GENERE.

SEMIRAMIS columba montana eſt, Heſychius & Varinus. Vide ſupra in Columba h. inter Metamorphoſes. ¶ Indi ad regem ſuum afferunt columbas quas negant manſuefieri poſſe, Aelianus. ¶ Erunt in montibus quaſi columbæ cõuallium, Ezechielis 7. ¶ In Italiæ quibuſdam locis muſtelis domeſticis, ut audio, utuntur, ut extrahant columbas è cauernis uel nidis ſuis. ¶ Columbæ feræ, quæ autumno auolant, uerno ante cæteras aues ad nos reuertuntur, ut audio. Sed Ariſtoteles, Veniunt (inquit, columbæ feræ) ad noſtra loca cum iam fecerint prolem. cætera uerò omnia quæ æſtate accedunt, nidulantur apud nos, & carne magna ex parte ſuos enutriunt pullos, excepto columbaceo genere.

F.

Ius conſumptum quomodo fiat ex capo aut columbis ſyluaticis &c. in Capo monſtrabimus ex Platina.

G.

Columbos mares ſylueſtres in cibo membris trementibus ac reſolutis, & linguæ ad loquendum impeditæ prodeſſe conſtat, Arnoldus Villanou. in Antid. Columbarum ſylueſtrium ſimum priuatim contra argenti uiui potum ualet, Plinius: Dioſcorides ad eundem uſum aridum bibi ſuadet cum nardo & uino.

DE COLVMBIS FERIS QVIBVSDAM, porcellana, ſaxatili, œnade.

PORCELLANAE Venetijs dicuntur columbæ quædam maritimæ, roſtro pedibuſq; rubris, cætero nigræ.

¶ FRANGOLINI, columbarum (gallinarum potius. uide in Attagene) ſylueſtrium ſpecies eſt, poſt perdices & coturnices in uſu, Nic. Maſſa.

SAXATILES columbas, Steintuben / in quibuſdam Rhætiæ locis uocari audio maiores manſuetis, colore cinereo, quæ in ſaxis nidulentur. has frequentes apparere aiunt eo tempore quo prata demeſſa ſunt, quòd tum locuſtas perſequantur. Eadem, ni fallor, colombo ſaſſarollo dicitur. Columba ſaxatilis Varroni inter altiles nominatur, &c. uide in Columba ſimpliciter A. Liuia etiam aliquando in templorum muris & montium rupibus nidificat, ſed ea minor eſt quàm colũba.

OENAS (Vinago ut Gaza uertit) autumno potiſſimum & conſpicitur & capitur: (unde & nomen à uino, ſeu uindemiæ tempore ei inditum coniectura eſt:) cui magnitudo maior columbo, minor quàm palumbi eſt, quod & Aelianus repetit. Modus maximè capiendi eam dum ſe in aquam bibendo propendit, Ariſtot. Frugibus quoq; uiuit ut columba, & bina parit oua, Ariſt. 6. 1. hiſt. anim. ubi Gaza de ſuo addit ſemel tantum anno eam parere. id quod de œnade uerum mihi uidetur. turturem uerò de qua ſimul ibidem agit, bis anno parere conſtat. Veniunt ad noſtra loca cum iam fecerint prolem, Ariſtot. hiſt. 8. 3. uidetur autem de turture ſimul & œnade ea uerba protuliſſe, ſi Euſtathius œnadem maiorem columba eſſe ſcribit, colore quem Græci οἰνωπὸν appellant, (qualis ſcilicet uini nigri eſt, uel qualis in uuis nigris maturis apparet:) ut ab eó ne colore, an uindemiæ tempore quo capitur, œnàs dicta ſit dubitemus. οἰνὰς, genus corui, aut columba fera, (aliàs, columbæ feræ ſpecies,) Heſych. & Varinus. οἰνιὰξ, ſpecies corui, lidem. οἴννὼ Hebraicè & Syriacè ſignificat columbam illam, quam Græci uocant οἰνοάδα, Tzetzes. Vide in Columba A. Quidam Gallicè interpretatur œnadem, grand columb, id eſt columbam magnam, uel biſet: Robertus Stephanus coulomb biſet. Oenáda etiam interpretantur aliqui locum uitibus conſitum. οἰνάδες, ἀμπελῶδες τόποι, Heſych. οἰνάδιας ἀκτὰς, ἀντὶ τοῦ οἰνομαίους ἀκτὰς, Idem. οἰνὰς autem ſignificat, non (ut quidam putant) uitem. in Sparta quidem etiam οἰναδοθῆραι quidam uocantur ab huius auis aucupio, Aelianus. Viſcum naſci aiũt ab excremento œnadis, cum illa uiſci deuorato ſemine ſuper arbore aliqua excreuerit, Athenæus. Plinius pro œnade palumbem reddidiſſe uidetur: Viſcum (inquit) ſatum nullo modo naſcitur, nec niſi per aluum auiũ redditũ, maximè palũbis & turdi. ¶ Alia eſt OENANTHE auis,

auis, ὀινάνθη, Aristoteli & Plinio, (uitifloram Gaza reddit,) quæ statos latebræ dies habet, exoriente Sirio occultata, ab occasu eiusdem prodit: quod miremur, ipsis (ijsdem) diebus utrunq;. Vitat enim interdum frigora, aliàs æstum. Plinius sanè lib. 18. cap. 30. eadem de parra & uireone scribit, quæ lib. 10. cap. 29. de œnanthe & chlorione, ut œnanthen parram eum transtulisse appareat. Niphus œnanthen à colore simili germinantibus uuis dictam conijcit. Est & uua œnanthe quam uites syluestres ferunt, quæ cum flore colligitur, suauissimo odore cum floret, ut & satiuæ uitis: qualis puto & tiliæ & fabarum florentium est. hinc œnantharia medicis dicta. ¶ Oenas (inquit Guil. Turnerus Anglus) mihi nunquam hactenus uisa est: nec quid habeat nominis apud nostros aut apud Germanos, compertum habeo. Vidi tamen Venetijs columbos his nostratibus sesquialtera proportione maiores, sed hos non uinagines fuisse credo, sed columbos è Campania ad Venetos aduectos, ubi Plinius columbos scribit esse grandissimos. Niphus in Aristot. de hist. anim. 8. 3. dubitat an uinago sit genus illud columbæ, quod in Italia habeatur ex columbo cellari & palumbo nascens. & quoniam Aristoteles hoc in loco columbarum genera numerans peleiadem omittit, ut libro quinto œnadem, dubitat an œnàs & peleiàs eadem auis sit. Sed œnadem Aristoteles columbã maiorem facit, peleiadem minorem. Oenàs etiam canis nomen est apud Xenophontem, si bene memini.

DE LIVIA COLVMBA.



COLVMBACEI generis est liuia (πελειὰς, à liuore dicta,) minor quàm colũba, & minus patiens mansuescere. liuet etiam plumis & penè nigricat (Græcè simpliciter, nigra est,) & pedibus rubidis scabrosisq; est: quas ob res nullus id genus cellare alit, Aristot. Gaza interprete: ex quo etiam Athenæus repetijt, & Aelianus in Varijs lib. 1. Apparet sanè πελειάδα (poetæ etiam πέλειαν dicunt,) à colore liuido dictam, quam Græci πελιὸν & πελιδνὸν & πελιδνόμ uocant. Vide in Columba H. a. ubi etiam ostendi πελειάδα Doricè & poeticè simpliciter pro columba accipi. A πέλεια fit πελειὰς, ut à μαῖα μαιὰς, Etymologus. πέλεια non simpliciter columba est, sed species columbæ nigrioris, ut dictio ipsa subindicat, Eustathius in Homerũ. πέλεια, genus columbæ simile palumbi, Varinus. πέλειαι, columbæ nigræ, φρᾶσαι, Hesych. legendum autem φᾶσαι, id est palumbes, quanquam palumbium genus diuersum sit, & maius. Liuiæ discedunt & palumbes, nec hybernare apud nos patiuntur, Aristot.

¶ Columbæ cauernarum nigræ sunt aliquantulum, & in arboribus habitant, Albertus. Etrurius, Columbæ belez (uox corrupta à Græca πελειάδες) domesticis griseis (fuscis) similes sunt, minores: & uocãtur apud nos columbę cauernarum (Lochtuben uulgò, Kleine wilde Tuben: & alicubi, ut Turnerus scribit, Holtztaube,) & insident arboribus, uolant gregatim, nec curantur. & si retineantur, non pullificant. Nidificant nõ in lapidibus aut muris, sed potius in cauernis arborum, aut in arboribus. pedes eis asperi, ualde rubei, Hæc ille. Columbæ syluestres in turribus & montiũ rupis nidificant, domesticis minores, à nonnullis liuię quasi liuidæ dictę. harum fimus ad sinapismum requiritur, Monachi in Mesuen. Niphus Italicè uulgò palumbellas dici scribit: & sanè Latinè etiam palumbus minor rectè appellabitur. nam maior est qui simpliciter palumbus dicitur, uel ad minoris differentiã torquatus. A Gallis liuia croiseau appellatur, Brabandis croisi. Anglicè stocdoue, ut Turnerus docet.

B.

Vidi ego apud nos liuias captas cum aliàs tum Februario etiam & Augusto mensibus. Auis

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 336 sur 825

ea columbæ domesticæ specie persimilis est, paulò minor. pedibus rubet. rostrum albicat, circa nares tamen purpurei parum habet. Plumæ ubiq; cinereæ, sed in cauda extrema pennæ nigrescunt, mediæ subruffum aliquid habẽt. Collum pronum & ad latera partim purpureas, partim subuirides plumas habet, pro diuerso ad lucem positu hoc uel illo colore splendentes. Collum supinum ex cinereo purpureum est. Alarum pennæ quatuor longiores nigricant cum aliquo subruffo colore: minimæ cinereæ sunt: mediæ partim cinereæ, partim ad extrema nigricant, & earundem ultimæ dorsum uersus subruffæ sunt. Longitudo à rostro ad extremam caudam dodrans & digiti quinq; ferè. Differt à palumbe quòd & multò minor est, & maculas albas circa collum & in alis ut illa non habet. ¶ In India liuiæ columbæ uirides pennas habent, ut primo aspectu, si quis in auium cognitione rudis sit, psittacum non columbam dicat. Rostrum illis & crura Græciæ perdicibus sunt similia, Aelianus.

C.

Columbę cauernales glandibus & granis uescuntur, Albert. Semper cateruatim noctu prope pagos in aliquam arborem aduolant, & eandem singulis noctibus repetunt, ut Brabandus quidam nobis narrauit. Nidificant liuiæ in cauis aliquando arboribus & templorum muris, Turner. Perdicum uita amplius quàm ad sedecim annos extẽditur, Aristot. histor. anim. 6. 4. sed cum eo in loco de columbaceo genere agat, suspecta est dictio πέρδικες: & tradunt aliqui (ut Niphus annotauit) in uerioribus codicibus legi πέλειαι.

D.

Liuiæ, ut audio, cicurari non solent.

F.

Quod ad cibum attinet, liuijs conuenire uidentur omnia ferè quæ in palumbe afferuntur. Aridior si te delectat forte columba Liuia, turrita quæ tibi ab arce cadit: Non sapiat torquata minus mihi cara palumbes, Si modo fert molles non diuturna (non annosa) dapes, Bapt. Fiera. Liuiæ apud nos, ut audio, palumbis, tanquam teneriores, in cibo præferuntur.

¶ Πέλεια columbæ genus est imprimis timidũ, quare & πρόῤῥῳ dicitur, Eustathius. Sed idem docet peleiáda Doribus (ac poetis, qui & peleian efferunt) columbã simpliciter sonare. & πρόῤῥῳ commune esse epitheton columbarum omnium: quandoq; etiam per antonomasiam πρόῤῥῳ simpliciter pro columba usurpatur. Apud Homerum Odysseæ 12. legitur supra Planctas petras marinas nullas aues transire posse, sed ne peleias quidem, quæ Iouí patri ambrosiam afferãt, quo nomine scilicet maior reuerentia eis deberetur. Non modo (inquit Eustathius enarrator) poeta ne peleias quidem supra Planctas transire posse canit, propter pernicitatem harum auium in uolatu: sed etiam ut impudentiam earum argueret, quæ ne ijs quidem auibus parcant, quæ Iouí ambrosiam adferant, Eustathius. Alexander Paphius tradit Homerum Aegyptijs parentibus Dmasagora patre & Aethra matre natum, nutricem habuisse prophẽtin quandam, filiam Ori sacerdotis Isidis: ex cuius mamillis mel aliquando in os infantis manauerit, unde is noctu uoces nouem diuersas ædiderit, hirundinis, pauonis, columbæ, cornicis, perdicis, porphyrionis, sturni, luscíniæ & merulæ: & puerum inuentum esse cum nouem columbis colludentem in lecto, & aliquando Sibyllam in conuiuio apud parentes pueri insania captam carmen effudisse, cuius initiũ, Δμασαγόρα πολύμικε. in quo Dmasagoram etiam μεγαπλεῖ & σιφωνίτῃ appellârit, & templum nouem Pegridarum, hoc est Musarum, condere iusserit. Hoc illum fecisse, & puero iam adulto rem omnem aperuisse. Itaq; poetam in honorem auium quibus cum infans collusissẽt, finxisse eas ipsas Iouí ambrosiam aduehentes, Idem. Et rursus, Poetæ Pleiades sydus Peleiades nominant per epenthesin. nam Simonides eas πελειάδας ὑετίας (& Atlantis filias, Athenæus) uocat, & πρόῤῥωνας cognominat: unde quidam decepti aues intellexerunt. Pindarus ὀρείας πελειάδας dicens, tanquam πελείας, situm earum ὧν ἡ ὄρεσι, id est in cauda tauri innuit: Aeschylus easdem ἀπῆρος πελειάδας, (id est inuolucres, ut uitaret homonymiam cum auibus, Athenęus.) & Lamprocles, Αἱ ποτανᾶις (pro πτῆναις) ὁμώνυμοι πελειάσιν ἐν αὐθρῖ κεῖνται. Item Euripides, Ἑπταπόρα δρόμημα πελειάδος. & Theocritus (Idyl. 3.) Ἀντέλλοντι πελειάδες. Homerus certe Pleiades inter stellas fixas tanquam celeberrimas agnouit: nam in Aspidopœia ante cæteras earum meminit. De ijsdem Mœro Byzantia sic cecinit, Ζεὺς πρόῤῥωσι πελειάσιν ὤπασε πῆμὰ, Αἳ δ' ἦ τοι θέρεϊ καὶ χείματι ἄγγελοί εἰσι. Conuenit autem his quoq; (non tantum πελειάσιν, id est liuijs columbis propriè dictis) epitheton πρόῤῥωνες, quòd Orionem fugiant, ut in fabulis est, persequentem matrem ipsarum Pleionen, πλειόνην, à qua secundũ aliquos Pleiades denominantur. Hæc omnia Eustathius ex undecimo Dipnosophistarum Athenæi mutuatus. Mœro (aliâs Myro) etiam Byzantia (inquit Athenæus) nõ peleiades, sed Pleiades, in poemate Mnemosyne, Ioui ambrosiam ferre canit. nec abs re id fingitur à poetis: quoniam hominibus quoq; ortu occasuq; partium anni discrimina & arationis messisq; tempus (id est generationis frugum & perfectionis) significant: unde Hesiodus, Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ὤρη τελομηνάων, Ἀρχεὸ' ἀμητοῖ, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων. Et Aratus, Iupiter (inquit) Pleiadibus θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο Σημαίνειν ἐπέγνωσεν ἐπόρχομένης τ' ἀρότοιο. Et sanè multò augustius fuerit stellas Iouí ambrosiam ferre, quàm columbas confingi. Cæterum figmentum Mœrûs, cuius etiam carmina recitat Athenæus, huiusmodi est: Cum Iupiter in specu quodam Cretæ nutriretur, Peleiades πρόῤῥωθεν ambrosiam ei ex Oceano afferebant, nectar uerò è saxo quodam rostro hauriens aquila. Has aues

postea

postea Iupiter uicto patre Saturno, ut gratiam referret, inter sydera collocauit, quæ aquilam uocant & Pleiades. Author etiam astronomiæ quæ in Hesiodum refertur Peleiades semper pro sydere dicit. Itaq; Homerum quoq; uerisimile est in Nestoris poculo sydus sic appellasse: quod cum aures siue ansas gemínas haberet, utraq; scilicet in binas partes uersus poculum rursus coeuntes diuisa, ut cum binæ sint aures, & circa utranq; (πρὸς ἑκάτερον) binæ Peleiades spectentur, & rursus aliæ duæ sub fundo poculi, in uniuersum sex habeantur, quot scilicet in cœlo etiã conspiciuntur. Sed cum poeta πρὸς ἕκαστον dixerit, geminæ columbæ circa unanquanq; binarum aurium diuisionem, quæ quatuor sunt numero, non debent accipi: sic enim octo fierent. Potuit autem ἕκαστον pro ἑκάτερον dicere, quoniam ad unum principium binæ diuisiones aurium rursus conueniunt. Sed præstat illum qui plura super hoc Nestoris poculo & allegorica eius ad cœlum relatione, nosse uoluerit, ad ipsa Athenæi uerba remittere. Quòd ad imaginem uel sculpturam attinet, potuerunt (inquit Athenæus) Pleiades in illo uel auibus uel uirginibus similes fuisse, sed stellis exornatæ. Extat super eodem poculo elegans Alciati Emblema, Scyphus Nestoris inscriptum. Δοιαὶ δὲ πελειάδες ἀμφὶς ἕκαστον (scilicet ὄφρα πῶμ' ποτηρίου) Χρύσειαι νεμέθοντο. Iliad. λ. ubi Scholiastes: Pascebantur, id est pascentibus & uiuis similes erant columbæ seu liuiæ columbæ.

¶ Πελειάδες columbæ epitheta, habes supra in Columba simpliciter. sunt enim ferè cõmunia, &c. ¶ Ἴθματι πελειάδεσσιν ὅμοιαι, Homerus Iliad. ε. de Iunone & Minerua. id est, progressu suo similes columbis, quarum uestigia occulta (ἀφανῆ) esse scribunt antiqui, & nõ pro ratione magnitudinis discreta, Varinus. ¶ Πελειὰς ἠμρώη, uide supra in Colũba E. ab initio. ¶ Οἱ δ' ἄλλοι ἑξῆντες ὑπὲρ πρόσσω, ἠΰτε κίρκες Ὠκυπέτας ἀγέλης ὑποτρόσσωσι πέλειαι, Apollonius in Argonaut. Et alibi, Ἠΰτε κίρκοι Φῦλα πελειάων πλανέωσιν. Idem lib. 2. Phineum fingit Argonautis suadere, ne per Symplegades petras nauigent, nisi prius eminus emissa columba, ὄφρα δ' ἢ πρόδε πελειὰς πειρήσασθε, ut si illam uiderint inco lumem euadere per ipsas, sequantur: sin minus, retrorsum nauigent tanquam prohibentibus diis, ubi Scholiastes, Veteres (inquit) nauigaturos usos esse columba (præmissa scilicet supra mare tanquam duce nauigationis) Asclepiades etiam testatur in Tragodumenis. Λυπεῖδε πελειάδες ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς, Theocritus in Epitaphio Bionis Idyl. 19. Ἀιετὸς ὀξὺ κεκλαγὼς Ἤλυθ' ἀκρηνέωσαν ἔχων ὀνύχεσσι πέλειαν Ἐσσυμένως ὀίμησεν ἀρισθρὸς, Q. Calaber lib. 1. auspicium hoc referens Priamo Iouem orante uisum. Ἡ Κύπρος Ἔχει πελειὰς ἀμφόρεας, id est Cyprus præstantissimas habet colũbas, Antiphanes apud Athenæum. Celebrantur sanè hodieq; à nostris etiam columbæ Cypriæ. Πελειάδια χαλεπὰ μεμαρπὼς, & πελειοθρέμμονα νῆσον, Varinus citat ex poeta quopiam. Idem in uoce Κίχλαις, Turdis (inquit) & columbis (πελείαις) Homerus Odysseæ χ. comparat ancillas Penelopes, turdis forte, à cichlismo, id est inconcinno & lasciuo risu, quo utebantur ut se mutuò exhilararent. columbis uerò propter libidinem, ad quam hæ aues procliues sunt: ὧν τὸ πανήγυρικὸν ἀεὶ καὶ τὸ ἀεὶ μίγνυσθαι. ¶ Cum Phineus ab Iasone consilium petente, deberétne cum Argonautis inter Symplegadas petras nauim transmittere, nauis eam quæ columbæ (πελειάδες) celeritatem esse audiuisset, columbã præmitti iussit: quæ si salua euaderet, ipsis etiam tutam fore eam nauigationem. Præmissæ igitur columbę postrema tantum caudæ parte retenta, Argonautæ illam sequuti sunt, & nauis similiter Symplegadum cõcursu extremæ tantum proræ confractæ damnum passa est, Eustathius in Odysseæ μ. Meminit etiam Ouidius in Ibin, ut retuli in Columba h.

DE PALVMBE.

COLVMBACEI GENERIS SVNT:

I. PHATTA maxima, palumbus maior.
II. INDE phaps, palumbus minor.
III. OENAS, uinago.
IIII. COLVMBA.
V. LIVIA, peleias.
VI. TVRTVR, omnium minima.

PALVMBVS & palumba apud authores leguntur, ut columbus & columba, sed palumbes frequentius est, idq; in utroq; genere. Plinius etiam palumbum ferum dixit, nam & domesticus siue cellaris palumbus est, pedibus pennatis: nostri uocant zam Schlagtybẽ/ Welschtuben. Palumbes antiqui cellares habebant, quas pascẽdo saginabant: nostris temporibus aucupij duntaxat gratia aluntur, Perottus. Niphus colũbæ genus quoddam ex palumbo & colũba cellari nasci testatur. Idem & Perottus palumbos esse docent, qui uulgò Italis torquati dicãtur, à torque siue circulo albo collum ambiẽte: unde Martialis etiam hoc epitheton



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 338 sur 825

eis tribuit. Et mihi quoq; uidetur palumbus cũ absolutè dicitur, pro torquato accipiendus, tanquam maiore. nam alterius generis Aristoteles meminit φαῤῥα nominans, ut inferius referam: cuius Latinum nomen peculiare non habemus, sed palumbum minorem appellare licebit. Palumborum genus unum cuius fimo uiscũ nascatur, Athenæus œnadem appellari tradit, Hermolaus & Perottus. atqui ueterum nemo phattis aut phapsi œnadem adnumerauit, sed columbaceo generi simpliciter. Si tamen palumbum genus ad hanc quoq; extẽdere placet, fuerit sanè genus. sub quo columbæ syluestres omnes continebuntur, excepto turture: nempe phatta, id est palumbus maior, qui & torquatus ab authoribus cognominatur, phaps, id est palũbus minor, œnas & peleias, id est uinago & liuia. ¶ Alursan seu aluraseu est species columborũ syluestriũ, q sunt alijs maiores et noti in Syria, Bellunensis. Et rursus, Aluers sunt columbi magni syluestres. Sanguis columbæ, guarascen (alursan, Bellunensis) & turturis memorantur ab Auicenna lib. 2. cap. 610. ex Galeno, qui sanguinem columbi, palumbi ac turturis nominat, & eiusdem libri capite 299. sanguis guarescen ad uulnus oculi commendatur, Bellunensis uresan legit. Sed alia etiam quæ Græci phattis, id est palumbis tribuunt, Arabes aui guarescen nominatæ adscribunt. Conjcio autem Arabes huius uocis initium per ain literam scribere, cuius uim aliqui gamma præposito efferunt, alij omittunt. Apud Hebræos hoc nomen non inuenio. Apud Syluaticum & alios Arabes indoctiores uarie scribitur, Guarascen, id est turtur uel palumbus syluestris, Syluaticus. Guariscen, genus columbæ, idem. Algauariscen, genus columbæ, Vetus Auicẽnę glossematarius. apud quem etiam guarisdẽ legitur. Algueśim, genus columbarum quæ semel anno pariunt, Syluaticus. ¶ Græcis palumbus φάσσα, Atticè φαῤῥα dicitur, hodie uulgo φάτα. A phatta uoce Albertus, uel Auicennæ interpretes quos sequitur, fehita & uehica detorserunt. ¶ Palumbes Italicè uulgò torquati dicuntur, Niphus. Seruant & palumbi nomen, lo palumbo: sed de columba cellari potius quàm syluestri id efferunt, ut & Hispani paloma. Palumbes domesticis maiores aliqui glandiphagas nominant, à glandibus quibus libenter pascuntur: alij torquatas, Monachi Itali qui annotationes in Mesuen dederunt. Circa lacum Verbanum tudon appellari audiui: quę uox à Germanica Tuben forsan detorta est. Circa Ferrariam colombo fauaro, ac si fabariam dicas, quòd fabis uescatur, ut audio. Græci quidem phaba palumbum minorem appellant. Arnoldus in libro de sanitate tuenda cadones nominans post turtures, uidetur mihi palumbes intelligere. ¶ Hispanicè, paloma torcáz, id est columba torquata. ¶ Gallicè ramier, fortè quod inter ramos arborum nidificet. Græcè quidem semiramis columba syluestris exponitur, cuius dictionis posterior pars cum Gallica congruit. Robertus Stephanus palumbem interpretatur coulon ou pigeon ramier, ung mansart. Vocem mansau Brabandis usitatam audio. ¶ Germanicè, Ringeltub / à circulo siue torque circa collum. Alijs, ut in Heluetia, Schlagtub/groß Holtztub. Alijs Plochtub/nomine forsan à palumbe facto. Flandris Kriesduue. Albertus alicubi non rectè pro phatta Aristotelis columbam cauernalem uertit: quã liuiam esse supra docuimus, & Germanicè dici Lochtub. ¶ Anglicè, a coushot, a ringed doue, ut G. Turnerus interpretatur: uel, ut Eliota, a wood culuer, id est columba syluestris. ut alij, a blokdoue, a stokdoue. ¶ Illyricè, diwoky.

¶ Aristoteles (libro 8. hist. anim.) columbarũ species quinq; facit, quæ sunt: πρίστερα, οἰνὰς, φάττα, φάσσα, πρυγόνα. Libro autem quinto de partibus animal. φάβα non nominat, Athenæus. Gaza pro duabus uocibus phaps & phassa, unam Latinam posuit, palumbes. Eberus & Peucerus sexu tantum differre putant, ut phatta fœmina sit, phaps mas: sed sine authore. Phaps (inquit Eustathius Homeri interpres) media est magnitudine inter columbam & œnadem. phatta uerò magnitudine gallinacei, colore cinereo, ut Athenæus etiam ex Aristotele citat. Oenas maior est columbo, minor palumbe, Aristot. interprete Gaza. Græcè est, ἐλάττων φαβός, ut Athenæus quoq; legit: Alberti translatio habet, minor quàm kyloz uel kaloz. Σιτευθείλω δίυστανον ἀθλίαν φάβα Μισακίζα πλουτὰ πτοτηΐοις πτεπλεγμένίλω, Aeschylus in Proteo. idem in Philoctete φαβῶν dixit in genitiuo plurali, ut Athenæus citat. Quanquam autem phaps & phassa, ut scripsi, differunt, idem tamen accipiter à priore uoce phabotypos appellatur & phabocthonos, quasi palumbicida: à posteriore phassophonos: Latinè palumbarium reddũt. φαβοτύπος, ἐιδίῳ ἱέρακι, καὶ πθιστερᾶς (lego, καὶ φάττ εἰδ῾ πθιστερᾶς) ἀχρίας ασφμοφάγε, Hesychius & Varinus. φασσοφόνω, τῷ τὰς φάσσας φονεύοντι. βῆ δὲ (addo, ἡ φάσσα) εἰδ῾ πθιστερᾶς ἀπὸ τῆὶ πρυγόνα, Iidem, id est, phassa autem species est columbæ sub turture: cùm contrà uerius turtur sub columba sit. quærendum an rectius legatur ἡ τῆὶ πρυγόνα. Aquitani Galli phába (genus à phatta diuersum, quod cæteri Galli, nescio an ipsi quoq;, ramier nominant) sermonis Græci uestigium retinentes, phauier appellant, Author libelli de nomenclaturis animalium & stirpium Latinis, Græcis & Gallicis innominatus. sed quærendum diligentius, diuersãne Aquitani phauier appellent, an potius eandem quam cęteri Galli ramier, ut ego puto. nam Itali quoq; palumbem communem, id est torquatã fabariam uocitant. Phassa æstate apparet, hyeme latet: phaps uerò & columba semper apparent, Athenæus Aristotelem citans, apud quem nihil tale inuenio.

¶ ALCHATA est genus columborum syluestrium, quorum alæ oblongæ sunt, pennæ & plumæ coloris cotturnicum, & cutis extrema prędura. quamobrem medici in regionibus ad Orientem præcipiunt huiusmodi columbos excoriari, ut cutis remoueatur. Vulgo noti sunt in Syria, pedibus nigris & ualde breuibus, Andreas Bellunẽ. Caro palumbi & alcatha dura est, Auicenna 2. 146.

Et rur-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 339 sur 825

Et rursus ibidem, Caro alcatha salubris est illis quorum iecur obstructum est & infirmum, & quorum corruptum est temperamẽtum (cachectícis) & hydropícis. Eadem auis aliâs alfuachat uel alfuachet uocatur, nam de hac quoq; Bellunensis scribit, speciem esse turturum coloris camelini uel cinerei, alij (inquit) dícunt speciem esse columborum syluestrium paruorum, coloris ut dictum est, notam in Syria. Caro auis duraz (id est francolini) præfertur carni auis cubugi (id est perdícis, cuius rostrum & pedes rubent,) & alfuachat, (uetus lectio, alfaguakit,) Auicenna 2. 221. FILACOTONAE apud Elluchasem qui Tacuinos Arabicè scripsit, cum columbis & turturibus numerantur; unde palumbium generis esse conjício, & easdẽ forte quas Auicenna alfuachat nominat. Paulò ante quidem idem Elluchasem palumbes syluestres & filacotonas simul commemorat.

B.

In agrum Volaterranum palumbium uis è mari quotannis aduolat, Plinius. ¶ Πέλεια, id est liuia columbæ genus est símile palumbi, phattæ, Varinus. ¶ In columbaceo genere maximo corpore sunt palumbes, φάτται: inde φάβδος, ut in A. ostendi. Oenas maior est columba, minor palumbe, ἐλαττων φάβος. phassa uerò (id est palumbus maior) magnitudine est gallinacei, colore cinereo, Athenæus Aristotelẽ citans: & Eustathius, haud multò minor paruis gallinaceis, Nic. Leonicenus, nonnullis locis gallinaceum æquat, Vuottonus. Ego tantas ferè columbas memini uidere Venetijs aduectas, quæ forsan huius generis palumbes cicuratæ erant. Palumbi feri ad cœruleum colorem inclinant: cellarium pedes plumis uestiuntur. Palumbes maior est columba cõmuni, & magis ad albedinem declinans, cum tamen sit coloris grisei, (cinerei,) Albertus. Torquati cognominantur à torque siue circulo albo ex plumis collum coronante. ¶ Palumbo ingluuies præposita uentriculo est, Aristot. Caput habet subcœruleum purpureúmue, & nigrum oculi rotundissimũ, Vuottonus. Aues quædam sinum unum habent quo merguntur recẽtia, ut guttur: alterum in quem ex eo dimittunt concoctione maturata, ut gallinæ, palumbes, columbæ, Plinius. ¶ Palumbis dum Venerem exercent testes insigniter augentur, cum hybernis mensibus ne ullos quidem testes in ijs haberi nonnulli arbitrentur, Aristot. ¶ Palumbus torquatus, quem manibus tractaui dum hæc scriberem, longus erat circiter duos dodrantes, à rostro ad pedes retro extensos, pondere unciarum sedecim cum dimidia. circulus albus in collo imperfectus, supina colli parte desinens, duorum digitorum interuallo, is in minoribus ætate non percipitur. Candidæ aliquot pennæ in mediis alis apparent, in liuijs non item, ut neq; circulus colli. Externa pars alarum, quæ longioribus pennis constat, colore nigricat, interior magna ex parte fusca est, ut etiã dorsi superior pars, reliquum dorsum & cauda cinerei planè coloris sunt. In collo, præcipuè prono & ad latera, pẽnæ (præter albas) uariæ, & pro alio atq; alio ad lucem positu, purpureæ, uirides, cœruleæ, cinereæ. Collum pronum cum aliqua parte pectoris purpurei coloris plumas habet, cui cinerei etiam nonnihil confusum est. Cauda extrema nigra, pedes rubicundi: rostrum subflauum, cute utrinq; purpurea inductum. Ventris plumæ partim albæ, partim cinereæ. Aliâs etiam mihi inspicienti torquati uenter magis ruffus uisus est quàm liuiæ.

¶ Petrus Martyr Oceaneæ Decadis primæ lib. 10. refert Hispanos in quadam insula noui Orbis inuenisse palumbes nostris grãdiores, sapore & gustu perdicibus nostris meliores, aromaticum quendam odorem spirantes: quorum ingluuies cum dissecuissent, odoratis floribus plenas deprehenderint.

C.

Camporum incola palumbes est, Aristot. Degit & in syluis. Palumbes hyeme non gemit, nisi quod aliquando ex asperrima hyeme placidum tempus successisset, gemuerit: quod apud peritos in admiratione habitum est, cæterum ineunte uere gemere incipit, Aristot. Cantus omnibus (omni columbaceo generi, ut ego accipio: etsi Vuottonus ad palumbes tantum referat) similis atq; idem, trino conficitur uersu, præterq; in clausula gemitu, (aliâs, præterquam in clausulæ gemitu,) hyeme mutis, uere uocalibus, Plinius 10. 35. Audiuimus torquatos palũbes hyeme serena & tranquilla multis diebus, gemere, qui aduenientibus imbribus statim silent. Rustici quidem dicunt gemitum palumbium esse signum ueris præsentis, Niphus. Alexãder Myndius palumbes (phassas) negat uocem ædere hyeme, nisi serenitas (εὐδία) fuerit, Athenæus. Solstitij tempus indubitatis notis signauit natura, palumbium utiq; exauditur gemitus, Plin. Plausitat arborea clamans de fronde palumbes, Author Philomelæ. Palumbes minurriunt, Ael. Spartianus in Antonino Geta. Dum sua torquati recinunt dictata palumbes, Politianus in Rustico. ¶ Cibus. Palumbes frugibus uiuit, Aristot. Glandes & grana comedunt palumbi & columbæ cauernales (id est liuiæ,) Albertus. Palumbos sunt qui à glandibus quibus libenter uescuntur, glandiphagas nominant: & hyemali tempore cum non inueniunt semina & fructus, fame coactæ pascuntur herbis, Monachi in Mesuen. Fabarias Itali quidam uulgò uocant, eò quòd fabis uescãtur, ut audio. Viscum satum nullo modo nascitur, nec nisi per aluum auium redditum, maximè palumbis & turdi, Plin. Athenæus de œnáde colũba scribit, si deuorato uisci semine super arbore aliqua excreuerit, uiscũ nasci. ¶ Alexander Myndius tradit palumbem (phassan) non bibere collum resupinantem: Vide supra in Columba c. ¶ Palumbes & colũba toto anno uiscuntur, Aristot. & Athenæus. Græcè legitur phaps, quæ est palumbes minor. Palumbes (φάτται, quæ maximæ sunt) discedunt, & liuiæ, nec hy-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 340 sur 825

bernare apud nos patiuntur, Aristot. Et rursus, Palumborum aliqui latent: aliqui non latent, sed cum hirundinibus abeunt. Abeunt & palumbes, quónam & in ijs incertum, Plin. Volant gregatim tum palumbes tum turtures, cum accedunt, & cum suo tempore abeunt, Aristot. Palumbium uis quotannis in agrum Volaterranum (Blondus legit Veliternum) ex mari uolitat, Plin. Turtures (ut audio) in genere columbaceo primæ auolant, deinde liuiæ: postremò palumbi torquati, quorum tamen aliqui remanent. ego nuper medio Septembri torquatos uidi Tiguri: & aliâs circa medium Februarij torquatum & liuiam uidere memini. Quædam cum ætate æuum degãt in syluis, hyeme demigrant in finitimos locos apricos, mõtium receſſus ſecutæ: ſicut merulæ, palumbes, &c. Georg. Agricola. Et rursus, Palumbes aliquando in anguſtis montium locis latere conſuerunt. Apud Epiphanium Theologum legimus palumbes quadraginta diebus latitare quaſi mortuos, inde reuiuiſcere. ¶ Mare uno contenta & turtur & palumbes uiuit, nec alterum recipit, (ut & columbæ,) Aristot. Palumbus amiſſo cõſorte, nec uiride quicquam in quo requieſcat petit, nec alios amores requirit, Liber de nat. rerum. Vide in Columba D. ¶ Columbæ amorem mutuum querulo gutture ictuq; roſtri oſtendunt. In Venerem crebrò ruunt, frequenti pedum orbe facta adulatione. Idem faciunt & palumbes: uerum quia ſemiferi ſunt, rarius fœtant, Platina. palumbes & turtures trimeſtres coire, fœtificareq; aliqui referunt, argumento quod larga eorum copia eſt. Gerunt uterum decem & quatuor diebus, ac totidem alijs incubant, & totidem alijs fœtus ita uolucer fit atque perficitur, ut uix poſsit apprehendi, Aristot. Palumbes gemina ædit oua, idq; ſemel duntaxat anno, Idem. In locis frigidis ſemel, in calidis bis, Albertus. Algueſion (palumbes) genus eſt columbarum quæ ſemel anno pariunt, Syluaticus. Colũbacei generis aues omnes bina oua pariunt: ſed columba uel decies anno: aliæ ſemel anno & parcius generant, Aristot. Et rursus, Turtur & palumbes pariunt uêre, nec plus quàm bis: atq; ita, ſi prior fœtus corruptus eſt. frangunt enim oua mares auium complures. ſed quamuis tria interdum pepererint oua, nunquam plus duobus pullis educunt. nonnunquam etiam unum tantum. reliquum ouum ſemper irritum eſt, quod urinum uocant. Palumbes & turtures plurimum terna oua, nec plus quàm bis ferè pariunt: atq; ita, ſi prior fœtus corruptus eſt. & quamuis tria pepererint, nunquam plus duobus educant. Tertium quod irritum eſt, urinum uocant, Plinius. Turtures & palumbes bis uêre pariunt: & ſi oua ſecunda auferri aut corrumpi contingat, tertio aliquando pariunt, Albertus. Palumbi & turtures bis anno pariunt, cæteræ aues ferè ſemel, Plinius. Columbacei generis aues magna ex parte bina oua pariunt, ut palumbes & turtur: ſed complurimum terna, palumbes & turtur, Aristot. Palumbes & turtur imperfectos & cæcos pariunt pullos, ut in Columba c. dictum eſt. Tranſiſſe ſolſtitium caueto putes, niſi cum incubantem uideris palumbum, Plinius. Et alibi, Pariunt poſt ſolſtitia. Palumbium fœmina incubat à pomeridiano incipiens, totaq; nocte, & uſq; ad tempus ſentaculi (poſt meridiana in matutinum, Plinius) perſeuerans: reliquo tempore munus idem mas ſubit, Aristot. Nigidius putat cum oua incubat ſub tecto nominatam palumbem relinquere nidos, Plinius. Mas palumbium fugit terram ſalſam & humidam, ac ponit in os pulli ut aſſueſcat cibo, Liber de nat. rerum. ſed hoc ueteres de columbis tantum ſcribunt. ¶ Palumbis ſiccitas cœli prodeſt, tum ad cęteram ſanitatem, tum ad partum. Quamuis enim huiuſmodi conſtitutio auibus omnibus cõueniat, præcipuè tamen palumbis idonea eſt, Aristot. ¶ Nidificãt in arboribus, Monachi in Meſuen: & ſæpibus, Texter & Perot. Ante uer frigore adhuc prealente nidificant, Alciatus. Palumbes in condenſa hedera nidulatur, aut ſuper ramũ arboris ex pauculis ligniculis tranſuerſim poſitis tenuiſsimũ nidum conſtruit, Turnerus: ſed latum, ut audio. Nidulantur & palumbes & turtures ſemper locis eiſdem, Aristot. In palumbium (φαεῶν) nido maximè (aliquãdo) cuculus parit, quorum oua eſu abſumens, ſua relinquit, Idem. Cuculus ſemper in alienis nidis parit, maximè palumbium, Plinius. ¶ Vita palumbibus longa. nam ad uigeſimum quintum (κϛ΄ καὶ δέκα, in noſtris codicibus, id eſt quintum decimum) & ad trigeſimum annum protrahitur. nonnullas quadraginta etiam annos compleuiſſe exploratum habetur. ætate autem prouectis ungues accreſcunt, quos recidere ſolẽt, qui alunt. nihil, quo lædantur apertè, aliud his ſeneſcentibus accidit, Aristot. Viuere palumbes ad triceſimum annum, aliquos ad quadrageſimum, Aristoteles author eſt: uno tantũ incommodo unguium, eodem & argumento ſenectæ, qui citra pernicíem reciduntur, Plinius. Et cum mares in totum diuturniores quàm fœminæ ſint, in his (de palumbis & turturibus proximè ſcripſerat: ſed uidetur de toto columbaceo genere hoc intelligendum, quod id omne ad libidinem ſit profuſum: cuius quidem cauſa [ut ibidem Aristoteles ſcribit, lib. 9. cap. 7. hiſt. anim.] paſſerum etiã mares breuioris uitæ ſunt quàm fœminæ) marem prius quàm fœminam mori nõnulli aiunt, uidelicet documento earum quæ domi allectatrices aluntur, Aristot. ¶ Palumbes cum morbo laborat, lauri folium in nidum ſuum inferens conualeſcit, Orus, uide mox in D.

D.

Palumbes ſemiferi ſunt, Platina. ¶ De coniugali caſtitate palumbium & turturum Aeliani uerba recitaui in Columba D. Palumbes conſorte ſuo amiſſo, amplius non coit. extra nidum ſtercus eijciunt, & pullos creſcentes ad idem faciendum erudiunt, Liber de nat. rerum. Mira eſt palumbium in cõiugio caſtitas, (σωφροσυνὴ πρὸς σὺν συνοίκησιν:) quæ etiam adulterio corruptæ, interimunt corruptorem ſi aſſequi poſsint, Porphyrius lib. 3. de abſtinentia ab animatis. Palumbes ante uer

magnã

magno adhuc frigore nidificans, plumas sibi euellit, ut pulli calidiore nido fruantur: quibus ipsa nudata frigore aliquando perit, Alciatus. ¶ Perdices aiunt, & ciconias, & palumbos uulneri acceptо origanum imponentes, ad sanitatem redire, Aelianus. ¶ Palumbes lauri folio annuum fastidium purgant, Plinius. Laurum nido imponunt, Zoroastres, uide in Columba D. Laurū edunt contra fascinationem, Philes. Palumbes ubi morbo laborat, folium lauri in nidum suum inferens conualescit, Orus. Palumbes & perdices bene inter se sentiunt, Aelianus.

E.

Palumbi difficillimè capiuntur. statim enim uisis aucupibus procul auolant. Vincuntur tamen & ipsæ dolo. Nam auceps arbori insidentes conspicatus, rete in solo extendit, ac tenues paleas inspergit, ut lateat: & palumbos alios olim captos excæcatosq; imponit, & pedibus funiculos illigat, quo commoto sese concutere & strepitum ædere palumbos cogit: eo percepto cæteri pascuis & arbustis relictis aduolant. Auceps in attegia conditus, quantum potest retium funem attrahit, & perticis simul omnibus euersis, palumbos retium sinibus intricatos capit. Eiusmodi retibus (ἐπιπωτικὰ uocant) columbæ etiam comprehenduntur, sed multò facilius laqueis, Oppianus. Palumbes antiqui cellares habebant quas pascendo saginabant: nostris temporibus aucupij duntaxat gratia aluntur, Perottus. Apud nos etiam allectatrix siue hallucinatrix fit palumbes ex sylueſtribus, Niphus Italus. In Antiate agro Italiæ palumbium aucupium est per autumnū. Palumbæ cum mari transuolato Italiam relicturæ sunt, aliquandiu in nemoribus Antiatum commorantur, quare peritissimi Neptunienses retia quàm maxima in id aucupij magno parata impendio suspendunt. Exinde palumbes quascunq; longo tractu uiderint congregatas in arboribus cōsidere, iactu lapidis & clamore territas in aera uolare compellunt: dumq; aues in magnum coactas numerum aduolando, tensis retium insidijs uiderint superemineré, contorta funda paruum lapidem uel naturaliter album, uel gypso delinitum maximo emittunt crepitu, quo territæ bombo palumbes, ut accipitres chiluones a Plinio appellatos, quibus nunc falchonibus est nomen, quos in lapide bomboq; fundę timent, declinando seruentur, terræ quàm possunt uolatu rapidius appropinquant, sicq; amētes in retia se precipitant, Blondus in Latinis.

¶ Offæ panis uino madefactæ, hyeme turtures, sicut etiam palumbos, celerius opimant quàm cæteri cibi, Columella. Eiusdem uerba quomodo pinguissimi reddantur palumbi, scripsi in Columba E. Palumbes eodem modo farciunt ac reddunt pingues, quo gallinas, Varro: cuius de gallinis saginandis uerba suo loco referemus. Palumbum recentem sic farcito. Vti prehensus erit, ei fabam coctam tostam primum dato: ex ore in eius os inflato item aquam. Hoc dies VII. facito. Postea fabam fresam puram, & far purū facito, & fabæ tertia pars ut inferuescat: cum feruere incipiet, puriter facito, & coquito bene: id ubi excoxeris, deponito. bene oleo manū ungito, depsitoq; primum pusillum, postea magis depses, oleo tangito, depsitoq;, dum poteris facere turundas, & eas ex aqua dato, & escam temperato, M. Cato cap. 90.

F.

Ruffus auium tres ordines statuit: & præfert ex auibus sylueſtribus alaudas non cristatas & saturn, (forte turdos:) deinde sturnos, phasianos, perdices, turtures, pipiones, palumbes sylueſtres & silacotonas, &c. Elluchasem. Auium caro minus nutrit quàm quadrupedum, sed facilius concoquitur, præcipuè perdicis, attagenis, columbæ, gallinæ & galli. his uerò durior est caro turturis, palumbi, & anatis, &c. Galenus lib. 3. de alimentis. Itaque concoctu difficilis est, (Auicenna teste) & excrementosa, Vuottonus. Palumbus & alcatha (quod est genus palumbi) duræ sunt carnis, Auicenna. Columbi & palumbes inter excrementosa numerātur à Pſello lib. 1. Pulli columbini, (columbæ,) turtures & silacotonæ, proximæ inter se naturæ sunt, Elluchasem de alimentis. Palumbes siccat in cibo & uentrem astringit, Hippocrates. Idem lib. 1. de morbis mulicbribus, mulieri, cui menses pituitosi fluunt, palumbæ & similibus uesci consulit. Palumbus aluum astringit, Celsus & Auicenna: magisq; si in posca decoctus est, Celsus. Palumbi hyeme salubriores sunt, Arnoldus de conseru. sanitate. Nostri liuias torquatis in cibo præferunt. Ex aucupio palumbarum Romanus nostri temporis populus nuptias & conuiuia maiori ex parte parat. melioris quidem saporis & nutrimenti paruæ (liuiæ nimirum) quàm aliæ sunt palumbes, Blōdus. Archigenes apud Galenum de compos. med. sec. loc. palumbes stomachicis in cibo conuenire scribit, Trallianus tympanicis. M. Cato Censorius iubebat ne ægrotis imponeretur ieiunium: sed potius alerentur oleribus & modica carne anatis, aut palumbi aut leporis, Plutarchus in uita eius. Turtures ac palumbes tempore pestilentiæ in cibo laudantur ab Alexandro Benedicto. Aretæus elephātico uictum præscribens; perdices, palumbes & columbos probat: & rursus palumbum torquatum in cibo eius qui cephalæam patitur. In colico affectu frigido & phlegmatico, gallinæ altiles ad cibum præferuntur: deinde perdices & palumbi debilis nutrimenti gratia exhibendi, turturesq; altiles & columbæ, Actius. Inguina torquati tardant hebetantq; palumbi, Non edat hanc uolucrem qui cupit esse salax, Martialis. ¶ Vidimus & merulas poni, & sine clune palūbes, Horatius Serm. 2. 8. ubi Acron Scholiastes, Quia in cluniibus (inquit) aliquid habetur tetri odoris & saporis minus iucundi. Sunt qui priusquam coquant palumbū, in aqua frigida aliquandiu relinquant. Apicij uerba de condimento in coctura columbi altilis & palumbi, recitauimus in Columba F. Ad pastillos è palumbis pa-

C

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 342 sur 825

randos, utêris salsa (iure intinctorio) calida, ut pro bubula carne, & speciebus aromaticis eisdem, ni si quòd cepa requiritur in liquamine suillo frixa, Coquus Gallicus.

G.

Caro alcatha (quæ est species palumbi) utilis est ijs qui ex obstructo aut infirmo hepate laborant, & corruptione temperamenti (cachexia) & hydrope, Auicenna. ¶ Palumbes siccat in cibo & uentrem astringit, Hippocrates & Auicenna. Aluum astringit palumbus, magisq; si in posca decoctus est, Celsus. Palumbum ferum ex passo concoque, atque inde potiones singulas cœliaco per triduum da bibendas, Marcellus. Caro palumbi in aceto decocta dysentericis & cœliacis medetur, Plin. Palumbus ferus ex posca decoctus tormina sanat, Idem. Palumbi torminosis in cibo prosunt, Marcellus. Palumbus ferus & è posca decoctus ilio resistit, Idem. In contractione neruorum caro palumbina in cibis prodest & inueterata, Plinius. Si mulier concepit & periculum sit effluxionis, uescatur palumbe, Hippocrates lib. 1. de morbis mul. Torquati palumbi caro ob glandium esum traditur Venerem hebetare, cum columbæ potius stimulent, Perottus. Non edat hanc uolucrem qui cupit esse salax, Martialis. ¶ Iumentorũ uerminatio finitur ter circunlato uerendis palumbo: mirum dictu, palumbus emissus moritur, iumentum liberatur confestim, Plinius. ¶ Palumbi, turturis & columbæ, nec non sanguis perdicis, oculis cruore suffusis, & recentibus eorum uulneribus, luscioſisq; illinuntur, Dioscorides. Plura de usu palumbini columbiniue sanguinis ad oculos sanguinolentos, seu sanguine suffusos, & sistendum sanguinem qui è membranis cerebri fluit (præsertim cũ ossa capitis à chirurgis perforãtur) leges in Colũba G. Palumbi sanguis utilis est uulneribus oculi, Auicenna. Vulnera purgat, Celsus. uide in Columba G. Vrtica trita cum sanguine miluino aut palumborum permixta, pedes illiti efficaciter sanãtur, Marcellus: ad podagrã ni fallor. ¶ Cinis plumarum aut interaneorum palumbis in mulso ad cochlearia tria potus morbo regio resistit, Plinius. Cinis plumarum palumbium ferarum ex aceto mulso contra calculos & alias uesicæ difficultates sumitur: item intestinorum ex his cinis cochlearibus tribus è nido hirundinum, Idem. ¶ Pro fimo palumbi columbino ad remedia uti licebit, ut legimus in Antiballomenis quæ Aeginetæ libris adijciuntur. Palumbi stercus adurit, Celsus. Vires quas Dioscorides columbarum fimo adscripsit, recentiores quidam indocti palumbino attribuerunt, etsi enim palumbium fimus eadem possit quæ columbinus, efficacior etiam, conseruanda tamẽ sunt bona fide authorum uerba. Ad calculum uesicæ: Siue palumborum capitur fimus (g. n. ut uidetur. nam fimum hîc legi non potest, cum prima huius dictionis alibi semper ab eo corripiatur) acre ferorũ Dulcacidis sparsum succis tritúq; solutũ, Serenus. id est, ex oxymelite bibitur. De columbini quidem fimi usu aduersus calculum, multa diximus in Columba. Fimum palumbium in faba sumitur contra calculos & alias difficultates uesicæ, Plinius. Fimus palumb. in sorbitione sumptus ex faba facta (forte, fracta) admirabile stranguriosis præsentat auxilium, Marcellus. ¶ Lapilli in palumbium uentriculo inuenti, contriti potioni insperguntur contra calculos, Plinius.

H.

a. Palumbus m. g. passim apud authores legitur: palumba fœmininum apud Propertium. Palumbi (lego, Palumbes) fœm. g. Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes, Vergil. Bucol. Macrosq; palumbes, Lucanus lib. 14. masc. g. Quî enim intelligo duæ unum expetitis palumbem, Plautus Bacchid. Quo palumbem unum ex ore tollit, Pomponius de Vite, ut Nonius citat. Palumbium ferorum Plinius dixit, sed alia lectio habet ferarum. Palumba & columba syluana, uidelicet auis casta ex moribus appellata. est enim comes castitatis: cum amisso corporali consortio solitaria incedat, nec carnalem ultrà copulam requirat, Isidorus. Hoc alij quidam recentiores nullius doctrinæ homines clarius exprimendo, Palumbus (inquiunt) castus putatur, quasi parcens lumbis; ut contrà columbus, quasi colens lumbos. Quòd si columbus per onomatopœiam dictus fuerit, ut Grapaldus suspicatur, eandem in palumbo quoq; nominis rationem esse conijciemus. Palumbula diminutiuum legitur in Cornu copiæ Perotti, authore non citato. Vulgo quidem apud Italos hodie palumbella dicitur, palumbis genus alterum & minus, quod liuiam Niphus interpretatur. ¶ Titos palumbos dici arbitrantur quidam, &c. uide in Columba H. a. ¶ Φάτ̃ηλος, id est palumbulus, (nam & columbulus dicitur,) diminutiuum à φάτ̃τα, Antiphani nominatur apud Athenæum. Φάτ̃ν. auis genus apud Lycophronem. Τὰς οἰνοτρόπας λέγομεν, ἃς ἡμεῖς (ὡσὶ) τὸ Ἀγαμέμνονος ἢ τῶν Ἑλλήνων λιμὸν συνεχομένων, μετεπέμψατο τὰς οἰνοτρόπας σὺς Παλαμήδης, ἃς ἐλθοῦσας εἰς τὸ Ροιτεῖον ἐτρεφον αὐτός, Varinus, quasi phabes columbarum genus sit, quod aliâs οἰνοτρόπον dicatur, à quo Græci sub Agamemnone fame laborantes in Rhœtio nutriti sint. Idẽ Varinus alibi οἰνοτρόπας interpretatur Oeneæ filias. Rhœtium uel Rhœteium promontorium Troiæ fuit. Οἰνειάδαι populus dicebantur, & eodem nomine Acarnaniæ urbs quam habitabat, iuxta Acheloum.

¶ Epitheta. Aeriæ, Vergil. Buc. Cana, Alciatus. Macri, Lucanus. Plausitantes, Textor. Raucæ, Vergilius Buc. Torquata uel torquatus epitheton proprium & distinguendi causa adiectum, magis quàm poeticum uidetur. Sed cape torquatæ Venus ô regina colũbæ, (alij codices palumbæ habent, quod minus placet. facit enim poeta hanc auem Veneri sacram. existimatur autem columba Veneri, palumbes Proserpinæ sacra,) Propertius. Inguina torquati tardant hebetantq; palumbi, Martialis. ¶ Τερώνδη apud Græcos commune epitheton est omni columbaceo generi.

¶ Palumbina caro, Plinius. Palumbarius accipiter est, ut Gaza transfert ex Aristotele, quem Græci

Græci φαβοτύπυ, φαβοκτόνου, & φαστοφόνου cognominant, ut supra in A. ostendi. Apud Eustathium Homeri interpretem & Varinum, melanætum, id est aquilam nigram, legimus etiam phassophónon dici: sed legendum est lagophónon, id est leporariam, ut Aristoteles habet. ¶ Phassachates gemma de genere achatis, apud Plinium: à palumbo sic dicta, quem aliquando uenarum & macularum discursu exprimit, ut Georg. Agricola annotauit. ¶ Caniculam mustelorũ generis in quibusdam Galliæ locis uulgò palumbum uocari audio.

¶ Icon. Hominem qui se ipse ex oraculo pristinæ sanitati restituerit uolentes innuere Aegyptij, palumbum (phassam) pingunt lauri folium tenentẽ, hic enim ubi morbo laborat, lauri folium in nidum suum inferens, conualescit, Orus. ¶ T. Manlius summo loco natus, dictus est Torquatus, quòd Gallum quendam immani corpore, qui se ad singulare certamen prouocauerat, occidit, eiq; caput præcidit, torquem detraxit, eamq; sanguinolentam sibi in collum imposuit, Perottus.

¶ b. Scôpes turturibus & palumbis similes sunt, Aelianus.

¶ e. Præterea tenerum leporem geminasq; palumbes Nuper, quæ potui syluarum præmia misi, Nemesianus. Apud Theocritum Idyllio quinto pastor puellæ suæ palumbem dono se daturum promittit, Κἠγὼ μὲν δώσω τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν Ἐκ τᾶς ἀγκοίθω καθελών. Τλιὼ γὰρ ἐφίσδει.

¶ h. De gallinis & palumbibus auguria non accipiuntur præterquam ex ouis. Liuia enim Augusta ex Nerone grauida cum parere uirilem sexum cuperet, hoc usa est puellari augurio, ouum in sinu fouendo, &c. ut referetur in Gallina H. h. ¶ Pherephattæ, id est Proserpinæ nomen multi ex Græcis Theologis factum putant πῆξαι τὸ φορῆσαι τὼ φάτταν, id est à pascẽda palumbe. est enim hæc auis Proserpinæ sacra, quamobrem etiam mulieres Maiæ sacerdotes eam ipsi immolant. Maia uero eadem est quæ Proserpina, tanquam mea quædam, id est obstetrix & nutrix. est enim dea terrestris, & eadem Ceres, Porphyrius lib. 4. de abstinẽtia ab animatis. ¶ Dum iter facimus prope urbem Mecham (in Arabia) cœlum inumbrabant palumbes innumeri. Aiunt autẽ incolæ has aues traxisse genus ab illa palumbe quæ Mahumeti in aurem loquebatur sub uelamento sacri pneumatis. Inerant dicti palumbes uicis, ædibus, tabernisq; ipsis frumentarijs milij ac oryzæ: uixq; licet eos abigere, occidere quidem aut capere huiusmodi palumbes propè capitale censetur. Arbitrantur enim incolæ, si hæ aues uapularent, orbem ruiturum. ob id impensa (publica) aluntur in templo medio, Ludouicus Romanus. ¶ Palumbem pro columba prouerbium explicauimus in Columba h.

¶ Emblema Alciati, quod inscribitur, Amor filiorum.

Ante diem uernam boreali cana palumbes — Frigore nidificat, præcoqua & oua fouet,
Mollius & pulli ut iaceant sibi uellicat alas, — Queis nuda hyberno deficit ipsa gelu.
Ecquid Colchi pudet, uel te Procne improba? mortẽ — Cum uolucris propriæ prolis amore subit?

DE TVRTVRE.

A.

TVRTVR plerunq; masculini generis, raro fœminini reperitur. Hebraicè dicitur tor, תור uel תיר, ut legitur Cantic. 2. in multitudinis numero torim, Leuitici 1. Geneseos 15. Chaldæus pro tor, habet שפנינא, saphnina, & similiter Arabs. Persa תתרי, tetaru. Septuaginta τρυγόνα & Hieronymus turturem transtulit. Apud Auicennam articulo prepositio alsafanin dicitur, interprete Andrea Bellunensi. Inuenio & צירלתא, zuzíltha, nescio cuius linguę uocabulum pro turture, in Lexico trilingui Seb. Munsteri. Duram, id est turtur auis, Syluaticus. Sed Andreas Bellunensis apud Auicennam 2. 221. uocẽ duraz (ipse duragi legit) interpretatur francolinum: qui nobis attagen uidetur. certum est aliam à turture auẽ hoc nomine designari ex ijs quæ de ipsa scribuntur ab Auicenna. Guarascen, id est turtur uel palumbus syluestris, Syluaticus. sed omnino palumbem hoc nomine indicari in palumbe A. docuimus. In Alberti historia animalium semel & iterum targula legitur, ubi Græcè apud Aristotelem habetur τρυγών. quidam (inquit) dicunt targulam esse sturnũ. Sed omnino turtur est. & alibi thagoren pro turture apud eundem. ¶ Græcè τρυγὼν uocatur, & hodie uulgò τριγόνι uel τρυγόνα. ¶ Italicè tortore, tortole, tortora, turtura. ¶ Hispanicè tórtola. ¶ Gallicè tourte, tourterelle, tortorelle. ¶ Germanicè **Turteltub**, **Turtel**. ¶ Angli & Saxones communi uocabulo **Turteldune** nominãt, Turnerus. Vsurpatur & turtell nomen in Anglia. ¶ Illyricè hrdlicze.

¶ Alsuachet est genus turturum uel palumbium in Syria, colore camelino uel cinereo. Vide in Palumbe A. circa finem. ¶ Henrico Galliarum regi nostro tempore coronando, Turcarum Imperatorem inter cætera munera audio misisse par turturum rari cuiusdam & peculiaris generis.

B.

*Turtures in Germania sunt multò frequentiores quàm in Anglia, Turnerus. ¶ Turtur in colore lumbaceo genere minima est, Aristot. colore cinereo, Eustathius, & Athenæus Aristotelem citans. Cinerei coloris est, sed in dorso color rufus superinspergitur in superficie pennarum, Albert. Turtures albas sæpe apparere audiuimus, Aelianus. Menstrua fœtura albæ inter illas commendantur, Grapaldus. In Germania etiam albæ in pretio & rarę sunt. Turtur (τρυγὼν) inter omnes uolucres

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 344 sur 825

ſola dentes ac mammas habet, Orus in Hieroglyphicis 2.53. ego omnino ueſpertilionem (quæ νυκτερὶς Græcè dicitur) hoc loco pro turture repoſuerim.

C.

Degunt æſtate turtures locis frigidis, hyeme tepidis, Ariſtot. Loca fabuloſa libenter frequentant, Platina. Turtur tum campeſtris tum monticola eſt, Aloiſius Mundella. Semper in iugis montium & arborum uerticibus commoratur, ut ſcribit Origenes Homilia 2. interprete Hieronymo: unde Vergilius aëriã cognominare uidetur, Cælius. Loca tutiſsima & amœniſsima incolit, Author libri de nat. rerum. In montium iugis, ſyluis & locis deſertis commoratur, tecta enim hominum & conuerſationem fugit, Iſidorus. ¶ Turtur frugibus uiuit, Ariſtot. Glandes & grana edit: ut palumbi etiam & columbæ cauernales dictæ, Albert. Plura de cibo earum & ſaginatione ſcribemus in E. ¶ Columbacei generis & turturum proprium eſt, cum bibunt colla non reſupinare, large bibere, iumentorum modo, Plinius. Vide in Columba C. ¶ A ſono uocis turtur uocatur, Albertus & Iſidorus. & gemit pro cantu, ſicut & cætera genera columbarum, Albert. Græci etiam eas στύγας, id eſt gemere dicunt. Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo, Vergilius. Et caſtus turtur atq; colũba gemunt, Author Philomelæ. Τρυγὼν dicitur à uerbo τρύζειν, quod proprium eſt uocis turturum, ut τείζειν (per ἰῶτα) ueſpertilionũ, Euſtathius & Varinus. Τρύζειν uocem exprimit aſperiuſculam, unde & inflectitur trygon, Cælius. Et rurſus, τρύζειν, hoc eſt tryſſare ab Græcis dicitur de inani obſtreperaq; uerborum multitudine, unde corriuatur etiam trygon, id eſt turtur, ὀξυτύγας γρυλίζειν, apud Pollucem legimus. Turturi & alijs nonnullis auium proprium eſt crepitus aluí. pars etiam nouiſsima alui earundem uehementer citatur cum uocem reddunt, Ariſtot. Turturem loquaciorem dicunt, quòd non modò oris inexhauſta aſsiduitate uocalis ſit, uerum etiam ex poſterioribus ſui partibus quàm plurimum, ut ferunt, loquatur. Menander huius prouerbij mentionem facit in comœdia quæ inſcribitur Plotius: atq; eandem etiam Demetrius in Dramatico opere, quod Sicilíam inſcripſit, meminit poſtica corporis parte clamare, Aelianus. Turture loquacior, τρυγόνος λαλίστερος, prouerbium in garrulos & impendio loquaces homines dici ſolitum, Eraſmus, quoniam turtures non ore tantum, ſed & poſterioribus partibus loquuntur, Suidas. Scomma eſt in loquaces, Varin. Turturem loquaciſsimam agnoſcit paroemia, quemadmodum & cercopen, (κερκώπιλον, genus cicadę, aut ſimile cicadæ animal,) Euſtathius & Varinus. Ἔστι δὲ ἡ κερκώπη ζῷον ὁμοιον τέττιγι καὶ τρυγονίῳ, Athenæus lib. 3. ſed nimirum non alia re cercope turturi ſimilis eſt quàm obſtreperа garrulitate. Τρυγόνων ἀναφαίνονται λαλίστεροι, Clemens Stromat. 1. Theocritus in Syracuſanis mulieres quaſdam loquaculas turtures appellat. Ραΐσταδ' ὦ σίνσαμοι ἀνάυντα κωτίλλοισαι, Τρυγόνι κναισθῦνι πλατυλεσθήσαι ἔπαντα. ¶ Turtures & curſu & peregrinatione lætantur, Cicero 2. de Finibus. Multum ualent uolatu, & pedibus etiam, Albertus. ¶ Nidulantur & palumbes & turtures ſemper locis eiſdem, Ariſtot. Turtur in nido ſuo ponit folia ſquillæ, ne lupus pullos eius infeſtet, Ambroſius. ſed uulpem hoc facere, non turturem, Zoroaſtres tradit in Geopon. 15. Cuculos in Helice aiunt parituros non conſtruere nidum, ſed in palumbium aut turturum nidis parere, Ariſtot. in Mirabilibus. ¶ De coitu, uteri geſtatione, partu, incubitu fœtuq; turturis, ſcripſimus non pauca in Palumbe C. quòd ea cum palumbe communia habeat. Turtures oſcula antequam procreandæ ſoboli indulgeant, permiſcent: idq; inter eas quæ prouectiores ætate ſunt, perpetuum eſt: iuniores non raro abſq; oſculis id faciunt. quòd ſi fœmina deſit, mares præter cõmunem auium legem ſe inuicem conſcendunt: & oua, ſed infœcunda, progenerant, Oppianus lib. 1. de aucupio, ſed legendum potius fœminas ſe inuicem conſcendere ſi mas deſit. Ariſtoteles hoc columbis attribuit, & aliter. uide in Columba C. Turtur bis anno parit. apud Ariſtotelem quidem hiſtoriæ animalium 6. 1. Gaza interpres de ſuo adiecit, eam ſemel anno parere. Menſtrua fœtura albę inter turtures commendantur, Grapaldus.

¶ Turtures non patiuntur apud nos hyemare, ſed diſcedunt: niſi paucæ locis aprícis remanſerint, Ariſtot. Turtures ac coturnices immani numero, ſuo tempore trans mare in Italiam aduolant, & alio tempore reuolant, Varro 3. 5. de re ruſt. Turtures peregrinatione lætantur, Cicero 2. de Finib. Hæ in genere columbaceo apud nos primæ auolant, deinde liuiæ à cauernis uulgò dictæ, poſtremò palumbi torquati. Turtur æſtate tantum apparet, hyeme ſe condit. latitat enim ſuo tempore, Ariſtot. Et rurſus, Turturem hyeme latêre maximè omnium conſtat. nemo enim propè dixerim uidiſſe per hyemem uſpiam turturem dicitur. latêre autẽ incipit prępinguis: & quanquam pennas in latebra dimittit, tamen pinguedinem ſeruat. Vêre turtur occultatur, pennasq; amittit, Plinius & Platina. Sunt qui dicant eam hyeme deplumem iacere in concauis rimarũ, (tota hyeme in concauis arboribus latêre, uêre demũ prodire, Liber de nat. rerum.) & idem aiunt de cæteris auibus, quod nondum exploratum eſt. nam quod huius ſignũ afferunt, aues latentes non inueniri pennas mutare, non ſatisfacit. aues enim duobus modis pennas mutant: quædam ſcilicet uno eodemq; tempore pennas omnes exuunt, ſicut accipiter: quædam paulatim, ut pica & coruus, Albert. Turtures multæ terras calidas hyeme petunt, multæ etiam remanent, ſi locum habeant Soli expoſitum & quieti aptum, Author libri de nat. rerum. Sæpe manent, quum montem habuerint contrà Boream, & ab altera parte locum liberum & patentem, in quo ſe Soli exponãt, & regio temperata fuerit, Albertus. Turtures aliquando in anguſtis montium locis (aut in arboribus) latêre conſueue-

runt;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 345 sur 825

runt: qua de causa uerno tempore deplumes cõspiciuntur, Geor. Agricola. Aduentu suo uernum tempus prænunciant, Albert. Veniunt ad nostra loca cum iam fecerint prolem, Aristot. hist. animal. 8. 3. uidentur enim mihi hæc uerba de turture & œnade tantum accipienda. Plinius turtures trimestres esse scribit (hoc est tribus mensibus nobiscum degere) columbas perennes. ¶ Volant gregatim tum palumbes tum turtures, cum accedũt, & cum suo tempore abeunt, Aristot. ¶ Columbæ & turt. octonis annis uiuunt, Plinius. uel ad annum octauum uiuunt, scilicet quæ excæcatæ allectatrices aluntur, Aristot. Mares quidem fœminis minus uiuaces uidentur. Vide in Palumbe C. Columbæ & turt. herba quæ uocatur helxine annuum fastidium purgant, Plin. Aliquando ita debiles sunt ut manu capi possint, Liber de nat. rerum. Turtur & aliæ quædam aues, mali pu-
10 nici grano pereunt, Aelianus.

D.

Volant gregatim turtures & palumbes, cum accedũt, & cum suo tempore abeunt, Aristoteles. Turtur paulò plus lupo cicuratur, Albertus. Nulli auium est infesta, & ad omnium infestationes patientissima, Liber de nat. rerum, & Albertus. ¶ De cõiugali castitate palumbium & turturum Aeliani uerba recitaui in Columba D. Mare uno cõtenta & turtur & palumbes uiuit, nec alterum recipit, Aristot. idem de columbis fertur. Post primum coniugem secundum nescit, ut fertur, Albertus. Mortuo uel capto marito solitaria siccis arborum ramis gemens ac tristis insidet, Liber de nat. rerum. Illud scitu & admiratione dignum est, quod traditur turturem amisso uiduam marito, arborem uiridem non petere: sed siccis ramalibus & truncis semper insidere, ac fluenta limpida ad
20 potum turbidare, Grapaldus. ¶ Turtures gladiolum (irim, forte) nidis imponunt, tanquam fascinationis amuletum, & ad pullorum custodiam, Aelian. irim comedit, Philes. ¶ Turturem amat merula, Aristot. Cum turture amicitia columbæ intercedit, Aelianus. Turtures & psittaci amici sunt, Plinius. ¶ Turtur cum pyralide (Gaza ignariam uertit) pugnat. locus enim pascendi uictusq; idem earum est, Aristot. & Plinius. Turtur odit pyrallidem (πυρραλλίδα,) Philes: nam quod apud eundem proxime antè legitur, Turtur odit pyrrham (πύῤῥαν) deprauatè legi apparet. Turtur & luteus (chloreus, id est chlorion) pugnant, occiditur à luteo turtur, Aristot. Cum turture coruus & circus insitas inimicitias gerunt: & turtur uicissim hostili odio ab utroq; dissidet, Aelianus. Magna est naturarum familiaritas inter psittacum & turturem, nam hunc de omnibus amat ille: & con
tra, Quod mihi & item multis exploratum sæpe fuit, Sed Ouidij testimoniũ huc adferre pulchrum
30 erit, ex epistola Sapphûs: Et uarijs albæ iunguntur sæpe columbæ: Semper & à uiridi turtur amatur aue, Ant. Mizaldus.

E.

Turtures aliquando ita debiles sunt naturaliter, ut manu capi possint, Liber de nat. rerum. Turtures etiam excæcatæ allectatrices aluntur, Aristot. Ad hanc rationem aucupantur turtures, qui absolutè perfectèq; earum aucupium tenent, nec longissimè ab experimento aberrãt, ut saltent, ualdeq; suauiter præclareq; canant: quorum auditu hæ delectantur, saltationisq; conspectu permulcentur, acceduntq; propius. aucupes sensim & pedetentim eò secedunt, ubi retiũ explicatorum positæ sunt insidiæ, in quas incidentes, capiuntur, captæ primum saltatione & cantiunculis, Aelian. Turtur tibia ac saltatione capitur, Orus 2. 54. ¶ Turtures uisco capiuntur: & sub arbore cuius ramis
40 turturem alteram (allectatricem) insidêre uiderint, Oppianus lib. 3. de aucupio. Et rursus, Turtures capiuntur cum siticulosæ ad fontem accesserint, prope quem uenator arundinem erigit, pennis ad summum allìgatis, quarum motus turtures admodum terret fugatq;. Sed alia turtur iampridem capta, in propinquo ponitur, qua conspecta cæteræ aduolitant, & retis tractu obteguntur. Turtures columbæ & aliæ aues quomodo capiantur retibus, Crescentiensis docet lib. 10. cap. 21. & rursus cap. 26. quomodo intricentur laqueis è pilis caudæ equinæ & alijs quibusdam.

¶ In septis uillæ affixis nutriri possunt turtures, &c. Varro. Et rursus Merula apud eundem lib. 3. cap. 8. Turturibus, inquit, locum constituendum proinde magnum ac multitudinem alere uelis. Eumq; item, ut de columbis dictum est, ut habeat ostium, ac fenestras, & aquam puram, ac parietes, ac cameras munitas tectorio. Sed pro columbarijs in pariete mutulos, aut palos in ordine, su-
50 pra quos tegeticulæ canabinæ sint impositæ. Infimum ordinem oportet abesse à terra non minus tres pedes, inter reliquos dodrantes, à summo ad camerã ad semipedem, æque late mutuli à pariete extare possunt, in quibus dies noctesq; pascuntur. Cibatui quod sit, objiciunt triticũ siccum in centenos uicenos turtures ferè semodium, quotidie euerrentes eorum stabula, à stercore ne offendantur. Ad saginandum appositissimum tempus circiter messem. Etenim matres eorum tunc optimæ sunt, cum pulli plurimi gignuntur, qui ad farturam meliores. Itaq; eorum fructus id temporis maxime consistit, Hæc ille. Turturum educatio superuacua est, quoniam id genus in ornithone nec parit, nec excludit. A uolatura ita ut capitur, farturę destinatur: eaq; leuiore cura, quam cæterę aues saginatur. Verum non omnibus temporibus. Per hyemem, quamuis adhibeatur opera, difficulter glisci t. Et tamen, quia maior est turdi copia, pretium turturũ minuitur. Rursus æstate uel sua spon-
60 te, dummodo sit facultas cibi, pinguescit: nihil enim aliud, quàm objicitur esca, sed præcipuè milìũ: nec quia tritico uel alijs frumentis minus crassescant, uerum quòd semine huius maxime delectantur. Hyeme tamen oftæ panis uino madefactę: sicut etiam palumbos, celerius opimant quàm cæteri

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 346 sur 825

cibi. Receptacula non tanquam columbis, loculamenta: uel cellulæ cauatæ efficiũtur, sed ad lineam mutuli per parietem defixi, tegeticulas cannabinas accipiunt, prætentis retibus, quibus prohibeantur uolare, quoniam si id faciant, corpori detrahunt. In his autem assidue pascuntur milio, aut triticeo, sed ea semina dari nisi sicca non oportet. Satiatq; semodius cibi in diebus singulis uicenos & centenos turtures. Aqua semper recens & quàm mundissima uasculis, qualibus columbis atq; gallinis præbetur. Tegeticulæq; mundentur, ne stercus urat pedes, quod tamen & id ipsum diligenter reponi debet ad cultus agrorum, arborumq;, sicut & omnium auium, præterquam nantium. Huius auis ætas ad saginam non tam uetus est idonea, quàm nouella. Itaq; circa messem, cum iam confirmata est pullities, eligitur, Columella. Columbarij cellę duo subiecta cubicula fiant. Vnum breue, & propè obscurum, quo turtures claudi possint, quos nutrire facillimum est. Nam nihil expetunt, nisi ut æstate, qua sola maxime pingescunt, triticum, uel milium mulsa maceratum semper accipiant, Palladius. Turtures impinguantur tum milio tum panico, atq; potu largiore, ut anates, obsleciantur, Didymus. Aucupes Lombardiæ, præcipuè Cremonæ, tota æstate turtures feras retibus capiunt, & in domunculam quæ lumen habeat includunt: eisq; dant continuè aquam puram, & milij quantum sumere uoluerint: & ferè usq; ad hyemem uel partem (maiorem) autumni exactam seruant, atq; ita quingentas & mille quandoq; congregant; quæ mirificè impinguantur. sic saginatas optimè uendunt, Crescentiensis.

¶ Turturum quæ domi saginantur stercus seruatur ad agrum colendum, Varro.

¶ Turtur aduentu suo uernum tempus prænunciat, Albertus.

F.

Turtur pinguior in cibis probatur, Grapaldus. Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca ualebit, Et cocleas tibi habe: perdere nolo famem, Martialis. Turtures autumno magis conueniunt in cibo, quòd eo tempore solum reperiantur, Arnoldus Villanou. Edi debent postridie quàm occisæ fuerint, & antequam annum ætatis transegerint, Elluchasem. Comedi debent à nece ipsarum duodecim horis hyeme, ut scribit Auenzoar: uel potius horis 24. pòst, ut Isaac, Ant. Gazius. Turtur carnes habet siccas & calidas, Albertus. Caro eius calida est usq; ad tertium (aliàs secundum) gradum, & sicca: licet habeat humiditatem quandam superfluam, ueteres difficulter concoquuntur, & crassum ac melancholicum sanguinem generant, Mich. Sauonarola. Turtures calidæ sunt, & siccę admodum. quare non probantur nisi pulli, & qui iam prope sunt ut euolent, Elluchasem. Turtur bene alit & bonum succum generat, Arnoldus. Ex turture alimentum laudabile est, & necq; tenuius quàm par sit necq; crassius, Galenus. Auicenna laudauit carnes turturum præ cæteris, siue quòd respexit uim illam qua ingenium confirmare creduntur: siue quia in regione ipsius meliores quàm alibi reperiuntur, Recentior quidam cuius nomen nobis excidit. Sed Auicenna hæc scribit de aue duraz uel duragi, quam Francolinum uulgò dictum Bellunensis interpretatur, non turturem ut alij quidam indoctiores: à quibus & Fiera Mantuanus in poemate de alimẽtis ea tribuit turturi, quæ aui duragi Auicenna adscripsit, ut intellectum confirmare, genituram augere. De turture quædam quod ad nutrimenti rationem, ex Galeno & Elluchasem medicis recitauimus in Columba & Palumbe. Alexander Benedictus tempore pestilentiæ turtures ac palumbes in cibo laudat. Psellus turturem damnat. Archigenes apud Galenum in libro de comp. sec. loc. inter cibos stomachicis utiles numerat. Arnoldus in lib. de conseru. sanit. ijs quos hæmorrhoides uexant interdicit. Turtur, ut docet Isaac in u. d. c. XVI. domi per aliquos dies ali & (modicè) saginari debet, priusquam in cibum ueniat, ut sic nimia eius siccitas temperetur: & sic tutius poterunt assari. si uerò macræ fuerint, elixas edere præstabit, Ant. Gazius. Turtures & palumbes tympanicis apud Trallianum permittuntur: item colicis apud Aetium palumbi, & turtures altiles. ¶ In perdice & attagena & in turture (condimentum:) Piper, liguisticum, mentham, rutæ semen, liquamen, merum & oleum calefacies, Apicius.

G.

Dysentericis in cibo turtures mirè prodesse dicuntur, utpote uentrem sistentes: sed efficacior ad hoc ipsarum sanguis habetur, Grapaldus. Columbarum, turturum, palumbium, perdicum sanguis oculis cruore suffusis eximiè prodest, &c. Plinius. Vide plura in Columba G. cum de hoc remedio, tum ad sistẽdum sanguinem qui ex cerebri membranis erumpit. Sanguis turturis calidus destillatur super aurem contritam & dolentem, Auicenna. ¶ Turturis fimum albugines extenuat, Plinius. cum melle albulam curat, Kiranides. Ad summam leuitatem tritum & cum melle Attico aut etiam alterius generis, dummodo optimo & despumato inunctus, leucomata oculorum potenter extenuat, Marcellus. Ex mulso coctum, & ceroti modo uentri ac renibus laborantis impositum, efficaciter prodest, Idem. Difficulter mingentibus auxilium admodum probatum: Turturis stercoris drachmam tritã da ieiuno bibẽdam cum melle, tribus diebus, Nic. Myrepsus. Cum roseo solutum & inunctum matricem sanat, Kiranides. Turturis stercus ustum ex mulsa præbeto calculosis. lapides enim per urinam exturbat, Galenus Euporiston 3. 273. Idem usus ex columbæ stercore à quibusdam mirè prædicatur. Turturis fimum in mulso decoctum, uel ipsius decoctę ius prodest contra calculos & alias difficultates uesicæ, Plinius. Stercus zezir, id est sturni (Latinus interpres malè uertit turturis) eryza pasti, impetigines abstergit, Serapio. Vide in Sturno.

a. Turtur

H.

a. Turtur à uoce nominatur, Isidorus. Albertus ubi ex Aristotele turdorum speciem tertiam memorat, turturis eam speciem esse scribit, cum turdi scribere debuisset. Sed Auicenæ etiam interpres pro turdo turturē habet, ut citat Aggregator. ¶ Τρυγὼν Græcis etiam per onomatopœiam ἀπὸ τοῦ τρύζειν, à sono dicitur. Est autem τρύζειν secundum Grāmaticos γογγύζειν, ψιθυρίζειν, λογοποιεῖν, πολυλογεῖν, ἀσήμως λαλεῖν, & propriè de uoce turturum usurpatur, (metaphoricè uerò in iam dictis significationibus, Scholiastes Homeri:) Vide supra in c. Τρύζειν, hoc est tryssare ab Græcis dicitur de inani obstreperaq; uerborum multitudine: unde corriuatur etiam trygon, id est turtur, Cælius. Et rursus, Τρύζειν uocem exprimit aspersiusculam, unde inflectitur trygon, ex Eustathio. Cæterum τρυγὼν piscis marinus radio in cauda uenenato, quem pastinacam Latinè dicimus, etsi recentiores quidam (ut Diuus Ambrosius) turturem uerterunt: non à uoce, sed forsan παρὰ τὸ τρύειν ἢ τρύχειν dictus fuerit, quæ uerba βλαπτεῖν καὶ κακοῦν, hoc est nocere & affligere interpretātur. Apud authores sem per fœmininum inuenio τρυγὼν, ut apud Etymologum etiam in uerbo τρύζειν, quamuis ibidem τὸ τρυγόν masculinum legitur, mendosè ut iudico. Τρυγῶς, (malim τρυγὼς oxytonum,) τρυγόνας, Hesych. & Varinus. Τρυγὸς, τρυγὼν, Hesychius. Ἡδύτοραι, αἱ τρυγόνες, Hesychius & Varinus. Τρυγήτης, ὁ τρυγὼν, Varinus: sed legendū τρυγῶν ultima circunflexa, ut sit participiū à uerbo τρυγάω, quod uindemiare significat. Κόρκωπη animal est simile cicadæ & trygonio, (τρυγονίῳ,) Athenæus lib. 3.

¶ Epitheta. Turtur aëria Vergilio, sicut & palumbes eidem. Castus, Authori Philomelæ. Cæreus, Martial. lib. 5. Niger, Ouidio epist. 21. Item Raucus & Pudicus apud Textorem.

¶ Τρυγὼν piscis marinus aculeo uenenato: καὶ ἡ τῶν γυναικῶν μίξις, καὶ σωτηροφόν, Hesychius & Varinus. Turturem piscem Robertus Stephanus trutam (troctam) interpretatur, sed authorem non adfert. ¶ Turturis appellatione sanctus intelligitur spiritus, ubi de magnis & occultioribus mysterijs agitur, quæ capere haud possunt multi, Origenes Homilia 2. interprete D. Hieronymo. Τρυγονᾶσται τῶν θύρων, Aristoph. ἀσύχως κνῶσται, Suidas.

¶ Mulierem lactantem ac bene nutrientem pictura expressuri Aegyptij turturem pingebant, sola enim inter omnes uolucres hæc dentes ac mammas habet, Orus. sed hoc de uespertilione uerum est, non de turture. Idem hominem saltatione tibiarumq; cantu gaudentem notantes, turturem pingunt. hæc siquidem tibia & saltatione capitur, Idem.

¶ Ladon relicta æde Erinnyos, ad dextram prętertluit Aesculapij puerí templū, ubí monumentum extat Trygonis: quam nutricem Aesculapij fuisse perhibent, Pausanias in Arcadicis.

¶ b. Scopes turturibus & palumbis similes sunt, Aelianus. Ortygometrā Alexander Myndius ait magnitudine turturis esse, Gillius ex Athenæo nimirum. Genæ tuæ sicut turturis, Cant. 1.

¶ c. Vox turturis audita est, Cant. 2. Ἤκουσθη κόρυδος καὶ ἀκανθίδες, ἔσχνε τρυγών, Theocritus Idyl. 7. Et turtur nidum ubi ponat, Psalm. 83. Turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini, Hierem. 8.

¶ f. Aegyptij (ut scribit Porphyrius lib. 4. de abstinendo ab animatis) multa curiosè obseruabant, & inter cætera turture etiam abstinebant. ἑώρακε γὰρ ἔφασαν πολλαχῆ τὸ ζῶον συλλαβὼν, ἀθρόον μεδὸν ἀφροδισίοις μίξεως σωτηρίαν. Itaq; ne in talem (ab accipitre dimissum) turturem imprudentes incíderent, genus eorum uniuersum in cibo uetuerunt.

¶ h. Turtur aut columba in Vetere Testamento quomodo offerri iussæ sint, uide in Columba h. Turtures quomodo offerendę Domino, Leuitici 1. Si pauper est, olei sext. duosq; turtures, Leuit. 14. Qui patitur fluxum seminis, &c. die octauo offerat duos turt. Ibid. 15. Octaua autem die offeret duos turtures, Num. 6. Turtur adhibita est fœderi pangendo, Geneseos 15. Moloch fuit imago concaua, habens septem conclauia, unum aperiebant similæ offerendæ, alterum turturibus, &c. Munsterus in Tophet. ¶ Additum est albas turtures sæpe apparere, easdemq; cum Veneri & Cereri, tum uerò Parcis & Furijs sacras esse, Aelianus. Sed placet Vrsidio lex Iulia: tollere dulcem Cogitat hæredē, cariturus turture magno, Mulorumq; iubis, & captatore Macello, Iuuenalis Sat. 6. id est, non uult esse adulter & sine uxore, ut hæreditatem eius alij donis ambiant.

¶ Prouerbium Turture loquacior, (cuius meminit Eustathius) iam supra expositum est in c. Turturem psallere, Τρυγόνα ᾄσαι, de ijs usitata parœmia qui malè & ineptè canerent: ὧν ἦν φαύλως πρασσόντων, (forte ψαλλόντων.) nimirum à uerbo τρύζειν, quod de turturum uoce in usu est, (& ad indecoram aut nimiam in homine loquacitatem transfertur,) ut in illo, Μὴ μοι τρύζητε, Suidas. Erasmus huius prouerbij non meminit.

CONTILVS, κόντιλος, genus auis, uel coturnix: item serpentis nomē, Hesychius & Varinus. Si pro serpente accipias iaculum significare uidetur, qui Græcis etiam acontias dicitur, quod iaculi instar in hominem se uibret. Est & κοντὶς auis, quæ aliàs sycalis, id est ficedula dicitur. Apud Eustathium in Odysseæ ρ. scribitur contylus per γ. Colaphum (inquit) Attici condylum uocant, contylus uerò genus est auis.

¶ CORAPHOS, κόραφος, auis quædam, Hesych. & Varinus.

CORCORA, auis (quædam) Pergæis sic dicta. Κόρκορα, ὄρνις, Περγαῖοι, Hesych. & Varinus.

CORINTA, (aliàs Cornica) auis maxima est in Oricte, quæ ferè ad magnitudinem pulmonis uaccæ (pulmonem) habet mollem, & multo infusum sanguine, ideoq; multo plus quàm aliæ aues

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 348 sur 825

bibit, paucas & paruas habet plumas & pennas, Albertus Plinium citans, apud quem nihil tale inuenitur.

DE CORNICE.



A.

CORNIX auis est generis coruini, Albertus & Theon in Aratum. Aristoteles etiam coruini generis aues nominans, uidetur intelligere coruum, cornicem, graculos & huiusmodi. Oreb Hebraicè coruus est: quæ uox cum coruis etiam cornices & genus omne coruinum comprehendere uidetur. Monchar algorab, id est rostrum cornicis, Bellunen. uide in Coruo A. In trilingui Dictionario Seb. Munsteri kurka, בירבא, Chaldaica (ut cõsicio) uox, pro cornice scribitur. Kaath, קאת, Septuaginta pelecanum uertunt, uulgata æditio onocrotalum: in Thalmud hæc auis (teste R. Dauid Kimhi) alio nomine קיק, kik, uocat, quæ auis sit solitaria & loca maritima incolat. Iudæi uulgò kra (id est cornicē) interpretantur, P. Fagius. Auicennæ interpres algadem & bubonem pugnare scribit, ubi in Aristotelis historia anim. legimus cornicem & noctuam pugnare. Albertus etiam alicubi pro cornice guidez uel gaudes, nimirum ex Auicennæ interprete, reddere uidetur. Aues quædam ingluuiem non habent, ut κολοιός, κόραξ καὶ κορώνη, Aristoteles. ubi Albertus, Coruus (inquit) & auis quæ guidez uel gaudes uocatur, quæ secundũ quosdam est falconum genus. Ego non falconum generis auem hac uoce significari, sed cornicem aut graculum hoc in loco ex collatione contextus Græci animaduerto, magis tamen ad cornicem animus inclinat, ut graculi nomen omissum sit. Cornix in Libro de nat. rerum etiam kokis dicitur. Rursus Albertus in Aristotelis historiæ anim. 6. 6. scribens, pro cornice ponit hachoac: & alibi karyme (quã uocem apparet à Græca κορώνη corruptam. nam eo loco Aristoteles scribit cornicem deuorare ejecta à mari) inquit animal est quod quidã uocant hacham. Idem alibi ubi Aristoteles cornicem habet, monedulam ponit: & alibi cum coruo eandem (cornicem) confundit. Borositis, id est auis corone, cornix, Kiranides. Xercula, id est cornix auis, Syluaticus. ¶ Græcum nomen κορώνη est, & uulgare hodie κουρούνα uel κοράνα. ¶ Italica, cornice, cornacchia, cornachio, gracchia. Hispanicum, cornéia. ¶ Gallica, corneille, graille, graillat. ¶ Germanicum Krãe uel Krãye, Krahe, Hußkrãe, Schwartzkrae, Winterkrãe. ¶ Anglicum a crouu. Illyricum wrana.

B.

Cornices in Britannia abundant, Cardanus. Totæ nigræ sunt, media magnitudine inter monedulam & coruum, Turnerus. Erat in urbe Roma hæc prodente me equitis Romani cornix è Bætica, colore mira admodum nigro, Plinius. ¶ Solent Rhodigini mei (inquit Lodouicus Cælius) perelegans usurpare prouerbium, ubi rarenter quid admodum & ferè nunquam obtingere uolunt significare. dicunt enim perinde esse infrequens, ac sit alba cornix. ceu ferè non uisatur auitũ id genus albicans. Nam & M. Tullius Familiarium epistolarũ septimo, ipsum hoc innuisse uideri potest: Quòd, inquit, quasi auem albam uidentur bene sentientem ciuem uidere. Cęterum scitu condignum est, uisam temporibus meis, dum ista proderem, duorum ferè stadiorum spatio à patriæ (Rhodigij) mœnibus, cornicem albam, capite nigricante sicuti cæteris, alarum apicibus in rubedinem uergentibus. nec erat expressus candor, sed liuens aliquo modo. Fuit ea mensibus aliquot omnibus conspicua, non parum multis ad insolentem speciem ad spectaculum confluentibus. Quin & nonnullis abijt res ea in prodigium: quòd post eam uisam, loco nunquam fuisset pax: tumentibus tunc pernicioſisimis bellorũ procellis, ac latius grassante ferri licentia, &c. Hæc ille. In domo Ludouici

Ludouici Patauini Cardinalis cornix alba uisa est, Niphus. Perottus quoque cornicem albam à se uisam testatur. Peculiare Hispaniæ esse Posidonius asserit, ut nigræ ibi sint cornices, Strabo. ¶ Cornix pro ingluuie gulam habet patentiorem propius uentriculũ, Aristot. & Plinius. Est hæc auis, ut obseruaui, rostro, cruribus & toto corpore undiquaq; nigerrima, ita ut præ nigredine splendeat, & ad lucem obuersa quasi Indicum colorem, id est nigrum subcœruleum referat. Superiore rostri parte barbulas quasdam ueluti setas emittit circa palpebras, aliquando etiam inferius, nigra quædam ueluti granula minima habet.

C.

Cornices circa urbes præcipuè uersantur, Vuottonus: item circa domos & sterquilinia. Omniuoræ sunt, littora petunt, & quæ unda eiecerit animalia tangunt, Aristot. Carnes, pisces & grana interdum uorant, circa littora maris & ripas fluminum multum uersantur, ut ea animalia quę unda eiecit, tangant, Turnerus. In Britannia ingens copia est cornicum, quoniam in pabulo humido illic uermes multi abundant, ubi enim pabulum, ibidem animalia sunt quæ eo uescuntur, atque immodicè tunc multiplicantur, cum ubiq; abundauerit, Cardanus. Cornix nucibus in cibo gaudet, Liber de nat. rerum. Baccis oliuarum uescitur, Io. Vrsinus. ¶ Aues quædam ambulãt (non currunt, nec saliunt,) ut cornices, Plinius. ¶ Cornix uel coruus κράζειν uel κρώζειν dicentur, à uocis asperitate, Varinus in Ἐκλογξ. Et alibi, Κρώζειν de coruo, de cornice κράζειν dicitur. Sed contrà forte legendum, ut κρώζειν cornicum sit, & κράζειν coruorum. nam Pollux τὰς κορώνας κρώζειν scribit: & Euphorion apud Athenæum, Ὑστόμαντις ὅτε κρώξειε κορώνη. & Aratus, στυγέας κρώζουσα, de cornice, & Hesiodus, Μήποι ἐφεζομένην κρώζῃ λακερύζα κορώνη. Ne forte insideat cornicans garrula cornix, ut Erasmus Roterod. interpretatur. . φθονεραὶ γὰρ ὧν κρώζουσι κορῶναι, Aristoph. in Equitibus. Crocitúq; grauí pluuiam increpat usq; morantem, Politianus in Rustico. Cornix & ipsa uoces humanas imitatur. Papinius in Syluis, Qua refert iungens iterata uocabula cornix. Omnes tamen ferè codices perdix habent: quod etiamnum legi posse ipse crediderim propter perdicis fabulam Ouidianam. Adde quòd Serenus illam garrulam appellat, id est canoram. Cornicem uerò uocalem inueniri & nos liquidò scimus, & Plinius locupletissimus testis accedit in decimo sic scribẽs: Nunc quoq; erat in urbe Roma, hæc prodente me, equitis Romani cornix è Bætica, primum colore mira admodum nigro, deinde plura contexta uerba exprimens, & alia atq; alia crebro addiscens, Grapaldus. Cornices præter carnem etiam alio pabulo utuntur: atq; durities nucis rostro repugnantem, uolantes in altum in saxa tegulásue iaciunt, iterum ac sæpius, donec quassatam perfringere queant, Plinius. Super frondibus arborum nidulantur, Turnerus. ¶ Cornices eodem secum inuicem modo naturaliter coëunt, quo homines, Orus. Palàm non coëunt, Volaterranus ex Aeliano: ubi Politianus uertit, Cornices non uideat quispiam licenter miscerí ac temere. Gillius uerò, Societatem non temere instituunt, quam tamen ubi semel inierint, fidem inter se mutuã seruant amanter. Ego Politiani translationem præfero. nam Græcè legitur: οὐκ ἂν ἴδοι τις μιγνύμενα τοῦτα τὰ ζῶα ἀνέδην καὶ ὡς ἔτυχε: nec aliud ad hanc sententiam pertinens additur. ¶ Fœtus earum post solstitium accidit, Plinius. Cornix gemina solet oua (oua picta, Albertus, ut picæ & passeres) parere, ex quibus mas & fœmina plerunque gignuntur, rarius ex utroq; mas aut fœmina nascitur, Orus. Cornicum fœminæ tantum incubant, assidueq; in opere perseuerant, mares his cibum suggerunt, pascuntq; incubãtes, Aristoteles. Idem coruí faciunt, ut generis hoc potius proprium sit quàm speciei, Albertus. Cornicum pulli ouis non ad caput ruptis, ut cæterarum auium, sed retrorsum, pedibus primum prolatis, excludantur, Oppianus. Hylas tradit cornices à cauda de ouo exire, (& alias quasdam aues quarum grandiora sunt capita,) quoniam pondere capitum peruersa oua posteriorem partem corporum fouendam matrí applicent, Plinius. Cornix cæcos pullos excludit, Aristot. ex quo causam retuli in Columba c. Cum pullos pascit, assiduè cursitat, Gillius. Pullos quidem, ut audio, non prius solent pascere, quàm plumis uestírí incipiant, ut & aliæ pleræq; aues, quæ uolaces magis quàm puluerátrices sunt, hæ enim per se edunt. Cornices fœtum etiam iam uolantem, diu sequuntur & pascunt, Albertus. Non cuculum modo in alienis nidis parere quidam putant, sed etiam auem rapacem asturí (accipitri) simílem, in nido cornículæ, Albertus: ubi exponit locum Aristotelis de hist. anim. 9.29. nihil autem tale Aristoteles habet, sed alibi docet cuculum à quibusdam accipitrem existimatum. ¶ Cornices & coruí toto anno manent, Demetrius Constantinop. Ab Arcturí sydere ad hirundínum aduentum notatur cornicem in Mineruæ lucis templisq; rarò, alicubí omnino non aspící, sicut Athenis, Plin. Cornix uulgò à Germanis quibusdam hyberna cognominatur, Winterkrae, quòd hyemis nuncia sit, nam æstate ingruente auolat, Tappius. Ego apud nos cornices simpliciter dictas uel domesticas, audío non migrare: sed genus earum cinereum: cui à nebulis nomen apud nostros. Cornicum ductu quomodo migrent ciconiæ quum maría transuolant, & in Asiam collecto agmine pergunt, recitauímus in Ciconia D. ¶ Cornix natura est calida, Theon in Aratum.

¶ Cornicis uita longissima: utpote cui nouem nostras ætates dedit Hesiodus. Hinc Iuuenalis de Nestore ætate polychronía longæuo, Exemplum uitæ fuit à cornice secundæ. Hinc ἐννεάγηρα κορώνη apud Aratum, quòd nouem ætatum annos uiuat, uel nouem pro multis accipiendum poeticè, ut sit πολύγηρα, uti Theon interpretatur. Et cornicibus omnibus superstes, Martialis, est autem hy-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 350 sur 825

perbole prouerbialis de uehementer annosis, ab auis huius prodigiosa uiuacitate sumpta. Seruatura diu parem Cornicis uetulae temporibus Lycen, Horatius 1. Carm. Cornix centum iuxta Aegyptiorum morem computatis annis uiuit, constat autem Aegyptiacus annus quatuor usitatis & communibus annis, Orus. Viuit usq; ad annos quingentos, Kiranides. Hesiodi uersus de aetatibus cornicis, cerui, corui & phoenicis, & ueteris cuiusdam innominati authoris interpretationem (quae inter poematia Maronis circunfertur) recitaui in Ceruo c. Hesiodus cornici nouem (Pisthetaerus in Auibus Aristophanis quinq; tantum) nostras tribuit aetates, (γενὰς,) quadruplum eius ceruis, id triplicatum coruis, Plinius. coruos uerò (ut canit Hesiodus) nouies excedit phoenix, phoenicem decies Nymphae. Sed quid per γενεὰν Hesiodus intellexerit, annúm ne tantum, ut Cleombroto Lacedaemonio placet apud Plutarchum in libro de oraculorum defectu: an, ut Heraclitus uult, annos triginta: an octo & centum, ut alij quidam, (qui non ἐνιαυτὸν, sed γηρῶντων apud Hesiodum legunt,) an nonaginta sex, ut uetus Hesiodi carminum interpres sentit, ambigitur, ut Plutarchus pluribus differit: sed magis inclinat animus γενεὰν pro anno uno accipi, quòd intra id spacium generentur & perficiantur, non omnia tantum quae terra profert, sed etiam homo in utero: & ut annus unus dicatur γενεὰ, id est aetas, quo tota deinceps hominis uita & aetas mẽsuratur: ita ut unitas etiam numerus appellatur, qui numerus propriè non est, sed aliorum numerorum mẽsura prima. Quòd si aetatem pro anno uno accipias, cornicis uitam nouem annorum faciemus: cerui, triginta sex: coruí, centum & octo: phoenicis, nongẽtorum & septuagintaduorum: nympharum denicq; nouies mille septingentorum & uiginti. Cornicibus uiuacior, Ὑπὲρ τὰς κορώνας ζεβιωκὼς, prouerbium ab Erasmo recensetur de uehementer annosis. Huc pertinet (inquit) quòd philosophus ille moriens, cornicibus inuidisse legitur longeuitatem, quam natura negasset homini. Synesius in epistola quadam, Εἰκὸς ὅτι κορώνης ἐφιεμένῳ ἀρξαι τῆς ἡμῖν τὸν δικαιότατον, id est, Consentaneum est iustissimum principem, cornicis annis imperaturum esse. Coruí ante solstitium generant: ijdem aegrescunt sexagenis diebus, siti maximè, antequam fici coquantur autumno. cornix ab eo tẽpore corripitur morbo. Cornix in solstitio morbo corripitur, Author libri de nat. r. Scabiem & lepram patitur, Porphyrius libro 3. de abstinentia ab animatis. Cornix si inciderit in comesae à lupo carnis reliquias, moritur, Aelianus & Philes.

D.

Cornices nucum duritiam si rostro perfringere nequeant, in altum uolantes, in saxa & tegulas iaciunt iterum ac saepius, donec quassatas perfringere ualeant, Textor & Vuottonus. Imitantur etiam sermonem humanum, ut in c. scripsimus. ¶ Cornicum foeminae tantũ incubant, assidueq; in opere perseuerant, mares his cibum suggerunt, pascuntq; incubantes, Aristot. & Plinius: ut & coruí, Albertus. Cornix aliquandiu pullis suis prouidet: & iã uolantes pascẽs ipsa comitatur: cum cæteræ postquam enutriuerunt pullos, nihil amplius curent, Aristoteles & Albertus. Sola cornix uolantes pullos aliquandiu pascit, Plinius. Author libri de nat. r. idem scribit de aue kokis, quam iccirco non aliam à cornice esse conijcimus. Cornix etiam uolans (malim, uolantes) pullos suos pascit, Orus. ¶ Palumbes (ut turtures etiam & columbae) coniugium seruant, nec mas à foemina, neq; haec à mare relinquitur ad exitum usq; uitae: quod coruí etiam, cornices & graculi faciunt, Athenaeus ex Aristotele. Coróne siue foemina siue mas si moriatur, coniux alter uiduus permanet, Kiranides & Athenaeus. Cornices inter se fidissimae sunt, mira his castitatis & matrimonij cura, haud palàm coeuntibus (Amanter mutuam inter se fidem seruant, cum semel societatem inter se coierunt, quam non temere ac licenter inter se instituunt, Gillius ex Aeliano. uide in c.) extincta consorte, alteri uiduitas impolluta. quare & inter hymenaeos (post Hymenaeum, Politianus) pro concordiae pudicitiaeq; felici auspicio inuocatur. In augurijs quoq; una ex his uisa fortunatissimum putant, Volaterranus ex Aeliano. Ego fortunatum hoc auspicium esse apud Aelianum non legi: & si legeretur apud eum, non approbarem. nam Orus in Hieroglyphicis ita scribit: Cum uni cornici occurrerint homines, augurantur praesagium sibi hoc esse uiduae uitae, quòd scilicet animali uiduam agenti uitam obuij facti fuerint. Cælius hunc locum transferens simpliciter reddit, Cornix solitaria uisa ostentum ueteribus faciebat. Sed melius Politianus, Qui sedes auium (inquit) & uolatus obseruant, inauspicatum esse captantibus auguria dicunt, unius tantum cornicis obsequium. Plura leges infra in H. a. Cornix gemina solet oua parere, ex quibus mas & foemina gignuntur. ubi uerò, quod rarò tamẽ accidit, uel duo mascula, uel duo foeminea oua pepererit, mares foeminis connubio iuncti nunquam ad alteram diuertunt cornicem: ac ne ipsa quidem foemina, quoad uiuit, ad alterum marem, sed disiuncti, soli deinceps semper degunt, Orus in Hieroglyphicis. magis autem conueniret, ut cum ex duobus ouis alter mas, altera foemina gignitur, genitę cornices connubio inter se iungerentur, quàm cum uterq; mas aut utraq; foemina generatur, sed Grœcus etiam codex sic habet, ut Mercerus interpres Latinus transtulit. Graeci quidem (inquit idem Orus) in hũc usq; diem, ob tantam harum auium concordiam, in nuptijs ignorantes uerbum illud usurpare solent κορώνη, nimirum κορώνη cornicem appellãtes. Memini ego audire ex amico quodam qui ruri habitabat, se per annos decem aut amplius cornicum coniugium, id est marem & foeminam, certo anni tempore àliquandiu quotidie ad domum suam aduolantes, ut cibum ipsis expositum caperẽt, obseruasse. ¶ Cornices uerbenacã supinã nidis imponunt ut blattas abigant, Zoroastres in Geoponicis.

¶ Cornix

¶ Cornix dux eſt auiũ, Io. Vrſinus. Ciconijs cum maria tranſuolant, & in Aſiam collecto agmine pergunt, duces ſe præbent, ut ſcriptum eſt in Ciconia D. In eiuſdem Ciconiæ hiſtoria capite tertio, pugnam ciconiarum & pelecanorum aduerſus cornices, coruos, uultures, aliasq; carniuoras aues deſcripſimus ex Kiranide. Amicæ ſunt aues cornix & ardeola, Ariſtot. Plinius & Aelianus. Muſtela cornicis oua pullosq; uiolat, Ariſtoteles: nidos ſæpe diripit, Perottus. Cornix ualde infeſta eſt auibus rapacibus: & ideo interdum dilaceratur ab eis, Albertus. Horribiles (rapaces nimirum) aues tanquam ſuos hoſtes impugnant: ſed illæ frequenter cum impugnantibus multum detulerint, tandem impatientia uictæ lacerant importunas, Author libri de nat. rerum. Cornix, pica, monedula & huiuſmodi aues, apud nos cum aquila pugnant, quoniam aquila comedit eas, Albert. Cornices quomodo eludant aquilas & aliquando deplument, uide in Aquila D. ex Aeliano. Inimicitiæ intercedunt cornici cum circo, Aelianus. Cornix ouis columbæ inſidiatur, ut ea diſſipet & exugat, Author libri de nat. rerum. A cornice (auis) tympanus nomine occiditur, Ariſtot. In morte kokis auis, aues omnes cum dolore ſuauiter uociferantur, Author de nat. rerum. Cornix cum noctua diſſidet, cornix enim meridie oua ſurripiens noctuæ abſumit, cum non clarè interdiu noctua uideat, noctua cõtra oua cornicis noctu exedit, eſtq; altera interdiu, altera noctu potentior, Ariſtot. & Aelianus. Cornices & noctua diſſident, Plinius: inexpiabili bello, Aelian. Interpretes barbari quidam bubonem (uel noctuam) & monedulam, uel bubonem & coruum, pro noctua & cornice ex Ariſtotele reddiderunt: uel incẽdulam & bubonem, corrupto incendulæ nomine pro monedula. Aliud noctua ſonat, aliud cornix: Ἄλλο γλαυξ, ἄλλο κορώνη φθέγγεται, prouerbium de ijs qui inter ſe nõ conſentiunt, ὧν ἡ μὲν ἀλλήλοις ὐ συμφωνοῦντων, Suidas: Apoſtolius addit, καὶ ὁριζόντων τοῖς πρείττοσι. Accommodari poteſt (inquit Eraſmus) uel ad eos qui decertant cum longè præſtantioribus: uel ad illos inter quos ob morum ingenijq; pugnantiam, minimè cõuenit. Siue cum eſt alius alio longè facundior. Quemadmodum enim auem etiamſi non uideas, tamen è cantu licet dignoſcere: ita ſtilus diuerſus prodit pſeudepigraphiam. Nullum enim eſt autorum genus, ubi non reperies notha quædam & ſubdititia τοῖς γνησίοις admixta, Eraſmus. Noctuam inter cornices eſſe uulgò Germani dicunt, **Es iſt eule vnder einem hauffen krähen**, quum ſtolidus aliquis incidit in homines naſutos & contumelioſos: quale Latinum illud prouerbium eſt, Aſinus inter ſimias.

E.

Multæ magnæ aues capiuntur magnis uirgulis inuiſcatis, præcipuè corui & cornices, cum auxilio gummi (gimmi, id eſt noctuæ) hoc modo. In ijs locis quos frequentare ſolent aues, truncatur ramis arbor aliqua, quæ ab alijs arboribus multũ diſtet, ſed aliqui rami frondibus nudati relinquuntur in ea, uel perticæ aliquæ ſuper eam ponuntur, his leuiter infiguntur uirgulæ magnæ uiſco illitæ, gimmus in terra ponitur, in loco parum eminente, ut facilius ab auibus uolantibus uideatur: quem cum aues uiderint circunuolitant, & uolando defeſſæ in arborem uiſco litam ſe recipiunt, unde in terram decidunt. Eas auceps pertica perſequatur & occidat. nam ſi manibus caperet, læderetur ab eis, Creſcentienſis 10.27. Et rurſus cap. 28. Capitur (inquit) cornix delectabili quodam modo. Cornix capta duobus perbreuibus palazolis (lignis, bacillis) ad principium alarum annexis, ſuprema in terram firmatur. clamat illa & fugere conatur. aduolant aliæ iuuandi animo, ex quibus illa proximam roſtro & unguibus correptam detinet, quæ ſic detenta facile capitur. Eodem modo aiunt arcere gazas (picas) capi poſſe. Memini me aliquando cornices manu cepiſſe, cum inter carnes nucem uomicam tritam miſcuiſſem, Cardanus. Sunt qui ut cornices & graculos allíciant, cum uiuis allectatricibus carent, pelles occiſarum materia aliqua farctas, ut uiuentiũ ſpeciem referant, exponant.

¶ Mutant cum tempeſtatibus unà Raucíſonos cantus cornicum ſecla uetuſta, Coruorumq; greges, ubi aquam dicuntur & imbres Poſcere, & interdum uentos auraſq; uocare, Lucretius. Ὑετόμαντις ὅτι κρώξει κορώνη, Euphorion apud Scholiaſten Nicandri, id eſt, Cum pluuiæ uates cornix crocitauerit. Antequam ſtantes repetat paludeis Imbrium diuina (præſcia) auis (cornix, Acron) imminentum, Horatius Carminum 3.27. Domum ædificans imperfectam ne relinquito, ne inſidens illi garrula cornix crocitet, Heſiodus. hoc eſt ne tempeſtas & pluuia ingruens ſic imperfectæ noceat, uox enim cornicis tempeſtatis ſignum eſt, Moſchopulus. ſed alij aliter interpretantur. uide infra in h. inter prouerbia. Magnum tempeſtatis ſignum eſt cornix noctu canens, Aratus: ubi Theõ Scholiaſtes, Vox eius noctu acuta ſignũ eſt tempeſtatis. Si nocturna tibi cornix canit, Auienus Arati interpres. Si coruus, cornix, graculus, crepuſculo ueſpertino uocales ſint, tempeſtatis aduentum prædicunt, Aelianus. Tum ueſpertinum cornix longæua reſultat, Auienus. Quum terreſtres uolucres contra aquam clangores dabunt, perfundentes ſeſe, ſed maximè cornix, ſignum eſt hyemis, Plinius. Garrula cornix terreſtris ſub initiũ tempeſtatis (χείματος) littus eminens ſubit, (iuxta mare apparet, ut quæ aquis gaudeat, Theon:) aliquando & in fluuij aquam à capite uſque ad ſummos humeros ſe immergit, aut etiam tota innatat: aut frequenter uerſatur iuxta aquam (ἢ πολλὰ ἐρέφεται παρ' ὕδωρ, in aquis fluuiorũ aut marinis, Theon) craſſa uoce crocitans, Aratus. ubi Theon Scholiaſtes, Cornix (inquit) & coruus (ſunt enim eiuſdem generis) cum corpore admodũ ſicco ſint, plurimum gaudent humectantibus. cum igitur initium hyemis (χειμῶνος) ſenſerint, & aër corpora earum humectârit, tunc etiam innatant aquis, ceu quibus ualde gaudeant. Cæterum aqua ipſa fluuiatilis aut marina parum eas iuuat, niſi aer quoq; humidus fuerit. Et rurſus, Immergit autem ſe

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 352 sur 825

cornix refrigerandi gratia, siue quòd aëre ambiente refrigerato, animalia ipsa calore intus collecto magis caleant, siue propter externum calorem. Vt plurimũ enim ante pluuias aër terram ambiens calidior fit. Vel illud πολλὰ ῥιφεῖται, accipi potest, quasi multum gaudeat cornix & saliat, frigiditatis amans. est enim ipsius natura calida. Fuscaq; nonnunquam cursans per littora cornix Demersit caput, & fluctum ceruice recepit, Cicero ex Arato. Tum cornix plena pluuiã uocat improba uoce, Et sola in sicca secum spatiatur arena, Vergilius. ubi Seruius, Plena uoce, id est rauca (forte potius crassa, cum & Aratus dicat, παχέα κρώζοντε) cõtra naturam suam, pluuiam uocat, id est denunciat. Corui uerò contra, non solitarij, sed plures, nec rauca, sed tenui & purissima uoce contra naturam suam, pluuiæ signum faciunt. Aratus inter serenitatis (δυσίας) signa cornicem ponit, uesperi uoce placida & uaria utentẽ, his uerbis: καὶ ἤτοι ὑμνήσας ποικίλα τε κρώζῃ ἑσπερίη κρώξ πολύφωνα κρώσσων. Vbi Theon in Scholijs, Corui (inquit) & cornices per initia tempestatis (χειμῶνος) gaudent: in progressu uerò crescente frigore non amplius gaudent. incipiente deinde æstate rursus gaudẽt, excessus enim temporum non ferunt. itaq; cornix cum placida (nõ aspera) uariaq; uoce lætitiam suam testatur, signum est serenitatis. Et mox, Apud Archilochum legitur, ὑφ' ἱδρῶτος σαλδομένη κορώνη. id est, pennas concutiens præ gaudio, quod facere solet signum serenitatis exhibens.

¶ In Britannia abundant cornices, ut ob frugum damna nuper publico consilio cornices perdentibus proposita præmia sint, Cardanus.

F.

Cornicis carnes esse in longissimis morbis utilissimum putant, Plinius. Demetrius Constantinop. corui aut cornicis carnem accipitri dari prohibet, quòd ualde noceat. Et rursus, Accipiter (inquit) de coruo edat cor, & cerebrum & iecur, & perparum de pulpa pectoris. sanguine uerò eius omnino abstineat. est enim falsus & pernicios⁹ accipitri, ut omnia falsa. Idem in cornice cauendus est. Vtriusq; etiam ossa & interiora uitabit. urunt enim ac nimiam sitim & noxiam inducunt.

G.

Cornicis carnes esse, & nidum illinire, in longissimis morbis utilissimum putant, Plinius 30. 11. Cornicis cerebrum coctum in cibo sumptum, capitis doloribus (grauibus et inueteratis, Marcellus) remedio est, Plinius: effectu mirabili, Marcellus. In cibo sumptũ palpebras gignere dicitur, Plin. Fimus in uino potus dysenteriã sanat, Kiranid. Vt pili fiant albi: Vermes (uẽtres, forte) coruorum seu cornicum iugulatarum & positarũ sub fimo recenti tribus diebus, ponantur in cacula, & affuso oleo bulliant donec liquefiant. inde pilos quater inunges, Elluchasem.

H.

a. Cornicem à coruo quidam existimant appellatam, Perottus. Cornicula, diminutiuũ apud Horatium. ¶ Κορώνη dicitur quasi κρώνη, à uerbo κρώζω. ἢ παρὰ τὸ κατῆρον ἢ γαῦρον, ὅπερ σημαίνει τὸ καυχᾶσθαι, Etymologus. Κολοιοί, μικραὶ κορωνίαι, Varinus & Hesychius. quasi κορωνία diminutiuum sit à κορώνη, quod non probo. potius enim κορωνὶς dicendum fuerit. & sic legitur apud Io. Tzetzen 8. 205. κολοιὸς, ἢ μικροτέρα κορωνίς. Κορωνιδεύς, pullus cornicis, Hesychius & Varinus. hinc pluralis numerus κορωνιδεῦς, apud Eustathium. Græci in nuptijs ignorantes uerbum ἐκκοκὲ usurpãt, nimirum κοὲ cornicem appellantes, Orus. ¶ Κορώνη non solum pro terrestri cornice accipitur, sed etiam pro marina apud poetas: ut hoc carmine, οἱ δὲ κορώνησιν ἴκελοι κύμασιν ἐφορέοντο. dicit autem Apion eandẽ esse auem, quæ & larus & æthyia, (id est mergus) dicatur, Etymologus & Eustathius. Κορῶναι, ἁλίαι ἄλλυιαι, (malim post ἁλίαι distinguere, non ante,) κολυμβίδες, Hesych. & Varinus. sunt autem colymbides etiam de mergorum genere, colore nigro nimirum, atq; inde cornices dictæ, ut etiam lari forte. Aethyiam eandem esse cum cornice marina, authores sunt Hesych. & Suidas. Coruus aquaticus Aristotelis dictus Vuottono uidetur esse κορώνη θαλασσία Arriani in Ponti Euxini nauigatione, & alia æthyia. Sunt & marinæ cornices, de quibus Homerus, τανύγλωσσοί τε κορῶναι, Theon in Aratum. Plura de cornice marina, uide infra inter Cornices diuersas. ¶ Κόμβα, κορώνη, * πολιῶτιν, Hesychius. lego πολιώτιδες: ut Polyrhenij populi Cretæ, cornicem combam appellent. est enim Polyrhenium Plinio, Πολύρριον Stephano, urbs Cretæ. Combe etiam dicta fuit mater Curetum, Varinus. Κρὰξ, cornix, Hesychius & Varinus. huic proxima est uox Germanica, Krae. Δαυλίαν κορώνην, αὐτὴ τὴν δᾶιναν (legerim ἀκούσαν) ὅτως δὲ ἀκούσαν ἐλέχθη, Hesychius. Δαυλία κορώνη, luscinia, τερπνὴ ἢ δασεῖα, Suidas. Δαῦλος penanflexum, σλασὸς, id est densum significat. σλαυλὸς uerò oxytonum substantiuè, τὸ δάσος. unde & Daulis uel Daulia ciuitas Phocidis dicta uidetur, quod in loco dẽso, id est nemoroso, uel fruticibus & arbustis pleno sita fuerit, ut Eustathius scribit. huiusmodi autem locos luscinijs etiam frequẽtant. Δαυλίαν κορώνην, id est Dauliam cornicem luscinijam uocant poëtæ, (Lycophron fortasse, qui multa huiusmodi inusitata & ferè absurda habet,) siue quòd Tereus in Daulide Phocidis cum ea uixerit: siue quòd illic Philomela mutata sit in auem. Non uideo quid sibi uelit adagium, nisi forte dictum est in garrulos aut canoros. Magis autem suspicor Zenodotum siue Zenobium, siue quisquis alius fuit, hoc prouerbium fuisse commentum, quò locum faceret narrandæ fabulæ: quod idem in nonnullis alijs ab eo factum conijcio, Erasmus Rot. Mihi etiam nullus prouerbij sensus subesse uidetur. Geographus scribit Daulidem oppidulum esse in mediterranea (Phocide) post Delphos, ubi Tereum Thracem regnasse, & ea quæ de Philomela ac Procne feruntur, accidisse fama sit. Δαυλία,

cornix

cornix & luſcinia, Varinus. ſed apparet hîc error ab eo cõmiſſus. non enim Daulia uox aues diuerſas ſignificat, cornicem & luſciniam: ſed Daulia cornix periphraſticè, luſciniam tantum. Iuxta fluuios Tanaim & Volham, naſcitur Rhaponticum, quod Tartari nominant cinireuent nomine Perſico, & cucilabuca, uel ut alij efferũt kilcabuha, quod Latinè ſonat oculus cornicis, naturæ perquam calidæ, Matth. à Michou.

¶ Epitheta. Cornix annoſa, Horatius 3. Carm. Fuſca, Cicero ex Arato. Garrula, Ouidius 2. Metam. quem garrula motis Conſequitur pennis ſcitetur ut omnia cornix. Improba, Vergil. 1. Georg. ab importuna & aſsidua garrulitate. Longæua, Atienus. Rauca, Lucret. lib. 6. ſed forte tempeſtatem tantum præſagiens rauca eſt. uide ſupra in E. Siniſtra, Vergil. 9. Aegl. Vaga, Horat. 3. Carm. Vetula, Idem 4. Carm. Leguntur præterea apud Textorem, Ingrata, Inuiſa Mineruæ, Lõgæua, Sedula, Viuax. ¶ Ἐννεάγηρα, Arato. Λακορώνζα, Heſiodo, Arato & Apollonio. Grammatici interpretantur κορώνη, πράκτρια, μεγάλα κραίζουσα, λοίσθιος, φλύαρος, λάλος, Heſychius & Varinus. Etymologus deriuat à λα particula intendente, & uerbo κρῶ κρύζω, ἡ μεγάλως κραίζουσα· ἀφ' οὗ καὶ ῥῆμα λακορύζω. Πολιὰς κορώνας, Ariſtophanes, id eſt canæ cornices, ab ætate ſcilicet, quæ his auibus imprimis longæua eſt. Ὑετόμαντις, Euphorion.

¶ Cornicari, tanquam prouerbialis uox ab Eraſmo recenſetur. Quin & Græci, inquit, prouerbio κρώζειν dicunt, pro eo quod eſt inhiare prædæ, aut ineptè garrire. Ariſtophanes in Pluto, Εὐ μὲν οἶδ' ὃ κρώζεις, ὡς ἐμοῦ τι κικλῃσκόσου Ζητεῖς μεταλαβεῖν. id eſt, Quid crocites ſcio, nempe ſi quicquam rei Furto inuolârim, ut hinc tibi partem feras. Interpres admonet eſſe prouerbiũ in eos, qui cornicum more fruſtra cornicantur. Perſius Satyra quinta, Neſcio quid tecum graue cornicaris ineptè. Vſus eſt & D. Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum monachum. Galli hoc uerbũ gazouiller interpretantur, à gaza aue, ut conijcio. ſic enim Itali picam uocant. Diaphragma, id eſt ſeptum tranſuerſum, in pecoribus coqui apud nos lingua noſtra cornicem appellant, die Krãien oder lyſten.

¶ Coronen (Κορώνλω) dicimus in arcu, hoc eſt ſummum cornu & inciſionem ubi neruus ſedet. Vnde, inquit Euſtathius, bonum rerum finem, aureàm coronen prouerbium dicit, Cælius. Locus Euſtathij eſt in Commẽtarijs in Iliad. α, his uerbis: Οὕτω καὶ τὸ ἀγαθὸν τέλος τῶν πράξεων χρυσῷ κορώνλω ἢ παροιμία καλεῖ· ὡς ὅτε τις ἔτι χρυσέαν ἄμπυκα κορωνίδα τοῖς πράξεσιν ἢ τοῖς λόγοις, ἤτοι συμπέρασμα καὶ τέλος, &c. coronen uel coronidem auream factis dictisue imponi dicemus, finẽ uel exitum felicem intelligentes, ducta translatione à corone quæ in arcu eſt, aut forte à coronide nauium; aut corone illa quæ ianuam claudit, Hæc ille. Suidas κορώνλω interpretatur πλήρωσιν, hoc eſt perfectionem. Κορώνεια, urbs Bœotiæ, ἀκρώρεια, τέλος, Heſychius. ſed ſignificationes duę poſteriores, magis pertinent ad uocem Κορωνὶς, ut Varinus habet. Κορώνη ſignificat etiam ſpeciem coronæ (στέφανος εἶδος καὶ γήϊνος ἐμπλοκῆς, Euſtathius. κορωνὶς, στεφανὶς, Heſych.) & figuram rotũdatam (σχῆμα στρογγύλης, Heſychius & Varin.) Cælius. eſt autem coronis etiã è capitis ornamentis ut Latini appellant, figura rotunda: ut hęc etiam Latinorum uox Græcæ originis uideri debeat. Priuatim uerò de uiolis contextæ corollæ, κορωνίδες dicuntur, ut Varinus annotat & Cælius obſeruauit. Scoppa quoq; Grammaticus noſtri ſæculi, coronam Latinè dictam interpretatur Italicè, la cornice de la porta, muro. Sic & κορωνὶς infra, quod ſupremum & ultimum ædificio imponitur. Coronæ (inquit Budæus) ſunt prominentiæ & ueluti ſupercilia quædam parietum, arcendis ſtillicidijs inuenta, ſiue ſtructura ſiue inteſtino opere conſtent; quod minutiariam lingua uernacula dicimus. Vitruuius libro ſecundo, Summis parietibus ſtructura teſtacea ſub tegula ſubijciatur, altitudine circiter ſeſquipedali, habeatq; proiecturas coronarum, ita uetari poterunt quæ ſolent in ijs fieri uitia. A corone, id eſt cornice aue, cuius collum flexibile eſt, (δυλύγισον,) res alias diuerſas, inflexas aut flecti faciles eodem nomine appellamus, ut coronen in ianua & in arcu, & in naui coronidem. Eſt autem corone in arcu extremitas, (inciſio in extremitate utraq; quam crenam uocamus, uoce fortaſsis deducta à corone per ſyncopen: Germani ſimiliter Krinnen,) cui neruus immittitur, Euſtathius. habet enim cornix auis collũ flexibile & ferè incuruum, προέχειλον δυλύγισον καὶ οἷον ὠλκαμπῆ, Etymologus. Idem coronen in arcu τὸ τόξου ἐγκοπὴν interpretatur, id eſt inciſionem in ſummo cornu arcus, & ſummitatem arcus inflexam. & hunc Homeri uerſum citat, τῷ δ' ἐὺ λεκάνας χρυσῷ ἐπέθηκε κορώνλω. à quo fortaſsis etiã prouerbium tractum eſt, κορώνλω χρυσῷ ὥπτηθήναι, paulò ante memoratũ. Ἀντὶ δ' ὠκὺ βέλος καλῇ πρόσκλινε κορώνῃ, Odyſſeæ φ. Δὴ τότε τόξον ἑλὼν σχερὸν ἐπέλασσε κορώνῃ Νδυρείῃ, Theocritus Idyllius 32. ¶ Hiſtoboe uel hiſtobœus, lignum eſt in aratro ad iugum uſq; protenſum inter bouem utrunq;, cuius apicem uocant coronen, Cælius. Τὸ τέλος τοῦ ἰσοδόεως τὸ μετὰ τὸν ζυγὸν, κορώνη, Pollux. Κόρωψ, (lego κορώνη,) τὸ ὥπλισμένον μόνον τοῦ ῥυμοῦ, Heſychius. Apollonio lib. 3. annulum iugi ſignificare uidetur, ut quidam in Lexicon retulit. ¶ Κορώνη ſignificat etiam ſummam partem penis, quæ glans Latinis dicitur, Cælius. Et rurſus, Eadem pars (inquit) quinto Therapeutices à Galeno balanus, à nobis etiam glans per ſimilitudinem uocatur. Κορώνη, τὸ ἄκρον τοῦ αἰδοίου. Ἔδοξέ τις τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ ἄχρι τῆς κορώνης πεπριχῶσθαι, Suidas. ¶ A corone, id eſt cornice aue, fortaſsis etiã naues κορωνίδες dicũtur, non ſolum quòd cornicis inſtar nigræ ſint, ſed etiam quòd ἄφλαστα (ligna uel tabulas, de qua uoce plura Varinus) in prora & puppi per curuaturam inflexa habeant. nam & cornicis collum flexibile eſt. Videntur autem naues nigræ κορωνίδες dici, ad differentiam τῶν μιλτοπαρύων, id eſt minio rubentium, quarum in Bœotia Homerus meminit, Euſtathius in Iliad. α. Idem alibi coronen partẽ puppis in naui interpretatur. ¶ A cor-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 354 sur 825

nice aue, cui collum flexibile, in ianuis quoq; κορώνη per translationem dicta est, quæ & à coruo cõrax siue corácion appellatur, qua ianua claudítur, Eustathius. Et rursus, Κορώνη, τὸ κοράκιον: ἢ μᾶλλον ἐφ' οὗ πέλαται ὁ λεῖκος, ᾧ θύει τὴν θύραν ἐπισύσαι: id est, annulus quo ianua attrahí potest. Quod rursus alibí alijs uerbis effert, Κορώνη τὸ λεικίον ᾧ ἐπιπασσῶσι τὴν θύραν. Item, Τὸ κορακιον ἢ ὁ λεῖκος, ᾧ θύει τὴν θύραν ἑλκύσαι. Item, Τὸ ῥῆ θύρας ἐπίασασρον, quod & rhoptron uocatur. Córaca (id est coruum) appellatum Homerus corónen nominat, Pollux. Et alibí, Quem nunc κόρακα uocant in ianua, Homerus κορώνην dixit. Κόρακι κλείεται θύρα, Posidíppus apud eundem. Αὐτὰρ ἂρ ἣγ' ἱμάντα θοῶς ἀπέλυσε κορώνης, Homerus de Penelope aperiente ianuam: ubí Scholiastes κορώνης interpretatur λείκε, κόρακος. Vide expositionem Eustathíj in eum locum. Χρυσῆ δὲ πέλεται κορώνη, Idem de annulo ianuę ut Etymologus citat. Κορώνη, annulus hostíj quo pulsatur, uel ob figuram, uel ob garrulitatem sic dictus, ut quidam in Lexico uulgarí annotauit. Simplicíus Theocritì glossematarius citatur ab illo qui Epigrammata Græca exposuit, & hæc eius uerba referuntur: Εἶτι δὲ κόραξ σιδηρᾶς ἐμπίπλῳ εἰς τὸ μέσον καὶ ναυκρατῶν τὴν θύραν, uidetur autem non aliud sentire, quàm coracem esse annulum aut alterius figurę ferrum, quo feriente ianua media pulsetur. ¶ Κορώνη pars est cubití, ut Philoxenum aiunt scripsisse in libro de dialecto Romanorum, per metaphoram à flexibili cornicis collo, ἐκ τῆς ζώου ῆ κορώνης λυγιζομένου εἰωθυίας τὸν τράχηλον, Eustathius. nimirum quod circa exortum illum siue processum in ulna rotundum, quẽ κορώνιον & κορωνὸν uocarí legimus, brachíj inflexus fiat. Radíj & cubití in brachio excessus ambos quidem coronas à rotunditate nominant: priuatim magnum posteriorem Attici olecranum, Hippocrates anconem, Theophilus. Κορῶναι dicuntur duæ eminentiæ in imo occipitio, uel sub parencephalide, quæ in duas cauitates laterum primi spondyli insident, Pollux.

¶ Coronis uocabulum deriuatum, κορωνὶς, uidetur quædam eadem quæ κορώνη primitiuum significare, ut in præcedentibus annotatum est. Κορωνίδες propriè dicuntur βλαστήματα, id est germina, Cælius & Varinus. nimirum ut & corone pro summa & extrema parte in alijs etiam rebus accipitur. sunt enim germina partes summæ, & quibus stirpes ceu coronantur. Κορωνὶς, quod supremũ & ultimum ędificio imponitur, τὸ ἄκρον ἢ τὸ τελευταῖον ῆ οἰκοδομῆς ἐπίθεμα, propriè uerò cacumen montis, ἡ ἀκρώρεια, Suidas & Varinus. Coronída imposuísse (inquit Cælius) adagium est, significans ultimam rei manum admotam, nec affectum opus, sed prorsus completum finitumq;. siquidem coronis est quandoq; montis uertex, aut structuræ summum: quandoq; uerò quod in fine libri ponitur: unde est adagionis origo. Quod in libro de Alexandri fortuna manifestum Plutarchus facit: Dionysius, inquit, Philoxenum poetam in Latomías coniecit: quod quum illi tragœdiam à se concinnatam recoquendam emendandamq; tradidísset, totam is ἀπ' ἀρχῆς μέχρι ῆ κορωνίδος πεδιέγραψεν, id est ab initio ad coronidem usq; circunscripsit: quod est expũxit deleuitq;. nam πεδιγράφειν est etiam ἀκυροῦν, Hæc ille. Et paulò post, Hinc est illud Plutarchi elegantíssimum, in sermone qui est Anseni administranda respublica: Qui uerò, inquit, ciuilibus actionibus & certamínibus innutritum non permittit ad facẽ & uitæ coronidem progredí, prorsum ingratus est. Vide plura mox in prouerbio Ad coronidem, ex Erasmo Rot. Κορωνὶς summa pars nauis est: & in genere pro summo accipitur: οἷον, ἡ κορωνὶς ῆ σοφίας, id est summa uel perfectio sapientiæ, Etymologus. ¶ Κορωνὶς diminutiuum est à κορώνη, de puppe nauis, Etymologus. Κορωνίδες νῆες apud Homerum leguntur Iliad. β. & λ. Grammatici καμπυλοπρῴμνους interpretantur, id est quarum extremitates & puppes incuruę sunt. Vide etiam supra in Κορώνη. Κορώνη, omne quod incuruatum est, unde & naues coronides, Eustathius. Sunt qui coronída nauis puppím interpretãtur, quòd sit in eius apice curuatum rostrum. Quidam rostratas exponunt. Ouidius lib. 15. naues coronatas dixit. Torta coronatæ soluunt retinacula naues. Etymologus nihil quidem rostro símile in puppí nauis poní scribit, ut quidam ineptè tradũt: sed ita, Τίθεται ἡ κορωνὶς ὡδὶ ῆ πρύμνης τοῦ νεώς, hoc est coronis dictio ponitur pro puppi nauis, eò quòd puppis in summa nauí sit. Ad coronidem usq;, Μέχρι ῆ κορωνίδος, prouerbium (apud Erasmũ Rot.) quum extremum finem rei significamus. A nauibus (inquit) translatum putant literatores, quibus aliquid rostri speciem gerens solet addí. Corone Græcis uocatur quicquid uelut ornamenti gratia rebus perfectis additur. Plutarchus aduersus Stoicos, Ἐκ προοδίου καὶ ἀρχῆς ἄχρι κορωνίδος. id est, Ab ingressu & initio usq; ad coronidem, (ducta metaphora ut apparet à chorí parodo, id est ingressu in fabulis.) Iucũdius erit quoties transfertur ad animum, ueluti si quis studiorum coronidem dicat, aut moneat ut egregiè cœptis auream addat coronidem: aut uitæ laudabiliter actæ auream iubeat imponí coronidem, hoc est mortem piam, Hæc Erasmus. ¶ Coronis in libri calce apponí solita (inquit Cælius) ferè hanc præfert figuram J. (ego non erectam sed iacentem lineam pínxerim cum uncum deorsum uergente ⊃. Nam Aristophanis interpretes scribunt, esse lineam breuem utíq;, sed ab inferiorí parte flexam. Ex ijs uerò amplius Martialis carmẽ illustratur ex libro decimo, Si nimius uideor, seraq; coronide longus Esse líber, legito pauca, libellus ero. Cæterum quod Græci coronída impingere dicunt, Latinè ad umbilicum perducere non minus rectè dicitur. Nam poetæ elegantíssimi quum exactum opus significant, ad umbilícos se uenisse scribunt. Promissum carmen iambos Ad umbilícum adducerem, Horatius in Epodo. Quem locum dum exponit Porphyrio, ita scribit: Ad umbilicum adducere, pro finire & consummare opus posuit Horatius. quia in libri fine ex ligno aut osse umbilící solent apponí. Plura de umbilico libris addí solito eundem in locum lib. 15. cap. 20. Cælius congessit, quæ nos præterimus. Κορωνὶς, τὸ περισημειοῦν, τὸ ὡρισθέμενον ἐν τῷ τέλει τῶν βιβλίων, Etymologus. Coronis nota est corniculatæ lunæ figurã exprimens, in fine librorum

pingi

pingi ſolita, ut Ariſtophanis Scholia exponunt. Sic quidam in Lexico uulgari neſcio quàm rectè, Coronis hac nota ⸗3. (eſt autem quaſi zeta paruum, cuius apex ſupremus in rectam lineam extenditur longiuſculè ſiniſtrorſum) in fine uniuſcuiuſq; epodi ponitur apud Pindarum, ut in fine totius carminis Aſteriſcus, Hephæſtion. Eſt autem idem ſignũ quod in uetere comœdia, ut paſsim apud Ariſtophanem habetur: de quo Ariſtophanis Scholiaſtes in Pluto, Cum carmina generis diuerſi non ſunt, ſed ijſdem uerſibus quibus ab initio actores utuntur, coronis uocatur, quoniam ijs finitis coronidis ſignum adijci ſoleat. id uerò eſt linea breuis deorſum inflexa. Alia igitur eſt coronis quæ in fine librorum quorumuis addebatur, & alia nimirum figura: alia quæ pingebatur in fine carminum quorundam in fabulis poetarum. Quando autem hæ coronides appingi ſolerent, pluribus ex
10 Hephæſtione docet Cælius 15.19.20. & Varinum in Κο.

¶ Κόρων Θ proparoxytonum, montis nomen. oxytonum uerò κορωνὸς angulum ſignificat, Cyrillus. Οἱ γὰρ μὲν ἥμων Ἀιχμὴς ὀξείαις κορωνόωντα πέτηλα Βεβλόμενα σταχύων, Heſiodus in Aſpide. Id eſt, Metebant illi falcibus acutis culmos ſupremos uel coronatos, ſpicis grauidos. Sed alia lectio habet κορωνίοντα, id eſt capitatos, ſpica enim in culmo inſtar corynæ uel clauæ eſt. κορώνωσις apud Varinũ germinatio eſt, & κορωνῶδες ramoſum. Paraphraſis Ioannis Pediaſimi ſic habet. οἱ μὲν ἐκείνων ὑπὸ δριμύτητος ὀξείας ἐβρίζον τὰ πέτηλα, ἤγουν τὰς καλάμας τὰς ἀκροκομιζομένας (uerbum obſcurum uel corruptum) ἀπὸ τοῦ ἄσταχυς. Et paulò pòſt, Scribitur etiam κορωνίοντα, id eſt nigròs. nam ſpicarũ aliæ ſunt albæ, aliæ ruſſæ, aliæ nigræ, quæ & maximè probãtur. Κορωνίοντα uerò interpretatur ῥαβδώδη, καὶ δι' ὀλιγοκαρπίαν ὀλίγα. ¶ Κορωνὸς oxytonum, ſuperbus, elatus, ὁ γαῦρος καὶ ὑψαύχην. Κορωνᾶν, γαυροῦν. καὶ ἐπορώνια, ἐγαυρίασε, He-
20 ſychius & Varinus. Κόρων Θ, proparoxytonum, improbus, & taurus ὀρθόκερως, id eſt cornibus excelſis uel erectis, Iidem. Et rurſus Κορώνι Θ, bos cornua lunata habens. ¶ Ceruus πτερακόρων Θ Heſiodo & Oppiano cognominatur, quòd cornicis uitam quater ſuperet. ¶ Ariſtodemum tyrannum apud Cumas μελανθὴν cognominatum aliqui tradunt à barbaris hoſtibus, quo uerbo intelligatur ὠπίπους, id eſt puber. quoniam id ætatis cum coætaneis etiamnum comantibus, quos inde coroniſtas uocant, in bello aduerſum barbaros manu promptus apparuerit, &c. Cælius ex Dionyſij Romanis antiquitatibus. ¶ Apud Rhodios feſtum ſiue ludus celebrabatur, in quo cornici aggregatio quędam hordei & id genus rerum aliarum fiebat: unde id, Καὶ τῇ κορώνῃ παρθήν Θ φορεῖ σῦκα. id eſt, Cornici uirgo fert ficos. Qui uerò eiuſmodi præeſſent curæ, dici coroniſtas inuenio: ſicuti in libro de nominibus Alexandrinus commeminit Pamphilus. Quæ ab eiſdem præcinerentur, id eſt τὰ ἀσ-
30 μένα, uel ut in alijs reperio τὰ ἀσώμενα, id eſt quæ dabantur, (melius ἀσώμενα, ut Athenæus & Euſtathius habent, quàm ἀσώμενα ut Varinus & Heſychius) coroniſmata uocabant, Cælius ex Athenæo. Τὸ μοχλίον Τὸ Φλ κορώνης αὔλειον ὄνομα, Antiphanes apud Athenæum; ubi Plutarchus Rhodiacam quandam hiſtoriam eſſe ait, cuius iam olim ſibi lectæ non amplius meminerit: ſcire uerò ſe Phœnicem Colophonium mentionem facere ἀνθρώπου τινὸς ὡς ἀγειρόντων τῇ κορώνῃ, καὶ λεγόντων τοῦτα: Ἐδλοὶ κορώνη χεῖρα (manum plenam) προσάδετε κεμβῶν, Τῇ παιδὶ τοῦ Ἀπόλλων Θ, ἣ λέχ Θ πυρῶν, & reliqua. neque enim uerſus omnes recitare libet, quòd plures ſint, & ut uidetur corrupti. Eodẽ modo apud Rhodios uerno tempore pro hirundine colligebant, χελιδονίζειν id uocantes, ut ſuo loco narrabimus.

¶ Κορώνεως, ficus arbor fructus nigros proferens. Τὴν κορωνεὼν γὲ μελάγκοψαν, Ariſtoph. in Pace. ubi Scholiaſtes docet κορώνιον etiam dici, quòd fructus eius colore coruum referat. quod Suidas
40 etiam & Varinus repetunt. Apud Varinum ſcribitur, Κορώνιον σῦκον, ὃ καὶ κοράκιον. Iſchades (ficus) quædam uocabantur βασιλέως, aliæ Κορωνέως, Pollux. ¶ Monchar algorab, id eſt roſtrum cornicis, Andreas Bellunenſis. Coronion, ſeſamoides paruum, inter nomenclaturas Dioſcoridi adiectas. Dioſcorides quidem folia coronopodis ei tribuit. Eſt autem κορωνόπους herba à Dioſcoride & medicis memorata, à foliorum ſimilitudine ad cornicis pedem dicta, quam & κορακόποδα uocant, id eſt coruinum pedem. Κορωνοπόδιον herba à Tarentino ad inſectationem piſcium additur. Fuchſius Germanicè krãenfüß interpretatur, Tragus rappenfüß. Coronopus herba inter aculeatas à Theophraſto ponitur, ſponteq; naſcentes. interim & ſeritur medicinæ ad uſum. Silago aut ſtilago dicitur à noſtris, à Græcis etiam coronopodion, ut Galeno. Sunt Arabes qui hanc coruinum (pedem) uocent. nec prohibeo, dum res cõſtet, quibus cuiq; libet uocibus utatur. Illud monendi ſunt, herbam,
50 quæ modo pes coruinus ab officinis & herbicidis appellatur, non tam coronopoda uideri, quàm ranunculi genus, quod polyanthemon cognominatur. quandoquidem aculeata & oblonga eſſe coronopus herba traditur, & aluinis prodeſſe: coruinus autem pes, alijs eius & ranunculi ſimilitudine conſpicitur, plurimis foliorum diuiſuris, cuius uel tactu ſolo puſtulæ ambuſti modo corporibus attolluntur, flore aureo copioſoq; quibus notis ranunculum polyanthemon uocatum cõijciunt, Hermolaus. Plura de coronopode ſcripſimus in Boue H. c. Fico folia ſunt laciniosa & cruciformia, hoc eſt, ut Theophraſtus inquit, σκολοπενδρῶδη. niſi quis κορωνοπεδίλῃ magis legendum putet. nam Hippocrates uerè inquit, folia ſunt fico pedibus cornicis ſimilia, Hermolaus. In Germania inferiore alicubi genus allij ſylueſtris, foliis latiuſculis geminis circa ſyluas & ſæpes proueniens, neſcio quam ob cauſam cornicum porrum uocitant, krãclauch.

60 ¶ Icones. Corone ciuitas in Peloponneſo (uide mox inter propria nomina) quibuſdam dicta creditur, quòd mœnium fundamenta defodientibus ænea ſit inuenta cornix. cuius forte argumento rei in Acropoli æneum ſtabat Pallados ſimulacrum ſub dio, cornicem manu tenens, Cælius,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 356 sur 825

Heron in Pneumaticis inter automata opera cornicem confingit, quæ se ad auiculas itidem fictas conuertat αὐτομάτως, Politianus in Miscellaneis cap. 97. ¶ Aegyptij in Hieroglyphicis Martem & Venerem scribentes, duas pingunt cornices, ut marem ac fœminam: & similiter cum nuptias innuunt: item ad designandum uirum qui cum uxore cõsuetudinem Veneream habeat, Orus. Eum qui iustam hominis ac legitimam uixerit ætatem uolẽtes monstrare, cornicem mortuam pingunt, propter longæuam eius ætatem, Idem. Eum qui in cõtinuo motu & animi intentione usque adeò uersetur, ut ne uescens quidem quiescat, significantes Aegyptij, cornicis pullos pingunt, hæc enim etiam uolans pullos pascit, Idem. Cornice, non ciconia, ut quidam putant, prisci concordiæ effigiem repræsentabant: quod uel Aeliano authore cõstat, qui cornices inter se fidissimas esse, & cum societatem coierint maximo se opere diligere testatur, Politianus. Vide in Ciconia a. Sed & in nomismatis aureis duobus Faustinæ Augustæ, manifestam prorsus imagunculam nuper mihi Laurentius Medices ostendit, cum titulo ipso Concordiæ, Idem. De Concordia dea Iuuenalis ita meminit: Quęq; salutato crepitat Concordia nido. Quo in loco (inquit Lilius Greg. Gyraldus) diuersa sentiunt. Et Probus quidem uetus interpres: In tutela, inquit, Concordiæ ciconia est. Templũ Concordiæ uetus fuit, in quo ciconia multa, &c. Merula de ciconia & ipse multa affert, ut hoc astrueret, & eum secutus Britannicus, item Valla Georg. Politianus uerò in Miscellaneis cornicem, non ciconiam intelligit: idq; tum Aeliano auctore de animalibus, tum quibusdam antiquis nomismatibus affirmat, quorum etiam ego nonnulla conspexi, Hæc ille. Mineruæ simulachrum quoddam legimus quod cornicem præferebat, Lil. Gr. Gyraldus.

¶ Propria. Corone dicta, Κορώνη, quædã mulier Delijs ostendit locũ in quo natus esset Apollo, ut refert Plutarchus in libro de oraculorum defectu. Meretrix quædam Callisto nomine, cui mater Κορώνη fuerit, memoratur apud Athenæum lib. 13. Et rursus in eodem, Ἦν δὲ Κορώνη ἡ Ναννίδυγάτηρ τὸ γένος ἀναφέρουσα εἰς τροιπορνείας ὄνομα, hoc est, Corone scortum fuit Nannij scorti filia, neptis Coronæ similiter scorti. Coronus, Κορωνός, filius Therſandri, uide mox in Coronea ciuitate. Orthopolidis filia fuit Chrysorthe, hanc, ut putant, Apollo compressit, & ex ea natus puer Coronus est appellatus. Coroni filius Corax fuit, Pausanias in Corinthiacis. Fuit & Coronus quidam Lapithæ filius, cuius meminit Stephanus in Philaida. ¶ Coronen, id est cornicem, filiã Apollinis, legimus in Coronismatis dictis carminibus apud Athenæum. sed qui hæc cantillabant auem ipsam cornicem, per iocum forte, Apollinis filiam fecisse uidentur. ¶ Coronis, Κορωνίς, una Hyadũ apud Hesiodum. Obseruatum in Pausaniæ monumentis (in Corinthiacis) deam in Sicyonia Coronidem coli, cuius tamen simulacrum peculiare templum habeat nullum: sed cum sacrificij appetit tempus, id in Palladis transferunt sacraria, honoreq; prosequũtur, Cælius. Coronis, alio nomine Arsinoe, nympha fuit, Phlegyæ, uel (ut alij tradunt) Leucippi filia: quæ ex Apolline Aesculapium peperit. Postea coruus auis sacra Apollini quum eam deprehendisset cum iuuene quodam Aemonio (Elati filio, cui Ischys nomen erat,) rem habentem, ad Apollinem detulit. Quare Apollo iratus eam (maturo iam partu, Seruius in septimum Aeneid.) sagittis interemit: factiq; tandem pœnitens, quum illam ab inferis nequiret reuocare, secto eius utero conceptum ex se eduxit infantem, eumq; Aesculapium appellauit, & Chironi centauro tradidit educandum, ut Grammatici annotarunt. Coronides (inquit Gyraldus) cognominatus est Aesculapius à matre, qua de re lege fabulã apud Ouidium libro 2. Metamorph. quæ ita incipit: Pulchrior in tota, quàm Larissæa Coronis, Non fuit Aemonia, placuit tibi Delphice certè, &c. quo loco Coronis Larissęa ab omnibus legitur, ab urbe Larissa. Ego uerò ex tertio hymno Pyth. Pindari, Lacerea legendum puto, ab urbe, cuius post Pindarum Hellanicus etiam & Stephanus meminêre: Hæc ille, pluribus etiam subiunctis de eadem hac Coronide ex Pindaro & eius Scholiaste, quæ breuitatis studio relinquimus. Homerus, inquit, & Hesiodus Χορωνίν uocant, ego nunquam à bonis authoribus per χ. scribi opinor.

¶ Corone, Κορώνη, urbs Messeniæ, quæ à Strabone etiam Coronea, κορώνεια dici uidetur. scribit enim Coroneam ciuitatem esse prope Heliconem in alto conditam, quam Cuarius fluuius alluat, ubi Pambœotia celebrata fuerit: cuius ciues Coronij (Κορώνειοι, Varinus per ει. scribit penultimam) dicantur, ut alterius Messeniacæ Coronenses, Κορωνεῖς, Eustathius in Iliad. β. Addit Bœoticam Coroneam à Corono Therſandri filio (Sisyphi nepote, Pausanias in Bœoticis) nominatam. Et alibi Coronen Messeniæ olim Pedasum dictam docet. Vide plura in Stephani Ethnicis & Onomastico nostro, de his & alijs etiam eiusdem nominis urbibus. In Peloponneso ad Pamisi fluuij dextram (ad mare, sub monte Temathia, Pausanias) Corone ciuitas fuit, à Bœotiæ Coronia (ex qua conditor eius oriundus fuit) sic appellatione ducta: uel quòd mœnium fundamẽta defodientibus ænea sit inuenta cornix, cuius forte argumento rei in Acropoli (arce) æneum stabat Pallados simulacrum sub dio, cornicem manu tenens, Cælius ex Messenicis Pausaniæ. ¶ Coronus, Κόρωνος proparoxytonum, Cyrillo montis nomen est.

¶ b. Ἰατρικὴν δὲ, λειμῶνες θρῴου ἀρχαίων πλήθει πεσόντων, καὶ θείοις ἐκρινοῖς, ὅταν κορώνης πτερὸν ἐκύλισεν ἔνεκτου, Plutarchus in libro de oraculorum defectu. Θεῖα quidem folia fici dicuntur, quæ figura ac diuisione cornicis pedem referunt, ut diximus supra in coronopodis herbæ mẽtione. Hesiodus libro secundo Operum nauigationem uernam cum folia summæ ficus tantum apparent, turgentia scilicet primo uere, quantum cornicis uestigium terræ imprimitur, ὅσσον τ' ὦιξάσκε κορώνη ἴχνι' ἐποιήσῃ.

Videtur

Videtur autem hæc comparatio foliȝ ficulni turgentis ad cornicis ueſtigium, quod ad magnitudinem, eò elegantior, quoniam figura etiam comparantur, ut ibidem in Scholijs Proclus teſtatur.

¶ c. Corniculæ in medio cœli, Baruch. 6. Ab arcturi ſydere ad hirundinum aduentum notatur eam in Mineruæ lucis templisq; rarò, alicubi omnino non aſpici, ſicut Athenis, Plinius. Κρώζειν uerbum, & nomen κρωγμὸς (à Moſchopulo) de cornicis uoce uſurpantur. Κρώζειν Aratus etiam de pullis gallinaceis dixit. Tum ueſpertinum cornix longæua reſultat, Auienus. Homerum infantem Aegyptijs parentibus ortum, fabulantur cum mel aliquando ex Aegyptiæ nutricis uberibus in os eius manaſſet, ea nocte nouē uoces diuerſas ædidiſſe, hirundinis, pauonis, columbæ, cornicis, perdicis, porphyrionis, ſturni, luſciniæ & merulæ, ut recitaui in Colūba Liuia ex Euſtathio.

¶ Φυλόμαχον τὸν πάντα φαγεῖν βόρον, οἷα κορώνη Παννυχικὼ αὐτὴ ῥωγὰς ἔχει κάπετον, Poſidippus in Phylomachum gulonem. Κίκιμον, ἢ κορώνης τὸ κόπριον, id eſt excrementum cornicis, Heſych. & Varin.

¶ e. Ad nuncupatum lacum Mœrida (Myridis, Cælius qui & Græca Aeliani uerba recitat 25. 28.) in Aegypto, ubi Crocodilon oppidum eſt, Cornicis ſepulchrū oſtenditur: cuius cauſam Aegyptij eam afferunt, quòd cum eorum rex, cui Marrhes nomē eſſet, cornicem ualde cicurem haberet, quæ poſtquam audiſſet quò uolatus dirigendus, & quænam regio tranſeunda, & ubi terrarum requieſcendum eſſet, eò regis literas ocyus quàm quiuis nuncius perferret, eam mortuā & ſepulchri honore affecit, & cippo ornauit, Aelianus.

¶ Cornicem occiſam tandiu relinques donec puteat. cadauer iam fœtidum expones in locum ubi mures aranei ſunt, conuenient illi ad hanc eſcam conſumendam qui in domo fuerint omnes: & ita congregati uel ſcopis uel aliter occidi capiue poterunt, ut nuper ex homine quodam polyiſtore cognouimus. ¶ Ad amorem coniugalē, Si uir geſtauerit cornicis maſculæ cor, mulier fœminæ, mutuo inter ſe amore pariter per omnem uitam concordes degent, Kiranides. Cornicis interiora aſſa ſi mulieri ignoranti dederis, ualde te diliget, Idem.

¶ g. Si cui pedes dolent, cornicem capias illæſam, & poſteriorem digitum dextri pedis cornicis abſcinde à pede iuxta crus per puerum incorruptum: & ligans filum ſuſpende uel circumnecte. cornicem uerò terebinthino unguēto uel oleo totam unge, & dimitte eam uiuam uolare. Digitum uerò eius (illigatum pelli ceruinæ) circūliga patienti pedi, &c. Kiranides: qui etiam uerba quædam concepta ſimul effari iubet.

¶ h. Coronidis in cornicem mutatæ fabulam proſequitur Ouidius Metam. 2. Leucippe, Arſtippe & Alcithoe ſorores, dictæ Minyades, mutatæ ſunt, una in cornicē, altera in ueſpertilionem, tertia in noctuam, Aelianus Variorum lib. 3. Socrates Platonis inuidiam & improbitatem notans narrauit amicis in ſomnis ſibi uiſum Platonem in cornicem mutatum, caput ſuum inuadere & lancinare caluitium, Athenæus lib. 12.

¶ Cornix auis eſt augurijs & incantationibus apta, Albertus. Cornicem aiunt augures hominum curas ſignificationibus agere, inſidiarum uias monſtrare, futura prædicere. Magnū nefas hoc credere, Deum conſilia ſua cornicibus mandare, Iſidorus. Obſeruatū eſt, ut minora auſpicia ſemper maioribus cedant, licet priora ſint: ſiquidem cornicis aut columbarum auſpicia, aquila ſuperueniente irrita fiunt, Alexander ab Alex. Auium uoces uſque adeò uariæ ſunt pro diuerſis earum affectibus, ut earum uarietatis differentias omnes obſeruare difficillimū foret. itaq; cornicis & corui uarietatem augures aliquatenus obſeruarunt, cæteris tanquam ſupra hominis captum differentijs relictis, Porphyrius lib. 3. de abſtinentia ab animatis. Oſcinum tripudium (augurium) eſt quod oris cantu ſignificat quid portēdi cum cecinit coruus, cornix, &c. Feſtus. Et rurſus, Oſcines aues Appius Claudius eſſe ait, quę ore canentes faciant auſpicium, ut coruus, cornix, &c. Quid augur? cur à dextra coruus, à ſiniſtra cornix faciat ratum? Cicero 1. de diuinatione. Φθονεραὶ γὰρ ὦτα κρώζουσι τῶν ῥηθέντων, Ariſtoph. in Equitibus. Coruus uel cornix crocitans, uel quæuis auis augurifica, quid ſignificet per duodecim ſigna Luna in eis exiſtente, docet Auguſtinus Niphus libro primo de augurijs; tabula ſexta. Vlpij Traiani imperium aduenientis pleraq; mirifica denunciauerunt. in queis præcipuum, cornix è faſtigio Capitolij Atticis ſermonibus effata, Καλῶς ἔστι, S. Aurelius Victor. Aues nigræ inauſpicatæ habebantur, ut cornix, coruus, bubo, Scoppa. Cornix ales eſt inauſpicatæ garrulitatis, à quibuſdam tamen laudata, Plinius. Inauſpicatiſsima eſt fœtus tempore, qui accidit poſt ſolſtitium, Idem. Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix, Vergilius Aegl. 9. Vbi Seruius, Augures, inquit, deſignant ſpatia lituo, & eis dant nomina, ut prima pars dicatur antica, poſterior poſtica: item dextra & ſiniſtra. Modo ergo cornicem ab amica ad ſiniſtram partem uolaſſe dicit, & in caua ilice conſediſſe, quæ res agrorum damnum ſignificabat per milites clamore gaudentes & litibus, ſicut cornix etiam. Nam hæc auis & clamore lætatur & alias frequēter inuadit, Sic ille. A dextra coruus, & à ſiniſtra cornix uel picus, ſpem non ambiguam & ratum auſpicium fecēre, Alexander ab Alexand. ex hoc Plauti nimirum in Aſinaria, Picus & cornix eſt ab læua, coruus porrò ab dextera. Teq; nec lęuus uetet ire picus, Nec uaga cornix, Hor. Car. 3. 27. Cornicis per Iunonem immiſſæ augurium, cum Iaſon & Medea amantes cōuenturi eſſent, Apollonius deſcribit lib. 3. Argonaut. De augurio ex cornice ſolitaria apparente, uide ſupra in D. ¶ Cornix non placuit Mineruæ: an quia garritu pluuioſæ nuncia lucis Dicar, & infelix omen habere putor? Siue quòd excerpam baccas pallentis oliuæ, Io. Vrſinus. Cornix inuiſa Mineruæ dicitur, quòd prodidiſſet ei

tres filias Cecropis quæ Erichthonium in ciſta incluſum eis ſeruandum dederat, & ne inſpicerent prohibuerat, ut proſequitur Ouidius lib. 2. Metam. In arce Coronæ urbis Meſſenię Palladis ſimulacrum erat ſub dio cornicem manu geſtans, Pauſanias. Corniſcarum diuarum locus trans Tyberim erat cornicibus dicatus, quod in Iunonis tutela eſſe putabantur, Perottus. Rex Calechut cum cibum ſumere deſierit, mox ſacerdotes quicquid dapum ſuperfluit, in locum quendam transferũt, inq; nuda humo collocant: quo facto rurſus & iterum manibus complosis excitant corniculas aues nigricantes, quæ ad hoc unũ aluntur, hę enim ſigno huiuſmodi aſſueuêre. propterea ueluti teſſera data ilico aduolant, regiasq; reliquias depaſcuntur. Has uolucres nefas eſt lædere, ob eam rem tutò uolitant quocunq; libuerit, Ludouicus Romanus 5. 3.

¶ Ne ſi forte ſuas repetitum uenerit olim Grex auiũ plumas, moueat cornicula riſum, Furtiuis nudata coloribus, Horatius in epiſtolis 1. 3. ex apologo Aeſopi. Vide in Graculo h. in prouerbio Aeſopicus graculus.

¶ PROVERBIA. Cornicari, uide ſupra in a. ¶ Acanthida uincit cornix, prouerbium uſurpatum Calphurnio in Bucolicis Aegl. 6. Nyctilon ut cantu rudis exuperauerit Alcon Aſyle, credibile eſt ut uincat acanthida cornix, Vocalem ſuperet ſi dirus aëdona bubo. ¶ Prouerbium, Tam rarum ac alba cornix, dictum eſt ſupra in B. ¶ Aquilam cornix prouocat, Vide in Aquila h. ¶ Domum cum facis ne relinquas impolitam, Ne forte inſideat cornicans garrula cornix, Heſiodus in Operibus. Græci uerſus hi ſunt, Μηδὲ δόμον πτιῶν ἀνεπίξεσον καταλείπῃς, Μὴ τοὶ ἐφιζάνων κρώζῃ λακοφώνα κορώνη. Proclus interpres (inquit Eraſmus) admonet locum hunc bifariam accipi, quibuſdam uideri monere poetam uti quiſq; domicilium ante hyemem abſoluẽdum curet, ne tum non habeat quo depellat frigoris moleſtiam, hyemem enim cornicis indicatam ſymbolo, uidelicet auis hybernæ. Alij putant ſignificatum ædificium ſemel inſtitutum non oportere imperfectum relinquere, ne uulgo riſui ſis: & qui pręterierint obloquantur carpantq; leuitatem tuam, qui quòd cœperis non abſoluas. Eam autem obtrectantium petulantiam per cornicem uoluit indicare poeta, nempe auem garrulam & obſtreperam, ut hinc etiam uerbum prouerbiale ductũ ſit κρώζῃ. At ipſi Proculo magis probatur, ut καθολικῶς accipiamus, unicuiq; negotio, quod ſemel inſtituerimus, finem idoneum imponendum, ut nihil omnino deſideretur, & ubiq; connitendum ad perfectionem. Id quò longius auocabitur à ſimplici ſermone, hoc uenuſtius fiet, & magis prouerbiale. Velutiſi quis adhortetur aliquem, ne literarum ſtudiũ deſerat, ſed laudabiliter inſtitutis ſummam imponat manum, ne uulgo ludibrio ſit quòd à bene cœptis deſtiterit, Hęc omnia Eraſmus. Nos hoc inſuper obſeruauimus pro ἀνεπίξεσον aliàs legi ἀνεπίῤῥεκτον, quod Scholia exponũt ἀθυμίας καὶ ἀτελείωτον. ¶ Aliud noctua, aliud cornix ſonat, Vide ſupra in Cornice D. ¶ Cornicum oculos configere, prouerbium de quo non ſatis liquet unde ſit natum, ex apologo quopiam, an ex euentu, an ex metaphora ſumptum. Videtur autem perinde ualere quaſi dicas, nouo quodam inuento ueterum eruditionem obſcurare, efficereq; ut ſuperiores nihil ſciſſe, nihil uidiſſe uideantur. Effertur autem per ironiam. Fieri quidem poteſt ut cornicum uiuacitas & concordia huic adagioni locum fecerit: ut is uideatur cornicum oculos uelle configere, quiſquis ea quæ antiquitas magno conſenſu approbauit, damnare ac reſcindere conetur. Nec admodum abſurdum, ſi quis in hunc modum accipiat, ut dicatur oculos cornicum cõfigere, qui perſpicaciſſimis oculatiſſimisq; uiſum adimat offundatq; tenebras: aut qui rem ipſiſſimam acu, quod aiunt, tangat, tantus uidelicet artifex, ut nõ ſolum ſcopum aut auem, uerum & ipſos oculos iaculo feriat, Sic Eraſmus. apud quem pluribus leges quomodo Tullius & d. Hieronymus hoc prouerbio uſi ſint. Nec admodum diuerſe, inquit, uſurpauit Macrobius libro Saturnalium ſeptimo, his uerbis: Et quia his loquendi labyrinthis nos impares fatemur, age Veſti, hortemur Euſtathium, ut recepta contraria diſpoſitione, quicquid pro uario cibo dici poteſt, uelit communicare nobiſcum: ut ſuis telis lingua uiolenta ſuccumbat, & Græcus Græco eripiat hunc plauſum, tanquam cornix cornici oculos effodiat. Prouerbium in M. Tullij oratione poſitum, Cornicum oculos configere, non tam enarrat Valla, quàm implicat, Cælius Rhodig. 25. 28. ubi ne ipſe quidem huius prouerbij uim explicat, quamuis id ſe feciſſe inſinuet. ¶ Cornix ſcorpium, ſubaudi rapuit: Quadrat in hos qui parant eos lædere, unde tantundem mali ſint uiciſſim accepturi. Quemadmodum cornix correpto ſcorpio, arcuata illius cauda uulnus accepit letale, perijtq;. de qua re extat Græcum epigramma Archiæ, quod Eraſmus recitat, & carmine etiam Latino reddit. Atq; id (inquit idem Eraſmus) in rebus humanis frequenter uſu uenire ſolet, ut qui cepiſſe uideatur, ipſe captus ſit. Queamdmodum & Horatius, Græcia capta ferũ uictorem cepit. Cornix ſcorpium, parœmia in eos qui tum grauia, tum nocumenti inferentia plurimum toto petunt conatu, Cęlius ex Suida & Heſychio. Vide Emblema Alciati in fine hiſtorię Corui. Huic affine eſt illud, Coruus ſerpentem. ¶ Cornicibus uiuacior, prouerbium explicatum ſupra in C.

¶ Habent & Germani ſua à cornice prouerbia, qualia ſunt: **Die krãe gehet jres hupfens nit ab.** id eſt, Cornix ſuam claudicationem non deſerit: de ijs qui nunquam mutaturi ſunt ingenium, quicquid enim natiuum, id haud facile mutatur. Eiuſdem ſententiæ eſt illud, Aethiops non dealbeſcit. **Ein krãe beiſſet der anderen kein aug auß.** id eſt, Cornix una alterius oculos morſu non excæcat. quo ſenſu illud effertur, Beſtia nouit beſtiam.

¶ Emblema Alciati, quod inſcribitur in ſimulacrum Spei.

Quæ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 359 sur 825

Quæ tibi adest uolucris? cornix fidissimus oscen, Est bene cum nequeat dicere: dicit, Erit, &c.

¶ Aliud eiusdem sub titulo, Prudens magis quàm loquax.

Noctua Cecropijs insignia præstat Athenis, Inter aues sani noctua consilij.
Armiferæ merito obsequijs sacrata Mineruæ est, Garrula quo cornix cesserat ante loco.

¶ Aliud Concordia inscriptum, uel Concordiæ symbolum.

Cornicum mira inter se concordia uitæ est, Inq; uicem nunquã contaminata fides.
Hinc uolucres hæc sceptra gerunt, quòd scilicet omnes Cõsensu populi stantq; cadũtq; duces:
Quem si de medio tollas, discordia præceps Aduolat, & secum regia fata trahit.

¶ Eiusdem Emblema quod inscribitur, Iusta ultio, de coruo scorpium rapiẽte, referam in Coruo h. quanquam prouerbium cornici eam historiam tribuat, ut supra dictum est.

DE CORNICIBVS DIVERSIS: ET PRIMVM de Cornice frugiuora.

COCIX Latinè uocatur auis, cornice maior, rostro magno & albo iuxta caput ubi sunt nares, ea carnes non gustat, & à quibusdam graculus uocatur, Germanicè **touch**, (lego **rũch**,) Albertus. Sed quòd Latinè cocix uocetur, sine authore scribit. omnino enim inusitata est hæc uox Latinis scriptoribus. coccyx quidem Græcis cuculum sonat. Vide in Cornice A. Graculum etiam nõ esse, ex graculorum historia facile conuincetur. Cornix quædam graniuora est, rostro albo, cætera nigra, hanc σπερμολόγην, id est frugilegam Aristotelis, Longolius esse coniecit, Turnerus. Spermologus, uulgò **ein roeck**, Longolius. Apud Anglos etiam, ut audio, rook uocatur hæc auis, rostro nõ planè nigro, sed posterius albicante, eodemq; scabriore, unde nomen fortassis à Germanis impositum ab asperitate: in agris degens, non ut cornices propriè dictæ, quæ & carniuoræ sunt, circa domos & sterquilinia; in arboribus nidificans. Σπερμολόγος, κολοιῶδες ζῷον, Hesychius.

¶ CORNIX fera & syluestris, uulgò Germanis **Holkrãe**, maior reliquis. color ei partim cinereus ad albedinem uergens: partim fuscus, ut in capite & collo, alæ uarijs mixtim coloribus tinctæ, degit in syluis, Eberus & Peucerus.

DE CORNICE VARIA.

CORNIX uaria, quæ partim cinerea est, partim (nigra,) à Germania inferiore recedit æstate, & reuertens autumno manet per hyemem, sed à superiore Germania uersus meridiẽ nunquam recedit. Causa est, quia in inferiori parte Germaniæ sunt loca aquosa ex quorũ uaporibus aër hyeme temperatur. in superiori uerò est aer purissimus, & loca perquam alta, ad quæ æstate accedunt, Albertus. Cornix cinerea, κορώνη, Germanis **Schiltkrae**, **Nabelkrae**, Eberus & Peucerus. Est & marina quædam cornix, quam aliqui hybernam cornicem uocant, capite, cauda & alis nigris, cætera cinerea. an hanc aliquando uiderint Aristoteles & Plinius, dubito. nam de ea nusquam mentionem fecerunt, Turnerus. Cornices istæ in Heluetia nunquam nidificant, ut audio. migrant enim aliò. Ab Italis, ni fallor, mulacchiæ uel munacchiæ dicuntur. aues enim è cornicum genere sic uocari Alunnus author est. In huius nido reperiri fabulantur herbam uel radicem, quæ gestantem inuisibilem reddat: quod alij de corui nido nugantur: Vide in Coruo H. d. Audio hanc cornicem in Germania inferiori **Bundtkrãe** uel **Pundterkrãe** uocari, & in cibũ admitti: aduenire hyeme, ideoq; pueros eis imprecari, **Pundterkrãe gott gãbe dir den range, Du bringst den kalten winter ins lande.** Gallicè cornicem syluestrem dici, corneille sauage. **Eine Bundtkrãe macket gheinen winter.** id est, Cornix una hyemem nõ facit, prouerbium apud Vuestphalos celebratum: cui illud Græcorum respondet, Vna hirundo non facit uer. Est autem cornix (uaria) hyemis nuncia, & æstate ingruente auolat, Tappius.

¶ Cornix uaria (captam Decembri mense apud nos nuper obseruaui) dorso, uentre & collo cinereis est, (sed dorsum in medio etiam nigricantibus maculis distinguitur: à quibus fortè punctis & reliqua etiam colorũ uarietate, **Pundterkrãe** Germanis inferioribus appellatur,) cæteris partibus nigris, alis scilicet, cauda, capite, cruribus & colli parte inferiore. Sed hæ pleræq; ita nigræ sunt, ut ad cœruleum siue Indicum colorem uergant. Mentum (hoc est, pars infra oculos & rostrũ) præ cæteris atrum est. Plumæ quædam sui generis, setiformes ferè, bonã rostri superioris partem ultra nares usq; tegunt. In uentre dissectæ reperi quisquilias quasdam & cortices granorum quorundam, & substantiam quandam albam pinguem ex ijsdem forte granis concretã, & lapillos. In iecore fel nullum, siue quòd non habeat, siue quòd globo bõbardæ (quo interempta erat) uiscera essent confracta.

DE CORNICE AQVATICA ET MARINA.

MORPETENSES in Anglia cornicem aquaticam uocant auẽ, quæ sturno paulò minor est, corpore toto nigro, excepto uentre albo. Caudam habet breuiusculam, rostrum alcedone, (alcedo ei est ispida uulgò dicta) paulò breuius. Ante uolatum alcedonis (ispidæ) more crebrò nutat, & in uo-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 360 sur 825

latu gemit, uoce alcedonem ita refert, ut, nisi uideas, alcedonem esse iurares. Hanc apud Morpetenses in ripis fluminum, non procul à mari, uidi, aliâs nusquam. Piscículis uíctitat ut alcedones, Turnerus. Audio hanc auem apud nos quoq; reperiri circa Limagum fluuium.

CORNIX Marina, κορώνη θαλασσία uel ἁλία & ψαλία, Homero etiam simpliciter κορώνη dicta, & alibi ταυύγλωσσος, id est linguâ exerens cognominata, Eustathio, Suidę & Hęsychio non alia quàm æthyia est, Arrianus distinguit. Vide supra in Aethyia statim post Mergum, & in Cornice H.a. Circa spelunca Calypsûs erat nemus, in quo & alię aues nidificabāt, ταυύγλωσσοί τε (πλατύγλωσσοι, Schol.) κορῶναι εἰνάλιαι, τῇσίν τε θαλάσσια ἔργα μέμηλε, Homerus Odyss. E. id est cornices marinę, piscari & pisces deuorare (hoc enim per marina opera intelligit poeta Eustathio) solitę. Oceani Germanici accolæ **Schyrkryen** (forte quasi clamosas cornices, uel nomine per onomatopœiam facto) cornices quasdam appellant, quæ aquilam marinam (**Ern** dictam ab eis) sequuntur, & reliquias eius deuorant. Fulicæ quædam marinæ apud Frisios **Marcol** dictæ (nescio à marine an à mergo) cadaueribus uescuntur, & coruorum instar odio habentur: de quibus, num phalacrocoraces, aut potius cornices marinæ sint, inquirendum.

¶ Pyrrhocoracem, circa Athesin Germani uocant **Steinkrae**, id est cornicem rupium: quòd in rupibus degat & nidificet, eandem Anglus Eliota cornicem Cornubiæ appellat. ¶ In Lotharingia coruum syluaticum quem post Corui historiam describemus, cornicem marinam, corneille de meer, nominari audio. Multa enim rara & peregrina, uulgus marina uocitat.

CORVINO GENERI COMMVNIA QVAEDAM.

CORVINI generis aues (ὄρνεα κορακοειδῆ) appello coruorum, cornicum, graculorum, & huiusmodi species. Coruini generis auibus robustum & prædurum rostrum est, Aristot. Minus Venere ualent, & rarò solent coire, Idem. Ex his corui & cornices coniugia seruant. Gregatim degunt ferè. Corui & cæteræ omnes coruini generis aues, præter cornices, pellũt nidis pullos ac uolare cogunt, Plin. Curant pullos diu etiam postquam euolauerint è nidis, comitantur enim uolantes & pascunt, præcipuè cornix: deinde cocix (sic ipse uocat ineptè) quæ maior est cornice, rostro albicante, uulgò **ein Rüch**: & monedula, & plura alia auium genera his símilia, **Albertus** in Aristot. de hist. anim. 6. 6.

DE CORVO.



CORVVS

A.

CORVVS est auis maior & perfectior in suo genere, Albert. Complectimur autem corui generis appellatione (ut Aristoteles nominat) coruum, cornicē, & monedulam siue graculum. Cornix & coruus congeneres sunt, Theon Scholiastes Arati. Coruus & graculus eiusdem generis sunt, Crescentieñ. ¶ Hebræis coruus oreb, ערב, dicitur: pro qua uoce Deuteron. 14. Chaldæus trāstulit עורבא, ureba: Arabs, גראבי, gerabib: Persa, בלך, calak: Septuaginta κόραξ: Hieronymus, coruus. Videtur autem (ut doctus quidam apud nos coniecit) omne genus coruinum hoc uocabulo indicari, ut præter coruum, cornix, graculus, pyrrhocorax, &c. nam Deuteron. 14. legitur, Omnis coruus iuxta genus suum. Orebim, id est corui, numero plurali, Leuit. 11. Psalmo etiam 147. & Esaiæ 34. pro oreb coruus à Græcis & Latinis redditur. Regiel algerab, pes coruinus, herbæ nomen apud Auicennā 2. 568. Sed Bellunensis in Glossis Auicennæ Monchar algorab, rostrum cornicis transfert. Syluaticus gorab coruum uertit. conciliari possunt, si gorab uel oreb, generis uocabulū esse dicamus. Alchorab, id est coruus, initio hyemis parit quatuordecim diebus, &c. Albertus ex Auicēna. Verū Aristoteles id de alcyone scribit, quod & Albertus agnoscit: sed fortè, inquit, Aristoteles de coruo marino sentit, ut alcyon à coloris similitudine hoc nomen tulerit. Sed in hoc etiam errat, neque enim alcyon nigra est auis. Rursus alibi idem Albertus, Coruus abka (inquit) est coruus communis magnus: hunc miluum interimere scribit, ubi Aristoteles habet, non coruum, sed cornicem occidere tapynum, de hist. anim. 9. 1. Pes alaconа, id est pes corui, Syluaticus. ¶ Coruus apud ueteres Græcos κόραξ, hodie uulgò κόρακας dicitur. Italicè coruo uel corbo. Hispanicè cueruo. Gallicè corbeau. Germanicè Rapp uel Rab, quæ uox ab Hebraica orab uel gorab facta uideri potest per aphæresin. Flandris, Raue. Anglicè a rauen, uel crowe, quanquam & cornicem sic interpretatur Eliota. Illyricè, hawran.

¶ Albertus cornicem alibi cum coruo, alibi cum monedula confundit, Auicennæ interpretem barbarum sequutus. Idem coronen, id est cornicem, Græcæ linguæ ignarus coruū interpretatur.

¶ Corui ueri & maiores Germanicè (Saxonicè) dicuntur Kolckraben à sono uocis, qui pullos per quadragesimam excludunt. altera species corui à Saxonibus dicitur Cotracken, quæ æstate circa solstitium excludit pullos, de quibus loquitur hoc carmen: Coruus maturis frugibus oua refert, Christoph. Encelius.

B.

Theophrastus tradit in Asia inuectitios esse coruos, Plinius. In Cranone Thessaliæ duos tantum coruos in ciuitate esse dicunt: qui cum pullos ædiderint, discedant, & alios duos ex se genitos relinquant, Aristot. in Mirabilibus & Plinius. Hęc apud Eustathium Crannon nī. duplici scribitur, ciuitas quæ aliàs Ephyre. Cranon in Thessalia, ut Hecatæus inquit, oppidum iuxta Tempe, ubi nunquam plures duobus corui sunt. Fuit & in Epiro Cranon, &c. Hermolaus in Plinīū. ¶ Coruus maior est cornice, Turnerus. In Aegypto minores quàm in Græcia fiunt, Aristot. ¶ Coruus auis est nigerrima, Perottus. Totus est niger, rostro & corpore ualidis, Albertus. Corui pennæ per magna frigora interdum albicant, Aristot. Et alibi, Iam perdix uisa est alba, & coruus, &c. Arcesilao regnante apud Cyrenæos coruus albus apparuit, de quo triste oraculum ferebatur, &c. Heraclides in republica Cyrenæorum. Coruus albus de rarís inuentu dixit Iuuenalis hoc hemistichio, Coruo quoq; rarior albo. Ammianus in Epigrammate, Θᾶττον ἴδῃς λευκὸς κόρακας πλωτὰς πτερυγώνας ἐνρεῖν. Id est, Aut albus coruus prius, aut testudo uolucris Inuenietur. Galenus libro de naturalibus facultatibus primo, Itaq; Lycus (inquit) dum palàm est eum neq; uera loqui, neque eadem cum Erasistrato, similis uidetur albo coruo, qui nec ipsis coruis admisceri possit ob colorem, nec columbis ob magnitudinem. Conueniet in hominem sui ingenij & alienum à sensu communi. Sunt enim quos pudet usquam cum quoquam consentire, quasi nihil uerum sit, nisi diuersum sit, Hæc Erasmus in Prouerbijs. Phœnices in Rhodo ciuitatem Acheam obtinebant duce Phalantho, eam cum Iphiclus Grecorum dux obsideret, obsessi negligentiores erant, quòd nunquam futurum sperarent se expugnatum iri, propter oraculum quo eis promittebatur ciuitatem tandiu in eorum potestate futuram, donec corui albi & in crateribus pisces apparerent. Hoc cognito Iphiclus, capto cuidam Phalanthi familiari qui ex urbe aquatū prodierat, persuadet ut piscículos ex proximo illic fonte captos in urna secum deferret, & eos in craterem è quo uinum Phalantho miscebatur, immitteret. Id ita factū est, eodemq; tempore Iphiclus coruos aliquot gypso illitos dimisit. His uisis Iphiclus territus, & oraculo iam satisfactum existimans, conditionibus ab Iphiclo acceptis urbem tradidit, &c. Athenæus lib. 8. In ueteribus memorijs obseruatum, Bœotia Thracum impetu, & bellico furore deuastata, redditum ijs, qui stragibus superfuerant, ex intimo specu oraculum, Ibi sedem firmaturos, ubi coruos albentes conspicati forent. Id uerò in Thessalia mox factum ad Pagæaticum sinum. Illorum nanq; oblati aspectibus sunt, Soli qui dicebantur sacri corui, quos uino madentes pueri gypso litos emiserant, Celius. Eadem historia copiosius ex Erasmi Chiliadibus recitabitur infra in Prouerbio, Ad coruos. Fabula corui ex candido in nigrum mutati, describitur ab Ouidio Metam. lib. 2. fingit autem ab irato Apolline colorem atrum ei inductum, quòd in causa fuisset ut Coronidem (quæ Aesculapium ex eo conceperat) nunciato ipsius cum iuuene Aemonio cōcubitu,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 362 sur 825

ſubita ira commotus ſagitta confíceret. Vide Higínum in Hydra. Ipſi apud Alphonſum Sicíliæ regem, dum Neapoli ſub Calliſto pontifice eſſemus, uidimus coruum ei à rege Britanniæ miſſum, mi ro candore cõſpícuum, Perottus. Olaus Magnus ſcribit in regionibus Septentrionalibus quibuſ dam coruos albos abunde conſpici. Monedulas iam uidimus propter frigus regionis naſci albas, & ſimiliter coruos: figura quidem indicante eas uerè eſſe de ſpecie monedularum & coruorum, Al bertus. Coruum album in Noruegía uidere raritas nulla eſt, Gybertus Longolius. Io. Carus qui cum Hiſpanis in nouum orbem nauigauit, albos coruos & merulas iſtic ſe uidiſſe adſerit, Idem. Coruus dealbabitur, ut quídam (nugator, ut uidetur) nobis retulit, ſi ouum coruí pinguedine uel ce rebro felis illítum, gallinæ albæ loco frigído incubandum ſupponatur. ¶ Coruum uiridem ex In día aduectum Monaci (quod oppidum eſt Bauariæ) nuper ſibi uiſum quídam nobis retulit. Cor uius ætatis ínitio minus nígricans eſt, quum cœleſti rore páſcitur, ut ſcribit Caſſíodorus & prophe ticus perdocet pſalmus, Cælius.

¶ Coruíni generis auibus robuſtum & prædurum roſtrum eſt, Ariſtot. aptum ſcílicet ad fran gendum cibum & ad pugnandum, Albertus. Qui naſum habent aduncum à fronte ſtatim, (ἅπερ ἐπίγρυπον ἀπὸ τοῦ μετώπου ὄνυξ ἀγκύλον,) impudentes ſunt, inſtar coruorum, Ariſtot. in Phyſiog. Qui bus oculi lucidi ſunt, (σιλπνοί,) ij libídinoſi (λάγνοι) habentur, ceu qui gallos & coruos hac parte refe rant, Ibídem. ¶ Coruus pro ingluuie gulam habet patentiorem propius uentrículum, Ariſtot. Aues quædam carent ſinu illo in quem ex gutture demittunt concoctione maturata, ſed gula pa tentiore utuntur, ut graculi, coruí, Plínius. ¶ Coruís, alijs uentri, alijs inteſtino fel iungitur, Ari ſtot. Fel renibus, & parte tantum altera iungitur inteſtino, in coruís, coturnicibus, &c. Plínius.

C.

Cornix ac coruus ínſigníter aquís oblectantur, ut Theon Arati interpres ſcribit, nam cum ea rum alítum corpora admodum ſicca ſint, humentía expetunt. quin & ſolitudinis amicum animal coruus eſt prouerbio ſuffragante, ἐς κόρακας, Cælius. ¶ Coruí carniuorí ſunt. Frequenter ci bos uenantur, ſed carne morticina, hoc eſt animalis per ſe mortui ueſcuntur, ut uultures & aquila rum genera, Grapaldus. Cadaueribus ueſcuntur, Scholiaſtes Ariſtophanis & Author de nat. r. Hinc prouerbium Βαλλ' ἐς κόρακας: & illud Horatij epiſtola 7. Non paſces in cruce coruos. id eſt, non ſuſpenderis. Delphíni cum pompylum guſtauerunt, ineſficaces ſtupidíq; reddíti fluctu in lit tora eíciuntur, ubi à coruís gauijsq; cæterísq; maritimis auibus exeduntur, Aelianus. Terra tene ra eſt (ut Cato uocat) colore pulla, temperatæ ubertatis, mollis facilísq; culturę, &c. quam recentem exquirunt improbæ alites uomerem comitantes, coruíq;, aratoris ueſtigia ipſa rodentes, Plínius. Coruí & cornices multiplící cibo utuntur, omnibus cadaueribus inhíant, uniuerſísq; ſeminibus in ſidiantur, fructus arborum perſequuntur, Macrobius. Coruus ætatis ínitio minus nígricans eſt, quum cœleſti rore paſcitur, ut ſcribit Caſſiodorus & propheticus perdocet pſalmus, Cælius. Nos coruí pullum aliquando nutriuimus carne cruda, piſciculis, & pane ex aqua madído. ¶ Coruus quòd æſtiuo tempore alui relaxatione ſe laborare planè ſciat, idcirco ab humidis cíbis ſe continet, Aelianus. at Simocatus non ab humidis cibis, ſed à potu coruũ æſtate abſtinere tradit propter uen tris profluuium. Apud Ouidium ſecundo Faſtorum Phœbus coruo minatur: At tibi dum lactẽs hærebit in arbore ficus, De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ. Siti ægreſcit antequã fici coquan tur autumno. Quandiu ficus concoquuntur negatur bibere poſſe, quòd guttur habeat pertuſum illis diebus, Higínus. Ebrietatem quoq; ſentit, ut dícam in E. ¶ Merdas albas coruorum Hora tius dixit Serm. 1. 8.

¶ Coruus auís eſt ualde clamoſa, Albertus. Alítum pleræq; à ſuis uocibus nominantur, ut cu culus, coruus, Varro. Coruus crocítat, Author Philomelæ. A coruí uoce fit factítium uerbum croco, à quo crocito. Inde uerò crocatio & crocitatio deducuntur. item crocio, à quo crocitus quar tæ declinationis. Simul radebat pedibus terram, & uoce crocitabat ſua, Plautus. Nonius eundem Plauti locum ex Aulularía citans, pro crocitabat legit crocíbat. Crocítum (inquit ídem) propriam coruorum uocem ueteres eſſe uoluerunt. Et rurſus, Crocíre cum ſit coruorum, Plautus Aulularia cantare eos dixit. Crocatio, coruorum uocis appellatio, Pompeius lib. 3. Mutant cum tempeſta tibus unà raucíſonos cantus cornices, coruorumq; greges, Lucretius. Coruus auis clamoſa nihil aliud ſonare nouit quàm cras, cras: diuerſas tamen uoces format, ſcílicet ſexaginta quatuor ut dicit Fulgentius, Author libri de nat. r. Maxime omnium auium multos clãgores & uarias uoces ſun dit. nam inſtitutus cum humanam uocem mittit, tum eius locutio alia quædam eſt ludentis, alia lon gè ſeriò agẽtis. Si enim quod pertineat ad deum agit, hic tibi ſacrum quíppiam & diuinationis ple num loquítur, Aelianus. Cícuratus aliquando loquítur, Albertus. Et rurſus, Voces hominum imitatur, & cantus auium domeſticarum. Vide infra in Pſittaco ex Plutarcho. Coruí loqui & ſa lutare addiſcunt, ut pluribus recitabitur mox in D. Ouantes gutture coruí, Vergílius 1. Georg. Coruí ſingultu quodam latrantes, ſeq; concutientes, ſi continuabunt, uentos portendunt. Κράζειν aut λῳζειν uerba apud Græcos dícuntur de uoce cornicis aut coruí (per onomatopœiam) propter aſperitatem uocis quam ædunt, Varinus in Ἔκλαγξε. Κρώζει ὁ κόραξ, ἡ δὲ κορώνη κράζει, Idem. Vide ſu pra in Cornice C. ¶ Cur animalía quædam mutantur, alia non? ut coruus qui ſemper incommu tabilis perſiſtit. An quorum natura uincere perdomareq; humorem non poteſt, ut auium, quæ ueſi

cam

cãm quoq; nullam ob eam rem obtinent, hæc nuſquam mutari poſſunt? Ariſtoteles problematum 10.8. Coruus & pica pennas ſuas paulatim mutant, accipitres uerò uno tempore pariter, Albert. ¶ Noctuæ & corui (κόρακοι, ſed uideo erratum eſſe ac legendum nycticoraces) interdiu non uident, Athenęus lib.8. tanquam ex Ariſtotele in epiſtola Epicuri. ¶ Coruus ante tempus uernum (ſem per Martio menſe) oua parit & fouet, ante tonitrua, Albertus. Et rurſus, Coruus coit, parit & ni dificat menſe Martio, timẽs, ut dicunt experti, tonitruum. hoc enim aiunt oua eius perdere. Corui mares non coëunt cum fœminis, priuſquam cantu quodam ceu nuptiali & hymenæo eas demulſe rint, hæ uerò maribus ita conciliatæ, admittunt, Oppianus lib.1. de aucupio. Coruinæ ſpeciei aues minus Venere ualent, & rarò ſolent coire, Ariſtoteles, Albertus hoc de gracocenderon aue ſcribit, nempe omnium minimè eam coire, & ſemel tantum anno. ſed apparet eam uocem corruptam à Græca κορακοειδὲς, quæ coruinum genus ſignificat, non unam aliquam auem. Coruum uulgus, ut Plinius ſcribit, ore parere & coire arbitratur: ideoq; grauidas ſi ederint coruinum ouum per os par tum reddere atq; in totũ difficulter parere ſi tecto inferantur. Ariſtoteles negat, ſed exoſculationem illam in iſs eſſe, qualem in columbis ſæpe cernimus. Sunt qui coruos & ibin (inquit Ariſtot. de ge neratione anim.3.6.) ore coire opinẽtur: inter quadrupedes etiam muſtelam ore parere. Hæc enim & Anaxagoras, & alij quidam naturales authores ſcribunt ſimpliciter ualde & inconſideratè: qui in auium genere ratiocinatione illa falluntur, quòd rarò coruorum coitus cernatur, roſtrorum con iunctio ſæpenumero, quæ omnibus id genus auibus ſolita eſt, quod in monedulis, quas mãſues ali mus, planum eſt. genus etiam columbinum hoc idem facit. Verum hæc, quoniam coire quoque ui ſuntur, ea fama caruerunt. coruinum genus libidinoſum non eſt, quippe quod parum fœcundum ſit. coire tamen id quoq; uiſum eſt. Sedenim non cogitaſſe quemadmodum ſemen per uuluam de ueniat ad uentriculum, qui ſemper quod ingeſtum eſt concoquat, ut patet in cibo perficiendo, ab ſurdum omnino eſt. Vultuas autem id quoq; auiũ genus, & oua habere cernitur iuxta ſeptum, Hæc Ariſtot. Albertus hunc locum enarrans, Auicenna (inquit) diligentius cõſiderans, ſcribit ſe uidiſſe coire duos coruos non aliter quàm aliæ aues coëunt, rarò autem in hominum conſpectu coëunt corui. itaq; multi cum uident eos oſcula inter ſe conferre, coire putant. Mihi uerò uidetur has aues forte ante lucem uel in crepuſculo coire, quo tempore ab hominibus non uidentur, nec obſeruatur eorum coitus, Sic ille. Corui pariunt cum plurimum quinos. Ore eos parere aut coire uulgus ar bitratur. Ideoq; grauidas, ſi ederint coruinum ouum, per os partum reddere: atq; in totum difficul ter parere, ſi tecto inferantur. Ariſtoteles negat, nõ hercule magis quàm in Aegypto ibim: ſed illam exoſculationem quæ ſæpe cernitur, qualem in columbis eſſe, Plinius. Multæ aues ore cõcipiunt & coëunt, ut corui, exoſculatione facta, ut ſit in columbis: licet hoc negat Ariſtoteles, nec ego mul tum adfirmo, quia non uidi coëuntes. coëunt enim corui circa æquinoctium uernum, loquor de ue ris & magnis coruis, qui à ſono uocis Kolckraben dicuntur, & per quadrageſimam excludunt pullos & fouẽt. nam ipſe aliquoties in Saxonia circa feſtum paſchatis illorum pullos uidi & habui. Altera uerò ſpecies corui, quæ dicitur à Saxonibus Corracken, æſtate circa ſolſtitium excludit pul los, de quibus loquitur hoc carmen: Coruus maturis frugibus oua refert. Et poteſt fieri ut corui iſti ueri ore coëant in frigore. nam ſi uulgari modo auium coirent, frigus ſemen unà incidens in matri culam corrumperet. & profecto ea ſpecies quæ templa incolit, monedula dicta, ore coit tẽporè uer no, Chriſtophorus Encelius. qui & bonaſas & urogallos (ut in illarum auium hiſtoria recitaui) & omnes ferè gallinas ſylueſtres ore coire ſcribit: cui fidem habeat qui uoluerit, mihi ſanè non perſua ſerit: & friuola eſt ratio, quòd coruos in frigore ore coire ſcribit, ne cum ſemine irrumpens in ma triculam frigus id corrumpat. cur enim non eandem ob cauſam cæteræ etiam animantes quæcunq; hyeme coëunt ore coëunt? uel quomodo frigus non etiam per os irrumpere æquè ac in matricem poſſet, cum multo amplior hic meatus ſit? Sed his in rebus ubi an ſint affirmare non poſſumus, cur ſint inquirere ſtultũ eſt. Coruũ ore coire & parere uulgus arbitratur, ad quod reſpiciens Epigram matarius poëta in Apophoretis ſcriptum reliquit: Corue ſalutator, quare fellator haberis? In ca put intrauit mentula nulla tuum, Grapaldus. Parit coruus quatuor & (aut) quinque, Ariſtot. Et alibi, Non modo bina, ut aliqui uolunt, parit, uerumetiam plura. Incubat autem uiginti diebus, & pullos nido expellit, quod idem & aliæ complures uolucres faciunt. quibus enim partus numero ſior eſt, unum ſæpe eijciunt, Ariſtot. tædio nutriendi, Albertus. Quinos aliquando parit coruus, Plinius. Fœminæ coruorum oua ſolæ incubant, & mares eis eſcas adminiſtrant, Author libri de nat. rerum. Coruus turres incolit, in quibus etiam nidificat, Idem. Pulli coruorũ ſeptem diebus abſq; ulla cibi alimonia degere feruntur. ſeptima uerò die nigreſcunt, Idem. Pulli coruorum, ut feruntur, antequam nigreſcant à parentibus utcunq; neglecti, inedia affecti, huc illucq; uagantur in ni do, & ciborum expectant aperto ore ſubſidium. Vnde etiam ſcriptum eſt, Iob. 38. Quis præparat coruo eſcam? &c. Sed cum nigreſcere illi cœperint, tanto eis alimenta præbenda coruus ardentius requirit, quanto illos alere diutius diſtulit, Gregorius in Moralibus. Sunt qui non à matribus pul los coruorum nuper natos, ſed à muſcis præteruolantibus ali putent. Plinius dicit coruos obliuio ſos eſſe, & plerunq; minimè ad nidos ſuos reuerti: ſed quadam ratione naturæ congerunt ad ſuos ni dos quæ uermes poſſint creare, ex quibus relicti eorum pulli alũtur interdum. Horum obliuionem probat etiam ex rebus, quas quum abſconderint, derelinquunt, Seruius in primũ Georg. ¶ Aues

quæ in urbibus solent præcipuè uiuere, semper apparent, nec loca mutant aut latent, ut coruus & cornix, Aristot. Coruí toto anno manent, Demetrius Constantinop. ¶ De diuturnitate uitæ coruí, leges quæ scripsimus in Cornice c. Retulit mihi quidam fide dignus, coruos à temporibus quorum non extat memoria, hoc est amplius annis centum, in turri quadam mansisse apud ciuitatem Galliæ quæ Coruatum uocatur: & quotannis pullos nutriuisse: & quanquam subtraherentur illi locum eam ob causam non mutasse, Albertus. ¶ Coruus ab æstate in autumnum morbo conflictari dicitur, Plin. Aestiuo tempore potu abstinet, quòd tum scilicet alui profluuio obnoxius sit, ut superius hoc in Capite scripsimus. Siti ægrescunt, antequã fici coquantur, autumno. ¶ Coruus erucæ semine occiditur, Aelianus. Eruca coruum interimit, Philes.

D. 10

Moses Iudæis coruum in cibo prohibuit, improba ingenia & animos tenebrosos hoc interdicto traducens, Procopius. Coruos obliuiosos esse, ex Plinio & Seruio scripsi supra in D. Coruus cicurratus furatur multum aliquãdo coartata per comminationem, (apparet locum esse corruptum,) Albertus. Coruus natura procliuis est ad furtum, ut experientia Erfordiæ docuit, ubi coruus cicur paulatim de mensa in qua pecuniæ iacere cõsueuerant, in hortum uicinum sub lapidem numos aliquot, qui pretio quinq; uel sex florenos æquabant, abdidit, Obscurus.

¶ Coruus longæuus citissimè fit domesticus, Author libri de nat. rerum. Aegyptij corui, Nilum accolentes, nauigantibus quasi supplices esse uidẽtur, sibi quippiam largiri efflagitantes, quòd eis si quid dono detur, petere cessantes, nihil molesti amplius sunt: sin autem horũ quæ postularint nihil impetrauerint, in nauis rostro insidentes, insequuntur nautas, funes arrodunt, ac uincula con- 20
scindunt, Aelianus. ¶ Tempore quo apud Pharsala hospites Mediæ periêre, corui locis Athenarum Peloponnesiq; defuerunt, quasi sensum haberent aliquem, quo inter se rerum euenta significarent & mouerentur, Aristot. Scientissimus est mutationũ aeris nuncius, &c. ut in E. dicetur. Quantum cum sterili ferax ager differat, planè noscunt: in uberrimo enim gregatim feruntur, per sterilem agrum & infructuosum bini uolare assolent, Aelianus. Locis arctioribus, & ubi non satis cibi pluribus sit, duo tantum incolunt: & suos pullos, cum iam potestas uolandi est, primum nido eiiciunt, deinde regione tota expellunt, Aristot. Coruí robustos fœtus suos fugant longius, itaque paruis in uicis non plus bina coniugia sunt: circa Cranonem quidem Thessaliæ singula perpetuò: genitores soboli loco cedunt, Plinius. Tradendum putauêre memoriæ quidã, uisum coruum per 30
iactim lapides congerentem in situlam monumenti, in qua pluuia aqua durabat, sed quæ attingi non posset: ita descendere pauentem, expressisse tali congerie quantum potuit sufficeret, Plin. Coruí Libyci sese inclinantes rostrorum aduncitatem quoad possunt in uasa intrudunt, atque inferunt, quæ homines situs metu aquæ compleuerant, ac (ne rumpêrentur) supra tecta ad seruandum aeris beneficio aquam posuerant, itaq; potione fruuntur. Cum aquam deficere uident, calculos ore & uiarguibus apportantes, in uasa inferunt: atque calculi quidem in fundũ detruduntur, ac desident, aqua uero de uasis fundo ex subsidẽtium occupatione calculorum alleuata, superiorem uasis uacuitatem replet: qua solerti machinatione coruí aquam contingentes, potione referciuntur: non ignorantes, quæ sunt penitius in media philosophia recõdita atq; abdita, unum & eundem locum duo corpora capere non posse, Aelian. Idem hoc coruos in Africa facientes uisos sibi Aristotimus refert apud Plutarchum in libro Vtra animalium, &c. Reddatur & coruis sua gratia, indignatione quoq; po- 40
puli Romani testata, non solum conscientia. Tiberio principe ex fœtu supra Castorum ædem genitus pullus, in oppositam sutrinam deuolauit, etiam religione cõmendatus officinæ domino. Is mature sermoni assuefactus, omnibus matutinis euolans in rostra, in forum uersus, Tiberium, deinde Germanicum & Drusum cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat, posita ad tabernam remeans, plurium annorum assiduo officio mirus. Hunc siue æmulatione incitatus manceps proximæ sutrinæ, siue iracundia subita, ut uoluit uideri, excrementis eius imposita calceis macula, exanimauit, tanta plebei cõsternatione, ut primo pulsus ex ea regione, mox & interemptus sit, funusq; innumeris aliti celebratum exequijs, constratum lectum super Aethiopum duorum humeros præcedente tibicine, & coronis omnium generũ, ad rogum usq; qui constructus dextra uiæ 50
Appiæ ad secundum lapidem, in campo Rediculi appellato fuit. Adeo satis iusta causa populo Romano uisa est exequiarum ingeniũ auis, aut supplicij de ciue Romano in ea urbe, in qua multorum principum nemo deduxerat funus: Scipionis uero Aemiliani post Carthaginẽ Numantiamq; deletas ab eo, nemo uindicauerat mortem. Hoc gestum M. Seruilio, C. Cestio Coss. ad v. kalend. Aprilis, Plinius. Exprimit coruus sermonem humanum miro modo, cum ex Actiaca uictoria reuerteretur Augustus, occurrit ei inter gratulanteis quidam, coruum tenens, quem instituerat proferre hæc uerba: Aue Cæsar uictor imperator. Miratus Cæsar tam officiosam auem, uiginti millibus eam emit, (hoc est quingentis aureis solatis, Robertus Cenalis) multasq; præterea simileis comparauit. Quo exemplo motus pauper sutor instituere ipse quoq; aggressus est coruum ad parem salutationem, sed impendio exhaustus ad auem nõ respondentem dicere solebat, Opera & impensa perijt. Cœpit tamen aliquando coruus optatam salutationem exprimere, ac forte audita, dum transiret 60
Augustus, respondisset q;, Satis talium salutatorum habeo domi, superfuit coruo memoria, ut etiam illa, quibus dominum querentem solebat audire, uerba subiungeret, Opera & impensa perijt. Ad quod subridens

subridens Cæsar, emi autem iussit quanti nullam aliam emerat, Perottus. Vide Macrobium libro 2. Saturn. cap. 4. Corui loqui & salutare discunt: Vide supra in C. ¶ Columbæ coniugium inter se mutuum seruant fidum ad mortem usq; : & altero defuncto coniux alter uiduus permanet, quod idem corui etiam faciunt, Athenæus ex Aristotele. Fœtus suos nutritos, & ætate procedente firmos, acriter insectantur nidoq; expellunt. Quamobrem filij coruiculi deinde ea quæ sunt ad uiuendum necessaria inquirunt, genitoresq; suos minime alunt, Aelianus interprete Gillio. Corui pullos suos cum iam potestas uolādi est, primum nido eijciunt, deinde regione tota expellunt, Aristot. Coruus iam ætate affecta cum pullos alere non potest, seipsum eis cibum præstat. hi autem comedunt patrem: unde prouerbium esse natum ferunt, Mali corui malum ouum, Aelianus, alij aliam huius prouerbij originem adferunt, ut in h. referemus. ¶ Corui nidis suis (agnum, id est) amerinam (ἄγνον ἔγκαρπον, Philes) imponunt amuleti gratia, Aelianus.

¶ Coruus tauro & asino aduersarius est: quippe qui aduolans feriat, & eorum oculos laceret, Aristot. & Aelianus. Coruus uulpi amicus est. pugnat enim cum æsalone, unde fit, ut huic cum ab illo percutitur, auxilietur, Aristot. Aesalon parua auis, oua corui frangit, cuius pulli infestantur à uulpibus, inuicem hæc catulos eius ipsamq; uellit, quod ubi uiderint corui, contrà auxiliantur uelut aduersus communem hostem, Plinius. Si quod animal coruus contra uulpem pugnare animaduerterit, subsidio ei uenit, amicitia adductus quæ illi cum uulpe intercedit, atq; ulciscitur, Aelianus. Sed non ueram amicitiam inter corùm & uulpem intercedere, ex Alberto & Auicenna recitauimus in Vulpe D. Lepus coruorum & aquilarum uocē metuit, & aduersus harum auium insidias in dumeta se abdit, Aelianus. In regione quadam ad Septentrionem remota capita coruorum (liber Germanicus habet aquilarum, quod placet) præsidi regionis pro tributo adferuntur, in signum occisæ auis noxiæ quæ illic agnos & oues interimit, Olaus Magnus. Coruus occiso (à se & gustato, Solinus) chamæleonte, qui etiam uictori nocet, lauro infestum uirus extinguit, Plinius. ¶ Miluus & coruus hostes sunt, Aelianus. Miluo est quoddā bellum quasi naturale cum coruis, Cicero 1. de Nat. Coruum miluus impugnat, eripit enim miluus à coruo quicquid tenet, ut qui & unguibus sit præstantior & uolatu. ita fit, ut eos quoq; uictus ratio faciat inimicos, Aristot. Coruus & miluus dissident, illo præripiente huic cibos, Plinius: ac si coruus miluo prærripiat, ut Perottus etiam scripsit, his uerbis, Coruus miluo uolanti prærripit escas. Ego cū Aristotele & interprete eius Gaza, potius dixerim miluum coruo prærripere. Ictînos (inquit Albertus, quanquam codex eius impressus perperam habet acrinoz & lartinoz) paruum genus est milui, quod uocatur apud nos miluus risus, non rapit oua uel pullos coruorum, sed potius quod inuenit de cibo præparatum, coruo extorquet, eoq; pugnat cum ipso. nam robore unguiū & uolatu pernice coruo præstantior est. Præteritis temporibus (inquit Niphus) apud Apuliam ingens bellum annotatum est inter coruos & miluos, quod tribus diebus noctu diuq;, ut fuit narratum perdurauit: ubi tandem milui superati fuerunt. Et non multo tempore pòst in eadem regione non defuit bellum acerrimum inter Hispanos & Gallos: ubi Gallis superatis, interficitur prorex Gallorum. ¶ Mutuo uterq; in alterū ódio pelagius accipiter & coruus flagrant, Aelianus. ¶ Falconum & coruorum prælium ex Aenea Syluio descripsi in Falcone D. ¶ Percnopterus aquila degener est, & à coruo etiam uerberatur, Aristot. & Plinius. ¶ Pugnam ciconiarum & pelecanorum, aduersus cornices, coruos, uultures, alias q; carniuoras, descripsimus in Ciconia C. ex Kiranide. ¶ Pugnāt coruus & chlorio (aliâs chloreus) noctu inuicem oua exquirentes, Plinius ex Aristotele de hist. anim. 9. 1. ubi Græcè legitur, πέπρακα καὶ χλωρεύς, Gaza uertit pipo & lutea, pipram autem Aristoteles alibi dryocolapten, id est picum nominat. Choretes (uox corrupta pro chloreus) contra coruos pugnat, Albertus. Turturem chloreus odit, chloreum coruus, Philes: qui in omnibus Aelianum sequitur. atqui Gillius ex Aeliano aliter, Cum turture coruus & circus inimicitias gerunt, & turtur uicissim hostili odio ab utroque dissidet. ¶ Coruum aliquando alaudam iuuenem deuorasse obseruauimus, Albertus. ¶ Coruus interdiu prævalet, bubo nocte, & uicissim alter alterius oua uorat, Author libri de nat. rerum, sed Aristoteles hoc de cornice & noctua scribit, uide in Cornice D.

¶ Apud Celtas aiunt pharmacum (herbam uenenosam) esse xenicū dictum, quo citissima mors inferatur. eo sagittas inficiunt. aduersus hoc inuentum ferunt remedium corticē quercus, (Dioscorides hoc remedium contra toxicum commendat.) alij folium quoddam (herbam quandam) diuersum, quod coracium (κόρακιον) nominent, eò quòd corax, id est coruus ab eis obseruatus sit, qui cum xenico gustato periclitaretur, quæsito hoc folio deuorato q; conualuerit, Aristot. in Mirabilibus. Videtur autem mihi xenicum illud non aliud esse quàm uenenosissima herba, tora hodie dicta: & coracium quę antitora nominatur, de quibus copiosè docui in Lupo a. ¶ Cadente fulmine corui ex sua natura lumen ferre (forte, fugere) uidentur, Hermolaus Barbarus.

E.

Corui quomodo reti capiātur, Crescentiensis docet lib. 10. cap. 20. Item corui & cornices quomodo inuiscentur, eiusdem libri cap. 27. ut iam supra in Cornice scripsimus. Vidi ego canem spatio horæ interijsse, qui carnes nucis uomicæ puluere aspersas deuorārat, corui etiam eiusmodi carnes comedentes, per breue spatium uolantes decidunt, Brasauolus. Corui & canes herba cœnutta deuorata inebriantur, & sic inebriati corui etiam capiuntur, Athenæus ex Aristot. lib. de ebrietate.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 366 sur 825

¶ Traditur ingruentis mali certissimum haberi præsagium, ubi exercitum uultures insequantur. coruos equidem ipsum hoc quandoq; facitasse compertum est, Cælius.

¶ Coruus scientissimus est mutationis aëris nuncius: & alia crocitationis uoce præsagit auram tranquillam, alia tempestatem, Author libri de nat. r. Mutant cum tempestatibus unà Rauciso-nos cantus cornicum secla uetusta, Coruorumq; greges, ubi aquam dicuntur & imbres Poscere, & interdum uentos auras q; uocare, Lucretius. Κόραξ ὀμβρήσια κρώζων, Nicander, id est, Coruus pluuiam crocitando præsagiens. Cornix & coruus, eiusdem generis aues, cum corpore admodum sicco sint, plurimum gaudent humectantibus. cum igitur initium tempestatis (χειμῶνος) senserint, & aer corpora earum humectârit, tunc etiam innatant aquis, ceu quibus ualde gaudeant, Theon Arati Scholiastes. Corui & graculi cum gregatim apparent, & similem accipitribus uocem ædût (id est acuta uoce clamitant. talis enim accipitrum uox est, Scholia) pluuiam prædicunt. Corui præterea imminente pluuia magnas pluuiæ stillas uoce imitantes, & proferêtes (subinde) λλαξ. uel cum confusam habent uocem instar stillarum, pluuiam significant. uel grauem (magnam) uocem ingeminant, (subinde repetunt,) & pennis omnibus concussis uehementer perstrepunt, Ex Arato & Theone Scholiaste. Imbrium guttas coruus effingere conatur, Aelianus. Auienus priorem partem loci ex Arato iam recitati, sic transfert: Agmine cum denso circunuolitare uidetur Graculus, & tenui cum stridunt gutture corui. Coruus excitato & uolubili sono crocitans, & alarum plausu se concutiens, tempestates præmonstrat. Rursus si coruus, cornix, graculus, crepusculo uespertino uocales sint, tempestatis aduentum prædicunt, Aelianus. Notandum cornicem rauca uoce, & solam, (iuxta carmen Vergilij, Tum cornix plena pluuiam uocat improba uoce,) pluuiam prædicere: coruos uerò & plures, & uoce tenui & purissima contra naturam suã, Tum liquidas corui presso ter gutture uoces, Seruius. atqui Vergilius primo Georgicorum hoc de coruis carmen inter serenitatis signa ponit, ut paulò pòst recitabimus. Coruus si in serenitate non consuetam uocem ædiderit, & nimium clamosus fuerit, aquam significat: item si pediculos sibi eximat super oliuam, Obscurus. Corui singultu quodam latrantes, seq; concutientes, si continuabunt, uentos: si carptim uocem resorbebunt, uentosum imbrem præsagiunt, Plinius. Et è pastu descendens agmine magno Coruorum increpuit densis exercitus alis, Vergilius primo Georg. inter pluuiæ signa: ex Arato, ut apparet, qui tamen non coruorum habet, sed κολοιῶν, id est graculorum. ¶ Corui stantes aduersus Solem, si rostra aperiant, calorem significant, Obscurus. Corui & cornices per initia tempestatis (χειμῶνος) gaudent, in progressu uerò crescente frigore non amplius gaudent. incipiente deinde æstate rursus gaudent, excessus enim temporum non ferunt. Itaq; cornix cum placida (non aspera) uariaq; uoce lętitiam suam testatur, signum est serenitatis, Theon Arati Scholiastes. Aratus inter Prognostica, Καὶ κώρακος μὲν μὴ ὄρνιθες θοόωντος Διοσκοὶς &c. id est, Sereni & tranquilli cœli signum faciunt etiam corui, quando primum quidem seorsim clamant & geminant uocem: deinde uniuersi (μεταθρόα λεκλήγοντος: ubi Scholiastes, λαμπροτέρᾳ τῇ φωνῇ χρώμενοι:) & plures gregatim collecti, cum multo (pleniore) clamore, (φωνῆς ἐμπλέοι: ubi Scholia, μετὰ γοργοτέρας φωνῆς) gaudentibus similes (ut ex placida & remissa uoce conijci potest) somnum ineunt, (κοίτοιο μέδονται: ubi Scholia, πρὸς τὸν τοῦ ὕπνου ὥραν σωζόμενοι.) Multi etiam corui (Scholiastes addit, circa matutinum tempus) super cortice (trunco) arboris, uel ramis eius considentes, & uolatu eam repetentes, (qui motus gaudentium est, crocitantes interim cantantesq;) pennas concutiunt, (uel arbori insidentes laxant & remittunt alas,) Hæc ex Arato & Scholijs. Hunc Arati locum Vergilius primo Georgicorum sic reddidit, inter signa serenitatis:

Tum liquidas corui presso ter gutture uoces Aut quater ingeminant, & sæpe cubilibus altis
Nescio qua præter solitum dulcedine læti, Inter se foliis strepitant: iuuat imbribus actis
Progeniem paruam, dulcesq; reuisere nidos. Haud equidem credo, quia sit diuinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior. Verum ubi tempestas, & cœli mobilis humor
Mutauêre uias, & Iuppiter humidus austris Denset, erãt quæ rara modò: & quæ dẽsa, relaxat;
Vertuntur species animorum, & pectora (aliâs pectore) motus Nunc alios, alios dum nubila uentus agebat,
Concipiunt. hinc ille auium concentus in agris: Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui, Hæc Vergilius. Seruius addit, ex uenturæ propinquitate serenitatis coruos lætari.

¶ Coruus longæuus citissimè fit domesticus, coruosq; syluestres inuitos retinet ac seducit, Author libri de nat. r. Vidi aliquando coruum uenaticum, qui perdicem cepit & alios coruos syluestres: sed coruos non capiebat nisi fretus auxilio hominis propinqui, Albertus. Ipsi apud Alphonsum Siciliæ regem, dum Neapoli sub Callisto pontifice essemus, coruum uidimus missum à rege Scytharum, aucupio mirabilem: siquidem alios coruos & phasianas cum eo capere solebat, Perottus. Coruorum & miluorum pulli apud Indos quomodo cicurentur & instituantur ad prædam hominibus adferẽdam, scripsi in Aquila E. ex Aeliano. Recens est fama Crateri Monocerotis cognomine, in Erizena regione Asiæ, coruorum opera uenãtis, eo quòd deuehebat in syluas eos considentes corniculis humerisq;. illi uestigabant agebantq;, eò perducta consuetudine ut exeuntem sic comitarẽtur & ferí, Plinius. Perottus aliter legit, In Troccena regione Asię Craterus coruorum opera uenari solitus proditur, quos deuehebat in syluas insidentes humeris, illi uerò coruiculos uestigabant agebantq;, &c.

¶ Scripse-

¶ Scripserunt quidam, porcos sequi eos à quibus cerebrum corui acceperint in offa, Plin. Ce rebellum corui de pane collectum scrofæ si dederis comedere, sequetur te quocunq; ieris, Sextus.

F.

Coruus iuxta genus suum, id est quæuis coruini generis auis, in cibis damnatur Leuitici 11. & Deuteron. 14. Reprobat legislator, inquit Procopius Gazæus, maligni ingenij & tenebrosi (atri) homines, qui per huiusmodi aues qualis coruus est, indicantur. Coruo in lege prohibito auaritia (πλεονεξία) prohibetur, Clemens Stromat. 5. ¶ Corui aut cornicis carnem nunquam dabis accipitri. ualde enim nocet, &c. uide supra in Cornice F.

G.

Multa remedia sunt ex anse re, quod miror æquè quàm in capris (aliàs coruis,) nanq; anser coruusq; ab ætate in autumnum morbo conflictari dicuntur, Plinius lib. 29. in fine capitis 3. Gelenius in annotationibus suis docet uetustos codices non in coruis, sed in capris habere, quod & ipse probat, &c. Coruus uiuus sepultus in fimo equino, & per dies quadraginta putrefactus, deinde combustus, & in ceroti formam redactus, podagricos sanat perfectè, Kiranides. Medicus quidam celebris nostra ætate, coruos duos mense Martio è nido combustos in læuissimum pollinem redactos, epilepticis propinabat, bis uel ter in die drachmæ pondere exhibito cum aqua decoctionis castorei. Aliqui coruum excoquunt, & nocte concubia in plumbeum uas condunt; ad denigrandos capillos, Plinius. ¶ Sanguis coruorum subtiles reddit capillos; Rasis. Sunt qui sanguine & cerebro corui utuntur cum uino nigro ad denigrandos capillos, Plinius. ¶ Seuum corui nigri & rutam recentem cum oleo misce, quo inuncti capilli nigrescent, Rasis. ¶ Quidam sanguine & cerebro corui utuntur cum uino nigro ad denigrandos capillos, Plinius. Cerebrum corui cum stillatitio liquore uerbenæ hausturn epilepticis prodesse nuper amicus quidam ad nos scripsit tanquam experimentis probatum remedium. ¶ Fel corui mixtum cum oleo de aliuiule & corpori toti illitum, soluit hominem ligatum ne coëat, Rasis. Oportet aliquando hominum cogitationes fallere medicum, & persuasioni eorum etiam falsæ se accommodare, & remedia quædam etiam cõtra rationem permittere in quibus illi confidant. Memini ego quendam uirum nobilissimum iurasse, se esse ligatum ne cum mulieribus coiret, quem cum ab hac persuasione nulla arte reuocare possem; finxi me quoq; omnino credere ipsum esse ligatum: & remedium ostendi ex libro Cleopatræ de informanda fœminarum speciositate: in quo promittitur, si ita ligatus fel coruinum cum sesamelæo misceat, ac corpus totum inungat, adiutum iri. Hoc ille audiens confisus est libri uerbis, & cum id fecisset, liberatus coëundi libidinem recepit, Constantinus in libro de incantatione. Quidam suffiebat se (felle coruino, ni fallor, de hoc enim proximè dixerat) ut redderet capillos albos, quod quidem consequutus est, Rasis. ¶ Si pes corui ad collum tussientis pueri suspendatur, multum prodest, Rasis. ¶ Corui fimus suffitus alphos albos & albam lepram sanat, Kiranides. Dentium dolorem statim abire tradunt fimo corui lana adalligato, Plinius. Fimus corui lanula obuolutus denti cauo insulcitur minutatim, ac sine dolore eum discutiet, Marcellus. Cauo denti fimum corui si imposueris, dentem rumpit & tollit dolorẽ, Sextus. Constantinus Afric. in libro de animalibus de cerebro corui hoc scribit. Fimum corui lana adalligatum infantium tussi medetur, Plinius.

¶ Ouum corui grauidis cauendum cõstat, quoniam transgressus abortos asperos facit, Plinius. Oua eius denigrant capillos, Kiranides. si pilis rasis à capite illinantur, Rasis. Corui ouum (coruini oui interiora, Marcellus) in æreo (Cyprio, Sextus) uase permixtum, (& diu coagitatum, Marcellus, donec mutet colorem, Sextus) illitumq; raso capite (in umbra per periculum pictoris, Marcellus, donec ouum consumatur, Sextus) nigritiam capillis affert, sed donec inarescat (siccetur infectio, Marcellus) oleum in ore habendum est, ne & dentes simul nigrescant, (tanta enim solet esse uis eius, ut etiam dentes dum siccatur inficiat. Et seuo ceruino faciem perungi oportet, ne distillantibus guttis maculetur, Marcellus.) idq; in umbra faciendum, neq; ante triduum abluẽdum, Plinius. uel, ut Sextus, medicamento illito caput ligabis, & post diem quartum solues. & hoc efficit ut nec cani unquam exeant. Quarto die (inquit Marcellus) caput lauari oportet post medicamen impositum. Eadem ferè Aelianus & Constantinus in libro de animalibus scribunt. Oua etiam auis tardæ, (alias habari,) & alocloæ (alochloch, ciconiam intelligo) apud Auicennam capillos denigrare legimus. Oua coruorum ab Arnoldo Villanouano ad epilepsiam commẽdantur. Cum epilepsia fit ex melancholia, stercus columbinum tritum, cum ouis coruorum misce, & ceu cataplasma splenì impone, appositis prius sanguisugis, hoc enim cataplasma materiam trahit à capite ad splenem, & generat febrem, & sic epilepticum liberat, & maximè si fiat in autumno, Arnoldus Villan. Tres guttæ sanguinis de spatulis patientis epileptici per scoriationem (sacrificationem) extractę cum ouo coruì, patiente adhuc existente stupido, in potu datæ multum prosunt, Idem. ¶ Vt pili fiant albi: Vermes coruorum uel cornicum iugulatarum & positarum sub fimo, &c. uide in Cornice G.

H.

a. Coruus dicitur à Græco κόραξ, Perottus. Κόρβας Romani uocant quos Græci κόρακας, fortasis à uerbo κρώζειν, Suidas. Corax uox Græca pro coruo noue ponitur à Cicerone lib. 3. de Oratore, citante Nonio: Quare Coracem istum uestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui euolent clamatores odiosi ac molesti. Phœbeius ales pro coruo, Ouidius 2. Metam.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 368 sur 825

Coruum ſatyram auem dixit in Valerij Coruini hiſtoria L. Florus: cuius nominis cauſam ſunt qui ad fellationem referant, de qua Martialis, Corue ſalutator quare fellator haberis? In caput intrauit mentula nulla tuum. Et Plinius lib. 10. coruos inquit ore parere aut coire uulgus credit: Ariſtoteles negat. Quid ſi ad Saturam paludem ſeu Satyram relatum malis? ea uero Pontina eſt, uiginti quatuor olim urbium locus capax, cuius meminit Vergilius Aeneid. 7. in agro autē Pontino rem geſtam auctor idem Florus eſt, nec non A. Gellius ac T. Liuius, etiamſi apud hunc Pomptino legitur, Cælius. Alij apud Florum non Satyram, ſed ſatyriā (quatuor ſyllabis) auem legunt. Coruiculus, diminutiuum à coruo, ſi rectè Perottus ſic apud Plinium legit. uide ſupra in fine capitis 5.

¶ Coruus Græcè κόραξ à colore nigro dicitur. κορὸν enim nigrum eſt, Cælius ex Oppiani Scholiaſte. Κόραξ, παρὰ τὸν (τὸ) κόρον (paroxytonum. Cælius ultimā acuit, quod placet ut differat à ſubſtantiuo κόρος, quod eſt ſaties: præſertim cum & alia colorum nomina in ος oxytona ſint,) id eſt à nigro colore, uel à magnitudine capitis, παρὰ τὸ κόραν μεγάλην ἔχειν. Alectoridas Perſæ etiam coruos uocant, Hermolaus. uide in Gallo B. Σαβαεΐχειν, τὸ σάβειν ος, σάβειος, κόραξ, Heſychius. Coruus Celticè λοῦγος dicitur, Plutarchus in libro de fluuijs. Phalangia, ligna rotunda, (noſtri wellen uocāt, quòd ad uoluendum apta ſint, cylindri forma:) τροχύλα ξύλα καὶ σύμμετρα: Ἀθηναῖοι δὲ κόρακας, Heſych. Phalanx & phalāgium, araneus eſt. καὶ οἱ κόρακες δὲ παρὰ Ἀθηναίοις φαλάγγια, Etymologus & Suidas. Ὄρνις nomen eſt generale ad omnes alites carniuoras, ut uultures, coruos, ut poetarū interpretes docent. Migerus, id eſt coruus auis, Kiranides 1. 12. ῥοινιὲς, corui, Heſychius & Varinus. Ὀινὰς, genus corui, aut columba fera, Idem. Ὀινιὰξ, genus corui, Idem. ſed poſterior hæc uox corrupta uidetur, de œnade aue inter columbas ſcripſimus.

¶ Epitheta. Loquax coruus, Ouidius 2. Metamorph. Oſcen, Horatius 3. Carm. Salutator, Martialis. Phœbea ales, Silius. Phœbeius ales per antonomaſian Ouidio 2. Metam. Præterea apud Textorem, latrans, niger, nigrans, uocalis, crocitās, garrulus, querulus, uiuidus, increpitans, Delphicus, uilis, feralis.

¶ Aegilops malum eſt in angulis oculorum, quod Auicenna garab uocat, Haliabas coruum, Manardus. Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis, Tam ſubitò coruus, qui modo cygnus erat, Martialis. Magi eos qui ſacris iiſdem initiati ſunt, leones appellant: miniſtrātes uerò coruos, Porphyrius. Germani quidam Februarium coruorum menſem uocitant, Hadrianus Iunius. Fieri nequit ut ex albo in nigrum mutatio fiat, niſi per medios colores, imò & per medias ſubſtantias. norunt hoc Chymici, per multitudinem colorum ad deſideratum illud, quod caput corui uocant, peruenientes; quum tamen in rem ſimpliciter albam non operentur, ſed cui ſit croceū aliquod admixtum, Manardus. ¶ Coruinus, adiectiuum, quod ad coruum pertinet.

¶ Corone uocatur annulus quo ianua attrahitur, qui & rhoptrum, & corax, id eſt coruus: Vide plura in Cornice a. A cornice aue cui collum flexibile, coróne in foribus per translationem dicta eſt, quemadmodum etiam à coruo córax, ὁ κόραξ δηλαδὴ τὸ κοράκιον, Euſtathius. Ἐπισκήτης lignum eſt córacas, id eſt coruos habens, à quo inſtrumenta coquinaria ſuſpendunt, Scholiaſtes in Aues Ariſtophanis. alij aliter interpretantur. Artemidorus mulieres quaſdam Hiſpanicas monilia ferrea collo circundata geſtare refert, quæ coruos (κόρακας) ſupra uerticem incuruatos habeāt, & ante frontem longius ſe extendant, hos ad coruos uelum cum uelint attrahere, ut extentum faciei præbeant umbraculum: hocq; magnum ducere ornamentum, Strabo lib. 3. ¶ Lupi inſtrumenta ſunt uncinata quibus uaſa quæ in puteos forte inciderunt, extrahuntur: quæ Græco uocabulo etiam harpages & harpagæ uocantur: ut ſcripſimus in Lupo & Onagro. Sunt & in belli uſibus harpagæ (inquit Cælius) ab Agrippa excogitatæ, capiendis oblaqueandisq; nauibus. Ea uerò ſunt cubitorum quinq; ligna, ferro circumplexa, fibulasq; ab capite utroq; præfixas continentia, uni falx ferro curuata inhæret, alteri funes deſtinantur plurimi, falces machinis attrahentes, ubi in tendiculam incidit hoſtica nauis: cui intercipiendæ machinula præſtò & altera eſt: córaca uocant, id eſt coruum. Diades ſuis ſcriptis oſtendit ſe inueniſſe coruum demolitorem quem nonnulli gruem appellant, Vitruuius 10. 29. Et rurſus circa finem eiuſdem capitis, De corace nihil putauit ſcribēdum, quòd animaduerteret eam machinam nullam habere uirtutem. Hunc locum enarrans Gulielmus Philander Caſtilionius, Quòd dicat (inquit) coruum à nonnullis gruem uocari, uenire quis poſſit in ſuſpicionem, eo uſos eſſe capiendis aduerſariorum machinis transferēdisq; in muros, cuiuſmodi machina uſum fuiſſe ſcribit Vitruuius capite ultimo Callíam architectum Rhodi, cum accedētem ad mœnia helepolim correptam tranſtulit in muros. hoc ut credam facit quòd apud Iulium Pollucem legatur libro 4. géranon, id eſt gruem, in theatro machinam fuiſſe, quæ ex ſublimi ferebatur ad rapienda corpora, ea uſam Auroram cum Memnonis rapuit corpus. Sed quod demolitorem adieciſſet Vitruuius, aliud eſſe ſuſpicatus ſum. interea cogitanti ſe offert mihi Polybij locus ex lib. primo quem ad hunc modum uertit Nic. Perottus, (cui nos ex codice Græco Vaticanæ Bibliothecæ cum Aldinum mutilum reperiſſemus, uerſus amplius tres addidimus:) Lignea (inquit coruū deſcribens) columna proris inerat, longitudinis quatuor ulnarum, latitudinis palmorum trium, in eius apice rotam conſtituerant, huic præterea tabulæ inhærentes ſcalas conficiebant, quarum latitudo erat pedes quatuor, longitudo ſex ulnæ. foramen autem tabulati erat oblongum & circumambibat columnam poſt primas ſtatim ſcalæ duas ulnas, habebat autem ueluti ſepem ad utrunq; oblongum latus

genu

genu tenus altam, in ligni extremo ferrum erat instar mallei peracutum. præterea annulus fune alligatus, ita ut hæc machina, machinis frumentarijs simillima uideretur. Igitur simul ac nauis hostium aduentabat, laxato fune scalæ demittebantur, ferrum pondere ac ui ligni super hostium nauim delapsum figebatur. si aduersa prora erat, bini milites per scalas descendebant, duo primi præferentes scuta, reliqui latera scutis protecti. si uerò obliqua erat hostium nauis, in eam ex tota pariter nauí desiliebatur, Hactenus Polybius: Quæ uerba mirè faciunt ad rem nostrã. Coruorum mentio est apud Q. Curtium libro quarto, Hucusq; Philander. Harpagones (inquit Plinius) Anacharsis excogitauit primus, & manus (ferreas) Pericles Atheniẽsis. auctor nobis est in Viris illustribus Nepos Cornelius, hisce usum ex Romanis primum Imperatorem Duillium, Cælius. Coruis & manibus ferreis hostes arripiebant ex propugnaculis, Diodorus Siculus de gestis Alexandri. Circa Hieronis nauim córaces erant ferrei, qui organis emissi hostium scaphas tenebant, καὶ παρέκαλλον εἰς πλοῖα, Athenæus. Nominatur & apud Appianum córax cum ferreis manibus, inter instrumenta pugnę nauales. ¶ Κόραξ, gallinaceorum summa rostra παρὰ τὸ κορὸν, id est à nigro colore sic dicta, Hesych. & Varinus. ¶ Κοράκινος, proparoxyt. in Lexico Græcolatino uulgari coruinus exponitur, sed absq; authore. Κορακῖνος quidem penanflexum piscis nomẽ est, cuius mentio apud Palladium in remedijs aduersus arborum formicas. non enim coracina pix illic, ut uulgati codices habent, sed coracinus piscis legendum, quod constat ex Geoponicis Græcis. Coracinus color memoratur Vitruuio lib. 8. cap. 3. his uerbis, Ex potu fluminum quorundam pecora quamuis sint alba procreant alijs locis Leucophæa, alijs pulla, alijs coracino colore. Hunc locum enarrans Guil. Philander, Strabo (inquit) lib. 12. de Laodicensium pecoribus loquens, πλὴν κόρακος χρόας uocat, cuiusmodi scilicet in coruis conspicitur, id est nigerrimum: (Hermolaus uertit, coracino colore.) Eum locum Georgius Tifernas non rectè interpretatus est. Talis color est, si quid intelligo, sericí uilloſi, quod uillutum uulgò dicitur. Coraxorum lanitium omnium pulcherrimum ex Turditania Hispaniæ uenit, Strabo lib. 3. A coruí colore lanæ coraxicæ dicuntur, Hermolaus. Corybas lapis quidam colore κοράκος (id est nigredine saturata splendens) in Inacho fluuio nascitur, Plutarchus in libro de fluuijs. Λίθοι κορακοῖ πλὴν χρόας, Idem in Strymone fluuio: ubi similiter forte κοράκοι legendum. & apud Strabonem, loco iam citato à Philandro, cõsiderandum, an rectius πλὴν κοράκου χρόας legeretur, quàm κόρακιν per iôta in ultima. Est colorum unus coraxis nomine, cuius Strabo lib. 12. meminit, in Laodicensis lanæ præconio, nec præterijt lib. 8. Plinius, Cælius. sed Plinius lib. 8. cap. 48. inter lanarum differentias, Laodiceæ tantum, non coraxis, meminit, ne quis fallatur. Κοράκιον, genus Scytharum, & pudendum muliebre, Hesych. & Varinus. Κορακῖνον emplastrũ describitur à medicis, Galeno, Paulo & Nicolao Myrepso, à colore atro, ut apparet, dictum. recipit enim gallas & chalcitidem. ¶ Coracina sacra legimus apud Ambrosium in Pauli epistola ad Romanos, quæ Coraci præstarentur, siue is intelligatur coruus, seu eius nomenclaturæ deorum mutorum (multorũ forte) unus, Cælius. ¶ Os acromij, id est scapulæ processum ad summum humerum, Galenus κορακοειδ῀ nominauit: Arabes pi haoreb (uel pi algorab) id est rostrum porcinum, (legendum, coruinum,) Vesalius. Est & in scoptulo utroq;, in inferiore capitis eius parte exiguus acutusq; processus: quí cũ anchoræ aut coruini rostri similitudinem referat, ἀγκυροειδ῀ς (scilicet ὀστοῦν) à nõnullis, ab alijs κορακοειδ῀ς nuncupatur, quandoquidem extrema eius pars uti coruinum rostrum extenditur, Vuottonus. Destructum, id est rostrum coruí, & est quoddam additamentum, Syluaticus. ¶ Κορακίζειν uerbum, & inde composita, reperies infra in Prouerbio, Ad coruos. ¶ Κορακοφορυκλεάδ῀ς, ἔστι γὰρ (κατά τινας ὁ) ἱέροκλεά δ῀ς, Hesychius & Varinus. ¶ Κορακῆσαι, κράξαι, τὸ ἄγαν πθσκαρτερεῖν καὶ λιπαρεῖν, id est improbè & pertinaciter quippiam flagitare: ducta translatione à coruis fores circunuolitantibus, nec discedentibus, Suidas, Hesychius & Varin. Κορακοστᾶ, ὀρχεῖται, (est & κορακίζει, ἀσχημόνως ὀρχεῖται apud Suidam,) καὶ ἄκλητος ἐλήλυθε, Hesychius. Κορακῆσαι, κορακοῦσθαι, Idem. Κόραξε, πόρθει, Varin. ¶ Galli coruum (corbeau) appellant partem lapidis è muro prominentis sustinendæ trabis gratia, Latini mutulum, (Germani puto Tragstein,) Rob. Stephanus. Scapum in botro seu uua, ramosum illud à quo acini dependent, quidam appellant, nostri trapp/ rapp/ oder kam: Galli grappe. hinc & uini genus indocti quidam scriptores raspatitium nominarunt, Nicolaus Myrepsus raspe antidoto 500. & alibi, nostri rappio.

¶ Coronopus, id est Cornicis pes, herba est quam & κορακόποδα uocant, Hesychius. Vide plura supra in Cornice a, Auicenna lib. 2. cap. 568. uocat regiel algerab, id est pedem coruinum, ut reddit interpres. est autem gerab Arabicè nomen commune ad cornicem & coruum. ¶ Coracion, Κορακῖον, nomen est folij siue herbæ Aristoteli in Mirandis narrationibus, ut supra in D. ostendi. Coronopodem Fuchsius Germanicè Krãenfüß, id est cornicis pedẽ interpretatur, Tragus rappenfüß, id est coruí pedem. Hippoglosson in monte Atho frequentem herbam uulgò nominant coracobotano, hoc est coruí herbam, P. Bellonius. Rostrum coruinum herba est, quam multi consolidæ speciem faciunt, sed falsò. est enim herba modicè pilosa, odore borraginis, uí conglutinandi polens, Syluaticus. Hæc forte pulmonaria Plinij fuerit, quæ consolidæ species dici potest, & borraginem redolet, folijs hirsutis: rostrum coruinum autem dici potuit à foliorum præsertim minorum figura, ut conijcio. ¶ Coruí oculum aliqui uulgò uocant nucem uomicam, nostri Kroneugle, quæ uox potius cornicis ocellũ sonare uidetur. ¶ Κορώνεως, ficus arboris species Aristophani in Pace;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 370 sur 825

ubi Scholiastes docet κόρακιον etiam dici, quòd fructus eius colore coruum referat. Κορακίων σίτων meminit Hermippus, hoc uersu: φιβαλίων μάλις' οὖν ἢ τῶν κορακίων, Athenæus. Rhæti alpini gentiana omnium minimam, sed flore maximo calathiformi, in altissimis montibus nascentem, sua lingua **rischcorff**/id est radicem corui appellant, nostri ab amaritudine **bitterwurtz**.

¶ Phalacrocorax, pyrrhocorax, & nycticorax aues suis locis describentur. Coracias, κοράκιας, Aristoteli graculus est, ut Theodorus uertit, è monedularum genere, ab atro corui colore dictus. Κορακίας, ὁ μέλας, καὶ κολοιός, Hesychius. Κορακίας, μέλας, Suidas. ego utrumq; locum corruptũ arbitror, & lego Κορακίας, ὁ μέλας κολοιός. Κορακῖνοι, genus auis, Hesychius & Varinus. Córax piscis est, & alius ab eo coracínus: utriq; à coruo uel nigro colore nomen. etsi coracínum quidam dictum existiment ab assiduo pupillarum motu, διὰ τὸ διηνεκῶς τὰς κόρας κινεῖν. Theodorus modò coruulum, modò graculum reddit. Κορακῖνος, genus piscis, Hesychius & Varinus. Speusippus κόρακον inter malacostraca numerat apud Athenæum.

¶ Coruina lapis apud recentiores quosdam qui parum Latinè scripserunt, in capite coracini piscis reperitur. ¶ Nugatores quidam coruinum lapidem quendam memorant, (**rappenstein**) de quo scribam mox in d.

¶ Coruus inter sydera nominatur Proclo in libro de Sphæra, & Vitruuio 9. 7. fertur autem ab Apolline inter sydera relatus. uide infra in Prouerbio Coruus aquatur. Pausanias scribit Nemesin coronam gestare, in qua corui & fortunæ parua insignia continentur: cuius rei rationem se nescire fatetur. Relatu dignum ex Græcorum thesauris: Metellum nepotem curiosius Philagri sepulchrum exstruentem, lapideum apposuisse coruum, id quum foret intuitus Cicero, in eius leuitatem iocatus: Hoc, inquit, sapientius à te factum: πέπαυσαι γάρ σε μᾶλλον ἢ λέγειν ἐδίδαξε: Volare magis te docuit quàm dicere, Cælius.

¶ Propria. Coruinus nomen uiri apud Horatium Carminum 3. 21. L. Valerius in Pontino agro insidente galeæ satyria alite (id est coruo) adiutus est, Florus. Lucius cognominatus est Coruinus (κόρβιος ἐκλήθη ὁ Λούκιος) ab euentu, eò quod in monomachia aduersus Gallum corui auxilio usus est: Vide Suidam in Κορβῖνος & in Ἀμύνασθε, & copiosius in Κελτοί. Describitur historia à T. Liuio & A. Gellio lib. 9. cap. 11. Valerius Coruinus tribunus militum, sub duce Camillo reliquias Senonum persequente, aduersus Gallum prouocatorem solus processit. Coruus ab ortu Solis galeæ eius insedit, & inter pugnandum ora oculosq; Galli reuerberauit: & hoste uicto Valerius Coruinus dictus fuit, ut Grammaticus quidam annotauit. Idem Messala cognominatus est, quia Messanam urbem in Sicilia uicit, n. litera in l. mutata. Tiberius Cæsar in oratione Latina secutus est Coruinum Messalam, quem senem adolescens obseruauerat, Suetonius. Valerij Coruini historiam persequuntur Plinius Secundus de uiris illustribus cap. 29. Liuius lib. 7. dec. 1. Florus lib. 1. cap. 13. Plinius 7. 48. Valerius Max. 8. 14. Gellius 9. 11. Orosius 3. 6. Eutropius 3. 1. Gellius Maximum Valerium uocat, Florus Lucium, alij quidam Marcum. Quis ignorat diremptos gradibus ætatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, &c. & proximũ Ciceroni Cęsarem, eorumq; uelut alumnos Coruinum ac Pollionem Asinium? Velleius Paterculus. ¶ Retulit mihi quidam fide dignus, quòd coruí à temporibus quorum non extat memoria, hoc est plus quàm per centum annos, in turri quadam manserunt apud ciuitatem Galliæ quę Coruatum uocatur, Albertus in Aristot. de hist. anim. 9. 20.

¶ Opuntius quidam luscus κόραξ cognominabatur, erat enim homo rapax & deformis: uel, quia rostrum (os) magnum habebat, Scholiastes in Aues Aristophanis. Vlysses ab Lycophrone córax dicitur, hoc est coruus, διὰ τὸ πολυχρόνιον, quoniã ætate iam fessus interijt, ab Telegono interemptus, quem ex Circe susceperat, cuius rei uel Oppianus commeminit, Cælius ex Isacio Tzetze Scholiaste Lycophronis. Orthopolidis filiam Chrysorthen, ut putant, Apollo compressit: & ex ea natus puer Coronus est appellatus. Coroni filius Corax fuit, sine liberis mortuus, Pausanias in Corinthiacis. Coracis aurigæ cuiusdam meminit Ammianus Marcellinus libro 14. Corax Ithacus quidam fuit, à quo denominata est Coracospetra, ut mox dicemus. ¶ Corax & Tisias Siculi dicendi præcepta condiderunt, Cælius. Et alibi, Corax rhetoricæ initia propagauit, (quod & Suidas testatur,) hic præpotens fuerat apud tyrannum Hieronem. quo uita functo, quum eandem requireret potentiam Corax, uideretq; populum ἀσπάθμητον καὶ ἄπακτον, nec tyrannidem ulterius pati, in concione orationis artificiosæ rudimẽta deprompsit. Discipulum habuit Tisiam, Perottus. Vide plura in Onomastico nostro. Ab hoc natum ferunt adagium, Malí corui malum ouum, quod infra explicabitur in h. Cicero etiam tertio de Oratore rhetorem quendam Coracem cognominat, sed metaphoricè, ut supra citauimus ab initio Philologiæ. Coruí rhetoris stupidi meminit Seneca in secunda Suasoria. Hic est Coruus, inquit, qui cum tentaret scholam Romæ, summo illí, qui Iudæos subegerat, declamauit controuersiam, de eaq; apud matronas differebat, líberos non esse tollendos. ¶ Calondas (Callonides à Plutarcho uocarí uidetur, in libro de ijs qui à Deo serò punítí sunt, Gyraldus) quidam Corax cognominatus, Archilochum in bello occidit, Cælius. Archilochum poetam quídam nomine Corax, interfecit: quem, cum oraculum ei dixisset Ἔξιθι νηοῦ: id est, Exi de templo, ferunt respondisse, At innocens sum rex. ἐκ χερῶν γὰρ νόμῳ ἔκτεινα. id est, comínus eum occidi, quemadmodum lex iubet, Heraclides in Repub. Pariorum Iusto Vulteio interprete, sed quum obscurum sit illud

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 371 sur 825

illud Coracis responsum, locum corruptum esse suspicamur: & forte legendum, ἐν πολέμῳ γὰρ (uel tale quid,) νόμῳ ἔκτεινα. Quòd autem in bello à Calonda, Corace cognominato, interemptus sit Archilochus, Suidas etiam refert: & pluribus Gyraldus in historia poetarum. ¶ Corax dictus fuit frater Tyburti, à quo oppidum Volscorum cognominatum est, Perottus. Hic cum fratre Catillo oppidum Tybur in Italia constituit, authore Seruio apud Vergilium in illud Aeneid. 7. Tum gemini fratres Tyburtia, &c. sed codices emendatiores habent Coras. ¶ Author incertus in Anthologio Græcorum Epigrammatum iocatur in hominem deformem, quem magnam simiam & Córaca cognominat, ex quo Hermione Hermolyci filia, similes scilicet parenti filios cõplures ἑρμοπιθηκιδλας (& ἑρμαγέλλω, sic uocat à multitudine, quasi gregem simiolarum, filiorum Hermionæ, & nepotum Hermolyci) pepererit, neq; id mirũ ait, deformes & nigros è Córace natos, cum Iupiter in Cygnum candidissimam alitem mutatus, Helenam & Dioscuros è Leda pulcherrimam sobolem susceperit.

¶ Corax nomen fuit unius ex equis Cleosthenis Epidamnij, ut scripsimus inter propria equorum nomina. nostri etiam equum colore nigrum rapp, id est coruum uulgò uocitãt. Corax unus è canibus Actæonis apud Aeschylum, Pollux.

¶ Loca Laodiceæ proxima oues optimas ferunt, ex quarum lana Coraces (Græcè est, lanæ sunt præstantes, non solum mollitie, uerum etiam εἰς τὸν κοραξὸν χρόαν, id est colore atro) maximũ prouentum capiunt, Strabo lib. 12. ¶ Coraxi, Κοραξοί, genus Scytharum, Hesych. & Varinus. Plinius 6. 5. & Pomponius lib. 1. Colchidis regionis populos esse scribunt: Stephanus gẽtem esse Colchorum πλησίον κώλων, (sic habet codex impressus,) authore Hecatæo in Asia: unde Coraxicus murus & Coraxica regio dicatur. Iuxta eosdem pars Tauri montis Corax (aliâs Coraxis) appellatur: Plinio Coraxicus lib. 5. cap. 27. Coraxis apud alios memoratur mons, qui à Septentrione Colchidẽ claudit: & Corax fluuius qui ex eodem (uel ex Caucaseis montibus) oritur. Corax montis nomen in Sarmatia Europæ apud Ptolemæum: Stephano mons est inter Callipolim & Naupactum, cuius meminerit Polybius lib. 20. gentile Coracius. Aetoli latus Parnasi incolunt iuxta Coruum. sic enim montem Aetolium appellant, Strabo lib. 9. ¶ Coracij regio appellatur in mediterraneis Arabiæ, ubi maxima Indicarum arundinum copia nascitur, Strabo lib. 16. ¶ Corax uocabatur locus supplicij in Thessalia, ut dicemus infra in Prouerbio, Ad coruos. ¶ Κόρακος πάγος mons Europæ in Nicandri Theriacis. ¶ De coruorum portu in Oceani Germanici uel Britannici littoribus, sito, infra inter auspicia scribemus. ¶ Coraconnesus, Κορακόννησος, insula quædam Stephano, cuius meminisse ait Alexãdrum tertio Libycorum. Vbi Ladon Arcadiæ fluuius prorumpit in Alpheum, Coruorum insula locus appellatur, Pausanias in Arcadicis. ¶ Πὰρ Κορακοσπέτρῳ in fine Odysseæ N. ubi Scholiastes innominatus docet, hunc locũ in Ithaca sic dictum esse, quòd ibi Corax inter uenandum à petra delapsus obierit, propter quem casum mater eius Arethusa seipsam strangulârit, & fonti in Ithaca nomen dederit, ut filius saxo. sed huius nominis fontes etiam alibi sunt, in Syracusis, in Smyrna, in Chalcide, & Argis. Eadem ferè apud Hesychiũ legimus. Κορακοσπέτρα, uox enunciandа ὑφ' ᾧ, ὅ ἐστι κατὰ συμπλοκὴν, unde gentile Κορακοσπετρίτης uoce composita, (uel κορακοσπετραῖος, ut Stephanus habet) sic dictus est locus in Ithaca (quod & Stephanus scribit) ab incola quodã Corace, qui inter uenandum leporem persequens, ab eo loco præceps delapsus est, Eustathius. ¶ Coracesium, Κορακήσιον, locus in Cilicia, cuius incolarum improbitas notatur, Eustathius. sunt qui partem Tauri montis esse doceant. Primum Ciliciæ castellum est Coracesium, in petra prærupta positum, Strabo.

¶ b. Cincinni eius condensi & nigri ueluti coruus, Canticorum 5. Apud Apuleium de deo Socratis, uulpes astutè coruum laudat, his uerbis: Quantum ad decorem pluma mollis, caput argutum, rostrum ualidum. iam ipse oculis perspicax, unguibus tenax, &c.

¶ c. Coruus in superliminari, Sophoniæ 2. interprete Hieronymo, sed melius Munsterus, Desolatio erit in poste eius. Hebraicè enim non oreb, id est coruus legitur, sed horeb, id est uastitas & desolatio. Noctua & coruus habitabunt in ea, Esaiæ 34. hoc est, desolata reddetur. Coruorũ pullis dat escam inuocantibus eum Deus, Psalm. 147. Coruo Deus præparat escam suam dum pulli clamant ad Deum, uagantes, eò quòd non habeant cibos, Iob 38. Considerate coruos, qui non seruntneq; metũt: quibus non est penuarium neq; horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis uos præstatis uolucribus? Lucæ 12. Oculum qui subsannat patrem, & uilipendit doctrinã matris, hunc eruent corui torrentis, (orebe nahal,) deuorabuntq; ipsum pulli aquilæ, Prouerb. 30. Ἐκρέμασε κόρακος δ' ἔππον, Aristoph. in Thesmophoriaz. Mẽtior at si quid, merdis caput inquiner albis Coruorum, Horatius Serm. 1. 8.

¶ d. Coruí & picæ homines (uoce) imitantur, retinentq; memoriam eorũ quæ audierint, Porphyrius lib. 3. de abstinentia ab animatis. Nugantur quidam coruinum quendam lapidem appellari (rappenstein uulgò) qui gestatus inuisibiles faciat, & ab ignium aquarumq; nocumentis præseruet. reperiri illum in nido coruí: si quis subrepta inde oua elixaq; in eundem reponat, hoc enim animaduerso coruum parentem auolare, & lapidem (uel radicem) adferre, qui suo contactu ouis pristinum uigorem & cruditatem restituat. Sunt qui cornicem uariam nido suo herbã uel radicem imponere nugentur, cuius beneficio non uideantur, & gestantes quoq; homines reddãtur inuisibiles.

¶ g. Cor corui gestatũ ad inhibendũ somnum aliqui efficax esse putãt, ut Fernelius annotauit.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 372 sur 825

¶ h. A Noe diluuij tempore coruus primum emissus est, & reuersus: deinde columba, ut Geneseos octauo legimus: & recitatum est supra in Columba h. ex Io. Tzetze. Succurrit in hac uolucre (coruo) fabulas poetarũ cum sacra historia conuenire, apud illos à Phœbo, apud nostros à Noëo ex archa aquæ gratia dimissa, ac eius contumacia utrobiq; accusata, Volater. ¶ Dion in Pompeij rebus scribit populi clamore dissono superuolantem coruum grauius ictũ decidisse ὥστε ἐμβριθέστερον, Cælius. Titus Imperator cum in Isthmijs aliquot Græcorum ciuitatibus libertatem donasset, ea per præconem promulgata, præ immensa uocis gaudentium magnitudine accidit, ut corui qui forte superuolabant in ipsum decíderent stadium, aere diuiso. Nam cum uox permagna æditur, ipsius ui disiunctus aer nullam uolantibus firmitatem exhibet: unde aues tanquam ad inane peruenerint delabuntur, aut certe è clamoris ictu, tanquam sagitta quadam saucię, exanimes concidunt. Potest & quidam aeris, sicut & pelagi uortex esse, qui uiolento circumagat impetu, Plutarchus in uita T. Quintij Flaminij. ¶ L. Valerius in singulari pugna aduersus Gallum prouocatorem à coruo galeæ eius insidẽte adiutus, uictoria potitus est, & ab euentu Coruinus cognominatus. Vide supra inter Propria. ¶ Corui deferebant panem & carnes Eliæ prophetæ mane ac uesperi, & de torrente Carith bibebat, Regum 3. 17. Paulus primus anachoreta ministros sibi & familiares coruos in eremo habuit, Textor. Meginradum quendã eremitam apud Heluetios eo in loco qui etiamnum Eremus appellatur, circa tempora Caroli Magni, duo latrones occiderunt. eos Tigurum usq; à coruis persequentibus infestatos, eoq; argumẽto deprehensos pœnam dedisse è uulgo aliqui credunt, & inde adhuc durare insigne domus in quam diuerterant. Historias quasdã de coruis, infra etiam inter auspicia reperies.

¶ Coruos duos (uel aquilas, secundum alios) à Ioue dimissos, unum ab ortu, alterum ab occasu, Delphis conuenisse fabulantur. quare illic medium totius orbis constituunt, & telluris umbilicum appellant, Strabo lib. 9. refert autem fabulam Pindarus. ¶ Coruum ex albo in nigrum ab irato et Apolline mutatum fabulantur, ut supra in B. retuli. In pugna gigantum cõtra deos, Apollo in coruum mutatur apud Ouidium 5. Metam. ¶ Οὕτω ἡδέως ἐσθὴς ἐμπεφορβιωμένους, Aristophanes in Aubus. irridet autem tibicinem quendam tanquam nigrum, qui coruum nimirum repræsentabat. Habebant autem tibicines phorbia, id est pelliculas quasdam circa os, ne labia eorum læderentur.

¶ Auspicia ex coruorum aliquo facto, aut uolatu, aut uoce. ¶ Qui animalium uaticinorum animas sibi adscíscere uolunt, præcipuas illorum partes uorant, ut corda coruorum aut accipitrum: & sic animam eorundem in se recipiunt, quæ dei instar futura eis præsagit, Porphyrius lib. 2. de abstinendo ab animatis. Aues nigræ inauspicatæ sunt, ut cornix, coruus, Scoppa. ¶ Artemidorus portum quendam in Oceani (Germanici uel Britannici) littoribus esse scribit, quem duorum coruorum uulgò nomínent, in eo quidem duos apparere coruos, dextris albicantibus alis. Qui igitur ulla de re controuersantur, illuc accedere, in sublimi loco posita tabella, utrinq; seorsum in ipsa lagana collocare. ipsas dehinc aduolantes alites partim commanducare, partim dissípare. cuius autem lagana dissipentur, illum uictorem euadere. Hæc quidẽ fabulosius memorat, Strabo lib. 4. ¶ Coruos aurum corrosisse uelut dirum maliq; portenti procuratum fuit, Alexander ab Alex. Clitodemus in Attica historia inquit, cum Athenienses classem iam Siciliam uersus instruxissent, infinitam coruorum multitudinem prouolasse Delphos, & mutilasse quasdam simulachri (Mineruæ aurati) partes, aurumq; ab eo rostris detraxisse. Addit idem, hastã fregisse coruos, & noctuas, & quicquid ad imitationem fructuum autumnalium erat ad palmam (eneam ab Athenienſibus dedicatam, ut & Mineruæ simulacrum) effictum, Pausanias in Phocicis. Inter cætera portenta quæ expeditionem Athenienſium in Siciliam præcesserũt, hoc etiam accidit. In Delphis Palladis aureum simulacrum æneæ palmæ superpositum stabat, quod Athenienses pro re bene ac felicíter aduersus Medos gesta constituerant. Hoc diebus plurimis corui rostro unguibusq; petẽtes quodammodo lacerare conabantur, ac palmæ fructus qui ex auro fabricati erant, partim uorantes absumpsêre, partim ui conuulsos deiecerunt, Plutarchus in Nicia. Idem in libro, De eo quòd Pythia non amplius carmine respondeat, Quo tempore (inquit) Athenienses cladem à Siculis acceperunt, Palladij (id est Palladis) simulacri scutum corui tundebant, (πολιόσπαρτον, mutilabant.) Alexander Magnus Babylonem ingressurus, contemptis Chaldæorum monitis, propinquus iam urbi complures altercantes secq; mutuo ferientes coruos aspexit, ex quibus nonnulli penes ipsum delapsi sunt. Ipse paulò pòst in urbe uita defunctus est, Plutarchus in eius uita. Cum Marius Romæ pernicíosissimã seditionem (qua plurimo sanguine pugnatũ est inter ipsum & Syllam) moliretur, inter cætera diuinitus ædita signa, tres coruí pullos in uiam productos deuorarunt, eorumq; reliquias intra nidum retulerunt, Idem in uita Syllæ. Marco Ciceroni mors imminens auspício prædicta est. cum enim in uilla Caietana esset, coruus in conspectu eius horologij ferrum loco motum excusit: & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eò usq; morsu tenuit, donec seruus ad occidendum eum milites uenisse nunciaret, Valerius. Iuxta Ararim flumen situs est mons Lugdunus, in eo Momorus & Atepomarus imperio pulsi à Sesironeo, ciuitatem condituri dum fundamenta fodiunt, derepente coruí apparuerunt, & circunuolitando arbores circunquaq; repleuerunt. Quamobrẽ Momorus auspiciorum peritus urbem Lugdolum nominauit. Lûgos enim Celtica lingua coruum sonat. dûlon uerò (forte dunum, quæ uox aliarum etiam ciuitatum quarundam nominibus adjícitur) excellentem, ut tradit

Clitophon

Clitophon lib.13. Ctiſeon, Plutarchus in libro de fluuijs. L. Sylla, Q. Pompeio coſſ. Stratopedo, ubi ſenatus haberi ſolet, corui uulturem tundendo roſtris occiderunt, Iul. Obſequens. Contractis ad Bononiam triumuirorum copijs, aquila tentorio eius ſuperſedens, duos coruos hinc & inde infeſtantes afflixit, & ad terram dedit, notante omni exercitu, futuram quandoq; inter collegas diſcordiam talem, qualis ſecuta eſt, ac exitum præſagiente, Suetonius in Octauio Auguſto.

¶ Cum Metellus pontifex Maximus, Thuſculanum petens iret, corui duo in os eius aduerſum ueluti iter impedientes aduolauerunt; uixq; extuderunt ut domum rediret. inſequente nocte ædes Veſtæ arſit, quo incendio Metellus inter ipſos ignes raptum Palladiũ incolume ſeruauit, Valerius. Alexandro Magno Hammonis oraculum per deſerta & arenoſa loca adeunte, quum ductores iam errare cœpiſſent, diſperſis ex ignoratione comitibus, coruos (duos, Strabo lib. 17.) qui prævolantes eis iter monſtrarent, & tardius ſubſequentes præſtolarentur, apparuiſſe conſtat. Quod uerò longè mirabilius eſt, tradit Calliſthenes, noctu palantes cantu ac uocibus ad ſequenda comitum ueſtigia reuocaſſe, Plutarchus in uita Alexandri. Tempore quo apud Pharſala hoſpites Mediæ periere, corui locis Athenarum Peloponneſiq; defuerunt, quaſi ſenſum haberent aliquẽ, quo inter ſe rerum euenta ſignificarent, & mouerentur, Ariſtot. Ex quo Plinius ſic tranſtulit, Corui in auſpicijs ſoli uidentur intellectum habere ſignificationum ſuarum, nam cum Mediæ hoſpites occiſi ſunt, omnes è Peloponneſo & Attica regione uolauerunt.

¶ Arabes coruos audiunt, (uel intelligunt: ὡραῖκωρ ἀκόυσι,) Porphyrius de abſtinendo ab anim. lib. 3. Auium uoces uſq; adeò uariæ ſunt pro diuerſis earum affectibus, ut earũ uarietatis differentias omnes obſeruare difficillimum foret. itaq; cornicis & corui uocum differentias aliquot augures obſeruarunt, reliquas tanquam ſupra hominis captum reliquerunt, Ibidem. Oſcines aues Appius Claudius eſſe ait, quæ ore canentes faciant auſpicium, ut coruus, cornix, Feſtus. Oſcinum tripudium eſt quod oris cantu ſignificat quid portendi, cum cecinit coruus, cornix, &c. Idem. Oſcinem coruum prece ſuſcitabo Solis ab ortu, Horat. Carm. 3. 27. Ab ortu enim Solis, inquit Acron, proſpera corui omnia ſunt, aduerſa ab occaſu. Si ab ortu clara uoce occinuerint, præſentem felicitatem: contrà uerò ab occaſu exitium apportant, Alexander ab Alex. Agmen coruorum in futurum excidium retulerunt augures, ut & aliarum quæ cadaueribus ueſcuntur, uulturum, graculorum, miluorum, aquilarum, cornicum, Niphus. Apud Indos quædam regio eſt, quæ dicitur nunc Pharcelos, ubi coruorum magna multitudo perijt; ad quam quum poſtea redijſſet longè maior multitudo, deſolationem regionis, & incolarum interitum ſignificauit, Idem. Vt uulturum & aquilarum, ſic & coruini generis unum in locum congregatio, mortes ſignificat & uaſtitates futuras. Retulerunt quidem nobis multi fide digni aliquando multos coruos apparuiſſe in caſtro ſuperioris Sueuiæ, quod Ruffum caſtrum uocatur, ita ut numerus coruorum muros & tecta domorum operire uideretur: & ſubito mortuum fuiſſe comitem, qui princeps caſtri erat, coruosq; receſsiſſe: unde uulgò dicebatur coruos animam eius abduxiſſe, Albertus in Ariſtot. de hiſt. anim. 9. 36. Peſsima coruorum ſignificatio, cum glutiunt uocem uelut ſtrangulati, Plin. Coruus uel cornix glocitans (crocitans) per 12. ſigna Zodiaci, Luna in eis exiſtente, quid ſignificent, explicat Niphus libro 1. de augurijs tabula 6. Tiberius Gracchus cum ad res nouas pararetur, auſpicia domi prima luce petijt: quæ illi perquam triſtia reſponderunt. & ianua egreſſus, ita pedem offendit, ut digitus ei decutere-tur, tres deinde corui in eum aduerſum occinentes, partẽ tegulæ decuſſam ante ipſum protulerunt, quibus omnibus contemptis à Scipione Naſica pontifice Maximo decuſſus Capitolio, fragmento ſubſellij ictus procubuit, Valerius. Picus & cornix eſt ab læua, coruos porrò ab dextera, Plautus Aſin. Non temere eſt, quòd coruos cantat mihi nunc ab læua manu, Simul radebat pedibus terram, & uoce crocitabat ſua, Euclio apud eundem in Aulularia. Quid augur? cur à dextra coruus, à ſiniſtra cornix faciat ratum? Cicero 1. de diuin.

¶ In ditione Carthaginenſium aiunt duos coruos circa Iouis templum perpetuò manere, nec uſquam aliò uolare, & alterum ex eis anteriorem colli partem habere albam, Ariſtot. in Mirabilib.

¶ Corui Romæ publicè ſepulti hiſtoriam recitaui ſupra in D.

¶ Coruum ſacrum & Apollinis pediſſequum eſſe dicunt: idcirco diuinationibus prædituſ fatentur, eiuſq; clamori dant operam, qui auium ſedes, & clangores, & uolatus ipſarum à dextra ac ſiniſtra cognoſcunt, Aelianus. Græci coruum Apollini ſacrum eſſe dicunt, Plutarchus in libro de Iſide & Oſir. eſt enim auis nigra, qui color tenebroſæ nocti conuenit: nam & cygnus eidem deo ſacer eſt ob diei candorem, ut ſcribit Euſtathius, & Varinus in Λυκοφρονίς. Cum duo præſtabiles colores piceus ac niueus forent, quibus inter ſe nox cum die differunt, utrunq; colorem ſuis Apollo alitibus condonauit, coruo nigrum, cygno autem album, Apuleius de Socratis dæmonio. Coruus & accipiter hominibus Apollinis ſententiam nunciant, Porphyrius lib. 3. de abſtinentia ab animatis. Corui apud ueteres futura ſignificare putabantur cantu & uolatu, inde Phœbo aues dicatę deo diuinationis: ex eoq; à Silio Italico Phœbea ales coruus nuncupatur, Grapaldus. Coruus ab Auſonio Phœbeius oſcen dicitur. At Phurnutus coruum à Phœbo ait alienum eſſe, quòd uel ipſo colore profanus ac impurus ſit habitus, id eſt μιαρός: illiq; potius cycnum auẽ attribuit, quòd is auium maximè ſit muſicus & candidiſsimus, Gyraldus. Apollo cum gigantes diis bellũ inferrent, in coruum mutari uoluit, tanquam in auem ſcilicet ſibi ſacram. ¶ In Theſſalia ad Pagæaticum ſinum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 374 sur 825

corui erant Soli sacri, ut meminit Scholiastes Aristophanis in Plutum. ¶ Quòd si animantium cruore afficiuntur superi, cur non maciatis illis canes, coruos, &c? Arnobius contra gentes.

¶ Apologum corui & uulpis Apuleius describit in libro de deo Socratis. Vide infrà in prouerbio, Si coruus posset tacitus pasci: & alium apologum in prouerbio Coruus serpentem.

¶ PROVERBIA. Coruus albus: Vide supra in B. ¶ Coruus aquat (Κόραξ ὑδροῦς, παροιμία ἐπὶ τῶν δυσχερῶς τινὸς τυγχανόντων, Suidas, Hesych. & Varinus:) dici solitum ubi quis non citra negotium, citraq; ingenium consequeretur ea quæ cuperet. Aut ubi quis rem nouis artibus tentaret efficere. Ductum ab apologo de coruo quum sitiret, cõgestis lapillis aquam ex imo fundo in summam uasis oram euocãte, quod Plinius ut rem gestam memorat lib. 10. cap. 43. Sed probabilius uidetur, ut adagium referatur ad eam fabulam quam Fastorum libro 2. narrat Ouidius ad hunc modum, lib.

Forte Iouí Phœbus festum solenne parabat,
I mea, dixit, auis, ne quid pia sacra moretur,
Coruus inauratum pedibus cratêra recuruis
Stabat adhuc ficus duris densissima pomis:
Immemor imperij sedisse sub arbore fertur,
Iãq; satur, nigris longũ capit unguibus hydrũ:
Hic mihi causa moræ uiuarũ obsessor aquarũ,
Addis ait culpæ mendacia Phœbus, & audes
At tibi dum lactens hærebit in arbore ficus,
Non faciet longas fabula nostra moras:
Et tenuem uiuis fontibus adfer aquam.
Tollit, & aereum peruolat altus iter.
Tentat eam rostro, non erat apta legi.
Dum fierent tarda dulcia poma mora.
Ad dominumq; redit, ficiaq; uerba refert.
Hic tenuit fonteis officiumq; meum.
Fatidicum uerbis fallere uelle deum?
De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ. Proin-

de prouerbium mihi magis uidetur conuenire in cessatorem, Erasmus. Ego non aquat, sed aquatur potius uerbo deponente dixerim. Coruus Apollinis tutela usus (inquit Higinus in Hydra) eo sacrificante missus ad fontem aquam puram petitum, uidit arbores complures ficorum immaturas: eas expectans dum maturescerent, in arbore quadam earum consedit. Itaq; post aliquot dies coctis ficis & à coruo compluribus earum comesis, expectans Apollo coruum, uidit eum cum cratere pleno uolare festinantem. Pro quo admisso eius dicitur (quòd diu moratus sit Apollo, qui coactus mora corui, alia aqua est usus) hac ignominia eum affecisse, ut quandiu ficus concoquerentur, coruus bibere non posset, ideo quòd guttur habeat pertusum illis diebus. Itaq; cum uellet significare sitim corui, inter sidera constituit crateram, & supposuit hydram quæ coruum sitientem moraretur. uidetur enim rostro caudam eius extremam uerberare, ut tanquã non sinat se ad crateram transire. Per ęstatem coruus exaresćit siti confectus, eum clamore ultionem testari fama est, cuius causam afferũt, quòd cum ad aquationem eum famulum suum Apollo misisset, ille magna segete inuenta adhuc uiridi, inuestigare uolens granum frumenti, expectans ut maturuisset, mandatum domini neglexit; quam ob rem siccissimo anni tempore siti affectus, suæ moræ dat pœnas. Hoc fabulæ simile uidetur, Aelianus. Corui auium soli pullis suis potum ministrant (forte, non ministrant,) mento (guttura re) eis statim à coitu dehiscẽte. quod ueteris cuiusdam peccati culpa eis accidere fama est. nam cum Coronis in Tricca Aesculapium pareret, Córax aquari iussus re neglecta, libidini indulgebat, (ὁ δὲ γνόφος, malim ἐσπαγδύος, id est nimiam moram trahebat.) Quamobrem iratus Apollo cõuertit eum in auem atram, & absq; potu rostrum (ὀλίγα ποτὸ τὰς ῥῖνας) ei excrescere fecit: quæ res pullis est molestissima, Paraphrastes Oppiani lib. 1. de aucupio. ¶ Dat ueniam coruis, uexat censura columbas, Iuuenalis Satyra 2. uide in Columba h. Coruum delusit hiantem, dictum est ab Horatio (2. 40 Serm. Sat. 5.) in eum qui captatorem suum arte frustratus fuerat. Plerunq; (inquit) recoctus Scriba ex quinqueuiro coruum delusit hiantem. Loquitur de Corano, qui Nasicæ socero, spe testamenti per dolum ostẽtata, moriens, nihil præter plorare reliquit. Videtur autem hoc adagium effictum, & imitatum ad illud Græcorum, λύκος ἔχανεν: id est Lupus hiat. Vt itidem dicere liceat, Lupum delusit hiantem: & Κόραξ ἔχανεν, id est, Coruus inhiabat, Erasmus. ¶ Corui luscinijs honoratiores, Κόρακες ἀηδόνων ἀιδιμώτεροι: Cum indocti doctis præferuntur, improbi probis, blaterones eloquentibus, rapaces ac furaces cordatis & integris uiris. Aut cum plus tribuitur improbitati & audaciæ, quàm eruditioni ac sapientiæ, Erasmus. ¶ Inter Ledæos ridetur coruus olores, Martialis lib. 1. ¶ Mali corui malum ouum, Κακὸς κόρακος κακὸν ᾠόν: aptè usurpabitur quoties à malo præceptore discipulus malus proficiscitur: ex improbo patre filius improbus: ex patria illaudata uir illaudatus: denich facinus sceleratum ab homine scelesto. Metaphoram alij referunt ad naturam animantis, quæ nec ipsa est idonea cibis humanis, nec ouum parit ad quicquam utile. Sunt qui dicant fieri, ut coruorum pulli parentes ipsos deuorent, si forte non pascant illos ad satietatem, (uide ex Aeliano, supra in D.) & hinc ductum adagium. Alij (ut Suidas & Varinus) malunt ad huiusmodi fabulam referre: Corax quidam primus Syracusis, (de quo supra inter propria nomina diximus) post mortem Hieronis, instituit artem rhetoricen mercede profiteri. Cum hoc adolescens quidam Tisias hac lege pactus est, ut tum demum mercedem persolueret, ubi iam artem perdidicisset. Dein ubi iam arte cognita præmium reddere cunctaretur, Corax in ius discipulum uocat. Ibi iuuenis huiusmodi dilemma proponit. Percontãti quis esset artis finis, ubi Corax respondisset, persuadere dicendo: Age (inquit) si persuadeo iudicibus me nihil debere, non reddam, quia uici causam: sin minus persuadeo, 60 nõ reddam, quia non perdidici artem. At Corax Tisiæ dilemma tanquam uitiosum & antistrephõ, in discipulum retorsit, ad hunc modum: Imò (inquit) si persuades, dabis, quia tenes artem, & debes

ex pa-

ex pacto: sin minus, dabis, quia sententijs iudicum damnatus. Quod cõmentum tam uafrum, tamq; callidum ubi iudices audissent, admirati uersutiam adolescentis, succlamarunt, Κακὸν κόρακ@ κακὸν ὠόν. Sunt qui narrent hoc succlamatum à corona circunstantium, cum alter alteri litem intenderet. Huiusmodi fermè leguntur in Prolegomenis in Hermogenis Rhetoricen, Hæc Erasmus. adijcit idem ex A. Gellio simillimam per omnia historiam de Protagora Rhetore & Enathlo eius discipulo, quam à L. Apuleio etiam in Floridis describi ait. Tappius idem prouerbium tanquam Germanis quoq; ijsdem uerbis usitatum refert: **Böse raben/böse eyer**: & eiusdem sententiæ hoc, **Wie der vogel ist/ so legt er eyer.** ¶ Volantia sectari, τὰ πετόμενα διώκειν, apud Aristotelem lib. 3. περὶ μετὰ τὰ φυσικὰ, de uehementer obscuris, & quæ difficillimum sit peruestigare. Cui non dissimile est illud, Est aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum? An passim coruos sequeris, testaq; lutoq; de ijs qui nullum certum uitæ scopum sibi proponunt, sed ex tempore uiuunt, ad quamuis occasionem mutabiles, Erasmus. Plato in Euthyphrone, Τί δέ, πετόμενόν τινα διώκεις; id est, Quid autem uolãtem quempiam insectaris? Eundem sensum habet prouerbiũ, Aues quæris. ¶ Si coruus posset tacitus pasci. Si breuis apologus autore Fabio parœmiæ genus est, cur non illud etiam prouerbijs annumeremus, quod scripsit Horatius: Sed tacitus pasci si posset coruus, haberet Plus dapis, & rixæ multò minus inuidiæq;. Quidam existimant mutuò sumptum ex Apologo, quem in libro de deo Socratis refert Apuleius, de coruo prædam nacto, quam uulpes ita intercepit, dum arte persuadet illi, ut canere incipiat. Quadrat in eos, qui si quid bonæ rei nacti sunt, continuò iactant ostentantq;, atque ad eum modum efficiunt, ut alij tum obsistant, quò minus eiusmodi plura commoda nancisc antur, tum quæ nacti sunt interuertant, Erasmus. ¶ Coruus serpentem, Κόραξ ὄφιν, ubi quis suo ipsius inuento perit, sumptum ex apologo quodam Aesopi. Coruus esuriens serpentẽ in aprico dormientem conspicatus rapuit, à quo morsus perijt. Cognatum ei quod aliâs retulimus, Cornix scorpium. Torquere licebit & in hominem ob edacitatem periclitantẽ: ueluti Diogenes Cynicus comeso polypo crudo perijt, Erasmus. ¶ Ad coruos, Βαλλ' ὀν κόρακας: id est, Abi ad coruos, perinde ualet quasi dicas, abi in malam rem atq; in exitium. Βαλλ' ἐς κόρακας, τίς ἔδ' ὁ κόψας τὼν θύραν; id est, Apage ad coruos, quis est qui pepulit hostium? Aristophanes in Nubibus. Rursum in Pluto, Οὐκ ἐς κόρακας; id est, An non ad coruos? Iterum in eadem fabula, Ἐβῶ' ὀν κορακας θᾶττον ἀφ' ἡμῶν. id est, Ocyus hinc in coruos abeas. Reperitur apud hunc poetam & alijs plerisq; locis. Plutarchus in commentario quem scripsit aduersus Herodotum, taxat eum, quòd Isagoram ad Cares, uelut ad coruos relegârit: id est, quòd eum Carem fecerit. Zenodotus scribit in Thessalia locum esse quendam, cui nomen inditum Coruis (Κόραξ, ut recentior quidam annotauit,) in quem nocentes præcipites dabantur. atq; huius adagij Menandrum etiam meminisse. Quosdam autem originem adagionis ad huiusmodi quandam historiam referre. Bœotijs quondam Arnam incolentibus oraculo prædictum est, futurum ut è finibus expellerentur, simulatq; corui albi apparuissent. Euenit deinde ut adolescentes aliquot per lasciuiam & temulentiam coruos, quos ceperant, gypso oblitos rursum emitterent. Quos ubi uidissent uolantes Bœotij, recordantes oraculum, arbitrati adesse tempus, quo forent suis è sedibus eijciendi, summopere perturbati sunt. Cæterum adolescentes territi & ipsi tumultu, profugerunt, ac locum quendam sibi mercati sunt, cui nomen Corácon, id est Coruorum. Cõtigit aliquanto post ut Aeoles eiectis Bœotijs, Arnam occuparent. apud quos hic deinde mos receptus, ut malefi cos relegarent in eum locum, cui nomẽ erat Coruí. (Vide supra in B. & in Lexico Varini in Βαλλε.) Aristophanis interpres paulò diuersius hanc recenset historiam: nempe Bœotijs aliquando à Thracibus subuersis ac profligatis respondisse deum, ut ibi sedẽ figerent, ubi coruos albos cõspexissent. conspexisse autem in Thessalia iuxta sinum Pagæaticum circumuolantes coruos quosdam Soli sacros, quos pueri per lusum gypsatos dimiserãt. Bœotij uerò rati iam perfectum oraculi symbolum, inibi sedem constituerunt. Sunt qui parœmiam ad coruorum uolatũ referant, quòd in desertis ferè locis uolitare consueuerint, (& obseruare cadauera, Scholiastes in Plutum Aristophanis.) Vt prouerbium conueniat cum illo, in extremas solitudines publicitus deportandum. Euripides in Hecuba, Οὐχ ὅσον τάχ@ Νάσῳ δρήμων αὐτὸν ἐκβαλεῖτέ που; Stratonicus citharœdus apud Athenæũ lib. 8. detorquet in cantorem (psalten) quendam, is quum ei nescio quid molestus esset, Ψαλλε, inquit, ὀν κόρακας, deprauata per iocum uoce ψάλλε pro βάλλε, Hæc omnia Erasmus. Εἰς κόρακας, εἰς σκότ@, εἰς ὄλεθρον, Apostolius. Οὐκ ἐς κόρακας φθαρήσεται ὁ σκωπτόμεν@ ὁ λέσβι@; Alciphron. Εἰς κόρακας ὦ μαστιγίας, Hipparchus apud Athenæum. Πρὸ ὀν κόρακας. οἱ σφῆκες ὀκ ἀπ' ἐμῶν θυρῶν, Aristophanes in Acharnensibus. Eiusdem Scholiastes in Ranas, cum Bacchus dixisset ὀν κόρακας, locum ait Athenis fuisse hoc nomine, in quem aliqui supplicij causa abijcerentur. Οὐκ ἴσ' λαβὼν θύραζε τὰ ψηφίσματα κἀπὶ τὼν ἀναγκαίων ὀν κόρακας ἐντεῦθεν; Aristophanes apud Pollucem lib. 8. Σκωρακίζειν uerbum compositum est, pro ὀνκορακίζειν, hoc est ὀν κόρακας ἀποπέμπειν, unde etiam nomen σκωρακισμὸς fit, Suidas, Etymologus sic κόρθον pro γόρθον, &c. epsilo initiali abiecto, & Eustathius. Μὴ ἀποσκωρακίσῃς με, μὴ ἀποδιώξῃς, ἢ ἀποδυσωμένας: hoc est, ne me reijcias aut detesteris, Varinus. Ἐκσκωρακίζειν, ἀποδιώκειν, Idem. Germani etiam malum & exitium imprecantur per coruos: **Das dich die raben fräſſen**: hoc est, Coruí te deuorent. ¶ Eleganter dictum est à Diogene Cynico, περιττὸν εἶν ὀν κόρακας ἀπελθεῖν ἢ ὀν κόλακας. id est, satius esse ad coruos deuenire quàm ad adulatores, quòd hi & uiuos & bonos etiam uiros deuorarent, Athenæus: ex quo Erasmus trãstulit in prouerbio, Ad coruos. Οἱ μὲν κόρακες τὼν τετελευτηκότων οὐ σφάλ-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 376 sur 825

μὲς λυμαίνονται, ὅταν αὐτῶν ἐδῶσι χρέα: οἱ δὲ κόλακες ζῶντων τὰς ψυχὰς διαφθείρουσι, καὶ τὰ τούτων ὄμματα τυφλώττουσι, Epictetus. Est autem scita colluſio uocum κόραξ & κόλαξ: & quoniam balbutientes pro litera rhô, lambda pronunciare ſolent, Soſias ſeruus apud Ariſtophanem in Veſpis narrans ſomnium ſuũ, inter cætera ait ſe uidiſſe θεωρὸν κεφαλὴν κόρακος ἔχοντα: (ubi Scholiaſtes, Traducit, inquit, Cleonem tanquam rapacem, & improbum, & adulterum.) Εἶτ' Ἀλκιβιάδης ἔφη πρός με τραυλίσας, ὁλᾶς θεωλὸς τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει. & mox ſubdit, conijciendum eſſe, ὅτι ἀρθεὶς ἀφ' ἡμῶν ἐς κόρακας ἐχώρησεν. Similis alluſio etiam inter κόλαξ & σπῶλαξ eſt, qua utitur Anaxilas apud Athenæum, his uerbis: Ἕνιοι κόλακες εἰσὶ τῶν ἐχόντων ὐσίας Σκώληκες, &c.

¶ Cum uir optimus (opulentus) obit, inquit in Emblematis Alciatus, Maxima rixa oritur: tandem ſed tranſigit hæres, Et coruis aliquid uulturibusq; finit. ¶ Eiuſdem Emblema quod inſcribitur, Iuſta ultio. Raptabat uolucris captum pede coruus in auras Scorpion, audaci præmia parta gulæ. Aſt ille infuſo ſenſim per membra ueneno, Raptorem in ſtygias compulit ultor aquas. O riſu res digna, alijs qui fata parabat, Ipſe perit: proprijs ſuccubuitq; dolis. At qui prouerbium, Cornix ſcorpium, non coruo ſed cornici, eam hiſtoriam tribuit.

DE CORVIS AQVATICIS.

DE CORVO aquatico multa iam ſcripſimus ſupra inter Mergos maiores. Mergi ſunt nonnulli, quos ceruos (lego coruos) aquaticos uocant, Seruius. Hiſpanis hodieq; mergus cuerno marino appellatur. Georg. Agricola coruũ aquaticũ Germanicè ad uerbum interpretatur Waſſerrabe. Idem, Coruí aquatici (inquit) hybernis temporibus ſe conferunt ad lacus aut fluuios qui frigore non congelant. Coruus aquæ, id eſt macha, Auicenna de animalibus lib. 8. Ariſtoteles coruum aquaticum magnitudine ciconiæ eſſe ſcribit, cruribus breuioribus, palmipedem, natantem, colore nigrum: arboribus inſidere & nidulari in iis unum ex hoc (palmipedum) genere. Hæc deſcriptio conuenit auí, quam noſtri ſcharbum appellant, cuius hiſtoriam & figuram inter Mergos requires. Vbi & Morfex auis aquatica nigra palmipes, &c. à nobis deſcribitur, eiuſdem cum ſcharbo generis ut apparet. utraq; in arboribus nidificat. Córax, auis eſt palmipes, Varinus. Niphus hunc Ariſtotelis coruum aquaticum, uulgò coruum marinũ dici ſcribit. ¶ Plinius coruos aquaticos naturaliter caluere, & inde nomen eis apud Græcos eſſe docet, unde apparet phalacrocoracem Græcorum poſteriorum Ariſtotele (nam apud Ariſtotelem hoc nomen non inuenitur, conijcimus autem eum quem coruum uocat aquaticum, uel palmipedem eundem phalacrocoraci eſſe) à Plinio coruum aquaticum transferri. Robertus Stephanus phalacrocoracem Gallicè interpretatur, ung corbeau d'eau, ung cormorant, corbeau peſcheret. In Burgundia uocari audio auem quandam crot peſcherot, id eſt coruum piſcatorem, cui pedes diuerſi ſint. alter unguibus uncis ad rapinam comparatus, alter palmipes ad natãdum. nam cum piſcem arripuit in aqua, nec facile propter pondus ex aqua euolare poteſt, piſcem altero pede retinẽs, altero remigat uſq; ad ripam. Idem Angli de aquilæ marinæ quodam genere narrant, quam oſprey appellant. Fulicæ genus duplex fecerim, alterum minus, apud nos cõmune per hyemem præſertim in lacubus, alba frontis macula inſigne, alterum maius, quod in Italia notum aiunt, & in arboribus nidificare, piſces magnos uorare: quod an phalacrocorax & coruus aquaticus Ariſtotelis ſit, nondum comperi. Vide infra in fine hiſtoriæ Cornicis marinæ. Gelenius phalacrocoracem Illyricè lyska interpretatur, ſed fulicam ſic nominari Illyrijs puto. Coruum aquaticum Ariſtotelis Vuottonus ſuſpicatur eandem eſſe cum cornice marina, cuius in Ponti Euxini nauigatione Arrianus meminit, ab æthyia eam diſtinguens: nam Heſychius & Suidas non diſtinguunt. Pugnant inter ſe frichachyz & coronos, id eſt coruus aquaticus, Albertus, abſurdiſsimè. nam apud Ariſtotelem eo in loco ſic legitur, Triorches, phrynus & ophis pugnant. Plura de Phalacrocorace leges in Elemento P.

¶ Auicennæ translatio ex Ariſtotele pro alcyone alicubi habet alchorab, quæ uox coruum ſignificat, ubi Albertus, Alcyon (inquit) eſt auis nigra, non admodum magna: & forte hanc uocauit Auicenna coruum marinum propter coloris ſimilitudinem. Et rurſus, Alcyon eſt eadem cum alchorab marino, & ſecũdum Ouidium & Homerum auis eſt Diomedis. Sed alcyonem auem eſſe nigram falſum eſt.

¶ Coruus rubro roſtro apud Anglos inuenitur, cuius meminit Plinius, Longolius, apparet autem eum ſentire de pyrrhocorace, qui in Cornubia Angliæ, & in alpibus reperitur. unde uulgò à noſtris Alprapp, id eſt coruus alpinus nominatur: cui tamen roſtrum luteum, nõ rubrum. Sed nuper ſpeciem alteram pyrrhocoracis uidi, quam in Bauariæ quibuſdam locis Steintahen, id eſt graculum ſaxatilem uocant, roſtro longiuſculo, rubro, &c.

¶ Incendula auis coruini generis cum bubone pugnat, Albertus, legendum monedula, uide in Bubone in fine capitis quarti.

DE CORVO SYLVATICO.



AVIS, cuius hîc effigies habetur, à noſtris nominatur uulgo **ein Waldrapp**, id eſt coruus ſyluaticus, quòd locis ſyluoſis, montanis & deſertis degere ſoleat: ubi in rupibus, aut turribus deſertis nidificat. quare etiam **Steinrapp** uocatur, & alibi (in Bauaria & Stiria) **ein Clauſſrapp**: à petris ſeu rupibus, & pylis (nam pylas, id eſt anguſtias inter duos montes Germani **clauſen** appellant, hoc eſt loca clauſa) in quibus nidos ſtruit. Lotharingi, ut audio, corneille de mer, id eſt cornix marina: quam et in iuglandibus aliquando nidificare ferunt, ſed forte ea alia auis eſt. Circa lacum Verbanum coruus marinus dicitur. alibi in Italia coruus ſyluaticus, ut in Iſtria circa promontorium Polæ, ubi homine per funem demiſſo per rupes nidis eximuntur, & inter menſarum delicias habentur, ut apud nos quoq; in montium quorundam rupibus. ſic enim Fabarias thermas repertas aiunt, cum auceps quidam per altiſsimas rupes propter has aues ſe demiſiſſet. Alibi in Italia coruo ſpilato, id eſt coruus depilis, quoniam ſeneſcens calueſcat. Germanicè quidam nuper confícto à ſe à ſono uocis eius nomine **Scheller** uocabat. ¶ Sunt qui phalacrocoracem hanc auem interpretentur, quoniam & magnitudine & colore ferè coruum refert: & calueſcit, ut uidi, cum adultior eſt. Turnerus Ariſtotelis coruum aquaticum & Plinij phalacrocoracem, & coruum ſyluaticum noſtrum auem unam eſſe arbitratur, tertium genus graculi. Coruus ſyluaticus Heluetiorum, inquit, auis eſt corpore longo et ciconia paulò minore, cruribus breuibus, ſed craſsis: roſtro rutilo, parum adunco (curuo) & ſex pollices longo: alba in capite macula, & ea nuda, ſi bene memini. Quòd ſi palmipes eſſet & interdum nataret, indubitanter tertium graculorum genus eſſe adfirmarem. uerũ licet auem in manibus habuerim, an palmipes fuerit, nec ne, & calua, non bene memini, Sic ille. Sed cum nos certò ſciamus, palmipedem non eſſe coruum ſyluaticum noſtrum, non poterit eſſe coruus aquaticus Ariſtotelis, ſed neq; Plinij, qui (ut diximus) phalacrocoracem, id eſt coruum caluum, eundem & aquaticum facit. Noſter uerò ſyluaticus non eſt aquaticus, neq; in aquis degit: ſed in pratis, & locis paluſtribus uictum ſibi quæritat. Iam cum Ariſtoteles tertium graculi genus palmipes faciat, id quoq; coruus ſyluaticus noſter eſſe non poteſt.

¶ AVIS quam prius hæmatopodem eſſe putabam (inquit Belonius) nunc potius ibin nigram eſſe conjicio: cuius Herodotus & Ariſtoteles meminerunt. Ea corporis mole auem à Gallis uulgò corlis (arquatam maiorem noſtram eſſe arbitror) dictã refert, uel paulò minor eſt, tota nigra, capite phalacrocoracis, roſtro iuxta caput plus quàm pollicari craſsitudine, inflexo modicè in arcum & in acutum deſinẽte, rubicundo, qui crurum etiam color eſt. Proceritas crurum ea ferè quæ in ardea

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 378 sur 825

ſtellari. colli longitudo quæ in aue quam Galli uocant aigrette, ita ut primò uiſa à me hæc auis ardeam ſtellarem quodammodo referre uideretur corporis ferè ſpecie, Hæc ille in Gallico libro Singularium obſeruationum ſuarum.

¶ Coruo ſyluatico noſtro magnitudo eſt gallinæ, color niger toto corpore, ſi eminus uideas: ſin propius, ad ſolem præſertim, cum uiridi permixtus uidetur. pedes ferè ut gallinæ, longiores, digiti fiſsi, cauda non longa, à capite retrò criſta tendit, haud ſcio an in omnibus aut ſemper: roſtrum rubicundum, oblongum & aptum inſeri anguſtis terræ, arborum & murorum aut petrarum foraminibus, ut latitantia in eis inſecta & uermes, quibus paſcitur, extrahat. Crura oblonga, obſcurè rubētia. Locuſtis, gryllis, piſciculis, & ranunculis eos ueſci audio. Vt plurimum nidificat in altis arcium deſtructarum muris, qui in Helueticis montium regionibus frequentes ſunt. In uentriculo diſſecti aliquando præter alia inſecta, reperi plurima illa quæ radices frugum populantur, milij præſertim, Galli curtillas uocant, noſtri tranſuerſas (twären) à pedum ſitu ut conijcio. Edunt & uermes è quibus ſcarabei à Maio menſe dicti naſcuntur. Volant altiſsimè. Bina aut terna oua pariunt. Primæ omnium, quod ſciam auolant, circa initium Iunij, ni fallor. Pulli eorum diebus aliquot antequam uolare poſsint nidis exempti, nutriri & facile cicurari poſſunt, ita ut in agros euolent, & ſubinde reuertantur. Laudantur ijdem pulli in cibis, & in delicijs etiam habentur, ſuaui carne oſsibus mollibus. Qui è nidis eos auferunt, in ſingulis ſingulos relinquere ſolent, ut anno ſequente libentius redeant.

CORYTHVS, κόρυθος, auis eſt, una è genere trochilorum, Heſychius. Sunt autem trochili gallinæ ſylueſtres quædam, pedibus longis, corpore gracili, curſu celeres, ut conijcio.

DE COTVRNICE.



A.

COTVRNICEM eam eſſe auem, cuius hic figura cernitur, ut homines docti noſtra ætate omnes conſentiũt, & copioſe in epiſtolis ſuis Aloiſius Mundella medicus approbauit; ita literatores quidam repugnant, eam quæ hodieq; uulgò coturnix apud Italos dicatur ueterum quoq; coturnicem eſſe putantes. ſed horum error craſsior eſt, quàm ut nos in eo refellendo tempus collocare conueniat, & iam à doctiſsimo uiro Mundella ſatis eſt reprehenſus. Nos hoc in loco de coturnice ueterum agemus, de altera, quam Itali uulgò ſic uocãt, poſt Perdicẽ.

¶ Schelau, שלו, apud Hebræos coturnix eſt, unde pluralis numerus ſchaluim. Dauid Kimhi interpretatur auem præpinguem, quæ dicatur uulgò קוליא, qualea: & ſimiliter R. Salomon. adſtipulantur Ioſephus & Hieronymus. Septuaginta ortygometram, id eſt coturnicum matricem uerterunt. Exodi 16. Chaldæus interpres habet סלוי, ſelau: Arabs סלוי, ſalui: Perſa, מורג צה, moreg zah. & 6 Numeri 11. Arabs ſimiliter, Chaldæus שלוי, ſchaliu: Perſa מורג צחא, moreg zeha. Pſalmo 105. Chaldæus פסיונין, phaſiani: Arabs אלשלוי, elſchalui cum articulo el. Munſterus in Lexico trilingui pro

pro coturnice habet שלי, ſchalau: שליוא, ſchíluah: סלוא, ſalua: & בבלי, kakli. Bellunenſis apud Auicennam lib. 2. ſeman coturnicem uel qualeam interpretatur: altedarugi uerò (aliâs altaiugi) phaſianum, uel perdicem, uel auem coturnici ſimilem. Dorache, id eſt coturnices, Interpres Auicennæ ex Ariſtotele de hiſt. anim. 8. 12. ¶ Coturnicem Græci ortyga uocant, Iſidorus. à recto ὄρτυξ. hodie uulgò ὀρτύκι, uel ὀρτίκι. ¶ Itali quaglia, ut Alunnus & Scoppa ſcribunt: uel quallia, unde & barbari quidam authores qualeam ceu Latinam uocem ſcribunt. Coturnices uulgò quaquilæ dicuntur uel qualeæ, Ant. Gazius. Quiſcula, id eſt coturnix, nomen à ſono fictum, Arnoldus Villanou. Calepinus querquedulam quoq; (ea anas fera eſt, parua) qualiam uulgò à uoce dici meminit. Hiſpani cuaderuiz. ¶ Galli caille. ¶ Germani Wachtel: Flandri Quackel. hinc forte Albertus, Coturnix (inquit) auis, quam uulgò quiſculam uocamus. ¶ Angli quayll. ¶ Illyrij krziepelka, uel krzepelka. ¶ Coturnicem uulgò currelium dicimus, à currendo, Comeſtor. hinc & Ortygiam dictam putant, quòd harum auium greges è mari in eam prouolent, Athenæus.

B.

In Delo primum uiſæ coturnices, Solinus. In ſinu Arabico præcipuè nutriuntur, Comeſtor. In conuallibus alpium Helueticarum apud Rhætos, Sedunos & Leopontios, non pauciores quàm alibi capiuntur, alioquí copioſæ per Heluetiam præſertim circa Auenticum, ubi canes ad earum aucupium egregiè inſtitutos alunt, Stumpfius. ¶ Perdicibus ſimiles ſunt, ſed multis partibus minores, Turnerus. Theophraſtus forte illas perdices nanas dicet, ſic enim per omnia perdicem imitantur, ut præter exiguitatem & preſsitudinem corporis planè nihil diſtent, Longolius. Coturnix parua auis eſt, Plinius. ¶ Color κέραμνος, id eſt teſtaceus, cõmunis eſt ferè pulueratricibus, ut alaudæ, coturnici, perdici, &c. Longolius. Coturnix aliquando alba uiſa eſt, Ariſtoteles in libro de coloribus. nam μέλας illic pro λεύκος non rectè legitur. uide in Ceruo B. ¶ Coturnicibus & gallinaceis pennæ ſunt duræ, Ariſtoteles in Phyſiognomon. Coturnicum oſſa difficulter afficiuntur aut patiuntur quicquam (δύσπαθῆ ſunt, dura nimirum ac ſolidiora,) Orus. ¶ Coturnici proprium eſt præ cæteris auibus, ut & ingluuiem, & gulam infrà prope uentriculum amplam & latam habeat, Ariſtot. Et alibi, Gula eis amplior eſt infrà. ¶ Coturnicibus alijs uentri, alijs inteſtino fel iungitur, Ariſtot. Plinius aliter, Fel (inquit) reniibus, & parte tantum altera iungitur inteſtino in coruis, coturnicibus, phaſianis. Pedibus fiſsis ſunt, Athenæus ex Ariſtotele. ¶ Alexander Myndius apud Athenæum, coturnicem inquit fœminam graciliore collo quàm marem eſſe, necp; nigras pertes ſub mentum ſubiectas poſsidere. ingluuiem (πρόλοψ, lego πρόλοβον cum Gillio) in aue diſſecta nõ magnam ſpectari: cor magnum & tricuſpidatum, (τριβόλοψ.) Iecur etiam habere, & fel inteſtinis adnexum: ſplenem paruum & qui uix conſpiciatur: teſtes ſub iecinore contineri ut in gallinaceis.

C.

Coturnix appellatur à ſono uocis, Feſtus. Blondus etiam à recentioribus qualeam à uoce dictam ſcribit. Si iteratim ſones coturnix, ita ut ſingulas ſyllabas toni tractu pronuncies, auis uocem te liquidò imitatum cognoſcas, Gyb. Longolius. Coturnicibus maribus tantum cantus datus eſt, Ariſtot. & Albertus. Coturnix mas uocem ædit exilem, ferè ſicut grillus: fœmina craſſam, Albertus. Coturnicibus uox eſt in pugna, Ariſtot. Alijs in pugna uox, ut coturnicibus: alijs ante pugnam, ut perdicibus, &c. Plinius. ¶ Coturnix humi nidulatur, nec unquam in arbore conſiſtit, ſed humi, Ariſtot. Cum ad nos uenit, terreſtris potius quàm ſublimis eſt, Plinius. Pulueratrices ſunt, Gyb. Longolius. ¶ Coturnicem uulgò currelium dicimus à currendo, Comeſtor. Currit ſatis uelociter, Albert.

¶ Coturnix eſt auis miliaris, hoc eſt milio ut plurimum ueſcitur, Aloiſius Mundella. Coturnices milio & tritico, & præterea pura aqua pingueſcunt, Didymus in Geoponicis. Coturnicibus ueratri (aliâs, uenení) ſemen gratiſsimus cibus, Plinius. Et rurſus, Venenis capreæ & coturnices (ut dixímus) pingueſcunt, placidiſsima animalia. Quod alijs cibus eſt, alijs eſt acre uenenum, Lucretius. Et mox, Præterea nobis ueratrum eſt acre uenenum; At capris, (capreis, ex Plinio) adipes & coturnicibus auget. Cicutà ſturnos nutrit, nos uerò interimit: & elleborus coturnici pro cibo eſt, homini uenenum, Galenus ad Piſonem. Elleborus homini uenenum eſt, alimentum coturnicibus, Ariſtot. lib. 1. de plantis, & Aphrodiſienſis in Problematis. Orobus coturnicum apud Arnoldum Villanou. in libro de uenenis, Auicennæ napellus eſt: Vide in Lupo a.

¶ Coturnices cum ceciderint (ὅταν πέσωσι, malim ὅταν πέπτωνται: quod uerbum in ſequentibus etiam bis ponitur: id eſt cum uolauerint) ſi ſerenum ſit aut aquilonium tempus, ſociantur, & proſperè degunt, (ἀρεμοῦσιν, id eſt quietè agũt. Gaza uidetur legiſſe ὑνημοροῦσι:) ſed ſi auſtrinum, moleſtè, propterea quod parum uolant. humidus enim grauiſcp; auſter eſt. Quam ob rem qui aucupantur, auſtrum, non aquilonem obſeruant. omnino ægre propter ſui corporis pondus uolant. ſunt enim corpore grandiore, quàm ſuis pennis deferri poſsint, uociferantesq; ob eam rem uolant. laborant enim quaſi oppreſſæ onere. cum hæc adeunt loca, ſine ducibus pergunt. at cum hinc abeunt, ducibus lingulaca, oto, otide Plinius & matrice (ortygometra) proficiſcũtur, atq; etiam cynchramo, à quo etiam reuocantur noctu, cuius uocem cum ſenſerint aucupes, intelligunt parari diſceſſum, Ariſtot. Aduolant coturnices non ſine periculo nauigantium, cum appropinquauere terris. Quippe uelis ſæpe inſidunt, & hoc ſemper noctu, merguntq; nauigia, Plinius. Blondus ex Plinio legit, uelis incidunt,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 380 sur 825

non insidunt: quam lectionem Solinus quoq; secutus est, & ex Oppiano eadem approbari potest. Iter est his per hospitia certa, austro nō uolant, humido scilicet & grauiore uento. Aura tamen uehi uolunt, propter pondus corporum uiresq; paruas. Hinc uolantium illa cōquestio labore expressa, Aquilone ergo maximè uolant, ortygometra duce. Primam earum terræ appropinquantem accipiter rapit. Semper hinc remeantes comitatum sollicitāt, abeuntéq; unà persuasæ glottis & otis (aliàs otus, ut & Aristoteles habet) [&] cenchramus (aliàs cynchramus.) Quòd si uentus agmen aduerso flatu cœperit inhibere, ponduscúlis lapidum apprehensis, aut gutture harena repleto, stabilitæ uolant, (uide in D.) Plinius. Eadem ferè Solinus, cuius tamen uerba non omittam, ne quid ad maiorem claritatem desiderari possit: Adueniendi (inquit) habent tempora æstate depulsa. Cum maria tranant, impetus differunt, & metu spatij longioris uires suas nutriunt tarditate. Vbi terram persentiscunt, coëunt cateruatim: deinde globatæ uehemētius properant: quæ festinatio plerunq; exitium portat nauigantibus. Accidit enim plerunq; noctibus ut uela incidant, & præponderatis sinibus alueos inuertant. Austro nunquam exeunt, nam metuunt uim flatus tumidioris, plurimum se aquilonibus credunt, ut corpora pinguiuscula atq; eò tarda facilius prouehat siccior & uehemētior spiritus. Ortygometra dicitur quæ gregem ductitat, eandem (primam, scilicet ex coturnicibus, non ortygometram, Plinius) terræ proximantem accipiter speculatus rapit, ac propterea opera est uniuersis, ut solicitent ducem generis externi, per quem frustrentur prima discrimina, Hæc ille. Coturnices pascuis prioribus relictis gregatim uolitant, & maris spacium uolatu non intermisso, (sunt qui in Delum insulam è mari eas deferri scribant, ut non uno continuo uolatu mare trajiciant,) ceu auiū celerrimæ, superant: tam timidæ interim, ut maris aspectum exhorreant, & oculis cōniueant: unde aliquando uelis illisæ nauium à nautis capiuntur, Oppianus in Ixeuticis. Redeunt sine ducibus, Eberus & Peucerus. Coturnices quoq; discedunt, nisi paucæ locis apricis remanserint: quod & turtures faciunt, Aristot. Semper ante adueniunt quàm grues, Plinius. Prius abeūt quàm grues, hi enim Septembri mense, illæ Augusto incipiunt, Aristot. Ciconiæ prius recedunt quàm hirundines, & hæ quàm coturnices, Albertus. Coturnices ad nos, ut audio, medio ferè Aprili ueniunt, & abeunt cum prima pruina ingruit: ita ut si pridie plurimæ apparuerint, & postridie pruina subsequatur, ne una quidem amplius reliqua cōspiciatur. Coturnicum multitudo ex Italia uolantium, in Capreis insulis prope Neapolim capiebatur principio autumni. Ad maritimā regionem circa Pisaurum ingens coturnicum copia aduentare consueuit, & mille insidijs capi: sed potissimum sub extremum uerni temporis illarum aduētu obseruato, Aloisius Mundella. Turdi quotannis trans mare in Italiam aduolant, circiter æquinoctium autumnale, & eodē reuolant ad æquinoctium uernum, & alio tēpore turtures ac coturnices immani numero. Hoc ita fieri apparet in insulis propinquis Pontia, Palmaria, Pandataria. Ibi enim in prima uolatura cum ueniunt, morantur dies paucos requiescendi causa. idemq; faciunt cum ex Italia trans mare remeant, Varro. Coturnicem multi credunt trans mare auolare, quod falsum esse conuincitur. quoniam trans mare per hyemem non inuenitur, latet ergo, sicut aues cæteræ quibus superflui lentiq; humores concoquendi sunt, Albertus. Cum è Rhodo Alexandriam Aegypti nauigaremus, plurimæ coturnices à Septentrione meridiem uersus uolantes, in naui nostra captæ sunt, unde certo persuasus sum coturnices cœlum mutare, nam prius etiam cum è Zacyntho insula in Moream seu Nigropōtum nauigarem uerno tempore, coturnices contraria profectione à meridie ad Septentrionem uolantes obseruaram, ut illic per totam æstatem degerent: quo tempore etiam permultæ in naui nostra captæ sunt, cum diuersis alijs migrantium auium generibus, Petrus Bellonius.

¶ Vsque adeò tum perdices, tum etiam coturnices copia libidinis gaudent, ut in aucupantes corruant, & sæpenumerò capitibus eorum residant, Aristot. & Athenæus ex Alexandro Myndio, ubi pro καθιζοντας ὧν τὴν κεφαλὴν, legendū est ex Aristotele, καθιζάνειν ὧν τὰς κεφαλὰς. Clearchus scribit perdices, passeres, coturnices & gallos gallinaceos, non modo cum uident fœminas semen emittere, sed etiam cum earum uocem audiunt: causam esse in animo impressionem, quod ipsum coitus tempore cognoscas, si contra eos speculum posueris, & ante hoc ipsum tendicularum insidias. nam ad imaginem suā quæ inaniter in speculo repræsentatur accurrentes, capiuntur, & semen emittunt: gallinaceis exceptis, quos imago conspecta ad pugnam tantum excitat, Athenæus & Eustathius. Proprium hoc coturnicum generi, ut rara inter eas fœmina sit, & mares multi fœminā unam quærant, Albertus. Aristoteles cum perdicum pugnam pro fœminis descripsisset, & marium in hoc genere salacitatem: & quòd cum fœminæ ad incubandum aliquò diffugientes clam pariunt, ne ouа à maribus propter salacitatem frangantur, mares interim cœlibes inter se pugnent, uictusq; uictoris uenerem patiatur, nec ab alio nisi suo uictore subigatur: idq; non semper, sed certo tempore anni fieri, demum subdit: Hoc idem à coturnicibus quoq; agi animaduertimus. Idem ferè Plinius scribit, ex Aristotele (ut apparet,) mutuatus. Coturnicibus uox est in pugna, Aristot. & Plinius. Testudines montanæ uento implentur quemadmodum coturnices, Scholiastes Nicādri. Athenæus refert ex Phanodemo Delum insulam ab Achæis Ortygiam dictam, quòd obseruati sint coturnicum greges è mari uolantes (φορμιζόμενας ἐκ τῆς θαλάσσης, quasi in mari etiam generētur. Phanodemum enim hæc de generatione coturnicum referre scribit) in hanc insulam confidere, eò quòd portus habeat commodos. Cum hyemes (tempestates) fiunt magnæ in partibus desertæ Libyę, mare magnos

produci

producit thynnos in littore (proijcit in littus:) ex quibus putrescentibus tiermes enascuntur intra dies quatuordecim, primum muscarum instar, deinde locustarũ magnitudine, donec paulatim coturnicum magnitudinem acquirant. Demum noto, id est austro flante, uel libonoto, auctę adultæq; maria transeunt in Pamphyliam uel Cilicíam & Hyberniam: & consequenter borea flante pergunt ad maritima loca & reliqua Melanitidis terræ. Cæterum indocti sophistæ ignorantes earum naturam, pudicas (castas, cum ex putredine non ex coitu nascantur,) esse dicunt, Kiranides lib. 1.

¶ Aues grauiores nidos sibi non faciunt, ut coturnices, ut perdices, & reliquę generis eiusdem, quibus enim uolandi facultas deest, ijs nidus non prodest, sed facta in aprico area (alibi enim nusquam pariunt) atq; materia, ut uepribus quibusdam congestis, quoad accipitrum & aquilarum iniuriam deuitare possint, oua ædunt, & incubãt. Mox cum excluserint, protinus pullos educunt, propterea quod nequeunt suo uolatu ijs cibum administrare, Aristoteles. Et rursus, Coturnix non nido, sed condenso frutice prolem munit, minus enim uolat. Nidulantur humi, ut dixi, coturnices, quæ etiam nunquam in arbore consistunt, sed humi, Idem. ὄρτυξ νοσσιὰν οὐ ποιεῖ, ἀλλὰ νοσσεύει, καὶ τοῖς σκεπάζει φρυγάνοις, Athenæus ex Aristotele. ¶ Refouent suos pullos sub se ipsæ ducendo more gallinarum & coturnices & perdices, nec eodem in loco & pariunt & incubant, ne quis locum percipiat longioris temporis mora, Aristot. ¶ Coturnicum pulli mox ut excluſi sunt, per se comedunt, Albertus: ut & perdicum & omnium pulueratricum ni fallor. ¶ Coturnicibus ueratri (aliàs, ueneni) semẽ gratissimus cibus, quam ob causam eas damnauêre mensę, simulq; comitialem propter morbum despui suetum, quem solæ animalium sentiunt præter hominem, Plinius & Solinus. Coturnices comitiali morbo corripi non pauci nostro tempore obseruarunt. Sed quanquam Plinius solas illas præter hominem hunc morbum sentire scribat, constat tamen alia quoq; animalia eodem malo affici, ut cattos, quod nos sępe uidimus: &, ut ab alijs accepimus, capos gallinaceos, alaudas, equos, picas. Dici tamen potest ad defendendum Plinium, non solas quidem coturnices post hominem, sed illas potissimum huic morbo obnoxias esse, Aloisius Mundella.

D.

Aues quibus duræ sunt pennæ, fortes (& pugnaces) habentur, ut coturnices & gallinacei, Arist. in Physiognom. Pugnant inter se pro fœminis, & inter cœlibes etiam mas uictus uictoris uenerem sustinet, ut in C. scriptum est: & mansueti inter se spectaculi gratia certaturæ committuntur, ut referemus in E. ¶ Cum mare transuolant, ut intelligãt superatumne iam ipsis mare sit, nec ne, singulæ ternos ore lapillos ferunt, quorum singulos per interualla demittunt: & diligenter obseruant, utrum in mare lapillus quisq; deciderit, ulteriusq; uolandum sit: an in terram, & tempus iam adsit quiescendi, Oppianus in Ixeut. Si uentus agmen (trajcientium mare) aduerso flatu cœperit inhibere, pondusculis lapidum apprehensis, aut gutture harena repleto, stabilitæ uolant, Plin. Hoc & grues similiter factitare aliqui prodiderunt. ¶ Ex coturnicum grege (postquam mare traiecit) primam terræ proximãtem accipiter speculatus rapit, ac propterea opera est uniuersis ut solicitent ducem generis externi, per quem fruſtrẽtur prima discrimina, Solinus. Author libri de nat. rerum sic legit, Idcirco cura est uniuersis, ut externi generis ducem solicitent, scilicet cornicem, per quam prima discrimina caueant. Sed dicendum potius ortygometram, aut cenchramum, aut aliam ex illis quas Aristoteles & Plinius memorant, duces coturnicum esse. ¶ Pelecanus de coturnicis exitio acerbè & crudeliter cogitat: rursus coturnix ab ea uehementer dissentit, Aelianus & Philes. ¶ Astures capiunt coturnices, &c. Crescentiensis.

E.

Qui coturnices aucupantur, austrum non aquilonem obseruant: causam retuli in C. ex Aristotele. Capiuntur imitatione uocis fœminæ, Albertus. Instituuntur ad aucupiũ earum canes apud nos uulgò, qui priuatim etiam à coturnicibus denominantur. Reti quod expegatorium uulgò uocatur, satis magno, capiuntur perdices, coturnices & phasiani, & aliæ quædam aues cum auxilio catuli ad hoc instructi, qui aues inquirit, quas cum uiderit, subsistit, nec ad eas progreditur ne depellat, sed ad aucupem dominum suum respiciens retro caudam mouet, unde auceps cognoscit aues esse prope canem: & tunc ipse ac socius rete trahũt, quo aues unà cum catulo operiunt. Est & aliud paruum rete in capite perticæ præparatum, ut apertum existat, quo unus solus utitur auceps, & ad coturnices solum cum quasillatorio (instrumento) cuius sonus est per omnia similis uoci coturnicis fœminæ, ad quem mares ardenter accedunt, & sic irretiuntur, Crescentiensis lib. 10. cap. 25. Et rursus cap. 26. Item fiunt laquei multi de pilis caudæ equinæ, in funiculo eiusdẽ materiæ texti, qui tenduntur in sulcis frumenti, funiculo à terra eleuato ultra altitudinem auis, parum decliuis laqueis & apertis, ut auis transiens capite immisso capiatur collo: & hoc modo capiuntur perdices in agris, & coturnices ac phasiani in semitis nemorum per quas transeunt. Coturnices (inquit Oppianus in Ixeuticis lib. 3.) noctu retibus, quæ nubes uocant, capiuntur, clamantibus alijs natu maioribus, (πταλιστῆρας, iam olim captis, unde forsan uerbum πταλεύειν factum:) ad quarum uocem dum accurrunt, in sagenas incidunt. Interdiu etiam in terra hoc modo capiuntur: Reti extenso aliquis tunicam supra caput erectam calamis utrinq; sustinens mouet, paulatim progredíes: metuunt illæ sibi, & dum ueſtis huc illuc nutantis umbram fugiunt, retium laqueis inuoluuntur. Capiuntur ab auibus rapacibus, asture & accipitre, (& nisi præcipuè rubris, ut quidam scribit,) Crescẽtiensis. Circa Neptu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 382 sur 825

nium Italiæ oppidum (inquit Blondus in Latinis) aucupium est coturnicum. Nam quum ad prima ueris signa hirundines & simul cum ipsis coturnices, transmisso mari infero in Italiam redeunt, omnia Antiatum quõdam littorum supercilia passus quinq; milia Neptunienses contiguis retibus complent, sedensq; unusquisq; in fundi proprij & magno pretio comparati loco, ad particulam retium propriam uenientes noctu coturnices fistula illectat. & quum turmatim illæ retibus intricentur, si aliqua de longissimo uolatu fessa extra rete in sabulum ceciderit, eam auceps manu percipit, fuissecq; audiuimus intra mensem unum, quo id continuatur aucupium dies aliquot, in quorum singulo centies huiusmodi auicularum mille sit captum, Hęc ille. Coturnices, perdices & passeres, quomodo coitus tempore speculo proposito capiantur, recitaui in Coturnice c. ex Athenæo.

¶ Quidam in ornithone præter turdos ac merulas alias quoq; includunt, quæ pingues ueneunt io care, ut miliariæ ac coturnices, Varro. Petrus Crescentiensis lib. 9. cap. 93. quomodo coturnices & aliæ aues inclusæ pinguescant præscribit. Vide infra in Turdis.

¶ Pergami & Athenis fuit pugna gallinaceorum & coturnicum, tanti decoris, ut ad illud tanquam gladiatorum munus effusissimo studio omnes conuenirent, Alexander ab Alexandro. Ludus quidam est in quo coturnices in gyrum (γύρον Pollux simpliciter λύκλον πορειγραπτὸν dicit hunc ludum describens. alioqui gyros Græcis scrobem significat) collocant, quas feriunt in caput. & is qui coturnicem in gyro comprehenderit, lucratur sibi deinceps quotquot potest. sin frustretur, alteri coturnices ferire permittit, idq; alternis fit. Meminit Plato in Alcibiade. item in Phædone: Non (inquit) cum hominibus abiectæ sortis nobis certamen est, sed cum præstantissimis. quare non negligenda nobis res est, neq; tanquam feriendis coturnicibus ludamus agendum, Suidas. Qui ita ludunt ὀρτυγοκόποι dicuntur. Plato etiam uerbum ὀρτυγοκοπεῖν usurpat. Pergami certamen gallorum omnibus annis publicè ædi solitum, Plinius scribit. id & Athenis factitari cœptum, auctor Aelianus est, à Themistocle superatis Persis. Adijcit & in sermone qui Anacharsis seu de gymnasijs inscribitur Lucianus, coturnicum magno studio, non gallorum modo certamina ibidem spectari consueuisse. Seueri quoq; filios Herodianus scribit, dissidere solitos puerili primum certamine, ædendis coturnicum pugnis, gallinaceorumq; conflictibus, Cælius Rhodiginus. Aristophanes Carcini poetæ filios, quòd domi inter se contentiosi essent, ὀρτυγας οἰκογενεῖς uocabat, quasi dicas domigenitas & altiles coturnices. scimus enim quòd huiusmodi genus auium inter se certantium, passim ludo hoc tempore habetur, & ab antiquis etiam habebatur: id quod ex Polluce, Luciano, Herodiano, Plutarcho & Ouidio aliisq; in Obseruatis meis ostendi, Gyraldus. In præscripto circulo coturnicem statuebãt, tum alter eam digito percutiebat: alter in aduersum nitebatur illam intra circulum continere. quod ni fecisset, coturnicis dominus succumbebat, Cælius Calcagninus ex Polluce ut apparet. Sed Pollux simplicius sic scribit, ut nos uertimus: Coturnicem in circulo circunscripto positam aliquis digito feriebat. quod si illa ictui cedens extra circulum se reciperet, (ἀνεχάπιζεν ἔξω τοῦ λύκλου,) iam uictus erat coturnicis dominus, Hæc Pollux: qui etiam hæc Eupolidis uerba citat, οὐ πᾶν πορειγράψεις ὅλον εἰς αὖθις λύκλον ἀκκρινεῖσαι. Τί δῆτα εἰς ἅμιλλαν; ἀριστήσομαι, ἢ κἀγὼ μαχοῦμαι τοῖς μαχαν, ἅπαν ὀρτυγι, libro nono, capite de ludis. ubi etiam paulò post uocabula aliquot ad hoc certamen pertinentia recenset, ut sunt, ὀρτυγοκοπεῖν, ὀρτυγοκοπία, ὀρτυγοκόποι qui & συμφοκόποι dicebantur, (uide plura infra in H. a.) καὶ τὸ κόπτειν σὺν ὀρτυγας, καὶ ἀνακλασθ' ἅλλεσθαι, καὶ ἀνερεθίζειν, ἀνεγείρειν, πρόξυνσθαι. Et hæc (inquit) uocabula sunt ὀρτυγοκοπικὰ. Et rursus ibidem, Circulum (inquit) describebant in arca aliqua (πλίᾳ,) qualis piscatorum est uel eorum qui panes uendunt, in quo coturnices (duas pariter) sistebant inter se certaturas. quod si altera è circulo excederet retrò conuersa, uincebatur & ipsa & dominus ipsius. præmiũ uictori erat pro quo certabant, aliâs ipsa coturnix, aliâs argentum. Interdum uerò alter (hominum sic certantium) coturnicem sistebat: alter digito indice feriebat, & plumas è capite uellebat (ἀπέσπαλε. lego ἀπέπιλε. nam & paulò pòst sequitur πίλων) quòd si coturnix sustineret, uictoria penes illum stabat cuius erat alumna: sin cederet & refugeret, penes ferientem aut uellentem. Sic uictis coturnicibus remedium adhibebant, inclamando in aurem, quod θρυλλίζειν uel ὠτοθρυλλίζειν nominabant, (unde ne θρυλλίζειν legendum sit per θ. & ὠθέχυλ. à uerbo θρυλλέω. nam & Varinus θρυλλίζῃ fortasis ab eo uerbo primitiuo deriuatum suspicatur) ut coturnicis quæ uictrix extiterat uox quàm citissimè è memoria eius tolleretur, Hucusq; Pollux. unde apparet non rectè scripsisse Calcagninum, alterum ex ijs qui concertabant ferijsse coturnicem, alterum uerò in aduersum intra circulum eam continere conatum. neq; enim alter alterius conatus impediebat: sed coturnix icta sibi permittebatur, ut uel maneret intra circulum, uel excederet. ¶ Adiantum facit gallos coturnicesq; (perdices, Plinius non coturnices) pugnaciores, cibarijs eorum admixtum, Dioscorides & Auicenna. Καυλωνίζῃ uerbum probare & experiri significat, ducta translatione uel à uasis figlinis, quæ sono experimur an integra sint: uel à tintinabulis (Græci codonas uocant) quæ agitata si argutius sonant probantur: Vel ab equis aut auibus quibusdam, ut coturnicibus. solent enim equi & coturnices, si parum fortes sint, sonitu tintinabulorum terreri: animosiores uerò facile ferũt, Varinus. Vide plura super hoc uerbo in Equo H. b.

F.

Coturnix est auis regia, Comestor. In pretio sum nunc, olim damnata coturnix, Vox nomẽ pretium dat sapor ipse mihi, Grapaldus. Autumno quàm uere pinguior est, Aristot. Nostris tem-

poribus

poribus autumno in pretio est. uere cum redit insipida & mali alimenti habetur. in littore Antiaci captas edi. nihil insipidius, Platina. Pulli perdicum autumno conueniunt, quo quidem tempore etiam solum reperiuntur, sicut & pulli coturnicum (iuuenes coturnices) & turtures, Arnoldus Villanou. de conserua. sanit. Quandoquidem coturnices quæ pascuntur elleboro, eos à quibus comestæ fuerint, in tantum uitæ discrimen agunt, ut distendantur, conuellanturq; ceu correpti uertigine, cum illis milium certè elixandum est. Quòd si aliquis prius quàm sic prospexerit sibi, ex eis comedens, tali corripiatur affectu, is milium decoctum hauriat. Idem etiam faciunt myrti baccæ. Milium quidem naturali quadam facultate uenenis resistit. nam si ex milio panem confectum prius comederit quispiam, à nullo deleterio lædetur, Didymus in Geoponicis. Coturnicibus ueratri (aliâs ueneni) semen gratissimus cibus. quam ob causam eas damnauêre mensæ, simulq; comitialem propter morbum despui suetum, quem solæ animalium sentiunt præter hominem, Plin. Vide plura supra in c. Ex coturnicũ cibo timetur tetanus & spasmus. nõ quia comedant elleborum tantum, sed quia in substantia earum hosce producendi affectus facultas ineſt, Auicenna. Coturnices improbantur assæ, quia siccæ sunt: & maximè quæ pastæ fuerint elleboro, Elluchasem. Et rursus, Rufus auium tres ordines statuit: præcipuè laudans calandrellas & sathur: inde sturnos (turdos) phasianos, perdices, &c. postremo coturnices & cuzardos.

¶ Sint autumnales croceo tibi pabula lumbo, Siue coturnices, siue uocas qualeas.
Sensibus hæc mala sunt, tenebrisq; replentia fuscis, Ventri inuisa, malis febribus exitium.
Si tamen ulla tuos circumuolitauerit orbes, Cœna tibi nõ sit, sed leue prandiolum,

Bapt. Fiera. Quiscula, id est coturnix, ab authore carminum Salernitanorum inter cibos laudabiles numeratur: ubi Arnoldus Villanouanus in commentarijs, Huius auis (inquit) caro secundum aliquos est subtilis substantiæ, & bonum chylum generat, utilissima sanis conualescentibus. Secundum Isaac tamen coturnices cæteris auibus deteriores sunt, nec nutrimento nec concoctione laudabiles: quòd ijs in cibo sumptis timeatur spasmus & tetanus, ut Auicenna etiam scripsit. Hinc est quòd Galli comedunt coturnices cum molli & pingui caseo, & inde faciunt pastillos. Sed potest per coturnicem intelligi etiam alia auis quæ Italis uulgò sic dicta est: cuius carnem Rasis tertio ad Almansorem auium omnium carnibus præfert post carnes starnæ (perdicis minoris,) Hæc Arnoldus. Sed Michael Sauonarola ea quæ Arnoldus de quiscula scribit, tanquam laudabilis alimenti aue, de coturnice uulgò Italis dicta tradit. de ueterum uerò coturnice, quam ipse qualeam uocat, eadem ferè quæ Baptista Fiera, his uerbis: Caro qualearũ calida est in fine primi gradus, aut potius usq; ad secundum, ut uidetur, excrementitia admodum (uel, ut ipse loquitur, multæ humiditatis,) quare cito corrumpitur, & neq; temperatis hominibus conuenit, neq; dyscratis, cibus difficilis concoctu, præparans corpora ad febres, & iam factas augens. Auicenna rectè mea sententia à coturnicis usu abstinendum suadet, uelut tetanum & spasmum inducentis, Amatus Lusitanus. Rasis in c. 420. libri 20. se uidisse scribit homines spasmum patientes propter has aues in cibo sumptas. Pro hecticis laudantur qualeæ Septembri captæ, mediæ pinguedinis, Gaynerius. Alexander Benedictus in pestilenti constitutione coturnicem damnat. Coturnicis carnes non probo, non solum quoniam à maioribus nostris improbatas inuenio, sed etiam quia ueris & æstatis tempore siccæ admodum sunt, & ad atram potius bilem quàm bonum sanguinem gignendum idoneæ. autumno & hyeme pinguedine nimia obesæ, ut palato gratiores, ita uentriculo & concoctioni ineptissimæ, exigui nutrimenti, nauseamq; & fastidium pariunt, & quibusdam etiam in aquilonari ora extremam perniciem, ut à fide dignis intellexi, attulerũt, Manardus in epistolis 18. 1. Aristoteles (inquit Aloisius Mundella) de coturnicibus & perdicibus in eodem capite tradit, quasi utræq; natura inter se non multum differant. quamobrem cum eiusdem generis esse uideantur, manifestum relinquitur coturnicem non ita ut uulgò fertur praui succi esse, neq; à mensis ablegandam, nisi pauperum fortasse, ut qui minoris impensæ cibis uesci consueuerint. Neq; etiam quòd morbo comitiali corripiatur, quodq; ueneno pascatur ab huius esu abstinendum esse censuerim, nonnulla enim nouimus animalia quæ licet uenenis quandoq; nutriantur, boni tamen succi sunt, quemadmodum sturni qui cicuta uescuntur. Quòd si elleboro uescitur coturnix, quod nobis nondum constat, (milio quidem eam uesci, & in aruis milio consitis ut plurimum eam inueniri scimus,) eo cibo iuuari eam probabilius est quàm lædi, (hoc quidem concedi potest Mundellæ. sed non ideo hominem quoq; coturnicis elleboro pastæ cibo iuuari magis quàm lædi probabile est: constat enim uenenis pastas animantes homini etiam uenenosas esse,) Quare coturnicis nutrimentum, quòd non ingrati etiam saporis sit, laudandum potius quàm damnandum censeo. nam & Auerroes mirificè coturnicum carnem laudat, tanquam bonum generantem succum. Et licet ueneno interdum uescantur, & interdum comitiali morbo uexentur, non tamen semper, nec omnes existimo, sed illas fortasse quæ in auiarijs captæ reseruantur. nam & hac ratione capi gallinacei, quòd nonnulli eorum quandoque comitiali morbo corripiantur, improbandi essent. Id quoq; non prætermiserim Dominum Deum nostrum Israelis populum, quem ardentissimè diligebat, dum per deserta illa trãsiret loca, ad satietatem usq; coturnicibus non pasturum fuisse, nisi probati illæ fuissent alimenti & salutaris. Ex methodis quidem à Galeno traditis, quibus facile quæ sint alimenta bona & mala cognoscere possimus, satis manifestum fieri posse puto, coturnicem, præsertim assam, quòd boni & grati odoris sit & saporis,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 384 sur 825

omisso etiam ipsius condimento: quodq; manducanti non displiceat, sed optimè respondeat, atque oblectet, boni esse alimenti. Psellum quidem inter illa quæ boni succi non sunt coturnicem connumerare non me latet, nullis tamen rationibus adhibitis. Sed esto quòd non multum laudabilis succi sit coturnicis caro: at certè concedetur, non omnino eam à nostris mensis ablegandam, quoniam comedentes multum delectet ac iuuet. nam cibus qui cum uoluptate sumitur, Galeno teste, quamuis paulò deterior, non modò non manet deterior, sed quandoq; redditur melior, Hæc ille. ¶ Coturnices aiunt uim concoquendi roborare, Rasis. Coturnices, id est qualeæ, eiusdem temperamenti sunt cuius perdices, sed paulò siccioris. probè nutriunt, Nic. Massa. ego hæc uerius dici putârim de coturnice uulgo dicta Italis. Paulò posti quidem de qualeis, Qualeæ (inquit) uulgo dicæ, & sturni & passeres non laudantur in cibo, quòd uel nimis siccæ sint & parum nutriant: uel nimis humidæ & succum ad putredinem paratum generent.

¶ De coturnicis coctura aliquid leges in Pauone. Phasiani & coturnices & perdices eduntur ut plurimum assæ, & aliquando elixæ aspersæ aromatibus temperatis, Nic. Massa.

G.

Coturnicis ius uentrem emollit, ipsa in cibo sumpta renes curat, Kiranides. Ant. Gainerius aduersus napellum puluerẽ coturnicis uel turdi utiliter dari posse suspicatur, deceptus (ut apparet) ab Arabibus quibusdam aut interpretibus eorum, qui coturnices napello pasci scripserũt. atqui Græci coturnices elleboro, sturnos uerò (non turdos) cicuta uesci tradiderunt. Arabes & auium & uenenorum nomina confuderunt. ¶ Ad morbum comitialem remedium ualde efficax: Coturnicum cerebrum ex unguento myrteo tritum stanneo uase reponito; & cum quempiam morbo comitiali prolapsum uideris, eo faciem illinito. admiraberis enim huiusce naturalis auxilij efficaciam. nam statim ægrotus exurget, Galenus Paratu facilium 3. 155. ¶ Coturnicis oculi suspensi ophthalmiam sanant, & tertianam & quartanam, Kiranides. ¶ Io. Kuefnerus medicus adipem coturnicis cum pauco elleboro ad uim ueneris excitandam membro pudẽdo inungit. Pessus ad conceptum promouendum apud Actium lib. 16. cap. 34. Radicis althææ expurgatæ & lotæ uncias iij, diligenter contusas in olei sextario torrefacito: deinde abiectis radicibus adipis coturnicis uncias sex, ceræ uncias duas admisceto. ego uerò uncias iiij. admisceo. Vnguentum præclarum ad tunicas uel cicatrices, ungues & diuersa uitia oculorum, ex libro manuscripto: Mellis unciam, adipis coturnicis semunciam, myrrhæ, chalcanthi (albi) utriusq; drachmam, misce, cola, fiat unguentum: quo dormiturus bis singulo mense oculos illinat, & nunquam opus habebit alio remedio aduersus uarios oculorum affectus. Sunt qui equorum oculis aduersus eadem uitia zinziber tritum cum adipe coturnicis subactum inungant, uel adipe per se inuncto oculos incolumes seruari promittant. ¶ Cua coturnicis inuncta testibus uoluptatem inducunt, & pota libidinem augent, (amorem faciunt,) Kiranides.

H.

a. Coturnix fœm. generis meminit Plautus Capt. Primam producit, ut in hoc uersu Lucretij, At capris (capreis, Plinius) adipes & coturnicibus auget. sed magis probo Iuuenalem qui corripuit Sat. 12. Verum hæc nimia est impensa, coturnix, &c. Aut anates aut cothurnices (sic habeto dex impressus per th.) dantur quiscum lusitent, Plautus in Capt. uersus est trochaicus tetrameter. Videtur sanè hæc dictio à Græca ortyx facta per metathesin, uel utraq; potius per onomatopœiam: ut & qualea apud recentiores, sicut Blondo uidetur: cuius sententię & ego potius accesserim, quàm amici cuiusdam nostri qualeas appellari suspicantis à qualis, in quibus tanquam in uiuarijs captæ mensis reseruentur. ¶ Coturnices apud Albertum uocibus deprauatis dicuntur antogos (pro ortyges) & hakalokyrim, & harcoyz. alij (inquit idem) guagias (forte, qualeas) uocant. Ortyga Attici dicunt media producta, ut & κόρυκα, Athenæus. sed aliquando propter carmen corripitur, Scholiastes Aristophanis & Eustath. ὄρτυγες (media correpta) ὀκνηρεῖς, Aristophanes in Pace. ὄρτυξ, κόκκυξ, declinantur per υγος. nam nomina in υξ. masculina simplicia bissyllaba, si consonantem aliquam immutabilem initio secundæ syllabæ habent, declinantur per κτος, ut κῆρυξ, excipe ὄνυξ: reliqua per γος ut ὄρτυξ, Athenæus. ὀρτύγιον nomen est diminutiuũ, Eustathius. ac si coturniculam dicas. Eupolis ὀρτύγια μικρὰ dixit. ὡς σὺ νὴ σὺ τὴ ποιεῖν δυνάμενος (Τίσινον [lego, τί σὺ δῆτ' ποιεῖν δυνάσαι, legit Eustathius) ὀρτυγίτ ψυχὼ ἔχων, Antiphanes, in timidum ut uidetur, & pusillanimem. ὁ ἐλλέβορος τῶν ὀρτυγίων δῶτι προφήν, Galenus ad Pisonem. Χήνιον, id est coturnix parua nominatur à Cleomene, qui scripsit χήνια πανεχηρὰ μύεται. Hipparchus quoq; χήνια dixit, ὃν μοι Λιγυπτίων Βίων ἄρισεν, ὅσον ἔχουσι χήνια πίλοντες, Athenæus. Χήνιον auicula quædã quæ apud Aegyptios sale asseruari (παριχεύεσθαι) solebat, & genus piscis, Varinus & Hesych. Est & Chennis insula in Aegypto, aliâs Chemmis, &c. Κίαρος, coturnix, Hesychius & Varinus. Κόνπλος, auis genus, aut coturnix, est & serpens, (iaculus nimirum, quasi acontilus,) Idem. Τόρτυξ, coturnix, Varinus.

¶ Epitheta. Pia, peregrina, apud Textorem. Ἀδύφωνος, apud Athenæum.

¶ Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem, Agnellum, hœdillum, Plautus in Asin. Carcinus poëta tragicus fuit, cuius filij tres memorantur à Scholiaste Aristophanis in Pace, & ipsi etiam tragici poëtæ, à paruitate corporis ortyges cognominati, aut forte quòd contentiosi & pugnaces essent, sicut coturnices mares sunt. Corpore minutuli perbreuesq; ortyges dicuntur,

Cælius.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 385 sur 825

Cælius. ¶ Οἱ τὰ κωνίσλα (sic legendum, non κωνήια) τρέφοντες ἐν τοῖς ὀρτυγοτροφείοις, Aristoteles Problem. 10. 14. Gaza uertit, in caueolis. ¶ Ἀλεκτρυοφόρον Aeschines dixit in Antiocho: unde nos etiam forte ὀρτυγοφόρον dicere poterimus, (eum fortasis qui circũferat coturnices ad ludos uel certamina, in quibus etiam gallinaceorum usus erat, uel ad uendendum.) nam ὀρτυγοκόπος usitatum non est. Potest & ὀρτυγοπώλης dici, qui coturnices uendit. Τυμφόκους (συμφοκόπους lego) etiam Comici nominant (scilicet αὖς ὀρτυγοκόπους.) Sunt & hæc ortygocopica uocabula, ἐκκοπῆναι αὖς ὄρτυγας, ἐκπύλισαι, (ἐκπύλισαι,) ἀνεκλαλάλαλον, (forte ἀνεκλαλάλαλον, uide supra in E.) Pollux. Apud Aristophanem in Auibus Midias quidam Ortyx cognominatur. Καὶ γὰρ ἥκει (ἥκει pro ἐώκει, ut Suidas interpretatur) ὄρτυγι ὑπὸ συφοκόπου τὴν κεφαλὴν πεπληγμένῳ. Vbi Scholiastes, Ammonius, inquit, Midiam putauit ortyga cognominatum esse, ὡς τὸ κυβεύτλῳ εἶναι, καὶ ὃν πυρῷ (forte γύρῳ) αὖς ὄρτυγας κόπτειν. Nam & alibi μεσίλαν ὀρτυγοκόπον appellat: & alibi etiam gallinaceorũ studiosum eum fuisse scribit. Traducitur alioqui tanquam uir improbus & fur pecuniæ publicę, & πτωχαλαζὼν. Habent autem plerique codices συφοκόμπου, dictione obscura: quam aliqui interpretantur coturnicem pugnacem, παρὰ τὸ σφριῶς κόπτειν: ficto nomine auis παρὰ τὸ κολαπτῆναι τῇ κεφαλῇ, ὃ συμβαίνει τοῖς ὄρτυξι. Dionysius Zopyrus ὀρτυγοκόμπα legit, & μ. literã (propter carmẽ, aut forte de industria, ut simul κόμπον, id est fastũ, hominis notaret) insertam ait, Hæc ille. Mihi quidem in mentem uenit posse etiam τυφοκόμπα legi apta significatione & homínis qui notatur moribus cõueniente. sunt enim τύφος & κόμπος uocabula synonyma quibus fastum & superbiam Græci appellant, erat autem Midias homo fastuosus & inde πτωχαλαζὼν etiam cognominatus. Vt sensus sit, Midias uocabatur ortyx, eò quòd præ nimio fastu coturnicem capite ictam referret. Videntur enim coturnices in ludo ab hominibus, uel ipsæ inter se certantes percussæ, præsertim pugnaciores, ut & gallinacei, caput & ceruicem magis erigere. ¶ Niphus accipitrem qualearium nominat qui coturnices capiat.

¶ Plantaginem aliqui ortyga uocant, Plinius. ὀρτυξίς, herba quædam, Hesych. & Varinus.

¶ Coturnicis esse picto stabile ac tutum quippiam indicabant Aegyptij, quòd difficile huius animalis os afficiatur ac patiatur quicquam, Orus in Hieroglyphicis 2. 11.

¶ Propria. Ortyges, ὀρτύγης, uiri nomen apud Athenæum lib. 6.

¶ Delus olim Ortygia dicebatur, Strabo. Phanodemus scribit insulam Delum ab Achæis id circo Ortygiam nuncupatam, quòd eiusmodi uolucres gregatim ex mari proficiscantur in hanc insulam portuosam, (σῦρμον,) Aelianus & Athenæus. In Delo primum uisæ coturnices aues quas ortygas Græci uocant, Solinus. hinc & Ortygiam hanc insulam dictam aiunt, Perottus. Lycophron Delum insulam ὀρτυγα πτερομήλῳ dixit, propter Asteriam. hæc enim (ut scribit Isacius Tzetzes Scholiastes) Iouis concubitum fugiens, mutauit seipsam in coturnicem, & in mare prosiliens facta est insula, quæ ab ipsa Ortygia & Asteria dicta est. Lycophronis Scholiastæ Delũ Ortygiam dictam putant παρωνυμμήλῳ ὀρτυγι δαιμονίᾳ τινί, (coturnicem illam intelligo, in quam mutata fertur Asterie,) uel à coturnicibus in eam aduolãtibus, Eustathius in Odysseam. Meminit Ortygiæ Homerus Odyss. ε. Latona ex Ioue in coturnicẽ mutato Dianam & Apollinem concepit, quos peperit in Delo quæ prius inde Ortygia uocabatur, Scholiastes Pindari in argumẽto Pythiorum. Aliqui, ut Nicander, Delum sic dictam putant ab Ortygia oppido. Linquimus Ortygiæ portum, Vergilius. Fuit & Ortygia alia circa Siciliam ex opposito Plemmyrij Siciliæ amnis, quæ ponte iungitur Syracusis, & fontem habet Arethusam, cuius meminit Vergilius Aen. 3. ¶ Ephesus etiam Ioniæ urbs olim Ortygia dicta est, ut scribunt Eustathius & Stephanus.

¶ b. Capreæ insula ultra Surentum Campaniæ, Tiberij principis arce quondam nobilis, nunc coturnicum multitudine, Perottus. Plura de hac insula in Caprea diximus. In Medera insula coturnices abundãt, Aloisius Cadamustus. ¶ Lagopus altera à coturnicibus magnitudine tantum differt, Plinius. Chrysantheron auis magnitudine coturnicis, Kiranides. Otis est colore coturnicis, (secundum alios perdicis,) Athenæus. Corydi, id est alaudæ, aues sunt coturnicibus similes, Suidas & Varinus. Alchata est species columbarum, quæ coturnices colore pennarum referunt, And. Belluneñ. ¶ Quibus digiti pedum connexi sunt (συμπεφραγμένοι, arctè coniuncti) timidi iudicantur, ἀναφέρεται ὧν αὖς ὄρτυγας αὖς σφόπουλας τὴν λιμναίων, Aristot. in Physiog. sed ortyx auis palustris non est. legendum conijcio ὄρνιθας non ὄρτυγας. sunt enim aues palustres multæ digitis pedum angustius iunctis & timidæ.

¶ c. Pratinas coturnicem peculiariter ἀδύφωνον uocat, πλὴν εἰ μή τι παρὰ τοῖς Φλιασίοις ἢ τοῖς Λάκωσι φωνάεντες, ὡς καὶ οἱ τροχίλοι, Athenæus. Attagênes è Lydia allatæ Pylas, aliquandiu coturnicis uocem ædebant, &c. Socrates in libro de igne & lapidib. apud Athenæum. ¶ Ecce coturnices inter suia prælia uiuunt, Ouidius 2. Amorum.

¶ e. Quasi patricijs pueris aut monedulæ, Aut anates, aut coturnices dantur quibus cum lusitent, Plautus Capt. Potius ego mihi amicum probum optarim, quàm optimam (strenuissimam) inter homines coturnicem aut gallinaceum, Plato in Lysida. ¶ Tarentinus in Geoponicis coturnicum carnem inueteratam, miscet ad escam porcorum piscium.

¶ f. Κιχλίζειν, coturnices pingues edere, uel immodestius ridere, Suidas. Dominus Deus filijs Israel non mannam solum dedit, sed aliquando etiam coturnices abunde. sic enim legitur Exod. 16. Facto uespere ascendit coturnix, operuitq; castra. Et Numeri 11. Et profectus uentus à Domino

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 386 sur 825

coturnices de mari proiecit in castra, ut undiq; circa ea itinere dici omnia plena coturnicibus essent, duobus cubitis supra terram. Et surgens populus tota illa die nocteq; & postridie etiam collegerũt coturnices. Coturnix uobis in signo fuit, castra ad tutelam, 4. Esdræ 1.

¶ g. Oculi coturnicis cum radice œnotheræ (aliâs althææ) alligati rigorem (typum) quotidianum & quartanum mitigant in diminutione Lunæ, Kiranides.

¶ h. Coturnix nulla unquam pro patre cadet, Iuuenalis Sat. 12. traducens eos, qui cum pro amicorum uel parentum ægrotantium salute ne minimum quidem sumptum facerent, pro diuitibus orbis quorum hæreditatem expectabant, magnificè impendebant. ¶ Iupiter in coturnicem mutatus cum Latona concubuit, Scholiastes in Pindarum in argumento Pythiorum. sed aliter Perottus, Iupiter (inquit) cum Latonam compressisset, sororem quoq; eius nomine Asterien uitiare conatus est, quæ deorum miseratione in auem conuersa est, quam nos coturnicem uocamus, at Iupiter sese in aquilam, ut eam raperet, uertit. Illa uerò rursus deorum miseratione in lapidem transmutata est, qui diu sub aquis latuit. Tandem uerò precibus Latonæ à Ioue in summas aquas deiectus est. Vide supra in a. inter Propria. ¶ Coturnices in Latonæ tutela existimant constituta, Solinus. Persina boum greges & coturnicum &c. præmiserat, partim ut ex unoquoq; genere sacrificaret hecatomben, partim populo inde pararentur epulæ, Heliodorus.

¶ Prouerbia. Ὄρτυξ ἔσωσεν Ἡρακλεῖ τὸν καταδρόμον. id est, Seruauit Herculem coturnix strenuum, Senarius est Græcis prouerbij uice celebratus: quem tamen Zenodotus negat apud ullũ ueterum scriptorum inueniri. cæterum dici solitum, de his qui in periculo seruati essent ab his à quibus minimè sperarant. Adagionis originem ad huiusmodi fabulam referunt: Coturnicem quandam Herculi in delicijs fuisse, cuius nidore cum uiua incenderetur, ille mortuus sit in uitam restitutus. Meminit huius fabulæ Athenæus quoq; libro 9. scribens, Herculem Iouis & Asteriæ filium, in Libyam proficiscentem à Typhone fuisse interemptum: reuocatum autem in uitam odore coturnicis, illi ab Iolao admotæ, & ob eã causam Phœnices Herculi coturnice sacrificare, Erasmus. Athenæus Eudoxum Cnidium huius fabulæ authorem citat: Reuixit (inquit) cum olfecisset coturnicem, nam ea aue etiam uiuens delectabatur. Meminit & Eustathius. ¶ Κιχλίζειν tanquam prouerbiale uerbum Erasmus in Adagijs coturnissare transtulit, cum cichla Græcis turdum non coturnicem significet. Vide in Turdo h. ¶ Alia uoce psittacus, alia coturnix loquitur: prouerbiali schemate dixit Martialis in clancularium quendam poëtam, qui corniculam Aesopicam referens, suos ineptos uersiculos nomine Martialis in uulgus spargebat, ratus futurũ ut titulo decepti lectores, Martialis esse crederent. Credis hoc Prisce, Voce ut loquatur psittacus coturnicis. Conueniet in musicos aut poetas longè dispari stylo, longeq; dissimili facultate, Erasmus.

DE ORTYGOMETRA.



ORTYGOMETRA, (ὀρτυγομήτρα, Gaza simpliciter matricem uertit,) forma perinde ac aues lacustres est, & coturnicibus auolantibus ducem se præbet, Aristot. Vide supra in Coturnice c. Alexãder Myndius apud Athenæum, hanc auem ait esse magnitudine turturis, cruribus longis, timidam, (δύσθαλὴς καὶ δειλόν,) Vox δύσθαλὴς forte gracilem ac tenuem corpore significat. Nuper anonymus quidam, qui de animalium nominibus Latinis et Gallicis libellum ædidit, hanc auem colore inter uiridem & croceum medio esse tradidit, tanquam eodem Alexandro Myndio authore: quod quidem apud Athenæum non legitur. Ithacesiæ ortygometræ Crates meminit, Athenæus. Ortygometra dicitur quòd gregem coturnicum ducit, Isidorus.

¶ Ortygometram uulgò Itali coturnicum regem appellant, (el re de qualie,) maiorem aliquanto, ac nigriorem, Perottus. Quidam Gallicè interpretatur, aut potius circũloquitur, le roy & mere des cailles, proprij nominis ignoratione, ut etiã Germanicè quidam **dea wachteln künig**. ¶ Ortygometra ut in Italia, sic per totam Græciam reperitur, in Creta rarior. Refert hæc auis coturnicem quibusdam notis, & quum uolatu non admodum ualeat, cursus celeritatem à natura accepit. Galli nominant un rasle, Itali roy des cailles. Refert autem gallinam aquaticam, quam Itali fulicam appellant, quoniam & nigra colore est, & aquam quotidie frequentat. Sed longè minor est, & non omnino sic nigra, cum sub alis colore albo uariet, & utrinq; ad latera. Cauda eius ruffa est inferius, & breuis ut in omnibus auibus aquaticis. rostrum duos digitos longum, quod tamen si rusticulæ aut galli gallinæ rostro conferas, breue dixeris, Petrus Bellonius in Memorabilibus Græciæ. Quanquam uerò scribat eandem auem quam Itali regem coturnicum uocant, Gallorum rasle uel rallam esse, mihi

mihi tamen alius uidetur rex coturnicum Italis dictus, ut coniicio ex figura, quam clarissimus medicus Aloisius Mundella ad nos misit, cui color fuscus potius quàm niger, & rostrũ breuius quàm à Bellonio scribitur. Memini ego à Gallis audire rallam uulgò Gallicè dictam auem corpore gracili esse, magnitudine merulæ, quæ in pratis uelociter currat, raro uel nunquam uolet, altis cruribus, uoce kr, kr, kr, frequenti, colore subrufo: satis lautam in cibis, carne colore æruginosi æris, quæ contra morbum regium in cibo commendetur, ut etiam ius decoctæ. Sed de rala aquatica & terrestri plura scribam inter Gallinulas. Angli perdicem rusticam siue gallinaginem ralam appellant, ut audio. Aristoteles quidem aquaticis auibus eam forma, id est corporis specie, similem esse scribit, nõ colore aut aquæ frequentatione. Est autem hæc ferè species aquaticarum auium, ut crura oblonga habeant, digitum qui pro calce est perbreuem, corpus gracile, & plumas plerunq; uarias, uentrem albicantem, & caudam breuem, rostrum longiusculum, modicè flexum. Idem Bellonius in Memorabilibus Syriæ inter aues nominat rasle (aliâs ralle de genet,) nec explicat quæ aut qualis ea sit. Non probo illos qui ortygometram interpretati sunt ein Schnepff, id est rusticulam. hanc enim gallinaginem uel scolopacem Aristotelis esse docebimus. certum est eam cum coturnicibus non discedere. In hac sententia uideo Arnoldum Villanouanum fuisse, qui pro ortygometra, ethigometram scribit, & auem interpretatur lautam, perdici similem, longo rostro.

¶ Ortygometram (inquit Turnerus) aliqui eandem esse auem cum crece & cychramo (cenchramo) uolunt, sed Aristoteles omnino distinguit. Et rursus, Aliqui ortygometram esse uolunt Germanorum scricam, & Anglorum dakerhennam, quæ nobis crex non ortygometra uidetur. Vide mox plura in Crece. Ego planè scricam Germanorum, uel ortygometram, uel cynchramum, uel alterutri prorsus congenerem auem esse sentio, nam crex ibidis est magnitudine, pedibus gruinis. Ortygometra, id est scrica nostra, ein Screcke, (inquit Gybertus Longolius,) duplo maior est. Vocem mirificam instar coaxantium ranarum clamoris ædit, sed subtiliorem multò & acutiorem: ita ut rubetam assereres, ni unico spiritu sæpius ingeminaret. Rostrum ei quàm coturnici longius est & acutius. crura pedesq; satis etiam pro corporis spatio longos (longiora coturnice) obtinet, colore inter croceum & uiridem medio. quinetiam frugiléga est: & aduena, antequam coturnices haud uspiam audias: & cum illa non auditur, neq; coturnices te speres amplius tum uisurum. Græci quoque cenchramum appellant, ut nos Germani screccum. Neq; etiam aliter ac coturnices retibus fallitur, nisi quòd his fistula imponitur: screccos uerò imitatione uocis, serrata costa, quam ferrea lamina, aut cultro serratim leuiter percutiunt, in pernicíem agunt, Hæc ille. Et alibi, Scricæ nostræ primæ discedunt, & primæ ueniunt.

¶ Heluetij auem quandam Brachuogel appellant, à mense Iunio quo capitur uel in quasdam regiones aduentat: alij Brachamsel, quod magnitudine corporis merulam referat (forte & colore partis pronæ,) reperiri eam audio in pratis palustribus plerunq; rostro oblongo, cruribus longis, auolare autumno, deinde uerno tempore cum coturnicibus redire. hæc quidem ortygometra an cenchramus sit (alterutram enim esse suspicor) nondum mihi constat. Sed cenchramum potius esse coniicio, quòd differat ab ea, quam ex Italia accepi, ortygometræ effigie, figurã eius infra dabimus inter gallinagines aquaticas. ¶ Ortygometram Perottus scribit sic dictam, quòd dux sit ac moderatrix coturnicum, ab ortyx & metron quod est mensura, sed ineptè, producit penultimam hæc uox, & Græcè per η. scribitur, non per ε. ut μέτρον. sic & tettigometra, & eiusdem originis reliqua, composita scilicet ab ortyx & μητὴρ (malim μήτρα) id est mater, ut sit ortygometra coturnicum mater seu matrix. sic metropolis dicta est urbs matrix, ex qua coloniæ deductæ, ut pluribus docet Budęus in Annotationibus prioribus in Pandectas. Μήτρα sanè uox Græca in compositione magnitudinem & in suo genere principatum significare uidetur, ut in Leone dixi initio capitis secundi. ¶ Ὀρτυγομήτρα, coturnix prægrandis, Hesychius. Ὀρτυγομήτρα, παρὰ τὸ ὄρω τὸ διεγείρω, Etymologus & Varin. sed locus uidetur corruptus. ortyx enim potius dictio simplex est, & à uerbo ὄρω, quod est excito, deriuari poterat: fortè quod facile ad pugnam animo concitetur. Sed magis placet per onomatopœiam sic dici.

¶ Hebraicam uocem schelau aliqui ortygometram interpretantur: sed coturnicem simpliciter ea uoce significari magis probamus. Vide in Coturnice A. Albertus lib. 23. ortygometram & ortygem confundit. Idem alibi ortygometram facit genus galli syluestris maximum, quod uulgò Orhan uocetur, quam eius interpretationem ineptissimam Niphus etiam referens non improbat.

DE CRECE.

CREX moribus pugnacibus est, ingenio ualens ad uictum, sed cætera infelix. crura habet longa, ac ideo posteriorem digitum, qui pro calce est, minutum. pugnat cum galgulo, & merula, & uireone. nocet enim his & eorum pullis, Aristot. Auis est marina, ibidi similis, Varinus. Ibis nigra in Aegypto, pedibus est gruinis, &c. eadem qua crex magnitudine, Herodotus. Creci similis traditur elorius, Athenæus. Crex & ciconia inimicę sunt, Aelian. Ad ciuitatem auium condendam è Libya uenerant innumeræ grues, θεμελίους καταπεπωκυῖαι λίθους. Τότος δ' ἐτύκιζον ἀε κρέκλον τοῖς ῥύγχεσιν, Aristoph. in Auibus, ubi Scholia, Crex genus est auis rostro admodum acuto & serrato, (idem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 388 sur 825

Suidas & Varinus repetunt.) Τύκος uero inſtrumentum eſt quoddam, quo lapides poliunt, (πολιτύπασι, καὶ ξέεσιν.) is uerò labor non ineptè auibus longum roſtrum habentibus tribuitur. Βραδύπτερα κρέκδι, Philes. ſunt enim aues aquaticæ tardioris uolatus. Vide in Ciconia ad finem quarti capitis. ¶ Κρεὲξ auis nomen fictum per onomatopœiam, ut & κόρκις, id eſt radius textorius, à uerbo κρέκειν, quod eſt ἠχεῖν, Euſtathius. Κόρκας, auis eadem quæ crex, Heſychius & Varin. Eadem forte etiam cercis fuerit. Vide ſupra in Cercis. Crex auis eſt inauſpicata nuptijs, ὄρνεον δυσοιώνιστον τοῖς γαμοῦσι, Suidas. ὄρνεόν τι ὃ τοῖς γαμοῦσιν οἰωνίζονται, Heſychius. id eſt, auis à qua auſpicia petebant pro nuptijs. Κρεὲξ, κορυφαῖα, (κόρκις quidem exponitur Varino ἡ ἐπὶ πίτυϊ κορυφή, ἢ ἀκρωτήρια; κορκίδα etiam ἄκρωτήρια interpretantur Grammatici:) πάσσεται δὲ καὶ ὑπὸ τροχοῦ, (fortè de rota currus, propter ſonum quem reddit dum uoluitur,) Heſychius & Varinus. ¶ Aues hominibus deorum ſententiam nunciant, aquila Iouis, Mineruæ crex & noctua, Porphyrius lib. 3. de abſtinendo ab animatis.

¶ Eſt auis quædam apud Anglos, longis cruribus, cætera coturnici, niſi quòd maior eſt, ſimilis, quæ in ſegete & lino, uere & in principio æſtatis non aliam habet uocē, quàm crex crex: hanc enim uocem ſemper ingeminat, quam ego Ariſtotelis crecem eſſe puto. Angli auem illam uocāt a dakerhen, Germani ein Schryk. (audio à Friſijs uocari ein Schrye, auem quam nos arquatam appellauimus) nuſquā in Anglia niſi in ſola Northumbria uidi & audiui, Turnerus. Vide infra inter Gallinulas terreſtres. Quærendum an hæc à Turnero deſcripta auis, ortygometra ſit, aut an eadem forte quam circa Argentoratum Wattkern appellant, cuius figuram inter gallinas ſyluestres dabimus. Ortygometram aliqui eandem eſſe auem cum crece & cynchramo uolunt, ſed Ariſtoteles planè diſtinguit, Turnerus. ¶ Albertus pro crex habet cratoz, quam coruini generis auem eſſe imperitè ſcribit. ¶ Poëta κρέκα etiam pro capillo dicunt, ut innominatus quidam apud Suidam in hoc hemiſtichio, πορφυρέῃσι κόμῃσι (ἐκρώξε) κρέκα. Κρέκειν & κατακρέκειν uerba uſurpantur de concentu citharæ, Cælius.

DE CVCVLO.

A.

KAATH, קאת, Hebraicam uocem, aliqui קיק, kik uel hakik (ut uocant magiſtri in Thalmud) id eſt cuculum, interpretātur: alij onocrotalum, pelecanum, cataracten, mergulum, &c. Vide ſupra in Mergo in genere. Dominus ponet Niniuen ſicut deſertum, & pernoctabit in ſuperliminaribus eius cuculus, (kaath,) Sophoniæ ſecundo, interprete Munſtero. Idem in Lexico trilinguí cuculum nominat kik, קיק: & kakata, קאקאתא. Schalac etiam Hebraicè quidam cuculum dici putāt: alij mergulum, alij nycticoracem. Vide itidem ſupra in Mergo in genere. Larus auis Hebraicè ſchachaph nominatur à morbo quo laborat. Hebræi uulgò cuculum ſic uocant, quòd hæc præ cæteris ſcabioſa appareat, P. Fagius. In Auicennæ animalium hiſtoria typis excuſa, modò banchem, modò euchem pro cuculo legitur. ¶ Græcè, coccyx, κόκκυξ, uocatur: unde karkolix uox corrupta apud Albertum lib. 23. In Creta hodie decocto, Bellonius. ¶ Latinè, cuculus, cucullus, cuccus: Vide infra in a. ¶ Italicè, cucculo, cucco, cuco, cucho. ¶ Hiſpanicè, cuclillo. ¶ Gallicè, cocou, coquu. Germanicè, Gucker/Guggauch/Kuckuck/Gugckuſer. Flandricè, Kockock, uel Kockuut. ¶ Anglicè, a cukkouu, & a gouke. ¶ Illyricè ziezgule.

B.

Cuculus quidam componitur ex columba & niſo ſiue ſperuerio: alius ex columba & aſture, mores etiam habet ex utroq; compoſitos. ex columba enim habet quòd non prædatur aues alias, ex niſo autem & aſture habet, quòd inſidiatur nidis auium aliarum debilium, & ideò aues pugnant cum cuculis tempore quo oua pariunt, Albertus lib. 23. Et ubi librum ſextum Ariſtotelis de hiſtoria animalium interpretatur, cap. 7. Cuculus (inquit) duplex eſt, (etiam ex Auicennæ ſententia,) maior & minor. Maior ex aſture & columba componitur. quoniam roſtrum & ungues & pedes habet ſimiles palumbo: reliquum corpus ſimile eſt aſturi, niſi quòd uarietas pennarū in cuculo habet maſſas nigras ferè rotundas, in aſture uerò ſunt lineæ nigræ: uolatu etiam aſturē refert. hæc auis Græce kakakoz dicitur (pro coccyx uoce corrupta.) aliquando enim quando coniungit uoces triplicat eas, & profert ſonum kakakoz. Minor autem cuculus cōponitur ex columba & ſperuerio, habens roſtrum & pedes columbæ: & cætera corporis membra & uolatū ſimilia ſperuerio: unde falſa uulgi opinio nata eſt cuculum maiorē aliquando eſſe aſturem, & econuerſo. Magnitudine quidem & uolatu cuculus maior magnum accipitrem refert, minor paruum. Et forte plures ſunt differentiæ huiuſmodi cuculorum. Hæc ille. Maiorem cuculum (inquit Niphus) nonnulli putant petere ſaxa & domicilia in quibus columba nidificat, ut illius oua uoret, & ſua imponat. Secundū uerò cuculum, petere nidos auium minorum, in quibus pariat. Sed, pace Alberti dixerim, non inuenitur cuculus maior. Non cuculum modo in alienis nidis parere quidam putant, ſed etiam auem rapacem aſturi ſimilem in nido corniculæ, Albertus. ubi exponit locū Ariſtotelis de hiſtor. anim. 9. 29. nihil autem tale Ariſtoteles habet, ſed alibi docet cuculum à quibuſdam accipitrem exiſtimatum, ut in c. referemus.



remus. Vnde apparet Albertum parum ſibi conſtare: nec tanquam ſuam de duobus cuculi generibus opinionem, ſed alienam referre. ¶ Vnguibus non eſt aduncis cuculus, ſed iſs & capite ac roſtro rictuq; columbam potius (uetus lectio habet uictu columbi potius, ut intelligamus eum & leguminibus ueſci præter reliquorum accipitrum morem, ad hoc rictum uix puto inueniri de ullis auibus, nedum de columbis, Gelenius in Plinium: mihi placet rictu legi ex Ariſtotele) quàm accipitrem refert. colore tantum accipitrẽ imitatur: niſi quòd accipiter maculis diſtinguitur, ceu lineis: cuculus uelut punctis, magnitudo atq; uolatus ſimilis accipitrum minimo, Ariſtot. & Plinius. Turturis (forte accipitris) ferè colorem habet, Author libri de nat. rerum. Immutatur colore cum ſe abditurus eſt, Ariſtot. Inſpexi aliquando cuculum iuuenem, qui uentre & adiacentibus partibus ſimilis erat ſperuerio, colore totus nigricãs, ſed maculis ſubruffis per alas aſperſus, foramina narium in roſtro multum eminebant, oris pars interior flaui coloris erat. Digiti eius bini antrorſum tendebant, bini alij retrorſum ut in pico.

C.

Cuculus à ſua uoce nominatur, Varro & Iſidorus, non apud Latinos tantum, ſed apud Græcos

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 390 sur 825

quoq;,& alijs pleriſq; linguis,ut uix alia auis ſit quę ſimiliter in tot linguis unam aut ſimilem habeat nomenclaturam. Cretenſes cuculum hodie decocto uocant, uocis ipſius imitatione, Belloníus, ὁ κόκκυς δὲ ἀνόσφωνος, Varinus. Cuculus eſt auis improba quæ uocem ſuam in cantando non mutat,ſed ſemper eandem replicat, Liber de nat. r. Abditurus ſe uocem mutat, Ariſtot. & Plinius. Et cuculi cuculant,fritinit rauca cicada,Author Philomelæ. Cucculat & frigulat uoce, Alunnus, nos frigulare de cuculi uoce nuſquam legimus. Græci κοκκύζειν uerbum cum de cuculi tum de galli uoce uſurpant, uide infra in a. Plínius cuculi cantum dixit. Audiuntur apud nos cuculi plerunq; uſq; ad diem d. Ioannis.

¶ Auis pigerrima eſt,& loco non ſtabilis,Author de nat. r. Breues & paruos uolatus facit,Iſidorus. Non illum (accipitrem quem celebrat) uano cuccus deceperat aſtu Dum uagus incertas ítq; reditq; uias, Veſpaſianus Stroza. ¶ Vermibus & inſectis quibuſdam,ut muſcis, erucis, cuculos ueſci audio.

¶ Cuculus ſaxa & domicilia petit in quibus nidificet, Ariſtot.ſed cum idem alibi cuculum alienos tantum nidos petere ſcribat,conciliari poteſt,dicendo cuculum per ſe perraro nidificare: in nidis uero alienis frequenter, Niphus. Vide ne pro κόκκυξ apud Ariſtotelem legendum ſit κόττυφος. Locus eſt hiſtoriæ anim.6. 1. ubi Albertus non cuculum ſed cygnum habet. Cuculus non nidificat,ſed in nidis parit alienis,& præcipue in palumbium,& curucæ,& alaudæ humi, atq; etiam in nido luteolæ appellatæ ſuper arborem.parit hic unum ouum,nec ipſe incubat. Sed auis in cuius nido pepererit,ea incubat,excludit,atq; enutrit. quæ cum ipſe alienigena pullus accreuerit, ſuos eijcere dicitur,ita ut pereant.Alij eos à genitrice occidi, & dari in cibo cuculi pullo aiunt,uidelicet impro batos propter ſpeciem cuculi elegantiorem. ſed quanquam plurima ex ijs uidiſſe nonnulli confirmant,tamen de pullorum interitu non conuenit inter omnes. Alij enim cuculum ipſum repetere nidum,cui ſuum ouum mandarit,pullosq; deuorare nutricis uolunt. alij pullum cuculi, quod magnitudine præſtet,poſſe percipere cibum omnem oblatum, atq; ita cæteros fame perire autumant. alij ipſum ut fortiorem, cæteros paſtus conſortes occidere autores ſunt. Sed prudenter ſanè prolis ſuæ procreationem moliri uidetur cuculus.Cum enim ſe ignauum,minimeq; opitulandi potentem nouerit,facit quaſi ſuppoſititios ſuos pullos, quò ſeruari poſsint. timiditate enim hæc auis excedit, quippe quæ ab auiculis uellatur,& præmetu earum fugiat,Ariſtot. Cauſa ſubijciendi pullos putatur,quod ſciat ſe inuiſam cunctis auibus. Nam minuta quoq; infeſtat. ita non fore tutam generi ſuo ſtirpem opinatur,ni fefellerit:Quare nullum facit nidum, alioquin trepidum animal. Educat ergo ſubditum adulterato fœta nido.Ille auidus ex natura,prærípit cibos relíquis pullis,itaq; pinguescit, & nitidus in ſe nutricem conuertit. illa gaudet eius ſpecie, miraturq; ſeſe ipſam, quòd talem peperit. Suos comparatione eius damnat ut alienos, abſumitq; etiam ſe inſpectãte patitur, donec corripit ipſam quoq; iam uolandi potens, Plínius. Pullos cuculi nemo ſe ait uidiſſe, Ariſtot. ferè nemo, Vuottonus. nemo ſe ait uidiſſe in nido proprio,Albertus. Parit cuculus, uerum nõ in nido quem ipſe fecerit,ſed interdum in nidis minorum auium:& oua quæ aliena repererit, edit. maxime uero nidos palumbium petit,quorum & ipſorum oua eſu abſumens,ſua relinquit. parit maiore ex parte ſingula oua,raro bina,Ariſtot. & Plínius. Propter naturæ ſuæ frigiditatem, ut quidam conijciũt. Curucæ quoq; in nido parit, fouet illa,& excludit,& educat, Ariſtot. Cuculos in Helice aiunt parituros,non conſtruere nidum,ſed in palumbium aut turturum nidis parere,nec incubare,neq; excludere,neq; nutrire eos: ſed pullum educatum ab aliena matre cęteros pullos de nido eijcere,quos tanquam maior & ualidior facile ſuperat. Quin & matrem aiunt eius forma delectatam, in pullis proprijs expellendis eum iuuare,Ariſtot. in Mirabilibus. Cuculus (inquit Aelianus) ſibi conſcius eſt,ſe neq; incubare, neq; ex ouis pullos excludere poſſe, ob frigidam corporis conſtitutionem. itaq; in alieno nido parit,non tamen cuiuslibet auis, ſed alaudæ & luteolæ:quòd non ignoret abijs oua ſuis perſimilia pari ſolere. ſi autem illarum nidos ouorum inanes & uacuos repererit, non ideò diuertit,ſed in eos ubi intus oua ſint,atq; ad ea ipſa admiſcet ſua: ſi autem illarum oua complura offenderit,ex ijs quædam perdit,ac in eorum locum ſua (totidem,ne dum illa numero ſuperflua inuenerit auis incubatura,quaſi aliena repudiet, Author libri de nat. r.) ſupponit, quæ non ab illarum ouis internoſci poſſunt,ob ſimilitudinem.Iam uero aues quas dixi aliena oua excludunt:pulli uero cuculi cum ætate procedenti ad uolatum firmi paululum exiſtunt, ſibi conſcij ſe eſſe illegitimos fœtus,ad parentem ſuum euolant. iam enim ſuccreſcentibus pennis (ab aue quæ eos excluſit) alieni deprehenduntur,atq; acerrime uerberantur, Hæc ille. Nidum non facit ipſe,aliarum uerò auium deuoratis ouis, & ſuis ſuppoſitis, diſcedit. fouentur ea per alienam matrem, donec excluſis pullis fraus detegatur:qua cognita eos relinquit,& alium nidum ſtruit, & ita demum cuculus accedens pullos nutricatur, Oppianus Ixeutic. primo. Cuculi genus non extaret, niſi ſua oua alieno nido ſupponeret,Theophraſtus in hiſt. Plant. Cuculus ouis quæ in palumbi nido inuenerit clam confractis,ſua reponit,Albertus. Auis quæ excluſit pullum cuculi,nutrit eum,& ſpecie eius delectatur adeò, ut ipſa nutriendo illum famem ferat, Idem. De pullo cuculi (inquit Niphus) ſententiæ ſunt diuerſæ. dicunt enim nonnulli nutricem incubare ouum cuculi, & ſimul etiam ſua, ſed quoniam ouum cuculi citius excluditur, ideo uiſo pullo cuculi, auis nutrix non amplius excludit oua ſua. Alij dicunt cuculum oua auis,in cuius nido parit, uorare & proprium relinquere incubãdum:

quam

quam opinionem Albertus & Auicenna magis probarunt, & Aristoteles nonnunquam. Alij dicunt cuculum patrem repetere nidum, & uorare pullos auis nutricis, ac suum relinquere. Nonnulli uero asserunt pullum cuculi suis motionibus propter suum pondus opprimere pullos nutricis auis, præsertim in prima teneritate, cum uidelicet primum excluduntur, Hæc Niphus. Cuculi oua in passeris nido reperta comedunt, & sua obijciunt, quæ ille inuenta fouet ac nutrit, Isidorus. Vulgo fertur quòd non cuculus tantum, sed etiam alia quædam auis rapax similis ferè asturi (quam etiam aliqui falsò asturem uocant in terra nostra) in nido alieno pariat. hæc quidem in nido corniculę parere creditur: cuculus uerò præcipuè parit in nido auiculæ grasemuschæ (id est currucæ) dictæ, aut alterius paruæ illi similis. Cuculum autem nunc simpliciter uoco quem alibi minorem cuculum appellauí, is & in currucæ nido parit, & alterius citrinæ cuiusdam auis, quam alij gursam, alij ameringam uocant, interdum etiam in nido auiculæ, quæ iuxta ripas aquarum cauda oblonga & ualde mobili insignis est, unde & nomen ei apud Germanos. Fertur autem ouum cuculi citius excludi, eoq; exclusso auiculam non amplius incubare alia oua, sed nutrire pullum cuculi, qui deinde paulatim crescendo reliqua oua incubet & excludat. Ouum enim cuculi ferè semper est in medio ouorum aliorum. Alij dicunt oua omnia simul excludi, & cæteros pullos à matrice interimi dariq; in cibum pullis cuculi, quòd illos propter formam & magnitudinem mater pullorum præferat. & hoc rustici quidam & aucupes se uidisse testantur. Verum hoc apud nos non de cuculo, sed de cornicula fertur, in cuius nido auis asturi similis parit, Albertus. Et alibi, Maioris cuculi mos est, parere in nido palumbi: minoris uerò in nido currucæ aut motacillæ. & Auicenna scribit se cuculum minorem in utriusq; auis nido inuenisse aliquando in ripa fluminis, & semel in arbore: & auiculas illas cuculum uermiculis nutrientes obseruasse. Sed cuculi genus simplex esse, nec maioris & minoris differentia distinguí, ostendimus supra in B. Ego ab aucupibus nostris audiui cuculum in diuersarum auicularum nidis reperiri, à quibus alatur: nempe rubeculæ, (quam Hußrötele uocant,) luscinię, motacillæ albæ, & brunellæ uulgò dictæ. Acron apud Horatiũ Satyr. 1. 7. cucullum esse scribit auem abiectam, quæ hoc uitio naturali laboret, ut oua ubi posuerit oblita, sæpe aliena calefaciat. unde rustici sibi obijciunt, quasi alieni curam sustinentes. Sed currucam potius aut similem aliam auem nõ cuculum hoc facere scribendum fuerat. Cuculus parum generat, quanquam aduncus nõ est, quia naturæ frigidæ est, Aristot. Nulla auis unum parit, excepto cuculo, qui & ipse duo interdum parit, nec multa parit, sed sæpe bina, aut terna cum plurimum, bina quidem magna ex parte, Idem.

¶ Cuculus (inquit Aristot.) ex accipitre fieri immutata figura à nõnullis putatur: quoniam quo tempore is apparet, accipiter ille, cui similis est, non aspicitur. sed ita ferè euenit, ut ne cæteri quidem accipitres item cernantur, cum primum uocem emisit cuculus, nisi perquam paucis diebus. Ipse autem breui tempore æstatis uisus, hyeme non cernitur. est hic neq; aduncis unguibus, ut accipiter, neq; capite accipitri similis: sed ea utraq; parte columbum potius, quàm accipitrem repræsentat. nec alio, quàm colore imitatur accipitrem, nisi quod accipiter maculis distinguitur, ceu lineis: cuculus uelut punctis. magnitudo atq; uolatus similis accipitrum minimo, qui magna ex parte per id tempus non cernitur, quo cuculus apparet. nam uel ambo unà uisi aliquando sunt. Quinetiam ab accipitre interimi cuculus uisus est, quod nulla auis suo in genere solet facere, Aristot. Vide etiã in Accipitre C. Cuculus apparere incipit Martio, quo tempore nullus accipiter (nec astur, nec spar uerius) apparet, nisi paucis diebus ultimis Martij, Niphus.

¶ Cuculus immutatur colore, & uocem minus explanat, cum se abditurus est, quod facere exortu caniculæ solet. apparere autem incipit ab ineunte uêre ad eius syderis ortum, Aristot. Procedit uêre, occultatur caniculæ ortu, Plinius: pòst rarissimè cernitur, Aelian. Æstate uolat & lascíuit: hyeme iacet languens & deplumatus, ac buboni similis apparet, Obscurus. Hyeme latet in cauis arboribus, Georg. Agricola. Hyeme plumas amittere dicitur, intratq; terræ latibulũ, uel concauitates arborum: illuc æstate congerit, unde hyeme uiuat, Author libri de nat. rerum. Certum est cuculum hyeme latêre in concauis arborum & lapidum. Comportari autẽ æstate ab eo cibum quo hyeme nutriatur, falsum esse constat. sed hyeme pennas amittit & mutat, Albert. Fabulantur quidam apud nos rusticum quendam cum truncum fornaci calfaciendæ hyeme immisisset, cuculi in eo uocem audiuisse. Cuculus auis est uerna, Etymologus. Amphisbæna sola serpentium frigori se committit prima omnium procedens & ante cuculi cantum, Plin. Cuculi certo tempore aduenium, miluorum scapulis suscepti propter breues & paruos uolatus, ne per longa aeris spacia fatigati deficiant, Isidorus. Cuculus in Phœnice ante messem apparet, Scholiastes Aristophanis. uide infra in H. a. ¶ Nostri hominem ualde scabiosum, uulgò dicere solent tam scabrum esse quàm cuculus. forte quòd per hyemẽ cum latet ac pennas mutat, hæc auis corpore scabro uideatur. ¶ Cuculi saliuæ cicadas gignunt, Isidorus. Creditur enim uulgo saliuam quandã expuere: unde & herbæ nomen, de qua mox in a. dicemus. Mihi auem ullam spuere uerisimile non fit: & qui cuculum domi uermiculis aluêre, spuentem nunquam obseruarunt.

D.

Cuculus auis est timidissima, ut inquit Anacreon, Etymologus. Pertimida est auis, quippe quæ ab auiculis uellatur, & præ metu earum fugiat, Aristot. Et alibi, Frigidæ est naturæ, quod ipsius pauore iudicatur. nam ab omnibus auibus fugatur, & in alienis parit nidis. Διὰ δ' ἐιλίαν ὁ στρουθὸς

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 392 sur 825

λίζεται τοῖς λοιποῖς ὀρνίοις, Varinus. ¶ Coccyce aſtutior: Vide infra inter Prouerbia. Non illum (accipitrem quem celebrat) uano cuccus deceperat aſtu Dum uagus incertas itq; reditq; uias, T. Veſpaſianus Stroza. ¶ Solum cuculum inter aues à ſuo genere interimi Plinius ſcribit, non rectè intellectis, ut apparet, Ariſtotelis uerbis. Ariſtoteles enim hoc non ſcribit, ſed ut contra uulgi opinionem cuculum non eſſe de genere accipitris doceret, illum etiam ab accipitre deuorari ait, quòd non fieret ſi eiuſdem generis eſſet, uel mutata tantũ figura ab eis differret. ¶ Quòd nidum proprium non faciat, neque oua ſua foueat, neque pullos excludat, &c. ſat copioſè præcedenti capite explicatum eſt. ¶ Aues (minores) pugnant cum cuculis eo tempore quo oua pariunt, Albertus. Et rurſus, Aues ferè omnes impugnant cuculos, ſed occultè accedunt ad eos.

E.

Miraculum fertur de cuculo, quo quis loco primum audiat alitem illam, ſi dexter pes circunſcribatur, ac ueſtigium id defodiatur, non gigni pulices ubicunq; ſpargatur, Plinius. ¶ Cuculus primus auium uerni temporis nuncius eſt, Oppianus. Cum propius ciuitatẽ acceſſerit, magis uerò ſi intrârit, pluuiæ uel tempeſtatis prognoſticum eſſe audio. Quidam annonæ caritatem timẽdam exiſtimant cum propius domos hæc auis acceſſerit, quod cœlo frigido facere ſolet. Audiuntur apud nos cuculi plerunq; uſq; ad diem diuo Ioanni ſacrum: quod ſi etiam ab eo tempore audiantur, uinum acerbius futurum metuitur.

F.

Pullus cuculi dum in nido educatur (ab aliena matre,) eo tempore præcipuè & pinguis & grati ſaporis eſt, Ariſtot. Cuculi pullo qui iam uolare poteſt, nulla auium ſuauitate carnis comparatur, Plinius. poſtquam per ſe uiuit, mutat ſaporem, Perottus. Hodie nuſquam puto in cibum admitti cuculum. nam quia ſpuit (ut uulgò credunt) auis impura & excrementitia iudicatur. Quod ſi kaath Hebræis cuculum ſignificat, ut quidam interpretantur, (alij aliter,) lege etiam Moſis interdictus fuerit Deuter. 14.

G.

Auis cuculus leporina pelle adalligatus, ſomnos allicit, Plinius. Ad canis rabidi morſum aliqui ſimum cuculi laudant decoctum (in uino, ut obſcurus quidam addit) & potum, Idem.

H.

¶ a. Cuculus dicitur tribus ſyllabis breuibus: ut apud Authorem Philomelæ, Et cuculi cucu lant, fritinit rauca cicada. Horatius cucullum dixit l. conſonante duplicata, Cui ſæpe uiator Ceſsiſſet, magna compellans uoce cucullum, in Satyris 1.7. Quòd quidam ex cuculo faciunt cucullum apud Horatium, ex aui ueſtem, nihil eſt neceſſe, quum hæc uox penultimã habeat productam, apud Plautum in carmine Trochaico, At etiam cubat cuculus, ſurge amator, i domum. Ac mox, Cano capite te cuculum uxor ex luſtris trahit, Trochaicus eſt, Eraſmus. Alberto ineptè etiam gugulus ſcribitur. Coccyx apud Romanos cuccus (κόκκος) uocatur, Suidas & Varinus. ὁ παρὰ Ῥωμαίοις κόκκυς, Iſacius Tzetzes in Lycophronem, ut codex impreſſus habet: Cælius uerò cucus legit (non cuculus) per c. ſimplex. Non illum uano cuccus deceperat aſtu, T. Veſpaſianus Stroza. ¶ Coccyx Græcum eſt nomen, quo etiam Plinius utitur. ὄρτυξ & κόκκυξ declinantur per υγος, ut in Coturnice a. docuimus.

¶ Epitheta. Vagus, Veſpaſiano Strozæ. πρόδρομος πένθους (aliàs κόκκυγος) ἰαπτόξ, Nicander in Theriacis. id eſt, initio uêris. Κόκκυξ, ὄρνεον ἐαρινὸν ἀειλόπτερον, ὡς φησιν Ἀνακρείων, Etymologus.

¶ Cuculum maritum uocat mulier apud Plautum, qui cum alienis uxoribus dormiebat: quòd cucullus auis cum tempus ſuæ partitudinis appetit, nidum auiculæ, cui curruca nomen eſt, animad uertit, in eiuſq; nido, excluſis illius ouis, oua ſua enititur. In Aſinaria, At etiam cubat cuculus, ſurge amator, i domum. Plura uide infra inter Prouerbia. Magna compellans uoce cucullum, Horatius in Sat. 1.7. ubi Acron, Cucullus auis (inquit) hoc uitio naturali laborat, ut oua ubi poſuerit oblita, ſæpe aliena calefaciat. Vnde ruſtici ſibi obijciunt, quaſi alieni curam ſuſtinentes. Sed hoc alij de curruca potius ſcribunt, etſi non ſimiliter. ¶ Cucullus, capitis tegmẽ. Sumere nocturnos meretrix auguſta cucullos, Iuuenalis Sat. 6. Illinc cuculo proſpexit caput tectus, Martialis lib. 5. Contentuſq; illic Veneto duroq; cucullo, Iuuenal. Sat. 3. Mulieres noſtrates (inquit Budęus) cappã uocant. Tẽpora Santonico uelas adoperta cucullo, Idẽ Sat. 8. Saga cucullata, id eſt cucullos habentia, Columellæ. Cuculio (ut Iulius Capitolinus docet) eſt genus pilei uiatorum, quo capite obtecto uagari nocte ſolent. Cuculionem pro cuculo uidetur accipere Cato cap. 2. Funes ueteres ſarciri non uoſq; fieri: centones, cuculiones familiam oportuiſſe ſibi ſarcire, Idem cap. 135. Videtur eſſe à cucullus, forma Græca diminut. ſicut ab homine homuncio. Penulæ Gallicæ genus ſi cucullum non habet, Bardiacus dicitur: idem cum cucullo bardocucullus uocatur: utriuſq; Martialis meminit. Habet autem nomen à Bardis Galliæ gente, quòd hæc eo genere ueſtis præcipuè uteretur, Perottus. Cucullus papyraceum tegmentum quo pigmentarij utuntur. Vel thuris piperiſq; ſis cucullus, Martialis lib. 3. de libro ſuo loquens. ¶ Cuculare, apud authorem Philomelæ de uoce cuculi.

¶ Coccyges in Acharnenſibus Ariſtophanis, ut Scholiaſtes exponit, dicuntur homines inepti ac imperiti, ἄπαιδες καὶ ἀπαίδευτοι. nam & coccyx auis (inquit) uoce inepta canit, ἄμουσόν τι φθέγγεται. Eos qui facile decipiuntur priſci Græci ab oti ſtolidæ auis natura otos appellabant; noſtri ſimiliter homines

homines ſtolidos cuculos cognominare ſolent. Lycophron Aiacem cóccyga uocauit, ſiue (ut Scholiaſtes explicat) διὰ τὸ μονιὸν, id eſt ab ingenio minimè ciuili aut ſociali, ſed ſolitario: ſiue propter loquacitatem διὰ τὸ φλύαρον, iactabundę quidem eius & impiæ loquacitatis Homerus meminit. Plerisq; arriſit Battum cóccyga fuiſſe nuncupatum, de loquutionis pontificio præpedito, Cælius. Nos apud Pindari Scholiaſten in Pythijs Carmine quarto legimus Battum regem cóccyga dictum, διὰ τὸ μὴ γιγονὼς (γιγωνὼς potius per ω, in ultima & penultima, id eſt, quòd non clara uoce uteretur. erat enim ἰσχνόφωνος) φθέγγεσθαι. Κόκκυγες, id eſt cuculi (prouerbialiter ut uidetur) dicebantur, ſi qui numero pauci, complures uiderentur, Heſychius & Varinus. Os ſacrum à lato incipiens in anguſtum deſinit, ubi coccyx eſt, qui & ſphondylion (σφονδύλιον, Pollux) & orrhopygium nominatur, Cælius ex Polluce. Τισὶ δὲ καὶ τὸ ἱερὸν ὀστοῦν, ὃ πρῶτος κόκκυξ καλεῖται. καὶ ἔστι πάντων μέγιστον, Pollux. Κόκκυξ ὁ πρόβολος τοῦ ἱεροῦ ὀστέου τοῦ πρὸς τοῖς ἰσχίοις, Heſychius & Varinus: quanquam corruptus apud illos locus eſt, ſicut & κόκκυς pro κόκκυξ, quod interpretantur λόφον καὶ πτερικεφαλαίαν, id eſt, criſtam & galeam. uidetur autem etiam appendix illa oſſis ſacri ſic dicta eſſe, quòd inſtar criſtæ emineat, nō quòd cum aue quicquam commune ei ſit. Vocatur & cóccyx in iumentis pars quædam humeri uel inter humeros. uide in Equo B.

¶ Κοκκύζειν uerbum de gallinaceorum uoce Gaza ex Ariſtotele cucurrire tranſtulit. Coccyſſare, id eſt κοκκύζειν uerbum habēt Græci fictitiū ex gallinacei uoce ac coccygis, Cælius. Ἄδειν galli proprium eſt, κοκκύζειν cuculi, Pollux & Scholiaſtes Ariſtophanis. Et alibi cū poëta de gallinaceo dixiſſet ὁπόταν μόνον ὄρθριον ᾄσῃ, Scholiaſtes addit: Κοκκύζειν enim tum propriè dicitur gallus cum parta uictoria canit. ὁ δ' ὄρθριος ἄλλον ἀλέκτωρ Κοκκύσδων ναρκισσιν (ἤγειρ' ἀπραξίαις,) &c. Theocritus. hinc nimirum etiam compoſita uoce (gallus) ὀρθροκόκκυξ dicitur, Varinus. Κοκκύσω, inſtar gallinacei clamabo, ſignum dabo, συρίσω, apud Ariſtophanem, Idem. Ἀπεπυλάρισα, μόθωνα πορδοκόκκυσα, Ariſtoph. in Equitibus. ubi interpres πορδοκοκκύζειν exponit contemnere, ludibrio habere, πορδιρογχάζειν, πορδοσάκιζειν, eſt autē cordax ſaltationis genus. Κοκκύζειν, παράσειν, φωνεῖν ὀξέως, ᾄδειν, unde cóccyx dictus apud Heſiodum. & κοκκοβόας ὄρνις, & ὀρθροκόκκυξ, pro gallinaceo, Heſych. & Varinus. Σὲ δὲ κοκκύζων ἀλέκτωρ πρωκαλεῖται, Comicus apud Varinum. Ἡμος κόκκυξ κοκκύζει, Heſiodus. id eſt initio ueris. Κόκκυξ λέγοντος τὴν χειμῶνος καταρχεται κοκκύζειν Ἀνθρώπους πάντας τέρπει δὲ. τὸ ἔαρ γὰρ μινύει, Io. Tzetzes. Καὶ μοισᾶν ὄρνιχλι, ὅσσοι ποτὶ χίον ἀοιδὸν Ἀντία κοκκίζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι, Theocritus Idyllio 7. ubi κοκκύζειν pro eo quod eſt ſtolidè & inepte blaterare poſuit, ut huiuſmodi poëtæ merito cóccyges dicantur. Aegypti quondam & totius Phœnices Cóccyx rex erat, Et cum primum cuculus dixiſſet κόκκυ, tum Phœnices omnes Triticum & hordeum in agris metebant, Piſthetærus in Auibus Ariſtophanis. Reſpondet Epops, Τὸτ' ἀρ' ἐκεῖν' ἦν τοὔπος ἀληθῶς, Κόκκυ ψωλοὶ πεδίονδε. Eo in loco Scholiaſtes, Multi (inquit) Aegyptiorū recutiti erant, & cuculo canente κόκκυ, recutiti omnes in agros conueniebant. Aliter, Parœmia eſt, Κόκκυ ψωλοὶ πεδίονδε, ἀντὶ τοῦ κόκκυγος κραζοντος τὰ πεδία θερίζομεν. Et rurſus, Κόκκυ uox eſt quædam, uel accipitur pro minimo. apparet autem cóccyx in Phœnicia ante meſſem. Κόκκυ, Atticè τὸ ταχύ, (ἢ ἀντὶ τοῦ ὀλίγα, ἐλαχίστου,) Heſych. & Varinus. Κοκκῷ (cum iota ſubſcripto, Suidas abſq; iota habet, ego κόκκυ legendum conijcio,) Atticè pro celeriter. Κόκκα, acclamatio opilionis, Heſych. & Varinus. forte hîc quoq; κόκκυ legendum. ¶ Νεφελοκοκκυγίαν ciuitatem à ſe in aëre condendam, compoſito à nubibus & cuculis nomine, uocant aues apud Ariſtophanem.

¶ Κοκκυγίαν, ἄνεμον οἱ Κροτωνιάται, Heſych. & Varinus.

¶ Stirpes. Nicander in Theriacis olynthos, id eſt groſſos caprificī coccygas uocat, quòd cum cuculis ſimul uerno tempore prodeāt. Κεκοκκυγωμένον, colore coccygino, id eſt purpureo tinctum, à coccygea arbore, Heſychius & Varinus. Adrachne arbor ſimilis eſt unedonī, (arbuto,) folio tantum minore. Similis & coggygria folio, magnitudine minor. proprietatem habet fructum amittendi lanugine (pappum uocant) quod nulli alij arbori euenit, Plinius 13. 22. Gaza ex Theophraſto coggygriam non rectè prunum alicubi uertit. Arbor quæ ab Italis hodie uulgò cotonum uel ſcotonum dicitur, folio breuiore & rotundiore quàm unedonis, nec ſecto aut ſerrato, pappos habet ferè ut uitis ſylueſtris cauſtica, ut obſeruaui in collibus nō procul Tridento, eam eſſe puto quam Plinius barbam Iouis appellat lib. 16. cap. 18. nimirum quòd pappis ſuis barbam imitari uideatur. Aquas odit (inquit) & quæ appellatur Iouis barba, in opere topiario tonſilis, & in rotunditatem ſpiſſa, argenteo folio. nec alibi eius meminit. Coggygriæ folium (inquit Theophraſtus) arbuto ſimile eſt, idq; non magnum. Vnde apparet hanc arborem, & eam quę Iouis barba dicitur, eandem, aut certe congeneres eſſe. an uero coccygriæ (uel coccygeę) uſus aliquis ſit ad ueſtes purpureo colore tingendas, alius præter Heſychium nemo quod ſciam tradidit, nec puto barbæ Iouis aut ſcotoni talem aliquem uſum eſſe. Græci prunum κοκκύμηλον uocant, quaſi cuculi malum. nam & per diſſolutionem uocabuli κόκκυγος μῆλον dicitur, Euſtathio teſte. Μῆλον ὁ κόκκυγος καλέσει, Nicander ut citat Athenæus. Κοκκύμηλον fructus qui apud nos βερίκοκκα, Suid. & Varinus. ſed bericocci uox corrupta eſt à Latina præcox uel præcoquum. ſic enim Armeniacum malum appellant aliqui: quod tamen perſici non pruni ſpecies eſt. Non probo Grammaticos qui κοκκύμελα per α in penultima ſcribunt, nec illos qui in antepenultima. ¶ Cóccyx herba nominatur ab Heſychio & Varino: nec aliud addunt. Lenticula quæ in aqua naſcitur quàm tenerrima contuſa, & antequam cubitum eat ei qui dolet pedes impoſita, deinde interpoſito tempore ſublata, & herba cuculus trita in reliquam partem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 394 sur 825

noctis impoſita, mirè dolores podagræ ſedat, Marcellus. ſuſpicor autem cuculum ab eo ſolanum intelligi. nam inter medicamenta ſimplicia ad Paterniánum (qui liber Galeno adſcribitur) cap. 83. uua lupina, hoc eſt ſolanum hortenſe, cuculus etiam nominatur, quod & cacubalum à Plinio dicitur, quod nomen etiam apud Dioſcoridem inter ſolani hortenſis nomenclaturas legitur. Caucalis (lego cuculus) uua lupina, Syluaticus. ¶ Panem cuculi quidam nominant trifolij genus acetoſum, à quo ſapore Plinius oxyn appellauit. Vulgò etiam à Germanis cuculi flos (gauchblům) appellatur, flos quidam herbæ ſyluestris, caryophylli ſyluestris (quam aliqui lychnidem putant) flori ſimilis, ſed in partes plurimas diſſectus & laciniatus, cuius caulem uulgò aiũt cuculi ſaliua aſpergi, apparet enim in eo ſpuma alba, circa genicula maximè, ut Tragus ſcribit. ego in his ſaliuis locuſtas gigni arbitror. Plutarchus in libro de fluuijs in Apæſanto mõte iuxta Inachum fl. herbam ſelenen gigni ſcribit, à qua deſtillantem ſpumam, paſtores initio uêris pedibus illinere ait ut à ſerpẽtibus tuti ſint. Hæc forte aut ſaliuam ut flos cuculi habet, aut forte chondrilla eſt, in qua ſuccus maſtichæ ſimilis concreſcens è uino contra uiperas bibitur. Luna quidem abſurda uulgi perſuaſione ſpumam quandam demittere creditur, unde & ſpecularis lapis aphroſelenos cognominatus, quaſi ex lunæ ſpuma concretus. & comitialem morbum lunaticum appellant, quo correpti ore ſpumant.

¶ Coccyx piſcis ſimiliter atq; auis unde nomen traxit, uocem emittit, Aelianus.

¶ Coccygium mons eſt Græciæ iuxta Inachum fluuium, Dyceium prius appellatus: poſtea coccygium, eò quòd Iupiter eo in monte cum Iunone ſorore concubuerit, (in cuculũ mutatus ne agnoſceretur.) naſcitur in eodem paliurus arbor: cui omne animal quod inſederit, hæret tanquam uiſco retinente, excepto cuculo, Plutarchus in libro de fluuijs. Pauſanias in Corinthiacis hunc montem prius Thornacem non Dyceium uocatum inſinuat, in Corinthiacis ſcribens: Ad Halicen itur & alia quadam uia inter Pronem & Thornacem, ut ueteres appellarunt. Quia uero Iupiter ibi dicitur in cuculum ſe permutaſſe, montis quoq; nomen mutatum aiunt. In eius uertice Iouis templum fuit. Stephano Θόρναξ mons eſt Laconiæ. Quindecim ſtadijs Heræum ſeu Iunonium templum ad læuam Mycenis diſtat, &c. in eo Iunonis ſimulacrum altera manu malum Punicum gerit, altera ſceptrum. Sceptro cuculus inſidet. quoniam Iupiter, ut aiũt, cum Iunonis uirginis amore captus eſſet, in hanc ſe auem permutauit, eamq; Iuno, ut ludicrum quoddam uenata, comprehendit, Pauſanias in Corinthiacis. Theocriti Scholiaſtes enarrans hoc carmen poetæ, πάντα γυναῖκες ἴσασι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγετ' Ἥρην: hoc eſt, Omnia nouerunt fœminæ, etiã ut Iupiter Iunonem duxerit, cuius uſus ad prouerbij inſtar haberi poſſe uidetur: Ariſtoteles (inquit) in libro de Hermiones templo, Iouem fabulatur, cum Iunonis ab alijs dijs ſeparatæ concubitum inſidioſè quæreret, in cuculi forma latêre uoluiſſe, & conſediſſe in monte qui prius Thronax (Θρόναξ) dicebatur, nunc uerò Coccyx. & cum Iuno ſola proficiſcens ad eundem mõtem peruenisſet, Iouem nimia tempeſtate excitata, ad Iunonem quieſcentem eo in loco ubi nunc Iunonis τελείας (id eſt pronubæ uel nuptiarum præſidis) ædes eſt deuolaſſe frigenti rigentiq; ſimilem, & in Iunonis genibus inſediſſe: miſertam eam auis ueſte obtexiſſe, tum illum priſtinã formam reſumpſiſſe, & cum Iuno copiam ſui negaret, quòd matrem timeret, Iouem ſe illi maritum fore promiſiſſe. unde præcipui etiam Argiuorum deam hanc colunt, cuius ſimulacrum in templo inſidens ſolio ſceptrum inſidente cuculo manu tenet.

¶ c. Κόκκυξ ὄρνεον λάλον, Io. Tzetzes. θορυβώδη καὶ φλύαρον, Iſacius Tzetzes. & ἄμαθον apud alios. Τρόδε ἐοῖς πέτηνος (aliâs λόκκυγος) ἑαρτόθι, Nicander.

¶ d. De cuculi ingratitudine extat Philippi Melanchthonis declamatio.

¶ e. Aues in paliuro arbore coccygij montis inſidentes, retinentur tãquam uiſco, cuculo tantum excepto, Plutarchus in libro de fluuijs.

¶ h. Iupiter in cuculum mutatus, Vide ſupra in Coccygio monte. Ludítur à pueris noſtris ludus quem cuculum appellant, hoc modo: Vnus occluſis oculis manet in loco quem ſolium uel tribunal appellant, numeros interim ab unitate deinceps clara uoce paulatim proferens, dum alij diſfugientes paſsim ſe occultant: occultatis omnibus unus cuculi uoce clamat. tum ille à ſolio diſcedit & paſsim inquirit ſi quem abditum deprehendat. Deprehenſo aliquo tribunal celerrimè repetit, ne curſu à deprehenſo alióue præueniatur. Vltimus enim inquiſitoris laborem ſubit. Hunc ludum Pollux libro 9. apodidraſcindam appellat.

¶ Qui cuculum rurí canentem audiunt, petunt ab eo per ludum, aut ex ueteri aliqua ſuperſtitione, ut uoce numerum annorum quos adhuc ſuperſtites uicturi ſint ipſis præſagiat. numerant uerò totidem annos, quoties ille ſuum λόκκυ per interualla poſt quæſtionem factam repetíuerit.

¶ Prouerbia. Olim qui fuiſſent in re quapiam parum honeſta deprehenſi, uulgari probro cuculi dicebantur. Id ortum à uinitoribus, qui ſerius cœpiſſent putare uineam, nec hoc munus abſoluiſſent priuſquam audiretur ea auis, uelut ceſſationem exprobrans agricolis. Huius uocem imitantes uiatores, deridebant uinitores. Ita Plinius lib. 18. cap. 26. In hoc temporis interuallo (inquit) quindecim diebus primis agricolæ rapienda ſunt ea, quibus peragendis ante æquinoctium non ſufficerit, dum ſciat inde natam exprobrationem fœdam putantium uites per imitationem cantus alitis temporarij, quem cuculum uocant. Dedecus enim habetur opprobriumq; meritum, falcem ab illa uolucre in uite deprehendi, ut ob id petulantiæ ſales etiam in primo uêre ludantur. Auſpicio tamen deteſtabiles uidentur. Adeò minima quæq; in agro naturalibus trahuntur argumentis. Porrò

quos

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 395 sur 825

quos Plinius (inquit Erasmus) petulantiæ sales appellat, apud quasdã nationes & hodie licet agnoscere. Vernis enim mensibus quum auditur coccyx, coniugati mutuis salibus inter sese ludunt, dicentes: Tibi canit hæc auis: significantes uxorem parum uigilanter custoditam. Quin & Plautus in Asinaria, sic facit uxorem cõuiciantem marito in amica deprehenso. At etiam cubat cuculus, surge amator, i domum. Ac mox, Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit. Ex Plinij uerbis supra recitatis, intelligi possunt Horatiani uersus Sermonum l. 7. Tum Prænestinus salso multumq; fluenti Expressa arbusto regerit conuitia durus Vindemiator & inuictus, cui sæpe uiator Cessisset magna compellans uoce cucullum. Quem locum Porphyrio explicans: Nam solent (inquit) leuia (forte pro leuia legendum lenti, ut Erasmo uidetur) rustici circa uiam arbusta uindemiantes à uiatoribus cuculi appellari: quum illi prouocati tãtam uerborum amaritudinem in eos effundunt, ut uiatores illis cedant, contenti eos cuculos iterum atq; iterum appellare. Acron uiatores cuculos appellari ait, quasi pigros. Cum his conuenit illud Plautinum, Etiam cubat cuculus, quod grauatim surgeret assessor puellæ. Quin arbitror in conuicio cuculi allusum ad uocem cubandi. In Pseudolo pro generali conuitio uidetur usurpasse, Quid fles cucule uiues. Nisi forte lachrymantem ac singultientem amatorem cuculum appellat, quasi κοκκύζοντα. Similiter in Mercatore, Ilthæc filio non credam qui obsequitur patri, huic non, ut mero cuculo. Itidem in Persa, Tua quidem cucule causa nõ hercle si os præciderim tibi, Hæc omnia Erasmus. ¶ Astutior coccyce (melius per g. coccyge) dicebatur, qui astu sibi consuleret, sumptum ab auis ingenio, oua subijcientis in nidos alienos, Erasmus. ¶ Cuculi, κόκκυγες, de ijs qui cũ pauci sint, multi numero esse uidebãtur, Hesychius & Varinus. Cuculi nimirum dici possunt qui strepitum, clamorem, aut ostẽtationem magnam exercent, cum re ipsa parum aut nihil sint aut præstare possint. ¶ Coccygis cantus dicitur de ijs qui eadem ingerunt semper, Cælius. Cantilenam eandem canere, prouerbiale dictum est apud Latinos, quod & Germani usurpant: **Du singest yemer ein gsang wie der Guckguck**: Cantilenam semper eandem repetis instar cuculi. ¶ Ipse semet canit: huic affine est illud Germanicum, **Der Guckguck můß jm selbst sein orgycht außrüffen.** ¶ Aries nutricationis mercedem persoluit, de homine beneficijs ingrato, impetit enim aries cornibus. Eiusdem apud Germanos sententiæ est illud, **Du loneſt mir wie der Guckguck dem gorsen.** Mercedem mihi repẽdis qualem currucæ cuculus, nisi gorsæ nomine Germanico alia auis accipienda sit, passer spermologus forte, **ein Emmeritz.** Gurgulum (Cuculum, forte) & grasmuggam (id est currucam) pugnare Albertus scribit. ¶ Cuculus semper in alio nido parit, nunquam bis in eodem: **Der Guckguck legt ſtãts in ein ander neſt**: uidetur torqueri posse in hominem improbum & astutum, sed cuius doli facile deprehendantur, ut nemo iterum ab eo decipiatur. Quanquam & aliter interpretari licet, cuculum semper in alio (id est simpliciter alieno) nido parere.

¶ Emblema Alciati, quod inscribitur Cuculi.

Ruricolas, agreste genus, plericq; cuculos
Vere nouo cantat coccyx, quo tempore uites
Fert oua in nidos alienos, qualiter ille

Cur uocitent, quænam prodita causa fuit?
Qui non absoluit, iure notatur iners.
Cui thalamum prodit uxor adulterio.

CVREVS, Κουρεὺς, auis quædam est sic dicta à uoce, qua sonum imitatur forficis tonsorum panni. ἀπὸ τοῦ φθέγγεσθαι ἐμφερὲς ἦχω γναφικῆ μαχαιρίδι, Hesychius & Varinus. Κουρεὺς alioqui tonsorem significat. γναφάλου μαχαίριον, forficem interpretor, qua tonsores panni utuntur. γναφάλου quidem tomentum est, hoc est lanugo quæ tondetur à pannis laneis. μάχαιρα uerò non modò gladium aut cultrum, sed etiam forficem significare uidetur: unde & Germanica uox ſchär per apheresin facta sit. nã qui ψαλίδα hoc instrumentum Græcè uocant, authorem non adferunt. Aristoteles in libello de mundo ad Alexandrum, deum comparat τοῖς ἐν ταῖς ψαλίσι λίθοις τοῖς ὀμφαλοῖς λεγομένοις, hoc est medijs lapidibus fornicum qui umbilici dicuntur, &c. fornicis quidem figura lapidibus in ea eminentibus per decussim, forficem apertam uel χ. literam refert.

DE CVRRVCA.

CVRRVCA, parua auis, quæ alienos pullos, proprios putans, nutrit, maximè cuculi, ut Grammatici docent. Tu tibi nunc curruca places, fletumq; labellis Exorbes, Iuuenalis Sat. 6. de uiro stolido, fictas improbæ uxoris lachrymas miserantis. Codices quidam pro curruca habent eruca, quod non placet. Meritò enim maritus stultus qui mœchę uxoris filios pro suis & legitimis educat, ut cuculi pullos curruca & aliæ quædam aues, sed illa præcipuè, currucæ nomine appellatur. Talem Galli uulgò hodie nominant mary coquu, id est maritum cuculum, impropriè ut uidetur. non enim educat fœtus illegitimos cuculus, sed illegitimus ipse educatur. Acron quidem Grammaticus omnino errauit, ubi illud Horatij interpretatur, Magna compellans uoce cucullum. Cucullus enim auis (inquit) hoc uitio naturali laborat, ut oua ubi posuerit oblita, sæpe aliena calefaciat. unde rustici sibi obijciunt quasi alieni curam sustinentes. Atqui nos cuculum non aliena oua fouere, sed ipsum potius ab aliena matre foueri, satis in Cuculi historia probauimus. Quòd si quis tamen adhuc talem maritum cuculum appellare uelit, concedi hoc illi poterit, ea ratione qua cuculum simpliciter hominem nullius ingenij & inertem uulgò etiã uocamus. Cur-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 396 sur 825



ruca, uulgò Italicè lo cornuto, uxoris & similium, Scoppa in Dictionario obscurius quàm oportebat. Curruculà nomen adhuc in usu Italiæ esse audio, cũ aliquis de stolidítate notatur. nomen quoque cornuto detortum à curuca uidetur. ¶ Curuca (ut Gaza uertit per simplex rhô. Græcè legitur ὠτυλαΐς (lib. 8. cap. 3. de hist. anim.) aliàs ὑποπλαΐς, quod magis placet) uermes pascitur, Aristot. Et alibi, Curucæ (ὑποπλαΐδες) in nido cuculus aliquando parit, fouet illa, & excludit, & educat: quo quidem præcipuè tempore & pinguis, & grati saporis pullus cuculi est. Cuculi genus non extaret, nisi curuca esset, εἰ μὴ ὠτυλαΐς ἡ ὑποπλαΐς, Theophrastus de causis 2. 24. Gaza uertit, nisi sua oua alieno in nido supponeret. Ὑποπλᾶϊς (penanflexum Hesychio, paroxytonum Varino: malim oxytonum ut Aristoteles & Theophrastus habent) auis quæ uermiculis uictitat. Ὑποπλαΐς, species auis, ἀπὸ λεπίς, (locus uidetur corruptus,) Idem. Forsitan autem hypolàis dicta fuerit, quòd ὑπὸ σὺ λᾶας, id est sub lapidibus uermiculos inquirat. Curucæ uerò apud Latinos nomen per onomatopœiam factum conijcimus. Est & HYPOTHYMIS, ὑποθυμίς, auis nomen in Auibus Aristophanis, quæ à Callimacho quoq; memoratur.

¶ Currucam auem paruam, in cuius nido cuculus pariat, aliqui auiculam interpretantur, quæ imitetur cantu & magnitudine philomelam, alij caudatremulam, utrunq; Albertus Auicennæ authoritate probat: alij alaudam. sed hi conuincuntur uerbo Græco quod est hippolais. quoniam est auis fissipes, quæ quia nidificat in oculi concauitate, quæ est capitis equi mortui, dicta est hippolais. hæc rusticè sartagnia uocatur, Niphus Italus. quod ad etymologiam attinet, ridicula uidetur & ex imperitia linguæ Græcæ ab eo conficta. non enim hippolais Græcè scribitur, tanquam ab equo compósito nomine, sed hypolais, à præpositione hypo, &c. Deinde quanquam aliqui scribant, in alaudæ, chloridis, motacillæ aliarumq; auium nidis cuculum parere: non easdem tamen omnes curucas appellant, ut Niphus somniat. Sic & Gallicè quidam currucam interpretantur ung uerdon, quæ uox chloridem auiculam potius significat, in cuius similiter nido cuculus parit.

¶ Auis quæ Græcè dicitur andothia (uox est corrupta) in Germania uocatur **Graſemuſch**, philomelæ similis. hæc excludit aliquando oua aliarum auiũ, præcipuè cuculi. & docet pullos aliarum auium quos nutrit, uoces suas proprias, Albertus in Aristot. de hist. anim. 4. 9. Et alibi in lib. 7. cap. 7. Cuculus parit in nido auiculæ, quæ philomelam cantu & magnitudine refert ac parit in rosarijs: Germanicè dicta **Graſemuck**. Pugnãt inter se gurgulus (cuculus, quem alibi gugulũ uocat) & auis musica **Graſemuſch** dicta, quòd una deuoret oua alterius, Albert. Vsitatum est apud Germanos quosdam prouerbium, **Du loneſt mir wie dem kuckuck die gotze**. hoc est, Eam mihi gratiam refers quam curuca cuculo, cum contrà potius dicẽdum uideatur, quam cuculus curucæ. uide in Cuculo h. circa finem. ¶ Curucam (hypolaida) Aristotelis suspicor Anglorum titlingam esse. nam nullam autem in uita frequentius cuculi pullum sequentem, & pro suo educantem, quàm illam obseruaui. Est autem illa luscinia minor, sed eadem corporis figura, colore subuiridi, culices & uermiculos in ramis arborum sectatur. raro humi consistit. hyeme non cernitur, Turnerus. Et alibi, Ineunte statim hyeme discedit. Alibi lingettam uocat, & à Germanis passerem gramineum uocari scribit. Ficedula auicula est Germanorum grasmuscho similis, Idem. Coloniæ etiam passerem troglodyten aliqui uulgò grasmuschum appellant. sed impropriè. nam peritiores quiq; aucupes ein **Roelmuſch**, hoc est passerem in foraminibus & caucris degentem nuncupant. ¶ Germanicum nomen **Graßmuck**, fortè à Latino curruca per metathesin factum est, uel quasi passerem gramí-

gráminis dicas. Germani enim inferiores passerem Musch appellant, ni fallor. Pronunciant autem nostri & superiores Germani Grasmuck, inferiores & Flandri Grasmüsche. Species huius generis plures sunt, nempe quatuor aut quinq; ut aucupes nostri obseruarunt. Vermiculos autem edunt omnes. Quædam enim ex eis maiores sunt, colore fusco, præ cæteris canoræ. has Lucarni & circa lacum Verbanum piccafigas, id est ficedulas nominant, quarũ figura in præcedenti pagina expressa est. ¶ Aliæ atricapillæ dicuntur, nostris Schwartzköpff, Italis capi neri, uel teste nere. His audio caput in prima ætate rubere, deinde nigrescere, maribus duntaxat: fœminis uerò semper rubere, auolare eas hyeme. Græcè, ni fallor, hodie uulgò καλογέρισσα uocitant. Atricapillam (inquit Turnerus) in Anglia nunquam uidi, neq; sæpius in uita quàm semel, Ferrariæ in Italia mihi demonstratam. Anglorum lingettæ (supra titlingam dixit) & Germanorum grasmuco, quod ad corporis magnitudinem attinet, similis erat. sed atrum habebat caput, & reliquum corpus colorem magis ad cinereum uergentem. Forte hæc potius ficedula dicenda erit quàm prima, quum atricapilla à ficedula Aristoteli tempore tantum differat, quo capitis colorem mutat. Sed de ficedula iterum suo loco dicemus. ¶ Tertia species pectore albo cõspicitur, capite cinereo, eadem magnitudine qua prima. hanc nidum aiunt ex lino struere, hinc forte lingetta Anglis dicta. ¶ Quarta corpore minore est, uentre albo, oculis etiam albicantibus, inter sæpes ferè degit, & hyeme discedit: ut luscinia etiam & fringillæ, præsertim fœminæ. nam aliquando hyeme mares tantum complures simul apparent sine ulla fœmina. ¶ Ad currucarum genus aut ficedularum, hãc quoq; auem pertinere puto quæ circa Argentoratum Germanicè Bürstner appellatur, cuius iconem inter passeres dabimus, nam & specie & magnitudine conuenit, ut ex pictura coniicio, & uuis eam pingue scere audio, ut ficedulas. ¶ Italis pizamosche (quasi myiocopos, id est muscas & culices rostro pungens ac deuorans) dicitur illa ex prædictis auibus, in cuius præcipuè nido cuculus reperitur: quam tertiã speciem supradictam esse coniicio.

¶ Eliota Anglus currucam in cuius nido cuculus parit, suspicatur esse eam auem quæ Anglicè passer sæpium appelletur, an hedge sparowe: quo nomine dictam apud Anglos auiculã Turnerus passerem troglodyten interpretatur: cui apud Germanos etiam nomen à sæpibus Zaunschlipfle. ¶ Grasmuschi (sic prima species simpliciter & per excellẽtiam uocatur Germanis, ni fallor) nidum humi in fruteto spinoso uuæ crispæ, ut uocant, reperi apud nos circa initium Iunij: in quo oua erant quaterna, auellanæ magnitudine. Fertur & inter harundines nidificare. ¶ Illyrij grasmuschum nostrum uocant pienige. Gyb. Longolius eundem Græcè ægithum dici suspicatur.

DE CYGNO.

A.

CYCNVS, Κύκνος, auis nomen est Græcum uetus, quam Græci hodie cyprinum appellant. Latini etiam Græco nomine cycnum, uel potius cygnum c. in g. mutato, frequentius quàm suo olorem dicunt. Vergilius tum olorem tum cycnum nominauit.

¶ De Hebraico uocabulo non constat. Racham, רחם, Leuitici cap. 11. inter aues immundas numeratur, (aliàs רחמה, rachama scribitur,) ubi LXX. interpretes cycnum reddiderunt. sed cycnus impuris & cibo negatis auibus, meo quidem iudicio, adscribi non debet. Iidem LXX. pro eadem uoce in Deuteronomio uerterunt epopa, id est upupã: ubi Complutensis codex, non epops, sed porphyrio habet, & similiter Hieronymi translatio. Chaldæus interpres pro racham transfert ierakreka, ירקריקא, (forte à croceo siue flauo colore, quem illis uox ierakrek significat, P. Fagius) in Deuteron. & in Leuitico. Arabs rakam, רבם, heth litera uersa in kaph. Persa uocem Hebraicam retinet. Dauid Kimhi racham docet esse auẽ quæ ualde afficiatur in suam prolem: ut & R. Abraham, simul indicans doctissimum Saadiam eandem auem Arabica lingua rakam (ut diximus) appellari asserere. Racham auem sic dictam à misericordia (pietate) qua in pullos afficitur, Iudæi nostrates Aglaster & Atzel Germanicè, id est picam interpretantur, Munsterus in Dictionario linguæ Hebreæ, & sic etiam ipse reddidit Leuit. 11. Sed racham (ut nos supra docuimus in Gypæeto) omnino auis rapacis nomen est quæ cadaueribus uescitur: siue gypæetus ea sit, siue ossifraga secundũ alios. Ossifragæ quidem, ut & uulturis, mirus in prolem affectus celebratur. Fimus uulturis suffitus fœtum ex utero pellit, Dioscorides. Serapio interpres pro uulture racham transtulit. Constat igitur racham omnino neq; cygnum, neq; aliam, ut alij interpretati sunt, auẽ esse præterquam de aquilarum aut uulturum genere, uel inter utrunque ambigente, unde gypæeto nomen. Tinschemet, תנשמת, Leuitici XI. Chaldæus interpres uertit בוחא, baueta uel bota, id est cygnum, (in Trilingui Dictionario Munsteri kaueta (uel chauetha) legitur, facili transitu à litera ב. in ב.) Rabi Salomon interpretatur יציאטא, zuettam uel ciuetam. sic Galli nocturnam uocant. Alij aliter. uide in Talpa A. Tinschemet quidam Hebræorum sic dictam uolunt, quòd non sine horrore & stupore uideri possit. schom (שום) enim Hebræis stupere significat. R. Salomon dicit esse simílem muri nocturno uolanti, hoc est uespertilio: & ita Iudæi uulgò exponunt. Septuaginta Porphyrio uerterunt. sed magis arridet Hebræorum sententia. Vulgata æditio cygnum habet, Paulus Fagius. Ianschuph, ינשוף, Le-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 398 sur 825



uitici xi. Abram Esra exponit auem noctu uolantem, Chaldæus kipopha, ut etiam Deuteronomij xiiii. קיפופא. Arabs baschak, באשק. Persa uocem Hebraicam seruat. lxx. ibis transferunt in Leuitico: in Deuteronomio, cycnus: & similiter Hieronymus. ita enim permutant (confundũt) interpretationem duarum uocum ianschuph & tinschemet, ut etiam aliarum quarundam. Sed doctioribus uidetur uox ianschuph omnino auem nocturnam, nempe noctuam uel strygem significare, quæ à crepusculo denominetur.

¶ Cygnus Italicè dicitur lo cino, cigno, Scoppa. Tusci hodie uulgo cigno pronunciant. nam apud Petrarcham homœoteleuta sunt cigno & maligno. cesano Veneti, (quæ uox ad Germanicam accedit. puto autem etiam anatis feræ genus ab Italis quibusdam cesano uocari,) Nicolaus Erythræus. ¶ Hispanicè cisne. ¶ Gallice cyne uel cygne. ¶ Germanicè Schwan. Saxonibus & nostris uocatur etiam ôlb/Elbs/ uel (ut alij scribunt) Elps/ôlbsch. ¶ Anglicè a suuan. ¶ Illyricè labut.

Hispania

B.

Hiſpania producit cygnos, & eius generis aues plurimas, Strabo lib. 3. Supra Auernum Italię lacum iuxta Cumam auem nullam peruolare, falſum eſt. nam qui illic fuerunt, cygnorum copiam in eo eſſe narrant, Ariſtot. in Mirabilibus. Circa fluuios Caicum, Cayſtrum & Mæandrum abundare eos legimus. In Eridano apparere interdum cygnos, ſed paucos, Lucianus ex nautis ſe audiuiſſe refert. In Britannia, ut audio, abundant, rariſsimi apud nos, nec niſi hyeme aliquando fæuiſſima cum lacus toti gelu conglaciant capiuntur. ¶ Cygnus uidetur generis anſerini eſſe tum roſtri figura, tum pedum, uictuq; tempore pugnæ etiam ſibilat ut anſer, Albertus. Forma uictuq; anſeri ſimilis, ſed multo maior, totus candidus, pedibus nigris, Turnerus. Primo anno cinerei coloris eſt, poſt annum uerò albiſsimus euadit, Albert. Plumæ ei albæ, ſed carnes nigræ, Author libri de nat. rerum. Caro cygni nigra eſt, (præcipuè pedes,) & dura ſicut omnium aquaticarum auium maiorum, Albert. Olores purpureos Horatius dixit, ut niuem purpureā Albinouanus. ¶ Pondus oloris, quem nos elbum dicimus (nihil enim differre puto. quamuis nuper quidā roſtri colore & corporis magnitudine, ita ut elbus minor eſſet, roſtro nigricante, differre putabat) ad libras (unciarum duodecim) uiginti quatuor accedit. Cygnus roſtro eſt parū turbinato, colore rutilo (ruſſo) in cuius ſumma parte qua capiti committitur, nigerrimum tuberculum, atq; id rotundum, & in roſtrum ſeſe inflectens, exiſtit, Turnerus. Cygno roſtrum eſt ſicut anſeri, ſerratum, & falcis inſtar dentatum, Albertus. Dentes habet in roſtro minutiſsimos, Author libri de nat. rerū. Collumq; à pectore longè Porrigitur, digitosq; ligat iunctura rubentes. Penna latus uelat: tenet os ſine acumine roſtrum, Ouidius 2. Metam. Κύκνων ὁλιχοδείρων, Homerus Iliad. o. Poeta cycnos per excellentiam ὁλιχοδείρους cognominat, quod collum ei pro ſua portione longiſsimum ſit, & ueluti lineæ piſcatoriæ uſum in aquam porrectum præbeat, Euſtathius & Varin. ¶ Olor palmipes eſt, & ad imum inteſtinum appendices paucas habet, Ariſtot.

¶ Cygni, quem elbum uocamus, deſcriptionem ex inſpectione propria olim confeci huiuſmodi: In longitudinem extẽſus mediocrem uiri ſtaturam æquat, totus undiquaq; cādidus. Roſtro lato ut anas, croceo, macula anterius nigra ad ſpatium unguis humani. Ab oculis uerſus roſtrum pellis apparet nigricans. Crura nigra. Digiti pedum membranis nigris iungũtur. Plumæ deſinunt paulò ſupra genu. inde ad extremos digitos tres palmi reſtant longitudinis. Alarũ ambitus ſuperior quatuor palmorum eſt. longiſsimæ alarum pennæ palmos ſeptem cum dimidio æquant. Cauda circiter tres palmos longa eſt: collum circiter octo.

C.

Cygni circa lacus, amnes, paludesq; uiuunt, Ariſtot. In locis amœnis circa fluuios, Textor. In ſtagnis magis quàm fluuijs, Albert. In pratis, littoribus & ſtagnis aluntur, Oppianus. Fontes, lacus, paludes aliáue loca aquis redundantia incolere ſolent: ut ſtagna & fluuios perennes, quorum confluens moderatè & ſedatè fertur, Aelianus. In mari Africo à nauigantibus aliquando conſpecti ſunt, &c. Ariſtot. Olor grauius habet corpus, nec ſe cœloq; Iouiq; Credit, ſed Stagna petit patulosq; lacus: ignemq; peroſus, Quæ colat elegit contraria flumina flammis, Ouid. ¶ Victu eodem quo anſer utitur, Albertus & Turnerus. Ariſtoteles eum ὀψίσιτον uocat, quòd circa parandum ſibi uictum non ſegnis neq; iners ſit. Herbis ueſcitur, Athenæus ex Ariſtotele. Herbis & uermibus & ouis piſcium, & huiuſmodi, & granis ſegetum, Albertus. Roſtro cribrat cœnum, ut cibum inueniat: & dentibus ſecat inuẽtum, Idem. Cycnus Græcè dicitur, ut Grammatici quidam conijciunt, eò quòd cibi inueniẽdi cauſa cœnum præ cæteris animalibus ſerutari & turbare ſoleat, ἀπὸ τοῦ κυκᾶν τὸν ἰλύν, Varinus. Olores mutua carne ueſcuntur inter ſe, (alter alterum deuorant,) maximè in uolucrum genere, Ariſtoteles & Plinius. hoc quidem in pugna per nimiam iracundiam facere uidẽtur. alioqui enim carniuori nõ ſunt: & ne piſcibus quidem utuntur, ut qui cicures alunt, obſeruarunt.

¶ Grus gruit, inq; glomis cycni prope flumina drẽſant, Author Philomelæ. Cygnus tempore pugnæ ſibilat ſicut anſer, Albert. Κύκνος ἄελλαν author eſt Pollux ubi uocis animalium differentias explicat. Olores interdum bombos emittunt ruditui aſinino non diſsimiles: ſed breues, & qui longè audiri non poſsint, Turnerus. Inter omnes aues ſuauiſsimè occinunt: uox tamen, ut ſæpius audiens conſideraui, anſerina eſt, Cardanus. Iam quidam cum in mari Africo nauigarent, multos canentes uoce flebili, & mori nonnullos conſpexẽre, Ariſtoteles & qui ex eo repetijt Aelian. Ego huiuſmodi uoces lugubres, inquit Albertus, (non ſub mortem tantum, ſed) in qualibet triſtitia ab eis audi animaduerti. Cygnis canentibus ſcopuli & ualles reſpondent. omnium ſanè auium imprimis muſici feruntur, quo nomine Apollini conſecrantur. Canunt autem, non lugubri ut alcedines, ſed ſuaui & mellito cantu, uelut tibijs aut citharis adhibitis, Oppianus in Ixeuticis. Et rurſus, Diluculo canunt ante Solis ortum tanquam in aẽre uacuo per id tempus audiendi clarius. Canunt etiam in maris littoribus, niſi tempeſtas & procellarum ſonus cantum diſſuadeant. Hoc enim uigente ne ſuis quidem ipſi cantilenis ſatis perfrui poſſent. Sed ne in ſenecta quidẽ morti uicina canentis obliuiſcuntur, qui tamen eis in illa ætate remiſsior eſt quàm in iuuenta: quum neq; ceruicẽ amplius erigere, neq; pennas extendere queant. Fauonium tunc ad canendi ſuauitatem obſeruant, ignaui iam cruribus & membrorũ uiribus defecti. Moriturus ſecedit aliquò, ubi nulla auis canentem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 400 sur 825

audiat, nec olores alij luctuosè interpellent si qui forte adessent, qui similem uitæ exitum sibi immi-
nere intelligerent. Aegyptij senem musicum uolentes demonstrare, cygnum pingunt, quòd hic
senescens suauissimum edat concentum, Orus. Sic ubi fata uocant udis abiectus in herbis Ad
uada Mæandri concinit albus olor, Ouidius. Dulcia defecta modulatur carmina lingua Can-
tator cygnus funeris ipse sui, Martialis lib. 13. Moriturus flebilem cantum emittit, fixa prius in ce-
rebro penna: quod miror Aristotelem ac Plinium uel ignorasse: uel, si sciuerunt, non tradidisse, Pe-
rottus. In senecta leniter cum melodia uita soluitur, penna capiti traiecta. Veluti canentia dura
Traiectus penna tempora cantat olor, Ouidius. Cantat enim, ut ait Plato, non ex tristitia, sed potius
lætitia propinquante fato, quòd immortales se sentiant, & ad Apollinem suum remigraturos. Nam
Pythagoræ erat opinio immortalem eos habere animam. Cicero Apollini sacros eos dicit ob uati-
cinium finis eorum. Cygnus itaq; allegoricè animæ probi uiri comparari potest qui lætus mortem
obit, Volaterranus. Olori tanta animi est tranquillitas in extremo uitæ spiritu, ut sibi tanquam næ
niam canat. Quod autem non angore atq; molestia implicatus eum extremum cantum edat, Socra-
tes testatur: sed potius alacri animo affectus. Neq; enim qui animo dolorem capit, bilem (uide an
Græcè non χολὴν, id est bilem legatur, sed χολὴν ἄγει, id est ocium & occasionem canendi non habet
qui animo dolet) ducit cantu, Aelian. Cycni canori (ᾠδικοὶ) sunt, præcipuè circa obitum. Cæterum
Alexander Myndius ait se complures cygnos morientes secutum, nec unquam eorum cantum au-
diisse, Athenæus. Cygnus inter magnas & aquaticas aues sola musica est, & fertur in Hyperboreis
regionibus præcinentibus cantoribus uel melodis, concinere cygnos. sed experientia constat apud
nos quòd non canant nisi tempore doloris ac tristitiæ. quamobrem lamentari potius quàm canere
dicendi sunt, Albertus. Plato quidem scribit, Eustathio citante in Iliados π. animal nullum per tri-
stitiam canere. Olorum morte narratur flebilis cantus, falsò, ut arbitror, aliquot experimentis, Pli-
nius. Lucianus in libello de Electro uel Cygnis, se cum per Eridanum nauigaret, cygnos ullos ui-
disse negat: & à nautis audiuisse, paucos quidē illos apparere interdum in paludibus fluuij, uocem
uero omnino debilem inconcinnam absurdamq; ædere (κρώζειν ὅτω παύν ἄμουσον καὶ ἀδόφωνες) ut corui
& graculi præillis sirenes existimari possint. Cycnum canentem paucissimi audiuerunt, etiamsi
uulgatior fama tenet, ingruente fatali momento δυσφωνότατον καὶ ᾠδικώτατον εἶναι τὸν κύκνον, id est uoce
cantuq; præcipuè præstare cycnum. Auctor tamen primo Variæ narrationis Aelianus est, audisse
quandoq; se canentem cycnum, Cælius: quem uel memoria lapsum, uel corrupto codice Græco
usum uideo. nam codex impressus, Iusto Vulteio interprete, sic habet: Ego uerò cycnum nunquam
audiui canere, fortasse neq; alius. Eustathius tamen in Iliad. β. experientia inquit constare cycnos
egregiè canoros esse, τὸ ᾠδικὸς διηρθρωμένως εἶναι τοὺς κύκνους.

¶ Robustæ sunt aues adeò ut etiam aquilas impugnent, Oppianus. Vim suam in alis habent,
temperamenti bilioſi aues & ob hoc iracundæ, Author libri de nat. rerum. ¶ Anser, anas & cyg-
nus domesticæ, semel anno tantum pariunt, initio ueris, propter sui temperamenti frigiditatem &
crassitiem, Albertus ni fallor. Tempore libidinis blandientes inter se mas & fœmina, alternatim
capita cum suis collis inflectunt uelut amplexandi gratia, (colla mares applicant fœminis: deinde
mas fœminam conscendit, Albertus.) Nec mora, ubi coierint, mas conscius lęsam à se fœminam fu-
git, at illa impatiens fugientē insequitur. non diuturna tamen hæc eis discordia est: sed noxa cessante
reconciliantur. & fœmina maris persecutione relicta post coitum frequenti caudæ motu & rostri
se aquis mergens purificat, Author libri de nat. rerum. Post coitum, sicut & cæteræ aues aquaticę,
immergunt se aquis tam mas quàm fœmina, Albertus. Falsum est autem quod dicitur cum dolo-
re fœmina semē susciꝑe, & ideo post coitum marem fugere. non prius enim fugit, quàm coëundi
libido cessat, Idem. ¶ Super aquis nidificat cygnus, de pullis educandis sollicitus, Author libri
de nat. rerum. Cum domesticus est in domibus nidificat, & in lapidibus iuxta aquas: apud nos ue-
rò in paludibus inter herbas, sicut ferè omnis auis aquatica, Albert. sed Aristoteles eo in loco quem
illic Albertus enarrat, non cygnum, sed coccygem tum in domibus tum in petris nidificare ait.
¶ Tertio anno parit, Albertus. Cycnus ab Aristotele uocatur καλλίπους & πολύπους, quia plures
producat & speciosos fœtus, Cælius ex Aeliani Varijs. sed Aristoteles uoce δύπους tantum utitur.
Gaza uertit, non carere eum probitate prolis. Διαφέρει (Διαλέρει oxytonum potius) δὲ καὶ τὸ πέλαγος,
Athenæus ex Aristotele. Trajciunt pelagus & per mare uolant indefesso alarum remigio, Aelia-
nus in Varijs. Sed apud Aristotelem hist. anim. 9. 12. legitur: Ἀναπέτονται γὰρ καὶ εἰς τὸ πέλαγος. Vo-
lant etiam in pelagus longius, Gaza interpres. Plinius quum de gruum migratione scripsisset,
subdit: Anseres quoq; & olores simili ratione commeant. sed horum uolatus cernitur, &c. Vide in
Anseribus feris c. ¶ Cygnus probè natat, non probè ingreditur, uolat mediocriter, Alber. One-
ris impatiens est, & in stagnis quiescere quàm uolare mauult. Pede altero natat, altero se regit ueli
modo, (alterum eleuat, & sursum uersus caudam extendit, ut illo se regat ad uentum,) Author de
nat. rerum & Albertus. Si longius proficisci instituit, gregatim natat aut uolat, & tum posteriores
caput dorsis imponunt anteriorum, Albert. Cygni natationem tam facilem esse audio, ut homo
in ripa expedite progrediens uix illam æquet. ¶ Cygnus ab Aristotele δυγηρὸς dicitur, quod ad
senectutem satis commodè & non grauem sibi perueniat, quod & Aelianus scribit. Vitam ei lon-
gissimam esse audio; ita ut uulgò uel trecentesimum annum attingere credatur, quod mihi ueri-

simile

ſimile non eſt. ¶ Olori cicuta perniciem infert, Aelianus.

D.

Olores gregales ſunt, Ariſtot. Cicurantur præciſo alæ interioris articulo, Albertus. ἠνίθεες dicuntur ab Ariſtotele, hoc eſt probitate morum inſignes, hiſtor. anim. 9. 12. quamuis enim Græci ἄνιθον ſtolidum, ſimplicem & ineptum uocant, hoc loco tamen inter cygni laudes ab Ariſtotele ponitur, ut hæc etiam adiuncta, ἀνεῖστος, ἀνύγρως, ἀνύπνως. Hinc eſt nimirũ quòd Aelianus ſcribit eos ſuapte natura mites & pacatos eſſe. nam ſi prouocẽtur & infeſtentur uel inter ſe, uel ab alio quouis, admodum iracundi & pugnaces ſunt. Cygnus temperamenti bilioſi eſt, atq; ideo iracundus, Author libri de nat. rerum. Oloribus ut alter alterum deuoret, in more eſt, maximè in uolucrum genere. ἀλληλοφάγοι εἰσὶ μάλιστα πῶν ὀρνέων, Ariſtot. Mutua carne ueſcũtur inter ſe, Plinius. μάχιμός ἐστιν. ἀλληλοκτονεῖ γοῦν ὁ μάχιμος, (ἢ μᾶλλον potius,) Athenæus ex Ariſtotele, non inuicem ſe deuorare, ſed occidere tantum ſcribens. Cygnus mirè amat pullos, pro quibus etiam acriter pugnat. ſibilat autem pugnando ſicut anſer, Albertus. Lygon lygeamq; Græci uocant & arborem & quoddam herbæ genus, quod, ut inquit Athenæus, in nidos ſuos pariturí cygni ferant (authore Bœo,) Hermolaus. ¶ Cygnus non facile ſecum eſſe patitur anſeres, uel alterius generis aues quę eodem cum ipſo cibo ueſcantur, Albertus. Diſſident olores & aquilæ, Plinius. Cygnus impugnat aquilam, uincitq; ſæpius, Ariſtot. Et rurſus, Aquilam (indocti quidam hîc pro aquila accipitrem ſcribũt) ſi pugnam cœperit, repugnantes uincunt. ipſi autem nunquam niſi prouocati inferunt pugnam. Sæpe altius uolando euecti, aquilas impugnant, ſi quid illæ in ipſos aut pullos eorum mali moliãtur. non tamen incipiunt pugnam, ſed pacem quoad licet conſeruant, & placidam uitam alimentis etiam anteponunt, Oppianus. Plura & ab his diuerſa, leges ſupra in Aquila D. ex Alberto. ¶ Cygni & dracones hoſtes inter ſe ſunt, Aelianus & Phíles.

E.

Cygni, anſeres, &c. quomodo capiantur reti in ripis fluuiorum, Creſcentienſis docet lib. 10. cap. 18. Girofalcones capiunt cygnos & grues, Sigiſmundus Baro. ¶ Qui ſibi metuit à uenenoſis animalibus, noctu præſertim dormiens, is nutriat grues, pauones, cygnos, (Bellunenſis pro cygnis ciconias reponit. eſt ſanè utraq; auis ſerpentibus inimica,) &c. ab his enim terrentur & morſu impetuntur animalia uenenata, Auicenna. ¶ Cygnus ferus nuper apud nos denarijs ſiue drachmis argenteis quinque cum triente uænundatus eſt. ¶ Laſſus Amyclæa poteris requieſcere pluma, Interior cygni quam tibi lana dedit, Martialis lib. 14. Pellis unà cũ plumis paratur pro operimento pectoris & uentriculi, tanquam uim concoctricem iuuandi peculiari aliqua ui prædita. ¶ Gratius deſcribens retis genus quod pinnatum uocant, quòd auium pennæ ei imponãtur ad terrendas feras: Sunt (inquit) quibus immundo decerptæ uulture plumæ, Inſtrumentum operis fuit, & non parua facultas: Tantum inter niuei iungantur uellera (id eſt pennæ) cygni, &c. ¶ Cuius olorinæ ſurgunt de uertice pennæ, Vergilius lib. 10. Aen. de Cupauone filio Cycni Ligurum ducis. dicit autem illum cycni pennas in galea habuiſſe, ad memoriam ſcilicet patris in cycnum mutati. Galea criſtis adornatur, inquit Nicolaus Erythræus, quò terribilior hoſti fiat, & miles criſtatus procerior appareat. has autem ex olorinis pennis colligere moris fuit apud antiquos, & ex equinis ſetis, quum hodie ex ſtruthiocamelo plurimum petãtur. Laudant aliqui cygnorum pennas ad calamorum ſcriptoriorum uſum.

¶ Cygno apud nos hyeme in lacu aliquo apparente, quod perrarò fit, frigus ingens imminere timetur. Nautæ ſibi hanc auem lætũ prognoſticon facere dicunt, ſicut Aemilius ait: Cygnus in auſpicijs ſemper lætiſsimus ales. Hunc optant nautæ quia non ſe mergit in undis, Iſidorus: & Cælius Calcagninus, qui hoc etiam addit, hanc auem lubricis pennis adiantum herbam imitari: uidelicet quòd pennæ eius humore ſimiliter non madeſcant.

¶ Strymoniamq; gruem, aut album deiecit olorem (funda ſcilicet,) Vergilius X I. Aenid. de filia Metabi.

F.

Cygni menſis apud nos non admodum laudantur, forte quòd nimis annoſi tantum ad nos perueniant. capiuntur enim rariſsimè. Apud Athenæum quidem dipnoſophiſtis apponuntur. Ad patinas ueniunt eadem ferè ratione qua anſeres, Platina. Elixari debent, Idem. Sigiſmundus Baro in libro de rebus Moſcouiticis, Cygnos aſſos (inquit) in aula principis prò primo ferculo ferè hoſpitibus, quoties carne ueſcuntur, apponere ſolent, una cum embammate, hoc eſt aceto ſale & pipere condito. In Friſia cygnos ſaginari & ſaliri audio, ut in diuerſas regiones euehantur. Cygni caro nigra eſt (præcipuè pedes) & dura, ſicut omnium auium aquaticarum magnarum, Albertus. De carne ciconiarum & cygnorum & ſimilium, quæ ut plurimum in paludibus & lacubus uerſantur, dicendum eſt cum Iſaac in libro p. d. quòd minus probentur quàm aues terreſtres, Ant. Gazius. Et rurſus, Caro ſiſonis (inquit Almanſor) & aliarum auium ſylueſtrium, quo plus rubedinis uel nigredinis habet, tanto ſanguini melancholico propinquior fuerit.

G.

Cycni loco ad remedia anſer ponitur, Syluaticus. Cycni tenellus pullus in oleo decoctus, admirabile neruorum medicamentum eſt, Aetius 2. 179. ¶ Præcipuè faciem purgat atque erugat

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 402 sur 825

cygni adeps, Plinius. Ad lentiginem, Cygnæos adipes hilari misceto Lyæo, Omne malum propere maculoso ex ore fugabis, Serenus. Sedis uitijs efficax est cygni adeps, Plinius. Ne acria perurant (Contra ardores sedis) adeps cygni illinitur, cõtra hæmorrhoides etiam utilis, Idem. Adeps cygni hæmorrhoidas comprimit, si aut potui detur, aut loca inde tangãtur, Marcellus. Vuluarum duritias & collectiones adeps anserinus aut cygni emollit, Plinius. Videtur autem nobis ad eadem omnia profuturus cygneus adeps, ad quæ anserinus prodest. ¶ Ad ignem sacrum, Vel oloris fæcibus oua, Sed non cocta dabis, sic torrida membra fouebis, Serenus.

H.

a. Cygnus Græcè, Latinè olor dicitur, sed etymo Græco à colore, quòd totus sit albus. holon enim Græcè totum dicitur, Isidorus & Albertus. Ab eodem scilicet etymo Scoppa grammaticus nostri sæculi cum aspiratione holor scribit, quod non placet. Olor secundum aliquos dicitur, quasi ὅλος ὡραῖος, id est totus candidus, (totus pulcher potius,) Perottus. Vergilius & alij primam huius uocis corripiunt. Sed argutos inter strepere anser olores, Vergil. 5. Aegl. ¶ Κύκνος Græcis paroxytonũ est. inueni & penanflexum, librariorum, ut puto, errore. penultima enim communis est syllaba, nec natura sed positione producitur. Horatius 4. Carminum corripuit, Donatura cygni, si libeat, sonum. & Theocritus Idyll. 16. ἢ θἄλλων ἀφ' ἁρπαλέας Κύκνος ἔγνω. Cycnus dicitur, quòd cœnum, dum quærit alimentum, λυκᾶται, id est fodere & turbare, præ cæteris aquaticis auibus soleat, Varinus. Sunt qui aliter forment: à uerbo λάω (inquiunt) quod est φωνῶ, uocem ædo, clamo, fit λάνω: unde λύκνος quasi λάνκος. est enim auis clamosa sicut anser quoq; Etymologus. uel à terete collo, ὁ λυκαστρὸν ἔχων τὸν τράχηλον, ἀπὸ τοῦ λύκος, Varinus. sed quærendum an potius per onomatopœiam sic appelletur. Cinnaria, id est cinnus (cygnus) auis, Syluaticus. Κύδνος, cycnus, Hesychius & Varinus. Et nimirum fluuius Ciliciæ Cydnus & Cycnus appellabatur. Syri quicquid eãdidum est cydnum uocant, (cygnum legit Isidorus, unde Cygno fl. nomen,) authore Prisciano: & Solinus scribit amnem Cydnum à candore Syrorum lingua nomen sortitum. Ἄγλαε (Hesychius in fine ypsilon scribit) cycnus apud Scythas, Varinus.

¶ Epitheta. Albus olor, Vergilius Aen. 11. & Ouidius epist. 7. Amans flumina cycnus, Ouid. 2. Metam. Amyclęos ad frena citauit olores, Statius 1. Sylu. Vide mox in Ledæi. Argutus, Verg. 5. Aegl. Candẽti corpore cycnus, Idem 9. Aegl. Canorus ales pro cygno, Horat. 2. Carm. Canus, Politianus. Innocui latè pascuntur olores, Ouidius 2. Amorum. Ledæi, Martialis lib. 1. dicuntur autem Ledæi: quia Iupiter in forma cygni cum Leda cõcubuit: & eadem ratione Amyclæi, hoc est Lacones. Niuei, Vergil. 2. Georg. & Valerius 6. Argonaut. Purpurei (id est elegantes, uel splendidi. nam & niuem purpuream dixit Albinouanus,) Horatius 4. Carm. Rauci, Verg. 11. Aen. ¶ Sunt & alia apud Textorem partim in Cygno, partim in Olore posita. Ales. Aonius. Apollineus. Apricus. Argenteus. Blandus. Candidus. Cantor. Caystrius. Dulcis. Flumineus. Imbellis. Lacteus. Mollis. Multisonus. Neptunius. Nitidus. Paphius. Phœbeius. Plumeus. Resonus. Sonorus. Therapnæus. Vagus. Vocalis. ¶ Κύκνοι δ' ἁλιηδὲς ἀειδον, Homerus. Στρυμόνιοι, Theocritus.

¶ Lycophron in Cassandra Calchantem cycnum nominat, eò quòd (ut interpres Isacius Tzetzes docet) ætate admodum prouectus & uates fuerit. Præsentiũt enim obitum suum cycni, & tum argutissimè canunt, ut Aeschylus etiam testatur his uerbis: Κύκνος δ' ἀκλὲς τὸν ὕστατον μέλπεται θανάσιμον γόον, est enim hæc auis deo (Apollini) sacra. Dircæum leuat aura cygnum, Horatius lib. 4. Carminum Ode 2. de Pindaro, quem cygno comparat, se uerò api. Κύκνον τὸν Μουσῶν ἄξια μεμελῳδηκότα, Suidas ex Epigrammate. Erasmus eleganter cygni & poetæ cõparationem senarijs conscripsit, qui ante translationem eius Hecubæ uel Iphigeniæ Euripidis habentur. Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis, Tam subitò coruus, qui modo cygnus eras, Martialis. Nanum cuiusdã Atlanta uocamus, Aethyopem Cygnum, Iuuenalis Sat. 8. ¶ Cygnum Galenus nominat inter cataplasmata oculorum, lib. 4. cap. 7. de compos. sec. locos. Appellantur (inquit) talia à medicis collyria Libiana, & Cygni ob colorem album qualem etiam cygni habent, prævalente in ipsis amylo & terra Samia ac cerusa Rhodiaca. Cygnum collyrium describit etiam Trallianus 2. 5. ¶ De cygno genere nauis, uide inferius inter Icones.

¶ Olorinus adiectiuum, quod oloris est, ut pennæ olorinæ apud Vergilium. & color olorinus, qui & cygneus, testante Thylesio, pro candido. Gasidanen gemmam Medi mittũt, coloris oloriní, Plinius. Cygneus adiectiuum à Grecis sumptum est. Illa tanquam cygnea fuit diuini hominis uox & oratio, Cicero 3. de Oratore. Κύκνειος, (absolutè apud Athenæum, subauditur μέλος) ὁ τοῦ κύκνου μέλος, Suidas.

¶ Aquilas cygneas (ut uocant) albedine olori planè similes uidere me memini in Sipylo circa paludem Tantali, ut nominant, Pausanias in Arcadicis. ¶ Olorum similitudinem onocrotali habent, nec distare existimarentur omnino, nisi faucibus ipsis inesset alterius uteri genus, Plinius.

¶ Icones. Cycnus genus est nauis sic dictæ quod in prora cycnorum effigies haberet, Etymologus. Ἡ ναῦς δὲ πότερον εἰκόσορος ὄσιν, ἢ κύκνος ἢ λαύθαρος, Nicostratus apud Athenæum. ¶ De cygno sydere dicemus in Metamorphosi Iouis in Cygnum infra in h.

¶ Olor teste Herodoto lib. 6. Thraciæ rex fuit. ¶ Hercules occiso Cygno, & Marte eius patre

tre uulnerato, Trachinem ad Ceycem uenit: erat autem Cycnus gener Ceycis, filiæ eius Themistonomæ maritus, ut legimus in Aspide Herculis apud Hesiodum, & apud Pausaniam alicubi. Cygnum, inquit, Hercules occidit, Pindarus in Olympijs carmine 2. ubi Scholiastes, Cygnum Martis filium infestantem Thessaliam (Varinus θαλασσίαν habet non Θεσσαλίαν) Hercules occidit. Rursus etiam in alijs Scholijs in idem Carmen Thessaliam legimus. Et rursus in Carmen decimum Olympiorum, ubi Pindari uerba sunt, Τρωΐτε δὲ λυκνείαι μάχαι καὶ ὑπὸρ βίου Ἡρακλέα. Cygnus (inquit) male afficiebat hospites, & cum in uia qua transeundum erat iuxta mare habitaret, (ὧν πεζόδρομον ἐπὶ θαλασσίας ὁδικῶν,) transeuntibus capita amputabat, eo proposito ut Apollini templum è capitibus strueret. Et Herculem etiam aliquando transeuntem adortus Martis parētis auxilio ipsum fugauit. Sed postea tamen ab Hercule occisus est, ut Stesichorus in Cycno tradit. Cygnum Martis filium Hercules equestri certamine uicit, adiutus equo Arione, quem Neptunus in faciem equi transformatus ex Erinny genuerat, ut Grammatici quidam tradunt. ¶ Cycnum filium Neptuni & Scamandrodices, uel Harpales secundum alios, Troianis in bello socium Achilles occidit, Scholiastes Pindari in Olympijs Carmine 2. Et rursus alius Scholiastes, Hunc (inquit) cum classe Troianos iuuaret, & in angustia quadā maris Græcos appellere (ἀκβιβάω) prohiberet, Achilles interemit. Meminit eius & Q. Calaber libro 4. & Ouidius Metam. libro 12. Plura de eo, & an reuera inuulnerabilis fuerit, &c. leges in Dictionario Varini, primum in Κύκνος ἄτρωτος ὦ, deinde in Κύκνος ὁ Σκαμανδρόδικης. Cycnum Troianum (socium Troianorum) à natiuitate canum fuisse ferunt, (ut & Tarconem qui 12. ciuitates condidit in Thuscia sub Tyrrheno,) sed propter sapientiam qua à puero claruit, Eustathius in Dionysium. Τίς θῆλυ ἀπὸ χροιᾶς Κύκνον ἔγνω; Theocritus Idyl. 16. De Cygno Colonensi (idem est Cygnus Neptuni filius. is enim Colonis imperauit teste Pausania. Colone ciuitas supra Lampsacum in mediterraneo sita, quæ & Batiea dicebatur, patria fuit Cygni, Hermolaus) fertur, illum inuulnerabilē fuisse, quòd cum pugnator scientiæq; bellicæ peritissimus esset, & in bello Troiano ab Achille lapide percussus fuisset, minimè uulneratum eius cadauer inspiciētes homines, inuulnerabile dixerint, Palæphatus. Thrax quidam à cygno enutritus, nomen à nutritore habuit, Varinus ni fallor. Hegesianax author est Cycnum illum qui singulare certamen cum Achille subiuit, in Leucophrye ab aue eiusdem nominis nutritum esse. Cæterum Bœus scribit Cygnum (nescio an eundem, Neptuni scilicet filium, an potius regem Ligurum, ut alijs placet) in auem conuersum esse, &c. Athenæus. Cycnum ferunt uxoris calumnia inductum, filium Tenum (aliàs Tenen, ut habet Eustathius in Dionysium, aliàs Tennen, Τέννλω, ut habet Varinus, & Heraclides in Tenediorum repub. & Pausanias in Phocicis) arcæ inclusum in mare deiecisse: quæ tempestate acta in Tenedum appulerit, ubi ille seruatus insulæ postea imperauerit, Diodorus Siculus. ¶ Cygnus rex Ligurum Phaëthontis amator, post illius interitum diutino fletu in auē nomine seruato mutatus esse dicitur in fabulis, ut scribit Ouidius Metam. 2. Nanq; ferunt luctu Cycnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondes, umbramq; sororum Dum canit, & mœstum Musa solatur amorem:
Canentem molli pluma duxisse senectam, Linquentem terras, & sydera uoce sequentem, Vergilius 10. Aeneidos. Meminit & Pausanias in Atticis. Apud Ligures (inquit) ultra Eridanum Cycnum Musicæ deditum regnasse aiunt, & post obitum ex Apollinis sententia in auem transmutatum esse. Sed Bœus apud Athenæum (ex quo etiam Eustathius repetit) Cygnum quendam à Marte in auem sui nominis conuersum scribit: quæ cum ad Sybarin fluuium peruenisset, cum grue coierit. Gruem uerò idem Bœus mulierem fuisse ait, &c. Virum hunc ego perimam impurissimum, Barbatum, tremulum, Titanum, Cygno prognatū patre, Plautus in Menæhmis. ¶ Cygnus equi nomen à candore, Statio lib. 6. Thebaidos.

¶ Cycnītis, Κυκνῖτις, regio in qua Cycnus imperauit, Stephanus. ¶ Cygnus oppidum fuit in ripa Phasidis, Plinius 6. 4. ¶ Cycneia Tempe nominantur ab Ouidio lib. 7. Metamorph. in quibus puer Phyllio amatus à saxo desiliens, Cuncti cecidisse putabant, Factus olor niueis pendebat in aere pennis, ut pluribus in Tauro recitaui ex Ouidio. Mihi uidentur poëtis duo maximè celebrari Tempe, Thessala: & Bœotia, quæ Teumessia dicuntur à monte Teumesso, & ab Ouidio Cygneia, Hermolaus Barb. ¶ Cygnum Syri uocant quicquid candidum est: hinc & Cygno fluuio nomen, Isidorus, sed alij melius legunt cydnum pro cādido & pro fluuio, ut supra ostendimus, prima huius capitis parte.

¶ b. Κύκνος τε πολιώτεραι ἀλὸς Ἀΐδᾳ ἐπαυδᾷσι τροχοῦ, Aristoph. in Vespis. Sic & Verg. 10. Aen. de Cygno in auem mutato, Canentem molli pluma duxisse senectam. Diomedearum auium forma cygnis est proxima, Ouidius.

¶ c. Et qualem infelix amisit Mantua campum, Pascentē niueos herboso flumine cycnos, Verg. 2. Georg.

¶ Cygnus est auis quæ cantu delectatur, ὄρνεον φιλῳδόν, Suidas. Si difficilior mœstiorq; in præsentia essem (inquit Socrates in Phædone Platonis) quàm in superiore fuerim uita, detetior equidem cygnis uideri deberem. Illi enim quando se breui præsentiunt morituros, tunc magis admodum dulciusq; canunt, quàm antea consueuerint, congratulantes quòd ad deum sint, cuius erant famuli, iam migraturi. Homines uerò cum ipsi mortem expauescant, cygnos quoque falsò criminantur quòd lugentes mortem ob dolorem cantum emittant. Profectò haud animaduertūt nullam esse

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 404 sur 825

auem quæ cantet, quando esuriat aut rigeat, aut quouis alio afficiatur incommodo, non ipsa philomela, nec upupa, quas ferunt per querimoniam cantare lugentes. At mihi neque hæ aues præ dolore uidentur canere, neq; cygni, sed quia Phœbo sacri sunt, ut arbitror, diuinatione præditi præsagiunt alterius uitæ bona: ideoq; cantant alacrius gestiuntq; ea die, quàm superiori tẽpore. Equidem & ego arbitror me cygnorum esse conseruum, eidemq; deo sacrum, neque deterius uaticinium ab eodem domino habere quàm illos, neque ignauius è uita decedere, Hæc ille. Indi & Aegyptij dicunt phœnicem auem in nido tabescentem propemptícos hymnos sibijpsi decantare etiam. Hoc ipsum cygnos facere perhibent, qui sapientissimi inter ipsos habẽtur, Philostratus in uita Apollonij lib. 3. Hic undiq; clamor Dissensu magnus uario se tollit in auras. Haud secus, atq; alto in luco cùm fortè cateruæ Consedêre auium, piscosóue amne Padusæ Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni, Vergilius x 1. Aen. Ibant æquati numero, regemq; canebant: Ceu quondam niuei liquida inter nubila cycni: Cum sese è pastu referunt, & lõga canoros Dant per colla modos: sonat amnis, & Asia longè Pulsa palus, Idem 7. Aen. imitatus locum Homeri quem recitaui in Anſere H. c. confert autem ille Græcorum in aciem euntium copias agminibus anserum uel gruum uel olorum in Asio (sic dicto loco circa Lydiæ fluuiũ Caystrũ. uel asio, id est paluſtri) prato, Κλαγγηδὸν πεκαθιζόντων: σμαραγεῖ δ' ε τε πόντ@. Vare tuum nomen Cantantes sublime ferent ad sydera cycni, Idem in Bucol. Cum tuba depresso grauiter sub murmure mugit. Et gelida cycni nece torti ex antro Heliconis, Cum liquidam tollunt lugubri uoce querelam, Lucretius libro 4. Quòd in cygni formam sit transiturus, cantuq; repleturus orbem, Horatius de seipso Carm. 2. 20. O mutis quoq; piscibus Donatura cygni, si libeat sonum, Idem ad Melpomenen libro 4. Carm. 2. Στρυμόνιοι μύρεσθε παρ' ὕδασιν ἄελλινα κύκνοι, Theocritus Idyl. 19. Ὡς ὅτε καλὰ νάοντ@ ἐπ' ὀφρύσι Πακτωλείω Κύκνοι κινήσωσιν ἐὸν μέλ@. ἀμφὶ δὲ λειμὼν Ἐρσήεις βρέμεται, ποταμοῖό τε καλὰ ῥέεθρα, Apollonius 4. Argonaut. Τοιαὶ δὲ κύκνοι, Τιστοποποποτιγξ, Συμμιγᾶ βοὴ ὁμᾶ Πτῆροῖσι πρέκοντες, ἴαχον Ἀπόλλω, Τιστοποποτιγξ, Ὄχθῳ ἐφεζόμενοι παρ' Ἕβρον ποταμόν. Τιὸ πὸ πὸ πό. Διὰ δ' ἀιθέριον νέφ@ ἦλθε βοαὶ. Πτῆξε δὲ ποικίλα τε φῦλα θηρῶν, Κύματά τ' ἔσβεσε νἰώνη@ ἄϋδρη, Τοποτοποποποποτιγξ. Πᾶς δ' ἐπεκίνησε ὅλυμπ@, Εἶλε δὲ θάμβ@ ἀνακτας. Ὁλυμπιάδες δὲ μέλ@ χέεκτις, Μῶσαι τ' ἐπωλόλυξαν Τιστοποτιγξ. Κύκνειον ἆσμα, id est Cygnea cantio uel cantilena, refertur inter Græcanica prouerbia. Notatur & ab Aeliano in opere de naturis animalium, prouerbij uice. Conuenit in eos (inquit Erasmus) qui supremo uitæ tempore facundè disserunt, aut extrema senecta suauiloquentius scribunt, id quod ferè solet accidere scriptoribus, ut postrema quæq; minimè sint acerba maximeq; mellita, uidelicet per ætatem matureſcente eloquentia. Porrò cygnos instante morte mirandos quosdam cantus ædere, tam omnium literis est celebratum, quàm nulli uel compertum, uel creditum. Aelianus negat eos cãnere, nisi flante zephyro uento, quem Latini fauonium dicunt. Nec desunt philosophi, qui huius rei causam etiam addere conantur, affirmantq; id accidere propter spiritus per collum procerum & angustum erumpere laborantes. D. Hieronymus in quodam laudans senilem eloquentiam, commemoratis aliquot scriptoribus: Hi omnes, inquit, nescio quid cygneum uicina morte cecinerunt. Idem in Epitaphio Nepotiani, Vbi est ille ἁγροδιώκτης noster, & cygneo canore uox dulcior? Nos item in Epigrammate quodam, quod olim ex tempore lusimus ad Guilelmum Archiepiscopum Cantuariensem: Vates uidebis exoriri candidos Adeò canoros atq; uocaleis, uti In alta fundant astra cygneum melos, Quod ipsa & ætas posterorum exaudiat. Meminit adagij & Athenæus libro Dipnosoph. 14. ex authore Chrysippo, referens quendam adeò impensè delectatum fuisse dicteriis (φιλοσκώπτῃ) ut cum esset à carnifice trucidandus, dixerit se uelle mori decantata cygnea cantione, (ὥσπερ ὁ κύκνειον ᾄσας,) sentiens dictum aliquod falsum, quod simulatq; proloquutus esset, non contaretur emori. M. Tullius præfans in librum de Oratore tertium, de L. Crasso ita loquitur: Illa tanquam cygnea fuit diuina hominis uox & oratio, quam quasi expectantes post eius interitum ueniebamus in curiam, ut uestigium illud ipsum, in quo ille postremùm institisset cõtueremur, Hucusque Erasmus. Κύκνειον, τὸ τῶ κύκνω μέλ@, Suidas. Ἐμὲ μὲν κελαδεῖν, ἐμὲ δ' ἐᾶν πτανεῖν, οἷά τε κύκνον ᾄγοντα ποικιλόπτερον μέλ@ τὰν ἀοιδὰν, Pratinas apud Athenæum lib. 14. Theocritus Idyllio quinto prouerbij specie dixit, Οὐ θεμιτὸν Λάκωσι ποτ' ἀνδάνα κίοσας ἐρίζειν, Οὐδ' ἔποπτας κύκνοισιν, Erasmus Roter. transtulit, Haud fas est Lacon philomelam ut prouocet unquam· Pica nec argutis epopa obstrepat improba cygnis. Simile est in eodem Idyllio, Σφὶξ βομβῶν τέρψιν@ ἀνανπίον, Scilicet obstrepitans argutæ uespa cicadæ, & in eum qui certat longè impar cum superiore, aut qui negotium facessit lõgè se præstantioribus. Tum canent cygni cum tacuerint graculi. hoc est, Tum loquẽtur eruditi, cum garrulis non erit loquendi locus. aut inter garrulos & obstreperos non est eruditis dicendi locus. Vsurpauit adagium Gregorius Theologus in epistola, ad Celeusium præsidem. Ἅδωσαι καταφλυαρῶν ἡμῶν Φλοιωπῆς, ἢ σοι παροιμιακῶς ὀρῶ, μάλιστα μ' ἀληθῆ, μᾶλλιστα δ' σωφρονοῦμον, ὅτι τότε ᾄσονται κύκνοι, ὅταν κῶλοιοι σωπήσωσιν. id est, Aut desine tuis nugis obstrepere nostro silentio, aut tibi referam prouerbium ut uerissimum, ita breuissimum, Tunc canent cygni, cum tacebunt graculi. Ita nunc loquuntur Cicero, Vergilius, Horatius, & tacent Pero, Philiscus, Mæuius, qui uiuis illis obstrepebant, tanto loquacio res quanto indoctiores, Erasmus. Eodẽ prouerbio usus est Antipater in Epigrammate quo Erinnam poetriam celebrat, Λωΐτερ@ κύκνε μικρὸς θρό@, ἢ κῶλοιῶν Κρωγμός, ὃν εἰαρινᾶς κιδνάμεν@ νεφέλας. Suauidicis potius quàm multis uersibus ædam, Paruus ut est cygni melior canor ille, gruũ quam

Clamor

Clamor in ætheriis dispersus nubibus austri, Lucretius lib. 4. Inter Ledæos rídetur coruus olores, Martialis lib. 1. Sed argutos inter strepere anser olores, Vergilius 5. Aegl. Ioannis Leuandi Anglí liber Cygnea cantio inscriptus extat. Ἄρτι δὲ κυκνέῳ φθεγγομένῳ σώματι, Incertus in Epigrammate in Erinnam poëtriam. In Pactoli fluuij Lydiæ ripis tempore uerno Κύκνων εἰσαίοις λιγυρῷ ὅπα, πόι τε καθ' ὕδωρ Ἔνθα καὶ ἔνθα νέμονται ἀεξομένης ἐπὶ ποίης, Dionysius Afer. Τίς ὁ κύκνῳ σιωπῶντι φθονῶν ᾠδὴν ὅταν ἐκπετάσῃ τὸ πῆδον ταῖς αὔραις, καὶ ποιῇ μέλος τὸ σύριγμα; Greg. Nazianzenus.

¶ d. Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cygnum Sustulit alta petens pedibus Iouis armiger uncis, &c. Vergilius 9. Aen. uidetur autem imitatus Homericum illud Iliad. ο. Ἀλλ' ὡς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἀιδνὸς ἄεθλος Ἔθνε' ἐφορμᾶται ποταμὸν παρὰ Βοσπορίδαων Χίων, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δολιχοδείρων.

¶ e. Et fundam teretí circum caput egit habena, Strymoniamq; gruem, aut album deiecit olorem, Verg. Aeneid. 11. In regis Angliæ aula multos semper cygnos alí audío.

¶ f. In Cotyis Thracum regis conuiuio apud Athenæum, inter cęteras aues cygni apponunt.

¶ h. Eubuli poëtæ Προσοψίαν ἢ Κύκνον Athenæus citat. Οὐσὶ δ' ἐξεπλάγην αὐτὰς κύκνος ποιῶν καὶ μέμονας κωδωνοφαλαροπώλας, Aristophanes, ut Varinus citat in Κωδωνοφ. Fabulam elegantem de hirundinibus & cycnis Gregorius Nazianzenus in epistola ad Celeusium prędem recitat. Hirundines (inquit) olim cygnis obijciebant quòd hominum conuersationem recusarent, neq; musicam publicè exercerent: sed prata, fluuios & solitudinem amarent: & parum admodum cantillarent, idq; inter se tantum quasi eos musicæ puderet. Nostræ uerò (aiebāt) ciuitates sunt, & homines, & thalami; nos hominibus canimus, & fortunas nostras eis narramus: nempe uetera illa & Attica, Pădionem, Athenas, Tereum, Thraciam, peregrinationem, nuptias, (ὃ κἄδος,) stuprum, linguæ exectionem, literas, & postremò Ityn, & quòd ex hominibus in aues transformatæ simus. At cygni loquacitate illarum offensi uix responso eas dignati sunt. Responderunt tamen, Atqui nostri gratia uel in solitudinem exire non desunt qui uelint, ut musicam nostram audiant, quum zephyro alas pandimus ut suauem & concinnum inspiret sonum. Quòd si nō multum nec inter multos canimus, hoc ipsum tamen præcipuè in nobis laudari meretur, quòd cantum mediocritate temperamus (μέτρῳ φιλοσοφοῦμεν,) nec tumultuosam musicam ædimus. Vos uerò etiam in contubernio hominum molestæ estis, ita ut meritò illí uos auersentur, quæ ne linguis quidem exectis silere possitis. Et cum de hac calamitate uestra, ceu uocis priuatione conqueramini, nullas tamen uocales & musicas aues loquacitate non superatis.

¶ Metamorphoses. Fabulantur poëtæ homines quosdam Apollini familiares (παρέδρους) iuxta Eridanum in cygnos mutatos esse, eosq; etiamnum canere non oblitos pristinæ musicę, Lucianus. nos hoc de Cygno tantum Ligurum rege Stheneli filio, circa Eridanum, legimus. Vide supra inter propria. ¶ Cygni puerí in auem transformatio, describitur ab Ouidio Metam. lib. 12. item Hyries filij in cygnum lib. 7. & in eandem alitem Iouis lib. 6. in tela Arachnes. Arachne puella (inquit) cum Pallade certans, in tela sua Fecit olorinis Ledam recubare sub alis. Olorem inter sydera (inquit Higinus) Græci cygnum appellant: quem complures propter ignotam illis historiam, communi genere auium ὄρνιν appellauerunt: de quo hæc memoriæ prodita est causa. Iupiter cum amore inductus Nemesin dilígere cœpisset, neq; ab ea ut secum concumberet impetrare potuisset, hac cogitatione amore est liberatus. Iubet enim Venerem aquilæ similatam se sequi, seseq; ipse in olorem conuertit, & ut aquilam fugiens ad Nemesin cōfugit, & in eius gremio se collocauit: quem Nemesis non aspernata, amplexum tenens, somno est consopita. quam dormientem Iupiter compressit, ipse autem auolauit: & quòd ab hominibus altè uolans cœlo uidebatur, inter sidera dictus est esse constitutus. quod ne falsum diceretur, Iupiter è facto eum uolantem, & aquilam consequentem, collocauit in mundo. Nemesis autem, ut quæ auium generi esset iuncta, mensibus actis, ouum procreauit: quod Mercurius auferens detulit Spartam, & Ledæ sedenti in gremium proiecit, ex quo nascitur Helena, cæteris corporis specie præstans, quam Leda suam filiam nominauit. Alij autem cum Leda Iouem concubuisse in olorem conuersum, dixerunt: de quo in medio relinquemus, Hæc Higinus. Hyperôa, id est tabulata seu cœnacula domuum superiora Græci prisci ὠΐα uocabant, inquit Clearchus in Amatorijs, Helenam scribēs in hisce locis nutritam, uulgò ex ouo prognatam fuisse creditum. Non rectè autem Neocles Crotoniates dixit, ouum è quo nata sit Helena, à Luna decidisse. mulieres enim Lunares (Selenitidas) Herodoro Heracleote authore, oua parere, ex quibus geniti quindecies magnitudine nos excedant. Ibycus etiam de filijs Molionis scribit, Ἀμφοτέρους γεγαῶτας ὠῷ ἀργυρέῳ. Cæterum Eriphus poëta Ledam anserina oua enixam ait, Athenæus lib. 2. Fabula de metamorphosi Iouis in Cygnum, eleganter describitur à Cælio Rhodigino libro 11. Lectionum antiquarum cap. 19. In Laconica templum est Hilairæ & Phœbes Leucippidum, ubi à lacunari dependet ouum fascijs comprehensum, quod Ledę partum esse aiunt, Pausanias in Laconicis. Gallinaceus in somnio Luciani ait se tempore belli Troiani Euphorbū fuisse, nouisseq; Helenam, non adeò formosam ut fabulantur, sed corpore candido & collo procero, ut eatenus rectè cygni filia credita fuerit, &c.

¶ Cygni Apollini ob præsagium finis sacri habentur, &c. Vide supra in Coruo h. & hoc ipso in capite H. c. ex Phædone Platonis. Itaq; commemorat ut cygni, qui non sine causa Apollini di-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 406 sur 825

cati sunt, sed quòd ab eo diuinationem habere uideantur, qua prouidentes quid in morte boni sit, cum cantu & uoluptate moriantur, Cicero 1. Tuscul. Cygnus Apollini seu Soli consecratur, ob cãdorem diei, ut coruus à nigredine noctis, Varinus & Eustathius. Apollini sacer est cygnus, non solum tanquam auis canora & uaticina, sed etiam propter leucum, id est album colorem. deriuatur enim eius nomen apud Græcos à uerbo λεύσσω quod uidere significat. uidendi autem facultatis au thor est Apollo, unde & Delius nominatur, ceu qui omnia δῆλα, id est conspicua & uisui exposita reddat, Idem. ¶ Venerem aliqui cygnis uehi dixêre, ut Horatius in tertio Odarum, item Ouidius & Statius: hic in Epithalamio dicens, Amycleos ad frena citauit olores: ille in Metam. Medias Cytherea per auras Cypron olorinis nondũ peruenerat alis, Gyraldus. Cycnis discedere tempus, Duxerunt collo qui iuga nostra suo, Ouidius in fine libri 3. de Arte am.

¶ Athenis non procul ab Academia monumẽtum Platonis spectatur, quẽ in philosophia sum mum fore hoc præsagio deus significauit. Socrates nocte priore, quàm Plato discipulus eius erat fu turus, cygnum sibi in sinum inuolasse per somnum uidit, Pausanias. ¶ Apud Vergilium libro 1. Aen. ex aquilis & cygnis augurium describitur huiusmodi. alloquitur autem Venus Aeneam. Nanq; tibi reduces socios, classemq; relatam Nuncio, & in tutum uersis Aquilonibus actam: Ni frustra augurium uani docuêre parentes. Aspice bis senos lætantes (post periculum, securos iam ab aquila) agmine cygnos, Aetherea quos lapsa plaga Iouis ales aperto Turbabat cœlo: nũc ter ras ordine longo Aut capere, aut captas iam despectare uidentur. Vt reduces illi ludunt stridentibus alis, (signum augurij est, inquit Seruius,) Et cœtu cinxêre polum cantusq; dedêre: Haud aliter puppesq; tuæ, pubesq; tuorum Aut portum tenet, aut pleno subit ostia uelo. Hoc est ut cygni isti post aquilæ perturbationem, qua dispersi fuerant, ut naues tempestatibus constabat esse turbatas, hilaritate omni lætitiaq; recepta, ordine soluto securi uolitant: sic & naues tuæ & omnes tui, securi degunt ac tuti, Donatus. Cygnos (inquit Seruius) nauibus comparat, aquilam tempestati. In augurijs autem consyderanda sunt, non solum aues, sed etiam uolatus, ut in præpetibus: & cantus, ut in oscinibus. Quia nec omnes, nec omnibus dant augurium: ut columbæ non nisi regibus dãt, quia nunquam singulæ uolant, sicut rex nunquam solus incedit. unde in Sexto, Maternas agnouit aues: per transitum ostendit regis augurium. Item cygni nullis dant nisi nautis, sicuti lectum in Ornithogonia, Cygnus in augurijs nautis gratissimus ales: Hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis. Quum cygnus neq; in præpetibus, neq; in oscinibus nominetur, cur ab illo sumitur auguriũ? soluitur, quòd augurium ad aquilam poeta retulit: sed docet Verg. bonum omen ad naues factum de cygni uolatu, Hæc Seruius, omen non augurium ex cygno factum scribens. Isidorus carmen quod Seruius ex Ornithogonia citat, ad Aemilium authorem refert, & sic legit: Cygnus in auspicijs semper lætissimus ales, &c. Cycnus nautis & his qui freto agi uolunt prosperos cursus denunciat, reliquis inauspicatus, Alexander ab Alex.

¶ Prouerbia. Cygnea cantio, Vpupę cum cygnis certant, & Cygni canent tacentibus graculis, explicata sunt supra in H. c. ¶ Cygno nigro rarior, tam usurpari prouerbialiter potest, quàm illud Coruo rarior albo. Rara auis in terris, nigroq; simillima cygno, Iuuenalis Sat. 6. de muliere formosa, diuite & pudica. ¶ Anser inter olores, uide in Graculo prouerbiũ Graculus inter Musas.

¶ Alciati emblema, quod inscripsit Insignia poetarum:

Gentiles clypeos sunt qui in Iouis alite gestant, Sunt quibus aut serpens, aut leo signa ferunt,
Dira sed hæc uatum fugiant animalia ceras, Doctaq; sustineat stemmata pulcher olor.
Hic Phœbo sacer, & nostræ regionis alumnus, Rex olim ueteres seruat adhuc titulos.

DE CYNCHRAMO.

CYNCHRAMVS, κύγχραμος, nomen est auis, Gaza legit apud Aristot. de hist. anim. 8. 12. co dex Græcus impressus habet cychramus, κύχραμος. Sunt qui cenchranum legant apud Plinium, alij cichramus. Apud Hesychium κυγχρεύς legitur per γχ. quanquam in eo ordine ubi sine gamma scri bi debuisset. Varinus absq; gamma in suum Lexicon trãscripsit. Inuenio & λιγκράμας apud eosdem. Vtcunq; est, nomen per onomatopœiam factum uidetur. Cynchramus discedentibus coturnicibus ducem se præbet, ut lingulaca quoq;, ortygometra, & otus. A cynchramo coturnices etiam noctu reuocantur, (Græcè est, ὅσπερ αὐτὰς καὶ ἀνακαλεῖται νύκτωρ) cuius uocem cum senserint aucupes, intelligunt parari discessum, Aristoteles. Cychramus perseuerantior (quàm glottis, quæ nunquam plus uno die cum coturnicibus pergit, & in proximo hospitio eas deserit) festinat etiam peruenire ad expetitas sibi terras. itaq; noctu is eas excitat, admonetq; itineris, Plinius. ¶ Cynchramus auis est quæ noctu diluculum uersus primo clamat, quasi uocans aues ad iter, Niphus. Gyb. Longolius cenchranum & ortygometram pro una aue accipit, (quod non probamus,) quæ scrica à Germanis uocetur, ein ſcrecke. ea uerò ortygometrá ne potius an cynchramus sit, quoniam alterutram esse non dubito, iudicent diligentiores. Nam crecem non esse, ut Turnerus putabat, ex crecis historia confirmari potest. Vide plura in Ortygometra, mox post Coturnicem. Miliaria an eadem sit auis cum cenchramo consideret lector, Vuottonus. Pro cynchramo Albertus depraua tam habet uocem fababoniz, & gallinã uibicis interpretatur, (Birckhũn) de qua plura scribemus

inter

inter gallinas syluestres. ¶ Est apud nos auis Brachuogel dicta, cruribus proceris, & rostro quoque, eodemq; inflexo modicè, altera maior, quam Latinè arquatam nominaui: altera minor, inter gallinulas aquaticas descripta, quarum alterutra an cynchramus esse possit inquirendum.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA INCIPIVNT A LITERA D.

DE DACNADE.

DACNADES sunt auium genus, quas Aegyptij inter potandum cum coronis deuincere soliti sunt, quæ uellicando morsicandoq; & canturiendo (cantitando, Gillius) assiduè, non patiuntur dormire potantes, Pompeius Festus. Δακνὶς, auis quædam, Hesych. & Varin. Δάκνια (per iôta in penultima, melius forte per epsilon) auiculæ syluestres, ὀρνιθάκεια ἄγρια, Iidem. Ῥοίδιας, δάκνας, Iidem. an uerò hoc postremum etiam aues aliquas significat, incertum est mihi. Inuenio & ῥοιλιὰς, δάκνας apud Hesychium.

DE DICAERIS INDICIS AVICVLIS.

PARVVLARVM quarundam auium Indicarum natio in excelsis rupibus nidificat, quarum magnitudo accedit ad ouum perdicum, sandaricino colore est: Indi sua lingua Dicærum solent nominare: Græci, sicut audio, Dicæum. Eius stercus si quis milij magnitudine sumpserit in potionem dissolutum, ad ueſperam morietur, mors suaui somno similis est, & nullum omnino sensum doloris habet. Quamobrem summopere Indi id assequi student, ipsum enim malorum obliuionem existimant inducere. Quod quidem ex India muneri missum rex Persarum omnibus rebus antefert, & asseruat, insanabilium malorum remedium, si sumere sit necesse: neque apud Persas quisquam alius quàm rex id habet, Aelianus. Eædem fortè sunt aues, quæ ab Hesychio & Varino nominantur δρυκναί.

DE DIOMEDEIS AVIBVS.

IN Diomedea insula sita in Adriatico mari, templum Diomedis esse aiunt mirabile & sacrum, id undiq; circunsideri auibus insigni magnitudine, quarum magna & dura sint rostra, eas si Græci homines aduenerint, quiescere: si uero ex uicinis locis barbari aliqui, subuolare & è sublimi præcipites (καταρρόσειν) capita eorum ferire, & rostris ad mortē usq; uulnerare. Fabulantur autem Diomedis socios cum ipse ab Aenea regionum illarum rege dolo occisus esset, naufragio circa insulam facto, in has aues mutatos esse, Aristoteles in libro mirabilium narrationum. ¶ Diomedeas aues Iuba cataractas uocat, eis esse dentes oculosq; igneo colore, cætero candidis tradens, duos semper (super, Solinus) ijs duces, alterum ducere agmen, alterum cogere, (congreges enim uolitant,) Scrobes excauare rostro, inde crate consternere, (surculis in uersum superpositis imitari texta cratium, & sic contegere subtercauata,) & operire terra quæ antè fuerit egesta: in his fœtificare. Fores binas omnium scrobibus: orientem spectare quibus exeant in pascua, occasum quibus redeant, (ut lux & moranteis excitet, & receptui non denegetur, Solinus.) Aluum exoneraturas subuolare semper, & contrario flatu: (quo proluuies longius auferatur, Solinus.) Vno hæ in loco totius orbis uisuntur, in insula quam diximus nobilem Diomedis tumulo atq; delubro, contra Apuliæ oram, fulicarum similes, (forma illis penè quæ fulicis, Solinus, malim, ardeis.) Aduenas barbaros clangore infestant, Græcis tantum adulantur, miro discrimine, uelut generi Diomedis hoc tribuentes: ædemq; eius quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt atq; purificant: unde origo fabulæ Diomedis socios in earum effigies mutatos, Plinius. Diomedeæ insulæ duæ sunt (è regione Gargani, ut quidam scribunt. Vide Horatium lib. 1. Serm. Qui locus à forti Diomede conditus olim, &c.) quarum altera habitatur: in altera deserta Diomedem disparuisse quidam fabulantur, comitesq; in aues conuersos esse. Eas etiam hac ætate mansuescere, & humanam quodammodo uitam agere, & uiuendi ordine, & erga benignos mansuetudine: à malignis autem & sceleratis fuga & euitatione, Strabo lib. 7. Diomedem à Dauno interfectum lugentes socij in aues cygnis similes conuersi sunt: quæ barbaros refugiunt, accedunt uerò ad Græcos ita ut ex manibus eorum cibos auferant, & sinus eorum subeant. degunt autem illæ in insula cui à Diomede nomē, quæ sita est circa Adriaticum mare & Ionium sinum, Varinus in Diomede. Insula quædam nomine Diomedea, auibus Diomedeis abundat. hæ hominibus natione barbaris neq; quippiam nocent, neq; eos adeunt: Sin Græcus aduena eò diuerterit, diuino quodam munere ab his auibus aditur, alis explicatis, tanquam manibus, ad prensationem & complexum. Græcos se pertrectantes non refugientes, intrepidè se palpari sustinent: in accumbentium sinus aduolant, uelut ad mensas hospitales inuitatæ. Vulgò socij Diomedis esse iactantur, qui unà cum eo contra Ilium arma tulerunt. prima eorum natura in auium speciem immutata, etiam nunc se esse Græcos & Græcorum studiosos perseuerare, Aelianus. Si uoluerum quæ sit dubiarum forma requiris, Vt non cygnorum, sic albis proxima cygnis: Magna pedis digitos pars occupat, oraq; cornu Indurata rigent, finēq; in acumine ponunt, Ouid. lib. 14.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 408 sur 825

Metam. ubi Diomedis ſociorum in aues transformationem deſcribit. Nunc etiam horribili uiſu portenta ſequuntur, Et ſocij amiſsi petierunt æthera pennis, Fluminibusq; uagantur aues (heu dira meorum Supplicia) & ſcopulos lachrymoſis uocibus implent, Diomedes undecimo Aeneidos. Vbi Seruius, Hoc loco nullus dubitat fabulæ huius ordinem à Vergilio eſſe conuerſum. nam Diomedis ſocios conſtat in aues eſſe conuerſos poſt ducis ſui interitum, quem extinctum impatienter dolebant. Hinc eæ aues hodieq; Latinè Diomedeæ uocantur, quas Græci ὄρνιθας dicunt, cuius generis auem auſpicio dixit Homerus Diomedi & Vlyſsi ſpeculatoribus apparuiſſe: Τοῖσι δὲ δεξιὸν ἦκεν ὄρνιθα ἐγχείης ἑδὸν Παλλὰς Ἀθηναίη. Habitabant autem in inſula quæ eſt haud longè à Calabria in conſpectu Tarentinæ ciuitatis. Quin etiam de his auibus dicitur, quòd Græcis nauibus lætæ occurrant Romam uenientibus, Latinas uehementer fugiant, memores originis ſuę, & quòd Diomedes ab Illyrijs interemptus eſt, Hæc ille. Has aues aiunt, ſi barbarus quiſpiam illuc acceſsiſſet, ocyus aduolantes, unguibusq; & roſtro oculos & caput petentes, conſauciaſſe & fœdè laceraſſe, neque prius deſtitiſſe, quàm ibi illum crudeliter interemiſſent. fuiſſe enim illas (roſtro) unco, & incuruis præterea armatas unguibus, Nic. Leonicenus in Varia hiſt. l. 84. ſed authorem nō adfert, nec nos uſquam legimus roſtro & unguibus uncis has aues fuiſſe. nam & Ouidius roſtra earum acuta eſſe ſcribit: & Albertus, Roſtris acutis (inquit) cauant molliora rupium in quibus nidificent: & tecta deſuper ex tegulis (ſurculis) & puluere componunt ad modum magni cyphi. Et roſtri figura acuta, non adunca ardearum generi conuenit. Ardearum autem generis has aues eſſe & Seruius ſentit, cuius uerba iam recitauimus: & Stephanus Grammaticus teſtatur. Diomedea (inquit) urbs Dauniorum eſt, in qua ardeæ cicures (ὄρνιθαι χειρόβιοι) aduolitant (ad homines, Græcos quidem, non barbaros,) & ſinum ſubeunt, in quas Diomedis ſocios mutatos aiunt. Cæterum cataractæ dictæ ſunt ἀπὸ τοῦ καταράσσειν, ut ſupra ex Ariſtotele citauimus: quòd in hominum capita barbarorum præcipites ruant, eaq; roſtris ferīāt. Alias ab his catarrhactas, hoc eſt laros marinos albos & paruos, deſcripſimus ſupra, quæ & ipſæ è ſublimi præcipites ruunt ad piſcium prædam. & hæ forſitan fulicis conferri poſſunt, non Diomedeæ catarrhactæ, quæ cygnis ab Ouidio comparantur, & inſigni magnitudine præditæ ab Ariſtotele dicūtur. Aut igitur erraſſe, duasq; diuerſas aues nominis ſimilitudine deceptum confudiſſe Plinium iudico; aut ex Græco aliquo ſcriptore fulicas pro ardeis reddidiſſe. nam & alibi cirrhos fulicis eſſe ſcribit, quod ardeis magis conuenire uidetur: ut & color albus. ſunt enim albæ quædam ardeæ etiam maiores cæteris, ſed & cataractæ lari, albi traduntur. Roſtris ferire & uulnerare, caputq; & oculos hominum petere, ardeæ ſolent. Oculi quoq; ignei coloris ab ardearum genere alieni non ſunt, tales enim uidiſſe memini. & ardeę pellæ, id eſt fuſcę, oculos coitus tempore ſanguine ſuffundi quidam tradunt. Cæterum dentes an in ulla aue reperiantur præter aquatilium, ut anſerum anatum & mergorū genere, nō facile dixerim. nam ueſpertilio, quæ dentes habet, auis eſt non auis, ut in gripho legimus. Sunt qui morphno etiam, id eſt anatariæ aquilæ dentes tribuant. Taui eſt auis habens dentes in palato, Vetus Gloſſographus Auicennæ. ¶ Diomedeæ aues magnitudine ſunt cygnorum, colore candido, duris & grandibus roſtris, circa Apuliam in inſula Diomedea inter ſcopulos littorum & ſaxa uolitantes, Iſidorus. Obſcurus quidam inter recentiores fulicam à Diomedea prorſus nō diſtinguit. ¶ Diomedis aues hyeme incubant, forte propter uitanda tonitrua, quæ ouis noxia dicuntur, Albertus.

DE DRYOPE.

DRYOPS, δρυόψ, auis una eſt de choro auium apud Ariſtophanem, Scholiaſtes quæ ſit nō explicat. Heſychius auem à dryocolapte, id eſt pico martio, diuerſam eſſe docet. ¶ Dryopes, Δρύοπες, populi fuerunt iniuſti circa Parnaſſum, quos Hercules ſuperatos bello in Peloponneſum tranſtulit, ſic autem dicti ſunt à Dryope Lycaonis & Diæ Lycaoniæ filio, Varinus. Horum meminit Vergilius 4. Aen. Cretesq;, Dryopesq; fremunt. Tamq; cadas domitus, quàm quiſquis ad arma uocantem Iuuit inhumanum Thiodamanta Dryops, Ouidius in Ibin. Vide plura in Onomaſtico noſtro.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA INCIPIVNT AB E. LITERA.

DE EDOLIO.

EDOLIVS, Ἐδώλιος, auis quædam, Heſychius & Varin. ſic dicta forte ab aliqua corporis aut roſtri figura. nam ἐδώλια dicuntur tranſtra nauium in quibus remiges ſedent: & per metaphoram ſedilia in domibus. Apud eoſdem EIDALIS quoq; auis, Εἰδαλίς, memoratur, à pulchritudine ſortita dicta. εἰδάλιμον enim formoſum & ſpecioſum interpretantur. Sed magis puto corruptas eſſe has uoces. nam apud Ariſtophanem in Auibus ubi textus habet, καὶ ἐλαστᾷ καὶ δρυοδῷ, carmine trimetro dactylico, Scholiaſtes pro δρυοδῷ legit ἐδωλιῷ: & Callimachum pro edolio ait εἰδώλιον per α. diphthongum inter aues numerare.

DE

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 409 sur 825

DE ELAPHIDE.

ELAPHIS, ἐλαφὶς, pennas in dorso omnes ceruinæ pelli colore similes habet, (unde nomen apud Græcos. Latinè ceruinam aut ceruiam aut ceruariam dixeris.) Pascitur autem hæc in aquis, sicut ſynges in terra, linguam nempe longissimam, lineæ aut funiculi instar in aquam procul extendit, & sensim ad fauces deceptumaliquem piscem, qui ad conspectam adnatauerit linguam, allicit. Ad huius imitationem nimirum piscatores olim, ad longam arundinem ex pilis equinis lineam suspenderunt, Oppianus in Ixeuticis 2.12. Forte hæc auis pennas uarias & maculosas habuerit hinnulorum instar, nam & lupus ceruarius ab ijsdē maculis sic dictus uidetur, & in mustelorū piscium genere nebrias. Iam cum & aquatica auis sit, & linguam prælongam exerat, cogitandum est an eadem uel certe cognata sit Aristotelis glottis id est lingulaca auis, cui à linguę longitudine nomen: & corporis forma auibus aquaticis similis. ¶ Ceruinæ aues Diodoro Siculo lib. 4. de fabulosis antiquorum gestis, non aliæ quàm struthiocameli sunt, magni cerui magnitudine, &c.

DE ELEA ET ELASA.

ELEAS & ELASAS auium nomina sunt Aristophani in fabula quæ Aues inscribitur: quænam uero aut quales sint à Scholiaste non explicatur. Nominatur autem in duobus uersibus proximis (dactylicis trimetris) utraq; auis à Comico, Καὶ ἐλειᾶς καὶ βάσκα, Καὶ ἐλασᾶς καὶ φωλῆ. Eleâs forte ea auis est quæ ἐλείας à Callimacho nominatur, qui sic scribit: Ἔλεια (proparoxytonum) μικρὸν (ὄρνεον) φωνὴ ἀγαθόν, Scholiastes Aristophanis, hoc est, Elea auis est parua, uoce proba. Apparet autem Callimachum ab Aristotele mutuatum, qui historiæ anim. 9. 16. Helea, ἐλέα, (inquit) uitæ commoditate nota, ἄνθιστον, si qua alia auis. consistit æstate in umbra & aura, hyeme in Sole & aprícis. inspectat paludes ab arundinibus summis: paruo corpore est, sed uoce proba, (quæ ferè etiam de alcyone Plinius scribit, uide in Alcyone A.) Gaza ueliam interpretatur, aspiratione in u. consonantem uersa, ut pro hespero uesperum dicimus. sed sequentia quæ ad diuersam auem gnaphalum Aristoteli dictam pertinent, Gaza aut librarij, omissa gnaphali mentione, non rectè ad ueliam (heleam) omnia referunt. Erroris occasionem uideo, quoniam bis legitur φωνὴν ἔχει ἀγαθὴν, primum de helea, deinde de gnaphalo. ἐλείας, paroxytonum, auis quædam, Hesych. & Varinus. Ego ex diuersis istis modis quinq;, quibus huius auis nomen scribi reperio, (cum prima syllaba aliâs denso aliâs tenui spíritu scribatur, media aliâs per epsilon tantum, aliâs per ει. diphthongum: ultima per α. nudè finale, uel per ας. deniq; accentu uariet, nunc acuto primam nunc mediam occupante, nunc ultimam circunflexo) eum præ cæteris probo, qui apud Aristotelē habetur: nempe ἡ ἐλείᾱ, ut uox sit generis fœminini (nam in ας. masculini generis foret) paroxytona, prima aspirata. innuit enim Aristoteles nomen ei factum à paludibus quas inspectat, eas Græci uocant ἕλη. Alexander Myndius apud Athenæum scribit ægithali (id est pari) genus alterum à quibusdam uocari ἐλαιὸν, ab alijs pirian (si rectè scribitur,) & quo tempore maturæ sunt ficus sycalida, id est ficedulam, cuius alterum genus melancoryphus appelletur. Sed hæc auicula ab Aristotelis heléa & eleâ Aristophanis, planè diuersa mihi uidetur. Vide mox in Ficedula A.

ENTHYSCVS, auis quædam, ὁ ἄσφαλος, Hesychius & Varinus. ásphalos uerò quæ sit nō docent. Videtur autem eadem ascalapho. Vide in Bubone supra.

EPIMACHOS pulcherrimos, psittacos & struthiones grandes prouincia Abasiæ fert, Paulus Venetus 3.45. Io. Rauisius ophiomachum auem esse scribit quæ serpentes impugnet.

DE ERYTHROPODE.

ERYTHROPVS, ὀρυθρόπους, genus est auis, Varinus. Memoratur in Choro Auiū apud Aristophanem, Scholiastes ait Callimachum quoq; eius meminisse, nec aliud addit. Apud Plinium libro 10. cap. 47. hæmatopodis auis (à sanguineo pedum colore dictæ) mentio fit. sed Hermolaus hímantopodam legere mauult. Etiamsi (inquit) & auis genus sit Aristophani, quam dicat erythropoda. hæc autem sit an diuersa, nō statuo. Eberus & Peucerus hæmatópodem & erythrópodem pro una aue accípiunt, quam Germanicè interpretantur Rotfinck, id est fringillam rubram: cum rursus fringillam etiam simpliciter dictam sic interpretentur. Sed cum nullam huius auis descriptionem ueterem habeamus, & ex solo nomine coniectare oporteat quod ei à rubente pedum colore impositum est, rubent autem illi permultis diuersæ naturæ & magnitudinis auibus: rem pro incerta potius relinquere quàm diuinare hominis docti fuerit. Est inter aues aquaticas, quas gallinellas (seu gallinagines) aquaticas uocamus, quòd uictum circa aquas quærítent, cruribus omnes proceris, & rostris pleræq; oblongis, genus unum quod circa Argētoratum Rotbein, id est erythropus, ut uerbum uerbo reddam, appellatur: cuius figuram dabimus inter Gallinulas aquaticas. sed hoc cruribus tantum rubet: Rala uerò Anglorum, quam inter easdem Gallinulas duplicē describemus tum rostro tum cruribus.

ἔρμακον, ὄρνεον, Hesychius & Varinus.

ERYTHROTAON apud Plinium legitur, alij tetraonem, alij aliter legunt. ea auis inter gal-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 410 sur 825

linas montanas (alpinas) maxima nobis uidetur, quam uulgò gallum urum appellamus, etsi quidam gallum Indicum esse suspicentur. nos de utroq; inter Gallos & gallinas agemus.

EXTERNAE aues apud Plinium doctis uidentur eæ, quæ hodieq; in Italia starnæ uulgò nominantur, & apud Germanos aliosq; simpliciter ueterum perdices (Feldhüner/Rebhüner) hactenus creditæ sunt.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA A LITERA F. INCIPIVNT.

FATATOR (facator, Albertus) est auis in Oriente, quæ sobolis procreandæ naturaliter cupida, tempus ueris quo aues cæteræ conceptioni dant operam, anticipat. unde fit ut oua, quæ tum parit, (hyeme, mense Ianuario, post solstitium brumale, Albertus) frigore corrumpãtur. quare denuo, calidiore tempore subsequuto parit, & pullos excludit, (sed hoc Aristoteles de merula scribit,) cum cæteræ aues agrestes ferè omnes semel tantum anno pariant, Author libri de nat. r. FETIXetiam secundum Albertum, bis parit æstate, & sobolem numerosam habet, corpore parua, (parua plerunq; fœcundiora sunt,) & breuis uitæ.

DE FICEDVLA ET ATRICAPILLA.

FICEDVLAE auí nomen à ficu, ut & συκαλὶς apud Græcos, quod ea (ut Varro ait) pinguis fiat, uel quòd ficuum tempore capiatur. Italis hodie becquefigo (piccafyga circa lacum Verbanũ) id est συκοκόπος, dicitur, auicula luscinìæ simillima tum colore tum magnitudine ferè. Gallis similiter becquefigue. Germanis Graßmugg / uel Graßmusch, id est passer gramineus, ut Turnerus interpretatur. sed quærendum an à colore potius, quasi Graumusch, id est passer fuscus sic appelletur. nam cum quatuor ferè genera auium (ut pluribus in Curruca docui) grasmuschi nostris uocentur, genus fuscum inter cætera præcipuè uidetur ficedula esse. Ficedula auicula est Germanorum grasmuscho similis, Turnerus. Phœnicurus, cui nomẽ à rubente cauda, differt à ficedula quę cinereo tota & obscuro colore constat, Eberus & Peucerus.

¶ Ficedulæ & atricapillæ uicibus commutantur. fit enim ineunte autumno ficedula: ab autumno protinus atricapilla. nec inter eas discrimen aliquod nisi coloris & uocis est. Auem autẽ esse eandem constat: quia dum immutaretur, hoc genus utrunq; conspectum est, nondum absolute mutatum: nec alterutrum adhuc proprium ullum habẽs appellationis, Aristoteles & Zoroastres in Geoponicis 15. 1. Alia ratio ficedulis, quàm luscinijs. nam formam (uocem Aristot.) simul coloremq; mutant. hoc nomen non nisi autumno habent, postea melancoryphi uocantur, Plinius. ¶ Melancoryphi, genus auium, quæ Latinè uocantur atricapillæ, eò quòd summa earum capita nigra sint, Festus. Plinius etiam Græcum melancoryphi nomen retinuit. Atricapilla uulgò Italis capifuscula dicitur, Niphus. Et alibi, Atricapillam (inquit) aliqui duplicem esse uolunt, alteram paruam, quæ non mutatur in ficedulam: nam & hæc tempore ficedulæ uisa est, alteram paululum maiorem, quæ conuertitur in ficedulam, & hæc nunquam uidetur apparente ficedula. Atricapilla circa Ferrariam Italiæ capo nero nominatur, quanquam & parum maiorem alibi capo negro uocari audio. Gallicè piuoine. hæc maximè (inquit Petrus Bellonius) in Creta abundat per fruteta uolitans. & quoniam huius auiculæ caput caudaq; & pars corporis nigricant, à multis uulgò asprocolos (id est albicilla, leucopygos) per antiphrasin nominatur, (melampygus potius dicẽda,) nam alia quædam auis, propriè leucopygos (Bellonius Gallicè tantum scribit cul blanc) appellatur, quæ ueterum Græcorum œnanthe est. alij in Creta magis propriè atricapillam melanocephalum, eadem qua Latina uox est significatione, nominant. est autem eadem quæ ficedula, Gallis papasigho uel becasigo dicta, Hæc ille. Atricapilla Germanis, ut creditur, est ein Graßmuckle, Turnerus. Hanc in Anglia (inquit idem) nunquam uidi, neq; aliàs quàm semel Ferrariæ in Italia, &c. uide supra in Curuca A. Nostri appellant Schwartzkopff / die Graßmuck mit dem schwartzen kopff. caput enim ut audio, prima ætate eis rubet, deinde nigrescit, maribus duntaxat: fœminis uerò semper rubet. Eberus & Peucerus Germanicè (Saxonicè) interpretantur Münchlein/id est, paruum monachum, ni mirum à macula illa capitis rotunda. curucæ (inquiũt) simillima est, cinerea, uertice nigerrimo quale auriuittis habet. auriuittem uocant auem quam nostri Gilger/alij Gümpel/Goldfinck. ¶ Fecetola (Ficedula) auis quædam parua boni saporis, quam nominat Dioscorides (in capite de hirundinibus. Serapionis interpres eum locum transferens pro sycalide habet sophlidas, & apud Syluaticum sofadas, id est facetola: Auicenna omisit,) Syluaticus. Alchaugi, id est ficedula auis, Idem. Ficedulam Græci sycalida uocant, ac ampelida uel ampeliona quoq;, ut tradit Pollux, Hermolaus & Cælius. Ampelis & ampelion sit ne eadem quæ ficedula, nondum constat, Vuottonus. Nos plura de ampelide priuatim scripsimus in Elemento A.

¶ Beccefigas Itali quidam etiam alias quasdam aues nominant præter hanc de qua agimus luscinìæ seu curucæ similem, cui præcipuè hoc nomen debetur: nempe galbulam, quam aliter galbedro & reigalbulo uocitant, Græci hodie uulgo συκοφάγον, de qua suo loco dicemus: & galbulæ non multum magnitudine colore q; dissimilem auem picorum generis Plinio, nidum à ramis arborum suspendentem, quem oriolum barbari quidam nuncupant.

¶ Alter

¶ Alter ex ægithalis (id est paris auibus) à nonnullis ἐλαιὸς uocatur, ab aliis πεύας (πευὰς legit Vuottonus, qui locum hunc Athenæi mendosum suspicatur. uide num σαιζίας legi possit. est enim spizites ægithali species Aristoteli à magnitudine fringillæ dicta, ut accipiter spizias eidē qui fringillas uenatur,) & sycalis eo tempore quo ficus maturæ sunt: cuius alterum genus melācoryphum dicitur, Athenæus. Videtur autem pari & ficedulæ genus confundere, ea (ut conijcio) erroris occasione, quoniam ut ficedulæ species atricapilla est, sic & pari genus paruum atro uertice insigne conspicitur. unde ei & nomen apud nos Kolmeiß: & apud Italos quoſdā parus maior ab eodem capitis colore capo negro uocatur.

¶ Falluntur qui Albertum Magnum secuti, gallinaginem, id est beccassam Gallorum, ficedulam uocant: ut illi etiam (Gyb. Longolius) qui auem rubente pectore Güger à nostris dictam, quoniam capite atro sit atricapillam faciunt. Eberus & Peucerus ficedulam interpretantur auem phœnicuro adeò similem, ut nisi cauda differrent, quæ illi rubea, huic cinerea est, uix possent dignosci, Germanicè Schnäpfli, Wüſtling. prioris nominis causa est, quòd auidissimè hiantibus faucibus muscas & culices captet. Ego uerò hanc potius erithacum quàm ficedulam existimārim.

B.

Ficedula auis paruula est, Platinæ, Grapaldo & aliis. uide in A. Celsus lib. 2. cap. 18. Ex his (inquit) quæ uolatu fidunt, firmiores sunt (in alimenti ratione) quæ grandiores aues quàm quæ minutę sunt, ut ficedula & turdus. ¶ Propriū atricapillæ & luscinię præter cæteras aues, ut linguæ summæ acumine careant, Aristot. Eodem caret etiam rubro pectore auis quam dixi à nostris Güger appellari. Reliqua dicta sunt supra in A.

C.

Ficedulam & atricapillam uermiculis nutriri Aristoteles prodidit. qui uictus etiam nostris atricapillis uulgò dictis & currucis conuenit. sed autumni tempore ficubus etiam pingueſcit ficedula, & tum potissimū capi solet, ut Athenæus & Eustathius referūt. Ficuum esu pinguis fit, Varro de lingua Lat. Vuis quoq; uescitur teste Val. Martiali, hoc distícho: Quū me ficus alat, quum pascar dulcibus uuis, Cur potius nomen non dedit uua mihi? hinc & ampelidem eandem à uineis nominatam Cælius conijcit. ¶ Atricapilla in arboribus nidificat, Aristot. in cauis arborum sicut apud nos parix, Niphus. Atricapillam etiam plurima ædere aliqui referunt, sed post Africam struthionem. Iam uel decem & septem oua atricapillæ reperta sunt. Sed plura etiam quàm uigínti parit, & numero impari semper, ut narrant, Aristoteles & Plinius. Melancoryphus pullos tam diligenter alit, ut statim in nidis pinguissimi sint, cum è nido auolant matrem turmatim sequuntur, nec deseruntur ab ea donec sibi alendis sufficiant, Albert. ¶ Amerinæ flore atricapilla perit, Aelian.

E.

Ficedulæ capiuntur tempore ficuum, Athenæus & Eustathius. Κατίδας Græci quidam ficedulas nominant, & retia quibus capiuntur κατιδεῖα, Hesych. & Varinus.

F.

Ficedulæ pinguissimæ fiunt, & in Italia (ut audio) in magno pretio habentur. Apicius turdos & ficedulas bis uel ter simul nominat, tanquam aues ex æquo delicatas. Negant ullam auem præter ficedulam, totam comesse oportere, Gellius libro 19. Ficedularum, carduelium, reliquarumq; auium minutarum caro, si pingues sunt, modò non nidificent, boni alimenti est, Platina. Ficedula optima est autumno, propter alimentum eis tunc abundans, Galenus in Hippocrat. de uictu acut. ex auibus quæ uolatu fidunt, firmioris sunt nutrimenti quæ grandiores, quàm quæ minutæ, ut ficedula & turdus, Celsus lib. 2. ¶ Cærea, (id est pinguis) quæ patulo lucet ficedula lumbo Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper, Martialis. Si sapit, & calida aresci ficedula, quæris Cur piper? ut melius si bibis, inde coquas? Baptista Fiera. Hirundines uti ficedulæ in cibo (similiter scilicet paratæ, non quòd ficedulæ etiam oculos iuuent) aciei uisus medicamentum præbent, Dioscorides. Ficedulas implumes ac nullibi comminutas aut exenteratas, in folio uitis cum modico salis, fœniculi ac laridi inuolues: inuolutaq; cinere calido & carbonibus integes. Ante dimidiū horæ coquentur, assas si uoles, quaternas simul deuincies circa ueru capite & pedibus: ne si transfixæ fuerint, nil habeas quod comedas. Sunt qui in extrema coctura laridum his instillent, Platina. Apicius libro 6. cap. 5. describit ius pro coquendis & condiendis auibus diuersis, turdis, ficedulis, &c. Vide infra in Pauone F. de ficedulæ coctura. Athenæus lib. 4. in opíparo quodam conuiuio porcum assum appositum scribit turdis & ficedulis fartum: qualis etiam Apicij porcus hortulanus est.

H.

a. Ficedula antepenultima longa Martiali, Cærea quæ patulo lucet ficedula lumbo. Iuuenalis licentius corripuit Sat. 14. Mergere ficedulas didicit nebulone parente. Συκαλίδας Epicharmus dixit lambda duplicato propter uersum: communiter melius scribitur simplici, Athenæus. Colidis, id est ficedula auis, Syluaticus: uoce corrupta (ut apparet) à Græca sycalide. Κατίδες ficedulæ sunt, & κατίδεια retia quibus capiuntur, Hesychius & Varinus.

¶ Epitheta. Ἀγλαὰς συκαλίδας, Epicharmus. est autem ἀγλαὸν splendidū, cum aliâs, tum pinguedine lucens: unde Martialis, Cærea quæ patulo lucet ficedula lumbo. ¶ Μελαγκόρυφοι, οἱ ἐρυθρὰ περιεζωσμένοι. ἄμεινον δὲ νοεῖν οἱ ἄνθρωποι, Μελαγκεφάλους, μοιχούς, οὓς γύναικες ἀνθρώπους, Hesych. & Varinus. uidetur autem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 412 sur 825

poeta aliquis melancoryphos, id est atricipites appellasse homines libidini & scortationibus deditos, quòd noctibus fortasis laruati, uel capita obuelati, aut facie alieno colore picti, ne facile possent agnosci, uagarentur. ¶ Turdetani & Ficedulenses nominantur in Captiuis Plauti.

¶ c. Prouerbium illud Græcis usurpatum, Σῦκα φίλ' ὀρνίθεσσι, φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσι, id est, Gratæ auibus ficus sunt, sed plantare recusant, à ficedulis auiculis præcipuè ductum uidetur, quanquam & aliæ quædam aues, (ut dixi in A.) ficubus uescuntur. Eiusdem sensus est hoc apud Germanos iactitatum, Felis amat pisces, sed aquas intrare recusat: Die katz hat die fisch lieb / sy wil aber nit inns wasser.

¶ f. Et eodem iure natantes Mergere ficedulas didicit nebulone parente, Iuuenalis Sat. 14. Κρηπὶς, placenta ex farina & melle, in qua positæ erant aues ampelides aut ficedulæ assæ: quibus comesis placentam quoq; (crustam) iuri intritam edebant, Pollux. Quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, ficedulæ, turdi, &c. ante cœnam appositæ sunt, Macrobius. Tiberius Cæsar Asellio Sabino H. S. ducenta donauit pro dialogo, in quo boleti & ficedulæ, & ostreæ & turdi certamen induxerat, Suetonius. ¶ Augusto aues omnes ficedulæ sunt, (quia tum temporis plerq; pinguescũt uuis & ficubus,) apud Italos prouerbiali sensu dicit, & ad uarias sententias accõmodat.

¶ h. Emblema Alciati, sub lemmate paruam culinam duobus ganeonibus non sufficere.

In tenui spes nulla lucri est: unoq; residunt Arbusto geminæ non bene ficedulæ.

DE FRINGILLA SIVE SPIZA, ET PHRYGILO.

FRINGILLA auis dicta est quòd frigore cantet & uigeat, Festus. Sunt qui frigillam scribant ex recentioribus, n. litera omissa. sed melius uidetur cum n. scribi, nam Itali hodieq; in uulgari lingua sic scribunt. Quoniam uerò de fringilla apud ueteres Latinos aliud nihil legimus: & pauca admodum de spiza Græcorum, quam Gaza ex Aristotele fringillam interpretatur, (& dubium mihi est an fringilla nostra eadem quæ spiza Aristotelis sit, ut amplius dicam mox in mentione de fringillis diuersis) placuit ea seorsim conscribere, & subiungere quæ de fringilla hodie pleriſque omnibus dicta, obseruauimus. Auienus ex Arato spinum, ἀσπίνον, fringillam reddit inter signa tempestatis, hoc uersu: Si matutino fringilla resultat ab ore. ubi Aratus habet, Καὶ ἀσπίνος ἠῶϊα σαίνῃ. Acanthis ueterum Græcorum, auis est quæ Gallis serin dicitur (Germanis Zinßle) & recentioribus Græcis uulgò spinidia, Petrus Bellonius. Vide plura de spinis (uel spinijs, spinthijs, spinidijs Græcorũ,) supra in Acanthide H. Fieri quidem potest ut una auis tum spinos tum spiza dicatur Græcis, per onomatopœiam scilicet à uerbo σαίζω: præsertim Arato etiam scribente, Καὶ ἀσπίνος ἠῶϊα σαίζῃ. quanquam uerbum σαίζειν etiam extendere significat, unde σαιδαμὰ dicta extẽsio digitorum, & aspis scutum rotundum, non extensum in longitudinem apud Eustathium. Σπίζια dicuntur quælibet aues, Hesychius: nimirum minores duntaxat: ut passeres apud Latinos. Σπίζα sanè Aristoteli speciẽ certam significat, pro qua Gaza fringillam reddit. Hæc (inquit Aristot.) uermiculos petit: æstate tepidis, hyeme frigidis locis degit, contra quàm turtur. magnitudine est fringilla æqualis auí floro: oro spizæ, id est fringillæ montanæ non admodum dissimilis, magnitudine quoq;, qua & spiziten ægithali, id est pari speciem refert. ¶ Spiza auicula est passeri similis, Hesychius & Varinus. ¶ Σπιζίτης, εἶδος ἀιγιθάλου (lego ἀιγιθαλοῦ. Varinus etiam corruptius habet ἀιγιαλίτου) ὀρνέου, Hesychius. id est, Spizites (Gaza fringillaginem uertit,) ægithali auis species est. De accipitre spizia, id est fringillario, dictum est inter Accipitres.

¶ Est & phrygilus seu phregilus auis, cuius in Auibus Aristophanes meminit. Si quis (inquit Chorus auium) fugitiuus & stigmatias è uobis est, attagãs apud nos uocabitur: sin Phryx barbarus non minus Spintharo, phregilus (φρυγίλος, malim φρυγίλος ut infra etiam, & sic magis fiet allusio ad Phrygem. & Suidas quoq; hoc loco φρυγίλος legit. Varinus in Sabazio phrygilos oxytonum legit, cum Scholiastes Aristophanis è quo transcripsit paroxytonum habeat) auis apud nos erit, de genere Philemonis. nam Philemõ etiam (inquit Suidas) tanquam Phryx & peregrinus notabatur. Καὶ φρυγίλῳ σαβαζίῳ, Idem poeta paulò pòst. ubi Scholiastes iterum monet phrygilum auem esse, & Sabazium, id est Bacchum iocosè ita cognominari, quoniam Phrygum deus esset. Frigellus auis nominatur in uersibus Salernitanis inter eas quæ in cibo laudantur. Arnoldus Villauonanus auem interpretatur quæ uuis uescatur, & inebrietur etiam, uelocis uolatus, sturno similis, sed melioris nutrimenti, circa uineas frequens, initio Nouembris præferenda.

QVAE DE FRINGILLA RECENTIORES scripserunt.

A.

FRINGILLA Italicè franguello dicitur, uel frãgueglio. Fringilla Græcis ueteribus spiza dicta, hodie in Græcia fringilaro uocatur, Italis fringuello, (frenguelo) Gallis pinson, Petrus Bellonius. Audio autem pinson Gallicè dici hanc auem à pungendo, quòd rostro pungens etiam uulneret interdum. aliqui guinson appellant, Sabaudi quinson. nec scio

scio an eadē sit, quæ (nisi fallor) alicubi frinson dicitur, quidam beree interpretatur. Eberus & Peucerus Germanicè Finck, Rotfinck: nostri plerunque Büchfinck uocitāt. Tertium carduelis genus Vinche uulgò dicitur, Albertus. Anglicè schaffinche, (uel finch, ut alij,) a sheld appel, a spink, Turnerus. Eliota interpretatur ruddocke, robin, redbrest, quę nomina Turnerus rubeculæ siue erithaco tribuit. Illyrijs pinkawa uel pienkawa. Polonis slowick.



B.

Vinchæ aui pectus omnino rubet instar flammæ, Albertus. colore obscuro & nigricante rubet, Eberus & Peucerus. Fringilla passerem magnitudine æquat: uarijs coloribus, albo nempe, uiridi & ruffo distincta est. maris pectus rubescit, fœminæ pallescit, (pallidius & dilutius est,) Turnerus. Fringilla toto corpore candida aliquando uisa est.

C.

Fringillas puto apud Latinos nomen accepisse, quòd in frigore plures conuolantes cernantur quàm æstate, Turnerus Anglus. In Heluetia nostra per hyemem recedunt, fœminæ præsertim. mares enim aliquando complures simul apparēt sine ulla fœmina. Gregatim uolant ut & reliqua carduelium genera, Albertus. ¶ De cibo earum dicam mox in mentione uinconū diuersorum. ¶ Nidulantur in summis fruticum ramis, aut arborum infimis, nidumq; intus ex lana, foris q; ex musco faciunt, Turnerus. Vtuntur ad nidum suum etiam aranearum filis. ¶ De cantu earum uide mox in E. ¶ Cum uisum caueis inclusæ amiserint, aucupes eis nescio quomodo herba beta mederi audio.

D. & E.

Fringillas non facile capi audio. quomodo capiantur leges supra in Carduele E. ex Alberto. ¶ Fringillæ (ut Rob. Stephanus Gallicè scripsit) hunc ferè in modum capiuntur. In loco plano, ubi fringillæ præteruolare solent, tres arbores resectæ eriguntur, parum inter se distantes (en trepied,) hæ frondibus infrà cinguntur instar attegiæ. per medium funis extenditur perticæ alligatus, ab altera parte sustinetur furca, & è longinquo tenetur ab aliquo homine. Funi duę aut tres fringillæ annexæ sunt. Virgulæ etiam uisco illitæ per arbores disponuntur, & non procul inde duabus uel tribus caueis inclusæ fringillæ collocantur, quæ præteruolantes uoce alliciant. Illectæ illæ dum curiosius fringillas à fune pendentes uel caueis inclusas inspiciunt, uisco capiuntur. ¶ Cantat mas primo uere, Turnerus. Carduelcs aues omnes canoræ sunt, sed præcipuè quæ per excellentiā sic uocantur, deinde spini, tertio fringillæ, postremo linariæ. Omnes caueolis inclusæ cornu suspensum rostro trahunt ut bibant, sed à potu temere delabi sinunt, Albertus. Aucupes aliqui fringillas æstate tota loco obscuro includunt, aluntq; sub hyemem uerò uel autumno, extrahunt canoras. canere autem incipiunt cum lucem reuisunt (alioqui id temporis mutæ sunt) utuntur q; ita ad retia pro reliquis auibus illiciendis.

DE FRINGILLIS SEV VINCONIBVS DIVERSIS.

AVCVPES nostri fringillam Italicam quandam nominant, nescio quid à cōmuni nostra differentem. Vt carduelis nomen Albertus commune facit tribus aut quatuor auicularum generibus, quæ omnes canoræ sunt, & carduorum alijs q; seminibus uescuntur: ita & Germanicam uocem uinco (nostri Finck proferunt) de ijsdem ferè omnibus usurpat. nam carduelem, quæ hoc nomen per excellentiam sibi uendicat, uinconem carduorum appellat, Distelvinche, ut uulgò etiā hodie Germani. & zisselam nostram, id est spinum, qui minimus carduelium est, aliàs in uinconum genere numerat, (Genera, inquit, uinconū apud nos sunt, aues ceycos [lego Zeyßle] dictæ apud nos: & uinco carduí, &c.) aliàs simpliciter uinconem nominat, Germanicè sichendulam (nisi corrupta uox est à librarijs) per onomatopœiam. Rubeum uerò uinconem à colore pectoris (Rotfinck) eum uocat, quem nos uinconem simpliciter, aut uinconem fagorum. Omnia hæc genera, inquit, edunt semina spinarum albarum, & rosarum & herbarum: & maximè semen papaueris & lappæ & huiusmodi. Iam cum Aristoteles acanthophagas, id est carduorū seminibus uictitantes aues, neq; uermem neque animal ullum attingere scribat, spizan uerò inter uermiuoras numeret, dubitari potest, an fringilla nostra Aristotelis spiza sit. quamobrem quæ Græci de spiza prodiderunt, separatim supra conscribere uolui. Auem cui caput atrum, pectus omnium maximè rubrū, lingua sine acumine, Güger à nostris dictam, aliqui Germanicè Goldfinck & Lobfinck nominant, alij Blütfinck: infe-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 414 sur 825

riores Germani quidam **Goutuinck**. Galli quidam chloridis auiculæ genus, quam nos supra citrinellam, quinson uerdier nominant, ut audio, id est fringillam uiridem.

DE FRINGILLA MONTANA.



MONTIFRINGILLA, ὀρεοσπίζης, nomen accepit à montibus in quibus degit, fringillę similis & magnitudine proxima, sed collum habet cœruleum. in montibus degit, uescituráp uermiculis, Aristot. Fringillæ, id est ueterũ Græcorum spizæ, à recentioribus Græcis fringillari uocantur: & similiter orospizæ, id est fringillæ montanæ, quæ Gallis uulgò dicũtur montans uel pinsons d'Ardaine, Petrus Bellonius. Montifringilla (inquit Turnerus) Anglis appellatur a bramling: Germanicè **ein Rowert** (uel **Schneefinck**/ **Winterfinck**, id est fringilla hyberna aut niualis, Eberus & Peucerus.) hæc auis fringillæ magnitudine & corporis figura similis est: sed mas in collo plumas habet cœruleas, quas non æquè promptè in fœmina deprehendas. Rostrum luteum est, & alæ uariis coloribus, albo, nigro & luteo distinguũtur, ut auriuittis (sic uocat carduelem uulgò dictam.) Vox illi insuauis & stridula. Nostri eandem aut proximam auem uocant **Waldfinck**/ id est fringillam montanam: & **Thañfinck**/ id est fringillam abietum, cuius figura est quam damus. alæ ei duabus transuersis lineis ex ruffo flauescentibus distinguuntur, media linea nigra interiecta: sunt & lineæ duæ angustiores albæ, sub luteis statim. Magnitudine fringillam excedit: color in capite, dorso & cauda nigrior quàm fringillæ. supina pars albicat. pectus cum gutture nonnihil ruboris habet, &c. ¶ Itali quidam etiam coccothraustem nostrum franguel montagno, id est fringillam montanam uocitant: uel, ut alij proferunt, frenguelo montanino: ut ex eisdem nonnulli auem cui caput atrum, pectus omnium maximè rubrum, linguæ acumen nullum.

DE FVLICA VETERVM.

A.

FVLICA, quæ & fulix dicitur, marina uel stagnensis auis est, ut grammatici quidam scribunt, paulò supra magnitudinem columbæ: dicta à furuo, id est nigro. Chasida Hebraicam uocem aliqui fulicam interpretantur. uide in Ciconia. Cepphum Theodorus Gaza Latinè fulicam reddidit. sed quoniam an rectè id ab eo factum sit, non satis mihi constat, & quæ hodie fulica à plerisq; populis, qui Latinæ linguæ uestigia retinuerunt appellatur, nihil cum laris aut cepphis commune habere uidetur, priuatim de singulis quæ apud authores obseruata mihi sunt, tradere uolui. Larius lacus est Galliæ cisalpinę uicinus alpibus, à fulicarum quæ ibi sunt multitudine appellatus. Græci enim láron fulicam uocant, Perottus. Schachaph Hebraicam uocem Deute. 14. Septuaginta láron interpretantur, Hieronymus fulicam. Vide in Bubone A. Ego larum & cepphum aues congeneres esse puto, & cepphum lari speciem esse. uide supra in Ceppho A. Phalaris auis, ut scribit Kiranidæ interpres, quæ dicitur alba frons. nam tota nigra est, & frontem solum albam habet. inuenitur autem in fluminibus & stagnis. Aggregator folegam interpretatur, id est fulicã. Sed plura de phalaride scripsi supra inter Mergorum genera post anates. Vergilius fulicas appellat aues, quas Aratus ęthyias, Ioach. Perionius. sed nos æthyias omnino mergos esse suo loco docuimus. Gaza in libro Aristotelis de communi animalium gressu pro Græco φῶσδοι uertit, fulicæ uel potius ardeolæ, quasi dubitans utro modo rectius uerteret. Ἐρωδιὸν fulicam transfert Augustinus: & Lycophronis interpres larum esse scribit: Ambrosius etiam fiurnum, quem tamen Græci non erodion, sed psãra dicunt, Cælius. Nos erodiòn ardeam esse sine dubitatione asserimus. Diomedeas aues fulicarum similes esse Plinius tradit, & secutus illum Solinus. ego fulicas illos pro erodijs ex Græco aliquo scriptore uertisse suspicor, ut supra in Diomedeis dixi. Sunt etiã qui phenen, id est ossifragam pro fulica accipiant imperitissimè, (uide suprà in Ossifraga,) quos etiam Albertus reprehendit. Denicp interpres Galeni Euporiston 3. 282. pro nessa, hoc est anate, fulicam uertit.

B.

Fulicæ sunt aues aquaticæ, anatibus paulò minores, sed corporis forma cõsimiles, Seruius. Sic & Albertus, Fulica est qui mergus niger uocatur, anate minor. Auis est nigra, aquatica, uulgò nota,

nota, paulò ſupra magnitudinẽ columbæ, Perottus. Fulicæ leues & paruæ, ut Textor citat, à poetis quibuſdam cognominantur. A furuo, id eſt nigro, dicitur fulica, Perottus. Cana fulix, Vergilius. ¶ Fulicarum generi natura (in capite) cirros dedit, Plinius. ſed hoc forte de ardeis potius intellígendum eſt. uidetur enim Plinius (ut in A. oſtendi) pro erodijs Græcorũ quandoq; fulicas tranſtuliſſe. Plinius ubi ex autoritate Iubæ Diomedeas aues fulicis ſimiles albas eſſe tradit, uidetur fulicas omnes albas facere. nam non de eo quod rarius, ſed frequentius accidit, in genere loquuntur claſsici ſcriptores, Turnerus.

C.

Paluſtres fulicæ, Ouidius 8. Metam. Vergilius marinas fulicas dixit ad diſcretionem fluuialium, Seruius. Nidulantur & lari & fulicæ in eiſdem locis, in excelſis nempe petris & marinis rupibus, Turnerus.

E.

Fulicæ matutino clangore tempeſtatis ſigna ſunt, Plinius. Cana fulix itidem fugiens è gurgite Ponti Nunciat horribiles clamans inſtare procellas, Cicero 1. de diuinat. Marinæ In ſicco ludunt fulicæ, Vergilius 2. Georg. inter ſigna tempeſtatis. Follatæ ſiue follegæ & anates tam ſylueſtres quàm domeſticæ, quatientes alas, aquam ſignificant; ſubmergentes uerò ſe & alas quatientes, uentum præ ſe ferunt, Obſcurus.

G.

Ad araneorum morſus: Renes leporis & fulicæ eius beſtiæ, qui ab araneis laborat ſi crudos deglutiat, ſanabitur: morſis etiam cocti dentur, Sextus. Aiunt quidam cor crudæ æthyiæ (fulicæ uertit Craſſus) ad comitialem prodeſſe; Aretæus.

¶ H. a. Epitheta. Leues, Marinæ, Paluſtres, Paruæ, Vagæ, apud Textor. Cana fulix, Verg.

DE FVLICA RECENTIORVM.



A.

FVLICA quæ hodie apud Italos, Gallos & alios quoſdam hoc nomen habet, etſi à nõnullis corruptum, ſiue eadem eſt quæ ueterum fulica, ut ego exiſtimo: ſiue diuerſa, ut quidam ſuſpicantur, ſeparatim hîc nobis deſcribetur. A Græcis hodie λῆφα per metatheſin dicitur. Italis folega, unde etiam indocti quidam, Aggregator & alij, in Latinis libris folega;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 416 sur 825

follega & follata ſcribunt: Arnoldus Villanouanus fulſa uel fulca. Sed audio duas eſſe aues apud Italos folegæ nomine, minorem de qua hîc agimus: & maiorẽ, quæ in arboribus nidificet ac piſces tantos ferè deuoret quanta ipſa eſt: quam ego phalacrocoracem uel coruum aquaticum Ariſtotelis eſſe conijcio. ¶ Galli nominant foulque, (Monſpeſſuli hoc nomine marinas tantum quaſdam aues uocari audio diuerſas à noſtris) alij foucque aut foulcre: Pariſijs etiam diabolũ à colore nigro, alibi pulle d'eau, id eſt pullum aquaticum, ut Itali etiam circa Verbanum lacum polun uel pullon, & rurſus Galli quidam gelinette, quod nomen alij attagenæ noſtræ tribuũt, ut hæc melius cum additione dicatur gelinette d'eau. Bellonius Gallus fulicam Italis dictam, gallinã aquaticam eſſe ait, totam nigram. alij iodelle uel ioudarde. Neocomi belleque. ¶ Heluetij ein Bőllhinen, uel Belchinen. circa lacum Acronium ein Belch: quæ nomina facta uidentur, uel ab Italicis folega, pullon: uel Gallicis, pulle d'eau, belleque. alij Flotn, circa Francfordiam ad Mœnum: alij à macula alba frontis quæ raſum ſacerdotis uerticem refert, Pfaff: Sueui Bleß, Bleſſing. Georg. Agricola interpretatur Waſſerhũn, id eſt gallinam aquaticam, quod corporis magnitudine ad gallinam accedat, unde & Rothennle alicubi appellatur, id eſt gallina harundinum. Alberto Magno pullus aquæ. In capitibus quarundam auium (inquit) eſt ſubſtantia dura, media inter carnem & cartilaginem, ut in capite galli & gallinæ. in capite etiam pulli aquatici auis nigræ, tale quiddam eſt album, quod non erigitur, ſed ſuper uerticem capitis eius iacet inſtar galeæ albæ. Et alibi, Anas maior eſt pullo aquatico. Sunt qui fulicam Germanicè reddant Hagelganß, id eſt anſerẽ grandinis, neſcio qua ratione. alij Taucher, id eſt mergum, nimis communi uocabulo. alij Schwartztaucher, id eſt mergum nigrum. Fulica eſt qui mergus niger uocatur, anate minor, Albertus lib. 23. in Aquila. Et rurſus in Fulica, Eſt (inquit) de genere mergorum, in mari & circa ſtagna degẽs, nec uagatur per diuerſa uolitans, ſed in loco generationis ſuæ manet. cadaueribus ueſcitur, & tempeſtate gaudere uidetur. Tunc enim in profundum maris natat & ludit. nidificat in petris quas aqua circunfluit: ubi & ciborum theſauros recondit, unde etiam extraneis auibus liberaliter impartitur, Albertus & partim Phyſiologus. Fulica ſtagnis gaudet, eſca & pace contenta, nec locum, in quo hæc ſuppetant, deſerit, Phyſiologus. Ego Albertum mergi nigri & fulicæ nomine non fulicam noſtram de qua ſcribimus, ſed larum nigrum accipere arbitror, de quo ſuo loco agetur. Rurſus fulicam noſtram Roſtochij uocãt Zapp. Hollandi ein Meercoot. lacum illi ſua lingua meer, id eſt mare appellant. Sed dubito an hæc ſit fulica maior potius, uel phalacrocorax. nam à Friſijs genus fulicæ maius & marinum, audio nominari Marcol. has ferunt coruorum inſtar exoſas eſſe, quòd cadaueribus paſcantur, inter arundines parere. nidum ab accolis perforari, oua eximi uno tantum relicto in abſentia matris, illam reuerſam oua per foramen decidiſſe ſuſpicari, & alia parere: ijſq; rurſus ademptis alia, donec effœta tandem exhauriatur, emoriaturq;, niſi maturè oua quæ pepererit in nido ei relinquantur. Alij oũa eius nido eximi aiunt uno tantum relicto, ſecus enim non redire eam. De aue ſimili noſtræ fulicæ, quæ Anglis dicitur a coote, mox priuatim mẽtio fiet. Eliota Anglus phalacrocoracem interpretatur a water crowe, (id eſt cornicem aquaticã,) uel a coote per coniecturam. Sunt qui fulicam interpretẽtur Germanorum kyuuittam (Gyſtitz, uanellum) quæ cum nec marina ſit nec aquatica, fulica eſſe nequit. Non deſunt qui fulicam, gallinam illam nigram aquaticam, alba in fronte macula eſſe uolunt, ſed iſti Vergilij & Ariſtotelis autoritate facile erroris conuincuntur: quorum ille auem facit marinam, hic lib. 8. hiſt. anim. apud mare uiuere teſtatur. Quare quum paſtris illa gallina neq; auis ſit marina, neq; apud mare victum petat, ſed in ſtagnis, paludibus & recentibus aquis perpetuo degat, nec Vergilij fulica, nec Ariſtotelis cẽpphos eſſe poterit, Turnerus. Atqui an Gaza pro ceppho rectè fulicam uerterit, non conſtat. & fulicam duplicem eſſe nihil fortaſsis prohibet, aliam marinam, aliam dulcium aquarum, ut & larus apud Græcos. Certum eſt eam quæ fulica hodie ab Italis dicitur, in aquis dulcibus agere. Fulica (inquit Niphus Italus) eſt auis ſtagnenſis uel lacuſtris, paulò ſupra magnitudinẽ columbæ, à furuo, id eſt nigro colore. Seruius quoque fulicas aliquas fluuiales eſſe teſtatur. & Vergilium æthyias ex Arato fulicas tranſtuliſſe obſeruatum eſt. ¶ Fulica noſtra Illyrijs, ut audio, lyska dicitur: etſi quidam phalacrocoracem interpretentur, uel coruum aquaticum. Polonis kacza uel dzika. ¶ Obſcuri quidam authores fulicas cum Diomedeis auibus confundunt.

B.

Fulica noſtra, quam dum hæc conſignarem manibus tractaui, magnitudine eſt gallinæ, colore nigro per totum corpus, in collo quidẽ & capite atro, id eſt nigerrimo, roſtrum ex albo ſubrubeſcit: ſynciput glabrum eſt, figura ouali, alba pellicula intectum, caluitij ſpecie. Ventris plumæ molles & conferctæ ſunt, colore cinereo. alarum ſuperior ambitus per anguſtam lineam albicat. Digitis pedum membranæ nigræ latæ adhærent, non (ut in reliquo ferè palmipedum genere) continuæ, ſed diuulſæ, ut in colymbis magnis ac paruis: ſed hoc peculiare habent, quod ſecantur utrinq;, aut ſaltem ab altera parte, iuxta digitorum articulos, præſertim in medio, internodia membranarum ſemicirculos ferè conſtituunt. Color pedũ pullus, ſupra genu uerò ubi deſinunt plumæ, pars femoris in ambitu ex uiridi flaueſcit. Collum oblongum, cauda breuiſsima. Reliqua leges in A.

C.

Fulicæ (maiores puto & marinæ tantum, quę forte phalacrocoraces fuerint) demordent arundines, do-

nes, donec paululum adhuc extent supra aquas, & super stipitibus nidos construunt, ut audio.

F.

Anates & fulcæ (fulicæ) magis per autumnum cõueniunt: sed corporibus temperatis nunquam expedit anatibus aut fulcis uti, Arnoldus Villanou. Fulicæ nostræ nescio quid graue & palustre olent plerunq;. quamobrem à peritioribus elixantur primo in olla aperta, ut odoris uirus exhalet, deinde assantur condiunturq;.

DE SIMILIBVS FVLICAE NOSTRAE AVIBVS, primum Cotta Anglorum, deinde Rallo Italorum, cuius hæc icon est.

FVLICAS nostras in Anglia nullas esse audio: sed similem eis forma & colore auẽ quæ uulgò cotte uel kut appelletur, in fluuijs & stagnis reperiri, magnitudine paulò minorem: cuius rostrum tuberculo quodam rubeo insigniatur, crura etiam rubeant, nulla syncipitis macula. hanc negant diutius posse uolare, quàm pedis cauo hausta (priusquam uolet) aqua retineatur. urinando ad aquæ fundũ usq;, alga, limo, gramine, paruisq; cochleis se nutrit, piscibus abstinet. Cæterum auis quam Hollandi nominant **ein Meercoot** phalacrocorax uel fulica maior uidetur. Vide supra in Fulica recentiorum A.

¶ Misit ad me nuper Geor. Fabricius pictam auem fulicæ nostræ persimilem, undiquaq; nigram, nisi quod infra oculos utrinq; alba macula rotunda apparet, caluitiũ in syncipite nullum, rostrum quoq; & crura nigra sunt: cum illud in nostra albicet, hæc fusca sint. Apud Misenos nimium cõmuni nomine **ein Wasserhũn**, id est gallina aquatilis appellatur.



DE RALLO ITALORVM.

RALLVS magis aquatica est auis, q̃ terrestris, ac Mæstris, (rure Venetijs non multum distante) magnis capitur expensis, falconũ scilicet, accipitrũmue, ac famulorum cateruæ, qui uenaticorum canum uice, cothurnis induti per aquas illas modo hac, modo illac errantes, uolucres illas quibusdam fustibus exturbent, nonnullos frutices, & arbusculas quas incolunt, concutientes, quò ita postmodum præda sint falconum insidijs. Celeberrima quidẽ est hæc auis inter proceres illius ciuitatis: uerum, iudicio meo, multò, & turdo, & coturnice gustu inferior, Aloisius Mundella archiater Brixiensis in suis ad me literis, à quo iconem quoque accepi. Differt hæc à nostra fulica quòd in alis & circa oculos plus albi coloris habet, rostrum nigrum, crura subuiridia, membranas inter digitos non ita dissectas, caluitium nullum, quantum ex pictura assequor.

DE AVIBVS, QVARVM NOMINVM initialis litera est G.

DE GALBVLA VEL Galgulo.

DE Galbula galgulóue aue, (unã enim utroque nomine appellari arbitror, ut postea doce-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 418 sur 825

bo,) quoniam recentiores non parum dissentiunt: primum quæ apud ueteres tradita inuenio, seorsim conscribam. ¶ Auis icterus uocatur à colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, & auem mori. hanc puto Latinè uocari galgulum, Plinius. Et alibi cum pici meminisset illius, qui in furculo arboris nidum suspendit cyathi modo, subdit: Galgulos quidem ipsos dependentes pedibus somnum capere confirmant, quia tutiores ita se sperant, (nos alias etiam aues, caueis inclusas hoc facere uidimus, ut thraupides, non tamen perpetuo:) unde apparet galgulum Plinij aliam esse auem quàm genus illud pici quod nidum suspendit, cum recentiores quidam confundant. Galbula decipitur calamis & retibus ales, Turget adhuc uiridi cũ rudis uua mero, Martialis lib. 13. Idẽ seorsim eodem libro de ficedula scribit, unde erroris conuincuntur illi qui galbulam cum ficedula confundunt.

¶ Gaza ex Aristotele aliàs celeòn, galgulum uertit, de quo supra scripsi in Auium nominibus quæ à C. incipiunt. uidetur autem gallinaginis aquaticæ genus. aliàs κολιὸν, quem omnino picum uiridem uulgò dictum existimo, de quo inter picos agemus. Sed nominum similitudo illum, ut conijcio, decepit.

¶ Sunt qui oriolum auem ut barbari nominant, id est uideuallum Germanorum, galgulum esse putent. sed uideuallus pici genus est, nidos à furculis arborum suspendens, quod Plinius, ut paulò antè scripsi, à galgulo seperat. ¶ Galgulum quidam à galbula differre putant, ut galbula uel galbulus sit icterus, Eberus & Peucerus. Ego sanè differre non puto. nam quæ uulgò regalbulus hodie Italis dicitur, quod nomen à galbula factum est, galguli etiam siue icteri colorem pallidum & luridum refert. Plinius enim luridum hanc alitem uocat. Icterias gemma (inquit) aliti lurido similis, ideo existimatur salubris contra regios morbos. facit autem huius gemmæ genera quatuor. Luridum grãmatici interpretantur quod supra modum pallidum est, quasi lorídum & loro percussum. Lurida præterea fiunt, quæcunq; tuentur Arquati, Lucretius lib. 4. Sunt qui icterum morbum non ab aue icthero nominatum uelint, (quam aliqui charadrium interpretantur, mihi quidem non placet: uide supra in Charadrio A.) sed à quadrupedibus feris quas Græci ictidas (Latini uiuerras uel martes, ut interpres addit) appellant, Aretæus. ἰκτερὸς à multis oxytonum scribi reperio, sed Oppiani codex noster in Ixeuticis properoxytonum facit. Icterus (inquit) auis quædam à colore nominatur, quã si quis huius nominis morbo detẽtus inspexerit, mox integrè à morbo liberabitur.

¶ Charadrium galbulam aliqui Germanicè interpretantur Gelbling/ quo nomine auem coloris ferè lutei de genere passerum, spermologum, (ein Emmeritz/) aut similem appellari puto, ut illam quæ Gaulammer dicitur alibi: Geor. Agricola Hemmerling appellat, & galgulum interpretatur. Quidam nuper auem, quam mihi loxian appellare placuit, ueterum galgulũ esse cõijciebat.

¶ Ego omnino galgulum galbulámue nullam ex hactenus dictis auibus, sed peregrinam Germaniæ auem esse dixerim, quæ Italicè circa Bergomum galber (galberius, authore Calepino) uocatur: Venetijs etiam becquetigo à quibusdam, sed impropriè, ut & oriolus auis pici genus, (cui similis est:) cum ficedula tantum luscíniæ similis propriè sic appelletur: (sed quidam etiam Latinè, ut dixi, galbulam cum ficedula confundunt: & Græcos hodie galbulam συκοφάγον nominare audio. nam ficubus etiam uescitur, non uermibus tantum & muscis.) alibi rigey & reigalbulo, uel reigalbero, ut circa Bononiam, alibi galbedro. circa Ferrariam galbedro, uel meleziozallo. Galbula quam Bononiæ uidi circa initium Augusti mensis, magnitudine erat turturis ferè, aut turdi & forma simili, colore partim luteo per dorsum, partim luteo cum uiridi mixto cõstabat, præsertim circa caudæ initium. alæ superius nonnihil obscuræ, inferius fuscæ & nigricantes. pedes fusci. idem color in collo prono, & pectore. uenter albicans lineis per medium nigris distinguebatur. pennæ sub alis minores, luteæ, maiores inferioresq; fuscæ erant. cauda quatuor aut quinq; digitos longa. Hanc fœminam fuisse puto. uidi enim postea alias colore elegantiore magisq; luteo, qui mari conuenit. Rursus aliàs cum uiderem galbulum, uidebatur mihi oriolo pico similis, sed minus flauus, & colore potius mixto ex uiridi, fusco flauoq; constare. Niphus Italus galgulum apud Aristotelem ex interpretatione Gazæ, à rusticis uulgò grallum uocari docet, sed alibi meropẽ quoq; grallum uocari scribit. ¶ Cæterum de Græco apud ueteres galguli nomine non satis mihi constat. conijcio tamen chlorionem esse, cum & color & turturis magnitudo conueniant. Sit ne aliqua naturæ affinitas inter galgulum & oriolũ picum, ac forte etiam meropem, ut conijcio, consyderandũ alijs relinquo.

¶ Auium quædam trimestres sunt (id est tres menses tantum nobiscum manent) ut turtures, & quæ cum fœtum eduxêre abeunt, ut galguli, Plinius. ¶ Galgulum (κολιὸν) crex impugnat, nocet enim tum ipsi tum pullis, Aristot.

¶ C. Iulij Cæsaris futura cędes euidentibus prodigijs denunciata est. Pridie Martias idus auem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, uolucres uarij generis ex proximo nemore persecutæ, ibidem discerpserunt, Suetonius. Regaliolus auis est, quam Plinius scribit appellari regem auium in Italia. alij putant galgulum, quæ auis Græcè dicitur ictheros à colore, Calepinus. ego apud Suetonium pro regulo potius acceperim, ut in Cæsarem ac regẽ auis etiam regiæ omen magis conueniat. & forte regaliolí nomen uulgus fecit, ceu diminutiuum à regulo, quod rursus à rege diminutiuum est. auicula enim omnium minima tale nomen meretur. Qui galbulum putant, coniecturam fecêre nimirum à uulgari hodie apud Italos nomine, quo hanc auem hodie aliqui

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 419 sur 825

qui regalbulo uocant. Gerardus Cremonenſis quidẽ in Kiranide pro charadrio transfert regulum, auem enim regiam charadrium eſſe Kiranides ſcribit, nimirum quòd à regibus ad huius morbi curationem requireretur. Sed certè galgulus non eſt charadrius Ariſtotelis, uide in Charadrio A.

¶ Friſij auiculam fringilla minorem, pectore luteo, cauda oblonga, iuxta aquas degentem ſua lingua nominant Gielſincke, hoc eſt fringillam luteam, hanc Chriſto oculos in cruce eruiſſe nugantur aniculæ.

DE GALLO GALLINACEO, ET IIS OMNIBVS quæ ad Gallinaceum genus in genere pertinent, quorum aliqua interdum ſub gallinæ nomine apud authores proferuntur.



A.

GALLVM ſimpliciter & cum adiunctione gallum gallinaceum, & gallinaceum quoque ſimpliciter pro eadem aue apud ueteres & probatos authores legimus, Plautum, Varronem, Ciceronem, Plinium, Lampridium, alios. Plinius etiam gallinaceum genus dixit, pro gallis, gallinis, earumq; pullis, cum ait: Seminarium munitum ſit ad incurſum gallinacei generis. Gallinaceos uocant totum hoc genus auiũ, quod de gallinario deuolat, Gyb. Longolius. ſed nos gallinarum quàm gallinaceorum nomen frequentius ab authoribus pro genere toto uſurpari animaduertimus: ut cum dicunt gallinarum multa eſſe genera, uillaticas, Tanagræas, Rhodias, Africanas, &c. nimirum quòd in hoc genere fœminæ ſemper plures propter partum alantur, mares perpauci, quòd unus fœminis multis ſufficiat. Gallum gallinaceum Albertus & alij linguæ Latinæ imperitiores, capum hoc eſt gallum caſtratum interpretantur: Iſidorus etiam gallum ſimpliciter, nam gallos (inquit) ueteres caſtratos uocabant. Ad quod alludit etiam Martialis, gallum à caſtratione ſcribens propriè gallum uocatum iri, ſed is iocatur. Conſtat ſanè idoneos ſcriptores omnes, galli & gallinacei nominibus ſiue iunctim ſiue ſeorſim, de gallis mari. id eſt non caſtratis uſurpaſſe. Gallinæ trium ſunt generũ, uillaticæ, & ruſticæ, & Africanæ. è queis tribus generibus proprio nomine uocantur fœminæ, quæ ſunt uillaticæ, gallinæ, mares galli: capi ſemimares, quòd ſunt caſtrati, Varro & Columella. Et alibi Varro, Canterij appellantur in equis, quòd ſemine carent: in ſuibus maiales, in gallis gallinaceis capi.

¶ Barbur, ברבור, 3. Reg. 4. Dauid Kimhi ex magiſtrorum ſententia ait eſſe aues quæ afferantur ex Barbaria, R. Salomon gallos pingues, Kimhi addit caſtratos. Ioſephus uolatilia uertit, Hie-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 420 sur 825

ronymus auium altilium, Septuaginta ἐκλεκτῶν, (quasi legerint barur, id est electus:) Chaldęus auem saginatam uel altilem. Gaber uel geber, גבר, Esaię 22. (Ecce dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, interprete Hieronymo.) Septuaginta & plærique Hebræorum uirum interpretati sunt, (quidam תרנגולא, tarnegula, id est gallinaceum, teste Dauid Kimhi in Commentarijs,) Chaldæus gabera, גברא, id est uirum. Sarsir, זרזיר, Prouerbiorum 30. uariè exponũt, Hieronymus gallum. uide in Aquila A. Quis posuit in renibus sapientiam, aut quis dedit cordi (ut Munsterus uertit Iob 38. Hebraice legitur שכוי, sekui) intelligentiam? Sunt (inquit Munsterus) apud Hebręos, qui uocem sekui, tarnegul (תרנגול, uocem Chaldaicam esse conijcio, cuius ultima syllaba Germanicæ galli nomenclaturæ congruit) id est gallum interpretantur. Dauid Kimhi, Abraham Esre, Chaldaicum Thargum utrunq;, R. Symeon ben Lakis in Thalmud, & R. Moses in commẽtarijs in Iob gallum reddunt: Hieronymus itidem. Septuaginta ποικιλτικὸν. Eruditus quidam apud nos mauult cum R. Leui animæ potẽtiam imaginatiuam intelligere. Munsterus in Lexico trilingui pro gallo scribit etiam סבוי, sikui: & pro gallina סבויא, sakuia. & rursus pro gallo nergal, נרגל: & habur, חבור: quarum uocum prior ad tarnegul accedit, posterior ad gaber. Gallum hodie Saracenis dic appellari quidam literis prodidit. Auicennæ caput 296. lib. 2. inscribitur Giaziudiuch, interpres Latinus uertit de gallinis & gallo. Gigeg, gallina uel gallus, Syluaticus. Adicasugeg, (Aduzarzugi, Vetus Glossographus Auicennæ) gallus uel gallina, Idem. Furogi uel furogigi, gallus, Idem.

¶ Gallus apud ueteres Græcos ἀλέκτωρ uel ἀλεκτρυὼν dicebatur: & hodie etiamnum ἀλέκτωρ uel ἀλεκτόρας. Italicè gallo. Gallice un cocq, gau, geau, gal, cog. Hispanicè gállo. Germanicè, Han/ Haußhan/Gul/Güggel. Nam uocabulum Hün etsi pro gallina ferè usurpatur, tamen communius est ad omne gallinaceum genus. Anglicè cok. Illyricè kokot.

B.

Et primum DE GALLIS siue Gallinis quæ à regionibus & locis denominantur, nec aliter à uillaticis communibus differunt quàm magnitudine, aut etiam pugnacitate.

HADRIANAE gallinæ (Ἀδριανικαὶ, nimirum à regione, non ut Niphus suspicatur quòd forte ab Adriano Imperatore obseruatę sint. uixit enim Adrianus multò post Aristotelis tempora) paruo quidem sunt corpore, sed quotidie pariunt, ferociunt tamen, & pullos sæpe interimunt. color his uarius, Aristot. Et alibi, Multa admodum pariunt. fit enim propter corporis exiguitatẽ, ut alimentum ad partionem sumptitetur. Hadrianis laus maxima (circa fœcunditatem,) Plinius. Adrianas siue Adriaticas gallinas (οὓς Ἀδριατικὰς ὄρνιθας) Atheniẽses alere student, quanquam nostris inutiliores, utpote multo minores. Adriatici uerò contrà nostras accersunt, Chrysippus apud Athenæum lib. 7. Gallinæ quædam Adriani regis uocantur, quæ apud nos dicuntur gallinæ magnæ, & sunt magni & oblongi corporis, abundant apud Selandos & Hollandos, & ubiq; in Germania inferiore. Pariunt quotidie, minimè benignæ in pullos suos, quos sæpe interficiunt. Colores earum sunt diuersi, sed apud nos frequentius sunt albæ, aliæ aliorum colorum. Pulli earum diu iacent sine pennis, Albertus. sed hæ forsitan Medicæ potius uel Patauinæ gallinæ fuerint. Gallinæ Adrianæ non magno & oblongo corpore sunt, ut somniauit Albertus, sed contrà ut Aristoteles & Ephesius tradiderunt, Niphus. Gyb. Longolius Germanicè interpretatur Lei hennen, Variæ sunt (inquit) rostro candidiusculo. pulli earum columbarum pipiones colore referunt. Ab Adriaticis mercatoribus primum in Græciam aduectæ uidentur, & inde nomen tulisse. Quòd autem ferocire Aristoteles eas scribit, factum esse puto ob patriæ mutationem, cum in calidiores regiones deuectæ & fer uentioris ingenij redditæ sunt, Hæc ille. Varro Africanas, quas non alias esse constat quàm Hadrianas, uarias & grandes facit, Turnerus. Ego Africanas ab Adrianis multum differre puto, cum Numidicis uerò easdem esse. Hispanus quidam amicus noster gallinã Adrianam, Hispanicè gallina enána nominat. nimirum quod corpore nana & pumila sit, quale genus in Heluetia apud nos audio nominari Schorthennen, alibi Erdhennle, alibi Säsehünle. Sed Gyb. Longolius gallinas plumilas Germanicè uocat Kriel. Vulgares sunt (inquit) & passim extant, per terram reptant claudicando potius quàm incedẽdo. Licebit autem gallinaceos huius generis pumiliones, gallinas pumilas cum Columella nominare. sunt enim in omni animantiũ genere nani, ut dixit Theophrastus. Pumiliones, aliâs pumilas, aues, nisi quẽ humilitas earũ delectat, nec propter fœcunditatem, nec propter alium reditum nimium probo, Columella. Est & pumilionum genus nõ sterile in ijs, quod non in alio genere alitum, sed quibus certa fœcunditas rara & incubatio ouis noxia, Plinius.

¶ Apud TANAGRAEOS duo genera gallorum sunt. hi machimi, (id est pugnaces, uel præliares, ut Hermolaus) uocantur, alij cossyphi. Cossyphi magnitudine LYDAS gallinas æquant, colore similes coruis (coracino. hinc cossyphi nimirum dicti quòd merularum instar atri coloris sint:) barbam & cristam habẽt instar anemones, (calcaria & apex anemonæ floris macula modo rubent, Hermol.) Candida item signa exigua in rostro supremo & caudæ extremitate, Pausanias in Bœoticis interprete Lœschero. Ad pugillatum atq; prælia, Græci è Bœotia Tanagricas, item RHODIAS, (ut Athenæus, Columella, Martialis,) nec minus CHALCIDICAS & MEDICAS probauere. quidam ALEXANDRINAS in Aegypto, Hermolaus. Tanagrici, Medici & Chalcidici, sine dubio sunt pulchri, & ad prælijdum inter se maximè idonei, sed ad partus sunt steriliores, Varro. Tanagrici plerunq; Rhodijs & Medicis amplitudine pares, non multum moribus à uernaculis

naculis diſtant, ſicut & Chalcidici, Columella: cum paulò antè dixiſſet Rhodij generis aut Medici propter grauitatem neq; gallos nimis ſalaces, nec fœcundas eſſe gallinas. Et rurſus, Deliaci (ſcriptores) quoniam procera corpora & animos ad prælia pertinaceis requirebant, præcipuè Tanagricum genus & Rhodium probabāt, nec minus Chalcidicum & Medicum, quod ab imperito uulgo litera mutata Melicum appellatur. Ex gallinaceis quidam ad bella tantum & prælia aſsidua naſcuntur, quibus etiam patrias nobilitarunt Rhodum ac Tanagram. Secundus eſt honos habitus Melicis ac Chalcidicis, ut planè dignæ alitì tantum honoris præbeat Romana purpura, Plinius. Κολοίφρυξ (Varinus habet κολοίβρυξ per β.) gallus Tanagræus, & mons Bœotiæ, Heſych. Κολικρύων, ἀπὸ τοῦ κολοιοῦ ἀλεκτρυόνος μεγαλοφώνου, Idem. Κολικρυών, χρῶ πρὸς τὴν ἀηδίαν τῶν ὁμοίων ὄρνιν, Suidas. Sed uiden tur in hiſce Græcis quædam corrupta. Ταναγραῖοι ἀλεκτρυόνες, id eſt Tanagræi gallinacei, pugnaces & animoſi (θυμικοί) ſunt inſtar hominum, Suidas: qui & hæc Babrij uerba citat, Ἀλεκτρυόνων ἐγὼ μάχην Ταναγραίων, οἷς φασιν εἶναι θυμὸν ὥσπερ ἀνθρώποις. & hoc prouerbium, Ἀλεκτρυόνα καὶ ἀθλητὴν Ταναγραῖον, celebrantur autem (inquit) tanquam generoſi. Vide infra inter prouerbia. Χαλκιδικὸς, genus gallinacei, Heſychius & Varinus. Rhodiæ aues fœtus ſuos non commodè nutriunt, Columella. ¶ Antiqui ut Thetin Thelin dicebant, ſic Medicam Melicā uocabant. Hæ primò dicebantur, quia ex Media propter magnitudinem erāt allatæ, quæq; ex his generatæ poſtea propter ſimilitudinem, Varro & Feſtus. Turnerus Gallum Medicū interpretatur Anglicè a bauncok, uel a cok of kynde. Medicæ, generi uillatico adſcribuntur, propter magnitudinem in Italiam translatæ. cuiuſmodi Patauinæ modo ſunt, Puluerariæ cognominatæ à uico, ubi grādiſsimæ ac ſpectabiles maximè naſcuntur; quas Turcarum rex, is qui Conſtantinopolim ætate noſtra cœpit uì, muneris magni loco à ſenatu miſſas habuit, Hermolaus. Patauinæ ſaginatę libras ſedecim pōdere exuperant, Grapaldus. Quidam Germanicè circunſcribentes interpretantur, groß Welſch hennen, id eſt grandes Italicas gallinas. Nos tales habemus gallinaceos, altis cruribus, abſq; cauda. Grande genus gallinaceorum, quod pedibus ad pectus uſq; ſublatis incedit, plumis ex auro fuluis, patrum memoria in Germaniam ex proximis prouincijs aduectum eſt. Videntur autem Medici, quanquam non Media modò, uerùm Bœotię ciuitas Tanagra & Rhodus Chalcisq; inſulæ inſignes corpore ſuffecerunt. unde iſtos uel Medicos uel Tanagricos uel Rhodios uel Chalcidicos appellare licebit. Vulgus Longobardicos nuncupat, pauci à uillicis educātur quòd parum fœcundi ſint, Gyb. Longolius. Gallinaceos (ἀλεκτρυόνας, pro toto genere) aiunt in Perſide primum natos, atq; inde aliò deportatos eſſe, Medos Samius apud Athenæum. Aues Perſicas uocabant aues Ecbatanis (aduectas) propter raritatem, Scholiaſtes Ariſtophanis in Aues. dubitat autem an auis ulla propriè Μῆδος dicatur. nam poeta illic auem quandam (criſtatam) peregrinam Μῆδον nominārat. Et rurſus in eadem fabula, ſub Epopis perſona, Ὄρνις ἀφ' ἡμῶν τῶν γύπων τῶν Περσικῶν, Ὅσπερ λέγεται διενόησεν εἶναι ταυτάχθη Ἀρεως νεοττός, de gallinaceo ut plerìq; interpretantur. Varinus etiam auem Perſicam gallum exponit: Suidas auem Medicam, pauonem. Quin & gallum aliquando Perſis imperaſſe Comicus fabulatur. Sunt autem Medi Perſis finitimi, ut eadem auis ab utriſq; denominata ſit.

¶ Circa Tarnaſari urbem Indiæ gallos gallinasq; proceriores uidiſſe memini quàm uſquā alibi, Ludouicus Patritius. ¶ In Alexandria quæ ad Aegyptum ſpectat, gallinæ quædā habentur mo noſtræ, (ex quibus pugnaces oriuntur galli,) bis ac ter anno incubantes, poſt abſolutionem ſcilicet pullis ipſis ſubtractis, ſeorſumq; enutritis, Florentinus. ¶ Arabiæ pars auſtrum uerſus contra Aethiopiam aſſurgens, auium omnium copia abundat præter anſeres ac gallinas, Strabo.

¶ Gallinaceo generi ſoli fidipedum altiliū colores diuerſi. nam & aliæ huius generis alites alijs coloribus uiſuntur, & in ſingulis uel color unus per omne corpus, uel uarij. A gallo candido abſtineas. uide inter prouerbia in h. ¶ Gallinacei habent oſsium conſiſtentiam laxam, cauam & leuem, Galenus undecimo de uſu partium. ¶ Quæcunq; aues pennas duras habent, fortes ſunt, ut coturnices, galli, Ariſtot. in Phyſiognom.

¶ In rationis expertibus mari prærogatiuum honorem atq; præſtantiam quandam natura largita eſt. ſerpens criſtatus eſt: gallus item formæ excellentia illuſtratur, Aelian. Gallus eſt auis faucibus & capite criſtata, Obſcurus de nat. rerum. Solus inter aues peculiarem ſibi criſtam ſortitus eſt, ſic inſtitutam ut nec caro ſit, nec à natura carnis omnino aliena, Ariſtot. Spectatiſsimum inſigne gallinaceis, corporeum, ſerratum: nec carnem id eſſe, nec cartilaginem, nec callum iure dixerimus, uerum peculiare, Plinius. Gallinæ plicabilis criſta per medium caput, gallinaceo erecta, Perottus. Magi in febrium medicina utūtur gallinaceorum criſtis, auribus, unguibus, & radijs (aliàs raſis) barbis eorū, ut Plinius prodidit. Gallinaceus criſtā habet rubram: carnē quæ roſtrum cingit undiq;, mentum quidam uocant, Columella etiā genam. Membranoſa cutis quę ſub mento & collo dependet utrinq; paleæ (tanquam palearia, Beroaldus in Columellam) dicuntur. at plumæ longiores quæ collum & ceruicem undiq; cingunt, quasq; pugnaturi & irati etiam explicant, iubas Columellam nuncupaſſe uideo. Sub his prominet ceu aqualiculus, omnibus tamen auibus communis; id primum ciborum receptaculum eſt, quod à Græcis ſtómachos dicitur, Gybertus Longolius. Pauo Indicus neq; paleis neq; genis præditus eſt, Idem. Mentum uocant quæ gallinarum roſtris adiacet carnem, Cælius. Grammatici quidam paleam exponunt cartilaginē defluam à collo galli gallinacei. Paleæ ex rutilo albicantes, quæ uelut incanæ barbæ dependēt, Columella de gallinaceo.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 422 sur 825

Galea pro palea apud Columellam in Meleagridis mentione legi conijcio. Similiter & in bobus palearia dicimus, quæ à collo & pectore dependent. Gaza apud Aristotelem κάλλαιον, κ. cristam uertit: melius barbam redditurus uel paleas. Videntur autem callæa dicta ob purpureum colorem & floridum, nam κάλλη Græci appellant floridos colores, τὰ αὖθη τῶν ἐαμμάτων, ut Ammonius de differentijs uocum interpretatur: & ibidem κάλλαια, οὓς τῶν ἀλεκτρυόνων πώγωνας. Et forsitan Latina uox paleæ à Græcis deducta est, κ. in π. mutato, & lambda uno exempto. Plura de hac uoce leges infra in H. b. item de partibus gallinacei in E. ubi ex rei rusticæ scriptoribus de huius alitis electione agetur. οἱ τῶν ῥίνα εὐγνιλον ἔχοντον τὰ πρὸ τοῦ μετώπα πρόιφορῆ, τῶν δὲ πρόιφορέιαν ἄνω ἀνεσηκυῖαν, λάγνοι, ἀνα φορῆται ὧν οὓς ἀλεκτρυόνας, Aristot. in Physiognom. hoc est, ut innominatus quidam transfert: Quicunq; nasum concauum habent, & frontem rotundam, & sursum eminens rotundum, luxuriosi, refertur ad gallos. Adamantius nihil tale habet. ¶ Qui oculos splendidos habent, libidinosi sunt, gallinaceorum instar, Ibidem. ¶ Gallinaceorum testes tempore coitus, grandiores fiunt quàm aliarum auium, ob salacitatem, Aristot. Coturnix testes sub iecore habet ut gallinacei, Alexander Myndius apud Athenæum. ¶ Gallinaceo ingluuies præposita uentriculo est, Aristot. Aues quædam geminos sinus habent: unum quo merguntur recentia, ut guttur: alterum in quem ex eo dimittunt concoctione maturata, ut gallinæ, columbæ, &c. Plinius. Cato cap. 29. gulam pro ingluuie dixit. πρόλοβος auium est ingluuies, quæ ab aliquibus φύσα dicitur, & inest omnibus gallinaceis, Suidas. ¶ Iecur gallinæ fissum est ab uno extremo in alterum, Albertus. Ad imum intestinum appendices paucas habet, Aristot. ¶ Aues non uolaces, ut pauones, gallinæ, uropygium (id est caudam pennis conditam) ineptum habent, (non aptum flecti qua parte cum cute coalescit,) Aristot. Gallus pennas in cauda instar semicirculi curuat, & similiter in collo & dorso, Albertus. In sublime caudam falcatam erigit, Plinius. ¶ Calcar cum habeant mares, fœminæ magna ex parte non habent, Aristot. Et rursus, Gallinæ cum mares uicerint, cucuriunt. crista etiam eis caudaq; erigitur, ita, ne facile præterea sit, an fœminæ sint cognoscere. nonnunquam etiam calcaria parua ijs enascuntur. Galli spiculis aduersis in cruribus armantur. habent & quandoq; spicula gallinæ: sed hoc errore potius quàm opere naturæ, Obscurus de nat. rerum. Natura calcar addidit in auium genere ijs, quæ ob corporis molem sint ad uolandum minus idoneæ, cuiusmodi sunt galli, Aristot.

¶ Alectorias uocant gemmas in uentriculis gallinaceorum inuentas crystallina specie, magnitudine fabarum: quibus Milonem Crotoniensem usum in certaminibus inuictum fuisse uideri uolunt, Plinius 37. 10. Ferunt in uentre galli alectorium, id est gallinaceum lapidem. Sed is farda uel achate fingitur, in quo flammea macula appareat, nam de alectoria uero nihil compertí habeo, Cardanus. Plinius alibi inter remedia calculi, lapillorum meminit qui in gallorum uesica (quasi auis uesicam habeat) reperiantur. Recentiores quidam non ex gallo mare, sed castrato (quem gallinacei nomine imperitè intelligunt) hunc lapidem haberi putant: & quidam lingua uernacula interpretantur Kapunenstein/id est caponis lapidem. Gallus aliquando trimus castratur: tum quinto uel septimo à castratione anno, in iecore eius lapis inuenitur alectorius nomine, quem ubi conceperit, non amplius bibit, quare homo etiam lapidem hunc gestans non sitire dicitur, Author de nat. r. & Albertus in historia animalium. Radaim lapidem & donatidem eundem aiunt, qui niger sit & luceat, ferunt autem cum capita gallorum formicis permittuntur, aliquando post multa tempora in capite maris galli hunc lapidem inueniri. Conferre pollicentur ad rem quamuis impetrandam, Albertus de metallicis 2. 17. Lapis alectorius Dioscoride teste (nihil huiusmodi in nostris exemplaribus Dioscoridis reperitur) inuenitur in uentribus gallorum gallinaceorum crystallo similis uel aquæ limpidæ. Albertus scribit lapidem esse nitentem, crystallo obscuro similem. extrahitur autem ex uentriculo galli gallinacei, postquam castratur supra quartum annum, quidam post nonum extrahi dicunt. melior est de gallo decrepito. maximus in hoc genere fabam æquat. Ore gestantes reges & gladiatores inuictos reddit, ac sitim tollit. mulieres uiris cõciliat, Syluaticus capite 408. Et rursus capite 470. Alberti hæc uerba recitat: Vidi sapphirum & lapidem galli oculum intrare sine ulla oculi noxa. politus enim lapis ac tenuis non lædit oculum, nisi pupillam attigerit. Hic oratorem uerbis facit esse disertum. Constantem reddens cunctisq; per omnia gratum. Hic circa ueneris facit incentiua uigentes. Commodus uxori quæ uult fore grata marito, Vt bona tot præstet clausus portetur in ore, Author obscurus de lapidibus. Alectoriæ, quanquam rarò, in gallorum gallinaceorum, & caporum etiam, uentriculo & iecore gignuntur. sed in iecore plerunq; maiores. nam nuper in capo inuentus est longus unciam, latus digitum, altus sescunciam: inferior pars, quæ latior, humiles habet cauernas: superior, quæ strictior, ad dextram extuberat: ad læuam humilis est & fusca, cum reliquum eius corpus in fusco candidum sit. At in uentriculo reperti, non rarò ferè figura sunt lupini, magnitudine eiusdem aut fabæ, modo in cinereo candidi: modo fusci coloris, sed diluti: nunc uerò crystallina specie, sed coloris obscuri, quæ fibras interdum habent subrubras. Crystalli similis si politus inter oculum & palpebram inferiorem interponitur, & ex una parte ad alteram transfertur, oculum non lædit. quod idem facit sapphirus, uel onyx, uel alia gemma polita interposita, modo parua sit, Ge. Agricola.

C.

Gallina est tardi uolatus, Albertus. Non uolax est, & uropygiũ, quo uolatus dirigitur, ineptum habet,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 423 sur 825

habet,ut in B,retuli. ¶ Puluere impendio delectatur, in quo sese uolutãdo quodammodo scabit, Grapaldus. Gallina pulueratrix est,ut reliquæ aues non altiuolæ, Aristot. Dixit Ephesius Heraclitus sues cœno lauari, uelut cortales aues puluere aut cinere, siquidem hisce rebus plumam pinnasq; emundari. ¶ Solum hoc uolucrum genus cœlum crebro aspicit, Plinius.

¶ Gallinaceis maribus tantum cantus datus est,Aristot. Sed & gallinæ interdum cum gallos uicêre cucurire solent,Idem. Gallos gallinaceos in eo loco sic assidue canere cœpisse, Cicero 1.de diuinat. Canorum animal gallus gallinaceus,Ibid. Cantant ante lucem galli,Ibid. Græci autem ἀδειν,id est canere,de gallinaceis dicunt:& quandoq; κοκκύζειν (cui simile est apud Latinos uerbum cucurrire)de quo plura scripsi in Cuculo a. Vide infra in H. c. Cucurrire solet gallus, gallina gracillat,Author Philomelæ. Elisa uox in illum sonum erumpit, cui Græci κλωσμὸν nomen ab immaturo gallorum (forte pullorum gallinaceorum) cantu dederunt, Quintilianus. est & κλωγμὸς sonus quidam. Quinetiam gallum nocte explaudentibus alis Auroram clara consuetum uoce uocare,Lucretius. Gallos uigiles nostros excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; somno natura genuit.Norunt sydera,& ternas distinguũt horas interdiu cantu. cum Sole eunt cubitum,quartaq; castrensi uigilia(id est hora tertia post mediam noctem, Vegetius lib. 3.) ad curas laboremq; reuocant,nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere,diemq; ucnientem nunciant cantu, ipsum uerò cantum plausu laterum,Plinius. Gallus diei nuncius, horas noctis discutit, & demum uocem exhortationis emittit, cumq; cantus edere parat, prius alas excutit, ac seipsum feriens uigilantiorem reddit,Gregorius in Moralibus. Ex gallis qui animosi sunt,uocem ædunt grauiorem, Aristot. in Physiogn. Nocte profunda cantat ualidius,& matutino leuius. cantus enim cum uento fertur, & antequam æstimari possit longius auditur,Obscurus de nat.rerum. Amant & hunc cantorem milites. quia in castris illis uice horarij gnomonici est. Nam cum statis noctis horis uigilias cõmutare coguntur,hoc indice noctis interualla discriminant. Crepusculo cubitũ eunt,tribus ante noctis statum (id est ante mediam noctem)horis cantant.medio eiusdem spatio uocem iterant. tribus itidem ab intempesta nocte horis,iterum cantillant:quod tempus ob id gallicinium appellatur. Itaq; bellicis curribus aliquando singulis singulos gallos alligãt,Gyb.Longolius. Sigismundus Liber Baro in descriptione itineris sui per Moscouiam,Gallum(inquit)Moscouiticum more Germanorum super currum sedentem,frigoreq; iam iam morientem, famulus crista, quæ gelu concreta erat,subitò abscissa,non solum hoc modo seruauit,uerum etiam ut erecto statim collo cantaret, nobis admiran tibus,effecit. Scribit in Diuinationibus M.Cicero,Democritum hisce fermè causam adortum explicare,cur ante lucem concinant galli.Depulso(inquit)& in omne corpus diuiso ac modificato cibo,cantus ædunt quiete satiati.Qui quidem,ut ait Ennius, silentio noctis fauent faucibus, rursum cantu plausuq; premunt alas. Sunt uerò qui (huius sententiæ est Ambrosius Leo Nolanus, cuius uerba copiosius recitat Erasmus in prouerbio, Priusquam gallus iterum cecinerit) salacissimæ auiũ eius naturæ acceptum referri astruant oportere euentum eiusmodi. Nam cantu significari Veneris appetentiam,inde est argumentum euidens, quòd antequam usui Venereo sufficiant, contẽcescunt.Esse porrò in more auibus nonnullis, ut procliuitatem & lubentiam ad initium quolibet præeant cantu,quum alibi comprobat Plinius,tum ubi ait, Perdices fœminas concipere superuolantium afflatu,sæpe uoce tantum audita masculi.Contingere autem gallinaceis, quod ferè cæteris usu uenire compertum est,ut peracto cibo,refecto per quietem corpore,ac inde maximè uegeto,libidinis titillentur pruritu.Interuulsus autem somnus,ac identidẽ repetitus, cantus frequentiæ causam facile suggesserit,Cælius. Gallus si rarum esset animal, non solum forma sed cantu admiratione dignissimum esset.Exultat uoce,proculq; ea exauditur:et nocte etiam ad mille atq; amplius passus.Cum expergiscitur à cibo canit, plerunq; tamen Sole meridiante mediaq; nocte, ac cum radij primum auroram effingere incipiunt. Robur igitur Solis sequitur, & in octo partes totum diuidit diem naturalẽ,non tamen oriente Sole,sed cum accedit ad auroræ terminos, sic & ante meridiem, Cardanus lib.10.de Subtilitate. Galli antelucano tempore canunt,siue ut fertur, naturali quodam sensu Solis ad nos se conuertentis ceu deum salutantes impulsi, siue caliditate suæ naturæ & motus cibiq; sumendi desiderio,Heliodorus lib.1.Aethiopicorum. Gallum album mensi sacrum,utpote horarum nunciũ,credidit Pythagoras. In locis ubi cœli status uuidus est,gallos nõ cantare Theophrastus inquit,Aelianus. Gallinaceis uox est cum uicêre,Aristot. Alijs in pugna uox,ut coturnicibus:alijs ante pugnam,ut perdicibus: alijs cum uicêre, ut gallinaceis. ijsdem sua maribus,Plin.

¶ Gallina unguibus scalpendo uictum quærit,ad quem inuentum pullos uocat,Albert. Chondros,(id est alica uel far)dabatur in cibo gallinaceis,Athenæus circa finem lib. 3. Piscibus etiam in cibo gaudent. Canes & gallinæ humano stercore uescuntur, Brasauolus. Plura de cibis quibus ali ac saginari genus gallinaceum solet, leges in Gallina E. item in Capo. Veterum sententia frequens fuisse uidetur,gallo uim omnia quæ deglutierit conficiendi adesse. Propterea in Vespis Aristophanes,Ἀλεκτρυόνος μ' ἔφασκε κοιλίαν ἔχειν. id est, Galli me uentrem habere dicitabat. Id uerò enarrantes Grammatici, Galli(inquiunt)calore uentris feruentissimo cuncta percoquunt, Cælius. Gallinæ calida natura præditę sunt.nam & uenena conficiunt,& aridissima quæq; semina consumunt, & nonnunquam arenas lapillosq; ingluuie sua deuoratos dissoluunt, Dioscor. ¶ Galli quidam pugnaces sunt nimium & rixosæ libidinis: qui & cæteros infestant, nec patiuntur inire fœminas,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 424 sur 825

cum ipſi pluribus ſufficere non queant.horum procacitas quemodo cohiberi debeat,ex Columella ſcribemus infra in E. Plura etiam de pugna gallinaceorum qui ad certamina ab hominibus emittuntur ibidem leges. In gallorum pugna qui ſuperat, coit cum gallinis, & erigit caput ac caudam,uictus tabeſcit ob ſeruitutem,Albertus. Vide plura mox in D. Galli præ omnibus auibus pugnaces & libidinoſi ſunt, Oppianus in Ixeuticis. Gallinaceorum genus copia libidinis gaudet, Ariſtot. Clearchus ſcribit perdices, paſſeres, coturnices, & gallos gallinaceos non modò cum uident fœminas,ſemen emittere,ſed etiam cum earum uocem audiunt:cauſam eſſe in animo impreſſionem,quòd ipſum coitus tempore cognoſces,ſi cõtra eos ſpeculum poſueris: Nam ad imaginem ſuam,quæ inaniter in ſpeculo repræſentatur accurrentes,ſemẽ emittunt:exceptis gallinaceis, quos imago conſpecta ad pugnam tantum prouocat, Athenæus. Gallinaceus alteri mari cum gallina coitum abſq; pugna non permittit,Athenæus. Idem ex Theophraſto refert gallos agreſtes domeſticis libidinoſiores eſſe:& mares ſtatim à cubili uelle coire,fœminas autem magis procedente die: quod & Aelianus repetijt. Gallus auis ſalax ad unum ouum fœcundandũ multoties cum eadem coit gallina,quod ſi multi ſint galli,enecant gallinas nimio coitu, Albertus. Vnicus gallus ſufficit multis gallinis,Io.Textor. Gallinaceus unus pro ſex gallinis deſtinari ſolet, Florentinus. Canes Indici ex bellua quadam ſimili & cane generãtur: nec non in auibus ſalacioribus idem fieri uiſum eſt,ut perdicibus & gallinis,Ariſtot. Quæ non unigena coëunt, primos partus ſimiles ſibi edunt, communi generis utriuſque ſpecie, quales ex uulpe & cane generantur, aut ex perdice & gallinaceo:ſed tempore procedente ex diuerſis prognata parentibus ſoboles, forma fœminæ inſtituta cuadit,Alex.Benedictus. Si fœminarum facultas nõ ſit,omnes ſubigunt in cohortem ſuam recentem uenientem,Aelianus. Perdices maritos ſuos fallunt, (occultantes ſe dum incubant,) tunc inter ſe dimicant mares deſiderio fœminarum,uictum aiunt Venerem pati,id quidem & coturnices Trogus & gallinaceos aliquando,Plinius. Gallinacei etiam idem interdum quod perdices faciunt. in templis enim ubi ſine fœminis munerarij dicatiq; uerſantur,non temere eum qui nuper dicatus acceſſerit,omnes ſubigunt, Ariſtot. Nouiſsimè ſacratum priores accedentes ſubigunt donec alius quiſpiam offeratur:quod ſi nullus oblatus fuerit, pugnant inter ſe uictumq; ſemper ſubigit uictor, Athenæus ex Ariſto. In regione quæ uocatur Leylychynie omnes galli iuniores,nec dum prouecti ætate,inter ſe pugnant:& uictor cum uicto coit,quum gallinæ deſuerint, Albertus. ¶ Gallus exertam ſemper habet criſtam atq; rubentem, niſi male ualeat. Gallinacei herba quæ uocatur helxine(alſine potius, de qua dicam in H.a.) annuum faſtidium purgant, Plinius. Galli cum ſanguinis immoderati copia grauãtur,per criſtam ſeſe purgare ſolent,unguibus ſcilicet ſcalpẽtes,ut cruorem proliciant,Carnem quæ roſtrum cingit undiq; mentum quidam uocant, Columella etiam genam,hac uulnerata cum pituita laborant, quicquid abſceſsit, exprimitur, atq; ita animal liberatur, Gyb.Longolius. Gallinacei generis pituitas fumo ſabinæ ſanari tradunt, Plinius. Liguſtri acini gallinaceorum pituitas ſanant,Idem. Allia & cæpe gallinaceos pituita tentatos ſanant,Galenus 2. Methodi. Allium contra pituitam & gallinis & gallinaceis prodeſt mixtum farre in cibo, Plinius. Plura uide infra in Gallina E. Gallinacei caſus ex tumore ſcirrhoſo in tunica cordis deſcribitur à Galeno lib. 5. de Locis affectis. De gallo qui per Moſcouiã ſuper curru uectus præ nimio frigore iam morti uicinus erat, criſta quæ iam gelu concreta erat ſubito abſciſſa reſtitutus eſt, ſuperius hoc in capite mentionem fecimus. ¶ Taxi fructus edentes in Italia gallinæ nigreſcunt, Dioſcorides. Sparti etiam ſemine depaſto moriuntur. Audio & aquam uitæ (ut uocant) eis letalem eſſe. Stercus hominis qui bibit elleborum album,necat gallinas,Auicẽna. Auro ſuperlato uis uenefica eſt, gallinarum quoq; & pecorum fœturis.Remedium eſt abluere illatum, & ſpargere eos quibus mederi uelis,Plinius.forte & gallinæ uicíſsim auro uenenum ſunt:id enim dum ſimul coquuntur in ſe attrahunt,ut alibi docet Plinius neſcio quàm uere. Salamandra ſi in aceruo tritici reperiatur, totum infici audio,adeò ut & gallinæ inde ueſcentes pereant. Cimicis natura contra ſerpentiũ morſus & præcipuè aſpidum ualere dicitur:item contra uenena omnia,argumentum,quòd dicunt gallinas quo die id ederint,non interfici ab aſpide,Plinius.

D.

Gallus gallinis aliquando mortuis tabeſcit, Albertus. Contra ſerpentes & miluos pro gallinis dimicat,Textor. Gallinas diligenter cuſtodiunt, & alienos à grege abigunt, pro illis dimicantes, Humelbergius. Mares uiſi nonnulli ſunt,qui cum fortè fœmina interiſſet, ipſi officio matris fungerentur,in pullos ductando,fouendo,educando, ita, ne de cætero uel cucurire, uel coire appeterent,Ariſtot. Narrantur & mortua gallina mariti earum uiſi ſuccedentes in uicem,& reliqua fœtę more facientes,abſtinentesq; ſe à cantu,Plinius. Quin & iam inde à primo ortu naturæ, ita nonnulli mares effœminati proueniunt,ut neq; cucuriãt,neq; per coitum agere uelint, & uenerem eorum qui tentent ſuperuenire patiantur,Ariſtot. Matrice gallina extincta, is ipſe incubat,& pullos ex ouis excludit,ac tum ſilentio utitur, quòd ſanè ſibi conſcius ſit ſe muliebre munus obire, & parum uiriliter facere,Aelianus. Galli partus gallinarum leuare, & doloris participatione ſolari uidentur,dum placida & exili uoce eis accinunt, Oppianus in Ixeut. Marítus etiam inter bruta partus dolores intelligit,& plurimi ex eis parientibus fœminis condolent,συωδίνει, ut gallinacei: quidam etiam excudendo iuuant,ut columbi, Porphyrius 3. de abſtin. ab animatis. Recentiores quidam de

dam de gallo castrato scribunt, si pectore & uentre deplumatus urticis perfricetur, pullos fouendos admittere, quòd eo fotu prurítum quem urticæ excitarunt mitigari sentiat. atq; ita delectatum, in posterum etiam pullos amare, ducere, pascere: quod se obseruasse & miratum esse Albertus tradit.

¶ E gallinaceis animosi (οἱ δὔψυχοι) uocem ædunt grauiorem, Aristot. in Physiognom. Proximè (post pauones) gloriam sentiunt etiam galli gallinacei, Plin. Imperitant suo generi, & regnum in quacunq; sunt domo exercẽt. Dimicatione parĩ hoc quoq; inter ipsos, uelut ideo tela agnata cruribus suis intelligentes: nec finis sæpe commorientibus. Quod si palma contingit, statim in uictoria canunt, seq; ipsi principes testantur. Victus occultatur silens, ægreq; seruitium patitur. Et plebs tamen æque superba graditur ardua ceruice, crista celsa: cœlumq; sola uolucrum aspicit crebro, in sublime caudam quoq; falcatam erigens, Plinius. Gallus uictus uictorem sequitur, Aristophanis interpres. Gallinacei uolunt uincere, ut alię animantes innumeræ pro sola uictoria contendentes, Galenus 5. de decretis Hippocr. De certamine eorum cum ab hominibus committuntur, scribemus sequenti capite. Sunt sanè natura pugnaces cum aliàs, tum propter fœminas coitus gratia, ut in C. dictum est. Illud item in eo mirificum, cum limen intrat, tametsi superum altissimum existit, is tamen sese inclinat, (ὡς κλίνει τὸν λόφον, id est cristam inclinat, Athenæus & Eustathius:) quod quidem ipsum superbia inductus facere uidetur, ne uidelicet cristæ uspiam offendatur, Aelianus.

¶ Gallinaceum exoriente luna quasi diuino quodam spiritu afflatum bacchari atq; exultare ferunt. Oriens quidem Sol ipsum nunquam fallit, tum uehementissime uocem contendens, semet magis magisq; cantando uincere conatur, Aelianus. ¶ Philon dicit eum qui Nicomedi Bithyniæ regi pocula administraret, à gallinaceo adamatum fuisse, Aelianus & Eustathius. Auctor Nicander est, Secundum, qui pincerna regius fuit in Bithynia, à gallo amatum eximiè cui nomen foret Centaurus, Cælius. ¶ Porphyrionem autem & gallum in eodem uersantes domicilio mirificè inter se coniunctos & inuicem amantes animaduerti. tandem gallo propter epulas occiso, porphyrio conuictore priuatus, tantum doloris accepit, sibi ut inedia mortẽ consciscceret, Aelian. ¶ Galli gallinacei terrori sunt etiam leonibus generosissimis ferarum, Plin. Vide plura in Leone D. Stat ceruix ardua, qualem Præfert Marmaricis metuenda leonibus ales, Ales quæ uigili lucem uocat ore morantem, Politianus in Rustico. Leo & basiliscus gallinacei tum aspectum tum uocẽ extimescunt, Aelianus. Iure gallinacei perunctos pantheræ leonesq; non attingunt, præcipuè si & allium fuerit incoctum, Plinius. Gallinaceorum cantus leones timent, Solinus. Leonem dicunt gallum album fugere, Rasis 8.8. Sed hæc ipsa ales quæ leones exterret, metu basiliscos exanimat, miluos extimescit, Aelianus. Basiliscus & ad usum galli contremiscit, & ad uocem conuulsus moritur. quare qui per Libyam iter faciunt, aduersus hoc malum comitem itineris gallum sibi assumunt, Idem. Aues cicures & domesticæ audacter cõtemnunt equos, asinos, boues: ac si cum manuefactis elephantis aluntur, non modo eos non timent, uerum per eos etiam ipsos gradiuntur. Et gallinacei ut in eorundem dorsis considere audent: sic magnum eis metum mustela uel præteriens injicit. & qui uocem uel mugientium uel rudentium præclarè contemnunt, illius clamorem uehementer horrent, Idem. Gallus & attagen inimici sunt, Aelianus. Columbas etiam gallinaceo generi inuisas esse aiunt. Vesparum examen metuit Phrynichus uelut gallinaceus: Vide in Prouerbijs infra. De animalibus quæ gallinaceum genus infestant, leges plura in Gallina E.

¶ Gallinaceis circulo è sarmento addito collo non canunt, Plinius.

E.

Gallus facile sentit auræ mutationes ex montibus Solis contingentes. & ideo cantu horas distinguit: & nocte canens se erigit, & alis percutit, excutitq; ut uigilantius cantet, Albertus. Hic præter familiarem usum, quem in uillam fert, dum gallinas plenas facit, & culinam dapibus opulentat, magno adiumento patrifamiliàs esse consueuit cantu suo, quo ad opera familiam reuocat monetq;, ut abstersо ab oculis somno, expergiscãtur, & uiuere discant. ob id à Græcis ἀλέκτωρ, ueluti ἀπαλέκτωρ, hoc est, à lectis mortales reuocans, Gyb. Longolius. Lege etiam supra in C. quomodo cantu suo ad opera mortales excitet, & diei noctisq; tempora distinguat. ¶ Si galli noctu canant citius quàm solent, mutatio aëris aut uentus ostenditur, Gratarolus. Gallinacei, cæteræq; domesticæ aues, alarum percussione concrepantes, gestientes, exultantes, strepentes, tempestatem nunciãt, Aelianus. Nostri gallum tempestatis (ein Wetterhan) appellant, qui peculiari quadam facultate ad indicandum aëris suo cantu mutationes præditus uideatur. Gallum tempore pluuio canentem, serenitatem instantem pollíceri plerique credunt. Gallinæ domesticæ pediculos inquirẽtes, & maiori uoce crocitantes, eo sono qui guttas aquarum crebras imitetur, pluuiæ signum faciunt, Aratus. Græca eius uerba sunt, καὶ πτῖλά (αἰ ἤμοροι καὶ πρωΐαι) ὄρνιθες, τὰ ἀλέκτορ' ὄχνησαντο, Εὖ ἐφθεγξαντο, καὶ ἔκρωξαν μάλα φωνῇ, οἷόν τε σταλάουν ὑφείαι ὐδὶ ὕδατι ὕδωρ: ¶ De faginando gallinaceo genere dicetur in Capo & in Gallina E. Cum gallina altilis antiquis cœnarum interdictis excepta esset, inuentum diuerticulum est gallinaceos pascendi lacte madidis cibis. multò ita gratiores approbantur, Plinius.

¶ Gallinaceos non attingi à uulpibus, qui iecur animalis eius aridum ederint: uel si pellicula ex eo collo inducta, galli inierint. similia in felle mustelæ legimus, Plinius.

¶ Electio. Ex gallis eligendi sunt pugnacissimi, tales autem discernes quum usu atque experimento, tum signis etiam quibusdã, Florentinus. Gallinaceos mares nisi salacissimos habere non

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 426 sur 825

expedit, atq; in his quoq; ſicut in fœminis, idē color, idemq; numerus unguiū: ſtatus altior quęritur, Columel. Galli probantur lacertoſi, Varro. σωιτραμ μλύοι σὺν ὄγκοις, id eſt mole corporis cōtorta, Florentinus. Criſtæ ſunto ſublimes, ſanguineæ (rubentes, Varro. φοινικόλοφοι, Florent.) nec obliquæ. Oculi rauidi uel nigrantes, Columella. rauí uel nigri, Varro. Galli ſint δλχέροπτοι τὰς ὄψεις καὶ [malim ἢ] μελανόφθαλμοι, Florent. Cornarius uertit, aſpectum pulchrum habeant, pro δλχέρ. τὰς ὄψ. Andreas à Lacuna, aſpectu uenuſto ſplendicent. Ego uocem δλχέροπτον Græcam eſſe non puto, ſed χαροπὸν tantum quæ rauum ſignificat: de qua multis egimus in leone. Roſtrum breue, acutum, Varro. breue & aduncum, Columella. Palea rubra ſubalbicans, Varro. paleæ ex rutilo albicantes, quæ uelut incanæ barbæ dependent, Columel. barba roſea, γρύσιον ῥοδίζον, Florentinus. Aures maximæ candidiſſimæq;, Columella. Collum uarium aut aureolum, Varro. bene compactum & coloribus uarium, (Τραχῖλας ἔχοντα δυπαγεῖς, καὶ ποικίλους [lego ποικίλας] τοῖς χρώμασι,) Florent. Iubæ uariæ uel ex auro flauæ, per colla ceruicesq; in humeros diffuſæ. tum lata & muſculoſa pectora, lacertos æque (forte lacertoſaq;) ſimiles brachij, (locus uidetur corruptus. Suſpicor poſt lacertoſaq; comma aut punctum notandum. tum hæc uerba, Similes brachij alæ, iungenda.) Alæ tum proceriſsimæ. Caudæ duplici ordine, ſingulis utrinq; prominentibus pinnis inflexæ, Columella. caudæ magnæ, frequentibus pinnis, Varro. magnæ & denſæ, Florent. Femina uaſta, & frequenter horrentibus plumis hirta, (piloſa, Var.) Crura robuſta, nec longa, (breuia, Var.) ſed infeſtis uelut ſudibus (ſpiculis ſolidis & bene mucronatis, Florent.) nocenter armata, Columella. crura ſquamoſa, craſſa magis quàm longa, Florent. Vngues longi, Varro. Præterea laudantur qui elati ſunt, ac uociferantur ſæpe, in certamine pertinaces, Varro. qui pugnam ipſi non auſpicentur, ſed aggredientibus alijs fortiter repugnent, & acriter de illis ſe ulciſcantur, Florent. & qui animalia quæ nocent gallinis non modo non pertimeſcant, ſed etiam pro gallinis propugnent, Varro. Mores autem quamuis non ad pugnam, neq; ad uictoriæ laudem præparentur, maxime tamen generoſi probantur, ut ſint elati, alacres, uigilaces, & ad ſæpius canendum prompti, nec qui facile terreantur. Nam interdum reſiſtere debent, & protegere coniugalem gregem: quin attollentem minas ſerpentem uel aliud noxium animal interficere, Columella. Et rurſus, Nō probo pugnacem, nec rixoſæ libidinis marem. Nam plerunq; cæteros infeſtat, & non patitur inire fœminas, cum ipſe pluribus ſufficere non queat. impedienda eſt itaq; procacitas eius ampullaceo corio, quod cum in orbiculum formatum eſt, media pars eius reſcinditur, & per exciſam partem galli pes inſeritur: eaq; quaſi compede cohibentur feri mores. Talibus autem maribus (gallinaceis uulgaribus) quinæ ſingulis fœminæ comparantur. Nam Rhodij generis, aut Medici propter grauitatem, neq; patres nimis ſalaces, nec fœcundæ matres, quæ tamen ternæ ſingulis maritantur: & cum pauca oua poſuerunt, inertes ad incubandum, multoq; magis ad excudendum raro fœtus ſuos educant. Itaq; quibus cordi eſt ea genera propter corporū ſpeciem poſsidere, cum exceperunt oua generoſarum, uulgaribus gallinis ſubijciunt, & ab his excluſi pulli nutriuntur. Tanagrici plerunq; Rhodijs, & Medicis amplitudine pares, non multum moribus à uernaculis diſtant, ſicut & Chalcidici. Omnium tamen horum generum nothi ſunt optimi pulli, quos conceptos ex peregrinis maribus, noſtrates ediderunt. Nam & paternam ſpeciem gerunt, & ſalacitatem fœcunditatemq; uernaculā retinent, Idem Columella. Huius igitur uillatici generis non ſpernendus eſt reditus, ſi adhibeatur educandi ſcientia, quam plericq; Græcorum, & præcipue celebrauere Deliaci. ſed & ij, quoniam procera corpora, & animos ad prælia pertinaceis requirebant, præcipuè Tanagricum genus, & Rhodium probabāt, nec minus Chalcidicum, & Medicum, quod ab imperito uulgo litera mutata Melicum appellatur. nobis noſtrū uernaculum maxime placet, omiſſo tamen illo ſtudio Græcorum, qui ferociſsimum quenq; alitem certaminibus & pugnæ præparabant. nos enim cenſemus inſtituere uectigal induſtrij patris familiâs, non rixoſarum auium laniſtæ, cuius plerunq; totum patrimonium pignus aleæ uictor gallinaceus pyctes abſtulit, Idem. Nec tamen ſequendum in ſeminio legendo Tanagricos ac Medicos & Chalcidicos: qui ſine dubio ſunt pulchri, & ad præliandum inter ſe maximè idonei, ſed ad partus ſunt ſteriliores, Varro.

¶ De certaminibus gallorum. Galli alij, nempe ferociores, quorum uſus ad certamina futurus ſit eliguntur: alij, nempe ſalaciores, ad implendas gallinas, ut paulò ſuperius dictum eſt ex Columella, qui auium laniſtas aliquando totum patrimonium hoc certamine perdere ait. Maximè pugnaces eſſe Tanagricos, Rhodios, Chalcidicos & Medicos, dictum eſt & paulò ante, & ſupra in B. Victi galli ſilere ſolent, canere uictores, Cicero. Si gallus cum altero pugnans uincatur, idcirco non canit, quòd ex illa mala pugna ſpiritus fracti illi uocem ſupprimant. Cuius offenſionis uerecundia cōfuſus, in primam quanq; latebram ſeſe occultat. Is autem qui ex certamine uictoriam reportârit, tum oculorum eminentia, tū ceruice erecta ſimul & cantus contentione inſolēter effertur, & triumphanti ſimilis eſt, Aelianus. Lego apud Alexādriam aues haberi monoſiros, unde pugnaces ſubnaſcantur gallinacei, ſi bis aut ter ouis incubârint, Cælius. Perdices & gallinaceos (Gallos & coturnices, Dioſco.) pugnaciores fieri putant, in cibum eorum additis adianti ramulis, Plinius. Gallinaceis mox compugnaturis allium in cibis obijcere ſolebant, quo acrius decertarent. Ex quo facetiſsimè in ueteri comœdia, ὀνηφεστόμυζον, id eſt allio paſtus, pro uehemēti ac nimis in pugnam procliui dicitur quandoq;, Cælius. Pergami omnibus annis ſpectaculum gallorū publicè æditur ceu gladiatorum, Plinius. De hoc & coturnicum certamine Pergami Athenisq; celebrari ſolitis, plura

retuli

retuli supra in Coturnice E. Athenienses post uictoriam eius belli, quod cum Persis gesserunt, legem constituerunt, quotannis ut certo die galli in theatro publice certarent: unde uero initium lex duxerit, dicam. Contra Barbaros cum Themistocles exercitum duceret, & gallos non ignauiter pugnantes animaduertisset, exercitum cõfirmauit, his uerbis ad milites usus: At hi neq; pro patria, neq; pro penatibus, neq; pro sepulchris maiorum, atq; libertate, neq; pro pueris mala sustinent: sed ut ne uincantur, neuter cedit alteri. Quę cum dixisset, Atheniẽsibus animum auxit. Itaq; id factum, quòd eis fuisset significatio (incitamentum) ad uirtutem, ad similium factorum monumentum seruari uoluerunt, Gillius ex Aeliani lib. 2. Variorum. Gallinacei uolunt uincere, ut aliæ animantes innumeræ pro sola uictoria cõtendentes, Galenus lib. 5. de decretis Hippocratis. Vide etiam supra in D. Auium lanistæ à Columella dicuntur, qui gallinas (gallos) parant, instruuntq; ad certamen, qui mos hodieq; durat apud Boëmos: ubi primores præparant gallos gallinaceos pugnæ quasi gladiatoriæ, fiuntq; sponsiones pretij non paruí, dum unusquisq; pecuniam largam deponit, quam aufert dominus uictoris gallinacei, Beroaldus. Circa Tarnasari urbem Indiæ gallinaceos procerissimos uidere memini: ex quorum sanè acerrimis conflictibus summam uoluptatem cepi. nam quotidie huic ludo per medios uicos Mahumetanorum animi causa opera dabatur, mirumq; est Mahumetanorum pro hac re certamen, habent priui priuos gallos gallinaceos, eosq; committunt alijs, expositis quandoq; pro alitum futura uictoria utrinque aureis centenis singulo congressu. Conspicati sumus senis horis concertantes alites, nec prius illæ modum prælio faciebant, quàm occubuissent, Ludouicus Romanus.

¶ M. Varro principatum dat ad agros lætificandos turdorum fimo ex auiarijs. proximum Columella columbarijs, mox gallinarijs facit, Plinius. Gallinaceum fimum mulieres nostræ laudant pro betonica altili, quæ in uasis colitur: non item ad alia, quod multæ inutiles herbæ ex eo nascantur. ¶ Qui piscandi scientiam in Macedonia tenent, ut pisces quosdam fluuiatiles uarijs distinctos coloribus, (pœcilias puto Græcè legi, sic dictos pisces) qui muscis in fluuio uolitãtibus uescuntur, capiant: purpurascente lana hamum circumuestiunt, & ad eandem lanã gallinacei pennas duas cerei coloris speciem gerẽtes accommodant & cõglutinant, &c. Aelianus. Lac coagulatur etiam à domesticæ gallinæ pellicula, quæ intra uentriculum stercori destinata est, echinus ab asperitudine Græcis appellata, ceu cortex quidam, Berytius apud Constantinum. ¶ Esca ad capiendos pisces magnos, omniaq; marina, uelut glaucos, orphos, & quæcunq; sunt huiusmodi: Galli testiculi cum nucibus pineis torrefactis ac tritis committuntur, ita ut sint testiculorum drachmæ octo, nucum pinearum drachmæ sedecim, teruntur autem in farinæ speciem, fiuntq; collyria, quorum esca pisces illectantur, Tarentinus in Geoponicis Græcis. ¶ Cur gallus, simia, serpens, canis, culeo parricidæ inserantur, ex Hier. Cardano scriptum est in Simia E. ad finem. ¶ Seminarium munitum sit ad incursum gallinacei generis, Plin. ¶ Vuæ florem in cibis si edere gallinacei, uuas non attingunt, Plin. Vide in Gallina E.

F.

DE GALLINACEI GENERIS TOTIVS IN CIBIS VSV, APPARATV, ET salubritate, gallorum, gallinarum, & pullorum. De ouis tantum seperatim dicetur in Gallina F. item de Capo priuatim quædam.

In Alexandri Seueri conuiuijs esse solebant gallinę, oua, &c. adhibebatur & anser diebus festis, maioribus autem festis diebus fasianus: ita ut aliquando & duo ponerentur, additis gallinaceis duobus, Lampridius. Pertinax imperator nimium illiberalis, amicis si quãdo de prandio suo mittere uoluit, misit offulas binas, aut omasi partẽ, aliquando lumbos gallinaceos, Iulius Capitolinus. Hoc primum antiquis cœnarum interdictis exceptum inuenio iam lege C. Fannij consulis undecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid uolucrum poneretur præter unam gallinam, quæ non esset altilis: Quod deinde caput translatum, per omnes leges ambulauit. Inuentumq; diuerticulum est in fraude earum, gallinaceos quoq; pascendi lacte madidis cibis, multò ita gratiores approbantur, Plin. Et mox cum de saginatione gallinarũ dixisset, Nec tamen (inquit) in hoc mangonio quic quam totum placet, hìc clune, alibi pectore tantum laudatis. Constat Messalinum Cottam Messalę oratoris filium palmas pedum ex anseribus torrere, atq; patinis cum gallinaceorum cristis condire reperisse, Plinius. Heliogabalus sæpe edit ad imitationem Apicij calcanea camelorum, & cristas uiuis gallinaceis demptas, linguas pauonum & luscinarum, quòd qui ederet ab epilepsia tutus diceretur, Lampridius.

¶ Apparatus uarij. Apicius lib. 5. Artis coquinariæ, cum Conchiclas quasdam (sic dicta edulia à faba conchide, ut puto) cum faba & cum pisa describsisset: Aliter (inquit) conchiclam sic facies: Pullum lauas, exossas, concidis minutatim cepam, coriãdrum, cerebella eneruata: mittis in eundem pullum: liquamine, oleo & uino ferueat. cum coctus fuerit, concidis minutatim cepam & coriandrum. colas ibi pisam coctam non cõditam, accipies conchiclam pro modo, componis uariè: deinde teres piper, cuminum: suffundis ius de suo sibi. item in mortario oua duo dissolues, temperas, ius de suo sibi suffundis pisæ integræ elixæ, uel nucleis adornabis, & lento igni ferueri facies, & inferes. Aliter conchicla farsilis, siue conchiclatus pullus uel porcellus: Exossas pullum à pectore, femora eius iungis in porrectum, surculo alligas, & impensam paras, & facies alternis pisam lotam,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 428 sur 825

cerebella, lucanicas, & cætera. teres piper, liguſticum, origanum & zingiber. liquamen ſuffundis, paſſo & uino temperabis. facies ut ferueat. & cum ferbuerit, mittis modicè & piſam cum condieris, alternis in pullo componis, omento tegis, & in operculo deponis, & in furnũ mittis ut coquantur paulatim, & inferes.

EX EIVSDEM AVTHORIS LIBRO VI. CAP. IX.

In pullo elixo ius crudum. Adijcies in mortarium anethi ſemen, mentham ſiccam, laſeris radicem: ſuffundis acetum: adijcies caryotam: refundis liquamen, ſinapis modicum & oleum: defruto temperas, & ſic mittis in pullum, anethatum. Aliter pullus. Mellis modice, liquamine temperabis. Lauas pullum coctum, & ſabano mundo ſiccas, charaxas, & ius ſciſſuris infundis, ut combibat: & cum cõbiberit, aſſabis, & ſuo ſibi iure pertangis, piper aſperges, & inferes. Pullus Parthicus. Pullum aperies à naui (pectore forte. nam infra pullum farſilem à pectore aperiri iubet. Sed Humelbergius partem poſteriorem uentris accipit) & in quadrato ornas: teres piper, liguſticum, carei modicum: ſuffundes liquamen: uino temperas: componis in cumana pullum, & condituram ſuper pullum facies, laſer & uinum inter illas diſſoluis, & in pullum mittis ſimul & coques, piper aſperges & inferes. Pullus oxyzomus. Olei acetabulum maiorem ſatis modicè, liquaminis acetabulum minorem, aceti acetabulum perquam minorem, piperis ſcrupulos ſex, petroſelinũ, porri faſciculum. Pullus Numidicus, (qualis apud Numidas cõdiri ſolebat, aut potius ex pullis gallinæ Numidicæ,) Pullum curas, elixas, lauas, laſere & pipere aſperſum aſſas: teres piper, cuminum, coriandri ſemen, laſeris radicem, rutam, caryotam, nucleos: ſuffundis acetũ, mel, liquamen: & oleo temperabis. Cum ferbuerit, amylo obligas: pullum perfundis: piper aſperges & inferes. Pullus laſeratus. Aperies à naui: lauabis, ornabis & in cumana ponis: teres piper, liguſticum, laſer, uinum: ſuffundis liquamen: uino & liquamine temperabis, & mittis pullum: coctus ſi fuerit, pipere aſperſum inferes. Pullus paroptus. Laſeris modicum, piperis ſcrupulos ſex, olei acetabulum, liquaminis acetabulum, petroſelini modicum. Pullus elixus ex iure ſuo. Teres piper, cuminum, thymi modicum, fœniculi ſemen, mentham, rutam, laſeris radicem: ſuffundis acetum: adijcies caryotam & teres: melle, aceto, liquamine & oleo temperabis: pullum refrigeratum & ſiccatum mittis, quem perfuſum inferes. Pullus elixus cum cucurbitis elixis. Iure ſupraſcripto addito ſinape perfundis & inferes. Pullus elixus cum colocaſijs elixis. Supraſcripto iure perfundis & inferes. Facit & in elixum cum oliuis colymbadibus non ualde (impletum,) ita ut laxamentum habeat, ne diſſiliat dum coquitur in olla: ſubmiſſum in ſportellam cum bullierit, frequẽter lauas & ponis ne diſſiliat. Pullus Varianus, (à Vario Heliogabalo fortaſsis. aliâs Vardanus.) Pullum coques iure hoc: liquamine, oleo, uino: faſciculum porri, coriãdri, ſatureiæ: cum coctus fuerit, teres piper, nucleos cyathos duos, & ius de ſuo ſibi ſuffundis, & faſciculos proijcies, lacte temperas, & reexinanies in mortarium ſupra pullum ut ferueat: obligas cum albamentis ouorum tritis: ponis in lance, & iure ſupraſcripto perfundis. Hoc ius candidum appellatur. Pullus Frontonianus. Pullum prædura, condies liquamine, oleo mixto, cui mittis faſciculũ anethi, porri, ſatureiæ, & coriandri uiridis & coques: ubi coctus fuerit, leuabis eum, in lance defruto perfundes, piper aſperges & inferes. Pullus tractogalatus, (à tracta & lacte quibus condiebatur, Humelbergius.) Pullum coques liquamine, oleo, uino: cui mittis faſciculum coriandri, cepam: deinde cum coctus fuerit, leuabis eum de iure ſuo, & mittis in cacabum nouum lac & ſalem modicum: mel & aquæ minimum, id eſt tertiam partem, ponis ad ignẽ lentum ut tepeſcat: tractum confringis & mittis paulatim, aſsiduè agitas ne uratur, pullum illic mittis integrum uel carptum, uerſabis in lance, quem perfundes iure tali. Piper, liguſticum, origanum: ſuffundis mel, & defrutum modicum: & ius de ſuo ſibi temperas in cacabulo: facies ut bulliat: cum bullierit, amylo obligas & inferes. Pullus farſilis. Pullũ ſic ne aliquid in eo remaneat, à ceruice expedies: teres piper, liguſticum, zingiber, pulpam cæſam, alicam elixam, teres cerebellum ex iure coctum: oua confringis & commiſces ut unum corpus efficias: liquamine temperas, & oleum modicè mittis, piper integrum, nucleos abundantes, fac impenſam, & imples pullum, uel porcellum ita ut laxamentum habeat. Similiter & in capo facies. Accipies pullum & ornas ut ſupra: aperies illũ à pectore, & omnibus eiectis, coques. Pullus leucozomus. Accipias aquam & oleum Hiſpanum abundans, agitatur ut ex ſe ambulet & humorem cõſumat: poſtea cum coctus fuerit, quodcunq; olei remanſerit, inde leuas: piper aſperges, & inferes.

¶ In iſicia de pullo. Olei floris lib. 1. liquaminis quartarium, piperis ſemuncia. Aliter de pullo. Piperis grana x x x 1. conteres, mittis liquaminis optimi calicem, caræni tantundem, aquæ x 1. mittes: & ad uaporem ignis pones. Iſicia de pauo primum locum habent, ita ſi fricta fuerint ut callum uincant. ſecũdum iſicia de phaſianis, tertium de cuniculis, quartum de pullis. Aliter, (Iſicium amylatum.) Oſsicula de pullis expromas, deinde mittis in cacabum porros, anethum, ſalem: cum cocta fuerint, addes piper, apij ſemen: deinde orindam (forte oryzam, cuius & paulò ante meminerat in ſimili iſicio amylato. ſed Humelbergius ex Heſychio orindam interpretatur ſemen ſimile ſeſamæ, &c.) infuſam teres: addes liquamen & paſſum uel defrutum, omnia miſces & cum iſicijs inferes, Apicius 2. 2.

¶ Gallus cum oxylíparo apponitur Dipnoſophiſtis apud Athenæum lib. 8. Ταλεὺς καὶ βατίδας ὅσπερ τὴν χθὲς ἐν ὀξυλιπάρῳ τρίμματι σκολάζεις, Timocles Comicus. Eſt aũt forte oxylíparum trimma ſeu con-

seu condimẽtum, idem aut simile quale supra in pullo oxyzomo Apicius describsit, quod conficitur aceto, liquamine & oleo quæ lipará, id est pinguia sunt, &c. Inuenio oxyliparon genus esse iuris in quo raiæ ac cæteri eius naturæ pisces mandi soleant, Hermolaus. ¶ Qui morbo regio æstiuo laborat, obsonium edat pullum gallinaceum percoctum, probè conditum cum cepa, coriandro, caseo, sale, sesamo, & uua passa alba, Hippocrates in libro de internis affectionibus. Egregia quædam cõdimenta pro pullis coctis describit Ant. Gainerius in capite de restaurãdo appetitu. ¶ Pullus in agresta. Pullum cum salita carne decoquito: ubi semicoctus fuerit, grana uuæ sublatis è medio uinaceis, in cacabum feruentem indito: petroselinum & mentham minutatim concidito, piper & crocum in puluerem conterito. Hæc omnia in cacabum, ubi pullastra cocta fuerit, conijcito, ac patinam statim facito. Hoc obsonio nil salubrius, admodum enim alit, facile concoquitur, stomacho, cordi, hepati, renibus conuenit, ac bilem reprimit, Platina lib. 6. cap. 16. Et mox cap. 17. Pullus assus. Pullum bene depilatum, exinanitum & lotum assabis, asso, atq; in patinã impositó, antequam refrigeat, aut succum mali medici, aut agrestã cum aqua rosacea, saccaro ac cinnamo bene trito infundes, conuiuisq; appones. Hoc Bucino non displicet, qui acria (acida) simul ac dulcia appetit, ut bilem reprimat & corpus obeset. Idem 6. 9. præscribit quomodo paretur pastillus ex quauis carne animantis cicuris, ut uituli, capi, gallinæ & similium. Eiusdem è lib. 6. cap. 15. de porcello lactente condimentis quibusdam farciendo assandoq;, uerba recitaui in Sue G. Idem autem (inquit) fieri potest ex anate, capo, pullastra. ¶ Qui icteri prima specie laborat, obsonium edat pullum gallinaceum percoctum probe conditum cum cepa, coriandro, caseo, sale, sesamo & uua passa alba, Hippocrates in libro de internis affectionibus. ¶ Ex capis aut pullastris Mirause Catellonicũ, Platinæ uerbis describemus in Capo F. ¶ E pullastris pastilli, ex libro Germanico Baltasaris Stendelij. Pastillo confecto pullastras ritè paratas membris confractis impone: & pro magnitudine pastilli tria aut quatuor oua addito, salem, & zinziber satis abunde. per æstatem cõuenit etiam uuas passas Corinthiacas addi, ut caponibus quoq;, & aliquid butyri recẽtis. operculum etiam facies quale pro pastillo è capone præscribitur, & ouis illines. horis duabus coques. Quòd si frigidum habere malis, ius per foramen superius effundito, & pinguí separato flatu, idem rursus affundito. Cum pulli in olla operta coquuntur, uel assantur potius in butyro, affuso etiam uino modico cum semiassi sunt, nostri hoc genus coctura uocant **verdempffen**. Latinè forsan suffocare dixeris, quemadmodum oua pnicta, id est suffocata Græci efferunt. Sunt qui uuarum acinos cum pullo in olla operta coquant. deinde conterunt, exprimunt, & rursus ad pullum affundunt cum butyro; Baltasar Stendelius. Et rursus ad idem, Pullos ritè paratos in ollam inde, uinum & ius carnium affunde, cum modico salis & aromatici pollinis crocei, quod si iusculum crassius desideras, segmenta duo panis albi tosta bullienti iuri injcito, cum ferbuerint, extractis unà cum iecore tritis exprimito succum colando per aromaticum pollinem, & rursus affundito, & perfectè coqui sinito. Sunt qui limonum (quæ poma sunt de genere citreorum) segmenta cum pullis elixant, quæ deinde ijs cum inferuntur impo nunt, &c. ¶ Pullos elixos uel suffocatos, ut diximus, nostri aliquando cum pisis recentibus seorsim coctis inferre solent. ¶ Gelu cum expresso succo carnis gallinacei pulli, in Gallia usitatum pro febrientibus & alijs ad uires restaurandas. Carnem pulli & pedes uituli aut ueruecis discoques donec caro incipiat dissolui, tum percolabis & exprimes succum, cui adijcies bonam partem sacchari ac pollinis cinnamomi: purificabis cum albuminibus & testis ouorũ, colabis denuò, addesq; crocum, aut aliud quippiam pro colore quem desyderas, uiride, rubrum, &c. si acidum placuerit, aceti aliquid, uel rob, id est defrutũ aliquod eius saporis, ut de ribes aut berberis addi potest. ¶ Cibarium contusum: Gallinam uel caponem percoquito donec carnes bene molescant, & in pila pulpam unà cum ossibus contunde. quod si parum carnis fuerit, licebit etiam segmenta albissimi panis simul cõterere. tum unà cum iure omnia per æneum uas colatorium exprimes, modicum generosi uini, & croci aromatumq; quantum satis uidebitur adijcies, & coques aliquandiu, cum inferre uoluerís, panem tostum subijcies, interdum oua extra testam in aqua cocta impones. Reliquias etiam gallinarum & caponum à mensa, carnes scilicet cum ossibus aliqui tundunt, & ferculum parant: cui nonnulli elixum hepar agninum contusum adijciunt. Hic cibus puerperis, & ijs qui uenam secuerint conuenit, Baltasar Stendelius.

¶ Si uespertinus subito te oppresserit hospes, Ne gallina malum responset dura palato, Doctus eris uiuam misto mersare falerno: Hoc teneram faciet, Horatius 2. Serm. Nux pullo incluſa illum longè celerius coqui facit, Cor. Agrippa. ¶ In pastillum gallinaceum. Cristas pullorum trifariam, iecuscula quadrifariã diuidito: testiculos integros relinquito, laridum tessellatim concidito, nec tundito. duas aut tres uncias uitulinæ adipis minutatim concidito, aut loco adipis medullam bubulam aut uitulinam addito. Gingiberis, cinnami, saccari, quantum satis erit sumito. Hæcq; omnia cum cerasis acribus (acidis) ac siccis ad quadraginta misceto, inditoq; in pastillum ad id aptè ex farina subacta factum. In furno aut sub testu in foco decoqui potest. Semicoctum ubi fuerit, duo uitella ouorum disfracta, modicum croci & agrestæ superinfundes, Platina 6. 38. ¶ Edulium in asthmate & alijs affectionibus pectoris, cum ægri infirmi sint admodũ. Pullum uel gallinam iuuenem pinguem cum ordeo puro discoquito donec liquefiat. tum tere pullum cum pulpa & ossibus, & parum ptisanæ infunde, exprime, cola. præstabit quidem pullo dum teritur aquã rosaceam affun

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 430 sur 825

dere, & diligenter miscere, Arnoldus in libro de aquis. Idem in libro de conseruanda sanitate: Album ferculum (inquit) de pullis gallinarum frequenter sumi poterit, modo ne fiat de pulpis effilatis, (sic loquitur,) sed ex trãsuerso subtiliter incisis: & postea cõtritis ac ligatis cum lacte amygdalarum, paucóue amylo aut polline oryzæ. ¶ Ius gallinaceum cum amygdalis: Cape tibi selibram amygdalarum, tres ouorum uitellos exiguos, iecuscula gallinarum, panis è simila modum duorum ouorum, cremæ lactis quantum semiobolo emitur, ius gallinæ ueteris perfecte coctum. Tum amygdalas contusas cũ iure percolando exprime, & da. Vel pone prius in hoc iure sic parato pullum prius coctum, & modicè simul efferuere sinito, ut densiusculum fiat: & modicum cinnamomi, caryophyllorum salisq; addito, Baltasar Stendelius. Ex eodem ius uiride pro gallina (aut pullo:) Pyretro, sam sucho, petroselino minutatim dissectis uinum affunde, simul agita, saccharum & aromatis aliquid adde, & affunde iuri in quo gallina cocta est: nec amplius coquito ne color uiridis euanescat. Condítura pro gallinis elixis: Gallinam elixam integram, uel in partes diuisam, bene purgatam in ollam inde, permodicum aquæ affunde cum pauco uino dulci, & butyri modicum adde, & pollinis aromatici nonnihil de macere, cinnamomo, caryophyllis. Cura diligenter ne diutius ad ignem maneat hoc ferculum, fit enim prorsus inutile. Tolles cum ad ruffum colorem gallina uergit, & ius mediocre habet. Si dulce placuerit, saccarum per se uel cum aromatibus adijcies. Aliud edulium de pullis uel capis cum pane tosto, &c. ex eodem, ipse Germanicè uocat **plutzte hũner**. Pullos aut capos assos frustatim dissectos saccharo cum aromatibus condies, ac uino dulci perfundes, imponesq; segmentis è pane albo tostis eodem uino dulci madentibus, frigidum pones. Condimentum quo gallina uel pullus farcitur, iecur & uentriculum è gallina manu diligenter exímes, ita ne quid frangas, hæc minutatim concisa cum ouo permisce, & croceum colorem adde si placet, addes & olus uiride concisum, uel uuas passas minores: his immissis pollinem aromaticum affundes, & uentrẽ gallinæ religabis, eamq; in olla coques eo genere quod suffocationem uocãt, (**verdempffen.**) Cæterum pro gallina assanda, condimentum hoc in patella mixtum cum ouo subiges, & in uentrem immittes, Idem. Præscribit & alios quosdam modos, (**ein angelegte heñ/knödle von hennen/** quos brevitatis gratia relinquo. ¶ Aliqui gallinam pullam in optimo uino albo discoquunt, & dissolutam coctione diutina exprimunt, colantq; ius, & cum oui uitello ad ignem miscent, hac sorbitione prostratas ægrorum uires mirificè restaurari aiunt. ¶ Liquamen quomodo fiat ex adipe gallinaceo & anserino, uide in Sue F. ex Platina. ¶ Porcelli dimidia parte assi & dimidia elixi, fartíq; turdis ac uentriculis gallinaceis, Athenæus meminit libro 9. ¶ Mutagenat, est cibus qui fit in aliquo uase cum lacte seminum communium, (cucurbitarum generis,) iure gallinæ & uitellis ouorum. conditur autem saccharo & polline qui constat cinnamomo, spica, cubebis, calamo aromatico & carise mine. coquitur ad ignem, & apposita super uas testa calida, Syluaticus.

¶ Ex uolucrium genere gallinæ (gallinaceum genus) omnibus præstant. sint autem altiles, Aëtius in cura colici affectus. Auium caro minus nutrit quàm quadrupedum, sed facilius concoquitur, præcipuè perdicis, attagenis, columbæ, gallinæ & galli, Galenus 3. de alimentis. Idem in libro de cibis boni & mali succi enumerans cibaria laudata, & neq; tenuem neq; crassum succum (aut sanguinem) gignentia, adnumerat ex auibus gallos & gallinas, &c. quod & in alijs libris ab eo repetitur, & secutis eum authoribus alijs. Temperatum bonumq; sanguinem ornithopula (id est pulli gallinacei) gignunt nec tenuem nec crassum plus iusto, Symeon Sethi. Gallinæ (& pullorum gallinaceorum, Sethi) caro facile concoquitur, Galenus in libro de diff. continui. Minus suauis est quàm phasiani, sed similis ei in coctione & nutrimento, Ibidem. Gallinæ caro accommoda est siccis, Galen. 6. de sanit. tuenda. Gallinacei utiles sunt calidis & siccis, Idem 8. Methodi. Gallinæ cortales non edendæ sunt homini qui ociosè uiuat, sed montanæ potius, Idem in libro de atten. uictu. Gallinacei pulli prosunt ijs qui minus se exercent & otiosis, (hoc Galenus non concedit, cuius hæc sunt uerba: Gallinaceæ carnis usum, ijs quibus ratione uictus tenui opus est, exercitatis quidem non prohibeo, præsertim earum quæ in montibus fuerint educatæ. at qui se non exercent, ijs gallinacea carne minus utendum est. alis tamen gallinarum uel in tenui uictus ratione uesci licebit: quanquam neq; uiscera, neq; gallinaceorum testes huic diætæ sunt idonea.) & his simul quibus facile obstruuntur meatus. his insuper qui stomachum calidum habent, unaq; aluum promouent, Symeon Sethi. Gallinarum (uel gallinaceorum pullorum) caro secundo loco est quo ad bonum succum generandum post attagenas, præsertim si pinguis fuerit. talis etiam corpus humectat & otiosos iuuat, coloremq; bonum comparat, & genitali semini adijcit, & cerebri substantiam auget. & in primis earum (uel pullorum) medulla. hæc enim cerebrum abunde nutrit. & idcirco aiunt, quòd his qui leuiori ingenio ac mente sunt, prodest, Idem. Caro pullorum gallinaceorum (gallinarum alfethi) intellectum auget. uocem clariorem reddit, & genituram in iuuenibus auget, Auicenna. Gallorũ ueterũ caro astringit, ius soluit. (uide infra in G.) gallinarum uerò ius astringit, Galenus in opere de simplicibus, & ad Pisonem. Galli excipiuntur à cibis ictericorum, nisi moderatè carnosi fuerint, in libello de cura icteri qui Galeno adscribitur. Pullus cohortalis quo tenerior est, eò minus alimenti præstat, Celsus. Inter aues melior est caro alduragi, (id est francolini, Bellunensis) & gallinarum est subtilior ea. & non sunt cum nutrimento carnium alchabugi, & altaiaigi & altedarigi, Auicenna. Gallinę succum gignũt temperatum. nam neq; calidæ sunt, ut facile in bilem abeãt:

neq;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 431 sur 825

nec frigidæ, ut pituitam augeant. Itaq; neſcimus qua ratione uulgus & medici quidam podagricis eas interdicant ceu podagram generãtes, quod ſi fieret, nullam certam ob cauſam, ſed occulta quadam proprietate contingeret, ab authoribus quidem nihil huiuſmodi proditum eſt. (Putauit Ariſto teles eum qui aliquandiu gallinas pingues eſitauerit, inducere hæreditatem hæmorrhoidum & podagræ, Raſis.) Coloris bonitatem faciunt: & cerebella earum ſubſtantiam cerebri augent, ac ſenſus acuunt. Ipſæ in cibo conueniunt conualeſcentibus & otioſis, præcipuè pulli & antequam coierint, Elluchaſem. Idem in tabulis laudat eas quæ paſcantur uiridi & libero campo: genituram augere ſcribit & cerebrum, exercitio utentibus conuenire, præſertim cum bono uino odorato: temperatis, pueris, uêre, calidas eſſe temperatè, uel in ſecũdo abſceſſu. gallos uerò calidos & ſiccos in ſecundo, præferri ex eis qui uocis temperatæ ſunt, ſtomachum roborare. conuenire frigidis, decrepitis, hyeme: nutrimentum ex eis non laudari. ¶ Gallina eſt temperatæ carnis & leuis, Albert. ¶ Galli caro durior quàm gallinæ eſt, Idẽ. Decrepiti galli carnes teneriores ſunt quàm iunioris, & ſi quid ineſt uiſcoſum decoctione conſumitur, Idem.

¶ Caro gallinarum iuuenum eſt calida & humida, licet parum: unde Galenus temperatam eſſe ſcripſit. pulchrum colorem efficit, quamobrem à mulieribus appetitur. Sed nimis annoſarum caro frigida eſt & ſicca, difficilis concoctu, ſicut & gallorum & caponum decrepitorum. Auicenna tertia primi: Præſtant (inquit) gallinæ quæ in uentre agni aut hœdi aſſantur, earum enim humiditates conſeruantur. Pullorum marium caro eſt temperata, ad humiditatem declinans quod ad nos. facile concoquitur, ſanguinem laudabilem gignit, appetitum roborat, omnibus ferè temperamentis conueniens. ius eorum humores æquat & uentrem ſoluit Auicennæ. ius uerò gallinarũ magis nutrit. Pullaſtrarum uerò caro humidior & minus calida eſt, non æquè ſanis conueniens, ſed magis intemperatis quibuſdam. ex his earum quæ nondũ peperêre caro, mediocriter pinguis, proba & temperata eſt Auicennæ. Gallina ſiccior eſt quàm pulli, & uentrem nonnihil aſtringit, quem pulli humectant. quare elixæ magis quàm aſſæ gallinæ ſunt comedendæ, Iſaac.

¶ Electio. Galli gallinæq; ueteres improbantur. eliguntur pulli mediocriter pingues, Sauonarola. Mares antequam cantent aut coëant: fœminæ antequam pariant, (cum parere incipiunt, Arnoldus Villanou.) Idem, Sym. Sethi, Auicenna, Raſis, Elluchaſem. Capos præpingues aſſos mediocres inter maciem & pinguedinẽ comedes. idem fiet de gallina & pullaſtra, Platina. His tanquam ſaluberrimis ueſci debent quotidie uel maiori ex parte, quicunq; ſanitatis rationem habent, Elluchaſem. Gallinæ meliores ſunt hyeme. quia tum minus fœtu exhauriuntur. Pulli uerò æſtate dum tritura fit, dumq; adhuc de uite omphacium pendet, eſui meliores habentur: maſculi tamen magis quàm fœmellæ, Platina. Galli ante interſectionem fatigari debent, Elluchaſem. Gallinæ (parum iuuenes ſcilicet, quò minus duræ ſint) ſtatim occiſæ euiſcerari debent, & ſuſpendi à matutino tempore uſq; ad ueſpertinum, uel contrà, Arnoldus de Villanou. Vulgò experimento cognitum eſt pullos albos in uentriculo non facile coqui, ut Gilb. Anglicus ſcribit. Marſilius tamen præfert albos pro hecticis, tanquam minus calidos, Gaynerius. Gallinas albas nigris aliqui ſuauiores eſſe tradunt, Chryſippus apud Athenæum. Gallorum & gallinarum caro alimenti eſt inter aues optimi, quia facile in ſanguinem uertitur, & parum excrementoſa eſt. Caro autem gallinarum eſt melior quàm gallorum, niſi ſint caſtrati. nigrarum quoq; & quæ nondum pepererunt caro eſt melior & leuior. Veterum autem, præcipuè gallorũ, caro nitroſa eſt & ſalſa, cibo inepta, Syluius. Gallinas autem carnem tunc habere ſuauiſsimam, cum non alimẽto abunde eis exhibito, ipſę ſuis pedibus ſcalpentes non ſine labore cibum inueniunt, Clemens 2. Stromat.

¶ Hippocrates in libro de internis affectionibus, A pituita (inquit) maximè in aquã intercutem tranſitus fit, &c. in hac qui curabilis eſt, obſonium edat carnem galli aſſatam & calidam, &c. Et rurſus, Qui pituita alba laborat, &c. in cœna utatur galli carnibus & ſuis tritis. In morbo craſſo etiam à pituita putrefacta obſonium è gallinaceo pullo cocto commendat. Et alibi in eodem libro, Ab hepate laborans aqua intercute, &c. galli carnem aſſatam calidam habeat. ¶ Aretæus in curatione cephalææ carnes nuper interfecti galli laudat. Morſus à cane rabido pullorum ius ſorbeat, Arnoldus de Villan. ¶ Qui gallinaceam carnem eſitauerint, non ſtatim lac acidum (oxygala) ſumant: quoniam obſeruatum eſt colicos morbos inde fieri, Sym. Sethi.

¶ Gallinarum ius aſtringit, gallorum uerò ueterum uentrem ſoluit, ut ſcribit Galenus lib. 11. de ſimplicib. & in libro de attenu. uictu. Vide mox in G.

¶ Gallinarũ ſanguis non eſt inferior ſanguine ſuũ, ſed multò peior leporino. ſunt qui eo ueſcantur, Galenus lib. 3. de alimentis. Et rurſus lib. 10. de ſimplicib. cap. 4. Nõ pauci (inquit) pro alimento habent ſanguinem leporis & gallinarum, & ex ijs etiam qui urbes incolunt complures.

¶ Patina ex capitibus & interaneis caponum & gallinarum: Gallinarum atq; auium iecuſcula, pulmones, pedes, capita & colla, bene lauabis. Lota & elixa in patinam ſine iure transferes. Indes acetum, mentham, petroſelinũ, inſpergesq; piper aut cinnamũ, ac ſtatim conuiuis appones, Platina.

¶ Gallinaceorum criſtæ & paleæ nec probandæ nec improbandæ ſunt, Galenus libro tertio de alimentis.

¶ Ventres & hepata anſerum pinguium, deinde gallinarum pinguium omnibus præferuntur, Elluchaſem. Ventriculus uolatiliũ ſi cõcoquatur, uberrimè nutrit. gallinę quidẽ & anſeris præſtan-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 432 sur 825

tiſsimus eſt, Galenus in libro de cibis boni & mali ſucci. Ventriculi in cibo laudantur præ inteſtinis, præſertim altilium gallinarum, magisq; etiam anſerum. ſunt enim perquam ſuaues: cæterum cra ſsi duriq;, eoq; ad concoquendum difficiles: ſed quibus ſemel coctis multum alimenti inſit, Galenus ſi bene memini. Ventriculi animalium non laudantur in cibo, præter uentriculum gallinarum, aut anſerum, aut gruis, Arnoldus Villanou.

¶ Gallinarum alæ bene coquuntur, & bene nutriunt. conueniunt è balneis redeunti. item in uictu attenuante, Galenus in diuerſis locis. Alæ auium in cibum ſumptę, ſaluberrimi ſunt alimenti, præcipuè autem gallinarum. ſunt qui & anſerinas his addant. frequenti enim motu ſi quid mali ſucci ineſt, purgatur. Similiter quoq; anſerina & gallinacea colla (quàm) cæterarum uolatilium meliora putantur, ſi ſanguine intercutaneo caruerint, Platina. Gallinaceorum lacte nutritorum alæ & teſtes in ſiccitatibus cõueniunt, Galenus 7. Methodi. ¶ Inter hepata primatus anſerino: quod ut humidius & tenerius eſt, ita ſapore ſuauius: ſecunda laus hepati gallinaceo, Raſis ex Galeno. ¶ Gigeria, inteſtina gallinarum cum his & ita (forte, cum gallinis ita) cocta, Lucilius lib. 8. Gigeria ſunt ſiue adeò hepetia, (hepatia,) Nonius. Quidam ſic citant, Gigeria ſine oleo, his ueſcamur alacriter. Inteſtina gallinarum cum rebus alijs incocta, ueteres gigleria uocabant, Hermolaus. ¶ Gallinacei teſtes & uiſcera non conueniunt in uictu attenuante, Galenus. ¶ Gallinaceorum renes, teſtes & iecur, præſertim altilium, boni ſucci ſunt, Galenus. Teſtes eorum ſuauiſsimi ſunt, & probum alimentum corpori conferunt, Idem. 3. de alimentis. Et rurſus, Per omnia optimi ſunt. In ſiccitatibus (affectibus & conſtitutionib. ſiccis) conueniunt, Idem 7. Methodi. Gallorum lacte altorum teſtes utiles ſunt in ſyncope ex ſuccis tenuibus, Idem 12. Methodi. Cur gallinaceorum teſtes, quos lacte ſaginant, ampliſsimi & concoctu faciles fiant, cauſam adfert Alexander Aphrodiſienſis in Problematibus 2. 73. interprete Gaza. Teſtes galli (aliàs galli caſtrati, qui ſcilicet à caſtrãdo eximuntur) laudabiles ſunt & faciles concoctu, Auicenna. Languentibus dari conſueuerunt, Galenus in Commentario in librum de uictus rat. in morb. ac. dandi in tertiana, Idem ad Glauconem. Iis qui ex ſyncope maraſmo contabeſcunt, teſticulos gallorum, quos Græci orchis & paraſtatas appellant, dare oportet. perpetuò enim omnibus hectica laborantibus commodi exiſtunt, cum abunde nutrire & uires augere poſsint, ubi probè concocti fuerint. quapropter id alimenti ſemper exhibendum eſt, ubi uires nondum ad extremum collapſæ fuerint. quod enim præſidium deinceps eſſe poteſt, ſi natura alimentum concoquere non poſsit? Alex. Trallianus. Gallinaceos præparamus (in uſum præcipuè hecticorum & phthiſicorum) pane in lac acidum & ſeroſum merſo ſi ante nutrimus quàm iugulemus, ut teſtes habeant gratiſsimos & præſtantiſsimos: idq; ante coitum, ne uirus ex ſemine oleant. ſic enim boni ſunt ſucci, ualidè nutriunt, facile coquentur, Syluius citans Galeni librum 3. de aliment. ¶ Gallinaceorum teſtes ſubinde ſi à conceptu edat mulier, mares in utero fieri dicuntur, Plinius.

G.

DE REMEDIIS EX OMNI GALLINACEO GENERE, GALLIS, GALLINIS, pullis, eorumq; partibus & excrementis. De ouis tantum ſeorſim agetur in Gallina G.

Morbo regio reſiſtit gallina, ſi ſit luteis pedibus prius aqua purificatis, dein collutis uino quod bibatur, Plinius. Gallinaceum pinguem uerno tempore dempta cute & interaneis, ſale fartum in umbra ſuſpendito, donec arefiat: mox illum exoſſato, atq; unà cum ſale conterito, in uitrea hamula ad uſus ſeruato, obolis duobus ſi bibitur, mirè Venerem concitare dicitur, Alexand. Benedictus. ¶ Mirabile remedium in arthritide à muliere quadam, & adhibetur in quouis loco ubi iunctiuræ exeunt (forte, exiſtunt.) Gallina bene habita quadrima, abſinthio referta, coquatur in tribus ſitulis aquæ ad duarum partium conſumptionem. hinc æger foueatur (uaporetur, fiat ſtuffa,) bis quotidie donec liberetur, fricando ſemper ad inferiora, Additiones ad practicam Varignanę. ¶ Pullas & capos iure & carne uiperarũ cum pane ſubactis nutriuit Matthæus Gradi ad uſq; deplumationem, curaturus horum eſu elephantícos, Syluius. Serpentem uarium, qui inter alios minimum habet ueneni, & Germanicè uocatur ein huſ (uocem à librarijs corruptam cõijcio) cum tritico coque. deinde ſic cocto tritico gallinam paſce, & idem ius pro potu præbe. Huius gallinæ carnibus accipiter paſtus pennas mutabit, & morbum, ſi quem habet, expellet, Albertus. ¶ Ex gallo uulturino uiuo remedium ad elephantiaſin Aetius præſcribit, ut recitabimus in Vulture G. qualis autem hic gallus ſit non docet. idem quidem remedium ex uulture etiam fieri ait.

¶ Ius. Ad uteros: Gallinam iugulato & feſtucam lineo panniculo inuolutam intra auem conde, eamq; conſuito, elixato, & ius potui dato, Author Euporiſtorum quæ Galeno tribuuntur 3. 237. Gallinarum ius ſimplex aluum retinere, ueterum autem gallorum eandẽ ſubducere experti ſumus, Galenus lib. 11. de ſimplicibus, & in libro de theriaca ad Piſonem. Gallinarum iuniorum ius ſimplex ad temperanda humorum uitia datur, & in ardoribus ſtomachi utile eſt, Dioſcorides. Græcè legitur, λύεται ὠμοπεπέσεως χύσεις ὑπὸ φαυλοτήτων. cum Galenus de eodem ſcribat, ὅτι ὠμοκρατικὸς ὄν διαλύει, hoc eſt facultatem cohibendi & aſtringẽdi habere. uidetur autem utrunq; uerè dici, ut & ὠμοκρατικὸν hoc ius ſit, id eſt fluxiones reprimat: & ὠμοπεπὲς, hoc eſt humorũ acrimoniam temperet. Marcellus Vergilius Dioſcoridis interpres, hęc uerba λύεται ὠμοπεπέσεως χύσεις φαυλοτήτων, ſic red-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 433 sur 825

ſic reddidit in annotationibus: Datur ad emendanda in homine temperamenti ſui uitia, quod minimè probo, quum & uerba Græca repugnent, & temperamenti uitia etiam contraria eſſe poſsint. Idem oſtendit ſe hunc locum de galli iunioris iure, in Græcis codicibus Dioſcoridis pleriſque omnibus uno excepto non reperiſſe, in uetere tamen Latina translatione, & apud Serapionem quoq; extare. Ad ſenſum quidem neceſſarius eſt perficiendum, & ſententiam ueram continet. Ius gallinarum, ſi æſtate in eo grana uuæ immaturæ decoquantur, bilem extinguit, Nic. Maſſa. Aluum cit & gallinaceorum decoctum ius, & acria mollit, Plinius. Sed acria mollire, id eſt mordaces humores temperare, gallinarum iuri magis conuenire iudico, earumq; iuniorum: gallinaceorum minus, & minimè quidem ueterum, cui ipſi tamen aluũ ciendi facultas maior. Ius gallinæ iuuenis & pinguis temperat complexionem, & eſt optima medicina leproſis, Auerrois. Ius è gallinaceo dyſentericis medetur, ſed ueteris gallinacei uehementius. falſum ius aluum cit, Plinius. hic quoq; ut galli iunioris ius in dyſenteria prodeſſe facile conceſſerim, ita an ueteris quoq; gallinacei ius ei cõueniat, addubito: & uerbum uehementius ita interpretari malim, quaſi hoc ius uehementius magisq; medicamentoſum ſit, quàm ut dyſentericos iuuet; nõ autem quaſi uehementius aut efficacius illis medeatur. Itaq; galli iunioris ius dyſenteriis utile dixerim, ueteris inutile, falſum inſuper noxium. Si torminoſi uel cœliaci propter frequentes deſurrectiones uiribus deficientur, dandum erit eis ius gallinæ pinguis excoctæ cum butyro, Marcellus. In iliaco affectu (inquit Aretæus, Iunio Paulo Craſſo Patau. interprete) alimenta aluum ducentia exhibeantur, ut iuſcula gallinarum. Ad inflammationes tonſillarum & anginas gallinæ hœdiue iuſculo utere, Galenus Euporiſton 2. 15. Caua ie-
coris purgat galli ueteris ius, Trallianus. Ius è uetere gallinaceo aluũ deijcit, abiectis itaq; interaneis ſalem conijci oportet, & conſuto uentre decoqui in uiginti ſextarijs aquæ, donec ad treis heminas (Marcellus Vergilius ſuſpicatur ſextariorum & heminarum numeros, pro rei neceſsitate maiores, uitiumq; in eorum notis forte eſſe. Plinius quidem in tribus congijs, id eſt octodecim heminis coqui iubet) redigantur: totum id refrigeratum ſub diuo, datur. Aliqui incoquunt braſsicam marinam, mercurialem, cnicum, aut filiculam. Crudos humores craſſosq;, atram bilem, & ſtrigmenta elicit, prodeſt longis febribus, ſuſpirijs, articularijs morbis, & inflationibus ſtomachi, Dioſcor. Ius è gallinaceo aluum ſoluit. Validius è uetere gallinaceo. Prodeſt & contra longinquas febres, & torpentibus membris tremulisq;, & articularijs morbis, & capitis doloribus, epiphoris, inflationibus, faſtidijs, incipienti teneſmo, iocineri, renibus, ueſicæ: contra cruditates, ſuſpiria. Itaq; etiam faciendi
eius extant præcepta. Efficacius enim cocti cũ olere marino, aut cybio (cnico forte, ut Dioſcorides) aut cappari, aut apio, aut herba mercuriali, aut polypodio, aut anetho: utiliſsime autem in congijs tribus aquæ ad tres heminas (id eſt libras ferè) cum ſupradictis herbis, & refrigeratum ſub diuo dari tempeſtiuis antecedente uomitione, Plinius. Ius è gallo uetere (inquit Auicẽna 2. 296.) ex Galeni præſcripto ſic fit. Gallus nutritus curſu fatigetur donec cadat, tum decolletur & exẽteratus impleatur ſale, conſuaturq; filo, & coquatur in uiginti ſextarijs aquæ uſq; ad tres cotylas, & id omne ſemel bibatur. quod ſi polypodium & anethum adijciantur, utile erit aduerſus articulorũ dolorẽ ac tremorem, &c. ut Dioſcorides. Et rurſus, Ius galli ueteris cum polypodio & anetho in colico affectu ſaluberrimum eſt. Febribus aut longis galli noua iura uetuſti Subueniunt, etiam tremulis medicantia membris, Serenus. Decrepitorum gallorum caro (inquit Io. Meſue lib. 2. de purgantibus
cap. 23. Iacobo Syluio paraphraſte) nitroſa & ſalſa, cibo inepta, medicamentoſa eſt, iure ſuo maximè. potiſsimum uerò gallorum ruſorum, qui ad motum ſint alacres, ad coitum ardẽtes, ad dimicandum fortes, obeſorum & macrorum medij: quoq; uetuſtiores, eò magis ſunt medicamentoſi Galeno. Id ius ob nitroſam & ſalſam ſubſtantiam calidum eſt, lauat, terget, tenuat, flatus diſsipat, cum ſemine anethi uel dauci & polypodio & ſale gemmæ coctum: & dolorem uentriculi, coli, ilium, renum, à flatibus ortum ſedat, obſtructa aperit. Purgat pituitam quidẽ cum turbit & cnico, ob id confert arthriticis doloribus ex hac natis. melancholiam uerò cum epithymo & polypodio: & cum ijſdem, atq; thymo, hyſſopo, anetho & ſale gemmæ, arthriticis confert. Gallus autem furfure à Galeno nutritus, aliis etiam melle & pauco ſale, plurimum fatigetur uel à nobis uenantibus, uel potius dimicando, decapitatus, & exenteratus cum ſale, aut ſale gemmæ, igne lento, aqua ſufficiente co-
quatur ad duarum aquæ partium conſumptionem: aliis atq; aliis ſimul incoctis pro uarijs medicorum ſcopis. Potatur eius decoctum ad libras duas, Hæc ille. Hierocles in Hippiatricis curationem equi anheloſi præſcribẽs, inter cætera oleum laurinum, roſaceum, crocum, uinum uetus, &c. ſimul decoqui iubet unà cum gallinaceo, & hoc decoctum unà cum hydromelite & ouo per dies ſex in equi nares infundi. Veteris galli iure uſi ſunt frequenter priſci pro medicamento aluũ molliente, & ad ichores educendos. aluum mirè proritat, ſi ſatis copioſè ſumatur, hoc eſt ad tres uel quatuor communes pateras. (nam una patera nihil efficit. alibi à libra una ad duas bibi iubet.) in qua copia potum etiam capi ius uentrem emollit. gallinacei uerò pulli ius etiamſi multò copioſius hauriatur, nihil omnino educet. Sed plura de his iuribus ſcripſi in Commentarijs noſtris in librum de ratione uictus in morb. acut. Antonius Muſa Braſſau. Et rurſus, Ius è uetere gallo atram bilem educere, ut
Serapio ſcribit, cum experirer uerum eſſe non reperi. Lenit enim & ea ſolum educit quæ in uentriculo & inteſtinis continentur. Senam quandoq; miſcui, & atram bilem eduxit: aliàs turbit, pro pituita detrahenda: aliàs myrobalanos citrinos pro bile flaua. Iura decrepitorum gallorum proſunt

asthmati & defectum cordis patientibus, Albertus. Amatus Lusitanus pro muliere quadragenaria, quæ maximo dolore ab ore uētriculi ad imum pectinem cruciabatur, febricitabat, uomebat, nec quicquam aluo reddebat, post cætera remedia, ius galli præscripsit huiusmodi. Gallum ueterē, quatuor ad minimum annorum, defatigatum interfice, & exenterato immitte, salis gemmæ drachmas tres, seminis cnici, polypodij de quercu recentis & cōtusi, ana unciam unam. seminis dauci, anethi, ameos, ana semunciam. turbith drachmas tres. misce & in libris duodecim aquæ fiat decoctio ad medias, Huius decoctionis (inquit) uncias sex ieiuna bibebat: & ex eadem interdum clyster paratur, quibus aluus secessit, ac dolor ex toto leuatus est. Alypon ad purgationem datur è gallinaceo iure, Plinius. Lathyridis grana stomachum lædunt. itaq; inuentum est, ut cum pisce aut iure gallinacei sumerentur, Idem. Aluo soluendæ Mercurialis decoquitur quantum manus capiat, in duobus sextarijs aquæ ad dimidias, bibitur sale & melle admixto, nec non cum ungula suis aut gallinaceo decoctum salubrius, Plinius. Heliotropij tricocci illitum semē, & potum in iure gallinacei decoctum, aut cum beta & lente, spinæ ac lumborum sanguinem corruptum trahit, Idem. Clyster ad omnem colicā ex descriptione Io. Gœuroti medici regis Galliarum. Gallus quem uetustissimum inueneris, uirgis uerberatus decolletur, & in situlam aquæ inijciatur. deplumati exenteratiq; uentri immittantur hęc medicamenta: Anisi, fœniculi, cumini, polypodij, seminis cnecí, singulorum semuncia. turpeti, senæ, agarici in subtili linteo ligati, de singulis drachmæ binæ. florum chamæmali manipulus. decoquantur usq; ad ossium separationem. Huius decocti libra cum oleis de anetho & de chamęmalo (duabus uel tribus uncijs utriusq;) & duobus oui uitellis misceatur, fiatq; clyster, qui tepidus uentriculo uacuo exhibeatur. ¶ Chiron Centaurus pro remedio malidis siue pestilentię iumentorum, præcipit catulum lactentem uiuum in aqua feruenti missum ac depilatum ita decoqui, ut ossa separentur à carne: quibus diligenter ablatis, eius caro cum aqua in qua decocta fuerit, liquamine optimo, uino ueteri & oleo & pipere cum melle condita, usq; ad sextarium debere seruari, ac singulis animalibus binas cotylas tepefactas donec ad sanitatem perueniant, diebus singulis dari per fauces. De gallo quoq; gallinaceo albo eadem quæ de catulo obseruanda demonstrat, Vegetius 1. 17. Idem remedium Absyrtus in Hippiatricis describit capite 128. enchymatismum cathartícum, id est infusionem purgatoriam appellans, nec aliud admiscens, sed solum catulum aut gallum in aqua discoquens. Contra malidem humidam equo infunditur per os ptisana ex auena, percolata, cui incoctus sit canis λευκόβιος (malim γαλαβινὸς, id est lactens, ut supra) bene purgatus & depilatus: sin minus, gallina, Hierocles. Gallina alba cocta cum decē cepis albis, & cum manipulo de aluiule, donec bene cocta sit & comedatur, & bibatur aqua, addit in appetitu coitus, Rasis ni fallor. ¶ Ius ex gallinaceis potum præclarè medetur contra morsus serpentium, Plinius. Ius gallinaceorum coquitur aliquando cum remedijs astringentibus ad dysenteriam, & cum lacte ad ulcera uesicæ, Auicenna. Plinius etiam simpliciter ius è gallinaceo (iuniore nimirum, ut supra monuimus,) dysentericis mederi scribit. In febri hepiala, in qua exteriora calent & frigent interiora, ijs cibis utere qui hemitritæo phlegmaticæ conueniunt. Gallus antiquus post longam cū altero dimicationem occidatur: coquaturq; cum hordeo, passulis enucleatis, pulegio, hyssopo, thymo & uiolis: temperetur q; cum oxymelite acri. propinato quantum uno hausto sorbere possit æger, Brudus Lusitanus. Et rursus pro eadem febri cum à simplici pituita dependet, præsertim in homine frigidæ naturæ: Senescentem gallum (inquit) prædicto modo defatigatum, parato ad hunc modum: Chamæmeli manipulum sesqui; ficuum aridarum, passularum enucleatarum, singulorum manipulum: hordei ab uno cortice exuti manipulos tres, coquito sufficienter & colato. Cum libra huius iuris misceto adipis anatis recentis uncias tres, aceti albi è pulegio unciam, salis parum, bulliant iterum donec permisceantur. Dato calidum, quantum uno hausto sorbere possit. efficacissimum est ad crassos humores & lentos febrem generātes. Idem cum capo & pulla efficere possis, sed inefficacius. Dicatur hæc sorbitio ex adipe anatis. Idem Brudus passim in opere suo de uictu febricitantium, diuersa remedia cum gallinis aut pullis coquenda præcipit, febribus diuersis salubria, ut cucurbitam, pruna, uuam acerbam &c. quæ propter prolixitatem omittimus. ¶ Gallinacea iura salubriter bibūtur, ubi sumpti uenení suspicio est. nam aluum subducunt, & stomachum resoluentia proniorem ipsum ad uomitionem reddunt: & uenenorum acrimonias hebetant: atq; meatus obstruentia, celerem uirium (uenení) penetrationem inhibent, Dioscorides: cum ad hunc usum non tantum hæc iura nominasset, sed etiam pisces præpingues, uetustas carnes pingues q;, & quæ adipe aut recenti butyro parantur. ¶ His qui toxicum biberint, iusculum pulli gallinacei pinguis absorbēdum dato postquam uomuerint, Aetius. ¶ Veneficijs ex mustela syluestri factis, contrarium est ius gallinacei ueteris largè hausum: peculiariter contra aconitum, addi parum salis oportet, Plinius. Pinguis gallinæ ius contra aconitum bibitur, Galenus libro 2. de antidotis & Nicander. Dioscorides aduersus idem malum lixiuiam laudat cum uino & gallina decoctam. Ius salsum ex gallina uel anserе auxiliatur illis qui coriandrum sumpserint post uomitionem irino oleo concitatā, Dioscor. Gallinæ pinguis de pectore caro cocta, uel iusculum inde potum remedio est contra dorycnium, Nicander & Dioscorides.

¶ Caro gallinarum claritatem uocis efficit, Auicenna. Aduersus exitum ani (resolutionem uel tenesmum) pullam gallinaceam assam edito, Obscurus. Cimicum natura contra serpentium morsus &

ſus & præcipuè aſpidum ualere dicitur: item contra uenena omnia argumentum, quod dicunt gallinas quo die cimices ederint, non interfici ab aſpide: carnes quoq; earum percuſsis plurimum prodeſſe, Plinius.

¶ Diſſectæ gallinæ (gallinarum pulli, Aegineta) & adhuc calentes appoſitæ, ſerpentium morſibus auxiliantur, ſed identidem alias ſufficere oportet (deinde folia oliuæ uiridia trita cum oleo & ſale ſupponere uulneri, Kiranides) Dioſcor. Et alibi, Diſſecti gallinarũ pulli, cum maximè tepent, percuſſo loco applicentur. Nec deſunt qui hiſce tanquam diſcordia quadam naturali pugnantibus utantur, uerum huius rationem inire facillimum fuerit. Gallinæ enim calida natura præditæ ſunt: argumento, quòd deuoratum inſigne uirus conficiunt, & aridiſsima quæq; ſemina conſumunt, item nonnunquam arenas lapilloſq; ingluuie ſua deuoratos, diſſoluunt. Itaq; animantis admoti calore adiutus ſpiritus, ab icta parte impetum capeſſens exiliensq; ſecum uenenum exigit. Carnes gallinæ nouiter occiſæ, ſi morſibus imponantur, obſiſtunt omnibus uenenoſis & curant, præter aſpidis morſum, Galenus Euporiſton 2. 143. Viuum gallinaceum pullum per medium diuidere, & protinus calidum ſuper uulnus (à ſerpente inflictum) imponere oportet, ſic ut pars interior corpori iungatur, Celſus. facit id etiam hœdus agnúsue diſciſſus, &c. Idem. Ad morſus uenenatos: Optimè auxiliantur ſi ſtatim poſt cucurbitas plagæ imponãtur animalia parua diſcerpta, &c. uide in Hœdo 6. Carnibus gallinaceorum, ita ut tepeant, appoſitis, uenena ſerpentium domantur, Plinius. Ad uiperę morſum: Primum ſcarificato: aut gallinam diſſecato, & interne adhuc calentem morſui imponito, atq; hoc frequenter repetito, Aetius. Obſcurus quidam aduerſus uirulẽtos morſus in uiro gallum diſcerptum calentemq; adhuc imponi iubet, in muliere gallinam: & ſtatim cor (cerebrũ potius) è uino bibi. Epilepſia quandoq; contingit ex morſu animalis uenenoſi, in quo caſu quamuis auem, ut gallinam, pullum, aut pipionẽ columbámue, per dorſum ſcindes, & loco morſus calidam impones. nam ſua calidítate uenenũ ad ſe trahit. Vel ſic, Gallus gallináue deplumetur circa anum, & ponatur anus ſupra locum morſionis, & attrahet ad ſe, Leonellus Fauentinus. ¶ Si bubo ortus ſit in peſte, gallus depiletur circa anum, & apponatur loco per horam, & in alia hora apponatur alter, & ſic fiat per totum diem. Sic uenenum attrahitur à corde galli, & gallus ſubito moritur, Petrus de Tuſignano, ſed locum prius ſcarificari iubet. ¶ Amatus Luſitanus catulum uel columbum uiuum diſſectum per ſpinam ſupra caput mulieris melancholicæ uel deſipientis imponi conſulit. Similiter ego quoſdam gallinam nigram diſſectam in eodem caſu admouere audio. ¶ Attactio dicitur, cum neruus pedis anterioris in iumento, à poſteriore crure (ut fit aliquando prę feſtinatione) lædítur. hoc malum ſi recens ſit, prima uel ſecunda die iunctura & locus ſcarificetur, ut per ſcarificationem ſanguis exeat: poſtea gallus per medium ſciſſus ſuperponatur calidus cum omnibus inteſtinis, Ruſius.

¶ Sunt qui ſcribant ſanguinem galli & gallinæ ad meningum, id eſt membranarum cerebri ſanguinis profluuium prodeſſe, quem ego cum nihil egregium præſtiturum ſperarem, experimentum de eo ſumere noluí, ne uel curioſus uel ſtolidus eſſe iudicarer, ſi multis probatisq; remedijs ad hunc uſum neglectis, maiorem è ſanguine iſtarum alitum non compertam hactenus utilitatem expectarem, præſertim cum ſanguinis ab hac parte profluuium ualde periculoſum ſit. Eſt enim omnino experientia huiuſmodi periculoſa, & à ſolis regibus circa facinoroſos homines uſurpanda, Galenus lib. 10. de ſimplicibus. Atquí Dioſcorides & alij hoc remediũ è gallinæ cerebro, ut infra dicetur, non è ſanguine prodiderunt. Sanguis galli leucomata oculorum & cicatrices cum aqua inunctus ſanat, Conſtantinus. Paucus gallinæ ſanguis cum oleo ex ouis permixtus, ſcabiem cholericam curat, Arnoldus Villanou. Sanguis gallinarum nigrarum aufert maculas fœtidas, & lentigines à facie & huiuſmodi, maximè ſi miſceatur ei lapis uaccinus tritus cum baurach rubeo. & reddit faciem formoſam, abſtergit, & bonum colorem facit, Raſis. Galli ſanguis eryſipelata & chimetla ſanat, & ijs qui marinum leporem comederint auxiliatur. Si quis allium contriuerit, & biberit calidum ſanguinem cum uino, nullum reptile timebit. pultibus uerò aſperſus, & ſumptus ad magnitudinẽ nucis circiter dies decem in cibo ab his qui ſurſum (per arteriam forte) educunt ſanguinem, prodeſt, Kiranides. Pullinum (ſed hoc remedium forte potius ex ſanguine pulli equini accipiẽdum eſt, etſi nihil tale inter remedia ex equo proditum inueniam) ſanguinem tepidum in eam aurem quæ obtuſior erit uel dolebit, infundes, Marcellus.

¶ Gallinaceum adipem intra corpus empyícis tantum dari legimus, apud Marcellum Empíricum, cuius hæc ſunt uerba: Anethi ſicci ueteris puluerem, & reſinæ pityinæ puluerem, cum adipe uetere anſerino aut gallinaceo, edendum mane ieiuno empyico cochlearia tria, & ueſpere tantundem dabis, mire ſubueníes. Adeps galli cum adipe turturis ſi detur in cibo alicui põdere quadrantis drachmæ, infeſtabitur à tinea, (achoribus, puto,) Raſis.

¶ De facultatibus eiuſdem extra corpus. Gallinaceus adeps ad quæ profit, & quomodo curetur, leges in Anſerino ex Dioſcoride: & ibidem quomodo odoribus imbui ſoleant, & qua ratione etiam incurati à putredine præſeruentur. In Anate quoq; ex Nicolao Myrepſo, quomodo reponẽdi ſint adipes anatinus, anſerinus & gallinaceus recitauimus. ¶ Gallinaceus adeps medius eſt inter anſerinum & ſuillum, anſerinus ex his ualentior eſt. Subſtituuntur aliquando gallinaceus, anſerinus, ſuillus, caprinus adipes, quiuis in alterius abſentis uicem. Gallinaceus tamen calidior &

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 436 sur 825

ſiccior eſt quàm ſuum, & tenuior, ac minimum terreſtris, idq; magis etiam ſi è gallinis ſylueſtribus fuerit: & tenuitatis ratione profundius penetrat, Galenus 11. de ſimplicibus, & de compoſitione medic. ſec. genera, & Methodi lib. 14. Indurata iuuat, Idem. Anſerinus adeps maximè tenuium partium eſt, ob id in uolucrum genere præſtat ad ſcirrhi curationem, gallinaceus illi proximus, Iac. Syluius. Galenus lib. 3. de compoſ. ſec. loc. cum Apollonij ad aurium dolores uerba hæc recitaſſet, Anſerinum aut gallinaceum adipem liquefactum ſenſim inſtilla, ſubdit: Adeps harum aliarum maximè mitigat omnes affectiones dolores inducentes, ſimulq; ipſarum aliquibus magnificè auxiliatur, &c. ut in Anſerino ſcripſi cum quo hic pleraq; communia habet. Adeps pullorum calidior eſt quàm adultarum gallinarum: & galli quàm gallinæ, Obſcurus. ¶ Myricæ ſemen cum altilium (gallinarum, ut conijcio) pingui furunculis imponitur, Plin. Ad ambuſta: Lardum & adipem gallinaceum adhibito candelæ lumine ſuper aquam liqua, & collectũ ex aquæ ſuperficie pingue inunguito, Innominatus. Varos (Varices, Marcellus) adeps gallinaceus cum cæpa tritus & ſubactus (impoſitus uel perductus adſiduè, Marcel.) ſanat, Plinius. Idem remedium maculas rubeas delere Raſis annotauit. ¶ Cutem in facie adeps anſeris uel gallinæ cuſtodit, Plinius. Adeps anſeris & gallinaceus utilis eſt ad nitorem uultus, εἰς πρόσωπον ὠφέλειαν, Dioſcorides, ut Marcellus uertit: ad mangonizandam faciem, ut Ruellius. ego cum Plinio potius uerterim ad faciei cuſtodiã, aduerſus uentos ſcilicet, frigora & Solem. Fiſſuras in facie ſanat, & faciem reddit lucidam, Raſis. ¶ Adiuuat adeps gallinæ mirificè ruptas oculorum tunicas admixtis ſchiſto & hæmatite lapidibus, Plinius. Eundem præcipuè laudant contra puſtulas oculorum in pupillis. Has (gallinas) ſcilicet eius rei gratia ſaginant, Idem. Gallinarum adeps puſtulas oculorum reprimit, Aeſculapius & Conſtantinus. Si oculus iumenti diſſectus ſit, adeps anſeris uel gallinæ prodeſt, ut ſcripſi in Anſere.

¶ Gallinæ adeps liquefacta & tepide inſtillata, quodlibet uitium auriũ ſanat, Marcellus. Adipem anſerinum & alios auricularibus medicamentis Nicol. Myrepſus admiſcet. Gliris pingue & gallinæ adeps, & medulla bubula liquefacta tepensq; infuſa auribus plurimum prodeſt, Marcellus. Apollonius (ut & Raſis) anſerinum aut gallinaceum adipem liquefactum dolẽtibus auribus ſenſim inſtillari iubet, ut ſuperius retuli. Adeps gall. cum nardo liquefacta ad dolorem aurium utilis eſt, & contra neruorum paſsiones, Kiranides. Eundem inſtillatum tepidum etiam aduerſus difficultatem auditus proficere obſcurus quidam ſcripſit. Gallinarum adeps auribus purulentis calida infunditur, Plin. Ad aurium nocumenta ex aqua cõfert adeps tum anſerinus tum uulpinus, tum gallinaceus, Galenus Euporiſton 1. 16. ¶ Adeps anſ. aut gall. rimas labiorum egregiè curat impoſitus, Plinius & Marcellus. ¶ Adeps gallinæ aſperitati linguæ confert, Obſcurus. ¶ Dentientium puerorum gingiuas gallinaceorum pingui molliendas Aegineta cõſulit. ¶ Laudant & gallinarum adipẽ contra puſtulas in papillis: has ſcilicet eius rei gratia ſaginant, Vuotton. ¶ Adeps anſer. aut gall. recens & ſine ſale cõditus, ad uuluæ uitia proficit, (uel, ut alibi, muliebribus malis conuenit:) ſale inueteratus, & qui temporis ſpatio acrimoniam concepit, uuluæ inimicus eſt, Dioſcor. Anſerini uel gall. adipis uſum ad fœtum pellendũ in Anſere diximus. Recens laudatur ad dolorem matricis: & in eiuſdem apoſtemate inſtar emplaſtri imponitur, Raſis. Cum nardo liquefacta ad muliebria peſſaria facit, Kiranides.

¶ Galli criſtam contritam morſibus canis rabidi efficaciter imponi aiunt, Plinius & Kiranides. Gallinæ criſtam aridam da in cibo ei qui mingit in lecto neſcienti: curabitur, Raſis. alij hoc remedium ex gula & larynge galli promittunt. Capitis doloribus remedio eſt gallinaceus, ſi inciſus abſtineatur die ac nocte, pari inedia eius qui doleat, euulſis collo plumis circunligatisq;, uel criſtis, Plinius, & Marcellus ſed paulò aliter. ¶ Oſsiculis gallinarum in pariete ſeruatis, fiſtula ſalua, adacto dente, uel gingiua ſcarificata, proiectoq; oſsiculo, ſtatim dolorem abire tradunt, Plinius. Inguinibus mirabile exhibet remedium, ex gallinacea ala oſsiculum extremum, cochleario terebratum, nodisq; ſeptẽ licio ligatum, atq; ita brachio uel cruri eius partis quæ inguina habet ſuſpenſum, Marcellus. ¶ Gallinæ tibiæ cum pedibus coctæ, & cũ ſale, oleo acetoq; comeſtæ, coli (aliàs colli) ſedant dolorem, Conſtantinus & Aeſculapius. Ego coli legendum puto ex Marcello Empirico, cuius hæc ſunt uerba: Gallinam per totum diem à cibo abſtineto. dein poſtero die cum eam occideris, crura eius cum ſale & oleo inaſſato, & ieiuno colico qui ſe pridie cibo abſtinuerit mãducanda dato, ſi mirificè profueris.

¶ Gallinacei cerebellum recentibus plagis prodeſt, Plin. Dioſcorides animalia theriaca, id eſt quæ uim morſibus uenenatis contrariam habeant enumerans, gallinaceorum etiam cerebella in cibo commendat. Gallinarum cerebellum in uino bibendum datur contra ſerpentiũ morſus, Idem. Aeſculapius & Conſtantinus, contra ſcorpionum ictus, Kiranides. Idem galli cerebrũ cum aceto (aliàs condito) aduerſus ſerpentium morſus bibendum conſulit. Venena ſerpentium domantur gallinaceorum cerebro in uino poto: Parthi gallinæ malunt cerebrũ plagis (morſibus ſerpentium) imponere, Plinius. Gallinacea cerebella cum uino pota medentur uiperarum morſibus, Dioſcorid. ex Eraſiſtrato & Aegineta. Ἡ δὲ σὺν ἐγκεφάλῳ κεφαλὴ μιγεῖσα ἀχαιὰς ὄφεσι θαλλοῦ καστικίδος, Nicander. Petrichus etiam, ut Nicandri Scholiaſtes refert, contra ſerpentiũ morſus gallinæ cerebrum commendat. Ad uiperæ morſum: Galli cerebrum cum poſca adiecto pipere, his qui à uipera percuſsi ſunt uel morſi, potui dabis, auxilium maximum experiêris, Sextus. Contra omnium phalangiorum

giorum (aranearum, Rasis) morsus remedium est gallinaceum cerebrum cum piperis exiguo potum in posca, Plinius. Ad cunctos autem morsus ictusq; minorum, Exiguo piperis cerebrum conspergito galli, Quo lita (alij authores bibi, non lini uolunt) sanescunt depulso membra dolore, Serenus. Gallinarum cerebellum sanguinem à cerebri membrana profluentem (per nares à cerebri uelaminibus, Auicenna) sistit, Dioscorides & Plinius. naribus sanguine fluentibus prodest, Marcellus. contra fluxum sanguinis à cerebro, Rasis. Ad sanguinem è naribus sistendum: Aut galli cerebro, uel sanguine tinge columbæ, Quod nisi supprimitur sanguis, potandus & ipse est, Serenus. Atqui Galenus in libro de simplicibus hoc remediũ non tãquam è cerebello, sed è sanguine gallinæ à quibusdam memoratum reprobat, ut superius recitaui. Cerebrum gallinarum in cibo sumptum acuit intellectũ, quare caput asseritur cassare (sic habet codex impressus) cæcitatem, Arnoldus in Breuiario. Cerebrum gallinarum contra tremorem cerebri commendatur à Rasi. Gingiuis puerorum infricatur ut dentes absq; dolore nascantur, Kiranides.

¶ Quæ interiore uentriculi galli sinu residet membrana, secti in laminas cornus specie similis, quæ inter coquendum abijci solet, siccatur, (& reponitur ad remedia,) Dioscor. Pellicula ceu cortex quidam intra uentriculum gallinæ stercori destinata, echinus ab aspritudine Græcis appellatur, & lactis coagulandi uim habet, Berytius apud Constantinum. hæc uis alioqui propria tribuitur ruminantium adhuc lactentium uentriculis, quos & coagula nominant. Vide plura in Echino terrestri G. ab initio de nomine huius particulæ. Magna fraude medicamentarij institores nobis imponunt, qui ex uentriculo, quo nihil in alitibus istis carnosius est, panniculos detractos & siccatos pro ingluuie uendunt. & hæc est causa cur nemo hodie mihi cognoscatur, qui se feliciter in uentriculo roborando, pelliculis istis usum profiteatur: Gyb. Longolius, non ex uentriculo, sed ex primo cibi in gallinis receptaculo, quod stomachum & ingluuiem uocat, hãc membranam decerpendam sentiens. Atqui ego ueteres hanc uim non ingluuiei aut stomacho, id est ori uentriculi galli gallinæue, sed ipsius uentriculi, quem κοιλίαν proprie uocant, interiori membranæ, tribuisse asseruerim. Nam & Dioscorides κοιλίαν nominat de hac membrana agens lib. 2. cap. 43. tum ab initio, tum in fine eius capitis, quanquam adiecta in fine à quibusdam adulterina existimantur. Et Galenus libro 11. de simplicibus post cœlian, id est uentriculum mergi statim huius membranæ meminit, intus aduerbium ponens pro eo quod est in uentriculo. Vno tantum in loco (libro tertio Parabilium, qui Galeno falsò adscribitur) galli gulam unà cum larynge (scribitur autem Græcè etiam γέλαν) ijs auxiliari qui strata permingunt, legimus. Tunica interior gallinarum lixiuio calido hora una maceratur, ter lauatur, deinde uino ter maceratur, & ter lauatur: iterum lixiuio, post uino, & siccatur clibano ex quo panis extractus est, Syluius ex Bartolemæo Montagnana. Ventris gallinaceorũ membrana quæ abijci solet, inueterata & in uino trita auribus purulentis calida infunditur, Plin. Galli gallinacei ex uentriculo interiore membrana, quæ proijci solet, arefacta tritaq; ex uino, adiecto paululo opij, medicamen auribus utilissimum facit, quod calefactum infusum suppurationem eius (earum) expurgat & sanat, Marcellus. Pellis interior de uentriculo galli trita cum uino auribus prodest, & sputum (pus forte) mouet, Cõstantinus. ¶ Gallinaceorum uentris membrana inueterata & insperſa potioni, destillationes pectoris & humidam tussim uel recens tosta lenit, Plinius. Ventriculi gallinacei membranam, qua sordes aqualiculi continentur, arefactã tenuitò diligenter, & cum uino potui dato, humidam tussim sedabis, Marcellus. ¶ Trita in uino conuenienter stomachicis datur in potu, Dioscorides. Ant. Gainerius has membranas præparatas miscet medicamẽto cuidam ad confortandum uentriculum: item Leonellus medicamento ad stomachi dolorem. Tunicam interiorem uentriculi secundi gallinarum miro quodam modo, lotam & siccatã, & potam, stomachicis augere coquendi facultatem, falsum esse expertus est Galenus (de medic. simplicib. lib. 11.) Vnde subit admirari in ea hæresi falsa medicos omnes etiam hodie permanere. Putãt, opinor, eam uim illi esse, quòd ea similis sit tunicæ internæ uentriculi nostri, sed ui tanta coquendi prædita, ut lapillos conficiat, sed æquius fuerit, eam tunicam ex struthiocamelo sumere, quippe cui mira sit natura coquendi, quæ sine delectu deuorârit, (ut refert Plinius 10. 1.) ut ferrum & ossa ueruecum integra. Vnde & pelles eorum cum plumis mollioribus concinnatas stomachicis applicant, Syluius. An non uident harum pellicularum temperamentum uitiari siccatione: & uim illam coquendi uitiis ineſſe, non superesse mortuis: nec fortasse pellibus illis insitam, sed potius à carne multa crassa densaq; pelliculam hanc undiq; ambiente. Iac. Syluius. Si hordeo malo aut nimio iumentum læditur, remedium est pelliculam de uentre pulli siccatam fumo deterere, additisq; octo scrupulis piperis, & quatuor cochlearibus mellis, & uncia pollinis ex thure, cum sextario uini ueteris tepefacto per os dare, Vegetius. ¶ De usu eiusdem pelliculæ ad ileon, uide infra in remedio ex iecore. ¶ Hanc pelliculam de gallina nigra quidam è uulgo aduersus regium morbum edendam suadent, bis aut ter. ¶ Pellis interior de uentriculo galli trita & cum uino pota uentrẽ astringit, Constantinus. Gallorum uentriculus (Marcellus Vergilius interpres addit, in senectute, quoniam proximè de ueterum gallinaceorum iure dixerat author) inueteratus (κοιλία παλαιοθεῖσα) & in umbra siccatus pondere trium unciarum (ὄσον γ΄. sic habet codex noster impressus, corrupta ut apparet ponderis nota, drachmæ fortasis, quæ designatur alibi in Dioscoride instar maiusculi lambda iacentis, hoc modo ⊀.) sumptus, præsenti remedio est contra nimias purgationes, quæ à deijcientibus alui

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 438 sur 825

medicamentis fiunt, quamprimum enim purgationes eas siſtit, in quem uſum terendus eſt & cum aqua bibendus. (δεῖ δὲ ῥίμμα ποιεῖν καὶ ἐνεῖν μετὰ ὕδατος καὶ διδόναι. malim ita reddere, in quem uſum contritus & cum aqua permixtus, [inſtar trimmatis aut moreti,] exhibendus eſt,) Dioſcorides: cuius interpres Marcellus Vergilius, Hunc locum (inquit) Serapio non habet, neq; antiqua interpretatio, neq; probatiſsimus mihi codex Latinæ translationis. unde fit ut ſuſpicemur accreuiſſe eum Dioſcoridi, præſertim quum alienus etiam Dioſcoridis ſermonis in ea re ductus nobis uideatur. Membrana gallinarum toſta et data in oleo ac ſale, cœliacorum dolores mulcet. abſtinere autem frugibus ante & gallinam & hominem oportet, Plinius. Membrana quæ eſt in uētriculo gallinæ ſiccata & trita, & cum uino auſtero potui ieiuno cœliaco data, medetur: ita ut ipſa gallina prius uel biduo abſtineatur à cibo, & qui potionem accepturus eſt, antè diem frugi ſit, & non cœnet, Marcellus. Nicolaus Myrepſus dyſentericam quandam potionem laudatam deſcribit, in qua membrana hæc cum cæteris miſcetur. Membranam è uentriculo gallinacei aridam: uel, ſi recens ſit, toſtam, utiliter contra calculos bibi traditur, Plinius. Cum uino pota calculos frangit & per urinam eijcit, Conſtantinus. Celebrant quidam inter calculi remedia gallinacei uētris interiorem membranam, Alex. Benedictus. Fieri quidem poteſt ut aliqui huic membranæ uim calculos diſſoluendi ineſſe ſibi perſuaſerint, ex eo quòd gallinæ etiam lapillos concoquere uulgò credantur, ut Dioſcorides etiam credidit. Ego quoniam experientiam huius effectus hactenus nullam audiui, nec rationem aliquam qua id effici poſsit uideo, aſſenſionem meam adhuc cohibeo. De uentriculo galli interior pellicula in uino miſſa & ſiccata ac trita cum ſale, poſita (pota) cum uino uel condito, nephriticos perfectè ſanat, Kiranides. ¶ Ad ſiſtendam exuberantiam mictionis: Accipe pelliculas quæ ſunt in uentre gallinarum: de quibus in Sole ſiccatis drachmam miſcebis cum thure maſculo, glande ſicca, balauſtijs, galla, ana ʒ. iij. Trita omnia melle roſato excipies, & ex frigida propinabis ieiuno, Galenus Euporiſton 2. 133. Ad inuoluntarium mictum in ſtratis: Galli guttur uſtum ligulæ menſura ieiuno ex aqua propinato, Galenus Euporiſton 2. 76. Et rurſus, Gallinæ gulā (γόλων) pariter cum gutture, ure, & tere diligentiſsime, ac ex uino uetere propina, Euporiſton 3. 238. Idem remedium Raſis è criſta galli promittit. In Germanico quodam codice manuſcripto inuenio haſce membranas tritas utiliter bibi contra ſtrangurìam. ¶ Aduerſus abortum: Suffiatur primò mulier cum fiſtulato primo cocto: deinde accipiat graſsilium gallinæ, & pelliculam uentriculi qua cibus continetur diſcutiat lauetq;, & modicè coctam in prunis comedat, uel pollinem tritarum bibat, idq; faciat per plures dies: experimento conſtat, Author additionum Breuiarij Arnoldi Villanou. apparet autem uerba quædam inter hæc aut corrupta aut barbara eſſe. ¶ In libro quodam manuſcripto inuenio hanc pelliculam de uentriculo capi utiliter tritam fiſtulis prius mortificatis inſpergi.

¶ Ileo reſiſtit gallinaceorum iecur aſſum cum uentriculi membrana, quę abijci ſolet, inueterata, admixto papaueris ſucco, alij recentem torrent ex uino bibendam. Hepar gallinæ tritum, & cum hordei farina & aqua emplaſtri modo impoſitum, podagricis prodeſt, Kiranides.

¶ Gallinarum & perdicum fella ad medicinæ uſum cæteris præſtant, Galenus. Fel efficaciſsimum creditur ſcorpij & callionymi piſcium, marinæq; teſtudinis & hyænæ: perdicis item & aquilæ, gallinæq; albæ, Dioſcorides. ¶ Fel gallinæ maculas in corpore illitum aufert, Raſis. Apud Galenum de compoſit. ſec. locos, miſcetur medicamentis liquidis ocularibus Aſclepiadæ, ad ficoſas eminentias, ac omnem extuberantiam carnis ſeu callum. Fel quorundam animalium laudatur à medicis ad uſum acuendum, & principium ſuffuſionis diſcutiendum, ut callionymi & ſcorpij piſcium, gallinæ, &c. Idem de ſimplic. 10. Galli gallinacei, maximè albi, fel ex aqua dilutum, & inunctione adhibitum, leucomata oculorum & hypochyſes ſanat, & aciem luminum confirmat, Marcellus. Galenus libro 4. de compoſ. ſec. loc. medicamento liquido cuidam ad oculos ſuffuſos, alios galli fel, alios aliud adieciſſe ſcribit. Ad ſuffuſionem admirabile quod ilico uiſum reſtituit: Muris ſanguinem, & galli fel, & muliebre lac æquis ponderibus miſce, & bene ſubactis utere. probatum eſt enim, & magnificè profuit, Idem Euporiſton 3. 16. Vlcera oculorum & albugines felle galli inungito, Idem Euporiſton 2. 99. Fel quoq; de gallo mollitum ſimplice lympha Exacuit puros dempta caligine uiſus, Serenus. Fel galli cum ſucco chelidoniæ herbæ & melle illitum, uiſum acuit perfectè, Kiranides. Gallinaceo felli uis alligato (malim, illito: uel, ad caligationes, ut & aquilino ſicut proximè dixerat) ad argema, & ad albugines ex aqua diluto, (aut ſupra forſan rectè, hîc uerò pro diluto legendum aut ſaltem ſubintelligendum illito.) item ad ſuffuſiones oculorum, maximè candidi gallinacei, Plinius. Et rurſus cum ſimum ruſſum gallin. luſcioſis illini dixiſſet, ſubdit: Laudant & gallinæ fel, ſed præcipuè adipem contra puſtulas in pupillis. Fellis gallinacei, uel uulturini, quod longè magis prodeſt, ſcrupulum, & mellis optimi unciam, bene trita coniūges, atq; in pyxide cuprea habebis, & opportunè ad inungendum uteris. hoc nihil potētius caliginem releuat, Marcellus. ¶ In manuſcripto quodam libro Germanico remedium hoc ad epilepſiam traditur: Fel gallinacei cum aqua mixtum bibat æger, & diebus decem abſtemius eſto.

¶ Aetius illos qui re Venerea uti non poſſunt inter cætera gallorum teſticulos eſitare conſulit. Galli teſtes cum uino poti Venerem iritant, & bonam habitudinem præſtāt, Kiranides. Gallinaceorum teſtes ſubinde ſi à conceptu edat mulier, mares in utero fieri dicuntur, Plinius. Ad inuoluntarium urinæ exitū in ſtratis: Galli teſtem uſtum edendū apponito, Galenus Euporiſton 3. 257.

¶ Ad

¶ Ad caducos: Galli teſticulos contritos cum aqua ieiuno dabis bibere, abſtineant autem à uino diebus decem, caducis remedium eſt. Debebunt autem teſticuli ſicci ſeruari, ut cum fuerint neceſſarij, continuò ſumantur, Sextus & Conſtantinus. Ad comitiales: Gallinacei teſtes ex aqua & lacte quidam bibendos cenſent, antecedente quinq; dierum abſtinentia uini, ob id inueteratos, Plinius. Galli gallinacei teſticulos in puluerem tritos ex aqua & lacte ieiuno propinato, idq; diebus quinq; facito, uino autem abſtinendum eſt, Trallianus hoc ſe ex Gallia accepiſſe ſcribens. Serapion pro epilepticis probat medicamen cõfectum è teſtibus galli gallinacei: Cælius Aurelianus, improbans ipſe ut uidetur.

¶ Gallinaceum ſimum omnia quæ columbinum, ſed inefficacius, præſtat, Dioſcor. minus calidum eſt columbino, Galenus. Et rurſus, Cæterum ut in alijs omnibus animalium partibus aut excrementis plurimum refert, montanisne locis, an in pratis, paludibus, lacubus & ædibus uerſentur. Semper enim quę exercentur, iſs quæ non exercentur ſunt ſiccíora: & quæ cibis utuntur calidioribus ſiccioribusq;, iſs quæ humidis frigidisq;. Itaq; ut columbarũ ſtercus ſemper imbecillius expertus ſum quæ in domibus degunt quàm nomadum & montanarum: ſic gallinarũ quoq; inueni multò infirmius earum quæ concluſæ ſeruantur & furfuribus aluntur, nõ paulò autem ualentius earum quæ in agris, atriis aut foris paſcuntur. Stercoris gallinacei pulli drachmæ duæ diſſolutæ in multa aqua calida, & potæ, uomitũ mouent, Arnoldus de Villan. Stercus galli cum ſucco praſij datum, mox uomitum proritat, Idem. Certò educit per uomitum, quare contra uenena propinatur, Ferdinand. Ponzettus. Idem Gaynerius ſcribit, ſed miſceri iubet cum lini urticæue ſemine in aqua decocto, aut aqua & butyro, &c. Ad felis morſum galli ſtercus liquidũ cum adipe gallinaceo ſubigito & imponito, Aetius. Idem ex aceto impoſitum morſibus canis rabidi, ſalutare traditur, Kiranides. Gallinaceum ſimum priuatim contra uenena fungorum bibitur ex aceto aut uino, (uel oxymelite, Raſis,) Dioſcor. Nicander contra idem uenenũ commendat πάτου σχοινοῖο καπηλάδος (ὀπτέου.) Galenus etiam aduerſus ſtrangulationem à deuoratis fungis gallinarũ domeſticarum ſimum cum oxymelite bibi conſulit, in Euporiſtis 1.131. nimirũ ut uomitus ſubſequatur. Cum medicum quendam in Myſia gallinaceo utentem ſtercore cõſpexiſſem, in eis qui ab eſu fungorum ſuffocabantur: & ipſe quoq; ſum uſus in quibuſdam urbem inhabitantibus, qui & ipſi fungos eſitarant, ipſum uidelicet ad læuorem contritum tribus quatuórue oxycrati aut oxymelitis inſpargens cyathis. & palàm adiuti ſunt, idq; celeriter. nam qui præfocabantur, paulò pòſt uomebant pituitoſum humorem omnino craſsiſsimum, & exinde planè liberati ſunt ſymptomate, Galenus lib. 10. de ſimplicibus. Vide etiam inferius inter remedia ex candida parte huius ſimi. ¶ Gallinarũ ſimum recẽs illitum alopecias celerrimè explet, Plinius. Gallinaceorum ſtercus cum oleo utroq; (nõ explicat quibuſnam) permixtum, alopecijs utile eſt, Marcellus. Cum aceto alopecijs impoſitum prodeſt, Raſis & Kiranides. Si prius fricetur locus cum panno & cepe donec rubeat, Raſis. Aridum quoque tritum cum nitro & arido (uox corrupta) unguẽto alopeciam inſpiſſat, Kiranid. Recens adpoſitum podagris, plurimum iuuat, Marcellus & Plinius. Perniones quæ naſcuntur in manibus impoſitum ſanat, & omnes morſus, Conſtantinus. Eſt qui gallinæ perducat ſtercore corpus, Serenus inter carbonis (carbunculi) remedia. De uſu huius ſtercoris ad fiſtulam curandam, ſcripſimus in Rubeta G. Phlegmonas quæ naſcuntur in naribus impoſitum ſanat, Aeſculapius. Furunculo medicando: Prætereaq; ſimum, ex gallo quod legeris albo Imbribus ex acidis fidens appone dolenti, Serenus. Vide etiam infra inter remedia ex rufa parte huius ſimi. Simum gallinaceũ cum oleo & nitro clauos pedum ſanat, Plinius. Marcellus pulli gallinacei ſimum rubrum clauellis frequenter illinendum conſulit. Simum gallinaceum recens inunctum, cõtuſiones ex calciamentis ſanat: aufert etiam myrmecias, Kiranides. Si fiat ex eo cataplaſma cum melle, id illitum cruſtam ignis Perſici rumpit, Raſis. ¶ Mactatæ recens gallinæ uentrem unà cum ſtercore inuoluito melle, & iumento adhuc calentem in fauces immittito, Pelagonius aduerſus tuſsim iumenti è faucibus uel gutture prouenientem. ¶ Gallinaceum ſimum contra coli cruciatus ex aceto aut uino bibitur, Dioſcor. cum aqua calida & melle, Raſis. Medicus quidam Myſus hoc ſimum bibendum dabat iis qui diutino coli dolore fuiſſent uexati ex œnomelite: uel ſi id non aderat, ex aceto, aut uino aqua diluto, Galenus lib. 10. de ſimplic. Et rurſus in opere de compoſ. ſec. loc. ex Aſclepiade: Gallinarum interanea omnia exempta, & in uas fictile cõiecta aſſato, ac trita reponito. uſus uerò tempore cochlearium unum & dimidium, & ſeminis dauci Cretici tuſi & cribrati tantundem, ex aquæ mulſæ calidæ cyathis tribus exhibeto. In libro quodam Germanico manuſcripto albam tantùm huius ſimi partem aduerſus colicum affectum è uini cochlearío, ſalubriter bibi legimus. ¶ Stercus gallinæ ſuffitum ſecundas educit, Arnoldus Villanou. ¶ Ad iumentorũ remedia: Si equus pennam uorârit, primo uratur in umbilico, deinde in os eius ſtercus bouis tepidum inſeratur: tum fiat phlebotomia. demum omnia interiora gallinæ ſanæ in os eius immittes. Et ſi ne ita quidem liberatur, minue diligenter ipſum, Ruſius. Equo ex pituita per nares laboranti, ſimũ gallinaceum in nares inflabis, Obſcurus. Si equa marem non patitur, gallinaceo ſimo cum reſina terebinthina trito, naturalia eius linuntur. ea res accendit libidinẽ, Anatolius. Sunt qui ad ulcera iumentorũ utantur ſimo gallinac. arido trito cribratoq;, inſpergentes mane, & ueſperi ſuccum ſambuci immittẽtes per dies aliquot: ubi ulcera primum abluerint uino in quo ſambuci folia decocta ſint cum modico ſalẽ;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 440 sur 825

Ad inflationem ilium & uentris equi: Fimum columbinum aut gallinaceum, quantum manus capit, in uino diſſoluimus cum nitro, & inde clyſterem inijcimus, &c. Abſyrtus & Hierocles. ¶ Rabies canum ſirio ardente homini peſtifera. quapropter obuiam itur per triginta eos dies, gallinaceo maximè fimo mixto cibis: aut ſi præuenerit morbus, ueratro, Plin.

¶ Gallinacei fimi candidi uires. Ad utiligines quidam illini iubent gallinarum fimum candidum ſeruatum in oleo uetere cornea pyxide, Plin. Idem cum oleo uetere tenuiſsimè tritum & adpoſitum, leucomata & hypochyſes ſanat, & aciem luminum conſirmat, Marcellus. Aduerſus fungos noxios: Philagrius. gallinaceum ſtercus album (inquit) tritũ exhibemus ex poſca aut aceto mulſo. huius enim manifeſtum habemus experimentum, quòd ad fungorum ſtrangulationes auxilietur, Aetius. Plinius in hyſſopo decoctum aut mulſo, uenena fungorum boletorum & aſtringere dicit. Item inflammationes ac ſtrangulationes. quod miremur (inquit) cum ſi aliud animal guſtauerit id fimum, torminibus & inflationibus afficiatur. Vide ſupra in uiribus Gallinacei fimi ſimpliciter. Illitio ad occultas anginas: Galli ſtercus album, & ceruſſam colore referens, exiccatũ habeto, & uſu poſtulante ſubige cum aqua aut melicrato, propinato cochlearium. Deſperatos enim ſanat. Quòd ſi bibere nequeant, cum melle ſubactum intimis partibus illinito, Nic. Myrepſus. Fimum gallinarum duntaxat candidum, oleo in uetere corneis & pyxidibus adſeruant, ad pupillarum albugines, Plin. Sunt qui huius fimi parte alba duntaxat intra corpus ſumpta, ſanguinem concretum diſcuti referunt. Fimum gallinac. album & fictum (φρύξας) tere ac potui cõfidenter exhibeto aduerſus colicam, Aetius 9. 31. Vide ſupra inter remedia ex hoc fimo ſimpliciter.

¶ Galli ſtercus ruffum, uel ut Plinius habet, ex gallinac. fimo quod eſt ruffum. Impoſitum furunculos rumpit, & dolorem tollit, Sextus. uide ſupra inter remedia ex hoc fimo ſimpliciter. Cum aceto recens illitum furunculos & canis rabidi morſus curat, Plin. & Cõſtantinus. Ex fimo pulli gallinacei quod rubrum fuerit colliges, & impones clauellis, atq; inde eos ſæpius lines, uehementer medebitur, Marcellus. Stercus gall. citrinum cataplaſmatis inſtar impoſitum, cum cui uitello & exiguo croco, quemuis abſceſſum purulentum aperit, Raſis. Fimum gallinaceorum duntaxat rubrum luſcioſis illinendum monſtrant, Plinius.

¶ Cinis fimi gallinarum. Prodeſt ad ictus ſcorpionum, Plin. Gallinarum uel columbini fimi cinis ex oleo impoſitus ulcera pedum curat, Marcellus. Fimi gallinacei cinis pedum exulcerationes ſanat. columbini fimi cinis ex oleo, Plin.

¶ Lapillos qui in gallinaceorum ueſica inueniantur, conteri & potioni inſpergi aduerſus calculos iubent, Plin. Alexander Benedictus lapides in gallinaceo uentre repertos, contra calculum à quibuſdam commendari ſcribit, ex hoc Plinij loco fortaſsis, memoria lapſus. Nos de lapillis qui in uentribus gallinaceorum reperiantur, plura ſcripſimus ſupra in B.

¶ Veneficia quædam fiunt ab his quæ eduntur excrementis corruptis, ut ſanguine uel urina leproſorum, cum in his frumentum maduerit, gallinæq; frumento depaſtæ fuerint, Hier. Cardan.

¶ A præſepibus equorum remouebuntur aues domeſticæ atq; altiles, quæ ea propter reliquias pabuli ſectari ſolent: & in his non ſolum pinnulas excutiunt, ſed etiam ſtercora deijciunt: atque illæ cum gutturis, hæc cum aluí periculo ab equis deglutiuntur, Ioach. Camerarius. De fimo gallinaceo à bobus aut equis deuorato, & remedijs contra eum, plura in Quadrupedum iſtarum hiſtorijs ſcripſimus. Hierocles equo aduerſus hunc fimum deuoratum auxiliari docet ipſum fimum gallinæ album & ſolidum: quem conteri iubet cum drachma ſeui, (σέσελι Ὀρ.) & cum duobus polentæ chœnicibus uino & nigro auſtero in mazas redigi, & equo edẽdas dari. Gallinarum fimum, duntaxat candidum, in hyſſopo decoctum aut mulſo, uenena fungorum boletorum & aſtringit: item inflammationes ac ſtrangulationes: quod miremur, cum ſi aliud animal guſtauerit id fimum, torminibus & inflationibus afficiatur, Plin.

¶ Quidam à gallo gallinaceo pugnante leuiter læſus in rabiem uenisſe dicitur, Cælius Aurelianus de morb. acut. 3. 9.

H.

a. Vt ornis apud Græcos, ſic apud Latinos auis etiam aliquando pro gallo gallináue abſolutè ponitur. Rhodias aues pro gallinis Rhodijs Columella dixit. & Græcè Ταναγραίους ὄρνιθας genere maſc. legimus, id eſt alites Tanagræos pro gallinaceis Tanagræis. Gallinaceos mares pro gallis gallinaceis Columella dixit. Gallos à contrario ſenſu appellatos quidam exiſtimant. nam Galli ſacerdotes matris deûm caſtrati erãt. hinc Martialis, Ne nimis exhauſto macreſceret inguine gallus, Amiſit teſteis, nunc mihi gallus erit. Et rurſus, Succumbit ſterili fruſtra gallina marito, Hanc matris Cybeles eſſe decebat auem. Criſtatus ales, pro gallo, Ouidius 1. Faſtorum.

¶ Ἀλέκτωρ Græcè dicit̃ à priuatiua particula & lecto: ἐκ τοῦ α̃ καὶ τοῦ λέγω, σημαίνει δὲ ἐκ λέκτρου ἡμᾶς ἐγείρειν, Euſtathius & Athenæus. A tertia perſona præteriti paſsiui uerbi λέγω, quod eſt dormio, fit λέκτρον, ἀλέκτωρ: & forte ἤλεκτρα & ἀλεκτρυών, (oxytonum,) Idem. Ἀλεκτρυὼν nomen uiri Iliados ρ. ſeruat o. magnum (non ſeruat: Vide mox inter Propria) in genitiuo, pro aue uerò Homeri ſeculum hanc uocem non agnouit, Varinus. Vtebantur nimirum antiquitus tantum uoce ὄρνις de gallo in genere maſc. & de gallina in fœmininо. Gallos gallinaceos alectryónas & alectoras Græci uocãt, quia nos à lecto exuſcitẽt: gallinas uerò alectoridas & ornithas. Ariſtophanes alectoras qui mares ſint, alectryænas

quæ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 441 sur 825

quæ fœminæ, alectryónas utrunq; continere, ludens in comœdia monstrauit. Inuenias & pro maribus alectoridas acceptos, ut inquit Athenæus, Hermolaus. Socrates sanè in Nebulis Aristophanis Strepsiadem docens, reprehendere uidetur quod ἀλεκτρύονα in utroq; sexu proferat, itaque iubet eum fœminam ἀλεκτρυαιναν uocare, ficto uocabulo & poëtico, ut à λέων scilicet fit λέαινα: marē uerò ἀλέκτωρα. Apparet autem (inquit Scholiastes) uulgarem hanc consuetudinem tum fuisse, fœminam quoq; ἀλεκτρυόνα nominandi, ut patet ex hisce (Aristophanis) in Amphiarao uerbis: τώναι, τί τὸ ψοφῆσάν ϑʼ ὗν; Ἡ ἀλεκτρυὼν τῷ κύλικα καταϐεϐληκεν. ὀιμώξεσάγε. Et in Platonis (Aristophanis, Athenæus, positum est καὶ πλαστῶν, pro καὶ πάλιν à librarijs) Dædalo, Ἐνίοτε πολλαὶ ἦν ἀλεκτρυόνων ὑπωώγμα βίᾳ πίπτουσιν ὠὰ πολλάκις. ὁ δὲ πᾶς ϕόϐος τὰς ἀλεκτρυόνας σοϐεῖ. Attici quidem etiam gallinas sic uocabant. Et Theopompus, Vocant uerò gallinam etiam ἀλεκτρύαιναν: Hæc Scholiastes. sed locus, quod ad authorum citationes, non rectè distinctus emendari potest ex Athenæo, cuius uerba subiecí. Cratinus (inquit) ἀλεκτρύονα in fœm. genere dixit, item Strattis, Αἱ δ' ἀλεκτρύονδε ἅπασαι, καὶ τὰ χοιρίδια τέθνηκεν, & Anaxandrides Rhodius Comicus, ὀχθουμένας τὰς ἀλεκτρύονας θεωρῆσαι ἄμωνι. Et Theopompus in Pace, Ἄχθομαι σὶ' ἀκριλωλεικῶς ἀλεκτρύονα πίπτουσαν ὠὰ πάγκαλα. Et Aristophanes in Dædalo, Ὧν μέγιστον τέτοκεν ὡς ἀλεκτρυών. Dicitur & ἀλέκτωρ. Ὥσπερ ὁ πέρσικος ὥραν τᾶσαν κεκναχὼν ὀλοφωνῷ ἀλέκτωρ, Cratinus. Veteres ἀλεκτρυόνας uocabant etiam gallinas, Hesychius. Ab ἀλέκτωρ masculino, fœmininum ἀλεκτορὶς deriuatur. Ἀλεκϐὶς poeticum est, ὡς τὸ ἀλέκτωρ ἐλλιπῶν (lego ἀσϐέκιμον) ὅλως, Varinus. Thomas Magister quoq; annotat, uocem ἀλεκτρυὼν significare marem & fœminam: ἀλεκτορὶς autem esse uocem planè poeticam, ἀλέκτωρ uerò uocabulum esse ἀσϐέκιμον. Atqui ἀλεκϐρίδια Aristoteles etiam dixit lib. 6. de historia animalium: & Galenus in opere de Simplicibus medic. ἀλεκτρυόνι καὶ ἀλεκϐρίδος αἵματι. itaq; ego uocem ἀλεκτρύαινα prorsus ἀσϐέκιμον dixerim, ἀλέκτωρ uerò poeticam tantū contra Varinum & Thomam Magistrum: qui cum ἀλεκϐρὶς poeticum faciāt, poetæ nullius testimonium proferunt, & ego quoq; nullum ex poetis hac uoce usum memini. ἀλεκϐρὰ uerò in prosa nemo dixit, sed poetæ aliquot, Aristophanes, Theocritus, Cratinus. item Septuaginta Prou. 30. & Kirañ. Vsus notro tēpore obtinuit ut gallinę ὄρνιθδε & ὀρνίθια dicātur, galli uerò ἀλεκτρυόνδε & ἀλεκϐρίδες, Athenęus. ὄρνις genere communi priuatim de (auibus) domesticis (id est gallinis) dicitur, Eustathius. ὄρνιθδε ϕοικίδιοι & κατοικίδιοι, pro gallinaceo genere, in scriptis Porphyrij. ὄρνιθας προϐίμους Suidas in Melito dixit, siue pro gallinacei generis, siue pro alijs etiam altilibus auibus. Ἀλεκϐρίδιον, pullus gallinaceus, forma patronymica, Suidas, & Varinus in λαγωός. Ἀλεκτρυόνιον & πέρδικιον ab Antiphane nominantur forma diminutiua: qua etiam ἀλεκϐρίσκοι dicuntur. sed Suidas alectoriscos Tanagræos nominat, qui grandes sunt gallinacei.

¶ His subiungam rariora quædam gallinacei generis nomina, quæ partim poetica sunt, partim glossis & dialectis differunt, partim fortassis etiam barbara. & quoniam ea nō pauca sunt, ordinem alphabeticum ijs recensendis adhibebo. Βρκτὸς, gallus anniculus, Hesych. & Varin. Ἡικανὸς, gallinaceus, Idem. ¶ Κορκνῶν, accipiter uel gallinaceus, Hesychius & Varinus. Σφῆκος, gallus, & gallinæ σέλκου, Idem. Κάρυξ, accipitris genus: & gallinaceus, Suidas & Varin. Κικιϐῶν, gallinaceus, Hesych. & Varinus. Κικὼς oxytonum, gallinaceus: paroxytonum uerò, parua cicada, ὁ νέος τέττιξ, & κικκα (paroxytonum) gallina, Idem. uox per onomatopœiam facta uidetur, ut Germanica giggel. Κοκκοϐόας ὄρνις, de gallinaceo accipiendum uidetur apud Sophoclem, Eustathius. à uoce nimirum, de qua uerbum κοκκύζειν usurpant Græci. Κορύθων, ἀλεκτρυὼν, ἀπὸ νεανίδες, Hesychius & Varinus. forte autem sic nominatus fuerit gallus quòd córytha, id est cristā gerat. & eadem ratione fortassis etiam κορωνεὺς apud eosdem, quæ uox eis etiam cophinum & calathum significat. Κόσκινοι, οἱ κατοικίδιοι ὄρνιθδε, Hesychius & Varin. Κοτὶδες, gallinacei à crista capitis sic dicti, Idem in Προσῳδία quod est κεφαλῆς τρίχωμα. Κοτὶδων, ὄρνις: sed equum quoq; aliqui sic uocabant, Idem. Et rursus, Κοτιϐολεῖν, τὸ παραπηρεῖν τινὰ ὄρνιν. Κοτυλιοὶ (κοτυλιοὶ, per iota, in penultima, Varinus) κατοικίδιοι ὄρνεις, Hesychius. Κοτίκας, gallus, Hesych. & Varinus. ¶ Μηδικοὶ, aues Medicæ, gallinacei, Idem. Aristophanes in Auibus Medum (μῆδον) auem facere uidetur, Scholiastes gallinaceum accipiendum suspicatur. alibi quidem dubitat an ulla auis rectè μῆδος appelletur. Sed cum gallinaceus ab eodē Comico etiam Persica auis dicatur, medum quoq; uel medicam auem pro gallinaceo accipi ab eo probabile est. De Medicis gallinaceis magnis & pugnacibus, scriptum est supra in B. Ὥσπερ ὁ πέρσικος ὥραν τᾶσαν κεκναχὼν ὀλοφωνῷ ἀλέκτωρ, Cratinus apud Athenæum. ὀλόφωνος, gallinaceus, sic dictus, uel à lopho, id est crista, uel ab eo quod inter canendum in sublime se erigat, ἀπὸ τοῦ ὀφ' ἅδειν ὅλον ἀφιεσθαι καὶ μετεωρίζεσθαι, Hesych. Alexarchus Cassandri Macedonum regis frater, gallum gallinaceum orthoboam (ὀρθοϐόαν, nimirum quòd inter canēdum se erigat, unde & ὀλόφωνον dictum quidam coniiciunt, ut iam diximus: nisi quasi ὀρθροϐόαν potius, à matutino cantu, sic appellatum placeat,) uocabat, Hermolaus ex Athenæo. Ὀρταλιχοὶ. gallinacei, Eustathius. item pulli gallinacei, Vide infra in Pullo. Ὀρταλίχοι pulli sunt qui nondum uolare possunt, uolare tamen gestiunt & conantur, παρὰ τὸ γλίχεσθαι τοῦ ὀρέσθαι καὶ πέτεσθαι, Etymologus & Varin. Bœoticè etiam ipsi gallinacei sic uocantur, ut apud Aristophanem in Acharnensibus, Scholiastes & Varinus. Thebani rerum nomina innouare gaudent. itaq; sepiam uocant ὀπιδοστίλαν, ἀλεκτρυόνα ὀρταλίχον, &c. Athenęus lib. 13. & Varinus in Λεξαῖθων. Ὀρταλὶς ἀλκμηνὶς ὑποδυνηθεῖσα νεοσσοῖς, Nicander de gallina. Ὀρταλίχοισι χελιδόσι Oppianus dixit. ¶ Gallinaceus Persica auis (πέρσικος ὄρνις) dicitur propter cristā. Multos pueros deceperunt amatores, alius

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 442 sur 825

coturnice, alius Persica aue aliáue donata, Aristophanes in Auibus. ubi Scholiastes, Pretiosa (inquit) omnia, quibus solus rex (Persarum) utebatur, Persica uocabantur. & hoc in loco auis Persica, non certam aliquam auem designat. sunt tamen qui gallinaceum, & qui pauonem interpretentur. Vide superius paulò in Medo. ¶ Σφῆκος, gallinaceus, (scribitur etiam κόρκυρ, ut supra:) & gallinæ σίλικος, Hesychius & Varinus. Κλυτὸς ὄρνις, gallinaceus, Idem: forte quòd procul exaudiatur, κλύειν enim audire est.

¶ Κρόκος, τὸ λιρόκιν, (mendum est forte:) & gallinacei qui collum habent eiusmodi, (croceis uel aureis iubis scilicet ornatum,) λιρόκιν, Hesych. & Varinus. Gallus λιροκίας Hermanubidi immolabatur, Plutarchus. Κάκαλος, genus quoddam gallinacei, Idem. Χαλκίνθος, gallinacei quidam, Idem. Ψίλικος, τῶν ἀλεκτρυόνων οἱ νοθαγόνναι, Suidas & Hesychius. Πύλιος ὄρνις, pro gallinaceo apud Pollucē. 10

¶ Epitheta. Nocte deæ noctis cristatus cædítur ales, Ouidius 1. Fast. Cristatæq; sonant undiq; lucis aues, Martialis. Excubitorq; diem cantu patefecerat ales, Vergilius. Apud Textorem galli epitheta sunt hæc, Gallinaceus, Metuendus leonibus, Nuncius lucis, Salax, Volucris Titania. ¶ Ὀρτάλιδι ἀκμαιτάτῃσι ἐπιδυνηθέσι νεοσσοῖς, Nicander. dixit autē neossos, id est pullos, pro gallinaceis adultis. Κοκκοβόας ὄρνις de gallo dici uidetur apud Sophoclem, Eustathius. ὀλόφωνος ἀλεκτὼρ, Cratinus, uide paulò superius plura de hac uoce. ὀξύφωνος, apud Lucianū. Ὀρθροκόκκυξ ἀλεκτρυών, Diphilus apud Eustathium. Varinus non rectè habet ὀρθιοκόκκυξ. Ὄρθρου ἀλέκτωρ, Theocritus Idyllio 7. Ὀρθροβόας, uide superius inter nomenclaturas uarias huius alitis. Ὄρνιχος φοινικόλοφοι, Theocritus Idyl. 27. 20

¶ Deriuata. A gallo fit gallina. à gallina gallinaceus, quæ uox & pro gallo simpliciter ponitur, & tanquam epitheton ei adiungitur, differentiæ forsan gratia. nam & Galli populi sunt, & sacerdotes Cybeles sic uocabantur. Dicitur etiam adiectiuè gallinaceum quod ex gallis uel gallinis est, ut pullus gallinaceus & oua gallinacea Varroni, & fel gallinaceum Ciceroni 2. de diuinat. ¶ Gallinarium, locus in quo gallinæ nutriuntur, Columellæ. Idem pro gallinario officinam dixit. Gallinarium est quod & cohors dicitur, unde aues cohortales. Aedicula uerò altera, cuius parietibus corbes affiguntur, in ijsq; gallinæ incubant, officina cohortalis (aliâs cortalis, das nisthus) ob id appellatur, quòd non aliter ac in officinis nostris cuncta parantur, quæ in usum humanum ueniunt, ita istic oua & pulli, quæ in cibum, Gyb. Longolius. ¶ Gallinarius Plinio & Ciceroni 4. Academ. custos est gallinarum qui Varroni & Columellæ gallinarius curator dicitur. ¶ Gallicinium pars noctis appellata est, in qua galli cantant. Primum tempus diei dicitur mediæ noctis inclinatio: deinde gallicinium: inde conticinium, cum & galli conticescunt, & homines etiam tum quiescunt, Macrobius Saturn. 1. 3. Noctis gallicinio uenit quidam iuuenis è proxima ciuitate, Apuleius lib. 2. de Asino. Tempus quo galli cantant, tribus ab intempesta nocte horis, gallicinium appellatur, Gyb. Longolius. ¶ Gallulo, pubem emitto. unde gallulasco, pubesco, quòd pubescentes uocem grandiorem ad galli gallinacei similitudinem faciant. Cuius uox gallulascit, Næuius. Aristoteles hoc τραγᾶν dixit. Vide in Hirco H. a. ¶ Gallus fortunam corporis significat, ut inquit Quintilianus: id est castratum. nam tales erant Galli sacerdotes Cybeles: de quibus extat prouerbium, κάλλας τί πέμψεις; Gallos quid execas? id est, Cur afflígis afflictum? quid actum agis? Gallum matris deûm sacerdotem Iul. Firmicus archigallum uocat, Brodæus. Matris deûm Cybeles sacerdotum antistites archigalli nominabantur, ut in antiquis elogijs aduertimus. Epitaphiū est Romæ in S. Martino in mõtibus, huiusmodi. D. M. C. Camerius Crescens Archigallus Matris Deûm Magnæ Idææ & Attis Po. Ro. &c. ut recitat Gyraldus: qui Tertulliani etiã uerba de archigallo quodã repetit, Syntagmate quarto de dijs. Archigallum etiam puto eunuchorum genus esse. Quo sydere prodeant hermaphroditi, eunuchi, uiragines, archigalli, ubertim scribit Matheseos tertio Firmicus, Cælius. Parasius pinxit Archigallum, quam picturam amauit Tiberius princeps, Plinius. ¶ Gallipedem quidam in Suetonij Tiberio inepte pro Callipide legunt. ¶ Cãres à Persis uocantur galli, eò quòd cristam in galeis habeant, Plutarchus in Artaxerxe.

¶ Ἀλέκτωρ poetis uxorem significat, ἡ ὁμόλεκτος, Eustathius: ut & ἄλοχος. item uirginem lectum siue coniugium non expertam. sic Mineruam ἀλέκτορα legimus, Idem. Pompeianus sophista cum Panathenæa festa celebrarētur Athenis, in quibus iudicia cessant, dixit: γνώθλιός ἐστι καὶ ἀλέκτωρ ἀθηνᾶς, καὶ ἄδικος ἡ τῆτες ἡμέρα, Athenæus libro 3. Ion Tragicus tibiam quoq; ἀλέκτορα dixit, quod propter soni eius suauitatem auditores λέγεσθαι, id est dormire nolint, Eustathius. Eadem ratione Solem etiam ἀλέκτωρ cognominatur, quòd homines in lectis cubare non sinat, uel (potius) quòd ipse nunquam cubet aut quiescat, Eustathius. ¶ Diitrephes prius pauper, nunc ditatus, ξυθὸς ἐστιν ἱππαλεκτρυών, Aristophanes in Auibus. ubi Scholiastes, Nunc (inquit) facta est ales magna & non uulgaris, gallus enim plerisq; auibus præstat. Plura de hac uoce leges in Equo a. ubi animalia ab equo denominata memorantur. Iubas etiam & capillum Græci alectoridas appellant, Hermolaus. ¶ Ἀλεκτρυοφόρον Aeschines dixit in Axiocho: unde nos etiam forte ὀρτυγοφόρον dicere poterimus. nam ὀρτυγοκώπτης non est in usu, Pollux. uidetur autem significare eos qui has aues uenales gestant: uel ad ludos potius. nam ὀρτυγοκώπτης dicitur, qui in ludo coturnicem digito ferit, &c. Phrynichus ἀλεκτρυοπωλικήριον dixit: ὥστε καὶ ἀλεκτρυονοσπώλιον ἂν εἴποις, Pollux. ¶ Pilulæ alectoriæ quædam aluum purgantes à Nicolao Myrepso describuntur: quas sic dictas apparet, eò quòd ui sua purgandi eos qui sumpserint, à lecto excitent. ¶ Ἀλεκτρυοφωνία, gallicinium, ut quidam in Lexicon uulgare Græco-

latinum

latinum retulit, sed apud Marcum Euangelistam cap. 13. ἀλεκτοροφωνία scribitur. ¶ Gallinarium Græcè ὀρνιθῶνα uocarim, ad uerbum auiarium dixeris, sed illi cum omnem auem, tum gallum gallinamq; per excellentiam ornin nominant. Itali hodie uulgò pullarium appellant, Calepinus. In uilla est pastionis genus, quod appellant Græci ὀρνιθῶνας, καὶ πτοδιστρεῶνας, Varro. Ὀρνιθονομεῖον, τὸ τὰς ὄρνιθας ἔχον οἴκημα, Suidas. Latinè etiam auiaria appellantur, ubi cicures atq; omnia genera auium segregata farcirentur. Hoc & ὀρνιθοβοσκεῖον Varroni dicitur. Μέταυλος, ἡ γυμναζομένη λεγομένη αὐλή, ἔνθα ὄρνιθοι πέζαι, apud Aristophanem, Varinus. Πέταυρον Grapaldus ex Polluce interpretatur caueam, in quam se cortis alites cubitum ituræ recipiunt. Πέταυρον Aristophanes nominat ἔνθα τοὺς ὠνοικιδίους ὄρνιθας ἐγκαθυδρίζειν, Pollux lib. 10. Verum, ut ego conijcio, non gallinarium totum petaurum nominari debet, sed tabula uel asser (σανὶς, Varinus,) quasi πέτεσθαι, πῆγα τοῦ ἐνδιαίτου ἐν αὐτῷ τὰ πετεινά, dicũtur etiam πέταυρα, asserculi (σανίδια, nimirum quas Latinè scandulas dicimus) quibus ædium tecta teguntur, ἐν οἷς στεγάζονται τὰ δωμάτια, quibus hospitia, uoce à Latinis sumpta, teguntur,) quod propter leuitatem facile ad auras & flatus uolitẽt. Scribitur & πέτεσθον Varino, & exponitur tabella tenuis & oblonga, qualis ædium tectis pro lateribus adhibetur. Ἀιθαλόεν πέτεσθον aliqui trabem interpretantur, &c. οὐδ' ὁπόθ' ὀρτάλιχοι μυκηθμοὶ ποτὶ κοῖτον ὀρῶεν Σειριάδας πρὸς μητρὸς ἐπ' αἰθαλόεντι πετέσθῳ, Theocritus Idyl. 13. Ταρβεῖς, μετέωρόν τι ἑκεῖον, ἐφ' ᾧ ἀλεκτορίδες κοιμῶνται, Varinus. Κοπὸν ἀναθεῖον, οὗ τὰ ὀρνίθια κοιμῶνται, Hesych. Κοπὸν supra gallinaceum interpretati sumus. ¶ Ratio cohortalis, quam Græci uocant ὀρνιθοτροφίαν, Columella.

¶ Διὰ ἀλεκτόρεια, id est gallinacea oua, Synesius in epistolis. Ὀρνίθεια κρέα, id est gallinaceæ carnes, Xenophon lib. 4. Anabas.

¶ Stirpes. Cunila gallinacea, non alia herba est quàm quæ origanum Heracleoticum Græcis uocatur, Plinio teste. Ruellius sic dictam putat quòd à gallinis pascatur. In Ponto (inquit Plautus) absinthium fit & cunila gallinacea. ¶ Alectorolophos, quæ apud nos crista dicitur, folia habet similia gallinacei cristæ, Plin. Syluaticus gallitricum uel centrum galli uulgò dictum interpretatur, cuius semen (inquit, oculis immissum) caligínem ad se trahit. Eandem alibi scarleam uocat, (ut nostri scharlach) quod uisus claritatem renouet. Et alibi, Eraclea (Heraclea) est (inquit) quæ Latinè feraria nigra uocatur: quam recentiores centrum galli, & gallitricum syluestre uocãt. Videtur autem de sideritide Heraclea sentire, quam hodie eruditi quidam herbam Iudaicam uel tetrahit Arabicè & uulgo herbariorum dictam esse putant: quibus ego quoq; potius assenserim, etsi illa etiam quam polemonium Ruellius facit, pulchrè cum Dioscoridis descriptione facere uidetur. Vulgare quidem gallitrici nomen, à galli crista corruptum uidetur. Inter uerbenacæ etiã nomenclaturas apud Dioscoridem crista gallinacea legitur. Τριπτολέμη nominatur apud Nic. Myrepsum unguento 62. ¶ Gallitricus (lego Galli crus) id est sanguinaria, eò quòd naribus impositа, sanguinẽ suauiter fluere facit, nascitur circa uias & saxosis locis, habet in summitate uelut pedes galli, Syluaticus. Plura leges de hac herba in Boue H. c. & in Cornice a. Capnos siue capnion, hoc est fumus, duplex. alia Dioscoridi descripta, nascens in hortis & segetibus hordeaceis: alia & nomine & effectu similis, quam pedes gallinaceos uocant (teste Plinio) in parietibus & sepibus genitam, ramis tenuissimis sparsisq;, flore purpureo, ut inquit Plinius: quam nõnulli modo cymbalarem uulgò dictam, nescio quàm rectè interpretantur, folio hederæ, prætenui, ut in cotyledone cõmonuimus, Hermolaus Corollario 724. ubi etiam mox crassissimum illorum errorẽ reprehendit, qui ex eo quòd capnon Plinius Latinè pedes gallinaceos uocari scribit, capnon etiam à Dioscoride monstratum, non aliud genus esse putant, quàm quæ uulgò sanguinaria & galli crus dicitur, quæ gramini (inquit) tam similis est, ut ab eo forte non admodũ seiungi possit: nisi quòd folio minore cernitur, & fibris potius quàm radice nititur. id autem quod in utroq; summo frutice trifarin (trifarium) gallinacei pedis imitationem habet, candidius in hac quàm in gramine conspicitur. Et alibi, Cotyledon non est, ut quidam rentur, quæ uulgò cymbalaris appellatur, etiamsi cymbalion à Dioscoride uocetur. est autem cymbalaris herba folio tenus anguloso, hederaceo, flore paruo, purpureo, in muris terræ nascens, quam quidem nonnulli genus alterum capni dictæ faciunt, Hæc ille. Vulgaris quidem apud nos hæc herba est, & lactis etiam nonnihil habet, flosculo calathiformi ex purpureo ad cœruleum inclinante, radice alba dulci, ut rapulo syluestri congener uideatur: oculis à quibusdam utilis creditur, nimirum ut capnos quoq;, ut ab eodem effectu nomen idem cõtigerit. foliorum species per ætatem mutatur; ex rotundiori in longam. quæ uerò eius pars pedes gallinaceos referat, non facile dixerim, nisi forte mucrones illi in quos diuiditur calyx qui florem sustinet, eos repræsentare dicãtur, præsertim cum flos deciderit aut aruerit, tunc enim in diuersa tensi rigentesq; magis apparent. ¶ Apud Dioscoridem inter thlaspeos etiam nomẽclaturas pes gallinaceus legitur. Item caucalis (apud eundẽ) tum eodem nomine, tum pes pulli uocatur: nimirum quòd extremum folium in gallinæ pedem conformetur, ut Ruellius scribit. Portulaca Macro etiam pes pulli dicitur, Syluaticus. Adamus Lonicerus tertiam aizoi speciem Germanicè interpretatur, Hünerbeer, Hünertruben. ¶ Herba quam pro aristolochia rotunda pharmacopolæ Germani hactenus falsò acceperunt, à quibusdam Germanicè Hanenspoin, id est calcar gallinacei, à floris figura, nominatur. ¶ Alsine herba Græcis dicta, uulgò morsus gallinæ & passerina à quibusdam nominatur, Germanis Hünerdarm, Hüner kerb, Vogelkraut. ea cũ cæteris auibus tum gallinis grata & salubris, et fastidij remedium

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 444 sur 825

existimatur: ut helxine etiam, qua Plinius gallinaceos scribit annuum fastidium purgare, si modo non errore aliquo factum est ut helxine pro alsine scriberetur.

¶ Animalia. Κώκαλον, uetustum, & species gallinacei, Hesychius & Varin. Κώκαλος etiam nomen proprium est, Varin. Persæ etiam coruos alectoridas uocant, Hermolaus nescio quo authore. Pausanias quidem in Bœotia gallinaceos quosdam coraxos, id est atro coruorum colore esse scribit. Vpupam etiam ἀλεκτρυόνα & γέλασον uocāt, Hesych. & Varinus. Cancer Heracleoticus uulgò apud Italos gallus marinus, gallo de mare, nominatur, quòd eius chelæ cristam galli referant, Pet. Bellonius. Piscis quidam ad Oceanum Germanicum, gobijs cōgener, ut ex pictura conijcio, uulgò Seehan, id est gallus marinus uocitatur. ¶ Gallus matricis, id est mola matricis, Syluaticus. Amatus Lusitanus lib. 1. Curationum Medicinalium meminit mulieris quæ geminos utero gestans quinto mense abortiuit, & tertio à primo abortu die, frustum quoddam carnis emisit, galli cristæ cum rostro gallinaceo simile.

¶ Icones. Asis (regio puto sic dicta) puerum delphino insidentem numis insculpebat, Dardanis gallorum pugnam, Pollux lib. 9. & Cælius. Persarum rex Artaxerxes Cyri iunioris percussori ex Caria, uirtutis præmium contribuit, uti in prima acie gallum aureū in hastæ gestaret apice. Nam Cāras omnes Persæ ἀλεκτρυόνας dicunt, id est gallos, propter cristas quas in galeis surrectas habent, Cælius. ¶ In Apollinis Delphici templo chirotechnæ (id est opifices manuarij) frigida quædam & curiosa fecerunt, ut qui manui Apollinis gallinaceum imposuit, ut horam matutinam & tempus instantis ortus designaret, Plutarchus in libro Cur Pythia non amplius carmine respondeat. ¶ Lapis Eislebanus aliquando galli effigiem refert, Georg. Agricola. In arce Eleorum Mineruæ simulacrum est, cuius galeæ gallinaceus insidet, Pausanias. uide infra in h. ¶ Athenienses Anterotis aram constituerunt, in qua pueri nudi & formosi signum inerat, in ulnis gemínos sustinentis generosos gallos, & se in caput impellentis, quibus Timagoram & Meletum, seu Melitum (utrunq; enim legimus) qui amore perierunt, significabant. Historia notissima apud Pausaniam & Suidam: quanquam nonnihil inter se uarient, ille in Attica, hic in dictione Melitus, Gyraldus. Gestat autē puer gallinaceos: quòd unà cū duobus gallis, quos à Melito sibi dono datos ulnis gestabat, ex arce Athenis se præcipitasset. Pausanias aliter hanc historiam referens, gallinaceorum quoq; non meminit. ¶ In excelsarum turrium apicibus gallinacei icon ex orichalco conflata, & inaurata plerunq;, imponi solet, lamina ad uentum uersatili. Vide Emblema Alciati quod in fine historiæ galli recitabitur.

¶ Propria. Auctor Nicander est, Secundum, qui pincerna regius fuit in Bithynia, à gallo amatum eximiè cui nomen foret Centaurus, Cælius. ¶ Alectryon nomen proprium uiri Iliados η. non seruat ο. magnum in obliquis, ἀλεκτρύων uerò paroxytonū seruat, Eustathius. Υἱὸν Ἀλεκτρυόνος μεγαλήτορος, Homerus. ¶ Electryon memoratur Amphitryonis pater & filius Alcei, ut testis est Hesiodus in Aspide. ¶ Alector filius fuit Argeæ filij Pelopis & Hegesandræ filiæ Amyclæ (ἢ Ἀμύκλα,) cuius filia Iphiloche uel Echemelus (Ἐχέμηλος) Megapenthi filio Menelai nupta fuit, Eustathius. Fuit & alius Alector filius Epei regis Elidis, &c. Eustathius in secundum Iliados. ¶ Adæus quidam Philippi militum peregrinorū dux, ἀλεκτρυὼν cognominabatur. Meminit eius Heraclides Comicus his uersibus: Ἀλεκτρυόνα γὰρ τὸ Φιλίππου παραλαβὼν Ἀωὶ κοκκύζοντα, καὶ πλανώμενον Κατέκοψεν, ὁ γὰρ ἔχων οὐδὲν πω λόφον. Ἕνα κατακόψας μᾶλλα συχνὸς εἰσέπνευσε Χάρης Ἀθηναίος. ut Athenæus citat libro 12. nam hic Chares (inquit Eustathius) Athenienses in foro epulis excepit, cū sacrificaret epinicia propter pugnam prosperè contra Philippi peregrinos milites gestā, dicit autem illum intempestiue cecinisse (ἀωὶ κοκκύσαι) eò quòd pugnam intempestiuè aggressus sit: & nondum cristam habuisse, hoc est inermem adhuc periculo se exposuisse. Vide infra in prouerbio Philippi gallus. ¶ Alectryon quidam adolescens Marti acceptus fuit, quem Mars aliquando cum Venere cōcubiturus in domo Vulcani pro uigile secū ducebat, ut si quis appareret, Sol oriens præsertim, indicaret. ille uerò somno uictus cum Solis ortum non indicasset, Mars à Vulcano deprehensus & irretitus est, qui postea dimissus, Alectryoni iratus in auem eum mutauit unà cum armis quæ prius gerebat, ita ut pro galea cristam haberet. Itaq; memor deinceps huius rei alectryon, etiam nunc ales, id tempus quo Sol prope ortum est, quo scilicet Vulcanus domum reuerti solebat, cātu designat. Fabulam memorant Lucianus, & ex eo interpretatus Cælius Rhodiginus, & Aristophanis Scholiastes, & Eustathius in octauum Odysseæ, & Varinus. Alectryonem aliquando Martis ministrū & militem fuisse etiamnum testantur, cristā, animositas, calcaria, ut rhetor quidam scripsit. ἀλλὰ οὗτος φιλύσορον μυθοποιικὸς ὁ σεμνόν ὄτι λάλημα, Eustathius. Alectryon olim tyrannidem gessit, & Persis primus imperauit, etiam ante Darium & Megabyzum: unde etiamnum ab illo imperio Persica auis appellatur, Pisthetærus apud Aristoph. in Auibus. Vbi Scholiastes, Forte etiam in precedentibus (inquit) alectryona uocat Medum auem. nam Persas quoque Medos uocabant. Mox autem subdit Epops, Hinc est nimirum quòd adhuc instar magni regis incedit, cyrbasiam (tiaram) in capite solus auiū rectam gerens. Quanquam enim (inquit Scholiastes) Persæ omnes tiaram ferrent, solis tamē regibus erectam ferre fas erat: cæteris complicata erat uel in frontē prona uergebat, ut Clitarchus tradit. Adeò uerò præpotens (inquit Cælius) & formidolosum fuisse illud imperium aiunt, ut nunc quoq; auibus id genus diluculo præcinentibus, prosiliant ad opera omnes ceu mulctam ueriti. ¶ Cornelius Gallus, poetæ ueteris nomen. ¶ Gallus, gentile à Gallia. ¶ Est & Gallus fluuius Phrygiæ, cuius aqua furorem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 445 sur 825

rorem inducit. Amnis it insana nomine Gallus aqua, Ouidius. Ab hoc, auctore Festo, Galli dicebantur sacerdotes Cybeles, qui postquam ex eo bibissent se castrabāt, & inter sacrificandum furiosè se gerebant. Crinemq; rotantes Sanguinei populis ululārunt tristia Galli, Lucanus lib. 1. Quidam Gallum puerum putauère, qui contracta offensa deæ se execuerit, & simul fluuio nomen dederit, Gyraldus. ¶ Gallinaria insula est à gallinis ferís sic dicta: uide infra in Capite de gallinis ferís. ¶ Et Pontina palus & Gallinaria pinus, Iuuenalis Sat. 3.

¶ b. Formoso regi, cui uertice purpurat alto Fastigiatus apex, dulcíq; errore coruscæ Splendescunt ceruice iubæ, perq; aurea colla, Perq; humeros it pulcher honos, palea ampla decenter Albicat ex rutilo, atq; torosa in pectora pendet Barbarum in morem. stat adūca cuspide rostrum, Exiguum spatij rostrum, flagrantq; tremendum Rauí oculi, niueasq; caput latè explicat aureis. Crura pilis hirsuta rigent, iuncturaq; nodo Vix distante sedet, durus uestigia mucro Armat: in immensum pinnæq; hirtiq; lacerti Protenti excurrunt, duplicíq; horrentia uallo Falcatę ad cœlum tolluntur acumina caudæ, Politianus in Rustico. ¶ Crista in gallinaceo, uocatur etiam apex à Politiano. Cristas tollere uel detrahere prouerbium referetur infra. Gallorum cristas aliqui barbarè ruffas nominant. Ascili, id est crista galli, Syluaticus. Græci λόφον appellant, ut Eustathius. Aristophanes in Auibus κυρβασίαν: quanquam Varinus Cyrbasiam & Cybarsiam quoq; caput gallinacei interpretatur, κεφαλὴν ἀλέκτορος: Hesychius κορυφὴν ἀλέκτορος, id est uerticem uel cristam galli. Hippocrates cyrbasicam pileum acutum ut uidetur, qui & tiara. alij cyrbasiam, alij tiaram erectam, qua soli Persarum reges utebantur. Ὁ ῥῳσικὸς ὄρνις ὁ ἀλέκτωρ λέγεται διὰ τὴν λοφιάν, Suidas. ¶ Rostrum, uulgus Italicum becco uocat, uocabulo Tolosano antiquo: quanquam id illis gallinacei rostrum significaret, author Tranquillus in Vitellio. Κόραξ, coruus, & summa gallinaceorum rostra, à colore nigro quem Græci κορὸν dicunt, Hesychius & Varinus. Κάλεα (lego κάλλαια) barbæ gallinaceorum, & pennę in cauda earum secundum Aelium Dionysium, Varinus in uoce Θρόνα. Κάλλαιοι (lego κάλλαια) gallinaceorum barbæ, & omnis color purpureus, uel secundum alios uarius. τῶν πορφυρισθὲς χρῶμα. φῦκοι δὲ τὰ ποικίλα. καὶ παρ' Αἰγυπτίοις χρῶμα καλαϊνόν. Ponitur etiam pro unguento. & καλλαὶ (malim κάλλη, ut Ammonius de differentijs uocum habet,) τὰ βαπτὰ ῥία, Hesychius. Καλλιάνθη πορφυρᾶ, Hesychius & Varinus. legendum forte, Κάλλη, ἄνθη πορφυρᾶ. nam κάλλη uocant floridos colores, τὰ ἄνθη τῶν βαμμάτων, Hesych. Καὶ ἀπὸ τῶν ὠτων ἑκατόβοιον ἔχει κρεμαμένην, ὥσπερ οἱ ἀλεκτρυόνοι τὰ κάλλαια, Athenæus de tetrace magna. Hermolaus cristas utrinq; ex auribus pendentes reddidit, quod non probo. Sed plura de hac uoce scripsi supra in B. Αἰκάλλειν uerbum dicitur de cane blandiente auribus & cauda: & per translationem à gallinaceis. κάλλεα eorum barbæ (πτερύγια) uocantur, Varinus. Quemadmodum barbæ appendiculas quasdam gallinacei possident, sic aries bellua marina fœmina, cirros ex imo collo pendentes habet, Aelianus. ¶ In pullo partem quandam nauim uocat Apicius lib. 6. capite ultimo, pullum à nauí aperiri iubens: pectus forte intelligēs. nam mox pullum farsilem à pectore aperiri iubet. sed Humelbergius partem posteriorem uentris interpretatur: qui ut nautis cauus, & figuræ eius non dissimilis sit. ¶ Intestina gallinarū cum rebus alijs incocta ueteres gigleria uocabant, Hermolaus. alij gigeria legunt. Gigeria pullorum coques, Apicius 4. 1. ¶ Actraltigi, fasianum (imò attagenem) significat, non ut quidam putant testiculos gallorum, Syluaticus. Ὄπτα, gallinacei cauda, Hesych. & Varinus. Κάλεα (malim κάλλαια) barbæ gallinaceorum, & pennæ in caudis eorum secundum Aelium Dionysium, Varinus in Θρόνα. ¶ Πλῆκτρα Atticis sunt calcaria gallorum quibus pugnant, quæ communiter κέντρα uocantur, Varinus. Πλᾶκτρον Doricum est, ut & πλακτὴν apud eosdem. Κόπιδι, κέντρα ὀρνίθεια, Idem. Calcar tollere prouerbium referetur in h. ¶ Boccatius gallinaceos pedes Sirenibus attribuit ex Albrico ignobili authore, Gyraldus. ¶ Plumas sub cauda quæ gallinis aut capis saginandis euelli solent, aliqui priuatim nominant **masstfäderen**.

¶ c. De uoce & cantu gallinacei. Miratur uocem angustam, qua deterius nec Ille sonat, quo mordetur gallina marito, Iuuenalis Sat. 3. de adulatore. Πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν (ἀλέκτωρ legi potest, ut uersiculus constet) ἐφθέγξατο. Prius atq; gallus cantet iterum cristiger. Prouerbium est à prisca consuetudine sumptum, qua noctis deliquium & accessum diei galli cantu metiebantur, gnomonibus horarijs nondum repertis. Gallus autem tribus interuallis canit, prænuncians diem. Veteres initium diei à prima mediæ noctis inclinatione ordiebantur, proximum tempus gallicinium uocabant: quòd id temporis lucem multò ante præsentientes incipiunt canere. Tertium conticinium, cum & galli conticescunt, & homines etiam tum quiescunt. Quartum diluculum, cum incipit dignosci dies. Quintum mane, cum clarus iam dies exorto Sole. Itaq; secundus gallorum cantus, multò Solis exortum anteuenit. Hinc Iuuenalis, Quod tamen ad galli cantum facit ille secundi, Proximus ante diem caupo sciet. Consimiliter Aristophanes in Cōcionatricibus, οὐδ' ἐμὰ Δία πώποτ' ἤκουσ', ὅτε τὸ δεύτερον Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγξατο. Erasmus. Gallus antequam in hac nocte cantet (bis cantet, Marcus) ter me negabis, Matthæus Euangelista. Gallus statim cantauit ut Petrus negauit, Lucas & Iohannes. ¶ Excubitorq; diem cantu patefecerat ales, Vergilius. Cristatus ales, Qui tepidum ui gili prouocat ore diem, Ouidius in Fastis. Surgite iam uēdit pueris ientacula pistor, Cristatæq; sonant undiq; lucis aues, Martialis. Sub galli cantum consultor ubi hostia pulsat, Horatius in Sermonibus 1. 1. Auroram gallus uocat applaudentibus alis, Politianus. ¶ Ipse semet canit, Αὐτὸς

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 446 sur 825

αὐτὸν αὐλεῖ, ipſe ſuimet tibicen eſt: prouerbium conueniens cum aliàs tum in illos qui ſemetipſos laudant, qui mos eſt gallis gallinaceis, etiam quum è pugna ſe proripuerint. Plato in Theæteto, Φαινόμεθά μοι ἀλεκτρυόνων ἀγῶνος δίκαιον, περὶ νενικηκέναι, ἀκριβέστατα ἀπὸ τοῦ λόγου ἄδοντες. id eſt, Videmur mihi ignaui galli in morem, quum ante uictoriam à ſermone reſilierimus canere, Eraſmus.

¶ Ex ſambuco magis canoram buccinam tubamq́ credit paſtor ibi cæſa, ubi gallorum cantum frutex ille non exaudiat, Plinius. Hoc cur fiat, ſi modo uerum eſt, (inquit Cælius Calcagninus in epiſtolicis quæſtionib. lib. 2.) nemo facile dixerit. Sunt qui hoc nõ ſimpliciter, ſed συμβολικῶς traditum putẽt, more Pythagorico, ut multum diuerſum quàm dicitur, intelligatur. Sicut prõditum eſt, non ex omni ligno Mercurium debere fieri: Deum non populari ritu, ſed electo ac religioſo colendum eſſe: ſic non uulgari, ſed remotiori Muſicæ incumbendum eſſe admonentes, non ex obuia quaq́ ſambuco tibiam ſambucenq́ coagmentari oportere dixerunt, & expedire ut remotiora petantur, atq́ inde decerpatur ubi cantus galli non obſtrepat. Nam ſic hodie quoq́ locum longè ſepoſitum ad quem nemo adeat ſignificantes, dicunt in eo ne gallum quidem unquam exaudítum. Aut certe ſtridula illa atq́ admodum obſtrepera uox galli hebetare, & ſtridore ſuo quodammodo diffindere & conuellere poteſt penetrabilem ac fungoſam ſambuci materiem: utpote qua leo etiam tantæ animal conſtantiæ conſternetur. Alij ſunt qui eo dicto nil præterea oſtendi putent, quàm ſylueſtrem ſambucum ſatiuæ multò eſſe præferendam: quòd ea procul locisq́ abditis, hæc propè inter noſtra ſepta adoleſcat, Hæc ille. Materies quidem ſambuci mire firma traditur. conſtat enim ex cute & oſsibus: quare uenabula ex ea facta præferunt omnibus. Quoniam uerò loca ſylueſtria (qualia ſunt in quibus gallorum cantus non auditur) ſiccíora ſunt, ligna etiam illic ſiccíora ſolidíoraq́ fiunt, & ex tali materia tibiam magis canoram tornari credibile eſt, cum unumquodq; corpus eò magis ſonorum ſit quo ſiccius ſimul ſolidíusq́. ¶ Ἀλεκτροφωνία, id eſt gallicinium, apud Marcum Euangeliſtam. Περὶ ἀλεκτρυόνων ᾠσίας, ἀλεκτρυόνων ἀσθενῶν, ὑπὸ τὸν ᾠδὸν ὄρνιθα, Pollux. Κῆρυξ ὁ ἀλεκτρυὼν. ἔστιν δὲ ᾠδή, Suidas, Τῆς νυκτὸς ὕδην πρὸς διάστασιν ὅσης ὀρνίθων ᾠδὴν, Syneſius in epiſtola. Ὄρνιθον ἔστιν αἶπύ τὸν ἔχοντα ὄρθρον ἄειδον, Theocritus Idyll. 31. Καθ' ὃν καιρὸν ἀλεκτρυόνδε ἄδουσι, οὗ σωοικοῦντες ἰδίῳ κηρύγματι ὧν ὄρθρου ἐγείροντδε, Heliodorus in Aethiopicis. Διατρόπου τινὸς γιγνομένης ἀναβοήσας, Lucianus de gallinaceo quem & ἀλεκτρυόνα cognominat. Ἕως ἐβόησεν ἀλέκτωρ, Homerus in Batrachomyomachia. Ἀδὴν uerbum de gallinaceorum uoce priuatim uſurpatur, Pollux & Euſtathius. ut κοκκύζειν de cuculis, Pollux & Ariſtophanis Scholiaſtes. ſed Hyperides & Demoſthenes de gallinaceis etiam κοκκύζειν dixerunt, Pollux. Gaza Ariſtotelis interpres pro hoc uerbo cucurrire reddidit. Vide plura in Cuculo a. Κοκκύζειν τὸν ἀλεκτρυόνα (ἤγουν ᾄδειν ὡς αὐτῷ ἔθος) ἐκ ἀνέχοντα, Cratinus apud Euſtathium, qui & hoc Platonis Comici citat, Σὲ δὲ κοκκύζων ἀλέκτως πᾶς καλεῖται. Cum Nibas coccyſſauerit, Ὅταν νίβας κοκκύσῃ: prouerbium ſimillimum illi ad Græcas calendas. Tradunt in Theſſalonica Macedoniæ ciuitate uicum eſſe, cui nomen Nibas, ubi gallí nunquam uocem ædant, (ut Nibas per ſynecdochen dicatur pro gallinaceis qui in eo uico ſunt.) Heſychius addit (ait) nibades dici capras criſtatas, ut ab ijs expectetur τὸ κοκκύζειν, quod eſt gallinaceorum, Eraſmus. Νιβάδες, αἱ οὐ λόφους ἔχουσαι αἶγες, Heſych. & Varinus. ego capras feras quæ montium iuga niuoſa incolunt, interpretarer, non ut Eraſmus criſtatas, nam & νίβα niuem exponunt: & νιφοβόλον, ὑψηλόν. Amator quidam apud Theocritum Idyllio 7. ne expectemus (inquit) amplius, ὁ δ' ὄρθιος ἄλλον ἀλέκτωρ Κοκκύσδων νεφέλαισιν (ἀπειρεσίαις) ἀνικῶσι δόμοις. Gallinacei nomina uel epitheta à cantu eius ſumpta, ὀρθροβόας, κοκκοβόας, ὀρθρεκοκκύξ & ὁλόφωνος, ſupra in H. a. memorata ſunt. Ὅσῳ ὁ ὡρησιὸς ὥραν πᾶσαν καναχὴν ὁλόφωνος ἀλέκτωρ. Apodus, uox galli immatura & intempeſtiua, Scoppa grammaticus. eſt autem Græca uox ἀπῳδός, id eſt abſonus. Ἀλεκτρυόνα τὸν τοῦ Φιλίππου πτηλαβῶν Ἀωρὶ κοκκύζοντα καὶ πανώμιλον, Heraclides apud Athenæũ.

¶ Ενδομάχας ἀλέκτωρ, Pindarus in Olympijs Carmine 12. id eſt, gallinaceus inteſtina & domeſtica prælia pugnans. Φιλονεικότροι ἀλεκτρυόνων, id eſt gallinaceis pugnaciores, Eraſmus ex Luciano.

Adde gregem cortis, criſtatarumq́ uolucrum
Explaudunt, uigiliq́ citant Titâna canore,
Roſtra ferunt, crebrisq́ acuunt aſſultibus iras.
Infeſto, aduerſumq́ affligunt pectore pectus.
Inſultans uicto, pauidum pede calcat iniquo.
Induperatores, laterum qui fidera pulſu
Et regnũ ſibi Marte parãt, quippe obuia roſtris
Igneſcunt animis, & calcem calce repulſant
Victor ouans cantu palmam teſtatur, & hoſti
Ille ſilet, latebrasq́ petit, dominumq́ ſuperbum

Ferre gemit, comeſit merito plebs cætera regi, Politianus in Ruſtico. Gallus gallinaceus Vbi erat hæc (olla) deſoſſa, occepit ibi ſcalpurire ungulis Circum circa, Plautus. Ipſe ſalax totam fœcundo ſemine gentem Implet, & oblongo nunc terram ſcalpurit ungui Rimaturq́ cibos, nũc ædita nubila uiſu Explorat cauto, Politianus in Ruſtico. ¶ Verbena quoquo modo applicata prohibet τὸν τοῦ ἀιδίου γῆτασιν, ita ut ſi gallus eam guſtauerit, gallinas ſuperuenire nequeat, Kiranidæ interpres ut gallus gallinam non calcet, (ſaliat nimirum,) edendã ei uerbenam dari iubet cum furfure & polenta. Idem ſi cinædius lapis gallo detur cum polenta, cinædum futurum ſcribit. Dicunt quidam decrepitum gallum, ouum ex ſe generare, idq́ in fimo ponere abſq́ teſta, ſed pelle tam dura ut ictibus ualidiſſimis reſiſtat: atq́ hoc ouum fimi calore fœcundari ita ut baſiliſcus ex eo gignatur: qui ſerpens ſit per omnia gallo ſimilis, ſed cauda longa ſerpentina. ego hoc uerum eſſe non puto, quanquam ab Hermete proditum, ſcriptore apud multos fide digno, Albertus. Et rurſus, Baſiliſcos aliquando dicunt gigni de ouo galli, quòd planè falſum eſt & impoſsibile, nam quod Hermes docet

docet basiliscum generare in utero (generari in fimo) non intelligit de uero basilisco, sed de elixir (elydrio) alchymico, quo metalla conuertuntur.

¶ d. Quis dedit gallo (sekui, Hebraicè. alij transferunt cordi, uel facultati imaginatiuæ) intelligentiam? Iob 38. Non illum squamea tutò Aggreditur serpens, non raptor ab æthere miluus, Politianus de gallo. ¶ Si uis ut non cantet gallus, unge frontem eius oleo, Rasis.

¶ e. Tu istum gallum si sapis Glabriorem reddes mihi quàm uolsus ludius est, Plautus Aul. ¶ Proditur memoriæ Socratem Iphicrati ducí animos adiecisse, quum ei præmonstrasset gallinaceos coram Callia pennis ac rostro dimicantes. Chrysippus etiam in libro de iustitia (ut refert Stobæus) gallorum æmulatione injici nobis ad fortitudinem stimulos & subijci calcaria prodidit, Cælius. Gallinaceorum calcaribus in pugna plectra quædam siue embola ærea apponebant, Scholiastes Aristophanis & Varinus. Cleomenes Cleombroti cum quidam ei gallinaceos pugnaces offerret, quos pugnando pro uictoria etiam emori dicebat: Quin de illis potius (dixit) mihi dato à quibus occiduntur, illi enim præstabunt, Plutarchus in Laconicis. Malim ego mihi amicum bonum obtingere, quàm optimum (pugnacissimũ, ἄριστον) gallinaceum aut coturnicẽ, Plato in Lyside.

¶ Si contra aduersarium tuum causam obtinere uolueris, calcar galli de crure dextro tecum feras, & uinces, Rasis. Fel gallinæ si quis illinat uirgæ & mox cum uxore sua rem habeat, non diliget alium, Idem. ¶ Crista capitis galli cum grano thuris & pauco cornu cerui gestata, omnem timorem nocturnum & omnem occursum malum aufert, & intrepidum reddit gestantem, Kiranid. ¶ Testiculi gallinacei aridi miscentur escæ cuidam ad pisces omnes magnos in mari capiendos, in Geoponicis Græcis à Tarentino. ¶ Gallus contra orobanchen herbam in aruis nascentem (quę & leo dicitur) circunfertur, uel semina terræ mandanda gallinaceo sanguine rigantur, ut recitaui in Leone H. a. tanquam & herba leo non minus quàm animal, à gallo abhorreat. ¶ Sybaritæ adeò molles erant, ut neq; gallinaceos neq; artifices qui strepitum ullum mouerent, in urbe ali paterentur, ne somni tranquillitas interciperetur, Athenęus. Gallinaceus in Somnio apud Lucianũ, prædicat se hoc muneris à Mercurio obtinuisse, ut cuicunq; dedisset caudæ suæ dexteram pennam longissimam, quę præ mollitie incuruatur, is fores omnes aperire posset & inspicere omnia, inuisibilis ipse interim. ¶ Illud incredibile, quòd calcaneus (calcar potius) pedis dextri galli uictores faciat, Cardanus. ¶ Ἀλεκτόρων πίνει καὶ ὄνου. μυξὸς (forte μυοξὸς) ὁ πίνει καὶ ὀρεῖ, incantatio in dysuriam asini apud Suidam.

¶ g. Antidoti Adriani (inquit Nicolaus Myrepsus) uim experientia plurimi inuenerunt. narrant enim si gallo à serpẽte iaculante uenenum demorso aliquid huius antidoti cum aqua tepida in os immiseris, confestim hunc restitui ac liberari. ¶ Cor gallinæ ea adhuc palpitante, coxæ alligatum, partum accelerat optimè, Kiranides. Vide in h. in Gallo Latonæ sacro. ¶ Gallinacei dexter testis arietina pelle adalligatus, Venerem concitat, Plin. Et alibi, Magi tradunt inhiberi Venerem pugnatoris galli testiculis anserino adipe illitis adalligatisq; pelle arietina, item cuiuscunq; galli gallinacei, si cum sanguine gallinacei lecto subijciantur. Sed aliter Sextus, Galli testiculi (inquit) cum adipe ans. in arietis pelle brachio suspensi, concubitum excitant. suppositi lecto cum ipsius sanguine, efficiunt ne concumbant qui iacent. ¶ Cristis & auribus & unguibus gallinaceorum crematis tritisq; cum oleo perungi iubent febrientes, cum geminos transit Sol. Si luna, rasis barbis eorum, Plinius.

¶ h. Gallinas (id est genus gallinaceum) primi feruntur habuisse Persæ, Hermolaus. ¶ Gallus succinctus lumbos suos, & aries, nec est qui ei resistat, Prouerb. 30. ¶ Fescennínus Niger ob unius gallinacei direptionem decem commanipulares, qui raptum ab uno comederant, securi percuti iussit, Ambrosius Calepinus ex authore innominato. Platonem legimus hominẽ definiuisse animal bipes, sine plumis: & cum Diogenes Cynicus irridendi gratia in academiam eius gallinaceum deplumatum immisisset, hunc hominem Platonis esse clamitans, illum postea πλατυόνυχον, id est latis unguibus præditum, differentiæ causa addidisse. Epitaphiũ Anytes in gallinaceum, Epigrammatum Græcorum lib. 3. sect. 24. Οὐκέτι μ' ὡς τὸ πάρ⊙ πυκιναῖς πτερύγεσσιν ὀρέσσων ὄρσεις ἐξ Εὐνῆς, ὄρθρε⊙ ἐγερόμεν⊙. Ἡ γὰρ σ' ἐπαύσαντα σίνις λάθρηδὸν ἐπελθὼν ἔκτεινεν λαιμῷ ῥίμφα καθεὶς ὄνυχα.

¶ Gallus in Somnio Luciani fingit se olim Euphorbum, deinde Pythagoram fuisse. ¶ De Alectryone iuuene Marti deo familiari in auem eiusdem nominis mutato, scriptum est supra inter Propria nomina.

¶ Gallinaceum in Syria cultum pro deo, Lucianus refert in libello de dea Syria. Αλλ' ἔστιν ἀλεκτρυὼν ἱερὸς, οἰκεῖος δ' οὐδὲ λίμνη. ¶ Veteribus monumẽtis traditur, gallinaceorũ fibras maximè dijs gratas uideri, Alexander ab Alexandro. Fuit quidem priscis opinio, ut ex hœdis potius & agnis hostiæ fierent, quia hæ mites & cicures essent. nam gallinacei, sues & tauri animo magis abundare uidentur, Gyr. Anubis apud Aegyptios uocatur (uocabulo Græcę originis) ὁ ἀναφαίνων τὰ ὑφάνια καὶ τὸν ἄνω λόγ⊙: hoc est ratio superiorum & cœlestia declarans. & idem interdum Hermanubis, quod nomen rebus inferioribus conuenit, ut illud superioribus. sacrificant autẽ utriq; gallum, illi album, quòd cœlestia syncera et lucida existiment: huic κροκίαν, (hoc est pennis & iubis croceis prędituũ, Gyraldus etiã croceum transtulit,) inferiora omnia mixta & uaria esse rati, Plutarchus in lib. de Iside & Osiride. Pyrrhus rex cum splẽne laborãtibus mederetur, albo gallo sacrum peragebat, Lilius Gr.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 448 sur 825

Gyraldus. In opertaneis ſacris gallinæ nigræ non uidebantur puræ, Idem. Gallum nutrito quidem, ne tamen ſacrificato: eſt enim Soli & Lunæ dicatus. Hoc (inquit Lilius Gr. Gyraldus) ab aliquibus inter ſymbola repoſitum eſt. Sunt qui dimidiatum tantum efferant, Gallos enutrias. Nonnulli præceptum hoc non ſymbolum faciunt, nec aliud quàm gallum ipſum intelligunt. Sed licet etiam ſymbolicè interpretari: uel ut Pícus, ut diuinam animæ noſtræ partem, diuinarum rerum cognitione, quaſi ſolido cibo & cœleſti ambroſia paſcamus: Vel ſimplicius, gallos, id eſt milites ac bellatores homines in ciuitate habendos eſſe, & in contubernio retinendos, non tamen rei ſacræ cauſa, ſeu urbis uigiles & cuſtodes intelligas, quando ij per gallos ſignificari uidentur: & Soli ac Lunæ dicati, quoniam tempori hoc hominum genus inſeruiunt, quod per Solem & Lunam intelligitur: uel quòd nos gallus ſuo cantu admoneat. Alius aliam comminiſci poterit expoſitionem, ut glorioſos & ſtolidos homines, nimiumq; ſibi arrogantes, habendos illos quidem, & non penitus eijciendos: non tamen ad ſacra, id eſt arcana admittendos, minusq; in ſerijs & grauioribus ſermonibus habendos. Scribit Pauſanias in Lacon. (lege, Corinthiacis) Methanam urbem ad Iſthmum, in qua ciues contra Africum uineis floreſcentibus ac germinantibus infeſtum, gallí pennis albis ac niueis (alas omnino candidas habentis, Lœſcherus Pauſaniæ interpres,) remedio uſos fuiſſe: quem gallum homines in diuerſa trahentes, diſcerpebant, per uineas diſcurrentes: demũ in eundem locum redeuntes, ubi diſcerpſerant, gallum ſepeliebant. Adeò hi diuerſi fuêre à Pythagoræ inſtitutis, quem tradunt gallum album adeò amaſſe, ut ſi quando uideret, fratris germani loco ſalutaret, & apud ſe haberet, (Vide infrà inter prouerbia, Gallo albo abſtineas) ſuis uerò ſectatoribus, qui ciuiles id eſt politici dicti ſunt, permiſiſſe ait Iamblichus, ut gallum, agnum, & alia quædam paulò antè nata, præter uitulum, ritè ſacrificarent. Idem ſcribit Suidas. Sed & Laertius, Sacrificijs (inquit) utebatur Pythagoras inanimis. Sunt qui dicant, gallis gallinaceis, & hœdis etiam lacteolis quos teneros dicunt, agnis autem minimè. Cæterum Ariſtoxenus apud Gellium, cuncta illũ animata in cibum permiſiſſe ait, boue aratore & ariete exceptis. Idem ſcribit Suidas: qui & illud ait, à Theoclea ſorore, uel potius (ut eſt apud Laertium) Themiſtoclea, hæc placita illum ſumpſiſſe. At uerò Chriſtiani theologi nonnulli, per gallos concionatores & diuinos homines intelligunt, qui nobis uerba ſalutis enunciant: quiq; iacentibus in tenebris & umbra mortis, lucem, qui Deus eſt, prænuncíant, & à nobis mentis noſtræ ueternum ac torporem ſuo cantu excutiunt, Hæc omnia Gyraldus. Socrates in Phædone ad mortem ſe præparans, Aeſculapio (inquit) ô Crito gallum debemus, quem reddite neq; negligatis. Hoc uotum tanquam hominis minimè ſapientis Lactantius lib. 3. Diuin. inſtit. & in Apologetico Tertullianus reprehendunt: defendit Cælius Rhodiginus in Antiquis lectionibus 16. 12. his ferè uerbis. Oblitus eſt (inquit) Lactantius ſententiæ illius, Nunquam futurum Platonicum, qui allegoricè Platonem non putet intelligẽdum. Quid uerò illis inuoluerís ſibi Plato uoluerit, iam nunc ex Platonicorum ſententia promere adoriar. Priſci Aeſculapio medico, Phœbi filio gallum ſacrificabant, diei Solisq; nuncium, id eſt diuinæ beneficentiæ morborum omnium curatrici, quę diuinæ prouidentiæ filia nominatur, cui diem, id eſt uitæ lumen ſe debere fatebantur. Eiuſmodi medicum in ſuperioribus Socrates perquiri iuſſerat, morborum animi curatorem. præterea priſcorum oracula tradunt, animas remeantes in cœlum pæana, id eſt triumphalem cantilenam Phœbo canere. Reddit ergò Deo uotum, ut alacer pæana canens cœleſtem repetat patriam, Hæc Rhodiginus. Socrates gallum Aeſculapio ſacrificandũ teſtamento cauit, cuius rei ex Platone etiam Euſebius, Tertullianus & Lactantius meminêre. Artemidorus quoq; in libro Onirocriticôn quinto, ſomniũ cuiuſdam narrat, qui gallum Aeſculapio uouit, ſi ſanus foret, Gyraldus. Etruríus in libro de Symbolis Pythagoræ. Aeſculapio gallus immolabatur. ſunt qui gallinas ſcribant, & has quidem roſtro nigro, nigriſq; pedibus, & digitis imparibus. Si enim luteo eſſent roſtro, uel pedibus, impuræ putabantur ab aruſpicibus. Ἀρέσκει τῷ Ἀσκληπιῷ ἀναθημά τι καὶ ἄθυτμα, διονεῖ θεραπόντα καὶ οἰκέτην πεθεποληκότα τῷ νεῷ τὸν ἀλεκτρυόνα, ὁ Ἀστυάνδρου ἐκεῖνος, Suidas ex innominato, in Ἀλεκτρυόνα. ¶ Maiæ, quã & Proſerpinam & Cererem uocant, gallinaceum conſecrarunt. quamobrem initiati huic deæ auibus coralibus abſtinent, nam & Eleuſine abſtinentia ab his alitibus, & piſcibus fabisq; præcipitur, Porphyrius lib. 4. de abſtinendo ab animatis. ¶ Gallus etiam Cybeli dicatus fuit, Gyraldus. ¶ Sunt qui tradant Pythagoram præter ſua inſtituta, bouem quandoq; Muſis, & Ioui gallum album immolaſſe: quod uix crediderim, propter ea quæ de eo in Symbolis retuli, Idem. ¶ Pecudem ſpondere ſacello Balantem, & laribus criſtã promittere galli Non audent, Iuuenalis Sat. 8. ¶ Gallum Latonæ in amore eſſe aiunt, & quòd ei affuerit parienti, & quòd etiam nunc parientibus adſit, & faciles partus efficiat, Aelian. Kiranides quidem gallinæ cor ea adhuc palpitante exemptum, & coxæ adalligatum, partum egregiè accelerare ſcribit. ¶ Gallus ſacer erat Marti, & in templis dedicabatur, Euſtathius. Hinc forte Ariſtophanes in Auibus gallum Ἄρεως νεοττόν, hoc eſt Martis pullum cognominat. Scholiaſtes quidem ſic uocari ait, tanquam fortem & pugnacem. Romani Marti interdum gallum appingebant, ob militum uidelicet uigilantiam: uel propter Alectryonis fabulam, Martis ſatellitis, in eam autem conuerſi, ut in eius nominis Feſtiuo libello Lucianus ſcribit, & Auſonius poeta uno penè uerſu attigit: Ter clara inſtantis Eoi, Signa canit ſerus deprenſo Marte ſatelles, Lilius Gr. Gyraldus. Lacedęmonij cum aliquo ſtrategemate uictoria potiti eſſent, Marti bouem immolabant; ſi uerò aperto Marte uiciſſent, gallum, id quod ab eis nõ ſine ratione fiebat, quod

pluris

pluris æstimabant incruentam uictoriam, quàm cruentam, Lilius Gr. Gyraldus: ut duces suos exercerent, non bellicosos tantum esse, sed etiam στρατηγικὸς, (lego στρατηγηματικὸς,) Plutarchus in Laconicis. ¶ Mercurio gallum attribuit Fulgentius, ob mercatorum uidelicet uigilantiam, Gyraldus. Gallinaceus Ἑρμῆ παρέδρου memoratur in Somnio Luciani. In arce Eleorum Pallados galeæ insidet gallus, ex pugnacis naturæ argumento. Sed, inquit Pausanias (in Eliacis,) Mineruæ sacram arbitrari, (existimari posse,) quam ἀγάλλω uocant, possumus auem hanc, Cælius, forte quòd ad ærga, id est opera, gallus excitet. ¶ Nocti deæ (inquit Gyraldus) gallus sacrificabatur, & nocturno tempore. Nocte deæ noctis cristatus cæditur ales, Quòd tepidum uigili prouocat ore diem, Ouidius in Fastis. ¶ Sacri sunt Soli, cui uenienti assurgunt, quo cum eunt dormitum, Textor. Soli & Lunæ sacrum esse gallum, supra etiam scripsimus in Symbolo Gallum nutrias, &c. Scribunt Laertius & Suidas gallum album non attingendum, inter symbola esse: hoc est ἀλεκτρυόνα μὴ ἅπτεσθαι λευκὸν· quòd Ioui, inquit, sacer est & Lunæ, atq; horarum nuncius & diei. Meminit & Plutarchus quarto Symposiacôn, sed causam non adfert, Gyraldus. Gallum album mensi sacrum, utpote horarum nuncium credidit Pythagoras, (quare & abstinere eo iussit, Laertius,) Gyraldus. ¶ Volucris Titania, pro gallinaceo, apud Textorem. ¶ Ludouicus Romanus author est cacodæmonis sacerdotes sanguine gallinacei, cultello argenteo iugulati, carbonibus ignitis aspersi, ei sacrũ peragere.

¶ Auguria. Inter diuinationum genera aliqui etiam alectryomantiam numerant, Gyraldus. Præposteros aut uespertinos gallorum cantus optimi euentus multi notauêre. Themistocli pridie quàm in Xerxem duceret, auditus gallorum cantus, uictoriæ mox futuræ prænuncium fecit: idq; ideo, quòd uictus nequaquam canit: uictor uerò obstrepit & murmurat. contrà uerò gallinarũ, nam diri aliquid imminêre, aut futurum incommodum illarum cantus designauit, Alexander ab Alex. Cecinêre galli nocte tota qua magnus Matthæus uicecomes primum suscepit filium: unde Galleacio nomen inditum, portento quodam magnæ successionis, Volaterranus. Gallinaceorum sunt tripudia solistima. hi magistratus nostros quotidie regunt, domosq; ipsis suas claudunt aut reserant. Hi fasces Romanos impellunt aut retinent: iubent acies aut prohibent, uictoriarum omnium toto orbe partarum auspices. Hi maximè terrarum imperio imperant, extis etiam fibrisq; haud aliter quàm optimæ uictimæ dijs gratæ. Habent ostenta & præposteri eorum uespertini cantus. Nanque totis noctibus canendo Bœotijs nobilem illam aduersus Lacedæmonios præsagiuere uictoriam, ita cõiecta interpretatione, quoniam uicta ales illa non caneret, Plinius. Puls potissimum dabatur pullis in auspicijs, quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod tripudium faceret: id est terripauium. puuire enim ferire est. Bonum enim augurium esse putabant, si pulli per quos auspicabantur, comedissent: præsertim si eis edentibus aliquid ab ore decidisset. Sin autem omnino non edissent, arbitrabantur periculum imminere, Festus. Moris fuit Romanis ducibus pugnam ineuntis aduocare pullarium, ut offas gallis obijceret ad augurium captandum. si uescerentur, ratum erat auspicium, cum aliquid ore excidisset, terripudium dicebatur solistimum, mox tripudium dictum, quoniam scilicet esca in solo cadebat, Grapaldus. Cum terripudio Flaminius auspicaretur, pullarius diem prælij committendi differebat, M. Tullius lib. 1. de Diuinat. Non solum augures Romani ad auspicia primum pararunt pullos, sed etiam patres familiæ rure, Varro. Pullarius dicitur qui pullorum curam habet, & qui è pastu pullorum captat auspicia, Ciceroni ad Plancum lib. 10. & Liuio 8. ab Vrbe. Attulit in cauea pullos, is qui ex eo nominatur pullarius, Cicero 2. de Diuinat. P. Claudius bello Punico primo cum prælium nauale committere uellet, auspiciaq; more maiorum petijsset, & pullarius non exire pullos cauea nunciasset, abijci eos in mare iussit, dicẽs: Quia esse nolunt, bibant, Val. Maxim. ¶ Inuenitur in annalibus, in Ariminensi agro M. Lepido, Q. Catulo coss. in uilla Galerij locutum gallinaceum, semel quod equidem sciam, Plinius. ¶ Galenus alicubi in Commentario in primum Epidemiorum, insomnij de cristis gallinaceorum meminit.

¶ Prouerbia. Gallo albo abstineas, Ἀλεκτρυόνα μὴ ἅπτεσθαι λευκὸν: id est, Candido gallo ne manum admoliaris, quòd mensi sacer sit, utpote horarum nuncius, Erasmus in Chiliadibus inter Symbola Pythagorica. Gallo albo abstinendum, id est saluti cuiusq; purissimè fauendum, (mihi hæc interpretatio non satisfacit,) Plutarchus in Symbolis Pythag. interprete Gyraldo. Pythagoram ferunt gallum album adeò amasse, ut si quando uideret, fratris germani loco salutaret, & apud se haberet, Gyraldus. ¶ Tolle calcar, Ἆῖρε πλῆκτρον ἀμωυτήριον. id est, Tolle calcar ultorium. extat adagium in Aristophanis Auibus, Ἆῖρε πλῆκτρον εἰ μάχῃ, Tolle calcar si pugnas. In eum dici solitum, qui iam ultionem parat. Mutuò sumpta metaphora à gallis pugnã inituris, quibus ferrei stimuli quidam alligari solent, quo se tueantur inter certãdum, Erasmus ex Suida & Scholiaste Aristophanis. Prouerbia, Galli cantus ante uictoriam, &, Priusquam gallus iterum cecinerit, memorata sunt supra in H. c. Tollere cristas, (ut, Tollere cornua,) pro eo quod est animo efferri. Iuuenalis, Quid apertius? & tamen illi Surgebant cristæ. id est, Sibi placebat. Translatum ab auibus cristatis, in quibus cristę erectiores alacritatis atque animorum indicia sunt: nisi ad militum cristas referre malumus, quo sanè hominum genere nihil nec insolentius, nec stolidius. In hanc sententiam Aristophanes in Pace dixit, detrahere cristas, ἥπερ ἡμῶν οὖς λόφους ἀφεῖλε. Id est, quæ nobis cristas detraxit: uidelicet reddita pace. Contra submittere fasces dicuntur, qui de iure suo concedunt, ac legitimam potestatem ultrò ad priuatam mediocritatem demittunt, &c. Erasmus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 450 sur 825

¶ Gallus insilit, Ἀλεκτρυὼν ὥλτησιν, ubi quis semel uictus redintegrat certamen, à gallorum certaminibus sumptum. Nam is huic animanti mos est, ut ad pugnam assiliat, quò magis lædat calcaribus suis in hunc usum à natura affixis, Erasmus. ¶ Philippi gallus, Φιλίππου ἀλεκτρυών hoc dictitari consueuit, ubi quis de leui quopiam facinore, perinde ut maximo sese facinore laudaret. Nam Alectryon dux quidam erat Philippi regis, quem Chares Atheniensis confecit. Apparet autem Charetem hūc huius facti, nimium crebro, nimisq; insolenter apud populum Athenienſem uerba facere solitum, ut hinc uulgò sit usurpatum. Recensetur apud Zenodotum, Erasmus. Vide etiam supra inter Propria. Φιλίππου ἀλεκτρυών, ὧν ἢ ἐν μικροῖς καταβάσμασιν ἀλαζονευόμενον, Domi pugnans more galli, ἐνδομάχης ἀντ' ἀλέκτορος. In eum qui semper domi desidens, non audet uel in bellum, uel in certamina prosilire foras. Nam hoc animal pugnacissimum quidem est, sed domi. Ita quidem interpretes Pindari: sed addubito tamen an scriptum sit ἐνδυμάχας, id est domi abditus. (ego ἐνδομάχας ab intestinis pugnis rectè scribi non dubito.) ἐνδομάχης dictio nouè composita ab ἐν δῶς & μάχομαι. Hærebit in istos qui domi perpetuò rixātur, quum foris sint placidissimis moribus. Conuenit cum eo quod alibi diximus, Domi leones, Erasmus. Vide supra inter Propria. ¶ Socratis gallus, aut callus, Nonius Marcellus è Varrone citat Socratis gallum in significationem caluitiæ: inuenisse se, quum dormire cœpisset tam glaber quàm Socratis gallus, esse factum ericium cum pilis & proboscide. Sentit quisquis ille loquitur, se quum iret cubitum fuisse leui corpore, nec ullos habuisse pilos toto corpore, in somno transformatum in ericium, qui totus hirsutus est, & suum more proboscidem habet. Scio locum esse mendosum. Aldina æditio pro gallo legit caluum, ego callum malim, &c. Adagium conuenit in nudos & inopes, Erasmus. Nostra æditio Varronis uerba sic citat, Inuenisse se cum dormire cœpisset tam glaber quàm Socrates, caluum esse factum ericium è pilis albis &c. Quod scriptum est in ludicro Senecæ, Gallus in suo sterquilinio plurimum potest, prouerbij speciem habet. Intellexit, inquit, neminem parem sibi Romæ fuisse, illicq; non habere se idem gratiæ: Gallum in suo sterquilinio plurimum posse. Alluſit ad Claudium imperatorem Lugduni natum, hodieq; de cane uulgò dicunt, eū in suo sterquilinio plurimū audere. In alieno timidiores sumus omnes, in suo quisq; regno ferocior est & animosior, Eras. Tappius idem adagiū Germanicè usitatum recitat, **Ein hane ist vff seinem mist seer kün.** Superatus es à gallo quopiam, Ἡττήθης ὑπὸ ἀλεκτρυόνος, locus prouerbialis in seruos qui dominos à tergo sequuntur, supplices uidelicet & abiecti, cuiusmodi solent esse galli superati in pugna. nam hæc auis in pugna superata fugit, & ultrò sequitur uictorem. Sumptum est ex Aristophane nisi me fallit memoria. Refertur ab Eudemo, Erasmus. ¶ Ἀλεκτρύονα ἀθλητὴν Ταναγραῖον. celebrantur enim isti à generositate, Suidas. sed magis probo copulatiuam coniunctionem interseri, ut alibi apud eundem habetur, Ἀλεκτρύονα & ἀθλητὴν Ταναγραῖον, ubi etiā prouerbialiter usurpari scribit. ut siue gallinaceum Tanagrçum, siue athletā Tanagrçum dicas, animosum & strenuum intelligas. elegātius autem fuerit, si hominem & athletam pugnacem ac fortem, gallinaceum Tanagræum cognomines: quàm si athletam Tanagræum simpliciter. non enim athletas à Tanagra laudatos legere memini, sed gallos tantum. ¶ Gallinacei in morē trepidat, Πτήσσ' ὡς τις ἀλέκτωρ. in male affectum & commotum, aut etiam pauitantē opportunè dicetur. πτήσσω enim Græcis fugitare significat, atq; expauescere. peculiariter autem de auibus dicitur. Πτήσσ' Φρύνιχος ὥσπερ ἀλέκτωρ. fuit hic Phrynichus poëta Tragicus, quem Athenienses mille drachmis mulctarunt, quòd Milesiorum excidium tragœdia complexus esset. Quod quidem ego non adscripturus eram inter adagia, nisi commentarius Aristophanis hoc nominatim prouerbij loco retulisset. Meminit huius & Plutarchus in Alcibiade, qui cum antea fuisset ferox & insolens, ex Socratis familiaritate cœpit esse mansuetus ac modestus. Citat autem hunc senarium è poeta quopiam, Ἔπηξ' ἀλέκτωρ ὡς λιγείας πτέρυγας. Pauidus refugit more gallinacei, Quum uictus alas ille summittit suas. Meminit huius & in uita Pelopidæ. Cæterum quanquam gallus natura pugnax est, ubi tamen se imparem in conflictu sentit, mirè deiectus ac supplex profugit, risum præbens spectatoribus, Erasmus. Vide paulò inferius, Vesparum examen metuit Phrynichus. ¶ Gallorum incusare uentres, ἀλεκτρυόνων μεμφόμενος κοιλίαν: de edacibus, ac luxu multum absumentibus facultatum. Huic enim animanti uenter mirificè calidus, ita ut omnia statim concoquat. Ἀλεκτρυόν & μ' ἔφασκε κοιλίαν ἔχειν, Ταχὺ γὰρ καθεψεῖν ταῦτ' ἐνόμιζεν, Aristophanes in Vespis. hoc est, Mihi dixerat uentrem esse gallinacei, Velociterq; concoctum argētulum. Hoc genus homines Græci dicunt καταπεῖν τὴν οὐσίαν, id est deuorare substantiam. id enim est atrocius quàm κατεσθίειν, Erasmus. Quòd si quis gulosus naturam accusaret, quòd calidiorem uentriculum gallis tribuisset & omnia concoquentem, in hunc apto sensu adagium conueniret, Gallorum uentres ab eo incusari. nostri uentriculum huiusmodi, mergi uentriculum appellant, **ein scharben magen**/qualem homini uoraci inesse aiunt. Vesparum examen metuit Phrynichus uelut gallinaceus: prouerbium conuenit in eos, qui damnum patiuntur. cum enim Phrynichus tragicus Mileti captiuitatem ageret, Athenienses metuentem perhorrescentemq; lachrymātes eiecerunt, Aelianus in Varijs 13.17. sed alij aliter. Vide paulò superius in Prouerbio, Gallinacei in morē trepidat, Πτήσσ' Φρύνιχος ὥς τις ἀλέκτωρ. Plura etiam ad Aeliani uerba clarè intelligenda leges in Gyraldi historia poetarum, & apud Suidam: quæ quia nihil ad gallum, omitto. ¶ Gallinaceos amantibus ficum nefrito, Hermolaus Corollario 194. ueluti prouerbiale recenset. ego Græcū carmen, Σῦκα φίλ' ὀρνίθεσι, φυτὸν δ' οὐ φίλον ἐλαίᾳ: hoc est, Aues amant ficus, sed plātare recusant, perperam aut lectum ab eo, aut male intellectum suspicor. ¶ Sunt

¶ Sunt & peculiaria quædam Germanorum prouerbia à gallo sumpta, ut, **Wenn die hüner fürsich kratzend**, Cum gallinæ antrorsum scalpent, de eo quod ad calendas Græcas uel nunquam futurum sit. **Es wirt kein han darnach krähen**, Nullus gallinaceus super hac re cucurriet, id est, Nemo curabit. Et quæ Eberhardo Tappio memorantur in Collatione Latinorũ adagiorum cum Germanicis. **Er duncket jm der beste hane im korbe seyn**, Præcipuus gallus in corbe (uel auiario) sibi uidetur, hoc est stulte sibi placet, Accissat. **Es stehet wol da ein hane im hauß ist**, Res bene habet in domo in qua gallus est, eodem sensu quo apud Latinos, Oculus domini: &, Frons occipitio prior. **Er laufft darüber als ein hane über die heissen kolen**, Percurrit tanquam gallus carbones ignitos, id est summa celeritate transit, ne minimum quidem immoratur, Vt canis è Nilo. **Zwen hanen auff einem mist vertragen sich nit. Zwen narren tügen nit in einem hauß.** Duobus gallis in uno sterquilinio, duobus stultis in una domo non conuenit. Vnicum arbustum haud alit duos erithacos. **Vnstäter dann ein wätterhane**, Inconstantior gallo qui cantum pro tempestate uariat, Cothurno uersatilior.

¶ Emblema Alciati sub titulo, Vigilantia & custodia.

Instantis quòd signa canens det gallus eói,
Turribus in sacris effingitur, ærea mentem
Est leo sed custos, oculis quia dormit apertis,
Et reuocet famulas ad noua pensa manus,
Ad superos peluis quòd reuocet uigilem.
Templorum idcirco ponitur ante fores.

DE CAPO.



A.

IN gallinaceo genere uillatico capi semimares dicuntur, quòd sunt castrati, Varro. En tibi capones, ut euirati neq; uocem ædunt, neq; gallinis molesti sunt, Pamphilus in dialogo Gyberti Longolij de Auibus. ubi mox ipse Longolius, Ego illos non capones, sed cum Varrone & Columella libentius capos uocauerim. Cantherius hoc differt ab equo, quod capus à gallo, Festus. Gallinaceum ueteres paponem, (capum potius,) recentiores uerò caponem uocauerunt, Albertus. Sed ille gallinaceum pro castrato tantum accipit, non pro mare: uide in Gallo A. & H. a. Capi (ut Grammatici quidam scribunt) galli sunt quibus testes auellũtur, unde meritò galli à similitudine sacerdotum Matris deũm dici posse uiderentur. itaque à contrario sensu

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 452 sur 825

gallos appellatos quidam existimãt. Gallus à castratione uocatus est, nam inter aues cæteras huic soli testiculi adimuntur, ueteres autem abscissos uocabant gallos, Isidorus. Ne nimis exhausto ma crescęret inguine gallus, Amisit testes: nunc mihi gallus erit, Martialis lib. 13. sub lemmate Capo. Et mox de eodẽ, Succumbit sterili frustra gallina marito, Hanc matris Cybeles esse decebat auem, id est, hæc potius & propriè debebat uocari gallus. Capus uideri posset dictus quasi captus testibus, ut captum oculis & auribus dicimus, pro usu & auditu priuatum. ut caper etiam dicitur propriè de hœdo uel hirco castrato, sed syllabæ primæ quantitas prohibet, quæ producitur. Alius coactos non amare capones, Martialis lib. 3. est autem senarius scazon. Ex recentioribus quidam capum gallinaceum dixit per pleonasmum. capum enim dixisse sat est. Gallus spado pro capone, apud Petronium Arbitrum. ¶ Barbur uocem Hebraicam aliqui capum interpretantur. uide in Gallinaceo A. Italicè nominatur capon uel capone. Gallicè chappon. Germanicè Kappun/ Kapaun/Kaphan. Anglicè capon.

B.

De alectoria lapide, leges in Gallinaceo B. circa finem.

C.

Capi etiam epilepsiæ obnoxij feruntur, Aloisius Mundella. Plura quæ partim huc referri poterant, partim ad D. leges mox in E.

E.

Castrantur gallinacei parte nouissima suæ aluí, quæ cum coëunt, concidit. hanc enim si duobus aut tribus ferramentis adusseris, capos facies. quod si perfectus est qui castratur, crista pallescit, & cucurire desinit, neq; coitum uenereum repetit. sed si adhuc pullus est, ne inchoari quidem ex ijs quicquam potest, cum accrescit, Aristot. Desinunt canere castrati: Quod duobus fit modis, lumbis adustis candente ferro, aut imis cruribus, mox ulcere oblito figulina creta. Facilius ita pinguescunt, Plin. Gallos castrant ut sint capi, candenti ferro inurentes calcaria ad infima crura, usq; dum rumpantur (ignea ui consumantur, Columel.) atq; extet ulcus, quod obliniunt figlina creta, (dum consanescant, Colum.) Varro. E gallis apud nos euulsis testiculis per posteriora modico uulnere capones fiunt, Grapaldus. Vulnus quidem tantum fit, quantum digito immittendo & testibus singulis extrahendis sufficit, quo testes lumbis superius adhærentes inquiruntur sub intestinis galli supini, inuentiq; digiti summitate reuelluntur. ijs extractis uulnus filo consuitur, & cinis infricatur, tum etiam crista resecatur, ut uirilitas omnis absit. Sunt qui in cristæ abscissæ locum calcar è crure exectum inserant, quod coalito uulnere etiam crescere solet. Galli castrati forma quidem maris sunt, sed animo fœmineo præditi. pinguescunt ita citius, etiãsi fartura nõ obesantur. uideasq; quosdam in eam plenitudinem corporis perductos, ut de magnitudine cum anseře facile certent, Gyb. Longolius. Cum gallinis pascuntur: sed non defendunt eas, non cantant, nec horam diei uel noctis discernunt, ad nihil præter cibum utiles, Author libri de nat. rerum. ¶ Capos & gallinas saginare ligurítores ipsi inuenêre, quò unctius ac lautius deuorarent, Platina. Pinguescunt capi milij farina cum melle, præsertim & turundis in cibo datis. nam Plinius eo nomine uocat bucceas, quibus farcire saginareq; gallinas, anseres & capones solemus, Grapaldus. Sunt apud nos qui capos saginant hoc modo. Includunt eos loco angusto, & è farina milij turundos faciũt, magnitudine ferè & longitudine articuli digiti mediocris: è quibus ab initio circiter denos eis in fauces inserunt: & per aliquot deinceps dies quotidie plures paulatim aucto numero. qui postea minuitur etiam paulatim. dandum est autem eis plus minus pro concoctione, quæ tactu explorata ingluuie animaduertitur. Debent autem turundi mox inserendi, prius in aquam aut lac immitti ut facilius descendant, & leniter digitis per collum premendo deduci. In defectu milij, furfur cum pauca de frumento farina & milij etiam pauca, in turundos redigitur. Sic ferè uiginti diebus obesantur, mero quidem milio quatuordecim. Sunt qui gallinas & capones breui pinguescere scribãt, si cereuisia eis bibenda apponatur pro aqua. Capus gliscens, lo capone impastato, nutrito de pasta, Scoppa in Dictionario Latinoitalico. uidetur autem pastæ nomine turundos intelligere. De gallina farcienda priuatim scribemus infra in Gallina E. Videtur autem ratio eadem farciendis utriusq; conuenire.

¶ Capus uentre & pectore deplumatus & perfricatus urticis, pullos fouere & pascere solet, &c. ut recitauimus in Gallo D. Sunt qui hoc modo affectum, non pullos modo curare, sed oua etiam incubare dicant: præsertim si pane uino madente inebrietur, & mox ebrius in loco obscuro ouis imponatur. sic enim cum ad se redierit, oua propria existimantem, perficere aiunt. ¶ Fabæ semina Græci asserunt capi sanguine macerata aduersantibus herbis liberari, Ruellius. Ego in Geoponicis adhuc nihil tale reperi.

F.

In Gallinaceo F. permulta à nobis recitata sunt, quæ omni gallinaceo generi tum salubritatis in cibo tum apparatus ratione cõmunia sunt: hîc ea quæ ad capos priuatim pertinent afferemus. Omnium auium laudes, quantum ad obsonia pertinet, una caro gallinacea comprehendit. Quid enim popinis afferunt reliquæ altiles, quod non unus capus in se habeat, siue elixũ, siue assum uelis? Huius auis patina stomachum iuuat, pectus lenit, uocem sonoram facit, corpus obesat, Platina. Capi in cibis gratiores sunt, utpote remoto Veneris usu facti pinguiores, & salubrioris nutrimenti, Grapaldus.

paldus. Caporum iuuenum in locis altis degentium caro mediocriter pinguis, cæteris omnibus (gallinacei generis, uel quibusuis auibus potius) præstat, substantiæ & qualitatũ, & proinde etiam nutrimenti ratione, quod ad homines sanos, Mich. Sauonarola ex Isaaco. Ioannes Mesue (inquit idem) huiusmodi capos (cæteris auibus) meliores & leuiores esse addit. Capus in quatuor qualitatibus temperatus est, quare multum alit, & Venerem auget, Isaac. qui alibi etiam capum auibus omnibus præfert, ut qui melius nutrimẽtum & perfectum generet sanguinem. Gallinacei (capi) caro bona est, & solidior quam gallinæ, Albert. Capo laudatur in cibo circa ætatem sex uel octo uel septem mensium, Arnoldus Villan.

¶ Pullum farsilem ex Apicio descripsimus in Gallo F. ait autem in capo etiam similiter fieri. De porcello lactente cõdimentis quibusdam farciendo assandoq; Platinæ uerba recitaui in Sue F. Idem autem (inquit) fieri potest ex anse're, anate, grue, capo, pullastra. ¶ Apicius lib. 4. cap. 3. in minutal Apicianum testiculos caponũ adijcit, gallis nimirũ dum castrarentur exemptos. ¶ Fieri ius consumptum, aut ex phasiano, aut ex perdice, aut ex capreolo, aut ex pipionibus, aut ex columbis syluaticis potest. Si ex capo uoles, cacabum sumes, qui aquæ metretas quatuor contineat. Huic capum fractis ac comminutis ossibus indes cum uncia succidiæ macræ, piperis granis triginta, cinnamo pauco nec nimium tunso, tribus uel quatuor caryophyllis, saluiæ laceræ trifariam tolijs quinque, lauri duobus. Sinito hæc efferueant horis septẽ, uel donec ad duas scutulas uel minus redigantur. Caue salem indas aut salita, si ægrotantium causa fiet. parum aromatum nil uetabit quo minus ægroto etiam apponatur. Senibus hoc & ualetudinarijs detur, Platina. ¶ Ius caponis cum caseo. Ius capi affundito segmentis panis albissimi, & caseum optimum tritum in tyrocnestide inspergito cum pauco polline aromatico dulci, hoc ferculum in lance obtectum apponito, Baltasar Stendelius scriptor Magiricæ Germanicus. Idem docet quomodo pastillus è capone fiat, de quo leges etiam in Gallo F. Artocreas de carne uituli, hœdi aut capi elixa, ex Platina recitauimus in Vitulo F. ¶ Mirause Catellanicum: Catellani gens quidem lauta, & quæ ingenio ac corpore Italicæ solertiæ haud multum dissimilis habetur, obsonium, quod mirause illi uocant, sic condiunt: Capos aut pulla stras, aut pipiones bene exenteratos & lotos, in ueru collocãt; uoluuntq; ad focum tantisper, quoad semicocti fuerint. Inde exemptos, ac tessellatim diuisos, in ollam indunt. Amygdalas deinde tostas sub cinere calido, absterso q; lineo panno, terunt. His buccellas aliquot panis subtosti addunt, mixtaq; cum aceto & iure, per cribrum setaceum transmittunt. Posita in ollã hæc omnia, insperso q; cinnamo, gingiberi ac saccaro multo, tandiu efferuere simul in carnibus procul à flamma lento igne permittunt, quoad ad iustam coctura peruenerint, miscendo semper cum cochleari, ne seriæ adhæreant. Hoc nihil suauius edisse memini. Multi est alimenti, tarde cõcoquitur, hepar & renes concalefacit, corpus obesat, uentrem ciet, Platina. Idem lib. 6. cap. 41. & 42. cibaria alba, siue leucophaga, delicatissima, ex pectore capi parare docet. & rursus lib. 7. cap. 48. cibarium croceum ex eodem. Eiusdem libri cap. 49. esitium quoddam ex carne describens, Sunt etiam (inquit) qui pectus capi tunsi nõ incommode addant. Esitium ex pelle caporum ab eodem præscribitur lib. 7. cap. 55. ¶ Aloisius Mundella Dialogo 3. scribit se ægroto cuidam febri cõtinua maligna laboranti, cum iam signa concoctionis apparerent, modo turdum, modo unum aut alterum oui uitellum, modo caponis carnem contusam concessisse, potius quam uituli. Idem Dialogo 1. describens historiam iuuenis cuiusdam bilioſi febricitantis cõtinuè à se curati, Victus ratio (inquit) fuit caro caponis iuuenis, per diem ante mactati, cum seminibus melonum contusa: nec non panis in eiusdem iure optimè incoctus, ad uirium (quæ debiles in eo ualde erant) robur conseruandum.

G.

Obscuri quidam authores caponi attribuunt uires medicas ex Dioscoride & alijs authoribus, quas illi gallinaceis adscripserant: quoniam per imperitiam linguæ Latinę gallinaceum interpretantur caponem. ¶ Leonellus Fauentinus electuarium quoddam phthisicis præscribens, quod ualde prædicat, immiscet in id pulpam caponis pinguis & bene cocti, incisam contusamq; in mortario lapideo, &c. Medici quidam quoties deiectas uires ægrotantium excitare uolũt, medicamentum dant quod ex carnibus caponum & perdicum cõficitur, quod facile corrumpitur, si aliquo notabili tempore moretur: neq; etiam ita ægrotos alit, neq; ut quę prius diximus, (uinum, oua sorbilia, testes gallinacei,) Aloisius Mundella Dialogo 3. Ius caponis mirè restaurans uires, si uel cochleariũ paruum inde ęgrotus sorbeat. Capum ueterem para, exentera, totum cum ossibus comminue. Tum in uase bene obturato uitreo aut stanneo per sex horas bulliat, adiecto etiam auro, ut annulis uel nomismatis aureis. Obscurus. Capo generosus in aqua pura discoquitur cum folijs boraginis & bugłosi, ana manip. j. conseruarum de uiolis, rosis, boragine & bugłosso, ana unc. ij. adijciatur etiam nonnihil de illis quæ cordialia uocant contritum. destillatum inde liquorem in diplomate (balneo Mariæ) cum puluere diasantalon mixto propter odoris gratiam, propinabis creberrimè, And. à Lacuna circa finem libri de peste. Sunt qui in quibusuis morbis, capitis præsertim, & frigidis, & cum uirium imbecillitate, destillatas huiusmodi caponũ aquas laudant. & nos colicis affectibus aliquando prodesse experti sumus, ijs maximè qui flatuosi fuerint. aqua enim destillata aphysos redditur, ut non amplius inflet, si rectè parata fuerit, adijcientur autẽ medicamenta alia atq; alia à perito medico pro affectuũ uarietate. Plura leges in Thesauro Euonymi Philiatri. ¶ Vir nobilis quidam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 454 sur 825

in colico affectu post multa remedia frustra tentata, liberatus est tandem epoto cyatho (duarum aut trium unciarum) pinguedinis capi pinguis decocti in aqua (ut fieri solet ad cibum) absq; sale, oportet autem pinguedinem iuri innatantem separatam bibere quàm calidissimam, Ex libro manuscripto. Ei qui patitur uarices, seui hircini selibram, & adipis de capone libram simul permisce, & in linteo die Iouis ceroti more adpone. potenter subuenies, Marcellus. Ad fistulam cum emortua est, (hoc est, ut mihi uidetur, cum nullus in ea doloris sensus supersit,) pellículā interiorem de ventriculo capi quæ abijci solet, in Sole arefactam tere & insperge, Obscurus. ¶ Sunt qui ossa crurum capi compositis ad alba mulierum profluuia medicamentis admisceant.

DE GALLINA, ITEM DE OVIS TVM gallinaceis, tum in genere in C. E. F. G. & H. c. &c.

Errore factum est per festinationem, ut superius gallinacei iconis loco gallinæ icon posita sit: cuius occasione hic contra gallinaceum pro gallina ponimus.



A.

GALLINAE propriè dicuntur fœminæ in gallinaceo genere uillatico, sed interdum pro genere toto nominantur, ut ὄρνιθες etiam uel ὄρνις, id est aues, apud Græcos. Vide in Gallinaceo A. Domesticæ uel uernaculæ gallinæ sunt, quas Varro uillaticas nuncupat, Gyb. Longolius. Plinius uillares. Cohortalis est auis quæ uulgò per omnes ferè uillas conspicitur, Columella. ¶ Hebraica nomina תרנגולת, tarnegolet, & סבויא, sakuia, pro gallina, ponuntur à Munstero in Dictionario trilingui. Vide supra in Gallinaceo. Gigeg, gallina uel gallus, Syluaticus. Alibi apud eundem legitur digegi, ut apud Serapionis interpretem digedi. Tefese, gal

lina

lina Saracenis, ut alicubi legimus. Gallinæ alfethi, secũdum expositores Arabes, sunt gallinę quæ nondum pepererũt oua, Andreas Belluneñ. Galli & gallinæ apud uetustíssimos Græcos nomen nullum peculiare inuenimus, sed communi ὄρνιθος uocabulo significasse hanc speciem uidentur. Aristoteles uerò & alij ὄρνιθα de auibus in genere proferunt, gallum ἀλεκτρυόνα uel ἀλέκτορα uocant, gallinam ἀλεκτορίδα; rursus recentiores Græci ὄρνιν uel ὄρνιθα in genere communi, de gallo gallinaq; dicunt, ut scripsimus in Gallo H.a. ὄρνιθα etiam hodie Græcis uulgò gallina est casu recto. Italicè gallina. Hispanicè similiter. ἀλεκτορίδες οἰκογενεῖς, id est gallinæ domesticæ, Aristot. Gallicè geline uel poulle. Sabaudis similiter, uel genillete. Anglicè hen. Germanicè Heñ, Hün. ¶ Gallinas graciles & plumis contractioribus, neq; ut aliæ garrulas, Germani nouellas (Wertzhennen) uocant, quòd anniculæ sunt, neq; ouum hactenus pepererè. Quæ uerò glocientes strepitu suo molestæ sunt, & agmen pullorum ducunt, ueteranę sunt, (Klückhennen, Gluggeren,) at omnes quòd pullis educandis custodiantur, uno nomine matrices (Brüthennen) à Columella dici uideo, Gyb. Longolius. Gallinas iuuencas & ueteres Plinius dixit, & Gaza (ex Aristotele) eum secutus. Gallinas teneras quæ primum parierint apud Catonem legimus.

B.

Gallinæ crista ferè carent, Gyb. Longolius. Gallina plicabilem cristam per medium caput habet, gallinaceus erectam, Perottus. Sunt quædam pedibus per totum hirsutis, gehöſlete Hüner. Reliqua leges in Gallo B. supra; & quædam infra in E. de electione gallinarum.

C.

Quæ de gallinis hoc in loco dici poterant, pleraque omnia iam supra in Galli historia exposita sunt. Infra etiam in E. de cibo & pulueratione earum, deq; alijs quibusdam, authorum uerba referemus. ¶ Pipare propriè gallinæ dicuntur, Nonius. Bos mugit, gallina pipat, Varro Aborigínibus citante Nonio. Varro pullos pipare dixit, Nonius. Pipire propriè dicuntur pulli gallinacei & huiusmodi Columellæ. Pipatio Oscorũ lingua clamor plorantis appellatur, Festus. Glocientes rustici appellant aues eas quæ uolunt incubare, Columella. Gallina cecinit, Terentius Phormione. Cucurire solet gallus, gallina gracillat, Author Philomelæ. Glocire & glocidare gallinarium proprium est cum ouis incubituræ sunt, Festus. ¶ Ex dialogo Gyberti Longolij de auibus. Pamphilus, Qua de causa hæc gallina canturit, officinam cortalem petens? Longolius, Non canturit, sed singultit. hoc enim uerbo Varro uocem gallinarum fractam, & intra rostrum formatam imitatur. Rusticorum gens Columellæ tempore glocire maluit dicere. Pamphilus, Gallus etiam subin de singultit. Longolius, Rectè. sed cum cantat cucurrire dicitur Latinè, Græcè autem κοκκύζειν. ¶ De morbis gallinacei generis supra in Gallo C. dictum est, diceturq; etiam infra in E. Gallinarum nonnullæ cum adeò ualde peperissent, ut etiam bis die parerent, mox à tanto partu interiêre. hyperinæ enim, id est exhaustæ effœtæq; & aues & plantæ fiunt, Aristot. Et rursus, Nonnullæ è cortalibus bis die pariunt, iam aliquæ in tantum copiæ prouenerunt, ut effœtæ breui morerentur. ¶ Ex gallinis quæ Veneris appetentior est, noctu iuxta gallum proximius considit, Albert. Gallinæ & perdices complura oua pariunt, non quidem multa simul, sed sæpe, Aristot. Oua plurima pariunt gallinæ, perdices, Plin. Coitus auibus duobus modis: fœmina humi considente, ut in gallinis: aut stante, ut in gruibus, Idem. Gallina cum clamore accedit ad nidum, & cum clamore ab eodem recedit. quod si impediatur, mox tamen sibi relicta cantum absoluit, Albert. Gallinas in Illyria aiunt nõ ut alibi semel parere, sed bis aut ter die, Aristot. in Mirabilibus. Gallinæ pumilæ minus fœcundæ sunt, Columella. Gallinæ Hadrianæ multa admodum pariunt. fit enim propter corporis exiguitatem, ut alimentum ad partionem sumptitetur. Vulgares etiam gallinæ fœcundiores sunt generosis. corpora enim alteris humidiora, alteris grandiora & siccíora. Animus generosus in eiusmodi corporibus potius consistit, Aristot. de generatione 3. 1. Gallinæ coëunt & pariunt omnibus anni temporibus, exceptis brumalibus diebus, (præterquam duobus mensibus brumalibus, Plinius, & Aristot. alibi.) magna etiam generosarum nonnullis fœcunditas, quando uel sexaginta ædunt ante incubitum. quanquam ipsæ minus fœcundæ, quàm ignobiles sunt, Aristot. Est autem tanta fœcunditas, ut aliquæ & sexagena pariant, aliquæ quotidie, aliquæ bis die, aliquæ in tantum ut effœtæ moriantur. Hadrianis laus maxima, Plin. Pariunt in loculamentis dispositis, aut ab ipsismet electis loco abditiore, Grapaldus. Gallinæ ueteres pariunt initio ueris, iuuenes æstate. Sed autumno quoq; pariunt, Albert. Gallinarum iuuẽcæ pariunt primæ, statim uêre ineunte: & plura quàm ueteres, sed minora, Aristot. & Plinius. & in eodem fœtu prima & nouissima, (scilicet minora pariunt,) Plin. Gallinæ iuuenes pariunt æstate, quum superfluus humor exiccatur in eis: & autumno quoq;. Veteres autem magis principio ueris: quòd tum calido humido frigiditas naturæ earum temperatur, Albert. Aues (gallinæ) nisi pariant, laborant morbo, atq; intereunt, Aristoteles. Gallina multa pariens, & non incubans ouis, frequenter ægrotat, & moritur eò quòd non abstrahitur à partu. exhaurítur enim uis eius omnis. Ea uerò quæ incubat, ægrotat quidẽ propter affectum erga pullos, quem uox acutior indicat: sanatur tamẽ humore uitali in ea reparato interim dum non parit, Albert. Inhorrescunt à coitu, ac se excutiunt. sæpe etiã festuca aliqua sese lusirant, quod idem & ædito ouo interdum faciunt, Aristot. Facílius pariunt si festucam è terra ore apprehẽsam dorso imposuerint, Oppianus in Ixeuticis. Gallinæ, ut Theophrastus refert, ouo ædito, religione quadã

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 456 sur 825

excutiunt se, & circumactæ purificant, aut festuca aliqua sese & oua lustrant, pericarphismum Plutarchus uocauit, Cælius. Gallina post coitum se excutit, eò scilicet quòd per libidinem incitatur in ea uapor, faciens extensionem, in ea sicut & in homine pandiculatio fit quando languet desiderio coitus. & tum cõfricando se aliquoties festucam ore apprehendit tanquam nidum componens. In nido etiam sedens sæpe rostro conuertit paleas, ut & aliæ aues, Albert. ¶ Gallinæ etiam ex phasianis cõcipiunt, ut copiosè scribetur in E. ¶ Gallinæ aues q; reliquæ, sicut Cicero ait, & quietum requirunt ad pariendum locum, & cubilia sibi nidos q; construunt, eos q; quàm possunt mollissimè substernunt. Fabas si comedant gallinæ, intercipitur eis generatio ouorum, Auicenna & Crescentiensis. Gallinas aiunt ex assiduo fabarum esu sterilescere, Didymus. Si frequenter edant cortices fabarum, steriles fiunt: quæ etiam arboribus nouellis ad radices appositæ eas exiccant, Clemens 3. Stromat. Quo tempore arbores florent, gallinas potissimum pinguescere audio, floribus uescentes: sed tum oua earum etiam præcipuè cito corrumpi & putrescere.

DE OVIS: ET PRIMVM DE IPSORVM FORMATIONE, PARTIBVS, NAtura, sexu, deinde de geminis, & de subuentaneis, alijs q; corruptis aut monstrosis. Item de incubatione eorum, & pulli generatione exclusione q;.

Quæ de OVIS eorum q; natura deinceps afferemus, pleraq; omnia nõ ad gallinas modo sed genus auium uniuersum pertinent, & ad quadrupedes quoq; Quiparas aliqua ex parte: sed quoniam ea omnia in gallina magis conspicua sunt, familiari præ cæteris nobis alite, ad eius potissimum historiam referre libuit. Dicentur etiam nonnulla de auium generatione ex ouis, in cõmuni auium historia: sed paucissima aut nihil fortassis, quod hîc quoq; annotatum à nobis non sit.

¶ Oui formatio. Ouum est animal potentia, ex ouificãtis productum superfluo, Aggregator. Ouum gallinæ consistit à coitu, & perficitur decem diebus magna ex parte, Aristot. A coitu decem diebus oua maturescunt in utero, uexatæ autem gallinæ & columbæ penna euulsa, aliáue simili iniuria diutius, (tardius,) Plin. Ouum è semine galli conceptum, ut plurimum undecimo die paritur, citius quidem in iuuenca, & regione calida, & nutrimento calido utente, quàm in contrarijs. Alius autem est conceptus, quando semen galli in matrice inuenit materiã oui uenti, aliqua ex parte aut omnino, propter pellem & testam, completam. huic enim coniungitur, & fœcundat totum ouum: & prout materia in matrice magis minúsue præparata fuerit, tardius citiúsue eandem perficit, Albertus. Incepta oua si adhuc paruis desierit coitus, non accrescunt. sed si continuetur, celeri incremento augentur, iustam q; magnitudinem implent, Aristot. & Albertus. Huius rei causam inquirit Aristot. de generat. anim. lib. 3. cap. 1. Concipit fœmina quæ coierit ouum superius ad septum transuersum: quod ouum primò minutum & candidum cernitur: mox rubrum cruentum q;, deinde increscens luteum & flauum efficitur totum. Iam amplius auctum discernitur, ita ut intus pars lutea sit, foris candida ambiat. Vbi perfectum est, absoluitur atq; exit putamine, dum paritur, molli, sed protinus durescẽte, quibuscunq; emergit portionibus, nisi uitio uuluæ defecerit, Aristot. Auis hypenemia gerens oua, si coëat nondum mutato ouo ex luteo in album, fœcunda ex subuentitijs redduntur. item si conceperit ex coitu oua, si eis adhuc luteis existentibus cum alio mare coierit, simile eius quo cum postea coiuit, prouenit omne genus pullorum, Aristot. in libris de hist. & de gener anim. Gallinæ parere à bruma incipiunt, optima fœtura ante uernum æquinoctium. post solstitium nata non implent magnitudinem iustam, tantoq; minus quanto serius prouenêre, Plin. Confecta bruma parere ferè id genus auium consueuit: atq; earum quę sunt fœcundissimæ, locis tepidioribus, circa Calen. Ian. oua edere incipiunt: frigidis autem regionibus eodem mẽse post Idus, Columella. In ouo pelliculæ ex umbilico tentæ sunt: & reliqua quæ de puero dicta sunt, sic se habere in ouo uolucris reperies ab initio ad finẽ, Hippocrates in libro de natura pueri. Et rursus, Volucris ex oui luteo nascitur, hoc modo. Incubante matre ouum calescit, & quod in ouo inest à matre mouetur: calescens autem id quod in ouo inest, spiritum habet, & alterum frigidum ab aëre per ouum attrahit. Ouum enim adeò rarum est, ut spiritum qui attrahitur sufficientem ei quod intus est transmittat: & augescit uolucris in ouo, & coarticulatur modo eodem ac cõsimili uelut puer. Nascitur autem ex luteo oui uolucris: (hoc dicitur contra omnium sententiam. Græcè legitur, γίνεται δὲ ἐκ τοῦ χλωροῦ τοῦ ὠοῦ τὸ ὄρνεον. Τροφὴν δὲ καὶ αὔξησιν ἔχει τὸ λευκὸν, τὸ ἐν ᾧ ὠῷ. Τέτο δῆλον τοῖσιν ἐμβρύοις ἐγγίνεται, ὁκόσοι πρόσεχον τὸν νοῦν. Et paulò ante, τὸ ὄρνεον γίνεται ἐκ τοῦ ὠοῦ τοῦ χλωροῦ.) alimentum uerò & augmẽtum habet ex albo, quod in ouo est. Vbi autem deficit alimentum pullo ex ouo, non habens id sufficiens unde uiuat, fortiter mouetur in ouo, uberius alimentum quærens. & pelliculæ circum dirumpuntur. & ubi mater sentit pullum uehementer motum, putamen excalpens ipsum excludit, atq; hæc fieri solent in uiginti diebus. Vbi enim excusa est uolucris, nullus humor in oui testis inest. qui sanè memorabilis existat. expensus est enim in pullum, Hæc ille. Aristoteles de generatione anim. lib. 3. cap. 2. pullum ait non ex luteo, sed ex albumine generari: & non albumen, (ut Alcmæon Crotoniates & alij plerique putarint, coloris affinitate decepti,) sed luteum pulli in ouo ueluti lac & nutrimentum esse. Candidum membranæ subiectum in ouo principium est, (οὗ δὴ πρῶτον ἀρχὴ φαίνεται τὸ λευκὸν ὑμένιον τὸ λευκὸν.) in hoc enim semen continetur, & non in eo qui neottòs, id est pullus uocatur. sic autẽ uulgò uocant luteum, quod superfluitas est seminis, decepti sunt enim qui huius opinionis authores fuerunt,

runt, Suidas in Νεοττός. Et genus omne auiũ mediis è partibus oui, Ni sciret fieri, quis nasci posse putaret; Ouidius 15. Metam. Oua inter animal & non animal ueluti ambigere uidentur, Cælius. Oua è quibus mares nascentur, gallina gerit in parte uentris dextra: è quibus fœminæ, in sinistra, Physiologus. Quónam modo oua in utero increscant, & quomodo adhæreant, explicat Aristoteles lib. 3. cap. 2. de gener. anim. Gallinis porrò tertia die ac nocte postquam cœpere incubare, indicium præstare incipiunt, (Vide etiã infra ubi de incubatione seorsim agetur.) At maiorum auium generi plus prætereat temporis, necesse est. minori autem minus sufficit. Effertur per id tempus luteus humor ad cacumẽ, qua principium oui est; atq; ouum detegitur ea parte, & cor quasi punctum sanguineum in candido liquore consistit: quod punctum salit iam, & mouetur, ut animal. Tendunt ex eo meatus uenales sanguigeri duo tortuosi ad tunicam ambientem utranq;, dum augetur. Membrana etiam fibris distincta sanguineis, iam album liquorẽ per id tempus circundat, à meatibus illis uenarum oriens. Paulò autem post, & corpus iam pulli discernitur, exiguum admodum primum & candidum, conspicuum capite & maximè oculis inflatis, quibus ita permanet diu, sero enim decrescunt oculi, & se ad ratam contrahunt proportionem. Pars autem inferior corporis, nullo membro à superiore distingui, inter initia cernitur. Meatuũ, quos ex corde tendere diximus, alter ad ambiendum album liquorem fertur, alter ad luteũ uelut umbilicus. Origo itaq; pulli in albumine est, cibus per umbilicum ex luteo petitur. Die iam decimo pullus totus perspicuus est, & membra omnia patent. Caput grandius toto corpore est, oculi capite grandiores hærent. quippe qui fabis maiores per id tempus emineãt nigri, nondum cum pupilla, quibus si cutem detrahas, nihil solidi uideris, sed humorem candidum rigidumq; admodum refulgentem ad lucem, nec quicquam aliud. ita oculi & caput. Iam uerò & uiscera eo tempore patent: & alui intestinorumq; natura perspicua est. Venæ etiam illæ à corde proficiscentes, iam sese iuxta umbilicum constituunt. Ab ipso autem umbilico uena oritur duplex. altera tendens ad membranam ambientem uitellum; qui eo tempore humet, & largior, quàm secundum naturam est: altera permeãs ad membranam ambientem eam, qua pullus operitur, & eam quæ uitellum, humoremq; interiectum cõtinet. dum enim pullus paulatim increscit, uitellus seorsum in duas partes secatur. quarum altera locum tenet superiorem, altera inferiorem, & medius humor candidus continetur. nec partem inferiorẽ à uitello liquor deserit albus, qualis antè habebatur. Decimo die albumen exiguum iam, & lentum: crassum, pallidulum nouissime inest. Sunt enim quæq; locata hoc ordine. prima, postremaq; ad testã oui membrana posita est, non testæ ipsius natiua, sed altera illi subiecta. liquor in ea candidus est. deinde pullus cõtinetur obuolutus membrana, ne in humore maneat. mox pullo uitellus subiacet, in quem alteram ex uenis prorepere dictum est, cum altera albumen ambiens petat. Cuncta autem ambit membrana cum humore, specie saniei. Tum uero membrana alia circa ipsum fœtum, ut dictum est, ducitur, arcens humorem. sub qua uitellus alia obuolutus membrana. in quẽ umbilicus à corde, ac uena maiore oriens pertinet: atq; ita efficitur, ne fœtus alterutro humore attingatur. Vicesimo die iam pullus si quis pultamine secto solicitet, mouet intus sese, pipitq; aliquantulũ: & iam ab eodem die plumescit, quoties ultra uicesimum exclusio protelatur. ita positus est, ut caput super crus dextrum admotum ilibus, alam super caput positam habeat. quinetiam membrana, quæ pro secundis habetur, post ultimam testæ membranam, ad quam alter umbilicus pertendit, euidẽs per id tempus est, pullusq; in eadem iam totus locatur. & altera quoq; membrana, quæ & ipsa uicem secundarũ præstat, uitellumq; ambit, ad quem alter umbilicus procedit, latius patet. Oritur umbilicus uterq; à corde, & uena maiore, ut dictum est. Fit autem per id tempus, ut umbilicus alter, qui in secundas exteriores fertur, compresso iam animante absoluatur: alter, qui adit uitellum, ad pulli tenue intestinum annectatur. Iam & pullum ipsum multum humoris lutei subit; atq; in eius aluo fecis aliquid subsidit luteum. excrementum etiam album eodem tempore pullus emittit, & in aluo quiddam album consistit. Demum uitellus paulatim absumitur totus membrorum haustu, ita ut si pullo decimo die post excluso rescindas aluum, nonnihil adhuc uitelli comperias. Vmbilico uero absoluitur pullus, nec quicquam præterea haurit. totus enim humor, qui in medio cõtinebatur, absumptus iam est. Tempore autem supradicto pullus dormit quidem, sed nõ perpetuò, quippe qui excitetur interdum, & mouens sese respiciat, atq; pipiat. Cor enim eius cum umbilico, ut spirantis reflat & palpitat. Sed auium ortus ad hunc modum ex ouo agitur, Hæc omnia Aristot. de hist. anim. 6. 3. quæ etiam Albertus in suis de animalibus libris paraphrasi reddidit, quam in præsentia relinquo. Omnibus ouis medio uitelli parua inest uelut sanguinea gutta, quod esse cor auium existimant, primũ in omni corpore id gigni opinantes: in ouo certè gutta salit, palpitatq;. Ipsum animal ex albo liquore oui corporatur. Cibus eius in luteo est. Omnibus intus caput maius toto corpore: oculi compressi capite maiores. Increscente pullo, candor in medium uertitur, luteum circunfunditur. Vicesimo die, si moueatur ouum, iam uiuentis intra putamen uox auditur. Ab eodem tempore plumescit, ita positus, ut caput supra dextrum pedem habeat, dexteram uero alam supra caput. Vitellus paulatim deficit. Aues omnes in pedes nascuntur, contrà quàm reliqua animalia, Plin. Principio (inquit Aristot. de generat. anim. 3. 2.) corde constituto, & uena maiore ab eo distincta, umbilici duo de uena eadẽ pertendunt, alter ad membranam, quæ luteum continet: alter ad membranam cui secundarum species est, qua animal obuolutum continetur: quæ circa testæ membranam est. Altero igitur umbilico cibum ex

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 458 sur 825

luteo assumit: quod quidem calescens humidius redditur. cibum enim humidum esse oportet, qualis plantæ suppeditatur. Viuunt autem principio & quæ in ouis, & quæ in animalibus gignuntur uita plantæ. adhærendo enim capiunt primum & alimentum & incrementum. Alter umbilicus ad secundas tendit, (ut alimentum ex eo hauriat.) ita enim pullum auis uti luteo existimandum, ut fœtus uiuipari sua parente utitur, &c. Membrana uerò exteriore nouissima sanguinolēta hic perinde, ut ille utero, utitur, &c. Crescentibus umbilicus primū considet, qui secundis adiungitur. hac enim pullum excludi conuenit, reliquum lutei, & umbilicus ad luteum pertinens, pòst coibitur. cibum enim habeat statim oportet, quod excussum est. nec enim à parente nutritur, & per seipsum statim capere cibum non potest. quapropter luteū subit cum umbilico, & caro adnascitur. ¶ Oua quædam si aperias diffluunt, uitello præsertim, quod signum est uetustatis. quod si uitellus ouo aperto integer manserit, ac in medio eius gutta rubicūda & ueluti sanguinea apparuerit (ex qua corda pullorum initio constitui solent) signum est oua esse ad cibum adhuc laudabilia, Tragus. Ego aliquoties in ouis euacuatis semē (das hünle) obseruaui, & in semine uenulam crispam albissimam, quam umbilici loco esse puto, uitello insertam.

¶ Partes oui. Ouum ipsum in se suum habet discrimen, quippe quod parte sui acutum, parte latius sit. parte latiore exit cum gignitur, Aristot. Quòd oui pars acutior principium sit, ut quæ utero adhæserit: quodq; durior sit parte obtusa, & posterior exeat: & quòd oua quasi in pedes conuersa, animalia uerò in caput prodeant, Aristoteles docet libro tertio de generatione anim. cap. 2. Vmbilicus ouis à cacumine ineſt, ceu gutta eminens in putamine, Plin. Ouum æque omnium uolucrum duro putamine constat: si modo non deprauetur, sed lege consummetur naturæ. Gallinæ enim nonnulla pariunt mollia uitio. Et bicolor quoq; ouum auium intus est, luteum interius, album exterius. Semen genitale uolucrum omnium album, ut cæterorum animalium est, Aristot. Semen maris perficit ouum usq; ad exitum, quod inde patet: Si frangatur ouum perfectum, inuenitur semen galli in ouo, triplici differentia distinctum. colore enim albius est, utpote purioris substantię, & substantia densius: quàm reliquum albumen, quo firmius retineat calorem formantem ne facile exhalet. quod ad situm, pertingit per albumen totum usq; ad uitellum, cui uersus partem acutiorem oui infigitur. nam pulli substantia ex albumine est, nutritur autem è uitello, Albertus. Albedo oui apud Arabes intelligitur pars albuminis oui uiscosa crassa. Pars uero eiusdem albuminis quæ est subtilis, apud eos appellatur alzenbach oui seu alrachich oui, And. Bellunensis. Nostri genituram quæ in albumine crassiuscula apparet, nec facile dissolui potest, auem appellant, den vogel: quòd pullus ex ea nascatur. Oua albificat semen, Galenus in Anatome uiuorum. In animalibus calidioribus candidum & luteū in ouo distincta sunt: & semper eis (auibus calidioribus & siccioribus) plus candidi syncerique est, quàm lutei & terreni. minus uerò calidis & humidioribus contrà, plus lutei, idq; humidius est, ut in palustribus auibus, Aristot. de gener. anim. 3. 1. Albertus in palustrium ouis duplo plus lutei quàm candidi haberi scribit. Grandines dictæ, quę initio uitelli adhærent, nil ad generationem conferunt. quanquam aliqui ita non existimāt. has duas esse certum est, alteram parti superiori iunctam, alteram inferiori. Χάλαζαι in ouo Aristot. dixit, pro ea quā mulieres uocāt gallaturā, id est, genitura. hæ duæ sunt: altera maior, quæ parti inferiori iūgitur, & ad Solē obtegente manu apparet intra putamen. quę uerò parti superiori hæret nō cernitur, nisi fracto putamine, & inspecta parte lutei infera. est pars superior cacumen. inferior uerò pars rotunda huic oppositа est, Niphus. Kiranides oui pelliculam hymena nominat. Oui tunicæ tres sunt. una uitellum continet: secunda albumen, quæ est tanquam pia mater: tertia testæ adhæret tanquam dura meninx, Albertus. Et rursus, Prima tunica intra testam oui substantiam à testa defendit. sub hac alia mollior continet albumen, quæ in pulli generatione secundarum loco est, & pullum complectitur. inter has tunicas est humor crudus qui excernitur dum formatur pullus. Vitellus sub albumine tunica propria ambitur, uersus partes naturales pulli situs, à spiritualibus eius remotus.

¶ Oui & partium eius natura. Oua integra in aqua dulci merguntur, corrupta innatant, ut dicetur pluribus infra in tractatione de ouis corruptis. Tostum ouum dissilit facile, non dissilit aqua concoctum: ignea siquidem ui, quodam ferrumine copulatur quod ineſt, humectum ampliusq; calefactum exuflumq;, plures parit spiritus: qui loca nacti peranguſta, exitū molientes testam prærumpunt, demumq; euaporant. Præterea flammæ uis tunicam circunsiliens putaminosam, amburendo diffringit: quod & fictilibus euenire dum torrentur, euidens est. Quamobrem perfundi prius frigida solent oua. calida siquidem aqua mollicie statim humorem effundit, & raritatem relaxat, Cęlius. Vide Aphrodisiensem problem. 1. 102. ¶ Oua aceto macerata in tātum emolliuntur, ut per annulos transeant, Plinius. Acetum mollit oui corticem, ut in anguſtum urceum (phialam uitream anguſti colli) immitti possit, me hoc experto. sed nigrior paulò euadit, aqua uerò durescit, Cardanus. Dissoluūtur aceto forti præsertim destillato, uel succo limonum, margaritæ, testę ouorum, Syluius. ¶ Firmitas ouorum putaminibus tanta est, ut recta nec ui, nec pondere ullo frangātur, nec nisi paululum inflexa rotunditate, Plinius. hoc uerò ita se habere quotidianis & uulgaribus experimentis constat. Cur ouum pressum utroq; extremo ambabus manibus frangi nequeat: pressum latere facile frāgitur: Quoniam per angulos tantummodo suos manibus renititur opprimentibus. est enim angulus quod quaq; in structura ualidius constet. adde quod pressum per extrema, parte *minima*

sentit.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 459 sur 825

ſentit, preſſum per latera parte ampla conflictatur ut facile poſsit deſtrui, Aphrodiſienſis problema tum 2.45. Cur uertigo ſurgenti potius accidat quàm ſedenti? An quoniam quieſcenti humor uniuerſus unum in membrum ſe colligit; ex quo cruda etiam oua nequeunt circunuerti, ſed protinus decidunt, mouenti autem humor ſe æquè expandit, &c. Ariſtot. in problemat. 6.4. Si ouum filo circunligatum ſuper igne aut candela accenſa teneas, filum nõ comburetur, niſi forte poſt multum temporis. exudat enim humor, qui lineum filum humectat. idem linteo aridis uini fecibus circunuoluto accidit. Naturam uitellus oui, & albumen habent contrariam, non tantum colore, uerum etiam uirtute. Vitellus enim ſpiſſatur frigore, (idem Niphus aſſerit:) albumen non, ſed amplius humet. contrà albumen ſpiſſatur igne, uitellus non, ſed mollis perſiſtit, niſi peruratur. magiſq; in aqua ferueute, quàm ad ignem cogitur, atq; induratur. Membrana hæc inter ſe diſcernũtur, Ariſtot. Sic & Albertus, Vitellus oui cum aſſatur, niſi comburatur, non dureſcit, ſed mollitur potius ſicut cera. Et quoniam molleſcit dum calefit, corrumpitur facile collectio ſuperfluo humore temporis uel loci, ſi aliquandiu immoretur. Albumen uerò non facile congelatur frigore: ſed humidius efficitur potius, & cum aſſatur durius: & in generatione pulli denſatur in ſubſtantiam membrorum. Et rurſus eadem Ariſtoteles de generatione anim. 3.2. his uerbis: Naturam candidum & luteum contrariam habent. luteum nanq; gelu duratur & coit, calore contra humeſcit. quaprõpter cum uel in terra, uel per incubitum concoquitur, humeſcit. atq; ita pro cibo animalibus naſcentibus eſt. Nec uerò cum ignitur aſſaturq;, quoniam naturæ terrenæ eſt, ut cera. ideoq; cum plus iuſto caleſcunt, niſi ex recrementum humido ſint, ſanieſcunt reddunturq; urina, at candidum gelu non concreſcit, ſed magis humeſcit. ignitum ſolideſcit. quamobrem cum ad generationem animalium cõcoquitur, craſſeſcit. ex hoc enim conſiſtit animal. ¶ Si quis rupto putamine oua plura in patinam conijcit excreta, & coquit igne molli & continente, uitelli omnes in medium coëunt: albumina autem circundant, & ſe in oras cõſtituunt, Ariſtot. ¶ Candidum ex ouis admixtum calci uiuæ glutinat uitri fragmenta. uis uero tanta eſt (oui candido, Hermol.) ut lignum perfuſum ouo non ardeat, ac ne ueſtis quidem contacta aduratur, Plin. Galenus in opere de ſimplicibus medic. ouorũ albumen magis terrenum oleo eſſe ſcribit, & ſimilem ei eſſe ſecundum humorem oculi. Albumen mixtum eſt è ſubſtantia aërea, terrea & aquea ſimul, ſicut oleum: ſed magis terreſtre eſt quàm oleum dulce, quare ægrè concoquitur, Ant. Gazius.

¶ Sexus ouorum. Quæ oblonga ſunt oua, & faſtigio cacuminata, fœminam ædũt. quæ autem rotundiora & parte ſui acutiore obtuſa, orbiculum habent, marẽ gignunt, Ariſtoteles. eandem ſententiam Albertus approbat: reprehendit uerò translationem ſui temporis tanquam contrariam iſs uerbis quæ nunc recitauimus. Noſtri quidem codices Græci & Gazæ translatio eam ſententiam habent, quam nunc retuli, & Albertus cõprobat. Auicenna ſcribit ex orbiculari ouo breuiq; progigni marem: ex oblongis acutisue fœminam. ipſum hoc comprobat experimentum & ſuffragatur ratio. ſiquidem uirtutis perfectio in maſculinis ouis ambit æqualiter, & continet extrema. at in fœmininis, à centro longius abit materia in quo eſt uitalis calor. hoc uerò planè imperfectionis argumentum eſt, Albertus ut citat Cælius. In ouis tam difficile ſaporum & ſexus diſcrimen eſt, ut nihil gulæ proceribus æquè incertũ ſit, Marcellus Vergilius. qui cum Columellæ & Ariſtotelis de ſexu ouorum diſcernendo ſententias contrarias recitaſſet: Eſt ſanè (inquit) in natura grauis author Ariſtoteles: Columella tamen uillaticam paſtionem ex quotidiana obſeruatione & experiẽtia docebat, nec noſtrum eſt inter tam graues ſcriptores tantas componere lites. Video Plinium quoq; cum Columella & Flacco ſenſiſſe. Quæ oblonga ſint (inquit) oua, gratioris ſaporis putat Horatius Flaccus. Fœminam ædunt quæ rotundiora gignuntur, reliqua marem. Longa quibus facies ouis erit, illa memento, Vt ſucci melioris, & ut magis alba rotundis Ponere. nanq; marem cohibent calloſa uitellum, Horatius lib. 2. Serm. Cum quis uolet quàm plurimos mares excludere, longiſsima quæq; & acutiſsima oua ſubijciet. & rurſum cum fœminas, quàm rotundiſsima, Columella. Ex ouis, præſertim in plenilunio natis, ſi plenilunij tempore ſubijciantur incubanda, & ita obſeruetur temporis ratio ut in plenilunio etiam pulli excludantur, omnibus fœminas nõ mares naſci, quidam apud nos arbitrantur.

DE OVIS MONSTROSIS, VT GEMINIS ET MOLLIBVS, &c. DE IRRITIS uel ſterilibus, ut ſubuentaneis, de corruptis, ut urinis, &c.

¶ Oua gemina binis conſtant uitellis. qui ne inuicem confundantur, facit in nõnullis prætenue quoddam ſeptum albuminis medium. alijs uitelli contactu mutuo ſine illo diſcrimine iunguntur. Sunt in genere gallinarum, quæ pariant gemina omnia, in quibus animaduerſum eſt, quod de uitello expoſui. quædam enim duodeuiginti peperit gemina, excluſitq;, præterquam, ſi qua eſſent (ut fit) irrita. Cæteris itaq; fœtus prodijt, ſed ita gemini excludũtur, ut alter ſit maior, alter minor: & tandem in monſtrum degeneret, qui minor nouiſsime prouenit, Ariſtot. Quædam gallinæ omnia gemina oua pariunt, & geminos interdum excludunt, ut Cor. Celſus autor eſt: alterum maiorem, alioquin negant omnino geminos excludi, Plin. Vetus quoq; Ariſtotelis interpres (inquit Vuottonus) ad eundem ſenſum uertit ex Arabico ita: Et in quolibet inueniuntur gemelli, & unus gemellorum paruus eſt, & alter magnus: & multoties eſt paruus monſtroſus. Græca uerò Ariſtotelis exem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 460 sur 825

plaria(niſi mendā ſubeſſe iudicemus)ita habent: Τὰ μὲν ὄν ἄλλα γόνιμα, πλεῖστα τὸ μὲν μεῖζον, τὸ δὲ ἔλαττον γίνεται τὸν ἀριθμὸν, τὸ δὲ τελευταῖον τέρατῶδες. hoc eſt, ut ego arbitror: E cæteris itaq; gemina fœcunda ſunt, niſi quibus hoc contingit, ut alter maior fuerit, alter minor. in ijs enim tandē in monſtrum degenerat qui minor nouiſsimè prouenit. Vtra autem ſententia fuerit uerior, indicabit experientia. Videtur certe Plinius uel ex profeſſo cum Ariſtotele hac in re minimè conuenire, quando Celſum authorem nō Ariſtotelem citet. In quibuſdam exemplaribus Plinianis habetur (uti rectè annotauit Claymundus) non alioqui, ſed aliqui negant omnino geminos excludi, Hæc ille. Quærendum an legendum in Ariſtotelis uerbis non πλεῖστα ἔστι, ſed πλεῖστα ὅτι: & γίνεται præſens loco præteriti ἐγένετο accipiendum ſit, ut non ſimpliciter hîc de ouis geminis ſcribat Ariſtoteles, ſed de illius tantum gallinæ geminis, quorum hiſtoriam hoc in loco recitat hoc ſenſu, Ex ouis octodecim gallinæ cuiuſdam omnibus geminis, pauca quædam irrita fuerunt: cætera uerò omnia (ritè) fœcunda: niſi quòd è geminis pullus alter ſemper minor fuit, & ultimus (alter ſcilicet minor de ouo poſtremo excluſo uel parto) monſtroſus. In ouis quibuſdam gemelli ſunt, ſed alter geminorum comprimit alium: & aliquando ruptis telis (tunicis) bicorporeus generatur, Albert. Calor fouens gallinæ ſemen illud in fiſtulas (ſic habet codex impreſſus) paulatim oui candidū uertit, tum uerò & lutei aliquid. nam alæ & crura ex luteo fiunt. indicio eſt, quòd pulli, qui ex ouo cuius lutea duo ſunt abſq; ſepiente membrana quatuor alis & totidem pedibus naſcuntur, arbitranturq; prodigium, quale olim Mediolani contigit, Cardanus. Atqui nos alibi de anate ſcripſimus, & rurſus de columba, quæ tetrapodes tantum, non etiam tetrapteri fuerunt. Monſtra (inquit Ariſtot. de generat. anim. 4. 4.) ſæpius gignuntur in ijs, quorum partus numeroſus eſt, & præcipuè in auium genere, earumq; potiſsimum in gallinis. ijs enim partus numeroſus, non modo quòd ſæpe pariant ut columbæ, uerū etiam quòd multos ſimul conceptus intra ſe continent, & temporibus omnibus coëunt. hinc gemina etiam pariunt plura. cohærent enim cōceptus, quoniam in propinquo alter alteri eſt, quomodo interdum fructus arborum complures. quòd ſi uitella diſtinguuntur membrana, gemini pulli diſcreti ſine ulla ſuperuacua parte generantur. ſed ſi uitella continuantur, nec ulla interiecta membrana diſterminantur, pulli ex ijs monſtrifici prodeunt, corpore & capite uno, cruribus quaternis, alis totidem. quoniam ſuperiora ex albumine generentur, & prius: uitellum enim cibo ijs eſt. pars autem inferior poſtea inſtituitur, quanquam cibus idem diſcretus & ſuppeditatur. in ouis quibuſdā gemelli ſunt. ſed alter geminorum comprimit alium: & aliquando ruptis telis (inuolucris) bicorporeus generatur, Alber. Iam quale certo tempore eſt ouum in gallina, tale aliquando prodijt luteum totum, qualis poſtea pullus eſt. Gallina etiam diſciſſa talia ſub ſepto, quo loco fœminis oua adhærēt, inuenta ſunt, colore luteo tota magnitudine oui perfecti: quod pro oſtento augures capiunt, Ariſtot. Audio & triſecitha, id eſt triplicis uitelli oua interdum reperiri: frequentius uerò dilecitha, eaq; in medio teſtæ plerunq; cauitatem habere. Magis nutriunt & ſubtiliora ſunt oua quæ duos uitellos habent, Ellucha. ſem. ¶ Fiunt & tota lutea quæ uocant ſchiſta, cum triduo incubata tolluntur, Plin. ¶ Ego me aliquando ouum uidere memini cuius teſta ab altera parte extrema in anguſtum ueluti collum inſtar cucurbitæ ſe colligebat. ¶ Gallinæ nonnulla pariunt oua mollia uitio, Ariſtot. Albertus oua ſine teſta exteriore inter ſubuētanea numerat, ut infra recitabimus. Qui ixiam biberunt, ſumptis remedijs uomentes, tales ferè humores reddunt, qualia ſunt oua gallinarum altilium, quæ ſine putamine reddunt propter ictum aut aliam uim quampiam, διά τινα πληγὴν ἢ παρείσασιν, Scholiaſtes Nicandri. Et rurſus, Oua ſine putamine parit (μιπτῇσι, eijcit) gallina, ἢ ἀπὸ πληγῆς ἢ ἐκ πλάσεος ἐναπτκειμένῳ αὐτῇ. hoc eſt, uel propter ictum aliquem, uel propter multitudinem (ouorum nimirum ſe inuicem comprimentium) in ea. Poetæ quidem uerſus hi ſunt, Ἄλλοτε μὲν πλήσσουσι νέον θρομβώδεα γαστρὸς Ματρυιὴν (ſcilicet gallina) δύσπεπτον ὑπερκύημον ἔχουσι γάλα. ¶ Pariunt autem oua nonnulla infœcunda, uel ex ijs ipſis, quæ conceperint coitu. nullus enim prouenit fœtus, quamuis incubitu foueantur, quod maxime in columbis notatum eſt. Sterilitas ouis accidit, uel quia ſubuentanea ſunt, de quibus infra dicetur: uel alijs ex cauſis, corrumpuntur enim ferè quatuor modis. Primò, albumine corrupto, ex quo partes pulli formari debuerant. Secundo, propter corruptionem uitelli, unde alimentum ſuppeditandum erat, itaq; formatur pullus imperfectè, & partes quædā in ipſo non abſolutæ inueniuntur & non coniunctæ, ſicut in abortu animalis uiuipari ante perfectionem lineamentorum fœtus. Albumine autem corrupto nihil omnino per incubationem formatur, ſed ouum totum turbatur & corrumpitur, ſicut corrumpitur humor (ſanies) in apoſtemate. quamobrē perquam fœtida reddūtur talia oua. (Hæc eſſe conijcio quæ Ariſtoteles & alij urina uocant, de quibus infra copioſius ſcribetur. noſtri putrida oua, ſule eyer. quanquam Ariſtoteles urina non albumine, ſed uitello corrupto fieri ait.) Tertio contingit ouum corrumpi, membranarum & fibrarum quæ per albumen tenduntur, uitio. nam corrupta tunica quæ continet uitellum, humor uitellinus effluit, & confunditur cum albumine, itaq; impeditur oui fœcunditas. Corruptis autem fibris, corrumpūtur uenæ & neruí pulli, & chordæ: & impeditur nutritio, & compago ligamētis deſtructis diſſoluitur, & læſis neruis ſenſus amittitur. Quartò, per uetuſtatem, exhalante ſpiritu in quo eſt uirtus formatiua: unde uitellus pondere ſuo penetrat albumen, & ad teſtam fertur in eam partem cui incumbit ouum. His quatuor modis oua infœcunda fieri contingit. In ſecundo quidem modo aliquando accidit, quòd humoribus corruptis partes igneæ combuſtæ feruntur ad teſtam oui, eamq; aſpergunt: unde ouum in tenebris

lucet

luceat quemadmodum quercus putrefacta. Et huiusmodi ouum sibi usum in regione Corascena testatur Auicenna. Sunt & alij forte plures corruptionis ouorum modi, qui sub iam dictis facile comprehendi possunt, Hæc omnia Albert.

¶ Subuentanea. Ouorum quæ subuentanea uel zephyria nominant Galenus meminit lib. 2. de semine, (Oua facientes, inquit, sine mare aues & pisces sunt siccæ temperaturæ.) & lib. 14. de usu partium, ubi causam adfert cur nihil tale gressilia faciãt. In Lusitania ad Oceanum monte Tagro, quædam è uento certo tempore concipiunt equæ: ut hîc gallinæ quoq; solent, quarum oua hypenemia appellant, Varro. Sunt qui hypenemia, hoc est subuẽtanea os illos partus, zephyria nominent: eò quòd uerno tempore aues flatus illos fœcundos ex fauonio recipere uideãtur. sed idem faciunt etiam si digito in gẽitale palpetur, (πῇ χειρὶ πως ψηλαφώμεναι,) Aristot. Nouimus altiles gallinas sine maris opera, mulierum manibus tantum confotas, oua peperisse, Oppianus in Ixeut. Oua subuentitia (etsi partes uideantur habere omnes) principio carent, quod à maris semine affertur, quapropter animata non sunt, &c. Aristot. de generat. anim. 2. 3. Et eiusdem libri capite primo, Perdices fœminæ (inquit) tum quæ coierint, tum quæ nõdum coierint, quarum usus est in aucupijs, cum oliaciunt marem, uocemq; eius audiunt, alteræ implentur, alteræ statim pariunt. nam ut in homine & quadrupede fit, quorum corpora accensa libidine turgent ad coitum, alia enim cum primum uiderunt, alia cum leuiter tetigerunt, semen emittunt. sic & perdices sua natura libidinosæ, leui egent motu cum turgent, citoq; secernunt, (semen emittunt,) ut in ijs quæ non coierunt, subuentanea consistant: in ijs quæ coierint, oua breui augeantur & perficiantur. Et rursus in eodem capite: Subuentanei conceptus in ijs fiunt auibus quæ non uolaces sunt ut uncæ, sed multiparæ, quoniã excremento ipsæ abundant, uncis in alas & pẽnas id uertitur, corpusq; exiguum siccum & calidum habetur. decessus autem menstruorum & genitura, excrementum sunt. Et paulò pòst, Fiunt subuentanea oua, quoniam materia seminalis in fœmina est, nec menstruorũ decessio fit auibus ut uiuiparis sanguine præditis. Volucribus subuentanea non gignuntur, scilicet eadem causa, qua neq; multa ab ijs ipsis generantur. Vncunguibus enim parum excremẽti inest, & marem desiderant ad excrementi commotionem. Gignuntur subuentanea oua plura numero quàm quæ fœcunda sunt, sed minora, ob unam eandemq; causam. quòd enim imperfecta sunt, minus augẽtur: quòd minus augentur, plura numero existunt, minus etiam suauia sunt, quoniam minus concocta. cõcoctum enim in quouis genere dulcius est. Sed auiũ aut piscium oua non perfici ad generationẽ sine mare, satis exploratum habemus. Et rursus, Auium etiam subuentanea oua colorem duplicem obtinent. habent enim ex quo utrunq; fit, & unde principium, & unde cibus. sed hæc imperfecta sunt & maris indiga. fiunt enim fœcunda, si quo tempore ineuntur à mare. Subuentanea oua sine coitu gignuntur. & falsum est quod quidam dicunt ea reliquias esse prægressi coitus. satis enim cõspectum est in nouella tum gallina tum anserе, gigni sine coitu, Aristot. Et rursus, Non audiendi sunt qui oua hypenemia dicta à uento, quasi subuentanea dixeris, reliquias esse partus, quem coitus fecerit, arbitrantur. Iam enim aliquas gallinarum & anserum iuuencas, expertes adhuc coitus parere hypenemia usum sæpius est. Sunt hæc sterilia & minora, ac minus iucundi saporis, & magis humida (ut Plinius quoq; scribit) quàm ea quæ fœcunda gignuntur, sed plura numero. humor eorum crassescere incubatione auis nõ potest: sed tam candida, quàm lutea pars similis sibi perseuerat. Pariunt genus id ouí plures aues, ut gallinæ, perdices, columbæ, pauones, anseres, (ut Plinius quoq; transtulit) & quæ ab anserе, & uulpe composito nomine chenalopeces, id est, uulpanseres dictæ sunt. Oua huiusmodi omnia sunt infœcunda, nec aliud quàm ouum, nisi quo alio modo maris opera contingat, Idem. Et alibi, Redditur certe ouum subuentaneum illud fœcundum: & quod iam cõceptum per coitum est, transit in genus diuersum, si prius coëat, quæ uel subuentaneũ, uel semine maris diuersi cõceptum fert, quàm ouum ipsum à lutea in candidam ambientẽ partem proficiat. Ita enim fit, ut subuentanea oua fœcunda reddantur: & quæ inchoata à mare priore sunt, specie posterioris proueniãt. At si iam candidum acceperunt humorẽ, fieri non potest, ut uel subuentanea in fœcunda mutentur; uel quæ per coitum concepta gestantur, transeant in genus maris, qui secundus coierit. Græcè legitur subuentanea oua fœcunda futura, si gallina ineatur, πρὶν μεταβαλεῖν (τὸ ὠὸν) ἐκ τοῦ ὠχροῦ εἰς τὸ λευκόν: Niphus uertit, priusquam candidum obtegat luteum. prius enim oua lutea tantum apparent in utero: postea etiam albumen in eis discretum. Vbi autem scribitur oua ex semine maris qui prius coierit concepta, degenerare si alius inierit postea, & posterioris speciem referre: Albertus non rectè habet, alterari ea ad sterilitatem ouorum uenti. Auis quæ ouum coitu conceptum gerit, si cum alio mare coierit, simile eius quo cum postea coiuit, excludet omne genus pullorum. quapropter nõnulli ex ijs, qui ut gallinæ generosæ procreentur operam dant, ita mutatis admissarijs faciunt, tanquam semen maris sua facultate materiam contentam in fœmina qualitate tantũ quadam afficiat, non etiam misceatur constitutionemq; subeat, Aristot. de generat. anim. 1. 20. Irrita oua, quæ hypenemia diximus, aut mutua fœminæ inter se libidinis imaginatione concipiunt, aut puluere, Plinius: qui hæc ex authore aliquo Græco mutuatus uideri potest. Græci quidem ἀφλὼ tum puluerem uocant, tum tactum siue contrectationem. concipiunt autem gallinæ huiusmodi oua etiam manu contrectatæ, ψηλαφώμεναι, ut Aristoteles scribit. Contrà afferri potest, ἀφλὼ non simpliciter puluerẽ, sed illum quo palæstritæ post unctionem inspergebantur significare, ut Budæus annotauit; & cum puluerատrices

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 462 sur 825

sint gallinæ, & pulueratio quoq; contrectatio quædam & affricatio sit, hoc quoq; modo sterilia huiusmodi oua ab eis concipi posse.

¶ De eisdem subuentaneis ouis quæ apud Albertum obseruaui adijciam. Oua uenti (inquit) in auibus concipiuntur ex uento maximè, rara enim corpora habent, & aerea, & locum aui, per quem concipiunt, uento expositum, itaq; uento ad libidinem mouentur, sicut etiam mulieres austro matricem aperientes delectantur, unde menstruus sanguis attrahitur. Fit autem hoc frequenter in auibus propter uolatum & continuum caudæ motum, propter quem etiam attrahitur semen ad matrices earum. Fœminę enim auium testiculos habent super caudam & exteriori parte corporis: mares uerò interius, ubi alijs animalibus siti sunt renes. Et rursus, Zephyria oua concipiunt autumno, flante austrino uento, hic enim aperit corpora auium, & humectat, & fœcundat. Autumno autem abundat in eis sicca uentositas. Aliæ uerò oua uenti concipiunt uêre, receptione uenti austrini, item ad tactum manus supra anum, & per confricationem. Et alibi, Oua uenti dicuntur, eò quòd calor (incubantis auis) resoluere quidem ipsa potest in uentum: sed non formare in pullum. hæc tamen oua coagulabilia sunt hepsesi & optesi, sed non formabilia, proprio formante destituta. ita enim se habent ut feminis fœminæ permixtio cum sanguine menstruo, (sine semine uiri,) unde nihil generari potest. Si oua subuentanea gallinæ subijcias incubanda, nec albugo nec uitellus immutabũtur: sed utrunq; colorem suũ seruabit. unde apparet errasse Galenum cum dixit, semen fœminæ quoq; coagulare in generatione & formare: etsi minus id efficiat quàm semen maris. Inueniũtur quędam oua uenti absq; albumine (absq; uitello, forte) qualia fiunt quando in materia coitus abundant gallinæ ex aliquo cibo singulariter materiam coitus operante. tunc enim absq; uitello testa albumini circunducitur: & figura oui datur & producitur. Vidi ego ouum prorsus sphęricum, duabus testis intectum, una intra alterã, cum albumine aquoso tenui inter utranq; absq; ullo uitello, & altero etiam albumine intra interiorem testam. quod uero uitellum solum haberet subuentaneum ouum uisum nullum adhuc est. hic enim pro alimento duntaxat est, membrana discretus ab albumine, quod est sperma fœminæ ui matricis & testium attractum ad oui substantiam. Inueniuntur præterea quædam oua uenti, quæ non habent testam exteriorem, sed membranam tantum quæ testę subijci solet, quod fit, quoniam talia oua humida sunt & aquosa: & non habent calorem satis ualidum: præsertim si cibo humido sperma augente alantur gallinæ, Hucusq; Albertus. ¶ Auctor est in Hexaemero Magnus Basilius, subuentanea oua in cæteris irrita esse ac noua, (uana,) nec ex illis fouendo quicquam excuti: at uultures subuentanea ferè citra coitum progignere fertilitate insignia. Intelligi uerò subuentanea seu hypenemia debent, citra coitum concepta libidinis imaginatione. quæ ratio molam in fœminis quoq; producere creditur, uitæ ineptam. quod agens principium ex maris semi nio non affuerit, Cælius. Ouum uenti est ouum super quod non cecidit tempore coitus ros & uir tus de semine maris: & uulgò dicitur ouum uenti, quòd sterile sit & infœcundũ, Bellunensis. Gallinæ nouellæ, quas à Martio mense Germani denominant, pariunt nonnunquam oua subuentanea, Eberus & Peucerus. πλήθει γάρ τοι καὶ ἀνέμων ὀλέσσαι θήλειαν ὄρνιν, πλεῖ ὅταν πνοιὴ πίσσῃ, Plutarchus Sympos. 8.

¶ Oua quæ canicularia & urina (κυνόσουρα καὶ ὄυρινα) à nonnullis uocantur, æstate magis consistunt, Aristot. interprete Gaza. forte autem ab eo dicta fuerint cynosura, quod æstate & sub Cane magis urina fiunt, alioqui sydus etiam cynosura uocatur, nempe ursa minor. Deprauantur oua (inquit Aristot. de generatione anim. 3. 2.) & fiunt quę urina appellantur, tempore potius calido, idq; ratione. Vt enim uina temporibus calidis coacescunt, fæce subuersa. hoc enim causæ est ut deprauentur. sic oua pereũt uitello corrupto. id enim in utriusq; terrena portio est. quamobrem & uinum obturbatur fæce permissa, & ouum uitello diffuso. Multiparis igitur hoc accidit meritò, cum non facile omnibus calor conueniens reddi possit, sed alijs deficiat, alijs superet, & quasi putrefaciendo obturbet. Vncunguibus etiã quamuis parũ fœcundis, nihilominus tamen idem euenit. sæpe enim uel alterum ex duobus urinum fit, sed tertium semper ferè. Cum enim calida sua natura sint, faciũt, ut quasi ferueat supra modum humor ouorum. Cum autem plus iusto calescunt, nisi ex recremento humido sint, saniescunt, reddunturq; urina. Columbas inquit idem de hist. 6. 4. ut plurimum bina tantum oua parere. & si quando tria pepererint, binos tantum pullos perfici, ouum tertium urinum relinqui. Vrina fiunt incubatione derelicta, quæ alij cynosura dixêre, Plinius. Oua generationi inepta ὄρεια quasi fluctuosa dici legimus. nam ὄρος dicunt uentum, quo argumento etiamnum ab Homero mulos dici ὀρῆας coniectant periti, & recenset Eustathius: ὅσα δὲ ἄγονον, id est ob insitam non gignendi proprietatem, quòd eorum semen sit ἀνημαῖον, id est spiritosum, & proinde fœcunditatis nescium, Cælius. Vnde fit ut τὰ ἀφανισθέντα ὠὰ καὶ ὀζωσάντα, hoc est corrupta & urina oua, fluitent. Integra certè καὶ ἀπτυῆ, confestim sidere, manifestum est. Ac ratio quidem erui illinc potest, quòd aquescant, ac spiritus contabescentia concipiant plurimum. Qua ratione colligitur & illud, cur in aqua pereuntes, primò quidem ima petere: mox ubi computrescere cœperint, emergere ac fluitare soleant, &c. Idem. Ab exhausto ouo facile plenum discernes, si ea in aquam demiseris. hoc siquidem descendet & delabetur, illud uerò natabit in superficie, Leontinus. Ouum recens positum in aqua salsa supernatat, in dulci uerò submergitur, ut Aponensis in problematis scribit. Aquam marinæ similiter salsam reddituri, tandiu salem inijciunt, donec ouum non subsidat. De ouis

quorum

quorum albumen corruptum eſt, ſicut humor in apoſtemate, unde & infœcunda & omnino fœtida redduntur, Alberti uerba recitaui ſupra. Videntur autem eadem urina Ariſtotelis eſſe: quanquam is urinorum non albumen ſed uitellum corruptum eſſe ſcribit. ¶ Si incubante gallina tonuit, oua pereunt, Ariſtot. Si cubatu tonuerit, oua pereunt: & accipitris audita uoce uitiantur. remediũ contra tonitrum, clauus ferreus ſub ſtramine ouorum poſitus, aut terra ex aratro, Plinius. Tonitrua incubationis tempore oua concutiunt, unde illa corrumpuntur, & præcipuè ſi iam in eis formati ſunt pulli. ſed aliarum auium ouis magis hæc nocent, aliarum minus: coruorum maximè. itaque uidentur corui partu ſuo & incubitu tempus tonitrui præuenire, & pullos Martio educare, Albert. Tonitruis uitiantur oua, pulliq; ſemiformes interimuntur antequam toti partibus ſuis conſummentur, Columella.

¶ Incubatio & Excluſio. De incubatione nonnihil ſuperius ſcriptum eſt, & ſcribetur in E. copioſe. Gallinæ cum incubant, non cum pepererint, furiunt, ratione inediæ, Ariſtot. in Problem. 10.37. Ouis triduo incubatis puncti magnitudine apparent uiſcera, Ariſtot. Et rurſus, Oua gallinarum tertia die ac nocte poſtquam cœpere incubari, indicium præſtare incipiũt. maiori quidem auium generi plus temporis prætereat neceſſe eſt, minori minus ſufficit. Schiſta oua Plinius appellat tota lutea, quæ triduo incubata tollũtur. Cauſa nominis, ut arbitror, quia diuidantur, & diſcedat uitellus à candido, Hermolaus. In oũo primum apparet caput pulli, Galenus in Anatome uiuorum. ſed de formatione pulli in ouo plura ſuperius ſcripta ſunt. ¶ Excludũt celerius incubantes æſtate, quàm hyeme. ideo æſtate gallinæ duodeuigeſimo (undeuigeſimo, Plinius) die fœtum excludunt: hyeme aliquando uigeſimoquinto. Diſcrimen tamen & auium eſt, quòd aliæ magis aliis fungi officio incubandi poſſunt, Ariſtot. Æſtate locis calidis decimonono die exeunt oua, hyeme uiceſimonono, Albertus. Caput pulli ad acumen oui conuertitur, & totum corpus ad reſiduum: & pullus naſcitur ſupra pedes, ſicut & cæteri pulli auium, Idem. Et rurſus, Exit autem in partu prius pars latior, quæ extrorſum in aue uertitur: poſterius acuta, quæ diaphragma reſpicit. quare etiam durior eſt eadem & ex calore nonnihil corrugata in ouis gallinarum. Exeunt oua à rotundiſſima ſui parte, dum pariuntur, molli putamine, ſed protinus dureſcente, quibuſcunq; emergunt portionibus, Plinius.

D.

Gallinæ cum mares uicerint, cucuriunt, & exemplo marium tentant ſuperuentu coire. criſtà etiam caudaq; erigitur, ita, ne facile præterea ſit, an fœminæ ſint cognoſcere. nonnunquã etiam calcaria parua iis enaſcuntur, Ariſtot. ¶ Villaribus gallinis & religio ineſt. inhorreſcunt ẹdito ouo, excutiuntq; ſeſe, & circumactu purificant, & feſtuca aliqua ſeſe & oua luſtrant, Plin. De hoc gallinarum pericarphiſmo, plura leges in C. Ὡς δ' ὄρνις ἀπτῆσι νεοσσοῖσι πτῶσσ' ἐπὶ μάστακ', ἐπείκε λαθῇσι, κακῶς δ' αὖτ' ὀίεται αὐτῇ, Achilles Iliad. 1. ſuos quos pro Græcis ſubierat labores & pericula præ nimia in eos beneuolentia, conferens matricis auis (gallinæ nimirum per excellentiam) in pullos affectui, quos illa dum paſcit, & cibos ſubinde collectos ore porrigit, ſe ſuamq; famẽ negligit. Citat hæc uerba Plutarchus in libro de amore parentum erga prolem. Vbi hæc etiam eius uerba leguntur, ὅπερ ὁμοίως ὄρνις ἀμφὶ ἑαυτῆς πρόφασιν λιμῷ τὰ ἔγγονα καὶ τὴν τροφὴν ἡ γαστὴρ ἀπομυλῶν, ἀκρατεῖ καὶ πιέζει δι' σώματι, μὴ λάθῃ καταπτᾶσα. Gyb. Longolius ſic tranſtulit, Homerica auis ſua fame paruulos natos paſcit: & nutrimentum quod uentri ſuo deſtinauerat, ore retinet, ne eo in uentrẽ delapſo in obliuionem ipſa adducatur. Sed lector conſyderabit, an ſic potius reddi debeãt uerba poſteriora: Ventris ſui alimen tum ore tenens, abſtinet tamen, & ne forte nolẽs etiam deglutiat, mordicus premit. Et paulò pòſt in eodem libro: Quid uerò gallinæ, (inquit Plutarchus,) quas obuerſari noſtris oculis quotidie domi conſpicamur, quanta cura & ſedulitate pullos cuſtodiunt & gubernant? alijs alas, quas ſubeant, remittunt: alijs dorſum, ut ſcandant, reclinant. neq; ulla pars corporis eſt, qua nõ fouere illos, ſi poſſent, cupiant: neq; id ſine gaudio & alacritate, quod & uocis ſono teſtari uidentur. Canes & angues (κυνέας καὶ δρακοντίας, forte κίρκος καὶ δρακοντας) cum de ſe agitur, ſibiq; ſolis metuunt, fugiunt tum quidem, ſi uerò pullorum agmini ab his periculum uerentur, uindicare illud ab iniuria nituntur, & ſuprà quàm uires patiuntur ſæpe dimicant. Gallinæ auesq; reliquæ, ſicut Cicero ait, & quietum requirunt ad pariendum locum, & cubilia ſibi nidoſq; conſtruunt, eoſq; quàm poſſunt molliſsimè ſubſternunt, ut quàm facillimè oua ſeruentur. ex ouis pullos cum excluſerunt, ita tuentur, ut & pennis foueant, ne frigore lædantur: & ſi eſt calor à Sole, ſe opponant. Cum autem pulli pennulis uti poſſunt, tum uolatus eorum matres proſequuntur, Gillius. Super omnia eſt anatum ouis ſubditis atq; excluſis, admiratio primò non planè agnoſcentis fœtum: mox incertos incubitus ſolicitè conuocantis: poſtremò lamenta circa piſcinæ ſtagna, mergentibus ſe pullis natura duce, Plin. Exeuntes pullos gallina ſub alas cõgregat, defenditq; eos à miluo & alijs periculis, Albert. Gallina ſupra modum diligit fœtum ſuæ ſpeciei, adeò ut præ uoce nimis acuta qua ſuum in pullos amorem teſtatur, ægreſcat. Oua quidem quæ incubat, unde ſint non curat, circa alienum etiam partum ſolicita, Idem. Gallina ardet ſtudio & amore pullorum: primum enim ut circum auem rapacem ſupra tectum gyros agere cognoſcit, ſtatim uehementer uociferatur, & ceruicem iactans, atq; in gyrũ contorquens, caput in altum tollit, ac omnibus plumis inhorreſcit, tum explicatis alis timidos pullos, & ſub alato tegmine pipientes protegit, auemq; procacem retrocedere cogit: Deinde eos ex lati-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 464 sur 825

bulo plumeo prodeuntes ſtudioſe paſcit, Gillius. Noſtri miluũ aut accipitris genus à gallinarum præda uocant den hünerdieb, id eſt gallinarum furem. Rubetarium eſſe credo accipitrem illum (inquit Turnerus) quem Angli hen harroer nominant. Porrò ille apud noſtros à dilaniandis gallinis nomen habet. palumbarium magnitudine ſuperat, & coloris eſt cinerei. Humi ſedentes aues in agris, & gallinas in oppidis & pagis repẽte adoritur. Præda fruſtratus, tacitus diſcedit, nec unquam ſecundum facit inſultum. hic per humum omnium (accipitrum) uolat maximè. Vrticarum genera quędam mortifera pullis, gallina roſtro nititur euellere: in quo conatu tantum aliquando laborat, ut rumpatur interius, Albertus.

¶ Quæ nam animalia gallinis infeſta ſint, dictum eſt paulò ante, & ſupra etiam in Gallo D. dicetúrq; amplius infra in E. Gallinam ferunt eo die quo ouum peperit, à ſerpente lædi non poſſe: & tum carnem quoq; eius à ſerpente morſis remedio eſſe, Albert. Qui ſerpentium caniſue dente aliquando læſi fuerint, eorum ſuperuentus gallinarum incubitus, pecorũ fœtus abortu uitiãt, Plin.

E.

Electio. Mercari porrò niſi fœcundiſſimas aues non expedit. eæ ſint rubicundæ uel fuſcæ plumæ nigriſq; pennis, ac ſi fieri poterit, omnes huius, & ab hoc proximi coloris eligantur: ſin aliter, euitentur albæ, quæ ferè cum ſint molles, ac minus uiuaces, tum ne fœcundæ quidem facile reperiuntur, atq; ſunt conſpicuæ. propter quod inſigne candoris ab accipitribus & aquilis ſæpius abripiuntur. ſint ergo matrices probi coloris, robuſti corporis, quadratæ, pectoroſæ, magnis capitibus, rectis rutiliſq; criſtulis, albis auribus: & ſub hac ſpecie quàm ampliſſimæ, nec paribus ungulis, generoſiſſimæq; creduntur, quæ quinos habent digitos, ſed ita ne cruribus emineant tranſuerſa calcaria. nam quæ hoc uirile gerit inſigne, contumax ad concubitum dedignatur admittere marem, raroq; fœcunda, etiam cum incubat, calcis aculeis oua perfringit, Columella. Sint præcipuè nigræ aut flaui coloris, Palladius. Gallinarum generoſitas ſpectatur, criſta erecta, interdum & gemina, pennis nigris, ore rubicundo, digitis imparibus, aliquãdo & ſuper quatuor digitos tranſuerſo uno, Plin. Qui uillaticas gallinas parat, eligat fœcundas, plerunq; rubicunda pluma, nigris pennis, imparibus digitis, magnis capitibus, criſta erecta ampla. hæ enim ad partiones ſunt aptiores, Varro. Gallinas educaturus eligat fœcundiſſimas: quas nimirum ex uſu rerum & experientia dignoſcet: imò uerò ex pluribus alijs indicijs. In uniuerſum enim quæ colore flaueſcunt, & ſortiuntur digitos impares, quæq; magna poſſident capita (πᾶς ὄψεις μεγάλας, oculos magnos, Cornarius) criſtamq; erigunt: nec non nigriores & corpulentiores. Eæ omnes gallinæ facile mares ferent: multò erunt præſtantiores ad partum, oua maxima ædent: ac breuiter, generoſos excludent pullos, Florentinus. Mox quoq; ſicut in cæteris pecoribus eligenda quæq; optima, & deteriora uendẽda: ſeruetur etiam in hoc genere, ut per autumni tempus omnibus annis, cum fructus earum ceſſat, numerus quoque minuatur. Summouebimus autem ueteres, id eſt quæ trimatum exceſſerunt. Item quæ aut parum fœcundæ, aut parum bonæ nutrices ſunt, & præcipue quæ oua uel ſua, uel aliena conſumunt. Nec minus, quæ uelut mares cantare, atq; etiam calcare cœperũt. Item ſerotini pulli, qui ab ſolſtitio nati capere iuſtum incrementum non poterunt. In maſculis autem non eadem ratio ſeruabitur, ſed tandiu cuſtodiemus generoſos, quandiu fœminam implere potuerint. Nam rarior eſt in his auibus maritì bonitas, Columella.

¶ Gallinarium. Aedicula iſta cuius parietibus corbes (quos Varro gallinarum cubilia appellat) affixos uides, in ijsq; gallinas incubantes, officina cohortalis ob id appellatur, quòd non aliter ac in officinis noſtris cuncta parantur, quæ in uſum humanum ueniunt, ita iſtic oua & pulli, quæ in cibum. Iſte qui in gallinarium ſcandit, & oua manibus uerſat, gallinarius curator uel cuſtos rectè dicetur, Gyb. Longolius in dialogo de auibus. ¶ Nõ ſunt plures quàm quinquaginta in uno auiario nutriendæ. labefactantur ſiquidem in anguſto arctatæ. porrò numeri gallinarum pars ſexta ſint gallinacei galli, Florentinus. Parandi matrices modus eſt ducentorũ capitum, quæ paſtoris unius curam diſpendant: dum tamen anus ſedula uel puer adhibeatur cuſtos uagantium, ne obſidijs hominum aut inſidioſorum animalium diripiantur, Columella. Si ducentas alere uelis, locus ſeptus attribuendus, in quo duæ caueæ coniunctæ magnæ conſtituendæ, quæ ſpectent ad exorientem uerſus, utræq; in longitudinem circiter decem pedes, latitudine dimidio minores (latitudine paulò minus, Creſcenti.) & altitudine paulò humiliores. Vtriuſq; feneſtræ latitudine tripedali, & eo (uno) pede altiores, è uiminibus factæ raris, ita ut lumen præbeant multum, neq; per eas quicquam ire intrò poſſit quod nocere ſolet gallinis. Inter duas oſtium ſit, qua gallinarius curator earum ire poſſit. In caueis crebræ perticæ traiectæ ſint, ut omnes ſuſtinere poſſint gallinas. Contra ſingulas perticas in pariete exculpta ſint cubilia earum. Ante ſit (ut dixi) ueſtibulum ſeptũ, in quo diurno tempore eſſe poſſint, atq; in puluere uolutari. Præterea ſit cella grãdis, in qua curator habitet, ita ut in parietibus circum omnia poſita ſint cubilia gallinarum, aut exculpta, aut affixa firmiter. Motus enim cum incubant nocet, Varro. Gallinaria conſtitui debent parte uillæ, quæ hybernum ſpectat orientem: iuncta ſint ea furno, uel culinæ, ut ad auem peruenìat fumus, qui eſt huic generi præcipuè ſalutaris. Totius autem officinæ, id eſt ornithonis, tres continuæ extruuntur cellæ, quarum, ſicuti dixi, perpetua frons orienti ſit obuerſa. In ea deinde fronte exiguus detur unus omnino aditus mediæ cellæ, quæ ipſa tribus minima eſſe debet in altitudinẽ, & quoquouerſus pedes ſeptẽ: in ea ſinguli dextro,

læuoq;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 465 sur 825

læuoq; pariete aditus ad utranque cellam faciendi sunt, iuncti parieti, qui est intrantibus aduersus: Huic autem focus applicetur tam longus, ut nec impediat prædictos aditus, & ab eo fumus perueniat in utranq; cellam: eæq; longitudinis & altitudinis duodenos pedes habeant, nec plus latitudinis quàm media sublimitas: diuidantur tabulatis, quæ supra se quaternos, & infra septenos liberos pedes habeant, quoniam ipsa singulos occupant, utraq; tabulata gallinis seruire debent, & ea paruis ab oriente singulis illuminari feneſtellis, quæ & ipsę matutinum exitum prębeant auibus ad cohortem, nec minus ad uespertinum introitum, sed curandum erit, ut semper noctibus claudantur, quo tutius aues maneant. Intra tabulata maiores feneſtræ aperiantur: & eę clatris muniantur, ne possint noxia irrepere animalia. Sic tamen, ut illustria sint loca, quo commodius habitent, auiariusq; subin
10 de debet speculari aut incubantis, aut parturientis fœtus. Nam etiam in ijs ipsis locis ita crassos parietes ædificare conuenit, ut excisa per ordinem gallinarũ cubilia recipiant: in quibus aut oua ædantur, aut excludantur pulli, hoc enim & salubrius, & elegãtius est, quàm illud, quod quidam faciunt, ut palis in parietes uehementer actis, uimineos qualos superimponant. Siue autem parietibus, ita, ut diximus, cauatis, aut qualis uimineis, præponenda erunt uestibula, per quæ matrices ad cubilia uel pariendi, uel incubandi causa perueniant. neq; enim debent ipsis nidis inuolare, ne dum adsiliunt, pedibus oua cõfringant. Ascensus deinde auibus ad tabulata per utranq; cellam datur iunctis parieti modicis asserculis, qui paulum formatis gradibus asperantur, ne sint aduolantibus lubrici. Sed ab cohorte forinsecus prædictis feneſtellis scandulæ similiter iniungãtur, quibus irrepant aues ad requiem nocturnam. Maxime autem curabimus, ut & hæc auiaria, & cætera, de quibus mox di-
20 cturi sumus, intrinsecus, & extrinsecus poliantur opere tectorio, ne ad aues feles habeant aut coluber accessum, & æque noxiæ prohibeantur pestes. Tabulatis insistere dormientem auem non expedit, ne suo lædatur stercore, quod cum pedibus uncis adhæsit, podagram creat. ea pernicies ut euitetur, perticæ dolantur in quadrum, ne teres læuitas earum supersilientem uolucrem non recipiat: conquadratæ deinde foratis duobus aduersis parietibus induntur, ita ut à tabulato pedalis altitudinis, & inter se bipedalis latitudinis spatio distent. hæc erit cohortalis officinæ dispositio. Cæterũ cohors ipsa, per quam uagantur, non tam stercore, quàm uligine careat. nam plurimum refert aquam non esse in ea nisi uno loco, quam bibant, eamq; mundissimam: nam stercorosa pituitam concitat. puram tamen seruare non possis, nisi clausam uasis in hunc usum fabricatis, sint aũt, qui aut aqua replẽtur, aut cibo, plumbei canales, quos magis utiles esse (quàm) ligneos, aut fictiles cõpertum est. hi
30 superpositis operculis clauduntur, & à lateribus super mediam partẽ altitudinis per spatia palmaria modicis forantur cauis, ita ut auium capita possint admittere. nam nisi operculis muniantur, quantulumcunque aquæ, uel ciborum inest, pedibus euertitur. sunt qui à superiore parte foramina ipsis operculis imponant, quod fieri non oportet: nam supersiliens auis proluuie uetris cibos, & aquam conspurcat, Columella. Cors ad meridiem pateat, & obiecta sit soli, quò facilius hyeme aliquem teporem concipiat, propter ea, quæ insunt animalia, quibus etiam ad æstatis temperãdum calorem porticus furcis, asseribus, & fronde formari debent, quæ uel scandulis, uel (si copia suppetit) tegulis, uel (si facilius, & sine impensa placuerit) tegentur caricibus aut geniſtis, Palladius. Gallinæ domesticæ in calidioribus & bene munitis ab aëris & frigoris aditu locis sunt educãdæ, in quibus fumus quidam exurgit. In parietibus autem ipsis mansiunculas facere expedit, ut in eis pariant. Intra quas
40 etiam adaptandi sunt asseres, paleæq; similiter substernendæ: ne uidelicet delatum ouum in durum incidens dirumpatur. perticæ etiam figendæ sunt, in quibus aues pernoctant, Florentinus. Gallinas educare nulla mulier nescit, quæ modo uideatur industria. Hoc de his præcepisse sufficiat, ut fumo, puluere utantur, & cinere, Palladius. Siccus etiam puluis, & cinis ubicunq; cohortem porticus, uel tectum protegit, iuxta parietes reponẽdus est, ut sit, quo aues se perfundant. nam his rebus plumam, pinnasq; emundant: si modo credimus Ephesio Heracleto, qui ait sues cœno, cohortales aues puluere, uel cinere lauari, Columella. Gallina post primam emitti, & ante horam diei undecimam claudi debet: cuius uagæ cultus hic quem diximus, erit: nec tamen alius clausæ, nisi quod ea non emittitur, sed intra ornithonem ter die pascitur maiore mensura. nam singulis capitibus quaterni cyathi diurna cibaria sunt, cum uagis terni uel bini præbeantur. Habere etiam clausam opor-
50 tet amplum uestibulum, quò prodeat, & ubi apricetur: idq; sit retibus munitum ne aquila, uel accipiter inuolet: quas impensas, & curas nisi locis, quibus harum rerum uigent precia, non expedit adhiberi. Antiquissima est autem cum in omnibus pecoribus, tum in hoc fides pastoris, qui nisi eam domino seruat, nullus ornithonis quæstus uincet impensas, Idem.

¶ Gallinæ ad ouorum partionem à uillico, à nobis uerò in mensam ali solent, Gyb. Longolius. Gallinarũ fructus sunt oua & pulli, Varro. item priuatim capus & gallus, Humelberg. ¶ Libentius ferè & commodius pariunt gallinæ, cum iam prius ouum in nido conspiciunt: quamobrem aliqui marmor ad oui similitudinem formatum imponunt.

¶ Gallinæ ut oua multa & magna pariant. Vinaceę cibo sterilescũt. Hordeo semicocto & pärere sæpe coguntur, & reddent oua maiora. Duobus cyathis ordei bene pascitur una gallina quæ sit
60 uaga, Palladius. Fabæ etiam uel earum cortices sterilitatem gallinis inducere putantur: Vide supra in C. Nasturtij semina trita cum furfure subacta uino, gallinis in cibũ exhibita, efficiunt ut oua magna pariant, Rasis. Ad idem, Comminutam Laconicam testam ac furfuri mistam lęuigataq;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 466 sur 825

uino eis propone, aut ipsius testæ contritę acetabulum unum duobus chœnicibus furfuris miscens, edendum dato. Sunt qui ad eundem effectum alimento minium (μίλτῳ, rubricam, Cornarius) permisceant, Leontinus. Gralegæ (Rutæ capratiæ) semen dicunt mirabiliter fœcundi tatem gallinarum augere, Crescentiensis. Gallinis quæ oua parere nequeunt, gith dato, Obscurus. Gallinę semine cannabis pastæ, per totam hyemem oua pariunt, quod & urticæ semen facere certum est, Brasauola. Atqui Symeō Sethi, cannabis semen in homine genituram exiccare scribit instar caphuræ. Vrticæ siccantur, atteruntur manibus, seruantur in hyemem, & in aqua feruefiunt pro gallinarum cibo per hyemem, ut inde fœcundiores reddantur. Sunt qui furfuribus coctis tanta crassitie, quanta sumi à gallinis poterunt, matura urticæ semina immiscent: & sic eas per hyemem incalescere & fœcundiores fieri aiunt. Sed de alimentis quę horum alitum fœcunditatem augent, inferius etiam in mentione de cibis earum dicetur. Aliqui uiscum etiam pro gallinis coquunt. Viscí quidem pabulo fœcunditatem dari cuicunq; animali sterili arbitrari nonnullos, author est Plinius. Gallinarum quæ absinthium edunt, oua, amariuscula fiunt, Matthæolus.

DE INCVBATIONE: ET PRIMVM QVAENAM OVA SVBIICIENDA, & quot numero: & quibus gallinis, & quando. Deinde quæ cura parientibus & incubantibus adhibenda. De ouis diuersarum auium, quæ gallinis subijci possunt. De ijs quæ oua propria edunt, &c.

Oua quæ incubanda subijcies, potius è uetulis sunto, quàm è pullastris, Varro. Aptissima sunt ad excludendum recentissima quęq;. possunt tamen etiam requieta supponi, dum ne uetustiora sint quàm dierum decem, Columella. Oua incubari infra decem dies ædita utilissimum. uetera aut recentiora infœcunda, Plinius. Oua decem dierum bene fouentur, & pauciorum usq; ad oua quatriduana. quæ infra aut supra hoc tempus sunt, minus ualere probantur, Albertus. Oua plena sint, atq; utilia, (fœcunda, Albertus) nec ne, animaduerti aiunt posse, si demiseris in aquam: quod inane natat, plenum desidit. Qui, ut hoc intelligant, concutiunt, errare, quod in eis uitales uenas confundunt. In ijs idem aiunt, cum ad lumen sustuleris, quod perlucet, id esse obinane, Varro, Florentinus & Plinius. Plura uide supra in c. ubi de ouis urinis dictum est. & inferius ubi de incubatione scribetur. Oua ad incubationem eliguntur, in quibus Soli obtentis semen galli apparet. tum à septem dierum incubitu iterum inspiciuntur: & si quod est quod Soli obtentum non appareat alteratum, ejicitur tanquam subuentaneum & inutile, Albertus. Sed alij (ut infra recitabimus, ubi de cura incubantium sermo erit) uersus Solem an semē galli appareat contemplari solent, non in ijs ouis quæ ad incubationem initio deliguntur, sed quæ per aliquot dies incubitum iam pertulerūt. Cùm quis uolet quamplurimos mares excludi, longissima quæq; & acutissima oua subijciet: & rursus cum fœminas, quàm rotundissima, Columella. Vide supra in c. In supponendo oua obseruant, ut sint numero imparia, Varro, Plinius, Palladius & Florentinus. ¶ Quæ uelis incubet, negant plus uigintiquinq; oportere oua incubare, quamuis propter fœcunditatem pepererit plura, Varro & Plinius. Mulieres nostræ ultra septendecim uel nouendecim oua non supponunt, Crescentiensis. Numerus ouorum quæ subijciuntur, impar obseruatur, nec semper idem: nam primo tempore, id est mense Ianuario quindecim, nec unquam plura subijci debent, Martio XIX. nec his pauciora, unum & uiginti Aprili. tota deinde æstate usq; in calendas Octobris totidem. Postea superuacua est huius rei cura, quod frigoribus excluſi pulli plerunq; intereant, Columel. A calendis Nouembris gallinis oua supponere nolito, donec bruma conficiatur. In eum diem ternadena subijcito æstate tota, hyeme pauciora, non tamen infra nouena, Plinius. Supponātur gallinæ, fœcundæ quidem non plura quàm uigintria oua, pauciora uerò non tali: scilicet pro uniuscuiusq; natura, Florentinus. Ferè autem, cum primum partum consummauerint, gallinæ incubare cupiunt ab Idibus Ianuarijs, quod facere non omnibus permittendum est, quoniam quidem nouellæ magis edendis, quàm excubandis ouis utiliores sunt. Inhibeturq; cupiditas incubādi pinnula per nares traiecta. Veteranas igitur aues ad hanc rem eligi oportebit, quæ iam sæpius id fecerint, moresq; earum maxime perno-sci, quoniam aliæ melius excubant, aliæ editos pullos commodius educant. At è contrario quædam & sua & aliena oua comminuunt, atq; consumunt, quod faciētem protinus submouere conueniet, Columella. Oua subijciantur, non quidem ijs quæ florent ætate, aut parere possunt, gallinis, sed prouectioribus. uigent enim atq; floresc unt anniculæ ad emissiones (partiones) ouorum, potissimum autem bimæ, sed minus quæ sunt seniores, Florentinus. Appositissimæ ad partum sunt anniculæ aut bimæ, Varro. Gallinæ incubationi destinandæ, rostra aut ungues non habeant acutos. tales enim debent potius in concipiendo occupatæ esse, quàm incubando, Idem. Quæ non secus quàm gallinacei calcaribus spiculatis armantur, cauendum est ne eæ incubent. pertundunt enim oua, Florentinus. Oportet qua die subditurus es oua, non unam tantum gallinam, sed tres supponere aut quatuor, Idem.

¶ Frigoribus excluſi pulli plerunq; intereunt. Plericq; tamen & ab æstiuo solstitio non putant bonam pullationem, quod ab eo tempore etiam si facilem educationem habent, iustum tamen non capiunt incrementum. Verum suburbanis locis, ubi à matre pulli non exiguis precijs ueneunt, nec plerunq; intereunt, probanda est æstiua educatio, Columella. Aiunt optimum esse partum æqui-

noctio

noctio uerno, aut autumnali. Itaq; quæ ante, aut postea nata sunt, & etiam prima eo tempore, non supponenda, Varro. Oua gallinæ subdenda ab eo potissimum tempore ædi etiam debent, quo spirat Zephyrus, usq; ad Autumnale æquinoctium. Nempe à septima Februarij, usq; ad uigesimam secundam Septembris. Quare dum emittuntur hoc tempore, separatim seruentur, ut ex eis pullorum excluſio fiat. Quæ enim ante id temporis æduntur oua, aut etiam eo transacto, quæq; etiam ædidit primò gallina, eorum certe nullum est subijciendum. Infœcunda siquidem fiunt, imperfectaq;. Est autem præstantissimum tempus æquinoctium uernum ad incubandum, hoc est à uigesima quarta Martij usq; ad nonas Maias, Florentinus. Oua Luna noua supponito, Plin. Incubare oportet incipere secundum (post) nouam Lunam. quòd ferè quæ antè (prius inchoata) non succedunt, (non proueniunt,) Varro & Plinius. Semper cum supponuntur oua, cõsiderari debet, ut Luna crescente à decima usq; ad quintamdecimam (quod & Paladius repetit, & Tragus hodie à mulieribus in Germania obseruari scribit) id fiat. nam & ipsa suppositio per hos ferè dies est commodissima: & sic administrandum est, ut rursus cum excluduntur pulli, Luna crescat, diebus quibus animantur oua, & in speciem uolucrum cõformantur, Columella. Oportet subijci oua Luna increscente: hoc est, à primilunio usq; ad quartamdecimam diem. nam quæ ante nouilunium subiecta sunt, tabescunt & corrumpuntur, Florentinus. Ex ouis natis in defectu Lunæ (non generantur pulli.) sed plurimum sunt generantia. (horum uerborum sensum nõ assequor: & ni fallor, omitti possunt.) eò quòd oua à nouilunio usq; ad plenilunium & replentur & humectantur, & sunt laudabilia ad generationem. & econuerso, quæ generantur à plenilunio usq; ad nouilunium, Elluchasem. Audio hanc apud nos quorundam persuasionem esse, ut ex ouis suppositis omnibus fœminę generentur, subijci oportere plenilunio, & ea quoq; ad hoc præferunt quæ in plenilunio nata fuerint: & ita obseruandam temporis rationem, ut in plenilunio etiam excludantur pulli.

¶ Parientium & incubãtium cura. Gallinas includere oportet, ut diem & noctem incubent, præter quàm mane & uespere, dum cibus ac potio his detur. Curator oportet circumeat diebus interpositis aliquot, ac uertat oua, ut æquabiliter concalefiant, Varro & Florentinus. Recludere autem hostium est opus, tum diluculo, tum crepusculo uespertino, illisq; pro consuetudine offerre & nutrimentum & potum: ac postea rursus occludere. quòd si aliquæ non ascenderint ultrò, cogendę sunt, Florentinus. Supponendi consuetudo tradita est ab ijs, qui religiosius hęc administrant eiusmodi. Primum quàm secretissima cubilia eligunt, ne incubantes matrices ab alijs auibus inquietentur: deinde antequam consternant ea, diligenter emundant, paleasq;, quas substraturi sunt, sulfure, & bitumine, atq; ardente tæda perlustrant, & expiatas cubilibus injciunt, ita factis cõcauatis nidis, ne ab aduolantibus, aut etiam desilientibus euoluta decidant oua. Plurimi etiam infra cubilium stramenta graminis aliquid, & ramulos lauri, nec minus allij capita cum clauis ferreis subijciunt: quæ cuncta remedia creduntur esse aduersus tonitrua, quibus uitiantur oua, pulliq; semiformes interimuntur ante, quàm toti partibus suis consummentur. Seruat autẽ qui subijcit, ne singula oua in cubili manu componat, sed totum ouorum numerum in alueolum ligneum conferat: deinde uniuersum leniter in præparatum nidum transfundat. Incubantibus autem gallinis iuxta ponendus est cibus, ut saturæ studiosius nidis immorentur, nęue longius euagatæ refrigerent oua: quæ quamuis pedibus ipsæ conuertant, auiarius tamen, cum desilierint matres, circumire debet, ac manu uersare, ut æqualiter calore concepto facile animentur. Quin etiam si qua unguibus læsa, uel fracta sunt, ut remoueat. Idq; cum fecerit, die undeuigesimo animaduertat, an pulli rostellis oua percuderint, & auscultetur, si pipiant. nam sæpe propter crassitudinem putaminum erumpere non queunt. Itaque hærentes pullos manu eximere oportebit, & matri fouendos subijcere, idq; nõ amplius triduo facere, nam post unũ & uigesimum diẽ silentia oua carent animalibus: eaq; remouenda sunt, ne incubans inani spe diutius detineãtur effœta, Columella. In cubilibus, cum parturiẽt, acus substernendum: cum pepererint, tollere substramen, & recens aliud subijcere, quòd pulices & cætera nasci solent, quæ gallinã conquiescere non patiuntur, ob quam rem oua aut inæquabiliter matureſcunt, aut consenescunt, Varro. Curæ autem debebit esse custodi, cum parturient aues, ut habeant quàm mundissimis paleis constrata cubilia, eaq; subinde conuerrat, & alia stramenta quàm recentissima reponat: nam pulicibus, alijsq; similibus animalibus replentur, quæ secum affert auis, cum ad idem cubile reuertitur. Assiduus autem debet esse custos, & speculari parietes, quod se facere gallinæ testantur crebris singultibus interiecta uoce acuta. Obseruare itaq;, dum edant oua, & cõfestim circumire oportebit cubilia, ut quæ nata sint recolligantur, notenturq; quæ quoq; die sint edita, ut quàm recentissima supponantur glocientibus: sic enim rustici appellant aues eas, quæ uolunt incubare. Cætera uel reponantur, uel ære mutentur, Columella. Cum uolumus ut ouis gallinæ incubent, stramen nidum est substernendum, in eoq; imponendus ferreus clauus: quòd is uideatur habere uim uitium quoduis propulsandi, Florentinus. Oua quæ incubantur, si habeant in se semẽ pulli, curator quatriduo postquam incubari cœperint, intelligere potest: si contra lumen tenuit, & purum uniusmodi esse animaduerterit, putant eũ jciendum, & aliud subijciendum, Varro. Quarto die postquam cœpere incubari, si contra lumen cacumine ouorum apprehenso una manu, purus & uniusmodi perluceat color, sterilia existimantur esse, procq; eis alia substituenda, Plin. Oua incubationi idonea, quarto die sanguineas habent uenas: quo tempore si quæ ad radios Solis clara apparuerint in acu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 468 sur 825

tiore parte, reijciantur, Albert. Discernitur an id quod latet in ouis uitale sit, & prolificum, si post quartam diem quàm foueri cœperit, nulla facta commotione uehementi sensim contra splendorem Solis & lumen ea quispiam speculetur. Nam si fibrosum aliquid cruentumq; uideatur discurrere, prolificum est quod ineſt: sin cõtrà perspicuum maneat, ceu infœcundum est reijciendum, in reiectorumq; locum substituenda alia. Nec nobis uerendum est ne corrumpantur oua, uel si ab aliquo sæpius sensim & commodè permutentur, Florentinus. Multum refert ne moueantur manu, nam uenæ & humores inuersione corrumpuntur. quod uel inde constat: quod cum gallina in occulto excubat, oua omnia fœcunda fiunt: manibus uerò hominum tractata plura corrumpuntur, Albertus. Oua incubanda deliguntur, in quibus Soli obtentis semen galli apparet. tum à septem (quatuor, ut Varro & alij) dierum incubitu iterum inspiciuntur. & si quod est quod Soli obtentum non appareat alteratum, abijcitur tanquam subuentaneum & inutile, Idem. Vide supra ubi dictum est de ouorum ante incubationem delectu. Et in aqua experimentum est, (de hoc etiam tanquam ante incubationem potius adhibendo superius scriptum est,) inane fluitat, itaq; fidentia, hoc est plena, subijci uolunt. Concuti uerò experimento uetant, quoniam non gignant confusis uitalibus uenis, Plin. ¶ Pulli excusi à singulis gallinarum statim subtrahendi sunt, subijciendiq; illi quæ paucis incubat: quæ tamen sub ea sunt oua uel nondum concreta & formata, distribuere conuenit inter alias quæ adhuc fouent tepôre suo, ut unà cũ alijs & ipsa calefacta animentur, Florentinus. ¶ Sunt in Alexandria illa quæ ad Aegyptũ spectat, gallinæ quædam Monosire (ex quibus pugnaces oriuntur galli) bis ac ter incubantes, post absolutionem scilicet pullis ipsis subtractis, seorsumq; enutritis, sic ut contingat gallinam unam quadraginta duos, aut etiã sexaginta pullos excludere, Florentinus.

¶ De ouis diuersarum auium quæ gallinis subijciuntur. Diuersi generis oua aliqui gallinis supponunt, Florentinus. Anatum oua gallinis sæpe supponimus, &c. Cicero. uide in Anate C. Anatum etiam syluestrium oua, ut ibidem scripsimus, si incubãtibus gallinis excusa fuerint, anates inde cicures nascuntur. Anserum oua quomodo gallinis supponantur, uide supra in Anſere E. item pauonina quomodo, infra in Pauone, & Phasiani in Phasiano.

¶ Excusio. Diebus ferè uiginti excudunt, Varro. Phasiani oua nõ aliter quàm gallinarum, ad uicesimam primam diem excluduntur, Florentinus.

¶ Quæ gallinæ propria comedũt oua, eas sic dissuefacere oportet. Ex ouo enim albumine effuso, in luteum ipsum humidum gypsum injicito, ut testæ durities contrahat. Volentes quippe gallinæ in subiecto ouo gulam explere, nec in eo amplius inuenientes quid succi, citò quidem desistent uastare oua, Florentinus.

¶ Ex phasiano mare & gallinis gallinaceis quomodo phasiani procreentur, ex dialogo Gyb. Longolij de Auibus, in quo author & Pamphilus colloquuntur. LONG. Noui quosdam, qui singulari artificio ingentem apud nostrates educatione & seminio phasianorum quæstum faciebant, quorum sanè ædes rectius officinam, quàm uiuarium phasianorum quispiam appellauerit. PAM. Quæso rationem istam explices. LONG. Phasianum marem, qua poterat diligentia, curabat (quidam in) domuncula decem pedibus longa lataq;, uimínibus & luto undiq; bene ab aëre tuta, in ea feneſtellæ omnes in meridiem spectantes, de summo tecto copiosè satis lumen administrabant, in medio crates uimíneæ domunculam diuidebant, interuallum cratium tantum erat opertum, quantum satis fuit auis capiti collóq; transmittendo. In altero maceriæ latere phasianus solus regnabat. PAMP. Quid uerò altera pars, carebátne habitatore? LONG. Audies. Sub initium ueris, uillaticas aliquot gallinas sibi comparabat. sed fœcũditatis cognitæ, plumisq; uarijs, ut propemodum fœminam phasianum mentiri possent. has aliquot diebus communi pabulo alebat, uerùm ita obiecto cibo, ut phasianus in gallinarum conuiuio, traiecto per craticulam collo, lurcaretur. PAMP. Qua de causa obsecro nõ admittebatur? LONG. Principio hac ratione consuescere cũ gallinis discunt, deinde molesti esse nequeunt, cum ueluti carcere ab iniuria inferenda prohibeantur. Alioqui ita ferociunt capti, ut ne pauoni quidem parcant, quin mox ore dilacerent. At ubi iam aliquot dies consuetudine gallinarum mitior factus est, una, quam cognouit illi inter reliquas magis familiarem, intromittitur, pabulumq; copiosius suggeritur. PAMP. Quid de reliquis fiet? LONG. Plerunq; primam iugulare solet: ne gallinarius itaq; custos omni spe sua decolletur, reliquas in subsidiũ alit. PAMP. Quid si res ad triarios redeat, solaq; una supereſt spes gregis? LONG. Tum latrone comprehenso candente ferro rostrum illius tangunt, & uino Chymico nates illius lauant. PAMP. O Apitianam diligentiam. LONG. Vbi cognouerint gallinas ab illo plenas factas, diuortium statim procuratur, admittiturq; noua pellex, quam cupiũt uxoris more ab illo tractari. Vxorem autem ad ouorum partionem alunt. Oua autem quotquot posuit, incubantibus alijs supponuntur. PAMP. Ea fortè ab gallinaceis reliquis nihil distant. LONG. Imò punctis nigris undiq; sunt maculata, & longè maiora speciosioraq;. Vbi autem post animationem excusa sunt, à gallina seorsim educãtur: maximè polenta illius frumenti triangularis, quod uulgò non inepte fagotriticum uocant, quòd semen fago, (id est fagi semini,) farina triticeæ perquam similis sit: idipsum aqua ex lacubus fabrorum hausta subigunt, apij folia recentia cultellis domita, immiscent: obijciunt etiam baccas, quæ ex hyeme superfuêre. hijs enim maximè delectantur, & ad incrementa proficiunt. PAMP. Non tamen fieri credo, ut per omnia patri similes sint. LONG. Non sunt: uerum qui fucum istum nõ nouêre, fraudem

fraudem non facilè sentiunt. Porrò fœminæ ex hoc semínio procreatæ, cum ad patrẽ admittuntur, primo aut secundo partu, genus ad unguem propagant. PAMP. Mirum ergò mihi, non omnia auiaria phasianis esse plena. LONG. Non dubito magnum prouentum cuiuis etiã pollicerí, modò neque laboris sit impatiens, & sumptus magnos ferre possit. Cogitur enim paupertinos aliquot alere, qui pro baccis quotidie in syluã excurrant. Nam sine hijs níhil ab illis boni sperare licet, Hæc omnia Longolius. Phasiani nõ modo è Media accersebãtur: sed uillaticæ quoq; gallinæ ouis è phasiano mare conceptis copiam illorum præbebant, Ptolemæus apud Athenæum.

¶ Excluſio ouorum absq; incubatione. Sí aut tempus sit bene temperatum, aut locus, in quo oua manent, tepidus, concoquuntur & auium oua, & quadrupedum ouíparorum sine parentis incubitu. hæc enim omnia in terra pariunt, concoquunturq; oua tepore terræ. nam sí quæ quadrupedes ouíparæ frequentantes fouent quæ ædíderint oua, custodiæ gratia potius id faciunt, Aristot. Et alibí, Incubitu auium oua excludí naturæ ratio est: nõ tamen ita solum oua aperiuntur, sed etiam sponte in terra, ut in Aegypto obruta fimo pullitiem procreant. Et Syracusis potator quídam, ouis sub storea in terra positis, tandiu potabat, donec oua æderent fœtum. Iam uerò & cum in uasis quíbusdam tepidis (ἀλεεινοῖς) essent conjecta, sponte oua pullos prompsere. Cæterum Albertus pro recitatis iam postremis philosophi uerbis, ita habet: Ouis positis in uasis calidis, superposita stupa calida, leni calore fouente & non adurente extrahuntur pulli. & præcipuè calore uitalí alicuius animalis, ut si in sinu hominis teneantur: aut si forte sub fimo calido ponantur, aut sub cineribus lentè calefactis, aut aliquo huiusmodi. Oua quædam & citra incubitum sponte naturæ gignunt, ut in Aegypti fimetis. Scitum de quodam potore reperitur, Syracusis tandiu potare solitum, donec cooperta terra fœtum æderent oua. Quín & ab homine perficiuntur, Plinius. Et rursus, Liuia Augusta ouum in sinu fouendo excluſit, (ut referetur infra in h.) inde fortasse nuper inuentum ut oua in calido loco imposita paleis igne modico fouerẽtur, homine uersante pariter, ut stato tempore illinc erumperet fœtus. Sí gallina non incubet, hac industria cõplures habebis pullos. qua die incubanti gallinæ oua subijcis, eadem stercus gallinaceum accipiens id ipsum contere, cribraq; ac denique in uasa inijce uentricosa, pennas illi gallinarum circumpone. posthæc autẽ, figura recta imponito oua, sic ut pars mucronata superne tendat, ac dein rursus ex eodem fimo tandiu illis inspergito, donec undiq; inducta uideantur. At, ubí duos aut tres dies primos sic intacta esse oua permiseris, singulis postea diebus illa conuertito, cauens ne contingãtur mutuò, ut uidelicet ex æquo incalescant. post uigesimam autem diem, dum sub gallina oua excludi incipiunt, inuenies ea quæ in alueis sunt circumfracta. Ob quam nimirum causſam etiam inscribunt diem qua supponuntur, ne dierum numerus ignoretur. Vigesima igitur die putamen extrahens, pullos in cophinum conijcito, eos alens delicatissimè. Asciſce etiam gallinã, quæ moderabitur omnia, Democritus in Geoponicis, Andrea à Lacuna interprete. qui Græcam uocem γάστρας uasa uentricosa interpretatur, Cornarius uentriculos: Hieronymus Cardanus qui hunc locum in libros de subtilitate transcripsit, puluinaria, his uerbis: Puluinaria duo reple stercore gallinarum tenuissimè trito, inde plumas gallinarũ annecte consuendo utriq; molles ac densas. oua uerò capite tenuiore suprà extante, colloca super alterum puluinar. deinde reliquũ superpone in loco calido. permitteq; immota duobus diebus. pòst uerò ad uigesimam usq; diem illa sic uerte, ut undiq; æqualiter foueantur. inde stata die, quæ iuxta uigesimam primam est, pipillantes iam ex ouo sensim educito. Ego etsi hoc etiã modo oua excludí posse exístimem: uideo tamen aliud sensisse Democritum uerbis eius Græcis perpensis, & placet gastran uas uentricosum uertí, ut primum in tale uas intelligamus simum inijciendum, tum super simo imponẽdas plumas, (ut ἐπίβαλε potius quàm προσβαλε legatur:) in plumis oua: postremo rursus simum addendum donec cõtegantur oua. Erat & gaſter uas, & gastra fictilis Dioscoridi. sed & gasterium uocat Aristophanes, seruatq; adhuc nomen, Cælius, huiusmodi est quod corrupta uoce guiscardum appellant Itali, ut quidam in Lexicon Græcolatinum retulit. Scaphos cauitatem nauis uocat Thucydides, quam, inquit interpres, gastéra dicimus, Cælius. Τὸ μὲν ἔσω κοῖλον τοῦ πλοίου κύτος, καὶ γάστρα καὶ ἀμφιμήτριον ὀνομάζεται, Pollux. Eustathius gastra uocem factam ait ab accusatiuo gastéra per syncopen: & uulgò ab idiotis sic uocari fundum nauis. Idem apud Homerum gastram tripodis interpretatur cauitatem tripodis aut fundũ eius. Hesychio gástra, posterior pars femoris est. γάστρα, ἡ εἰς κύτος γεννηθεῖσα τοῦ λαιμοῦ, Varinus, est autem locus, ut suspicor, corruptus. Fertur in quadam regione inueníri homines, qui furnos ita temperatè calefaciant, ut eorum calor par sit calorí gallinæ incubantis. & in furno seu clíbano ponere quàm plurímas plumas, & mille gallinacea oua, quæ post uiginti díes nascantur ac erumpant, Crescentiensis. In Aegypto circa Alcairũ oua arte excluduntur: Clíbanum parant cum multis foramínibus, quíbus oua diuersa gallinarũ, anserum, & aliarum auium imponunt. tum fimo calído integũt clíbanum: & si opus fuerit, ignem circumquaq; faciunt. sic oua suo quæq; tempore matureſcunt, ut serpentiũ apud nos per se in fimo calído, Tragus. Apud Aegyptios magna est copia pullorum gallinaceorum. nam apud eos gallinæ sua oua non incubant, sed ea in clibanis tepòre sensim adhíbito ita fouentur, ut mirabili arte cõpendioq; pulli intra paucos dies progignantur simul & educantur, Paulus Iouius lib. 18. historiarum sui temporis.

¶ Pullorum recens excluſorum cura. Excussos pullos subducendum ex singulis nidis, & subijciendum ei, quæ habeat paucos. Ab eaq;, si reliqua sint oua pauciora, tollenda, & subijcienda alijs,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 470 sur 825

quæ nondum excuderint, & minus habent trigínta pullos. Hoc enim gregem maiorem non facien dum, Varro. Gallínæ quæ paucis incubat, trigínta tantum ſubijciendi ſunt pulli, quandoquidem generi gallínarum res infenſiſsima eſt frigus, Florentínus. Veruntamen ſeruare oportet modum, neq; enim debet maior eſſe quàm trigínta capitum. negant enim hoc ampliorem gregem poſſe ab una nutriri, Columella. Pulli autem duarum aut trium auium excluſi, dum adhuc teneri ſunt, ad unam quæ ſit melior nutrix, transferri debent, ſed primo quoq; die, dum mater ſuos, & alienos pro pter ſimilitudínem dignoſcere non poteſt, Idem. Pullos autem non oportet ſingulos, ut quiſq; na tus ſit, tollere, ſed uno die in cubili ſinere cum matre, & aqua ciboq; abſtinere, dum omnes exclu dantur. Poſtero die, cum grex fuerit effœtus, hoc modo deponitur. Cribro uitiario, uel etiam lolia rio, qui (quod) iam fuerit in uſu, pulli ſuperponantur: deinde pulegij ſurculis fumigentur. ea res ui detur prohibere pituitam, quæ celerrime teneros interficit. Poſt hæc cauea cum matre claudendi ſunt, & farre ordeaceo cum aqua incocto, uel adoreo farre uino reſperſo modice alendi. nam maxi me crudítas uitanda eſt, & ob hoc tertia die cauea cum matre continendi ſunt, priuſq;, quàm emit tantur, ad recentem cibum ſinguli tentandi, ne quid heſterni habeant in gutture: nam ſi uacua non eſt ingluuies, crudítatem ſignificat, abſtinerique debent, dum concoquant. Longius autem non eſt permittendum teneris euagari, ſed circa caueam continendi ſunt, & farina ordeacea paſcendi, dum corroborentur. Cauendumq; ne à ſerpentibus adflentur, quarum odor tam peſtilens eſt, ut interi mat uniuerſos. id uitatur ſæpius incenſo cornu ceruino, uel galbano, uel muliebri capillo: quorum omnium ferè nidoribus prædicta peſtis ſubmouetur. Sed & curandum erit, ut tepide habeantur. nam nec calorem, nec frigus ſuſtinent: Optimumq; eſt infra officinam clauſos haberi cum matre, et poſt quadrageſimum diem poteſtatem uagandi fieri. Sed primis quaſi infantiæ diebus pertractandi ſunt, plumulæq; ſub cauda clunibus detrahendæ, ne ſtercore coinquinatæ dureſcant, & naturalia præcludant. Quod quamuis caueatur, ſæpe tamen euenit, ut aluus exitum non habeat: itaq; pinna pertunditur, & iter digeſtis cibis præbetur, Columella. Obijciendum pullis diebus quindecim pri mis mane ſubiecto puluere (ne roſtris noceat terra dura) polentam miſtam cum naſturtij ſemine, & aqua aliquanto ante facta intrita, & ne tum deinde in eorum corpore turgeſcat, aqua prohibẽdum, Varro. Nutrimentum quo utuntur primis quindecim diebus, eſt farina miſta cardami ſemini, ac uino perfuſa cum aquæ feruefactæ portione, porri etiam folia tenerrima cum caſeo muſteo contu ſa, illis porrigimus. Hordeum autem exactis duobus (ſex, in Græco codice, ſed interpres mendum ſuſpicatur) menſibus offeratur, Didymus. Vt nutriantur pulli, accipiens hordeaceum fermẽtum, id, atq; etiam furfur, aqua irrorato, Democritus. Recentes pulli ubi primum in corbem coniecti ſunt, ſtatim ſuſpenduntur in tali loco, ubi leuem fumum excipiant. Alimentum autem duobus pri mis diebus non ſumunt. Vas porrò in quo illis apponitur nutrimentum, ſimum bubulum in ſe con tineat, (ἐολβίτῳ λλεῖ, bubulo ſtercore claudatur, ut Cornarius uertit,) Didymus. Aſininum ſiue e quinum ſtercus, in uaſa capacia inijcito, ex quo decem diebus exactis naſcentur uermes pullorum nutricationi percommodi, Democritus. Quando de clunibus cœperint habere pinnas, è capite, et è collo eorum crebro eligendi pedes. Sæpe enim propter eos conſeneſcunt. Circum caueas eorum incendendum cornu ceruinum, ne qua ſerpens accedat: quarum beſtiarum ex odore ſolent interi re. Prodigendi in ſolem & ſterquilinium, ut ſe uolutare poſſint, quòd ita alibiliores fiunt. Neq; pul los tantum, ſed omne ὀρνιθοβοσκεῖον cum æſtate, tum utiq; cum tempeſtas eſt, molle, atq; aprícum eli gi debet intento ſupra rete, quòd prohibeat eas extra ſepta uolare, & in eas inuolare extrinſecus ac cipitrem, aut quid aliud. Euitare item caldorem, & frigus oportet, quòd utrunq; his aduerſum. Cũ iam pinnas habebunt, conſuefaciendum, ut unam aut duas gallinas ſectentur. Cæteræ ut potius ad pariendum ſint expeditæ quàm in nutricatu occupatæ, Varro. Vt pulli multum & citò creſcant: Teſtas è quibus emerſerunt pulli, tunica interiore dempta, contritas, cum ſale & ouo cocto duro mi ſcebis, & pullis primi alimenti loco appones, Innominatus.

¶ Seruatio ouorum. Oua in lomento ſeruari utiliſſimum, Plinius, aut hyeme in paleis, æſtate in furfuribus, Idem & Leontinus. Vt primum emiſſa ſunt oua, ſtatim reponenda ſunt in uaſis cum furfure, Florentínus. Qui oua diutius ſeruare uolunt, perfricant ſale minuto, aut muria: atq; ita ſi nunt tres aut quatuor horas, eaq; abluta condunt in furfures aut acus, Varro. Aliqui aqua abluen tes oua, ea ſale minutiſsimo inducunt, (καταπλάττουσι, malim καταπάττουσι, id eſt conſpergũt,) & ſic con ſeruant. Nec deſunt qui tres horas aut quatuor, oua ipſa in tepidam ſalſugínem infundẽtes, eaq; po ſtea exímentes in furfure aut paleis reponunt, Leontinus. Ouorum quoq; longioris temporis cu ſtodia non aliena eſt huic curę: quæ commode ſeruantur per hyemem, ſi paleis obruas, æſtate ſi fur furibus. Quidam prius trito ſale ſex horis adoperiunt: deinde eluunt, atq; ita paleis, aut furfuribus obruunt: nonnulli ſolida, multi etiam freſa faba coaggerant: alij ſalibus integris adoperiunt. Alij mu ria tepefacta durant. Sed omnis ſal quemadmodum non patitur putreſcere, ita minuit oua, nec ſinit plena permanere, quæ res ementem deterret. Itaq; ne in muriam quidem qui dimittunt, integrita tem ouorum conſeruant, Columella & Leontinus. Sale exinaniri creduntur, Plinius. Oua recen tiora quidam ſeruari aiunt frumenti genere quod ſecale uocant, noſtri roggen: uel cinere, ita ut acu tior pars oui inferior ſit, tum rurſus ſecale aut cinerem ſuperinfundunt.

¶ Nonnulli purgant domunculas gallinarum & nidos, ipſasq; aues ſulphure, aſphalto, picea, (πιτύϊνας,)

(τῶν λύκων,) sed & ferri laminam aut clauorum capita atq; lauri surculos imponunt nidis, ut quæ ad arcenda prodigia (ἀποτιμείας, tempestates) omnia magnam uim habere uideantur, Leontinus. ¶ Ius de carne salsa gallinis mortiferum existimatur. item liquor è uini aut eiusdem fæcis uapore ui ignis collectus, ni fallor. ¶ Vt gallinæ uertigine afficiantur, ὄρνιθας σκοτῶσαι: Frumentum maceratum lasere & melle mixtis, obijcito, Berytius. uidetur autem hoc fieri, non tantum ad gallinas, sed alias etiam aues, feras præsertim, capiendas. quanquam hæc inter ea quæ de gallinis scribuntur in Geoponicis Græcis legantur. Andreas à Lacuna hoc fieri ait, ut gallinæ uertiginosæ non fiant. quod ego probare non possum, cũ neq; uerba Græca sic habeant: neq; talis aliqua laseris uis legatur apud scriptores, sed potius plerisq; animalibus propè uenenosa. Pecora enim tradunt eo sumpto cũ egrotant, aut sanari protinus, quod ferè cõsequitur, aut emori. si quando inciderit pecus in spem nascentis, hoc deprehendi signo: oue, cum comederit, protinus dormiẽte, capra sternutante. serpentes auidissimas uini admistum rumpere. præcipitasse se quendam ex alto cum in dentium dolore cauis addidisset inclusum cera.

¶ Contra morbos gallinarum. Pullis iam ualidioribus factis, atq; ipsis matribus etiam uitanda pituitæ pernicies erit, quæ ne fiat, mundissimis uasis, & quàm purissimã præbebimus aquam. nam in cohorte per æstatẽ consistens, immunda, stercorosa, pituitam (coryzam, nostri uocãt δας pfipfe) eis concitat, Columella & Paxamus. Nec minus gallinaria semper fumigabimus, & emũdata stercore liberabimus, Columella. Inimicissima gallinaceo generi pituita, maximeq; inter messis & uindemiæ tempus, Plin. Id uitium maximè nascitur cum frigore & penuria cibi laborant aues; item cum ficus aut uua immatura nec (uidetur menda) ad satietatem permissa est, quibus scilicet cibis abstinendæ sunt aues: eosq; ut fastidiant efficit uua labrusca de uepribus immatura lecta, quæ cum farre triticeo minuto cocta (Plinius simpliciter cibo incoctã dari iubet, alibi cum farre miscendam) obijcitur esurientibus: eiusq; sapore offensæ aues, omnem aspernantur uuam, Columella. Vuæ florem in cibis si edêre gallinacei, uuas non attingunt, Plinius (alibi:) fortasis autẽ œnanthen è Græco uuæ florem transtulit. A Dioscoride quidẽ memoratur genus uitis sylueſtris sterile, quod fructum non profert, sed florem tantum quem œnanthen uocant. Similis ratio est etiam caprifici, quæ decocta cum cibo præbetur auibus, & ita fici fastidium creat, Columella. Præseruans contra coryzam seu grauedinem remedium: Origanum humectans (in aqua macerans) da bibendũ, Leontinus. ¶ Gallinacei generis pituitæ medicina in fame: & cubatus in fumo, si utiq; ex lauro & herba sauina fiat, (sauinæ herbę fumi aduersus hunc morbum uis alibi etiam ab eo celebratur:) pẽna per transuersas inserta nares, & per omnes dies mota. cibus allium cum farre: aut aqua perfusus, in qua lauerit noctua: aut cum semine uitis albæ coctus, & quædam alia, Plin. Idem ligustri acinos alibi hoc malum sanare docet, nimirum in cibo. Pituita gallinis nasci solet, quæ alba pellicula linguam uestit extremam. hæc leuiter unguibus uellitur, & locus cinere tẽgitur, & allio trito plaga mundata conspergitur, Palladius. Sunt qui spicas allij tepido madefactas oleo faucibus earum inferant, (inserant,) Columella. Allij mica (lego, spica) trita cum oleo faucibus inseritur, Palladius. Allia minutim scissa in calidum oleum inijciens, illis ubi refrixerint, ora gallinarũ colluito. quòd si illa etiam uorauerint, efficacius restituẽtur, Paxamus. Allio rostri foramina inunge: aut in aquam ipsum allium conijciens, potandum dato, Leontinus. Aliqui in lotio humano elixantes allia, rostrum gallinæ fouent: uerũ circunspectè, ne scilicet portio aliqua in oculos illabatur, Paxamus. Lotio ablue, (rostra nimirum & ora,) Leontinus. Quidam hominis urina tepida rigant ora, & tandiu comprimunt, dum eas amaritudo cogat per nares emoliri pituitæ nauseam, Columella. Vua quoq; quam Græci ἀγρίαν σταφυλὴν uocant, (staphisagria, Pallad.) cum cibo (assiduè, Palladius. sola, aut mista oro. bo, Paxamus) mista prodest. uel eadem pertrita, & cum aqua potui data, Columella. Munda etiam scilla, macerataq; ex aqua, atq; exhibita cum farina, idem præstat, Paxamus. Sunt qui ex origano, hyssopo & thymo suffimentum molientes, caput gallinæ exponant ut fumum excipiat, allioq; perfricent eius rostrum, Paxamus. Atq; hæc remedia mediocriter laborantibus adhibentur. nam si pituita circunuenit oculos, & iam cibos auis respuit, ferro rescinduntur genæ, (scalpello aperiuntur quæ sub gena consistunt partes, Paxamus,) & coacta sub oculis sanies omnis exprimitur. atque ita paulum triti (subtilissimè, Paxamus) salis uulneribus infriatur, Columella. Vide supra etiam in c.

¶ Si pituita & sanies circumuenit oculos, &c. lege quæ proxime retrò ex Columella recitauimus. Si amarum lupinum comedant, sub oculis illis grana ipsa procedũt, quæ nisi acu leuiter aperti pelliculis auferantur, extinguunt (oculos, Crescentiensis. qui hęc ita recitat, ac si remedia quæ sequuntur, ex portulacæ succo, &c. ad hunc ipsum affectum pertineant, quod mihi non probatur: & Paxamus etiam aliter habet,) Columel. Oculos portulacæ succo forinsecus, & mulieris lacte curemus: uel Ammoniaco sale, cui mel & cyminum æquale miscentur, (particulas affectas fouendo. cæterum ad umbram ducendæ sunt, Paxamus,) Idem. ¶ Pediculos gallinarum (quibus plurimum infestantur, præcipuè cum incubant, Crescent.) perimit staphisagria, & torrefactum cyminum pari pondere, & pariter tunsa cum uino: & amari lupini aqua, (sylueſtris lupini decoctum in aqua, Paxamus,) si penetret secreta pennarum, Palladius & Paxamus. ¶ Diarrhœa correptas curabis, si farinæ (ἀλφίτων. polentæ, Cornarius) quantum manu apprehendi possit tantundemq; ex cera uino læuigans, atq; pastam cõficiens, ante alium cibum obtuleris deuorandum: aut pomorum etiam, cy-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 472 sur 825

doniorũmue decoctum bibendum. Quæ mala, etiam ſub cineribus cocta, auxiliantur, Paxamus. ¶ Suo læduntur ſtercore, quod cum pedibus uncis adhæſit podagram creat, Columella. ¶ Gallinæ abortum non facient, ſi oui luteum (aliâs album) aſſatũ cum uuæ paſſæ (toſtæ) pari portione contuſum, ante alium cibum porrexeris, Leontinus & Pamphilus.

¶ De animalibus gallinaceo generi infeſtis, leges etiam ſupra in Gallo D. Ne gallinæ à catis lędantur: Catus non inuadit gallinam, ſi ruta agreſtis ſub eius (gallinæ) ala appendatur, Africanus. Idem remedium etiam aduerſus uulpes & alias animãtes gallinis noxias ualere legimus: & multò efficacius fore (contra feles nimirum & uulpes) ſi uulpis aut felis fel cibo admiſtum exhibueris, ut etiam Democritus confirmat. Vulpes gallinis inſidiatur, Albertus. & idcirco ſorte mutui hoſtes ſunt miluus & uulpes, quoniam utrięq; gallinas rapiunt, Stumpfius. Circa caueas gallinarũ incendendum eſt cornu, ne ſerpens accedat, cuius odore ſolẽt interire. Multas à uulpibus & quibuſdam aliįs animalibus noxiįs patiuntur inſidias, ideoq; circa loca in quibus uerſantur extirpanda & remouenda ſunt omnia in quibus uulpes latere poſſunt. Noctu claudantur in caueis diligenter circunquaq; & ſeptis, nec permittantur foris cubare. fertur enim uulpem ſubdolam intueri eas, quantumcunq; in alto remotas loco, ita ut uideant oculos eius lucentes tanquã faculas: & cauda quaſi baculo quodam minari eis, ut ſic præ metu delapſas rapiat. Patiuntur etiam inſidias miluorum & aliarum rapacium auium, præcipuè aquilarum, contra quas tendantur funes uel uites ſeu uitalbæ (audio uitem ſylueſtrem cauſticam in Italia alicubi uitalbam uocari) ſupra loca in quibus interdiu morantur. Capiantur etiam uulpes taliolis, uel alįs artibus, & milui retibus, fiſco uel laqueis, Creſcentienſis. Putorij & martari (uiuerræ ſeu muſtelæ ſylueſtres) omnes infeſti ſunt gallinis, quibus captis primò caput & cerebrum auferunt ne clamare poſsint, Albertus. Muſtela etiam gallinis infeſta, oua earum exorbet, & ipſas interficit, Albertus. oua tantum rapit, nec aliter nocet, Stumpfius. Ἀλέκτορας γαλὴ λεμαπεῖ, Philes. Vite nigra aiunt ſi quis uillam cinxerit (ut modo de uitalba ex Creſcentienſi retuli) fugere accipitres, tutasq; fieri uillaticas alites, Plin.

¶ Cibi. Eo tempore quo parere deſinent aues, id eſt ab idibus Nouẽbris, pretioſiores cibi ſubtrahendi ſunt, & uinacea præbenda, quæ ſatis commodè paſcunt adiectis interdũ tritici excrementis, Columella. Maximè obſeruandum ne uinaceos acinos uorent, ut qui fœcunditatem (Andreas à Lacuna uertit firmitudinem, legit enim μόνιμα non γόνιμα, quod non probo) earum cohibeant, Florentinus. Vinacea quamuis tolerabiliter paſcant, dari non debent, niſi quibus temporibus anni auis fœtus non edit. nam & partus rarò, & oua faciunt exigua. Sed cum planè poſt autumnum ceſſant à fœtu, poſſunt hoc cibo ſuſtineri, attamẽ quæcunq; dabitur eſca per cohortem uagantibus die incipiente, & iam in ueſperum declinante bis diuidenda eſt, ut & mane non protinus à cubili latius euagentur, & ante crepuſculum propter cibi ſpem temporius ad officinam redeant, poſsitq; numerus capitum ſæpius recognoſci. nam uolatile pecus facile paſtoris cuſtodiam decipit, Columella. Gallinas aiunt illas ſuauioris eſſe carnis, quæ cibo non abunde eis appoſito, ſed quem ipſæ pedibus fodientes eruant non abſq; labore paſtæ fuerint, Clemens Stromateων ſecundo. Chondro, id eſt alica aut farre paſcebantur etiam gallinæ. Βέλομαί σε δίπλω ἀλεκτρυόνα ἐμφορηθῆναι τῇ χόνδρῳ κορυβαντιᾶν, Aemilianus apud Athenæum circa finem libri tertij. Cibaria gallinis præbẽtur optima, pinſitum ordeum, & uicia, nec minus cicercula, tum etiam milium, aut panicum: ſed hæc ubi uilitas annonæ permittit, ubi uero ea eſt carior, excreta tritici minutè commode dantur. nam per ſe id frumentum, etiam quibus locis uiliſsimum eſt, non utiliter præbetur, quia obeſt auibus. poteſt etiam lolium decoctum obijci, nec minus furfures modice à farina excreti, qui ſi nihil habent farris, non ſunt idonei, nec tantum aptuntur (appetuntur,) Columella. Cibus illis eſt offerendus, elixum hordeum, aut milium aut frumenti furfur, aut zizania uocata lolium, quę quidem ad nutritionem eſt commodiſsima: ac humida folia cytiſi. Hæc enim eas maxime durabiles & firmas reddunt, (fœcundiores potius. γονιμώτερα, non μονιμώτερα,) Florentinus. Cibis idoneis fœcunditas earũ elicienda eſt, quo maturius partum edant. Optime præbetur ad ſatietatem ordeum ſemicoctum. nam & maius facit ouorum incrementum, & frequentiores partus. Sed is cibus quaſi cõdiendus eſt interiectis cytiſi foliis ac ſemine eiuſdem, quæ utraque maxime putantur augere fœcunditatem auium. Modus autem cibariorum ſit, ut dixi, uagis binorum cyathorum ordei, aliquid tamen admiſcendum erit cytiſi, uel iſ id non fuerit, uiciæ, aut milij, Columella. Sed quinam cibi ſimul & nutriant & fœcundas reddant, ſupra etiam hoc in capite dictum eſt, non procul initio. Ieiunis cytiſi folia, ſeminaq; maxime probantur, & ſunt huic generi gratiſsima: neq; eſt ulla regio, in qua non poſsit huius arbuſculæ copia eſſe uel maxima, Columella. Cytiſum in agro eſſe quàm plurimum refert, quòd gallinis & omni generi pecudum utiliſsimus eſt, quod ex eo cito pingueſcit, Idem. Ariſtomachus uiridẽ cytiſum gallinis dari iubet, aut ſi aruerit madefactum, Plin. Gallis cytiſi ſemen foliaq; (arida) perfuſa aqua, offerenda ſunt, quippe quæ non minus quàm uiridia eos nutriant, Florentinus. Cannabis ſemen in homine genituram extinguit, gallinis auget, nam quæ in hyeme hoc ſemine paſcuntur gallinæ oua pariunt, cæteræ non item, Amatus Luſitanus.

¶ Saginatio. Vides & hîc prope uillæ culinam quaſdam caueis incluſas. has uillica copioſiore cibo paſcit, ut quàm mox plenas factas, cariùs mercatori uendat. has farctas & altiles nuncupant, (Germani maſthennen,) Gyb. Longolius. Altiles dictæ quòd ſagina altæ & enutritæ ſint, Platina.

tina. Pascitur & dulci facilis gallina farina, Pascitur & tenebris. ingeniosa gula est, Martialis sub lemmate Gallina altilis. Interdictum est lege C. Fannij cõsulis, ne quid uolucrum poneretur, præter unam gallinam quæ non esset altilis, Plin. Capos & gallinas saginare liguritores ipsi inuenêre, quò unctius ac lautius deuorarent, Platina. Gallinas saginare Deliaci cœpere: unde pestis exorta, opimas aues & suopte corpore unctas deuorandi. Fœminæ quidem ad saginam non omnes eligun tur, nec nisi in ceruice pingui cute. Postea culinarum artes, ut clunes spectentur, ut diuidantur in tergora, ut à pede uno dilatatæ repositoria occupent. Dedêre & Parthi cocis suos mores, Plinius. Hyeme melius quàm æstate saginatio fiet, probabiliorq; erit fartura, Platina. Gallinæ & capi impinguantur citò, si cereuisia eis in potu apponatur pro aqua. Vide plura superius in Capo E. Pin-
10 guem quoq; facere gallinam, quamuis fartoris, non rustici sit officium, tamen quia non ægre contingit, præcipiendum putaui. Locus ad hanc rem desyderatur calidus maxime, & minimi luminis, in quo singulæ caueis angustioribus, uel sportis inclusæ pendeant aues, sed ita coarctatæ, ne uersari possint. Verum habeant ex utraq; parte foramina. Vnum, quo caput exeratur: alterum, quo cauda, clunesq;, ut & cibos capere possint, & eos digestos sic edere, ne stercore coinquinentur. Substernatur autem mundissima palea, uel molle fœnum, id est cordũ. Nam si durè cubant, non facile pinguescunt. Pluma omnis è capite, & sub alis atque clunibus detergetur. Illic ne pediculum creet, hic ne stercore loca naturalia exulceret. Cibus autem præbetur ordeacea farina, quæ cum est aqua conspersa & subacta, formantur offæ, quibus aues saginantur. Eæ tamen primis diebus dari parcius debent, dum plus concoquere cõsuescant. Nam cruditas uitanda est maximè, tantumq; præbendum,
20 quantũ digerere possint, nec; ante recens admouẽda est, quàm tentato gutture apparuerit nihil ueteris escæ remansisse. Cum deinde satiata est auis, paululũ deposita cauea dimittitur, sed ita ne uagetur: sed potius, siquid est, quod eam stimulet aut mordeat, rostro persequatur. Hæc enim ferè communis est cura farcientium. Nam illi, qui uolunt nõ solum opimas, sed etiam teneras aueis efficere, mulsa recente aqua prædicti generis farinam conspergunt, & ita farciunt. nonnulli tribus aquæ partibus unam boni uini miscent, madefactoq; triticeo pane obesant auem, quæ prima luna (quoniam id quoq; custodiendũ est) saginari cœpta, uigesima pergliscit, Columella. Gallinæ saginantur maxime uillaticæ. Eas includunt in locum tepidum, & angustum, & tenebrosum, quòd motus earum, & lux pinguitudini inimica, electis ad hanc rem maximis gallinis, nec continuo his, quas Melicas appellant, cum Medicas deberent, Varro. Antiquissimum est maximã quanq; auem lautioribus
30 epulis destinare. Sic enim digna merces sequitur operam & impensam, Columella. Amplas omnes è uillaticis, euulsis (pennis extremis, Florentinus) ex alis pinnis, & cauda, farciunt turundis hordeaceis partim admistis ex farina loliacea, aut semine lini ex aqua dulci. (Alij tritici pollinẽ miscent. Sunt qui his omnibus infundant uinum, Florentinus.) Bis die cibum dant, obseruantes ex quibusdam signis, ut prior sit concoctus, quàm secundum dent. Dato cibo, tum perpurgant caput, ne quos habeant pedes, & rursus eas concludunt. Hoc faciunt usq; ad dies uiginti quinque. Tum denicq; pingues fiunt. Quidam ex triticeo pane intrito in aquam, misto uino bono & odorato farciunt, ita ut diebus uiginti pingues reddant ac teneras. Si in farciendo nimio cibo fastidiunt, remittendum in datione pro portione, sic ut decem primis processit, in posterioribus ut diminuat eadem ratione, ut uigesimus dies & primus sit par, Varro. Si fastidiẽt cibum, totidem diebus minuere oportebit,
40 quot iam farturæ processerint: ita tamen, ne tempus omne opimandi quintam & uigesimam lunam superueniat, Columella. Cæterum maior pars milio alunt gallinas, Florentinus. Gallinas & aneres sic farcito: Gallinas teneras, quæ primum parierint, cõcludas, polline, uel farina ordeacea conspersa, turundas facias: eas in aquã intinguat, & in os indat: paulatim quotidie addat, & ex gula consyderet, quod satis siet. Bis in die farciat, & meridie bibere dato, nec plus aquam ante (in uase appositam) sinas quàm horam j. Eodem modo anserem alito, nisi prius dato bibere bis in die, & bis escam, Cato.

¶ Febrientibus magis conueniunt gallinæ castratæ, quanquam ueteres castrationis earum non meminerunt. ego castratas domi alo, quarum caro albior, melior & friabilior est. Facile & citò coquuntur, & teneræ fiunt & gratæ palato, Mich. Sauonarola.

50 ¶ Si cibus deesse sentiatur apibus, ad fores earum posuisse cõueniet crudas gallinarum carnes, & uuas passas, &c. Plinius.

¶ Albuminis usus. Aurum marmori & ijs quæ candefieri non possunt, oui candido illinitur, Plinius. Candidum ex ouis admixtum calci uiuæ glutinat uitri fragmenta. uis uerò tanta est, ut lignum perfusum ouo non ardeat, ac ne uestis quidem contacta aduratur, Plin. Aurum ouatum ex Grammaticis quidam dictum uolũt, quoniam oui albo antea illito, æra ac marmora auri & argenti laminis decorarentur. Papauer candidũ panis rustici crustæ inspergitur affuso ouo inhærens, &c. Plinius. Pharmacopolæ ut serapia & alias potiones clariores reddant, oui albumine, aliquando etiam testis pariter uruntur, decocto interim agitando inijcientes. Oui albumen ex aqua frigida scopulis agita, donec in spumam abeat, quam particulatim syrupo, uel alteri decocto feruenti insper-
60 gas: & ubi nigruerit, cochleari foraminulento deradas, nouam inspergas: id fac donec erit syrupus clarior. Alij ubi ex bullis clarius decoctum ui ignis factum animaduertunt in id tepidum (nam calidius decoctum albumẽ coqueret, in frigidiore minus prompte & parcior spuma elicitur) albumina

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 474 sur 825

ſingulis libris ſingula, ſed etiam pluribus pauciora inijciunt, ſcopulis agitant, ut ſpumeſcat, ſaccharum in particulas confractum conijciunt, recoquunt: ubi ſpuma ſubſedit, igni aufertur, calidum, ſi craſſum eſt & uix colatur. ſi facile colatur, ſed turbidum, tepidum uel frigidum colatur, per manicam Hippocratis, melius autem per pannum clauis quatuor, angulis quatuor firmatum. Colatur autem ter quater ſi non ſatis claruerit: ſi ne ſic quidem albumen ſeparatim in aqua agitatum, ſcopulis inſpergitur decocto igni reddito, ſpuma illa uſta, alia inijcitur, idq; toties donec bullæ clarum ſatis produnt. tunc colatur quoties eſt neceſſe, Iac. Syluius. Surrentina uafer qui miſcet fæce Falerna Vina, columbino limum (id eſt fæcem) bene colligit ouo, Quatenus ima petit uoluens aliena uitellus, Horatius Serm. 2. 4. Vinum ut pellucidum confeſtim fiat: Alba ouorum conijce in uas quotquot ſuffecerint, & uinum quoad ſpumat concutiatur, cum uino & modicum ſalis albi tenuis, & fit album, &c. Nic. Myrepſus. Quoniam uitellus oui naturam habet cognatam cum fæce uini & albugo cum uino: ideo fit quòd cum oua immittuntur uino (turbato per æſtatem propter calorem auſtrinum) cum harena & calce clarificatur uinum. nam harena & calx perforant (penetrant) uini ſubſtantiam, & uitellus attrahit fæcem, Albertus in Ariſtot. de generat. anim. 3. 2.

¶ Vitelli uſus. Cum aqua decoquitur in ſalem, non conſtat ſal, qui terreſtris eſt naturæ, niſi per oua uel ſanguinem. quia ſanguis, & uitellus in ouis, eiuſdem ſunt naturæ, Albertus. De uſu uitelli ad uinum fęculentum purificandum, iam proximè dictum eſt. quoniam idem ferè albuminis etiam ad claritatem medicatis potionibus cõciliandam uſus eſſe uidetur. Vitellus oui in plenilunio excluſi, ſordes panni abſtergit. ſi uerò alio tempore excluſum ſit, id efficere non poteſt. huius cauſam dicunt quidam eſſe, quia media ſaginata (ſic habet codex impreſſus. forte ſanguinea) gutta in uitello, prima quidem generatione exiſtens, calorem penetrantem & diuidentem maculas ex multo lumine lunæ humidum mouente tunc concipit, quod alio tempore facere nequit, Albertus.

¶ Gallinarum pennæ culcitris imponuntur, Creſcentienſis.

¶ Maio mẽſe caſeum coagulabimus ſyncero lacte, coagulis uel agni, uel hœdi, uel pellicula quæ ſolet pullorum (gallinaceorum ſcilicet) uentribus adhærere, Palladius.

¶ Cauendum eſt ne ad præſepia boum gallina perrepat. nam hoc quod decidit immiſtum pabulo bubus affert necem, Columella.

¶ Auienus Arati interpres Latinus inter pluuiæ ſigna ponit, pectora cum curuo purgat gallinula roſtro. Gallinæ ſi ultra ſolitum ſe concutiant in arena: uel ſegregentur plures earum in uno loco ſimul, & in pluuiæ principio quærant locum opertum ubi à pluuia protegantur, ſignum eſt magnæ futuræ pluuiæ, Gratarolus.

F.

DE OVORVM APPARATV AD CIBVM, ET SALVBRItate, Tractatio ſeptem partium.

Pars 1. De ouorum diuerſis nominibus ſecundum coctura differentiam.
2 De ouorum ſalubritate ſimpliciter.
3 De eadem pro diuerſa coctura ratione.
4 Electio ad cibum.
5 De uitello & albumine ſeorſim quod ad ſalubritatem, &c.
6 Apparatus diuerſi.
7 Primó ne an ultimo loco menſæ ſumenda.

De ipſius gallinæ in cibo uſu, ſatis dictum eſt ſupra in Gallo F. hîc de ouis tantum agemus, quæ etſi ex alijs etiã nonnullis auibus in cibum ueniant, de gallinaceis tamen maximè & præcipuè quæcunq; hic adferemus accipi debent. ¶ Febrientibus magis conueniunt gallinæ caſtratæ, Sauonarola.

¶ Oua diuerſis modis coqui & ad cibum parari ſolent, aut ſimpliciter: aut cum alijs miſta, ſiue præcipuo ipſa loco, ſiue condimenti duntaxat. Par eſt autem ut de ijs quæ parantur ſimpliciter primò dicatur. Coquuntur autem hæc uel in aqua, uel ſub cineribus calidis, uel in ſartagine. Et quanquam quouis horum modo magis minúsue liquida & dura fiant pro coctionis modo, de ijs tamen ſ quæ in aqua elixantur maximè ſentiũt authores cum ſorbilia, mollia duráue aut ſimilibus ouа nominibus appellant. licebit autem horum proportione comparationeq; de ijs etiam quę alio coquendi modo magis minúsue cocta fuerint, quid ſentiendum ſit iudicare.

¶ Pars 1. De ouorum diuerſis nominibus ſecundum coctura differentiam. Sorbilia, Græcè ζωρητά, oua dicuntur, quæ dum coquuntur excalfiunt (incaleſcunt) tãtum, Galenus lib. 3. de alimentorum facult. Et in libro de alimentis boni & mali ſucci, ſorbilia prodeſſe ſcribit gutturi exaſperato, ſi modus in coctione adhibeatur, ita ut liquidum (albumen) adhuc coactumq; non ſit. Brauſauolus etiã ſorbilia interpretatur, quæ uix denſari cœpere coctura. his (inquit) nõ utimur, niſi cum oua ſunt recentiſſima, ut naturalem gallinæ calorem adhuc ſeruent. Tragus hæc Germanicè interpretatur gantz lauter geſotten oder gebraten. Sed elixa in aqua apud authores ſorbilia uocantur, potius quàm aliter parata. uidenturq; etiam ea potius intelligi quæ è teſtis ſuis ſorbentur, non autem è teſtis euacuata. etſi quod conſiſtentiæ modum attinet idem ferè in utriſq; forſan obſeruari poſſet.

¶ Oua

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 475 sur 825

¶ Oua quæ coquuntur in aqua, quandoq; absq; testa, quandoq; cum testa imponuntur, & ἐξάφθα à Græcis dicuntur, Brasauolus in Aphorismos. Hermolaus in Corollario exapheta eadem facit quæ pnicta. Ego apud Græcos scriptores ueteres reperiri hoc nomen non puto, Lexicorum quidem scriptores qui uocabula uel Græcè uel Latinè exposuerunt, non ponunt. Videntur autē mihi ἐξαφθὰ (syll. ultima acuta) oua appellari, quæ è testis suis effusa coquuntur integra, siue in aquam calidam, ut sorbilia uel mollia coquenda, siue aliter ut pnicta, ut quidam putant. Nam si non integra, sed fracta mistaq; liquoribus addendis coquuntur pnicta, (ut mihi quidem uidetur, & explicabo inferius,) non putarim exapheta uocanda. Quod ad uocabuli originem certi nihil habeo. His scriptis locum Symeonis Sethi inueni, quem aliis errandi occasionem dedisse uideo, sunt autem uerba hæc, Ἐξαινῦνται δὲ τὰ πνικτὰ, ὥσπερ γε καὶ τὰ ὀνομαζόμενα ἐξεφθὰ (Gyraldus legit ἐξεφθὰ, quasi ἔξω τοῦ ἑψεῖν ἐψόμενα insinuans, sed hoc nomen apud alios authores non extat, malim ego ἐξαφθὰ legere, hoc est emissa & effusa, à uerbo ἀφίημι, talia autem uocabula non usitata ueteribus Græcis, nec analogicè composita non pauca recentiores habent à uulgo sumpta,) τὰ ὡς ἁρμῷ ὕδατος σκυλαζόμενα, hoc est, laudantur quæ pnicta dicuntur, & exapheta, quæ in aqua calida coquuntur. quòd autem intelligat de ijs quæ in aquam calidam è testa sua effunduntur, uel hinc patet, quoniam de alijs iam supra egerat, & quòd hæc oua ab alijs etiam, præcipuè Arabibus, quos Symeon in multis sequi solet, probantur: & quod Galenus quòq; eorum meminit post pnicta, periphrasticè nominans τὰ ὡς ἐπὶ χεόμενα ἄνωθεν ταῖς λοπάσιν, hoc est patellis (calidā scilicet continentibus) infundi solita. infundi autem nisi fracta testa non possunt. Symeon autem cum cætera ex Galeno (lib. 3. de alim. cap. de ouis) mutuatus sit, hanc etiā partem non omissam ab eo esse credendum est. Nostri hæc uocant **in wasser gefelt/ in wasser geschlagen**: & uel per se edenda, ægris præsertim afferre solent, uel cōctis panis segmentis imposita. in his parandis (inquit Galenus) similiter ut in pnictis curandum est, ne supra mediocrem consistentiam incrassentur: sed cum adhuc succum suum retinent, uas ab igne submouendum. Symeon Sethi etiam ὠγκόλικα oua nominat, quam uocem Gyraldus interpres relinquit. ea forte fuerint quæ nō ut exapheta extra testam effusa coquuntur, sed in ipsa testa, siue parū siue multum coquantur. Græcus quidem Symeonis textus corruptus uidetur: nam post nominata simpliciter sorbilia, mollia, & dura, mox subijcitur: καὶ κοινῶς δὲ τούτων τὰ ὠγκόλικα, nulla idonea constructione. Græci quidem hodie uulgò oua uocant ὠγαὶ, culica testas intelligo. nam & culleolam & guliocam (ut Calepinus scribit) nucis iuglandis summum & uiride putamē dici inuenio. ¶ Ad mediocrem usq; consistentiam cocta τρομικτὰ, id est tremula nuncupantur, Galenus & Symeon Sethi. Quod Dioscorides ἁπαλὸν, id est tenerum ouū dixit, nos ex Celso molle uertimus, Marcellus Vergilius. Τρομικτὰ, tremula interpretantur nonnulli, ut sint eadem cum ijs quæ liquida seu mollia, uel hapalà etiam dicuntur. quanquam hoc nomine dicuntur Neapolitanis, quæ sine testa enascuntur, Cælius. Tenerum, siue liquidum, siue (ut Cornelius) molle, ἁπαλὸν Græci uocant, quod recentiores elixum & semicoctum interpretantur, Hermolaus. Et rursus, Sunt & quæ τρομικτὰ, hoc est tremula dicantur. sed hæc alij aliter cognominant. & quantum conijcio, tenera & tremula sunt eadem. Ego liquida, non ut Cælius & Hermolaus tremula aut mollia dixerim, sed potius sorbilia, quæ cum tota adhuc liquida sint, tota etiam exorberi possint. mollibus panis intingi solet, dura manduntur dentibus. Sorbile, ῥοφητὸν, ouum uocat Dioscor. quod in coctura concepto tantum calore uix denari incœperit, & liquidum adhuc caleat potius quàm coctū sit. Tenerum deinde siue molle, quod ulteriore coctura, densatum quidem, non tamen duratū penitus fuerit, Marcellus Vergilius. Hapalà, id est tenella uel liquida dicuntur oua cocta, ut albumen in coagulati lactis speciem ueniat, recentes semicocta interpretantur & elixa, sed an bene, iudicium ferre nolo. sunt autem fortè illa quæ à Celso capite secundo lib. 2. mollia dicuntur. Quod si adhuc magis coquātur, ut ad mediocrem usq; consistentiam ueniant, & ita fiant, ut cum è putamine educuntur, tremere uideantur, τρομικτὰ, id est tremula dicuntur. Sunt qui uelint hæc illa esse quæ Celsus mollia uocauit. Sed & tremula, & mollia & sorbilia, ac si idem sint accipimus, nec ullam differentiam quæ digna notatu sit, facimus. quamuis Galenus sentiat tremula omnium optimè nutrire: sorbilia minus, sed expeditius descendere, Brasauolus. Tragus oua mollia uel tremula, interpretatur Germanicè **totterweiche eyer**. ¶ Ἑφθὰ & ἐψηθέντα absolutè Galeno & Symeoni Sethi dicuntur, non simpliciter elixa, sed ad duritatē aliquam. Ouum σκληρὸν, hoc est durum, quod ita sit coctum ut indurescat, uidetur autem idem ἑφθὸν, Hermolaus. Ἑφθὰ uocant perfectè cocta, quæ uulgò oua apta ut ex pane comedantur, nuncupamus. at si adhuc magis coquantur, dura (σκληρὰ) fiunt. Galenus tamen hephthà & dura pro ijsdem sumere uidetur, Brasauolus. Durum siue igne duratum ouum, quod extrema coctura ad eam duritiem peruenerit, ut commāducari & teri dentibus opus sit, Marcellus Vergilius. Nostri huiusmodi oua testis suis exuunt, & in partes aliquot secant, ut alternis uitelli ac albuminis segmentis lances acetariorum coronent. Easdem etiam partes, seorsim utrasq;, minutim dissectas, duobus in lance interuallis distinguunt, & tertiū addunt de carne infumata rubente, donec alternis lanx repleatur, quam sacro die paschali qui ecclesiæ Romanæ ritus sequuntur, in templum sacerdoti consecrandum afferunt. ¶ Assa uel tosta, ὀπτὰ ἢ ὀπτηθέντα, quæ in cineribus calidis coquuntur, uel assantur, Galeno & alijs. Tostum ouum dissilit facile, non dissilit aqua concoctum, (ut in C. explicatum est.) quamobrem perfundi prius frigida solēt oua, Cælius. ¶ De Græco penu est Babylonios uenatibus assue-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 476 sur 825

tos, ubi in ſolitudine deprehenderentur, nec cibaria percoquendi eſſet occaſio, cruda oua fundæ impoſita, uertigine aſsidua tandiu rotare conſueuiſſe, donec coquerentur, Cælius. ¶ Poſtremò τηγανιστὰ dicuntur oua in ſartagine ſpiſſata, oleo ſcilicet uel butyro fricta. nam teganon Græcis patellam uel ſartaginem ſignificat. noſtri uulgò oua in butyro nominant, **eyer in ancken**. His ueſci quidam ſolent, præcipuè in ientaculo, ebrioſi etiam aliqui in comeſſatione, Tragus. Alhagie ex uitellis ouorum eſt cibus, factus in ſartagine ex ouis conquaſſatis, quem Veneti fritaleam appellant, Andreas Bellunenſis.

¶ Oua quæ pnicta, id eſt ſuffocata appellant, elixis (hephthis, id **eſt** duris) & aſsis ſunt meliora. parantur autem ad hunc modum, ubi ipſa oleo & garo & pauco uini cõſperſa fuerint, uas, quo continentur, cacabo aquam calidam habenti indũt, deinde ubi ipſum totum ſupernè obturarint, ignem ſubſtruunt, quoad oua mediocrem habeant conſiſtentiam. Quæ enim ſupra modum fiunt craſſa, elixis & aſsis fiunt ſimilia. quæ uerò ad mediocrem craſsitiem peruenerunt, & melius quàm duræ concoquuntur, & alimentum corpori dant præſtantius, Galenus lib. 3. de alim. facult. ut quidã tranſtulit. ſed uerbum Græcum ἀναδύσαντες, quo Galenus & Aegineta utuntur, non conſpergere, ſed ſubigere & permiſcere ſignificat: quod miror nec Hermolaum, nec alios (quod ſciam) præter Cornarium animaduertiſſe. is enim in annotationibus ſuis in Galeni libros de compoſ. medic. ſec. locos, hæc Aeginetæ uerba ſuper his ouis, Ἀναδύθέντα ὠμὰ μετὰ γάρου καὶ ὄινου καὶ ἐλαίου, καὶ ὧν διπλώματι συμμέτρως πεπυρωμένα: ſic uertit, Cruda cum garo uinoq; ac oleo ſubacta, (Albanus irrigata uertit, & diplomata ineptè uaſa ænea teſtaceáue) in duplici uaſe coquuntur donec mediocriter cõdenſentur. Galenus lib. 11. de ſimplic. medic. de ouis agens, utiliter ouum crudum ambuſtis imponi ſcribit, ſiue albumen tantum imponas lana molli exceptum: ſiue ouum totum unà cum uitello conquaſſatum, ἀναδύσας. Ἀναδύειν, φυρᾶν, μαλάττειν, Heſychius. Δύειν, βρέχειν, Varinus: id eſt irrigare, madefacere. Videtur autem uerbum compoſitum ἀναδύειν, permixtionem quæ per totum fiat, præſertim in humido uel liquido, (quaſi ἄνω καὶ κάτω καὶ ὅλως πάντες γιγνομένου) ſignificare. hanc enim uim præpoſitio ἀνὰ in compoſitione quandoq; habet, ut in uerbis ἀναφυρᾶν, ἀναμιγνύναι, ἀνακινεῖν, ἀναβολᾶν. nam & extra compoſitionem ultro citroq; ſignificat, ut ἀνὰ πόπον, ἀνὰ σφαῖραν. itaq; oua cum oleo & uino ἀναδεδυμένα, permixta & agitata uertere licebit: ita ut tale ferè hoc ferculum fuiſſe uideatur, (ſed dẽſius tamen) quale apud nos ius eſt cui uulgò à uino calido nomen. neq; enim oua integra permanent, ſed franguntur agitanturq;. Hermolaus primum non rectè exapheta & pnicta confundit. deinde pnicta interpretatur, quæ in aquam calidam mittuntur immerguntur q; cum garo, &c. hoc quoque perperam, ut ex Galeni & Aeginetæ uerbis iam recitatis facile percipitur. Pnicta Galenus uocat quòd præfocari uideantur dum certo genere coquuntur, &c. Cælius: qui nec ipſe uerbi ἀναδύειν uim animaduertit. Pnictòn uocant etiam quoddam obſonandæ carnis genus, quod equidem reor haud multum diſtare ab eo quod anábraſton appellant, Hermolaus. Nos huiuſmodi genus coctu ræ appellamus **verdempffen**, quoniã uaſe operto & incluſo intus uapore ueluti ſuffocari uideatur quod intus coquitur. unde etiã oua pnicta non ineptè puto Germanicè dixeris **verdempffte eyer**. Ad oua pnicta coquenda Galenus oleo utitur, nos butyro, Braſsauolus. Suſpicor autẽ edulium non aliud ab ipſo intelligi, quàm in quo oua integra relinquantur. audio enim in Italia oua parari, ita ut eis in uas purum (ſtanneum plerunq;) euacuatis, ſuperinfundatur parum aceti, uini, & olei aut butyri, ut oua integantur. coquunt autem donec album denſari ſupra uitellos & albeſcere cœperit. Sed hæc pnicta Græcorum non eſſe ex prædictis patet.

¶ Pars II. De ouorum ſalubritate ſimpliciter. Cibos quot modis iuuent oua, notũ eſt. Nullus eſt alius cibus qui in ægritudine alat neq; oneret, ſimulq; uim potus (quidã legunt uini uſum) & cibi habeat, Plin. Recentia alimẽtum ſunt ſanguini proximum, R. Moſes. Temperamentum oui (Galenus hoc non de ouo, ſed de albumine ſcribit. albumen quidem mole ſua uitellum in ouo ſuperat, ut totum ouũ corporis temperati reſpectu frigidius exiſtimari poſsit, etſi Aggregator abſolutè calidum faciat) frigidius eſt corpore temperato. refrigerat enim temperatè, & ſine morſu deſiccat, Serapio. Temperata ſunt oua: ſed albumen ad frigiditatem declinat, uitellus ad caliditatem. utraq; humida ſunt, præcipuè tamen albumen, Auicenna. ¶ Oua, ut author eſt Galenus, alimentum humens conferunt. In libro de ptiſana. Multum nutriunt, Methodi 8. Victum plenum faciunt, In Aphoriſmos. Velociter nutriunt propter ſuæ ſubſtantiæ ſubtilitatem. Oua cum materia & nutrimentum omnium auium exiſtant, neceſſe eſt ut ualidiſsimi & multi ſint nutrimenti. totum enim aſsimilatur ſanguini, &c. Iſaac. Aliquando uim carnis retinent, ut ſcribit Raſis. Nutriunt ſecundum omnes ſui partes, præſertim uitellos, ita ut ex eis nulla ferè pars excrementitia ſit, Nic. Maſſa. Oua, præſertim uitelli, ualde corroborant cor. ſunt enim naturæ temperatæ, & citò in ſanguinem uertuntur, & parum ſuperflui relinquunt: & ſanguinem generant ſubtilem & clarum: hoc eſt conformem ſanguini quo nutritur cor, Auicenna in libro de medicinis cordialibus. commẽdat autem oua ex gallina, perdice, phaſiano, ſtarna. Oua temperata dicũtur, albumine ſcilicet & uitello ſimul ſumptis: quorum alioqui alterum per ſe ad calidum, alterũ ad frigidum inclinat, Nic. Maſſa. Oua humectant & hecticis conferunt, Ant. Gazius. Boni ſucci ſunt, De euporiſtis. Craſsi & boni ſucci, & humorum acrimoniam infrænant, De uictu in morbis acutis. Non dura bene parata & cocta, generant bonum humorem, medium inter craſſum & tenuẽ, De diſſolutione continui. Ab

aliquibus

aliquibus difficulter coquunt, Libro 1. de locis affectis. Ab ouorum usu multo seni cauendum, Libro 5. de sanit. tuenda. Languentibus dari consueuerunt, De uictu in morb. ac. In febri cum syncope ex tenuibus succis Galenus oua (ouorum uitellos) dedit ante quartum diem, & post oua etiam carnem, Methodi. 12. Purgatis tutò exhibētur, In præsagio experim. confirm. Hęc omnia Galenus. ¶ Cibi qui uiscosum aliquid habent, ut oua, acrocolia, cochleæ, edacitatem prohibent, (πόλλ' ἐγκαθίζει τοῖς πολλὰ βρῶσιν,) quòd diutius in uentriculo immorentur, & inhærendo humores (alimentum, chylum) secum detineant, Athenæus. Sunt bona, sed facile & subito tamen oua putrescunt, Sic nihil ex omni parte iuuare potest, Bapt. Fiera. De ouorum usu in tenui uictu & quòd aliquando prohibeantur non quia calidiora sint, sed quia plenius nutriant, pulchrè disserit Aloisius Mundella dialogo secundo Medicinalium.

¶ Pars III. De ouorum salubritate pro diuersa coctura ratione. Coctura ouorum quæ in aqua fit, melior est cæteris: & quæ in calidis cineribus, melior quàm quæ in sartagine, nempe si eiusdem generis semper inter se conferas, dura duris, mollia mollibus. nam mollia in cineribus, duris in aqua coctis præferre oportet, Brasauolus. Ouum molliculum plus alit sorbili, & durū plus molli, Dioscor. Quantum sanè ouo coctura accesserit, tanto προσμιώτερον fiet, hoc est tantum in nutriendo uirium illi accrescet, Marcellus Vergilius. ¶ Ouum sorbile cibus est leuissimus, Galenus de dynamidijs. Boni succi est, non calefacit, uires potest reficere aceruatim, antiquitus sumebatur cum garo, lenit gutturis asperitates, Galenus in libris de compos. sec. locos. & alibi. Ouum sorbile boni succi est, pituitam crassiorem facit, imbecillissimæ materiæ est (id est minimum alit. ut durum ualentissimæ) ouum molle uel sorbile: eadē minimè inflāt, Celsus. Vt sapidiora sint & citius è uentriculo descendant, modicum quid salis addendum est, Nic. Massa. Multos uidi qui ex sorbilibus ouis molliorem uentrem habuēre: & nonnullos qui uno etiam exhausto, quinquies uel sexies deiecerent, Brasauolus. Oua mollia omnium præstantissima sunt ad nutriendum. sorbilia minus nutriunt, sed facilius subducūtur, & gutturis leniunt asperitates, Galenus & Symeon Sethi. Salubris est usus ouorum recentium fractorum (effusorum) in aquam (bullientem) & mollium, Elluchasem, Arnoldus de Villanoua, & Symeon Sethi. Oua elixa in aqua cum testis suis, peiora sunt quàm fracta in aqua. quia crassos & fumosos halitus testa cohibet. unde ex frequente eorum esu inflatio oritur, & stomachi uentrisq; grauatio, Isaac. Et rursus, Oua in aqua fracta meliora sunt elixis in testa. quia calor aquæ temperate penetrat, & crassas oui partes subtiliat, & grauitatem odoris aufert. Et alibi, Oua in aqua sine testa cocta, naturalem suam humiditatem seruant, & sui odoris grauitatem exuunt. Sed aliqui magis appetunt in testa sua cocta quàm effusa, ex quorum numero se etiam fuisse scribit Ant. Gazius. Vitanda sunt oua cocta in uentribus gallinarum, & inuoluta (nescio quid sibi uelit hæc uox) & frixa, Arnoldus de Villanoua. Crassi succi sunt oua, quæ uel elixa uel tosta, penitus densata sint. frixa etiam mali succi, fumosæq; in stomacho coctura sunt, secum etiam admistos cibos corrumpentis. quapropter inter deterrimas earum rerum habentur, quæ concoqui nequeunt. Mediocriter uerò cocta, quæ ideò tremula appellantur, ad concoctionem, digestionem, nutritionem, bonique succi generationem præstantiora, Galenus in libro de cibis boni & mali succi. Oua non obdurata multum alunt, Psellus. Molle ouum stomacho aptum est, Celsus. Oua dura (σφόδρα καὶ ὀπτά, id est dura tum elixa tum assa) & ad coquendū sunt difficilia, & tardi transitus, (descensus,) crassiusq; alimentum corpori tribuūt, Galenus & Symeon. Tardè & paulatim nutriunt, Galenus. Valentissimæ materiæ sunt, (id est plurimum alunt, si concoquantur,) Celsus. Crassum & uiscosum alimentum præbent, R. Moses. Oua obdurata, assa & frixa, difficulter concoquuntur, Psellus. Duris in aqua coctis peiora habentur quæ sub cineribus calidis induruerint. nam si quid habent humidi exiccatum est. & rursus his quoq; peiora, quæ in sartagine cocta induruēre, Brasauolus. Oua dura uel fastidium mouent, uel non citò descendunt, Elluchasem. Oua in aqua durata sunt fugienda in epilepsia, Galenus de puero epilept. Monachus quidam Franciscanus cum in festo paschatis collecta à se oua ad duritiem cocta, alba ac rubra (albumina & uitellos: solēt enim eo tempore incisæ minutatim utræq; hæ partes in patinis digeri) ad saturitatem edisset, astricto uentre ut neq; clysteribus neq; medicamentis cederet, obijt, Brasauolus. Duris in aqua coctis tardius permeant: & crassioris sunt succi quæ in calidis cineribus assantur, (nimium assantur, Symeon. ὑπερόπτηθέντα,) Galenus. Oua assata sub cinere, ab igne calorem suscipiunt, ut fumosum quoque & grauem odorem. itaq; magis siccant minusq; refrigerāt quàm elixa in aqua, Isaac. Oua cum duobus modis assentur, inter carbones & in cinere, Isaac ea quæ in cinere assantur deteriora esse scribit. quoniam cum calor foci circumeat ipsa, fumosos eorum halitus extre prohibet: quod super carbones non fit, Ant. Gazius. In sartagine uerò cocta, (spissata,) pessimum habent omnibus modis alimentum. nam interim dum concoquuntur in nidorem (ructus fumosos) uertuntur: & non modo crassum succū, sed etiam prauum gignunt atq; excrementitiū, Galenus & Sethi. Et alibi Galenus, Oua frixa tardè descendunt, mali succi sunt, & corrumpunt etiam secum admixtos cibos, & inter deterrima earum rerum habentur quæ concoqui nequeunt. Mox in nidorem & cholericos humores ac putredinem uertuntur. quare sunt causa fastidij & nauseæ, Isaac. ¶ Oua pnicta elixis (duris in aqua coctis) & assis sunt meliora, Galenus: ut supra recitatum est. Videntur quidem pnicta tanquam in diplomate cocta, cum sapidiora esse, idq; condimentorum quoque ratione, tum magis

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 478 sur 825

lenire ac mitigare, quàm quæ in uaſe ſtatim igni impoſito parantur, quæ facilius empyreuma alio quod trahunt.

¶ Pars IIII. De electione ouorum ad cibum. Oua gallinarum præ cæteris eligimus. non opus eſt autem aliorum quoq; ouorum facultates enumerare, quòd natura eorum cum gallinaceis conueniat, Serapio. Gallinarum ac phaſianorum oua præſtantiora ſunt, deteriora uerò anſerum ac ſtruthocamelorum, Galenus. Inter oua principatum tenent pauonina, deinde uulpanſeris, tertiò gallinarum, Epænetus & Heraclides Syracuſanus apud Athenæum. Secundum à gallinaceis locum merentur oua auium quæ curſu gallinæ procedunt, (quæ affinitatem cum gallinis habent,) ut ſunt altedarigi & alduragi, & alchabegi, & altheiugi, Auicenna. Gallinę & perdicis oua laudantur præ cæteris ceu magis temperata, deinde anatis, (fortè, anſeris,) quamuis malum reddant nutrimentum. Alia uerò oua, ut paruarum auium aut magnarum, comedenda non ſunt niſi medicinæ cauſa, Raſis. Oua gallinarum omnibus præferuntur, maximè ſi ex gallo conceperint, nam zephyria minus ſapiunt, Platina. Oua ſubuentanea minora ſunt, & minus iucundi ſaporis (utpote minus concocta) & magis humida quàm ea quæ fœcunda gignuntur, Ariſtot. & Plinius. Oua recentia ueteribus plurimum præſtant, quippe optima ſunt recentiſſima, uetuſtiſſima autem peſsima, quę uerò in horum medio ſunt, proportione receſſus ab extremis, bonitate aut prauitate inter ſe differunt, Galenus lib. 3. de alim. & alibi, & Serapio. Oua recentia, plena ſunt: uetuſtiora ut plurimum circa partem latiorem inania. Sunt quæ dum aperiuntur uel refringuntur, diffluant, uitello præſertim: quod ſignum eſt uetuſtatis. Quòd ſi uitellus ouo aperto integer manſerit, & in medio eius guttaru bicunda & ueluti ſanguinea apparuerit, (ex qua corda pullorum initio conſtituí ſolent,) ſignum eſt oua eſſe ad cibum adhuc laudabilia, Tragus. Sapidiora ſunt oua quæ ex gallinis pinguibus, non macilentis, ſunt nata: & ex depaſtis triticum, hordeum, milium, panicum, potius quàm herbas, Platina. Ex ouis recentibus ſi quæ in uitelli ſuperficie uenulas rubicundas habuerint, in cibo laudari audio. Oua oblonga à quibuſdam maſcula cenſeri, & ſalubriora ſapidioraq; rotundis, ab aliis uerò rotunda haberi maſcula, recitatum eſt ſupra in C. Arabes præferunt oblonga, parua, tenuia, ut Tragus citat. Idem oua recentia in pleniluniо excluſa, tanquam præſtantiora, cum ad cibum ceu durabiliora, tum ut gallinis ſupponantur, colligi iubet. De ouis præcipuè uitellus probatur Auicennæ, & oua ipſa potius ſimpliciter parata, quàm aliis admiſta, ut quidam citant. Magis nutriunt & ſubtiliora ſunt oua, quæ duos uitellos habent, Elluchaſem.

¶ Omnia oua, præcipuè paſſerum, Venerem promouent, Auicenna. Gallinæ & perdicis oua genituram augent, & ad coitum ſtimulant, Raſis. Bulbi, cochleæ, oua, & ſimilia, ſemen augere uidentur, non (tollenda uidetur negatio) eò quòd habeant naturæ ſuæ principium cognatum, (ὁμοιομερές,) & facultates eaſdem ſemini, Heraclides apud Athenęum. apud quem Alexis poeta quoq; oua inter cibos Venerem incitantes numerat. Oua promouent coitum, & maximè cum cepis & rapis, R. Moſes. ¶ Auicenna in libro de uiribus cordis, ouis quoq; cor roborandi potentiam adſcribit. Galenus quidem ouum ſorbile uires defectas aceruatim (ἀθρόως) reſtaurare ſcribit: & in febri cum ſyncope ex tenuibus ſuccis oua (ouorum uitellos) ante quartum diem exhibuit, Methodi 12. Vitella, maximè ſorbilia, cor fouent ac membra nutriunt, Platina.

¶ Pars V. De albuminis & uitelli facultatibus alimentarijs ſeorſim. Oua temperata ſunt: ſed albumen ad frigiditatem declinat, uitellus ad calidítatem: utrunq; humidum eſt, præcipuè albumen, Auicenna, & Iſaac. quanquam Galenus Oui crudi albumen (inquit) lana molli exceptum, uel totum ouum agitatum, utiliter imponitur ambuſtis, quæ moderatè refrigerat & ſine morſu ſiccat. Sed dici poteſt, oui tum album tum luteum, alimẽti quidem ratione corpora noſtra humectare: foris uerò applicatum nonnihil ſiccare. Ouorum album ægrè concoquitur, Galenus Methodi 12. Vitelli facilius coquuntur quàm albumina, Idem ad Glauconem lib. 1. Id cur fiat Aphrodiſienſis inquirit problematum 2. 84. Vitellus (inquit) calidus, albumen humidum & frigidum eſt. Et rurſus, Vitellus plus caloris quàm ſiccitatis habet. Dandi ſunt in ſyncope ex tenuibus humoribus, Galenus Methodi 12. quòd cum facillimè concoquantur, ſubitò & multum & probè alant, atq; ita uires reſtaurent. Albumen frigidum eſt & uiſcoſum, nec probum ſanguinem generat, & ægrè concoquitur: uitellus uerò temperatus eſt, & cæteris albuminis uitijs caret, ut medici quidam referunt. Deſ ouis ſufficit uitellum ſumpſiſſe ab autumni medio uſq; ad medium ueris: reliquo tempore albumen etiam cum uitello ſumere licebit, Arnoldus de Villanoua. Vitella, maximè recentia & ſorbilia, ex gallina, perdice, phaſiano, cor fouent ac membra nutriunt. in ſanguinem enim purum conuertuntur. quare qui inanitate laborant, hoc cibo, repurgato prius ſtomacho, quòd facillimè in alios humores conuertitur, crebrò in prima menſa utantur, Platina. Vitelli laudantur, maximè de gallinis iunioribus mares habentibus, Iſaac.

¶ Pars VI. Apparatus diuerſi ex ouis. De diuerſis ouorum coctu ris, in aqua, ſub cinere, in ſartagine, deq; ouis pnictis, abunde iam explicatum nobis eſt Parte prima huius capitis. Ouum cum melle, uel garo, uel ſale coctum, eſt compoſitum ex diuerſis facultat. Galenus de uictus rat. in morb. ac. Commentario 1. Candida ſi croceos circunfluit unda uitellos, Heſperius ſcombri temperet oua liquor, id eſt garum, Martialis. Ouis ſorbilibus aut mollibus condimenti gratia quidam inſpergunt cari ſemen, aliqui (pauci) aquilinæ ſeminà, alij ſcobem nucis myriſticæ. ſal quidem perpetuum eſt condimentum omniũ.

¶ Oua

¶ Oua frixa, cœnogarata, obelixa liquamine, &c. Apicius 7. 17. Humelbergius sic legit. Oua frixa cœnogaro (silicet affuso inferũtur.) Oua elixa, liquamine, oleo, mero: uel ex liquamine, pipere, lasere. In ouis hapalis, nucleos infusos: suffundes mel, acetum: liquamine temperabis. Oua hapala (inquit Humelbergius) uocat Apicius tenera & mollia, quæq; sine cortice & putamine cocta sunt in aqua: qualia & stomachum confortant, authore Scribonio Largo Compositione medicinali 104. Sed Scribonius loco iam citato simpliciter oua hapalà commendat, nec dicit ea sine putamine in aqua coqui: & Dioscorides hapalòn ouum molle appellat, hoc est medium inter sorbile & durum, ut ipse interpretatur: & nos supra quoq; ex aliorum sententia retulimus. Tyropatina: Accipies lac, aduersus quod patinam æstimabis: temperabis lac cum melle quasi ad lactantia, (id est lactaria, Humelbergius) oua quinq; ad sextarium mittis: sed ad heminam oua tria in lacte dissoluis, ita ut unum corpus facias: in cumana colas, & igni lento coques: cum duxerit ad se, piper aspergis & inferes. Oua sphongia ex lacte: Oua quatuor, lactis heminam, olei unciam, in se dissoluis, ita ut unum corpus facias. in patellam subtilem adijcies olei modicum, facies ut bulliat, & adijcies (oleo bullienti) impensam (mixtionem iam dictam ex ouis, lacte & oleo) quam parasti, una parte cum fuerit coctum, in disco uertes, melle perfundis: piper aspergis & inferes, Hæc omnia Apicius. Humelbergius oua sphongia interpretatur cibum qui ouorum formam præ se ferat, & spongiosum, id est ad modum spongiæ rarum, tenerum & inflatum. Nostri hoc uel simile edulium uocant ein bratne milch: Græcè Latineq; oogala dici potest, quanquã Cælius, Pultem (inquit) ex ouis & lacte concinnatam oogala dicunt medicæ rei studiosi. Laudatur hoc inter cibos dysentericorum ab Aetio, si bene memini. Oua decoquuntur etiam in aqua, uel iure carnis, integra, sine corticibus, quæ sapida & optima sunt, præsertim si cum saccharo & cinnamomo condiantur. Sunt & qui in sartagine primo modo pauxilla oua primum pertractata, in aqua simplici, iuncto pauxillo saccharo uel aqua rosacea percoquunt, quæ ego non uitupero. Fit etiam ex eis laudatissimum ferculum, si confusa in iure carnium comedantur, cum quibus conducit modicum aceti, uel succi uuę acerbæ ponere. Ego tamen in senibus & cõualescentibus uini aromatici aut Maluatici optimi portionem aliquam cum saccharo & cinnamomo libentissimè porrigo. Vtcunq; parentur, semper portiunculam salis addere oportet, cum sic facilius & digerantur, & à stomacho etiam descendant, Nic. Massa in epistolis.

¶ Ex Platina. Ouorum albore utimur in condituris quorundam eduliorum ac bellariorum. Iusculum croceum è uitellis ouorum cum agresta, iure uituli aut capi, pauco croci, &c. describitur à Platina 6. 44. Frictella quomodo fiat ex albamẽto ouorum, polline & caseo recenti, leges apud eundem lib. 9. cap. 3. ¶ Quæ sequuntur ab eodem authore omnia sunt, lib. 9. cap. 19. & deinceps prodita. De ouis agitatis & confractis: Oua cum modico aquæ & lactis bene agitata; & confracta aut tudicula aut cochlearí, caseo trito cõmiscebis. Mixta, ex butyro uel oleo coques. Suauiora erũt, si & parum cocta, & dum coquuntur, nunquam uoluta fuerint. Herbacei coloris si uoles, his betæ ac petroselini plusculum, succi bugłossi, menthæ, amaraci, saluiæ parũ addes. Aliter: Easdem herbas concisas, & frictas modicum in butyro aut oleo, superiori impensæ admiscebis, ac coques. Nutriunt hæc, tardè concoquuntur, hepar iuuant, obstructiones & calculum generant. Oua frictellata: In patellam feruentem oleo aut butyro, oua recẽtia & integra, abiecto putamine, indes: lentoq; igne decoques, oleo semper, præsertim cochlearí aut tudicula suffundendo. Vbi alba esse cœperint, cocta scito. Durioris concoctionis propter frictũram hæc putant medici. Oua elixa: In feruentem aquam oua recentia, abiecto folliculo indes. concreta ubi erunt, statim eximes. tenella esse debent, ac saccharo, aqua rosacea, aromatibus dulcibus, agresta aut succo malarancij suffundes. Sunt qui & tritum caseum inspergant: quod nec mihi nec Phosphoro placet, qui tali edulio persæpe uescimur. sine caseo enim optimum ac suauissimum est. Aliter: Oua in lacte aut in uino dulci coques, eo modo quo ante. Verum de caseo nulla fiat mentio. plus alit hoc: etsi ad phlegmonen sanguinem ducit. Oua fricta: Oua recentia diu coquẽdo dura facies. ablatis deinde putaminibus, oua ipsa ita per medium scindes, ut nullibi albamentum comminuatur. Exempta uitella, partim cum bono caseo tum ueteri tum recenti, & uua passa contundes, partim reseruabis ad pulmentum colorandum. Parum item petroselini, amaraci, menthæ minutatim concisæ, addes. Sunt qui & duos albores ouorum aut plures cum aromatibus indant. Hac impensa albamenta ouorum repleta & concluſa, lento igne in oleo friges. Frictis, moretum ex reliquis uitellis & uua passa simul tunsis, ac ex agresta & sapa dissolutis, addito gingibere, caryophyllo, cinnamo, infundes: efferueantq; paululum cum ipsis ouis, facies. Hoc plus mali in se habet quàm boni. Oua in craticula: Oua tunsa in patellam extendes & coques, donec concreta plicarí quadrifariam possint. Hæc in quadræ modum redacta, in craticulam ad focum positam extendes. Oua deinde recentia, ablatis putaminibus, huic indes: saccharumq; & cinnamum, dum coquitur, insperges. Cocta cõuiuis appones. Oua in ueru: Veru bene calefacto, oua per longum transfiges, & ad ignem, ac si caro esset, torrebis. Calida sunt edenda. Stolidum inuentum, & coquorum ineptiæ ac ludí. Aliter: Oua recentia in cinere calido diligenter ad ignem uolues, ut æqualiter coquantur. Exudare ubi cœperint, recentia & cocta putato, ac conuiuis apponito. Optima hęc sunt, & cuiuis apponi percommodè possunt. Aliter: Oua recentia in ollam cum recenti aqua impositа, ubi parum ebullierint eximito atq; edito. Optima enim sunt & bene alunt. Oua fricta Florentinorum more: In feruentem ex oleo patellam, oua recentia, ablatis putaminibus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 480 sur 825

ſingillatim indes, tudiculaq; aut cochleari circunquaq; reſtringes, in rotundum redigens. Colora-
tiora ubi eſſe cœperint, cocta ſcito, tenella intus ſint neceſſe eſt. Coqui difficilius hæc, quàm quæ ſua
prà, conſueuerunt. Aliter: Oua integra in carbones ardentes cõijcito, ac calida donec frangantur,
fuſte percutito. Cocta & exempta, petroſelino & aceto ſuffundito. Oua fricta: Caſeum pinguem
& tritum, parum menthæ ac petroſelini conciſi, uuæ paſſæ minimum, modicum piperis tunſi, duo
uitella ouorum cruda ſimul miſcebis, mixta, in oua more Florentino fricta, ubi inde per tenue fora-
men uitellum exemeris, indito: ac iterum frigito, donec farcimen coquatur. Conuoluenda ſæpius
ſunt, & cocta agreſta aut ſucco malarancij cũ gingiberi ſuffundenda ſunt. Oua in paſtilli morem:
Farinam ſubactam, tenuem admodum facies: extenſæ per tabulam, oua recentia diſtincta ſpatijs
addes, inſpergendo ſemper unicuiq; parum ſacchari, aromatum, minimum ſalis. Inuoluta deinde, 10
ut paſtillos ſolemus, aut elixabis aut friges. fricta tamen laudabiliora ſunt. Dura fiant caueto. Huc-
uſq; Platina. Idem cap. 29. ſeptimi libri iuſculum uerzuſum deſcribit: quod recipit ouorũ uitella
quatuor, ſacchari unc. quatuor, ſucci mali arancij tantundem, ſemunciam cinnami, aquæ roſaceæ
unc. duas. Iubet autem eo modo coqui, quo iuſculum croceũ coquitur: & quo magis placeat, etiam
crocum addere. Hoc genus cibarij (inquit) æſtate præcipuè ſalubre habetur, multum enim ac bene
alit, parum refrigerat, & bilem reprimit.

¶ Germani **Kroßeyer** uocant oua cum putamine ſuo in cinere aſſa, uel in butyro frixa, quibus
in mucrone apertis aliquid ſalis & aromatum, ut cinnamomi, macis, & nucis myriſticæ inijcitur, &
omnibus intus ligello inſerto diligenter permixtis, foramen iterum clauditur cruſtula teſtæ cum al-
bumine appoſita, ut in Magirico quodã libro Germanicè ſcripto reperimus. Ex quo etiam ſequen- 20
tem apparatum tranſcribere uolui. Oua farcta: (author anonymus globoſa uocat, **Kugelecht eyer**:)
Vitellos ouorum agita & miſce cum pane de ſimila friato, nuce moſchata & ſale. hac impenſa teſtas
ouorum reple per foramen, quod cruſtula teſtæ albumine illita rurſus claudes. & oua coques pro
libito, elixabis, aſſabis, aut friges in butyro. Placentam quæ ex ouis fit nos fricatã uocamus, quæ
& tardi & nidoroſi nutrimenti cauſa eſt, Braſauolus. Mutagenat, id eſt cibus qui fit in aliquo uaſe
cum lacte ſeminum communium & iure gallinæ & uitellis ouorum cum ſaccharo & miſcella aro-
matica è cinamomo, ſpica, cubebis, calamo aromatico & cari ſemine. coquitur autem in igne & ap-
poſita ſuper uas teſta calida, Syluaticus. Farinam quidam ex ouis aut lacte ſubigunt, Plinius. Idem
mulieres noſtræ faciunt, & phyramata ſic ſubacta cylindro extendunt in tabula, ſubſtrata inſperſaq;
farina, in faſcias oblongas, quas deinde per partes quadratas diuidũt, quantas capere ſartago poteſt, 30
in qua oleo aut butyro frigi debent **eyerkůzle/ milchkůzle**. Sed alia quoq; innumera panum, placen-
tarum, laganorum, eduliorumq; diuerſorum genera ex ouis, aut eis admixtis, fiunt, uulgò cognita,
(**pfannenkůchen/ verbrůtne kůchle/ eyermůſer/ jiiſſel/ eyerziger/ gebratne milch**, &c.) quæ omnia
perſequi infinitum foret. Sat fuerit ea quæ authores de his tradiderunt colligiſſe.

¶ Pars VII. Ordo ouorum in cibo. Oua bina menſæ inferri ſecundæ apud priores ſolita ſcri
bit Athenæus, cum turdis, &c. Apud Romanos cœnæ initia habebant oua, atteſtante Porphyrio
quoq;. Vnde Horatius, Ab ouo uſq; ad mala citaret, Sermonum I. Integram famem ad ouum affe
ro: itaq; uſq; ad aſſum uitulinum (aliàs uitellinum) opera iſta perducitur, Cicero in epiſt. ad Pætum.
Vbi integram famem ad ouum afferre (inquit Cælius) non aliud eſſe uidetur quàm ad ſecundam
uſq; menſam cibi appetentiam producere. Quòd ſi ſanitatis rationem ſpectes, oua quoquo modo 40
parata tum à ſanis tum ab ægris priore loco ſumenda uidentur. à ſanis, quoniam facilius, ſorbilia
præſertim & mollia, concoquuntur. liquidiora enim & faciliora concoctu, quęq; facile corrumpun
tur, priore ſumi loco debent. à duris quidem ſanos pariter & ægros, & hos multò magis abſtinere
prorſus conuenit, niſi cum aluus ſolutior eſt, quam ſi durius coctis ouis coercere libuerit, ea quoq;
ante alios cibos eſitari conuenit: ut contrà etiam ſi mollire aluum ſorbilius exhauriendis ſtatueris,
id quoq; initio menſæ faciendum.

G.

DE REMEDIIS EX OVIS, PARTES.

Pars I. De remedijs ex ouis integris in genere primum, deinde particulatim.
II. De oleo ouorum. Et remedium ex putidis. 50
III. Remedia ex ſorbilibus.
IIII. E crudis.
V. E duris, & uſtis.
VI. Cum aceto.
VII. Cum alijs diuerſis admixtis.
VIII. De remedijs albuminis.
IX. De remedijs uitelli.
X. De pellicula interiore, & pullis ouorum, id eſt, nondum excluſis.
XI. De teſtis ouorum.

¶ Pars I. De remedijs ex ouis totis, in genere. Anſerina & pauonina oua idem quod galli-
nacea præſtant, Kiranides. Ouum gallinaceum maximè nobis in uſu eſt, utpote facillimum para-
tu, quare non indigemus alijs, licet eadem facultate præditis. eſt autem temperamento frigidius
ſymmetris, Galenus de ſimplic. II. Poſſet tamen aliquis hæc omnia ad album duntaxat oui liquo-
rem referre, cum & ante & poſt hæc uerba de eo ipſo Galenus agat. ſed ipſum quoq; integrũ ouum 60
aliqui ad frigiditatem uergere ſentiunt, eò quòd albuminis in eo quàm uitelli copia maior ſit. Et ipſe
Galenus mox in eodem capite, Oui (inquit) uel albumen, uel id unà cum uitello impoſitum ambu-
ſtis, me-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 481 sur 825

ſtis, mediocriter refrigerat. Dictum eſt ſæpe pharmaca illa quę uim eximiam nullam obtinent, ue hementioribus materiæ inſtar admiſceri, unde fit ut polychreſta, hoc eſt multiplici uſu celebria habeantur, & potentioribus (diuerſis) inſeruiant. Huiuſmodi etiã ouum eſt, quod diuerſo inſuper elixationis aut aſſationis accedente modo, magis etiam uariũ de ſe præbet uſum. nam ſiccantibus humores pharmacis, elixando duratum, uel aſſatum uel frixum miſcetur: iis uerò quæ contentos in thorace & pulmone humores incidunt, ſorbile, hoc eſt leuiter elixum aqua dum incaleſcat tantum, Galenus. Idem in libro de boni & mali ſucci cibis, ouorum uires prope ad alicam accedere ſcribit.

¶ De iiſdem particulatim. Oua medentur apoſtematibus circa anum & pectinem: & ſupponitur licinium infuſum in eis & in oleo roſarum, propter abſceſſus ani & percuſsionem eius, Auicenna. Et rurſus, Emplaſtris apoſtemata prohibentibus miſcentur oua: item clyſteribus propter ulcera & apoſtemata: & eryſipelata eiſdem utiliter illinuntur cum oleo. Oua confracta contuſa (illita) ſuper tumores apoſtematum, prohibẽt ea augeri, & oleum roſarum cum eis mixtum, Petrus Aponenſis in Problemata Ariſt. Cur pelles recenter detractæ, maximeq; arietum, uerberum uulneribus & uibicibus admotæ, & oua ſuper cõfracta (ὠὰ κατεγνυμένα) prohibent ulcera, ne conſiſtant, Ariſtoteles quærit in Problematis 9. 1. Vide in Ariete G. quod autem ad oua, inquit ea uiſcoſitate ſua cutim ueluti agglutinare, & prohib erene ulcerũ calore nimio humores attrahi poſsint. ¶ Recentia illita aduſtiones ignis ſanant, Kiranides. Ambuſta aquis ſi ſtatim ouo occupentur, puſtulas non ſentiunt. quidam ammiſcent farinam hordeaceam, & ſalis parum, Plin. Oua medentur aduſtioni ignis, utêris autem eis cum lana, & prohibẽt ulcerationem. ac ſimiliter aduſtioni aquæ etiam, Auicenna. Plura leges inferius inter facultates albuminis. Oua cum oleo trita ignes ſacros leniunt, betæ foliis ſuperilligatis, Plin. ¶ Tumorem mamillæ repelles agitato ouo cum uino quinquies copioſiore, eo liquore madefactum linteum imponens, Ex libro Germanico manuſcripto. ¶ Ouo gallinaceo caput inlinito, poſtea aqua uel ſucco herbæ cyclaminis caput lauato: hoc pacto lendes necati ultra non renaſcuntur, Marcellus. Galenus alicubi in opere de medic. compon. ſec. locos, oua extergere negat. ¶ Dioſcorides inter aconiti remedia numerat oua in oleũ euacuata, ita ut totum hoc cum muria miſceatur & ſorbeatur tepidum. Verba Græca ſunt, ὡς ὅτε κνωθώντα ὠδὶ αὐτὸ καὶ χλιανθώντα, (Marcellus legit δηθώντα, quanquam uertit trita) σιὼ ἅλμη καὶ ῥοφέμενα. Aegineta habet, ὡς ὅτε κνωθώντα ὧδι τὸ αὐτὸ, λειανθώντα, σιὼ ἅλμη ῥοφέμενα. apparet autẽ uox λειανθώντα, corrupta à χλιανθώντα. Cæterum hæc uerba ὧδι αὐτὸ uel ὧδι τὸ αὐτὸ, Ruellius interpretatur in idem, ſcilicet oleũ, quoniam impreſsi codices Græci, proximè ante oleum nominant, tanquam id tum per ſe, tum cum abſinthio potum proſit. Aegineta & Aetius non oleum eo loco, ſed uinum merum uel per ſe uel cum abſinthio potum auxiliari ſcribunt. & ſic Marcellus Vergilius quoq; uertit, nec in annotationibus quicquam admonet, tanquam omniño in codice ſuo Græco ſic legerit. Cornarius ex Aetio lib. 13. cap. 61. ſic reddit, Oua in unum uaſculum euacuata, conquaſſata & tepefacta, ex muriaq; abſorpta. Rurſum Marcellus ὠὰ κνωθώντα ouorum putamina uertit, quòd ea tantum ouis depletis & euacuatis ſuperſint, & quòd apud Aeginetam legatur λειανθώντα, quam uocẽ ipſe exponit trita & infracta. Nicandri quoq; uerſus citat ceu qui pro ſua opinione faciant: πολλάκι δ' ὀρταλίχων ἀπαλλὰ ὠὰ δῖνα κνώσας, Ἀφρὸν ἐπεγκράσαιο θοὸν ὀρπήϊκι κέντρῳ. Mihi quidem Nicander nequaquam de putaminibus ouorum ſentire uidetur, ſed de ipſis ouis (ſynedochicè dico, pro albumine & uitello tantum) euacuatis, ita ut tota oui interna ſubſtantia in uaſe aliquo unà cum muria conquaſſetur & miſceatur, bibaturq; nam pro muria (hálmen Dioſcorides uocat) Nicãder ſpumam marinã dixit, qua ſcilicet paſci & inescari ſolent cephi marinæ aues. Sic & Nicandri Scholiaſtes ſenſiſſe uidetur, ſcribens: Oua deplere præcipit & cum ſpuma marina miſcere. Et Hermolaus ex Dioſcoride, Oua in patinam deplerí & ſubigi cum ſalſugine iubet.

¶ Lac cum ouo & roſaceo ualet ad oculorum phlegmonas, Galenus lib. 10. de ſimplicib. Ad oculorum dolores & uigilias: Mulſam inſtillato, & ouum præmaceratum (nimirum in mulſa) ac putamine mundatum, in duas portiones ſecato, & ſuper oculũ deligato, & ſomno occupabitur, Idem Euporiſton 3. 18. ¶ Cibo quot modis iuuent, notum eſt, cum tranſmeent faucium tumorem, calfactuq; obiter foueant, Plinius. Dantur & tuſsientibus cocta (ad durítiem nimirũ. hæc enim Græci ἐφθὰ abſolutè uocant, & hæc etiam propriè teri poſſunt. quanquã & ſorbilia per ſe ad tuſsim proderſe non eſt negandum) & trita cum melle, Idem. Ad tuſsim, Ouum melle teres domitum feruentibus undis, & ſumes, Serenus. Vide infra in Ouo duro. ¶ Equo ſtrophoſo oua quatuor in os confringe, & ut ſimul cum putaminibus deglutiat cura, Anatolius. Oua gallin. numero quatuor adijciuntur cerato cuidam podagrico apud Aetium 12. 43. ¶ Infundũtur & uirilitatis uitijs ſingula, cum ternis paſsi cyathis amyliq; ſemuncia à balneis, Plinius.

¶ Pars 11. De oleo ouorum. Oleum de ouis experientia pluríma probatum eſt cutim expurgare, impetiginem, ſerpiginem, & alia cutis uitia perſanare, capillos regignere, ulcera maligna & fiſtuloſa curare. Vitelli ouorum elixãdo duratorum triginta, aut circiter, manibus friati, in ſartagine terrea plũbata (ſartagine lapidea, Monachi in Meſuen) frigantur igni mediocri, mouendo cochleari ligneo aut ferreo, donec rubeſcant, & oleum ab his reſoluatur, quod preſsi cochleari largius remittent. Vel iidem uitelli elixando indurati mola frangãtur, deinde in offas tundantur, & torculari exprimantur, quale in oleo amygdalino explicuimus, & oleum deſtillabit. Vel ipſi uitelli corpulento

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 482 sur 825

uasi (cucurbitæ destillatoriæ) oleumq; in capitellum (alembicum) ignis uiolentia attollatur, qualiter oleum philosophorum pòst dicendum, Io. Mesues paraphraste Iac. Syluio. Cutis fœditatem mirè aufert, (inquit Syluius,) ac cicatrices, præcipuè in ambustis relictas, ferè autem grauiter olet; minus tamen postremum sublimando destillatum. Pilos auget Serapioni in Antidot. aurium, dentium, sedis doloribus, & alijs pleriscq; sedis affectibus (utile) Rasi in Antidotario. Oleum ouorum Nicolai. Vitellos ouorum elixorum frige igni lento prunarum in patella ferrea, semper mouendo rude ferrea, donec probè assentur, calidissimos linteo forti, oleo amygd. dulc. madefacto exprime. Satius est uitellos crudos frigere, cochlearí assiduè moueri, donec assati & cochleari pressi, uase inclinato reddant oleum: quod phiala conditum etiam diu integrum seruatur. Ex uiginti uitellis extrahes horis duabus unc. quatuor aut circiter, Hæc Syluius. In codice quidem Nicolai Myrepsi quem Leonardus Fuchsius nobis Latinum è Græco reddidit, nullam olei de ouis descriptionem reperio. Oleum ouorum salubre & experimentis cognitum est aduersus impetiginem aliosq; morbos. admixto pauco sanguine gallinæ curat scabiem cholericam. iniectum tepidum sedat statim uehementiam doloris in abscessibus aurium, et accelerat concoctionem eorum, aperitq; ipsos: & facit nasci capillos. confert etiam aduersus fistulas & ulcera melancholica. mitigat dolorem ambustorum & ardorem. cicatricem subtilem reddit, & dentium dolores aniq; eliminat, si illinatur cum pinguedine anseris. per diem curat ęgrum uehementer affectum dolore hepatis propter flatus contracto. colorem corruptum restituit, præsertim in albedine oculorum, Arnoldus de Villano. Hoc oleum ipse hoc modo fieri obseruaui: Vitelli ouis ad duritiem elixis exempti, in sartagine assentur, uertendo subinde uoluendoq; paulatim cochlearí, donec incipiant ita liquescere, ut iam in chylum æquabilem & pulti similem conuertantur. manet autem materia adhuc flaui coloris. eam mox infundes in linteum, quod utrinq; torquens ac circunuoluens oleum subflauum exprimes. Alij cum uitelli sic in patella assi ad chylum illum peruenerunt, amplius adhuc coquunt, donec materia tota siccari ac denigrari incipiat: quæ paulò pòst iterum liquescet, & multum humorem nigrum & ex adustione graueolentem remittet. Tum cochlearí materiam in sartagine crassiusculam comprimũt, ut oleum & humor omnis uase in alterum latus inclinato defluat & colligatur. Et hoc tanquam maiore desiccandi ui præditum superiori præferunt.

¶ Præsentaneum colicis remedium sic: Oua putidissima in Sole ponito ut perficcentur, cum aruerint conteres, & minutissimè percribrabis, & ad præsidium in doliolo uitreo condes. cumq; in aliquo auspicabitur coli dolor, in hemina aquæ calidæ dabis bibenda cochlearia tria, Marcellus.

¶ Si oui albumen cum uitellò ponatur in matula alicuius, quem ueneno infectum esse suspicio fuerit, intra aliquot horas locus uenení in hepate demonstrabitur. nam si id in uenis fuerit ultra gibba hepatis, aut in uijs urinalibus, ouum nigrescet ac fœtebit. Sin citra concaua hepatis, ut in orobo (colo, uel alterius intestini nomen legendum apparet,) ouum rugas & colorem citrinum contrahet, absq; fœtore. Hoc annotatum reperi in margine codicis cuiusdam Serapionis iuxta caput de urina, Obscurus. Ad exustionem: Ouorum assorum uitellos in sartagine combure, & in modum emplastri impone, Galenus Euporist. 3. 198.

¶ Pars III. Remedia ex ouis sorbilibus. Oua sorbilia, in quibus liquidũ (id est albumen) coactum adhuc densatumq; non est, ad leniendas (læuigandas) gutturis (pharyngis) asperitates idonea sunt, Galenus in libro de alimentis boni & m. s. & alibi. In inflammationum arteriæ principijs lenissima sunt (remedia,) Idem libro 7. de compos. sec. loc. Symeõ Sethi scribit oua anserum proprietate quadam εὐφωνίαν, hoc est bonum ingenium facere, ijs qui cum melle & butyro ea adsiduè esitarint. sed uerisimilius est, oua cum anserina tum non minus gallinacea sorbilia, siue per se, siue magis etiam cum melle ac butyro sumpta, non εὐφωνίαν, sed εὐφωνίαν, id est uocis bonitatem, repurgata læuigataq; arteria, præstare. Oua sorbilia uocem clarificant, Elluchasem. Ouum sorbile miscetur ijs quæ contentos in thorace & pulmone humores incidunt, & usurpatur in illis quorum gutur exasperatum est clamore, uel acrimonia humoris. tenacitate enim sua partibus affectis inhæret & immoratur cataplasmatis instar: & pariter substantiæ suæ lenitate omnis morsus experti eadem mitigat curatq;. qua ratione asperitates etiam circa stomachum, uentrem, intestina & uesicam obtas curat, Galenus. Prodest nimium calidis œsophago, stomacho, uesicæ, Elluchasem. Acrochlia ron, id est leuiter calefactum sorptumq; prodest uesicæ rosionibus, renum exulcerationibus, gutturis scabritiæ, reiectionibus sanguinis, destillationibus, & thoracis rheumatismis, Dioscorides tanquam de albumine priuatim: sed uidentur de toto ouo sorbili rectè eadem prædicari posse. Vtile est tussi, pleuritidi, phthisi, raucedini uocis à causa calida, dyspnœæ: & sputo sanguinis, idq; in primis cum uitellus tepidus sorbetur, Auicenna. Sanguinem spuentibus salutare est ouum sorbile, Elluchasem. Oua semicocta commendantur ad tormina (dysenteriam) sine febre, Galenus de uictu in morbis acutis comment. quarto. Semicocta stomachum roborant, & uires restaurant, ut alibi inter Notha Galeno adscripta legimus. Reperiuntur qui ex sorbili ouo ter quaterq; excernãt, Brasauolus. Ouorum trium aut quatuor candidum in aquæ congio concussum bibat febriens: hoc ualde, frigefacit, & ægrum ad aluum exonerandam conturbat, Hippocrates libro 3. de morbis.

¶ De ouis quæ cum remedijs efficacioribus miscentur, inferius etiã dicetur in genere, & particulatim: in præsentia uerò de sorbilibus tantum quæ alijs ammiscentur. In ouum sorbile mastichę pulu erem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 483 sur 825

uerem mittes, ſed opus eſt ut mox coagitatum ſtatim ſorbeas, ne dilatione fiat cruſta: quo exhauſto facile tuſſem ſedabis, ſi id ſæpius feceris, Marcellus. Amylō datur cum ouo his qui ſanguinem reiecerint: in ueſicæ uerò dolore, ſemuncia amyli cum ouo & paſsi tribus ouis (ea nimirum paſsi mensura, quantam tres ouorum teſtę caperent) ſufferuefacta, à balineo, Plin. Ad uomitum nimium reprimendum ſulphuris uiui puſillum, & ramenti de cornu cerui tantundem, in ouo ſorbili tritum & permixtum bibi utile eſt, Marcellus. Sulfur cum ouo ſorptum expurgat in icteris, ut legitur in libello de cura icteri qui Galeno tribuitur. Tuſſem quamuis grauem maiorum natu intra quinque dies, paruulorum etiam intra triduum ſanat, qui ſulphuris triti quātum tribus digitis capere poteſt, in ouo ſemicocto ſorbili per triduum ieiuno, aut per quinq; dies dederit, Marcellus. In ouo ſorbili cimicem unum contritum ieiunus ignorans qui ſorbuerit, deſinet uomere, hoc ſæpe expertum eſt, Idem. Medici liquida reſina rarò utūtur, & in ouo ferè è larice, propter tuſsim ulceraq; uiſcerum, Plinius. Eadem ratione ſunt qui etiam catapotia ex ouo ſorbili deglutiant, quod ita facile commodeq; deuorentur: ſed hîc ouum aliud nihil confert, ad tuſsim uerò ulceraq; uiſcerum ipſum quoque per ſe nonnihil iuuat.

¶ Pars IIII. Remedia ex ouis crudis integris (id eſt cum albumine & uitello) abſorptis, primum per ſe extra & intra corpus: deinde alijs admixtis. Ouum crudum utiliter mox imponitur ambuſtis, ſiue albumen tantum imponas lana molli exceptum, ſiue totū unà cum uitello agitatum, (ὠμὸν ὄνον:) refrigerat enim moderatè & ſine morſu ſiccat, Galenus. Ad ignem ſacrum: Ouo crudo linies corpus ubi feruor fuerit, & deſuper folium betæ impones: miraberis ſanitatem, Sextus. Ad epiphoras oculorum ſedandas: Limaces complures tere in mortario nouo uel nitido, & adijce ibi ouum gallinaceum incoctum, & tinge illic lanam ſuccidā, & fronti impone, Marcellus. Sæpe boum languor & nauſea diſcutitur, ſi integrum gallinaceum crudum ouum ieiunis faucibus inſeras, ac poſtero die ſpicas Vlpici uel allij cum uino conteras, & in naribus infundas, Columella. Ouum ſi ſorbeatur crudum, prodeſt contra ſanguinis fluxum, eiuſdemq; mictum, Auicen. Alexander Trallianus oua cruda in renum inflammatione ſorberi conſulit. Ouum crudum ſi ſorbeatur, ſiſtit fluxum muliebrem, & reiectionem ſanguinis ſuperiorem, & arteriam attenuat, & clarificat. Facit etiam ad inflammationem ani, & rupturas, & ad omnem dolorem perfectè, Kiranides. Ouum crudum ſitim prohibet, & raucedinem emendat, ut in nothis Galeno attributis legimus. Raucus ſi oua incocta recentia ſingula per triduum ieiunus hauſerit, ſtatim remediabitur, Marcellus. Cæterum toto ouo crudo utimur, admixto roſaceo, ad inflammationes circa palpebras, aures & mamillas, quæ ex ictu iſtarum partium uel aliter oboriuntur: item circa corpora neruoſa, ut cubitum, tendines digitorum, uel articulos in manibus pedibusq;, Galenus. Andromachus apud Galenum in opere de compoſ. med. ſec. locos, oua cruda integra duo immiſcet medicamento cuidam compoſito ad ſedem. Oua cruda cum paſſo oleiq; pari modo tuſsientibus dantur, Plin. Si quis purulentum tuſsit, (Ad puris & ſanguinis excreationem, Plinius) ouū crudum cum pari menſura ſucci de porro ſectiuo expreſsi, tantundemq; optimi mellis (Græci, Plin.) permixtum, calefactum ieiunus ſorbeat, Marcellus. Ad phthiſicos: Oua cruda duo in calicē uerguntur, eò adijciuntur olei optimi, gari floris, paſsi Cretici, ſingulorum unciæ quinq;. cumq; hæc in calicem cōiecerīs, axungiæ uetuſtiſsimæ tantundem in uaſe igne diſſolues, eundemq; liquorē calidum cæteris rebus adijcies: omniaq; pariter ſuper aquam feruentem remittes, & calida phthiſicis bibenda præbebis, Marcellus. Oua in aceto macerata ut emolliatur putamen, cum farina in pane ſubigunt: quibus cœliaci recreantur, quidam ita reſoluta (aceto mollita) in patinis torreri utilius putant, quo genere non aluos tantum, ſed & menſes fœminarum ſiſtunt: aut ſi maior ſit impetus, cruda (præmollita aceto) cum farina ex aqua hauriuntur, Plinius. Oua ex aceto decocta ardores urinæ, renum ulcera ac ueſicæ mirificè tollunt: & multò magis, ſi nuper nata & cruda excuſſo albamento deglutieris, Platina. uide etiam in Vitelli remedijs infra. Oua cruda dyſentericorum qui ardorem ſentiunt clyſteribus adduntur, cum uino modico ac largo roſaceo conquaſſata, Aetius. Qui præcordiorum ardore uexantur, ſi etiam febres & lumbricos habeāt, hoc remedio ſanabuntur: Ouum crūdum ſummiter apertum exinanies, idq; implebis oleo uiridi, & defundes: & lotio uirginis pueri implebis, & defundes: tum adijcies parum mellis, & in unum cum oui ipſius interioribus permiſcebis, & potandum ieiuno dabis. hoc & ſtercus uetuſtiſsimum & lumbricos noxios pellit, & febrem acutiſsimam releuat, Marcellus. Ad ſecundas mulieris morantes: Sapæ cyathos duos, ouum crudum unum, & aquæ calidæ quod ſatis eſt, ſimul mixta bibenda præbeto. Et ſi ſequitur quidē, confeſtim ipſam ſubuertet, eaq; uomente ſtatim ſecunda eijcietur. Si uerò non exciderit, fœnungræcum cum aqua coquito ad tertias. præbe bibendum. eſt enim probatum, Nic. Myrepſus.

¶ Pars V. Remedia ex ouis duris & uſtis. Oua elixando indurata, aſſa & frixa, miſcētur medicamentis ijs quæ humores (fluxiones) exiccare poſſunt, Galenus. In ouis eſt aſtrictio, & propriè in uitello eorum aſſato, Auicenna. Aluum aſtringunt dura oua, magisq; ſi aſſa ſunt, Celſus. Oua aſſata in cinere ſine fumo, medentur ſolutioni uentris & dyſenteriæ, (quod & in nothis quibuſdam Galeno adſcriptis legitur) cum ſumuntur cum aliquibus aſtringentibus & aqua agreſtæ: item aſperitati (ulcerationi) inteſtinorum ac ueſicæ, Auicenna. Galenus hoc ſcribit de ouis in aceto coctis, ut inferius referetur. Oua tota ſiſtunt & menſes mulierum cocta & ex uino pota, (dura intelligo,)

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 484 sur 825

Plinius ut quidam citat. Si quæ mulier menſes ordinato tempore non habuerit, tria oua recentia ad duritiem cocta, putamine ſeparato, & minutatim conciſa lateri ignito infundat, & uaporẽ (quod per canalem aut infundibulum fieri poterit) utero concipiat: ſic fiet ut paulatim hoc uitium emendetur, Ex libro Germanico manuſcripto. uidetur autem hoc remedium, non prouocandis menſibus, ſed coercẽdis illis qui intempeſtiuè fluunt deſtinatum eſſe. Oua cocta & cum melle trita tuſſientibus dantur, Plinius. uidetur autem de duris intelligere, ut ſupra expoſui. Ex ouo duro interius quod eſt (albumẽ nimirum unà cum uitello) paſſo intritum, adiectis aquæ calidæ cyathis duobus, ſi antequam cubitum eas biberis, quietiorem à tuſsi maiorẽ partem noctis habebis, & eius potionis aſſiduitate ſanabere, Marcel. Putant aliqui oua diutiſsime elixa & indurata immodicè, homini uenenum fieri.

¶ Albumen & totum combuſtum ouũm, & cum uino uel aceto potum uel impoſitum, omnes fluxus ſtringit, Conſtantinus. alij ex Aeſculapio, nulla albuminis mentione facta, ſic legunt, Ouum totum combuſtum, &c. Ad ſanguinis reiectionem è pectore, Ouorum cinis prodeſſe putatur, Serenus. Ad profluuium mulieris: Gallinæ ouum totum comburas & conteras, & in uino mixtum illinies, reſtringit, Sextus. uide in Teſta oui uſta inferius.

¶ Pars VI. Remedia ex ouis cum aceto coctis, aut ſolũ in eo maceratis & emollitis. Si aceto coctum edatur ouum, exiccat fluxiones uentris, Galenus & Symeon Sethi. quòd ſi etiã admiſceueris aliquid eorum quæ dyſentericis & cœliacis proſunt, deinde ſuper igne mediocri & minimè fumoſo, qualis carbonum eſt, frixeris, & exhibueris ægris, non parum eos adiuueris. Conuenienter autem addetur huic remedio omphacium & rhûs, tum ruber dictius qui obſonijs aſpergitur, tum ſuccus ipſius: & galla, & ſidia, & cinis cochlearum quæ integræ toſtæ fuerint: nec non uinacea, & fructus myrti, meſpili, corni, his medicatiora ſunt balauſtia, & hypociſtbis, & cytini, Galenus. Oua cocta ſicut ſunt (in teſta ſua nimirum) cum aceto, prohibẽt effuſionem humorum ad ſtomachum & inteſtina, & fluxum uentris & dyſenteriam: & medentur aſperitati gulæ & uentriculi, Auicenna. Ex aceto decocta ardores urinæ, renum ulcera ac ueſicæ mirificè tollunt: & multò magis ſi nuper nata & cruda excuſſo albamento deglutieris, Platina. Maceratorum in aceto putamen mollitur, talibus cum farina in pane ſubactis, cœliaci recreantur. Quidam ita reſoluta (aceto mollita) in patinis torreri utilius putant. Quo genere non aluos tantum, ſed & menſes fœminarum ſiſtunt: aut ſi maior ſit impetus, cruda (præmollita tamen aceto) cum farina ex aqua hauriuntur: Et per ſe lutea ex ijs decocta in aceto donec indureſcant: iterumq; cum trito pipere torrentur ad cohibendas aluos, Plinius. Cœliacos recreabis pane, Quem madido farre efficies ac mollibus ouis, Quorum teſta fero prius emolleſcat aceto, Serenus. Oua in aceto cum teſtis ſuis macerata, & alio die in patella infuſa ibiq; toſta, cœliacis in cibo data plurimum proſunt, Marcellus. Oua decoquuntur ex aceto donec indureſcant, & uitelli eorum toſti cum pipere eſui cœliaco dantur, cito medẽtur, Marcellus. Tuſsis in equo (inquit Theomneſtus in Hippiatricis Græcis) quam æſtus aut puluis excitauit, ijs remedijs abigitur. Oua quinq; cum ſuis putaminibus in aceto acri cum adueſperaſcere cœperit, macerabis, diluculo deprehendes exteriorem callum intabuiſſe, ſic ut ea prorſus emolleſcant: qualia uideri ſolent quæ intempeſtiuè ponuntur & præcoci partu gallinarũ eduntur: quorũ folliculus tactui non renitens, in ueſicæ modum liquoris capax remanet. Vbi os diduxeris, linguam educens, integra ſingillatim faucibus impelles: ſingula auripigmento cõuolues. ſed caput ſublime teneatur, dum ſingula deuorârit. Sub hæc autẽ fœnigræci aut ptiſanæ cremor melle dilutus infunditur, ea triduo data uitium extenuabunt, Hæc ille. Ad lentigines faciei, Pone in acerrimo aceto oua ſeptem integra, & tandiu dimitte ibi donec exterior teſta in modum interioris pelliculæ molleſcat, & cum eis admiſce puluerís ſinapis unc. 4. & ſimul tere & in faciem inunge frequẽter, Trotula. Ad ſcabiem pruritumq;: Oua gallinæ integra in acetum acerrimum demitte per diem noctemq;: quæ ſi tria fuerint, ipſis cum putaminibus in eodem aceto contritis adijce ſulphuris ignem non experti, arſenici ſciſsilis, uuæ taminiæ, ceruſſæ, ſpumæ argenti, nerij ſucci, ſingulorũ unciam unam, olei ueteris quantum ſatis eſt, omnibus contritis obline in balneo, Galenus Eupor. 3. 77. Oua decem in aceto acerrimo macerato, quoad omnis ipſorum teſta marceſcat & molleſcat. Dein coquito oua cum aceto, & luteis ipſorum cum roſaceo & aceto læuigatis, adijce lithargyri unciam ſemis. Mixta & ſubacta bene, redige ad glutinis craſsitudinem & illine, Nicol. Myrepſus.

¶ Pars VII. Remedia aliquot ex ouis permixtis cum alijs diuerſis remedijs efficacioribus. Etſi in præcedentibus etiam remedia aliquot ex ouis memorauimus, ubi ea cum alijs quibuſdam miſcentur. ſunt enim oua (ut ab initio huius capitis dictum eſt ex Galeno) ueluti materia plurimis alijs medicamentis. uiſum eſt tamen hoc in loco ſeparatim quædam recenſere, huiuſmodi præſertim ubi longè potentioribus remedijs oua adduntur, ita ut propè materiæ ſolum inſtar eis ſint, nec aliud quicquam ſuapte ui aut minimum conferant. Cum balſamitis (uox uidetur corrupta, legerim diuerſis) rebus mixta oua, multis ſubueniunt ægritudinibus, Conſtantinus. Aduerſus ictus ſerpentium cocta oua tritaq; adiecto naſturtio illinũtur, Plin. Contra fungos gallinarum oua cum poſca pota proſunt, addita ariſtolochiæ drachma, Dioſcorides. Scabiem corporum ac pruritum oleo & cedria mixtis tollunt: ulcera quoq; humida in capite cyclamino admixta, Plinius. Ouaq; cum betis proſunt ſæpe illita tritis, Serenus inter ignis ſacri remedia. Oua lacti commiſta (oogala uocant)

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 485 sur 825

cant) dyſentericis proſunt, Aetius 9.45. Torminibus quoq; multi medentur, oua bina cum alijs piſcis (cum alij ſpicis) quatuor unà atterendo, uinicq; hemina calefaciendo, atq; ita potui dando, Plinius. Fit & dyſentericis remedium ſingulare, ouo effuſo in fictili nouo, eiuſdemq; oui menſura, ut paria ſint omnia, melle, mox aceto, item oleo, confuſis crebroq; permixtis. Quo fuerint ea excellentiora, hoc præſentius remedium erit. Alij eadem menſura pro oleo & aceto reſinam adijciunt rubentem, uinumq;: & alio modo temperant, olei tantum menſura pari, pineiq; corticis duabus ſexageſimis denariorum, una eius quod rhus diximus, mellis obolis quinque ſimul decoctis, ita ut cibus alius poſt quatuor horas ſumatur, Idem. Tota oua adiuuant partum cum ruta & anetho & cumino pota ex uino, Plin. Oua gallinarum imparia in urina aſini elixata & eſa, nephriticos & colicos ſanabunt mirificè, Kiranides.

¶ Oui teſta aliquando menſuræ uſum præbet medicamentis quibuſdam, quibus ferè etiam ipſum ouum (hoc eſt interiora, albumen & uitellus) adijcitur. Marrubij ſuccũ Caſtor in ouum inane conijcit, ipſumq; ouum infundit melle equis portionibus tepefactum, uomicas rumpere, purgare, perſanare promittens, Plin. Ad uomicam aut ſimilem tumorem, Ouum defundes in fictile, deinde putamen Marrubij ſucco implebis, poſt melle liquenti Omnia conſociata tepenti proſpera potu Sumuntur, referantq; malum, purgantq; leuantq;, Serenus. Sed clarius idem medicamẽtum à Marcello traditur, his uerbis: Ouum incoctum (crudum) in calicẽ defunditur, & teſta eius ſucco marrubij impletur, & in ipſum (eundem ſcilicet in quem ouum depletum eſt) calicem defunditur: & mellis optimi deſpumati tantundem. omnia hæc in ſe permiſcẽtur, ac tepefacta hauriuntur, miro modo uomicas rumpunt, & ad ſanitatem laborantem ſtomachum perducunt. Ouum recentiſſimum aperies, & in calicem uacuabis, ac teſtam eius implebis melle optimo deſpumato, nec nõ oleo uiridi bono, & in ipſum (eundem in quem defuſum eſt ouum,) ac ſimul omnia permiſcebis, & diu agitabis: ac poſtea in calida aqua ipſum calicem tepefacies. & ſic dabis dyſenterico cui medendum erit, mirè proderit, Idem Marcellus. Paſtillus cœliacis & dyſentericis: Ouum crudum recens perforato, & in uaſculum euacuato, & cum teſta ſubſcripta mẽſurato: Olei omphacini teſtã oui unam, piperis albi tenuiſsimè triti tantundẽ, gallarum omphacitidum tantundẽ, farinæ tritici tantundem. Omnia (nimirũ cum ouo, id eſt interioribus oui euacuatis) ſubacta & mollita in paſtillos redigito, & in ſartagine fricta ante cibum dato, Aſclepiades apud Galenum in opere de Compoſ. medic. ſec. locos. In eodem Galenus ex Archigene deſcribens fomentum, cuius uapor intra os recipiendus eſt, ad gurguliones inflammatos & tonſillas, Origanum (inquit) aut hyſſopum, cum ſufficiẽti aceto diligenter in olla feruefacito obturata, operculum autem circa medium habeat foramen, deinde harundinem ad foramen operculi ac os ægri adaptato, ac fomentum admittito. Si uerò os à feruore harundinis comburatur, ouum uacuum utrinque perforatum ægri in ore contineant, & per ipſum harundo inſeratur.

¶ Pars VIII. De remedijs ex albumine oui. Petrus Aponenſis problem. 69. quærit an albumen oui ſit calidum, & uitellus frigidus: contrà ſcilicet quàm communis & recepta medicorum opinio eſt. eam quæſtionem nos ceu ſuperuacaneam omittimus. Candidum oui crudum refrigerat, ſpiramenta cutis occludit, Dioſcorid. Læuat exaſperata, Celſus. Acrimoniæ expers eſt, collinit, & mitigat acres mordicationes, obſtruit, Galenus in diuerſis locis. Glutinat uulnera, Celſus. Aiũt & uuluera candido glutinari, Plinius. Albore oui utimur in purgandis uulneribus, & in conſtringendis quæ laxa ſunt, Platina. Ambuſta ſi ſtatim eo perungantur puſtulas non ſentiunt, Dioſcor. Oui crudi albumen lana molli exceptum, uel totum (id eſt albumẽ ſimul cum uitello) agitatum, Galenus utiliter imponi ſcribit ambuſtis, quòd ea moderatè refrigeret: & ſine morſu ſiccet. Auicenna (ſi bene memini) uitellum pariter & albumẽ humectantis naturæ facit, nutrimenti nimirum magis quàm medicamenti ratione. At uerò ambuſtum flammis qui candidus oui Succus ineſt, penna inductus ſanare ualebit, Serenus. Lana albumine madens utiliter imponitur locis igne aut aqua feruida aduſtis, Serapio. Miſcetur utiliter medicamentis profluuium ſanguinis ex cerebri inuolucris ſupprimentibus, quæ citra morſum obſtruere & aſtringere poſſunt, Galenus, Auicenna, & Serapio. Ad ſanguinem fluentem è naribus, aliqui thuris farinam cum calicis oui cinere, & uermiculato gummi ex oui candido linamento in nares conijciunt, Plinius ſi bene memini. In Andromachi quadam potione pro hæmoptoicis apud Aetium lib. 8. alijs quibuſdam aſtringentibus candidum ouorum duorum adijcitur. Vtendum eſt hoc liquore non ſolum in oculis, ſed etiam ceteris omnibus partibus quæcunq; remedijs minimè mordacibus indigent, ut ulcera maligna (rebellia) omnia circa ſedem & pudenda, quæ ſcilicet exiccare ea abſq; morſu poſſunt, quale pharmacum eſt pompholyx lotus, & metallica quædam abluta, Galenus & Serapio. Faciem à Solis aduſtione tuetur, Dioſcor. & Plin. Epithema ex albumine prohibet corruptionem coloris à Sole & remouet eam, Auicenna. Vtiliter contra hæmorrhoidis ſerpentis morſus crudum ſorbetur, Dioſcorid. quam uim Plinius luteo adſcribit. Sunt qui ægrotos pleroſque iam deſperatos intra duos ignes ouorum albuminibus conquaſſatis perfricatos, diebus aliquot, ſemel quotidie, reſtitutum iri polliceantur.

¶ Oua conferunt coryzæ, Auicẽna: qui forte hoc intelligit de albumine præſertim, quod fronti (ut mox dicetur) applicatum, fluxiones à capite deſcẽdere prohibet. Lac muliebre mixto otiorum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 486 sur 825

candido liquore, madidaq; lana frontibus impositum, fluxiones oculorum suspendit, Plinius. Lanæ habent & cum ouis societatem, simul fronti impositæ contra epiphoras. non opus est eas in hoc usu radicula esse curatas: neq; aliud quàm candidum ex ouo infundi ac pollinem thuris, Idem. Est & unum de collyrijs mixtum cum thuris manna, ut id lana colligas, & circa tempora imponas. hoc fluentes oculorum lachrymas stringit: & facit somnum, si exiguum oleum adijcias, Sextus. Infantes apud nos à matribus uel nutricibus post balneum statim quotidie toto corpore illinuntur albumine ouí conquassato cum modico uini tepido. Ouo (albo eius potissimum) tanquam sine morsu exiccante, utimur ad anacollemata quæ fronti imponũtur. & palpebrarum etiam pilos (quorum ortus non est directus, Serap.) eodem reflectimus (ἀνακωλῶμεν,) idoneo aliquo admixto, quale etiam thus est, præsertim pingue, & non uetus aut aridum. Verum in his nõ ouí temperies, sed lentor ipse utilis est: quem forte aliquis etiam ideò utiliorem esse dixerit, quòd remedio cui miscetur, aduersus non sit. nam alia quædam lenta & uiscosa aduersantur, ut uiscum quod acre & calidum est, Galenus & Serapio. Candido ouorum in oculis & pili reclinantur, ammoniaco trito admixtoq;, Plinius. Agglutinatorium ad fluxionem oculorũ, Ouí tenuis uitellum cum thure fronti imponito. Aut cochleam cum testa sua & ouí candido ad strigmentitiam formam redactam in splenio altero ad alterum extendendo imponito, sua sponte decidit ubi restiterit fluxus, Archigenes apud Galenum de compos. sec. locos. Candidum ouí fronti impositum cum thure fluxiones arcet, auertitq;, Dioscorides: pro cuius uerbis Græcis Ἀνακώλημά ὅτι χόνδρος ὑγρὸν λιβανωτῷ ἐπὶ τῶν μετώπων ἐπιτιθέμενον: Barbari translationem cum thuris polline, frontibus perunctis, rheumatismos reclinat, Marcellus Vergilius reprehendit. Ex Plinio enim (inquit) accepto reclinandi uerbo, uoluisse uidetur eadẽ Plinio, non Dioscoridi, hoc loco docere: & de reclinandis palpebrarum pilis in hoc scriptore præcipere, cum non de palpebris reclinandis, compescendis, firmandisue Dioscorides hîc præcipiat, nisi nos fallimur: sed de compescẽda omni à superiore parte in oculos destillatione, seu rheumatismo. quam ob causam iubet fronti imponi. Verbum quidem anacollema, manifestè indicat uim remediĳ lentore suo glutinantis, aut naturæ suæ ui fluentia firmantis ac retinentis. Verum non eam ob causam, ut uidetur, ex ouorum candido fieri anacollema Dioscorides ait: sed quoniam glutinoso lentore fronti hæreret, Hæc ille. Et ipsius translationem hoc in loco nos etiam potius quàm Hermolai probamus. sed reclinandi uerbum cum de palpebris sermo est, compescere aut firmare, ut ipse interpretatur, non significat. neq; enim ueteres Græci medici ἀνακωλλᾶσθαι dicunt palpebras (nam de his quoq; hoc uerbo utuntur æquè, quàm de fluxione retinenda) quæ effluant, sed quæ retortæ in oculum pungendo molestæ sunt, cum ad situm & rigorem naturalem illitis quibusdam (glutinantibus & rigorem cum aruerint præstantibus) reducuntur. quos pilos aliqui forfice euellunt. Hæc quod ad propriam uocum significationẽ, quod uerò ad rem ipsam, ipsaq; remedia, pleraq; quæ pilos reclinare possunt glutinoso humore suo, eadẽ si fronti illinantur, catarrhũ etiã ad oculos sistere posse uidẽtur. ¶ De anacollemate fronti apponẽdo ex albumine ouorũ thurisq; polline, ne fluxus (lachrymæ & epiphoræ) in oculos decumbant, & de pilis palpebrarum retortis albumine per se uel cum ammoniaco reclinandis, paulò ante scripsimus. Oua per se infuso candido oculis epiphoras cohibent, urentesq; refrigerant, Plinius. Inter ocularia pharmaca mordacitatis maximè expertia sunt quæ dixi, suntq; acrimoniæ omnis expertes tres præcipuè liquores, primus fœnigræci decoctum, alter lac, tertius tenuis ouorum liquor. In hoc genere esse existimandum est tum gummi, tum tragacantham. & nisi prædicta tria copiaq; & usu prompta & expedita essent, liceret parum gummi aut tragacanthæ in multa aqua maceratum in eundem usum uelut illa assumere, &c. Galenus in opere de compos. med. sec. loc. Et rursus, Eiusdem generis cũ prædictis pharmacis, subtenuis ouorum liquor existit, ex redundanti potens humiditates abluere, & exasperata oblinere. uerum obturandi meatus uim cum illis æqualiter non habet, sicut neq; uim resiccandi. Atqui fœnigræci succus quod ad uiscositatem attinet, similis est albo ouorum liquori, &c. Et iterum, Lenitiuos liquores dico ouí candidum & fœnigræci decoctum, & lac. Vt plurimum uerò albus ouí liquor cum accommodatis pharmacis lippitudines curare sufficit: per collyria uidelicet Monohemera, hoc est unius diei appellata, &c. Albus & tenuis ouorum liquor, quo ad ophthalmias etiam utimur, è numero pharmacorum ab omni morsu & acrimonia alienissimorum est, nec ita fallit ut lac non raro fallere solet, emulsum scilicet ab animalibus, quæ cruditate, aut labore nimio, aut siti affecta fuerunt, aut malis usa cibarijs, quod in mulieribus sæpe accidit, unde lac intemperatum efficitur. Oua uerò unum duntaxat, ex uetustate scilicet, uitium habent, quod facile est cauere recentibus utentem, Galenus de simplic. lib. 11. Albumen ouí sedat dolores acres, magis quàm ulla alia eiusdem facultatis: quoniam aggluti natur & remanet, nec facile recedit ut lac, Auicenna. Gallinæ ouum notissimum est omnibus habere uim ad omnium oculorum dolorem. album infusum in oculos sedat punctiones, Sextus: omnesq; feruores & prurigines, Constantinus. Ouí candido ad lippitudines utimur, Galenus. Oua per se infuso candido oculis epiphoras cohibent, urentesq; refrigerant. quidam cum croco præferunt, & pro aqua miscent collyrijs. infantibus uerò contra lippitudines uix aliud remedium est, butyro ammixto recenti, Plinius. Candidum ouí inflammationes oculorum infusum lenit, Dioscor. Et rursus, Inflammationes oculorum lana exceptum, addito rosaceo, melle & uino, mitigat. Ad cruentos & suggillatos oculos candidum ouí instillatum prodest, atq; amplius pura lana exceptum

& super-

& ſuperne imposítum, Archígenes apud Galenum de compoſ. ſec. loc. ¶ Ad auris dolorem à calore, Oui album inſtillato meatui auris, Nicolaus Myrepſus. Dolores aurium leniuntur oui candido, Galenus de compoſ. ſec. loc. Et rurſus, Ad dolorem auris ex inflammatione obortũ, Miſcetur opium muliebri lacti & oui candido, quæ ipſa etiam per ſe ſæpe aurium inflammationibus profuêre. Ad aurium nocumenta ex aqua, Oui aquato, modo eodem quo in oculorum inflammationibus uti ipſo conſueuimus, præparato utitor, Galenus Euporiſton 1. 16. ¶ Summè tepidum (ἀκροχλιάρου) prodeſt ueſicæ roſionibus, renũ exulcerationibus, gutturis ſcabriciæ, reiectionibus ſanguinis, deſtillationibus, & thoracis rheumatiſmis, Dioſcorides: tanquam de candído oui tantum hæc remedía accipienda ſint. ego de toto ouo acrochliaro, id eſt non cocto, ſed leuiter calefacto ſorpto & hæc uerè ſcribi putarim. Aiunt & calculos pellí candido oui, Plín. Ex albumine fit clyſter cum meliloto propter ulcera inteſtinorum & putrefactionem eorum, Auicenna. Dioſcorides quidem uitellum cum meliloto utilem eſſe ſcribit ad inflammationes ſedis & condylomata. Ex albumine fit peſſarium cum oleo de alcanna, quod ulceribus uuluæ ſalubre eſt, & uuluam lenit, Auicenna. Ouorum quinq; candida adijciuntur cerato cuidam podagrico refrigerãti apud Aetiũ 12. 43.

¶ Eſt quando albumen oui alijs & potentioribus ferè medicamẽtis admiſcetur, ex quibus nonnulla priuatim hîc conſcribere libuit. Vlceribus ex ambuſto cum candido ouorum toſtum hordeum & ſuillo adipe, mirè prodeſt. Eadem curatione ad ſedis uitia utuntur. infantibus quidẽ etiam ſi quid ibi procidat, Plín. Ad combuſta igne, Ordea uel franges atq; oui candida iunges: Adſit adeps, (mira eſt nam forma medelæ,) Iunge chelidonias, ac ſic line uulnera ſuccis, Serenus. Ad ignem ſacrum candido ouorum trito cum amylo utuntur, Plínius. Sunt qui ſex aut ſeptem albumina cum thure albo permiſceant, & emplaſtrum inde paratum oſsibus fractis imponant, Obſcurus. Ad ſanguinem ſiſtendum, Cum oui candido miſtæ & pilis leporis exceptæ aloes pars dimidia & thuris pars una, medicamentum ſunt optimum, Galenus quinto Methodi & in libro de curandi ratione per phlebot. Felle tauri cum oui albo collyria fiunt (ad oculos,) aquaq; diſſoluta inunguntur per quatriduum, Plínius. Aetius lib. 15. cap. 28. deſcribit emplaſtrum ex ouis optimum, quod accipit ſpumæ argenti, ceruſſæ, ana unc. iiij. cadmiæ unc. ij. ceræ lib. j. roſacei lib. ij. ouorum albumina decem. Metallica (inquit) ex aqua & uino terito, deinde cum ouorum albumínibus ſubigito, poſtea liquatis quæ liquari oportet admiſceto, unito & utere. Vſum ipſe non exprimit, uidetur autem ad ulcera maligna facere, quæq; circa ſedem ſunt, quæ citra morſum ſiccari conuenit. Deſcribitur & apud Galenum alicubi, in opere de comp. ſec. genera (ni fallor) ceratum quoddã ex ouis. Vt ſplendeſcat facies: Farinam fabarum miſce cum albumínibus oui, & inunge, Furnerius Gallus. Candído ouorum in oculis & pili reclinantur, ammoniaco trito admixto q; & uari in facie cum pineis nucleis ac melle modico, Plín. Aſclepiades apud Galenum in opere de compoſ. ſec. loc. ad catapotij adipſi, id eſt ſitim extinguentis compoſitionem, ſeminum cucumeris & portulacæ ana partes duas capit; & tragacanthæ partem unam ouorum crudorum recentium candido diſſoluit, & probè tritis alijs addit, & catapotia inde facta in umbra ſiccat, atq; unum ſub lingua teneri iubet, ut liquor inde ſolutus deuoretur. Ramicoſis cochlearũ cinis cum thure ex oui albi ſucco illitus per dies xxx. medetur, Plín. Ad pedum rimas ouorum candído decocto cum ceruſæ denariorum duorum pondere, pari ſpumæ argenti, myrrhæ, exiguo deinde uino utuntur, Plínius. ¶ Sunt qui ad uulnera quædam ſananda, oui albumen cum ſale ſubactum in olla noua urant donec ſoluatur & clarum fiat, hoc deinde lapide calído in puluerem atterũt, ut in libro quodam Germanico manuſcripto reperi. ¶ Liquor de albumine inſtrumentis chymicis deſtillatus, oculos refrigerat & confortat: & utiliter miſcetur collyríjs alijſq; oculorum remedijs. Facies & manus eo ablutæ nitore & claritate proficiunt. Cicatrices etiam fœdas, combuſtionis aliarumq; noxarum cutis ueſtigia emendat frequenti illitu, Ryffius ex Brunſuicenſi ni fallor.

¶ Pars IX. De remedijs uitelli. Vitellus ouorum eandem albumini uim obtinet, (hoc eſt ſimiliter conuenit ijs quæ remedia minimè mordacia poſtulant:) quamobrem miſcetur cerotis lenientibus (κατάπλασις) ouis elixis uel aſsis exemptus. intereſt autem parum aliquid, eò quòd oua aſſa, paulò magis exiccent, eodemq; nomine minus leniant aut mitigent. Miſcet & cataplaſmatis aduerſus inflammationes, ut in ijs quæ circa ſedem fiunt, cataplaſmatis è meliloto, Galenus & Serapio. Oui uitellus extrinſecus illitus paregoricus uel ſtypticus inuenitur, Inter notha de ſimplicibus Galeno adſcripta. In ouis eſt aſtrictio, & propriè in uitello eorum aſſato, Auicenna. Corn. Celſus ſcribit uitellum crudum mollire, diſcutere quæ in aliqua parte corporis coierunt, & uulnera purgare. Vitelli ouorum incoctorum (id eſt crudorum) coagitati & inliti, liuores qui ex tumore aut colliſione aliqua facti erunt, etiam ueteres, extenuant, Marcellus. Ad liuentia luteis ouorum utuntur: ſi uetuſtiora ſint, cum bulbis ac melle, Plín. Vitellus aſſatus & tritus cũ melle, utiliter imponitur panno & nigredini, (ſuggillatis & liuoribus,) Auicenna: ſed hoc de ſuggillatis oculorũ apud Galenum legitur, ut inferius recitabo. ¶ Vitellus aſſatus miſcetur medicamento cuidam ad ſedem ex Andromacho apud Galenum in opere de comp. ſec. loc. Sedis etiam uitijs utilia ſunt ouorum lutea, durata igni, ut calore quoq; proſint, Plín. Extalem (id eſt anum) nimis prominentem reprimit gallinaceus uitellus ſi coctus integer ab ipſo ægro illic calidus aſſiduè contineatur, Marcellus. Ouorum lutea utilia ſunt & ceruicis doloribus cum anſerino adipe & roſaceo, & condylomatis cum ro-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 488 sur 825

ſaceo.item ambuſtis durata in aqua, mox in pruna putaminibus exuſtis, tum lutea ex roſaceo illi-
nuntur,Plin. Prodeſt & tuſsientibus per ſe luteum deuoratum liquidum,ita ut dentibus nõ attin-
gatur.thoracis diſtillationibus,faucium ſcabriciæ, priuatim contra hæmorrhoidum morſum illini-
tur,ſorbeturq; crudum,(Dioſcorides hanc uim albumini tribuit.) Prodeſt & renibus, ueſicæ roſio-
nibus exulcerationibusq;,& cruenta excreantibus,Idem. Oua ſorbilia proſunt tuſsi & pleuritidi,
& phthiſi,& raucedini uocis ex caliditate,& ſtricturæ anhelitus,& ſputo ſanguinis,præſertim cum
ſorbetur uitellus eorum tepidus, Auicenna. Et rurſus, Vitellus confert ulceri renum & ueſicæ,
præcipuè ſi ſorbeatur crudus,(hoc Platina de integro ouo ſcribit.) Vitelli ouorum crudi quinque
cum uini tribus cyathis hæmoptoicis proſunt, Conſtantinus & Aeſculapius. Cum uini ueteris aut
mulſi cyathis tribus permixti,& calidè per triduum poti,excreationes cruentas emendant, Marcel-
lus. Suggillata in oculis oui uitellus impoſitus diſcutit: ſunt qui mel miſceant, Archigenes apud
Galenum de compoſ.ſec.loc.5.1. Oui aſsi uitellus miſcetur cataplaſmatis ad oculos lippientes,in-
ter Aſclepiadis medicamenta in eodem opere 4.7. item ad fluxiones cohibendas. Agglutinato-
rium ad fluxionem oculorum,Oui tenuis uitellũ cum thure fronti impoſito, (ὠοῦ λειπτοῦ λευκοῦ, uide
an legendum ὠοῦ λειπτοῦ [uel λαδινοῦ] ἢ λευκοῦ. nam & albumen & luteum oui conuenit,) Archigenes
apud Galenum de compoſ.ſec.loc.4.8. Ad hæmalopes & hypoſphagmata,id eſt cruentos & ſug
gillatos oculos, ſtatim à principio tum ad inflammationem tum ad dolorem compeſcendum pro-
deſt oui aſsi luteum cum uino impoſitũ, Ibidem. ¶ Vitellus apoſtemati calido in aure medetur,
Auicenna. ¶ Dolores ſtomachi lenit oui uitellus toſtus & in farina comminutus, cum polenta
potus,Archigenes apud Galenum de compoſ. ſec. loc. & Euporiſton 1.97. Ouorum uitelli cum
uino uel oleo cocti,adiecta polenta,mane ſumpti,medentur his qui cibos non continent,Conſtan.
tinus. In patinis frigitur uitellus ut cibo aluos ſiſtat,per ſe uel admixta galla aut fructu rhois,Dio-
ſcorid. Siſtunt & menſes mulierum cocta ouorum lutea,& ex uino pota;inflationes quoq; uuluæ
cruda cum oleo ac uino illita curant,Plinius.

¶ De remedijs ex eodem cum alijs medicamẽtis admixto: primum extra corpus, deinde intra.
Ad liuentia ouorum luteis utuntur: ſi uetuſtiora ſint, cum bulbis ac melle, Plin. Contra aduſtio-
nem ignis,unguentum laudatur ex uitellis ouorum recentium, oleo roſaceo, cera alba & ſepo arie-
tino,Galenus ut quidam citant. Vitelli cum oleo roſaceo & croco inuncti medentur dolori poda-
gricorum;& ſi ualde doluerint,miſceatur modicum opij,Idem ut quidam citant. Ouorum aſſato-
rum lutea quinq; apud Aetium 12.44. adduntur unguento cuidam arthritico anodyno. Ad exan-
themata curãda oui cocti uitellus cum melle & pſimmythio tritus rectiſsimè adhibetur,Marcellus.
Si quæ maligna puſtula in facie, uel brachijs uel pedibus, non frangat eam ne forte de uita perici-
tetur.ſed uitellum oui cum pari ſale ad ſpiſsitudinem ſubactũ imponat & leniter fricet.uel in ouum
albumine eiecto ſalem iniectum diligẽter miſce,& cum linteo impone & illiga puſtulæ,Obſcurus.
¶ Oui uitellus toſtus cum roſaceo & croco utilis eſt oculorum doloribus,(παθειαδωνίαις,) Dioſcorid.
Lutea ouorum cocta ut indureſcant,admixto croco modicè, item melle & lacte mulieris illita, do-
lores oculorum mitigant.uel cum roſaceo & mulſo lana oculis impoſita, uel cum trito apij ſemine
ac polenta in mulſo illita,Plinius. Si chemoſis(id eſt utriuſq; palpebræ diſtortio ex inflammatio-
ne)fortis contigerit,oui luteum cum muſcæ(μυίας. ſed in hoc remedio caro muris non muſcæ adhi-
benda legitur apud Galenum Euporiſton 1.31.)carne terito,atq; ubi ad cerati formam deducta fue-
rint,linteolo excepta impone,confeſtim ſedant, Archigenes apud Galenum de compoſ. med. ſec.
loc.4.8. Et mox:Oblitiones oculorum,Oui aſsi luteum cum modico croco ac uino tritum impo-
nito. Vitellus cum croco & oleo roſaceo utiliſsimus eſt ictibus(magnis doloribus, Dioſcor.) ocu-
lorum: & cum ex eo fit cataplaſma cum farina hordei auertit fluxionem ab oculis: & cum thure
fronti illinitur eandem ob cauſam,Auicenna. Vitellum oui(eodẽ die poſiti) aliqui cum ſale ſubi-
gunt;& uſtum inde puluerem oculis equorum lunaticis inſpergunt: quo remedio cicatrices etiam
aboleri aiunt. ¶ Ad ceruicum tumores ſedandos,ouorũ uitelli cocti cum adipe anſerina illiniun
tur,felle caprino,æquis ponderibus permixto,atq; inde ceruices fricantur,Marcellus. ¶ Ad ma
millas Aegineta 3.35.ouorum luteis crudis cum cerato utitur. ¶ Fiſſuras ac rimas pudendorum
iuuat reſina fricta cum roſaceo trita ad ſtrigmentitiam craſsitudinem, ammixto etiam oui aſſati ui-
tello,Aſclepiades apud Galenum lib.9.de comp.ſec.loc. ¶ Luteum oui inaſſatum cum meliloto
ſedis inflammationibus prodeſt & condylomatis, Dioſcor. Cum uitello,ſale & melle, ſunt qui &
crocum addant, balani ad aluum proritandam componuntur. Nõnulli cum celeritate opus eſt,uel
alia deſunt,uitellum copioſo ſale mixtum linteolo illigant. Cum propter hæmorrhoides locus in-
flammatur,maximè ubi dura aluus eum locum læſit: tum in aqua dulci deſidendum eſt,& uitium
fouendum ouis,imponendi uitelli cum roſæ foliis ex paſſo ſubacti, Celſus. ¶ Ouorum uitellum
(ut alibi etiam candidum) Hippocrates mollitorijs uteri medicamentis admiſcet.

¶ Intra corpus cum alijs remedijs. Gallinacei oui uitellum ſemicoctum oleoq; permiſtum ſi
quis ſorbeat,ſitire deſinet,Marcellus. ¶ Cum uua fruticis eius quem rhoa dicunt, aut galla in pa
tinis frigitur uitellus,ut cibo aluos ſiſtat;qui per ſe etiam offerri ſolet,Dioſcor. Damus & ouorum
aſſatorum lutea dyſentericis cum modico aceto ac rhoë,pauciſsimo oleo admixto, Aetius. Quin-
que ouorũ lutea in uini hemina cruda ſorbentur dyſentericis, cum iure putaminis ſui,& papaueris

ſucco

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 489 sur 825

ſucco ac uino, Plin. Vitelli toſti cum pipere eſui cœliaco dantur, cito medentur, Marcellus. Lutea ouorum per ſe decoquuntur in aceto donec indureſcant, iterumq; cum trito pipere torrentur ad cohibendas aluos, Plin. Et rurſus, Ouorum lutea dantur cœliacis cum uuæ paſſæ pinguis pari pondere, & malicorio, per triduum æquis portionibus. Et alio modo, lutea ouorum trium (cum) lardi ueteris & mellis quadrātibus, uini ueteris cyathis tribus trita ad craſsitudinem mellis, & cum opus ſit auellanæ nucis magnitudine ex aqua pota. Item ex oleo fricta terna, totis ouis pridie maceratis in aceto. Sic & lienicis. Sanguinem autem reijcientibus cum tribus cyathis muſti.

¶ Ad eminentias expertum ualde probatum: Ouum elixato donec durum fiat, & repurgato: quod in eo teſtaceum eſt, abijcito, interiorem autem eius partem cum albo ipſius in carbones conij- cito, & tantiſper aſſato, donec totum albeſcat. dein uitellum eius conijce in mortarium plumbeum, cum ceruſſa & oleo roſaceo ſufficienti: & omnia ſimul diligenter ſubigito, quoad glutinis craſsitudinem nanciſcantur. Dein chamæmelon coquito in aqua ad tertias, & foueto cum ſpongia ſæpius locum. Poſt unctionem deſuper cum penna illinito, & ſic curato bis die, aſsiduè obſeruando, Nicolaus Myrepſus.

¶ Aqua de uitellis deſtillata ueſtigia combuſtionis & ex alijs læſionibus cutis relicta ſanat (ut etiam de albumine deſtillata) & omnem ſcabiem cutis: ſed multò efficacius ad hæc eſt oleum de uitellis, (de quo ſupra ſcripſimus,) Ryffius.

¶ Pars x. De remedijs ex pellicula oui interiore, & ex pullis ouorum, id eſt nondum excluſis. Membrana putaminis detracta ouo ſiue crudo, ſiue decocto, labiorum fiſſuris medetur, Plinius. In oui teſta membrana quæ hæret, ruptis labijs rectè adponitur, Marcellus. Labiorum fiſſorum cura mirabilis, Oui internam pelliculam fiſſuris eorum agglutina, Nic. Myrepſus. Hymen, id eſt pellicula oui, ad labra ſciſſa & aurium fractionē facit, & ad aſperam linguam, item ad cruris fracturam, Kiranid. Veſtem (id eſt tunicam) oui delicatam interiorem ſiccatam, contere, uino miſce, & cola, & ex aqua calida dyſenterico da bibendam, Marcellus. ¶ Stomachum diſſolutum confirmant pulli ouorum cum gallæ dimidio, ita ut ne ante duas horas alius cibus ſumatur. Dant & dyſentericis pullos in ipſo ouo decoctos, admixta uini auſteri hemina, & pari modo olei polentæq;, Plin.

¶ Pars x i. De remedijs ex teſtis ouorum: primū ſimpliciter, deinde uſtis, tertio de teſtis ouorum unde pulli excluſi ſunt. Amiantum Syluaticus interpretatur teſtas ouorum è quibus pulli in nido excluduntur, manifeſto errore, cū amiantus genus lapidis ſit, hoc forſan fieri poteſt, ut ad medicinam amianti loco teſtæ ouorum uſurpari poſsint. ¶ Crito apud Galenum lib. 5. de compoſ. med. ſec. loc. præſcripto ad lichēnas medicamento, Forinſecus (inquit) conſeruandi pharmaci gratia ueſicæ pelliculam, aut oui teſtam, aut uiridia folia quantum ſatis eſt impone. ¶ Vnguentum ad ſplendorem facit: Putaminum ouorum puluis, ſemina melonum mundata, miſceantur cum pinguedine anatis lota, Furnerius. ¶ Oui teſta toſta cum mirro (myrto) attritiones pedum ex calcea mentis ſanat, omnemq; tumorem & rheumatiſmum conſtringit. Vtilis eſt etiam in peſſarijs, & in his quæ ſunt circa ſedem, hoc eſt ad matricis paſsiones, & dolores ſedis: maximè uerò tumores eryſipelatum & naſcentiarum, Kiranid. ¶ Ad ſanguinis narium eruptiones: Putaminis oui partem unam, gallæ omphacitidis partem unam, trita linamento torto aqua aut aceto madefacto excipito & indito. frontem uerò aut naſum gypſo aut luto figulino integito, aures autem contentè obturare iubeto, Aſclepiades apud Galenum de comp. med. ſec. loc. Sunt qui ad hoc remedium oui putamine uſto uti malint: Vide inferius. Ad ſanguinem ſiſtendum: Cortices ouorum in aceto acri donec molliantur maceratos, in Sole ſiccabis, conteres, & inſperges ubicunq; ſanguis fluit. Vel, puluerem ex ouorum corticibus cum fuligine piſtoria miſtum, inſperge, & mox ſiſtetur, Ex libro Germanico manuſcripto. ¶ Ad dolorem dentium: Ouorum putamina, ſepiam & oleum miſceto & coquito, donec tertia pars relinquatur, & tepidum ore contineto, Galenus Euporiſton 3. 187. ¶ Si aluus fluat, Torridus ex uino cortex potabitur oui, Serenus. ¶ Recentiores authores inter calculi remedia celebrant oui teſtas, Alex. Benedictus. Ad elicíendam urinam: Ex ouo recente interiora (album & uitellum) effundas: & teſtam digitis in calicem uinum continentē confriato: & mox pariter ebibito, urina ſtatim ſequetur, Obſcurus. Sunt qui ad hoc remedium teſta oui ex quo pullus excluſus ſit, utantur. ¶ Ad penis dolorem & inflammationem: Cuminum & ouorum putamina bene decoquito, & foueto: effectum miraberis, Galenus Euporiſton 3. 279.

¶ Equo ſtrophoſo oua quatuor in os confringito, & ut ſimul cum putaminibus deglutiat, curato, Anatolius.

¶ E teſtis uſtis remedia. De corticibus ouorum urendis ſcribit Bulcaſis tractatu tertio. Comburi putamina ſine membrana oportet, Plinius. Puluis ad ulcus antiquum in crure ſiccandum: Cortices ouorum & ſoleas calciamentorum ueterum ure, quibus addes ſimum bubulum de menſe Maio arefactum & tritum. De his miſtis puluerē inſperge ulceri, & lanugine typhæ ſuperinſperge. Calx alba de teſtis ouorum in furno uſtis, chirurgis erodens præſtat medicamentum, Tragus. ¶ Oui putaminis cinis in uino potus, ſanguinis eruptionibus medetur, Plinius. Si ſanguis ex uulnere immodicè fluat, ſimi caballini cum putaminibus ouorum cremati cinis impoſitus mirè ſiſtit, Idem. Si uerò infrenus manat de uulnere ſanguis, ſimus mani (equi) cum teſtis uritur oui, Et reprimit fluidos miro medicamine curſus, Serenus. Cortex oui uſtus tritusq; inflatur naribus ad

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 490 sur 825

ſiſtendum ſanguinem, Kiranides. alij etiam non uſto utuntur, ut ſupra dictum eſt. Ad ſanguinis è naribus profuſionem: Oui putamen integrum comburito, & liquorem ex eo extractum cum fiſili arſenico permiſceto, in nares q; patientis immittito. ſi arſenicum præſtò non fuerit, ſolus oui liquor ſufficiet, Galenus Euporiſton 3. 97. Ad ſanguinem fluentem è naribus, aliqui thuris farinam cum calicis oui cinere & uermiculato gummi, ex oui candido, linamento in nares conijciunt, Incertus. Putaminis cinis in uino potus ſanguinis eruptionibus medetur. ſic ſit & dentifricium, Plin. Dentifricium præſtat cinis ex ouis, ſed non ſine uino, Serenus. atqui Plinius in uerbis iam recitatis ſcribens, Sic fit & dentifricium, intelligere uidetur, non quaſi id quoq; cum uino fiat, ut medicamentum proximè ab eo memoratum in uino bibendum contra ſanguinis eruptiones: ſed uſto ſimiliter putamine, & abſq; membrana ut de proximo remedio dixerat. Cortex oui uſtus collutus (forte affrictus: niſi cum uino colluendum dicas, ut Serenus ſentire uidetur) dentes purgat, Kiranides. ¶ Ventris dolori: Præterea niuei ſterilis teſta uritur oui, Quæ poſtquam in tetram fuerit conuerſa farinam, Ex calidis potatur aquis, & pota medetur, Serenus. ¶ Recentiores ad genituræ profluuium corticis oui cinerem laudant, Alex. Benedictus. ¶ Si ramex in ſcrotum deſcenderit, utiliter illinitur cinere de teſtis ouorum mixto cum uino. ſic enim inteſtina in locum ſuum redeunt, Obſcurus. ¶ Idem cinis mulierum menſes cum myrrha illitus ſiſtit, Plinius. Ad profluuium mulieris, Gallinæ ouum totum (cum teſta ſcilicet) comburas, & conteras, & in uino mixtum illinies, reſtringit, Sextus. Ad alba mulierũ profluuia, cineris corticis oui, cineris cornus cerui, farinæ ſuccini, ſeminis anethi, ſingulorum drachmas duas miſce, cribra, fiat puluis, utatur cum aqua.

¶ Remedia de teſtis ouorum unde pulli excluſi ſunt. Nicolaus Florentinus in difficultate uri-næ mirificè commẽdat corticem oui è quo pullus excluſus eſt, cuius à pellicula ſua repurgati drachmam propinat. ego eundem cum nobili cuidam fœminæ exhibuiſſem, emiſit duodecim (uaſa) uitrea urina plena. eſt enim hoc ſummum remedium, Gatinaria. Alij ſimpliciter teſtam oui è uino propinant. Eoſdem cortices, à quibus pullus exierit, & eodem pondere Leonellus cum aqua ſaxifragæ bibi conſulit ad prouocandam urinam. Idem remedium beſtijs etiam & pecoribus prodeſſe reperio. ¶ Si mulieri matrix prociderit, abluat eam aqua, & linteo abſtergat, & ungat ungento quod Martiatum appellant, & poſtremò inſpergat teſtas ouorum tritas è quibus pulli excluſi fuerint, Obſcurus.

H.

a. Volucrum pleræq; à ſuis uocibus dictæ ſunt, ut anſer, gallina, Varro. Gallinula diminutiuum, apud Auienum Arati interpretem. Thrax eſt gallina Syro par, Horatius Serm. 2. 6. Cortis aues pro gallinis dixit Martialis. Oua pullina, id eſt gallinarum, Lampridius. Myricæ ſemen cum altilium pingui ſurunculis imponitur, (gallinarum intelligo,) Plinius. Pumiliones aues (id eſt gallinas, ut & Græci pro gallinis ſimpliciter aues dicunt) non nimium probo, Columella. Auitia oua pro gallinaceis Cælius Rhodig. dixit, ut Græci ὀρνίθεια. ¶ Ἀλεκτρὶς, θρὶξ ἡ ἀπὸ τῆς λειφαλίδος τῆς φωλεὰς, καὶ ὄρνις ἡ θήλεια. id eſt, capillus & gallina, Varinus. ſed melius legetur ἀλεκτορὶς, ut Heſychius habet. Alectoridas Perſæ etiam coruos uocant, Hermolaus. mihi quidem mendum ſubeſſe uidetur. ὄρνις, ὄρνιθος communiter (Doricè ὄρνιξ ὄρνιχος. quanquam Alcman in recto ὄρνις dixit) maſc. & fœm. genere apud ueteres dicebatur de quauis aue, non de gallina tantum ut recentiores uulgò utuntur. Menander tamen ὄρνιθας & ὄρνεις, σὰς, dixit pro gallinis, & Antiphanes ὄρνιν θήλειαν pro gallina. ὄρνιθας & ὀρνίθια (Cratinus etiam ὀρνίθια dixit) conſuetudo nunc ſolum gallinas uocat, gallos uerò ἀλεκτρυόνας & ἀλεκτορίδας. Reperitur & ἀλεκτρυὼν & ἀλεκτρύαινα quoq; apud Comicum pro gallina: & apud Nicandrum στρθὸς, per excellentiam ſcilicet. non enim de paſſere modo, ſed de quauis aue στρθὸν Græci dicunt. Βοσκὰς ὀρταλὶς, gallina domeſtica uel altilis Nicandro: qui etiam gallinarũ oua ὀρταλίχων ἀπαλλὼ ὠοῖσιν appellauit. Κύμβαι, ὄρνιθες, Heſych. & Varinus. uidentur autem aues ſimpliciter intelligẽdæ: quoniam cymbateutæ etiam aucupes Varino ſunt. Κόκκυξα, ὄρνις, Pergæis, Iidem. Κίκκα, gallina, Iidem. κικκὸς etiam gallus eſt Heſychio. Gallinas Comici aliquando mylacridas uocant, quanquam Ariſtophanes ita appellat beſtiolam inter molas naſcentem, Hermolaus. Σὺ δὲ λύε· ἡ διδάσκουσα (Scholiaſtes gallinã interpretatur) ἔξιθι, πολλάκις ἀνασκάλλει μ' εἰς ἐκκλησίαν ἅμα νυκτῶν ἀλεκτόρων νόμον, Vir quidam in Eccleſiazuſis Ariſtophanis. Plura de Græcis gallinæ nominibus leges in Gallo a. ¶ עיש, aiſch, uel עיש, Hebraicum nomen ſyderis eſt, quod alij draconis ſydus, alij Pleiades ſeu gallinã (Germani uocant die Glucgghenn) interpretantur, Munſterus. ¶ Dic me tuum paſſerculum, gallinam, coturnicem, Plautus Aſin. ¶ Gallinarius, gallinaceus, & alia deriuata à Gallina in utraq; lingua reperies in Gallo a. & ſtirpiũ quoq; nomina ab hac alite facta.

¶ Epitheta. ὀρταλὶς ἐοσκὰς Nicandro, gallina altilis. Legitur & ὄρνις κατοικὶς, id eſt gallina domeſtica, & ὄρνις ἄγρα, id eſt gallina pinguis apud eundẽ. ¶ Tenera, cohortalis, glociens, glocitans, querula, apud Textorem.

DE OVO ET SI IN PRAECEDENTIBVS IN A. B. ET D. NIHIL dictum ſit: uiſum eſt tamen hîc in Philologia, eodem de ouo ordine pertracta re, quem in ipſis alioqui animalibus ſeruamus: ut in a. conferantur, quæ ad nomina & denominationes pertinent, in b. partes &c.

OVA Hebraicè bezah dici inuenio, Arabicè beid uel baid apud Auicennam. non probo enim quod

quod apud Serapionem naid legitur. Syluaticus baadh ſcribit pro Arabica uoce. Idem barch & elbair neſcio cuius linguæ uocabula, (Arabica & corrupta coniecio) oua interpretatur. Munſterus in Lexico triliguí beza & beia ſcribit, בירא, בירא. Ouum Latini à Græco ὠὸν dixerunt, interpoſita u, litera euphoniæ cauſa. Græci uerò ὠὸν quaſi ὄιον, hoc eſt ſolitarium, ſingula enim pariuntur, Etymologus. Hodie uulgò αὐγὸ nominant. Itali ouo. Galli oeuf. Germani ey. Angli an egge. Ouũ ex poetis aliqui ὤιον uocant, uel ὄιιον, (ſi rectè ſcribitur, Euſtathius hoc omittit ὠιον & ὤιον tantum ponit, &c.) Alexis ὑμῖτομα ὠᾶῳ dixit. Ὦὸν πολὺ λδυκώτερον, Sappho. alij ὠεον, Athenæus. Alij ὠαρίον diminutiua forma, Idem & Euſtathius. Κτίλατ' ὤιατ βρύχων, Nicander. id eſt mãſuetarum ouium oua comedens. Ὤϐεα, τὰ ὠὰ, Ἀργεῖοι, ἢ τὰ ἀρνὰ ὥτα, Heſych. Ὀφεοκῶπας, ſerpentes nimirum ab ouis deuorandis. ἀφ' τότε ὠθὴλ ὠὸν, id eſt ouum, & nux uel lignũ Perſici, τὸ περσικὸν τὸ ὠὸν, Idem. Ἄρκιλα, ouum, ſed Crẽtes hyſtrichem ſic uocant, Heſych. & Varinus. Cyami nomine non aliud intellexiſſe uidetur Pythagoras quàm ouum, quòd ſit in eo animaliũ κύησις, id eſt fœtura. Vide in f. infra. Ouatus in ſimilitudinem oui factus. Alijs turbinatio pyri, alijs ouata ſpecies (Cælius oualem figuram dixit) ceu malorum aliquibus, Plinius lib. 15. Aurum ouatum, ouo illitum, quoniam oui albo antea illito, æra ac marmora auri & argenti laminis decorarent. Hinc illud ſubijt, auro ſacras quòd ouato Perducis facies, Perſius Sat. 2. nec obſtat quòd ouum habeat primam longam, pleraq; enim deriuatiua primitiuorum naturam non ſeruant. Hoc Plinius lib. 35. de marmoribus loquens innuere uidetur: quum inquit Claudij principatu inuentum, (Neronis uerò) maculas quæ non eſſent in cruſtis inſerẽdo, unitatem uariare, ut ouatus eſſet Numidicus, ut purpura diſtingueretur Sinnadicus. Nonnulli ouatum aurum dici aiunt, ouatione uictoriaq; quæſitum: uel ingens & copioſum, quantum ouationibus comparatur. Ouatio, tempus quo gallinæ oua faciunt, Plinius lib. 29. Certa luna capiendum cenſent, tanquam congruere ouationem etiam (aliàs, operationem eam) ſerpentium humani ſit arbitrij. Ouare, per onomatopœiam, ut & Græcis ὤζειν, quod Heſychius interpretatur βοᾶν, καὶ λέγειν ὦ ὦ, καὶ θαυμάζειν. Ouatio dicebatur etiam paruus triumphus, ab ouo: uel potius ab ohe interiectione gaudentium, quaſi ohatio. Vel à uoce militum, quæ fiebat geminato oo. litera, per interpoſitionem u. euphoniæ cauſa. Ὦα, (penanflexum) μιλωτὴ, ἀλφϐάτα, & fimbria ueſtis ſiue inferior: ſiue ſuperior circa collum, quam & πϑιςόμιον & πϑιτραχήλιον uocant, & ςόμα ῥημάτων. alij ἀνάκλασιν ῥημάτων interpretantur, in Pſalmo ὦν τλὼ ὦαν τϑ ῥημάτων αὐτϑ, Suidas. Apud Heſychium ſcribitur ὤα paroxytonum, τὸ πϑβλωτὸν ἢ μιλωτὴ, &c. Ὦα, id eſt fimbria ueſtis, ab oue dicta eſt, quoniam ueteres ſolebant pellem ouillã extremis ueſtibus aſſuere quo minus attererentur, Euſtathius. Dicitur etiam ᾠον (in plurali ᾠα) tabulatum in domo ſuperius apud Lacedæmonios, quod & ὑπῶρῷον uocatur, Idem. Ὦα pro ὄια, per ecthaſin & ſynæreſin. eſt enim pellis ouilla. ὄις autem ouis. ſed ὄα per o. breue, fimbriam ueſtis ſignificat ſecundum Ael. Dionyſium, Varinus. Ὄα etiam ſorbum arborem ſignificat & fructum ipſius, id eſt ſorba, non meſpila ut quidam ſcripſit. Sunt & quæ uulgo dici ſolent ὠὰ πάρειχα, id eſt oua ſalſa inueterataq;, abdicandi uſus. Nunc oua piſciũ ſalita in offas, aut in paſtillos durata, incluſaq; membranulis oa taricha dicuntur, inter lautiſsimos recepta cibos, Hermolaus.

¶ Epitheta. Κτίλα ὤια, id eſt manſuetarum auium oua, Nicander. Ouum leue, teres, tractabile, apud Textorem, niueum, Sereno. ¶ Ouum pro arborum fructu apud Empedoclem lector accuratus inueniet, Cælius. Recentiores quidam barbari ſcriptores cephalæam, id eſt grauem capitis dolorem, qui unam duntaxat in partem & ſpatium quantum ab ouo occuparetur incumbit, ouum appellant. Ὠὸν etiam genus eſt poculi. item ὠοσκύφιον poculum duplici fundo (διπύθμενον) ab ouo poculi genere & ſcypho dictum, Euſtathius: & Athenæus lib. 11. apud quem legimus pocula quædam uno & ſimplici eſſe fundo, ut phialas & ſimilia eius pocula, alia uerò duplici quòd præter fundum proprium τὸ ἡμῖ τὸ κύτϑ συγχαλκούμενον ὅλῳ ᾧ ἀχγείῳ, aliud extrinſecus ab acutiore figura in latiorem deſinens, pedis & baſis loco appoſitum habeant, cuiuſmodi ſunt ooſcyphia, cantharia, &c. Οἶνϑ κεκραμένϑ ῥ ὠῷ χρυσῷ, οὗ αὐτὸς βασιλεὺς πίνει, Dinon in Perſicis citante Athenæo. ¶ Ὠοτόκα ζῶα, animalia ouipara Ariſtoteli, unde uerbum ὠοτοκεῖν fit, hoc eſt oua parere. & nomen ſubſtantiuum ὠοτοκία. Ὠοφυλακεῖν cuſtodire oua, In Lexico uulgari. Ἐπώζειν uerbũ dicitur de auibus quæ ouis incubantes clamant, Ariſtophanis interpres. ſed uidetur potius ſimpliciter incubare ſignificare, factum per ſyncopẽ à uerbo ἐπωάζειν, quo Ariſtophanes & Athenæus utuntur. Hinc nomen ἐπωασμὸς incubatio: & ἐπωαστικὰ ἀλεκτορίδες, gallinæ in incubãdo aſsiduæ, apud Ariſtotelem. Ὠοειδὴς, ouatus, ouiformis.

¶ Propria. Ad Gallinam uilla Cæſarum fuit ad Tyberim, &c. uide infra inter Auguria. Ab inſula Baltia non longè Oonæ ſeparantur, quas qui habent uiuunt ouis auium marinarum & auenis uulgò naſcentibus, Solinus ex Xenophonte Lampſaceno, & Mela. Oonæ locus Septentrionalis ab auibus copioſis dictus, quarum oua rapta incolæ ſale condiunt, & ſeruant in multum temporis ad cibum, Zieglerus in Schondia ſua.

¶ b. Kembergi uno à Vuitenberga miliario nata eſt gallina quadrupes, quæ anteriores pedibus poſterioribus oppoſitos & inuerſos habuit, anno Salutis 1522. ut amicus fide dignus ad nos ſcripſit. C. Claudio, M. Perpenna c o s s. pullus gallinaceus quadrupes natus, Iul. Obſequens.

¶ Oua decumana, id eſt magna, Feſtus. Galedragon Xenocrates herbam ſpinoſam, caule fe-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 492 sur 825

rulaceo, cui ſummo capite inhæreat ſimile ouo, &c. Plinius. ea non alia quàm dipſacos eſt. Sed & ipſum cœlum à ueteribus ouum dici ſolitum, & hominem quoq; ceu quandam cœli paruam imaginem comperias, Hermolaus. Democritus & Pythagoras primi uidentur oui nomine cœlum appellaſſe. Sed & Plato ex Ciceronis interpretamẽto: Deus (inquit) cœlum ita tornauit, ut uel nihil, uel parum aſperitatis haberet, nihil offenſionis, ut in uolucrũ cernimus ouis. Quin hominem quoque cœlum eſſe dictum comperimus: quia ſit cœli ſimulacrũ quoddam, etſi paruum, Cælius. Mirum eſt in re tam parua, mundi permixtionem intelligi quandam. Ouum quippe elementis conſurgere ac compingi quatuor, ueterum medicorum aſſertione traditum ſcimus. Nam cruſtæ modo circumiectum obductumq; putamen, terræ imagine quadam, areſcentis in frigore uim naturæ præfert. Humor autem frigẽs humectusq;, aquam exhibet planè. Sicuti aerem quod ineſt ſpiritoſum, calens humensq;. At in meditullio luteum ſixum, mediocritatem caloris obtinẽs, & aridioris naturæ, igni compar facile colligitur, cui calculum adiecerit & color: ſi quid tamẽ eiuſmodi adeſſe igni creditur. An non & globata ſuffragatur figura? Quid, quod ineſt ouo uitalis uis, ueluti & mundo? Idem ex libro ſecundo problematum Aphrodiſienſis. Sed hic paulò aliter quædam: Vitellus (inquit) ignem repræſentat. plus enim calidus, minus ſiccus, quaſi uitellus etiam, (nõ calidiſsimus quidem ut ignis: ſed calidior quàm ſiccior ſit.) Denicq; orbis uniuerſi, quem mũdum uocamus, ſpeciem in ouo dixeris demonſtrari. nam & ex quatuor conſtat elementis, & in ſphæræ faciem conglobatur, & uitalem potentiam obtinet, Hæc illi. Nec importunè elementis de quibus ſunt omnia, ouum comparauerim. omni enim genere animantium, quæ ex coitione naſcuntur, inuenies ouũ aliquorum eſſe principium inſtar elementi. In gradientibus enim, lacertæ & ſimilia ex ouo creantur. Quæ ſerpunt, oui naſcuntur exordio. Volantia uniuerſa de ouis prodeunt, excepto uno quod incertæ naturæ eſt, (ueſpertilione.) Natantia penè omnia de ouis oriuntur generis ſui, crocodilus uerò etiam de teſteis qualia ſunt uolantium. Et ne uidear plus nimio extuliſſe ouum elementi uocabulo, cõſule initiatos ſacris Liberi patris: in quibus hac ueneratione ouum colitur, ut ex forma tereti ac penè ſphærali, atque undiq; uerſum clauſa, & includente intra ſe uitam, mundi ſimulacrum uocetur, Diſarius apud Macrobium Saturn. 7. 16.

¶ Στόλος ὀμφαλώδης dicitur, id eſt umbilicaris appendicula, in ouis imperfectis adhuc, in parte acuta: quæ ouo amplius increſcẽte, obtenditur latius atq; minuitur, perfectioq;, mucro exitum complet, Cælius.

¶ Oui album nominatur à Celſo, oui candidum & albumen (ut quidam citant, ego plerunque ſemper oui cãdidum ab eo nominari inuenio) à Plinio, albus liquor Columellæ, albor oui Palladio. Apicius albamenta ouorum dixit. Candida ſi croceos circunfluit unda uitellos, Martialis. Recentiores quidam è Græcis transferentes oui aquatum, & tenuem oui liquorem nominarunt. Indoctiores albuginem, cum albugo propriè ſit in oculo macula ſiue cicatrix altiuſcula, ſicut utiq; in ſummo nubecula, ut probi authores docent. Legimus & oui albi (lego album) ſuccum apud Plinium in ramicoſi infantis remedio: ut apud Serenum quoq; candidum oui ſuccum. Germani uocant das klar oder wyß im ey. Galli de blanc d'ung oeuf, aubun d'oeuf. Itali uolume de louo. Ariſtoteli dicitur τὸ λευκὸν τοῦ ᾠοῦ. Sunt qui hunc liquorem lac gallinæ appellarint.

¶ Vitellus & luteum oui (ut Plinius uocat) interior eius lutei coloris liquor eſt. Recentiores quidam uitellum etiam genere neutro efferũt, ut & Gaza quandoq;, contra ueterum authoritatem. Vitellus à uita dictus eſt, pars oui rubra, quòd ex ea uiuat pullus. Nihil ne, inquit, de uitello? Id enim ex ouo uidebatur aurum declaraſſe, reliquum argentum, Cicero 2. de Diuinat. Hinc uitellinus. integram famem ad ouum affero. itaq; uſq; ad aſſum uitellinum opera perducitur, Cicero. quidam deductum hoc adiectiuum eſſe uolunt à uitulo, ut ſit genus eduli, quo ueteres menſas claudebant. nam ab ouis eas incipere certum eſt. Vetus exemplar habet uitulinũ, quod placet. Candida ſi croceos circunfluit unda uitellos, Martialis. Itali uitellũ appellant turlo de l'ouo: Galli le moyen d'un oeuf, le iaulne: Germani todter uel tutter: forte quia mamillam tutten appellãt. alitur autem pullus uitello intra ouum, ſucco eius attracto, ut infans in lucem editus lacte mamillæ. Ozonab, id eſt uitellus oui, Syluaticus. ¶ Eſt etiam uitellus à uitulo diminutiuum, unde & aſſum uitellinum fortè apud Ciceronem. C. Valerio, M. Herẽnio c o ſ ſ. maris uituli quum exta demerentur, gemini uitelli in aluo eius inuenti, Iul. Obſequens. ¶ Vitellum oui Græci modo lecython, modo chryſòn uocant, Hippocrates etiam chloròn, (τὸ χλωρὸν τοῦ ᾠοῦ, in libro de natura pueri,) Hermolaus. Ariſtoteles ὠχρὸν uocat: & alibi λέκυθον fœminino genere ut & Dioſcorides. Τῶν ᾠῶν τὰ χρυσᾶ, apud Athenæum inuenio. & ᾠὸν τὸ πυῤῥόν apud Suidam in Νεοττόν. Veteres oui luteũ etiam νεοττὸν uocabant, id eſt pullum: nimirum quòd pullum ex illo naſci formariq; exiſtimarent. καὶ πτέρυγα ᾠῶν μετὰ τοῦτο θλίπτειν τὸν νεοττόν, Menãder. Clearchus pulli genituram eſſe ſcribit ἐν τῷ λευκῷ, καὶ ἔτι ἐν τῷ καλαμιδίῳ νεοττῷ. δεινὸν δύο δόντας γὰρ οἱ πρῶτοι τοῦτο φύσαντες, καὶ ἔστι τὸ ὠχρὸν περίπλωμα τοῦ ἀπορρήτου. Chryſippus in libro de oraculis ſcribit, quendam ſomnium ſuum, quo oua à lecto ſuo pendentia uiderat, ad diuinatorem retuliſſe: audiſſeq; ex illo, inuenturum ſe ubi foderet theſaurum. Et cum uaſe in quo aurum argentumq; erat inuento, ad uatem argenti nonnihil attuliſſet: dixiſſe illum, Τὸ δὲ νεοττὸν δοῦναί μοι δίδωσι; hoc eſt, De uitello uerò nihil ne mihi dabis? Suidas in Νεοττόν. Luſit autem is pulchrè circa ſomnium ouorum, in quibus candidum & luteũ continetur, illud ad argentum, hoc ad aurum referens,

referens, cum in somnij interpretatione, tum magis argenti tantum parte munerí oblata. Demetrius Constantinopolitanus ὠὸν τὸ κρόκον dixit, Eustathius τὸ ἐν τοῖς ὠοῖς κροκωδὲς. λέκιθος (per iôta in penult, malim per ypsilon) proprie τὸ ξανθὸν τοῦ ὠοῦ ἀφ' οὗ τὸ λέπεσθαι κινεῖσθαι, Scholiastes Aristophanis. Vitellum ouí lecithon dici à Græcis scio, & approbat ad Glauconem primo Galenus. Cæterum λέκιθος masc. gen. (Eustathio teste) legumínis genus est, quod pisum (πίσον, Scholiastes Aristophanis, apud Suidam πιστὸς oxytonum duplici ſ. scriptum non probo) aliâs nuncupant, quod in Pisa Elidis abunde nascatur: refert autem colore luteum ouí, unde ei nomen. λεκιθοπώλης masc. gen. paroxytonum uerò cum iôta in ultima, λεκιθόπωλις, fœmininí, mulier quæ lecithon, id est pisum, & synecdochice quæuis legumina uendit, ἀπὸ τοῦ εἴδους πωλεῖν, Suidas. aut utilissima omnino, tanquam nugiuendula, ut Plauti uerbo utamur, Cælius. sunt qui etiam oua uendentem interpretentur, ut Suidas habet, quod minus placet. Sed Cornarius libro quinto Commentariorum in Galeni libros de compos. sec. loc. Lecythopolæ (inquit) Græcis appellantur, non qui pisa aut oua uendunt, sed pulmentaria è farinis legumínum elixatis & pinguedine aliqua conditis. nam edulium ex cicere & reliquis leguminibus fractis ἔτνος appellatur, sicut ex farina eorundem pulmentarium quod in aqua coquitur pinguí adiecto, λέκυθος (malim per iôta in penultima in hac significatione. ut in Galeni etiã Glossis legimus, λέκιθον φακῶν, τὸ ἔνδον τοῦ λέπους. id est lentium pars interior, intra corticem, uel à cortice separata) uelut in libro de boni & mali succi cibis Galenus ipse declarat. quare κυαμίνη λέκυθος, nihil aliud est quàm fabæ lomentum elixatum. Ad clauos & callos facit λέκυθος κυαμίνη μετ' ὄξους ἐψηθεῖσα, Paulo lib. 3. cap. 80. Idem ὀρόβινον λέκυθον, id est eruí farinam siue lomentum habet libro 3. cap. 25. & Hippocrates in Spurijs ad primum De muliebribus adiectis, πισσάνης (inquit) λέκυθον ἐμβαλὼν ὀλίγον χρέα ὕδατος, ἕψει μέχρι λιπαροῦς γένηται. Cæterum Artemidorus lib. 5. somnio 85. λέκυθον ouí testam appellat, nisi corrupta est lectio, & κέλυφος (aut λέπυρον) fortasse legendum. Verba eius hæc sunt: Ἐδόξέ τις ὅλος παρὰ τὰ ἀκτοίνης ὠὸν λαβεῖν ἔφθον, καὶ τὸν μὲν λέκυθον ἀπρίαι, τὸ δὲ ὠὸν κατεσθίειν. Hæc ferè Cornarius. Etymologia quidem tum interiorí legumínum partí ex qua farina fit, tum ouí luteo ferè conuenire uidetur, quoniam utrunq; intra suum corticem continetur, quanquam uitellus non immediatè, ἀφ' οὗ τὸ λέπεσθαι κινεῖσθαι. Legumen omne tribus modis manditur, inquit Athenæus. aut enim ex eo fit quod etnos dicitur, ut ex faba & piso. aut lecithos, ut ex araco aut phace. aut ex aphaca & lente, Hermolaus. Meleager Græcus author uolumen singulare scripsit, lecithi & phaces comparationem continens, Idem: ubi lecithus absolutè pro suí generis legumine accipiendus uidetur: aut pro lente molita uel saltem à corticibus separata. nam φακὸν lentem crudam interpretantur, φακλῶ coctam: potest autem coquí uel cum corticibus suis, ut sic cocta φακῆ dicatur: uel absq; illis, λέκιθος. Nec illud tacuerim lecython pro gutto olearío & ampulla falsò à quibusdam cœpisse lenticulam uocarí: nescío quàm peritè, cum lenticula uasculum non sit magis quàm id quod Græci discum uocant, &c. In summa lecithos pro legumine, aliquando pro putamine, per iôta scribitur: pro uitello per y. pro ampulla per u. potius quàm per y. Hermolaus. Verum pro ampulla non per u. ut Hermolaus putat, sed per y. penultima scribitur, prima uerò per e. longum, λήκυθος, cum in alijs significationibus per ε. scribatur, id est e. breue. Eustathius in sextum Odysseæ λήκυθον olearium uas dictum scribit παρὰ τὸ ἔλαιον κινεῖν, quod & ὄλπη uocetur, ἀφ' οὗ τὸ ἔλαιον πιεπόσθαι, ἤγουν κεκτῆσθαι: è pretiosa materia fierí solitum. non solum enim ad oleum simplex, sed etiam ad ungenta eius usus erat. Hinc forte uerbum ληκυθίζειν apud Strabonem lib. 13. (pro quo quidam ineptè in Lexicon Græcolatinum uulgare retulit λυκιθίζειν) μηδ' ἐν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν: quod quidam exponit themata & argumenta fictitia elaborare. Varinus interpretatur τὸ μεῖζον βοᾶν καὶ ψοφεῖν, ληκυθιεῖν uerò non τὸν μέγα βοῶντα, sed contrà τὸν μικρόφωνον. Placẽta λεκιθίτης dicebatur, cuí admixtus erat uitellus ouí, Eustathius. Theophrastus loti Aegyptiæ radicem decoctam, lecithodem fierí ciboq; gratam scribit: hoc est arací leguminis alterius in modum: quanquam Theodorus albumen ouí, quemadmodum in ea uoce luteum intellexerit, uehementer miror. cum lecythos uitellum ouí potius quàm candidum significare uideatur, hoc primí uidimus, seu rectè seu perperam: certè si errauimus, utilis & eruditus error futurus est, Hermolaus. uidetur autem aliquid in his uerbis esse corruptũ, & sic legendum: Quanquam Theodorus albumen ouí cur potius in ea uoce quàm luteũ intellexerit, &c. Locus est apud Theophrastum de hist. plant. 4. 10. Vbi Theophrasti uerba sunt, φλοιὸς πρὸς αὐτῷ μέλας. τὸ δὲ ἐντὸς λευκὸν. ἐψόμενον δὲ καὶ ἀπεφθὲν γίνεται λεκιθώδες. διὸ καὶ ἐν τῇ τροφῇ. Vbi Gaza uertit, elixũ assumq; in speciem albumínis uertí, sed ineptè, ut Hermolao etiam uidetur. Verum is quoque errat, lecithum hoc loco aracum legumen interpretatus: cum Dioscorides, qui totũ ferè caput de hac stirpe ex Theophrasto transcripsit, coctam eius radicẽ scribat τῇ ποιότητι ἀναλογεῖν λεκύθῳ ὠῷ. hoc est qualitate referre luteum ouí. Marcellus parí saporis qualitate esse transfert. Sed forte ad substantiam potius coloremq; referrí conuenit. cum Theophrastus doceat partem internam aliâs quidem albam esse, coctam uerò λεκιθώδη fierí. sic enim bilem quoq; λεκιθώδη, id est uitellinam dictam à coloris & crassitiei similitudine apud ueteres medicos nouimus.

¶ Ouí testam Serenus, aliquí putamen, Plinius calicem quoq; uocant. Græci κέλυφος, quod Suidas interpretatur τὸ λέπυρον τοῦ ὠοῦ. item λέπος, ut Anatolius, & λέμμα Aristophanes. Ouí putamen celyphanon dixit in Alexandra Lycophron. quanquam eo nomine quílibet cẽserí cortex ualeat, Cælius. Hippocrates in libro de natura pueri τὰ λεπύρια dixit: Aristoteles ὄστρακον. Nicandri

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 494 sur 825

Scholiastes ouа ὠόσπακα nominat quæ sine putamine redduntur. Ostracóderma ouа dicuntur putamine contecta testaceo, (ouа testea Macrobius dixit;) malacóderma uerò quæ molli obducuntur cute, Cælius. Ἀλλ' ὥσπερ ὠὸν νὴ Δι' ἀπλέψαντα χρὴ Ἀπὸ φλιφαλῆς τὸ λέμμα καθ' ὅτω φιλεῖν, Aristophanes in Auibus de formosa muliere uel meretrice, quæ laruata (personata) in scenam prodierat, quam quidam osculari se cupere dixerat. Lecython, id est uitellum ouí quidam sic dictum conijciunt, ἀφ' ὃ λείπει κύθεσθαι. Videtur & pro putamine lécythos accipi Artemidoro, nisi potius corrupta est lectio, ut superius dictum est. Annara (alibi Amiantus) id est testa ouorum unde pulli excluduntur, Syluaticus.

¶ Algarichi sunt cortices (membranæ potius) subtiles interiores ouorum & arūdinum, Andr. Bellunensis. Hippocrates ὑμένας uocat in libro de nat. pueri.

¶ c. Ouum in testatis, (ut ostreis, echinis, pectinibus) impropriè uocatur. tale enim quid est, quale est pingue in sanguineo genere cum uigent, Aristot. de partib. 4. 5. ¶ Incubare ouis uel pullis gallina dicitur plerunq; cum datiuo: Plinius libro 9. cum accusatiuo etiã dixit incubare oua. Græcè ἐπῳάζειν Aristophanes, Athenæus ἐπωαάζειν, Porphyrius θάλπειν. Ἐπικαθεζομένης φ μητρὸς θερμαίνεται τὸ ὠόν, Hippocrates in libro de nat. pueri. Ἢ καὶ ἀφαυρὰ Τέκνα πτηνὰ βώσασιν ὑπὸ πλουρῆσι θέρεσθαι, Nicander. ¶ Exeunt oua à rotundissima sui parte dum pariuntur, Plinius. Idem gallinas incubantes dixit oua excludere; & fœtum educere. Aues ex ouis excudunt pullos, Cicero 2. de nat. Varro etiam & Columella oua excudere dixerunt, & anserculum excussum. Καὶ ἐκόζαν ἡ ὄρνις ἄλεκτρυα τὸν νεοττὸν λιγυηχήσαντα ἰσχυρῶς, πολλάκις δὲ ἐλέγετο, Hippocrates. Οἱ ἀξύφοροι τὴν πόδισφρᾶ τοῖς θηλείαις σιωπῶσι λέπτοσι τὰ ὠά, Porphyrius libro 3. de abstinendo ab animatis. Ἐκβαλλέτω οὖν νεοττὸς, & ἐκγλύφειν τὰ ὠά, legimus apud Varinum in Alcyone. & in eadem significatione ἐκκολάπτειν uerbum in Lexico Græcolatino uulgari; & nomen ἐκκόλαψις τῶν ὠῶν. ¶ Italis chioccia uocatur gallina quę pullos alit, hoc est glociens uel glocitans. nostris **ein Gluggere** eadem origine: incubans uerò **ein Brütere**. Illam Latinè matricem dixeris, Matricem glocitatricem Grapaldus nominat. Gallina gracillat, Author Philomelę. Gybertus Longolius gallinas crocitantes dixit. Κακκάζειν uerbum est Atticum de gallinis uocem ędentibus circa partum, Hesychius & Varinus. huic simile est illud nostrum, **gaggsen**. Vocibus crebrum singultat acutis parturiens, Politianus de gallina. Pollux hoc uerbum de Meleagridum uoce in usu esse scribit. Ἀλεκτορίς γὰρ ἔοικε στωμύλως λυπηρὸν ἄκρισμα: ὁ δὲ μιμέμενος & ἀλεκτορίδα ἔοικεν ὑφαίνειν, Plutarchus. Sunt qui hoc dictum inter Germanos instar parœmiæ usurpent, **So mancher schrey/so manches ey thůt vnsere henne leggen**. hoc est, Gallina nostra toties parit, quoties clamárit. Τὰς ἀλεκτορίδας ἀπέκτειναν, τοὺς μὲν λιγυκόκκυγας καὶ ἀδόλεσχας ὡς τοῖς ὠοῖς μηνύσαι τὸν μοιχὸν, Suidas ex innominato. Vinum in quo trigle uiua suffocata fuerit, uiris impotentiam ad Venerem, mulieribus ut gallinis (ὄρνισι) quoq; sterilitatem adfert, Athenæus. ¶ Ouum ὑπεννέμιον, id est subuentaneum, aliqui ἀνεμίδιον uocant, ut Plato in Theæteto, Scholiastes Aristophanis. Eadē & ἀνεμαίας uocabant, Athenæus. Amorem siue Cupidinem Aristophanes in Auibus natum fingit ex ouo hyperemio à Nocte ædito. ¶ Semina omnia aliquid in se alimenti continent, quod unà cum generandi principio natura profundit, sicut in ouis. Qua de causa non inepte Empedocles, Oua solent excellis gignere ramis, inquit. (φασκων ὠοτοκεῖν μακρὰ δένδρα.) Enimuero natura seminum ouis proxima est, Theophrastus.

¶ d. Gallinæ instar uolui congregare filios tuos ô Jerusalem, ut pullos sub alas, & noluisti, Matthæi 23. Vt gallina pullos suos sub alas suas, sic uos ego collegi ingratos, Esdræ 4. 1. ¶ Serpentes pinguescunt ouis, Plinius.

¶ e. Qui gallinas alere permultas quæstus causa solerēt, Cicero Academicarum libro 3. Gallinam alitilem nominat Macrobius 3. 13. Pascales, id est pascuales, & oues & gallinæ appellantur, quòd passim pascantur, Festus. Græcè nomades dixeris. Ὄρνιθες σιτευτοὶ uel σιτηροὶ nominātur ab Athenæo libro 14. quæ etiam fœm. g. efferuntur, σιτευτὰς, σιτηρὰς. Plumulæ saginandis gallinis uel capis sub cauda & clunibus detrahendæ, uulgò dicuntur **mastfädern**.

Vocibus interea crebrum singultat acutis Parturiens coniunx: quæ scilicet oua subinde
Tollit anus, signatq; dies, uigilemq; lucernã Consulit: & Lunæ crescentis tempora seruans,
Vt primũ gallina glocit, numero impare subdit. Versatisq; diu, solers auscultat an intus
Pipiat inuolucer pullus, tenerumq; putamẽ Pertuderit molli rostro, atq; erumpere tentet, Politianus in Rustico. ¶ Vt equi ferocitatem deponant, pennam gallinæ quo uolueris modo eis deglutiendam præbe, Eumelus. Græcè legitur, Πτερὸν ὀρνιθίου οἴνῳ (lego ποίῳ) δόλῳ πρόπιε δίδου καταπιεῖν. ¶ Σκιμαλίζειν, tactu minimi digiti experiri an gallinæ oua gerant. Vide Varinum, ex Scholiaste Aristoph. in Acharnenses, & Cælium 9. 37. Aristophanes utitur pro contemnere, ὀζυβενίζειν, χλουάζειν. ¶ Supponere oua gallinis, Cicero. ¶ Gallinarum pullos eo colore enasci aiunt, quo oua incubanda tincta fuerint, ut in libello quodam Germanico manuscripto legimus. Sunt qui ouo inscribunt quæcunq; uelint intus, quòd cortex sit peruius & admittat colores. Gallas cum alumine tritas aceto subige. inde inscribe hoc liquore quod uelis cortici: & siccatum impone muriæ. uel cera oblines ouum, & inscriptis literis stylo, ut cera dehiscat maneantq; lituræ, in quibus humor imponatur, sic cum ouũ coquito, donec durescat. inde acri aceto infunde. sic enim literæ fiunt penetrabiles, quas cortice detracto uidebis in ouo, Cardanus ex Africano in Geoponicis Græcis. ¶ Ad lithostrota

conficienda

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 495 sur 825

conficienda (qualia uulgò Musaica uocant opera) ex frustulis lapidum diuersorum colorum glutino tenaci inuicem iunctis, fit maltha (glutinum) perpetua ex calce & suillo adipe, uel pice, aut oui candido, Cardanus. Qui colores picturarum illustrant, oui candidum spongia frangunt, donec prorsus tenue & aqueum fiat: quod ita fractum coloribus suis admiscẽt, ut uulgares etiam pictores. Olim ad ornandos crispandosq; capillos albi liquoris oui usus erat etiam pro iuuenibus, qui nunc puellis relinquitur, Tragus. In fornacibus laterum calx de testis ouorum uritur alchymistis utilis, Idem. ¶ In libro quodam Germanico manuscripto rationem traditam inuenio, qua ebur fictitium è testis ouorum fiat. ¶ Non præteribo miraculum, quanquam ad medicinam non pertinens: si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, consumunt illud in se: ita hoc uenenum auri est, Plinius.

¶ f. Nec minimo sanè discrimine refert, Quo gestu lepores & quo gallina secetur, Iuuenalis Sat. 5. Si pingui lacertæ, halinitro cyminoq; farinam tritici miscueris, gallinæ hoc cibo saginatæ adeò pinguefaciunt homines, ut disrumpantur, Cardanus. ¶ Coqui ad fercula quædam oua cochlearí conquassare uel agitare solent, ut undiquaq; misceantur, Germani dicunt Klopffen, hoc est pulsare. Ex lacte (inquit Apicius 7. 10.) lauas pulmones, & colas quod capere possunt, & infringis oua duo cruda. Oua quæ non sint recentia ueteres appellabãt requieta, Hermolaus. Oua uetera uulgò euanida dicuntur, Ferrariæ stantia, Latinis requieta, Brasauolus. Oua incocta pro crudis Marcellus dixit. Flos arbuti cõcauus est tanquam ouum exscalptum ore aperto, Theoph. de hist. 3. 16. Gaza interprete. Græcè legitur, αὖθ' ὡσπερ ὠὸν ἐγκεκολαμμένον, (forte ἐκκεκολαμμ.) τὸ στόμα σὺν ἀνεῳγμένον. Iudæos aiunt oua aperire parte acutiore, (ut si qua illic gutta sanguinis apparuerit, absti neant:) Italos obtusiore, nostri in latere aperiunt. Grandia præterea tortoq; calentia fœno Oua adsunt ipsis cum matribus, Iuuenalis Sat. 11. Ὑσσίδιον γὰρ καταλιπόντ' μοι πατρὸς, Οὕτω συνεστραμμένα, κἀξεικάκισται, (id est ueluti nucleos è nuce pinea euacuauí,) Ἐν μικρῷ ὀλίγοις, ὥσπερ ὠόν τις ῥοφῶν, Nicomachus apud Athenæum. Μαπύα κοινὸν ὄνομα πάντων τῶν πολυτελῶν ὑδυσμάτων, ut docet Artemidorus sic scribens de gallina mattya, (ἐάν τις, lego πρὸς, ἡ ὄρνιθ' μαπύης:) Ἐσφάχθω μὲν ἡδὺ τὸ σῶμα εἰς τὴν κεφαλὴν, ἔστω δὲ ἑωλὸν καθάπερ ὁ ῥοφῆξ. ἐὰν δὲ θέλῃς ὡς ἔχει τοῖς πέπροις ἐᾶν πιπλεῖν. Et rursus, Καὶ ποικίλα παχεῖαν ἕψε, καὶ νεοσσὸν τῶν ἁδυκοίντων. id est, Pascalem (liberè pascentem) pinguem coque, & pullos iam cucuriẽtes. Quòd si libuerit inter pocula (παρὰ πότον) uti, olera (cocta) in catillum exime, & minutatim cõcisis gallinæ carnes impone, labrusca cum suis acinis æstate aceti loco iuri adiecta, dum coquitur gallina. quam rursus eximes tempestiuè, priusquam uinacea remittat. hæc quidem mattya suauissima fuerit. Naucratitarum nuptialibus cœnis cauebatur, ne quis ouũ intulisse uellet, aut μελίπηκτα, id est mellita, Cælius ex Athenæo, qui Hermeam citat authorem. Aegyptij purificationis tempore animatis omnibus & ouis quoq; abstinebant, Porphyrius. Pythagoras interdicto illo quo à fabis abstinere (κυάμων ἀπέχεσθαι) iussit, per fabas oua intellexit. à quibus nimirum non alia ratione abstineri uoluit quàm à quorumuis animalium carnibus, par homini fore scelus existimans in aue aut auis ouo peccanti. Itaq; eius discipuli quotidianum illud iactabant, Ἕν τι (τοι) κυάμου ἔδειν, κεφαλάς τι τοκήων. quod est non differre comedisse oua, & parentum capita. Vocauit autem ouum cyamon, quòd quasi κύησις, id est fœtura animalis esset, & conceptum eius intra se clauderet, Marcellus Vergilius. Pythagoras abstinere iussit ouis, & quæ ex ouis nascuntur animalibus, Laertius. Cyami nomine non aliud intellexisse uidetur Pythagoras, quàm ouum, quòd sit in eo animalium κύησις, id est fœtura, Cælius. Plura leges apud Erasmum in Chiliadibus, in symbolo Fabis abstineto. ¶ Huc (ad superstitionem) pertinet, ouorũ ut exorbuerit quisq; calices cochlearumq;, protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari, Plin. Idem hodie circa oua in Bauaria obseruari Bauarus quidam mihi narrauit.

¶ h. An obsecro hercle habent quoq; gallinæ manus? Nam has quidem gallina scripsit, Plautus in Pseudolo. ¶ Quæstio ouum ne prius fuerit an gallina, mouetur à Macrobio, & à Plutarcho in Symposiacis 2. 3. ¶ Traditur quædam ars gallinarij cuiusdam, dicentis quod ouum ex quaq; gallina esset, Plin. Quum ouum inspexerant, quæ gallina peperisset dicere (aliâs discernere) solebant, Cicero lib. 2. Academicarum. ¶ Extat Niciæ cuiusdam perelegans tetrastichon, quo ridetur quidam tingendi capilli affectator: qui dum ei rei nimium studet, uitiata cute amiserit capillos omnes, hunc turpiter nudato capite ouum esse factum totum, facetissimè Nicias cauillatur: Καὶ σὺ ἀπὸ σοῦ ὦν λίαν ὠὸν ἅπας γέγονε, Cælius.

¶ Scribit Neocles Crotoniata, ouũ ex quo prognata credatur Helena, ex luna delapsum. quippe oua parere Selenetidas mulieres, indeq; nascentes homines quinquies decies esse nobis ampliores, quod approbat Herodorus quoq; Heracleotes, Cælius ex Athenei lib. 2. Superiora ædium tabulata, quæ ὑπερῷα nunc uocant, olim ὤϊα (uel ᾠα) uocabant. & Helena in istis domus partibus nata, ex ouo genita existimata est, ut Clearchus in Eroticis tradit. Vide plura infra in Prouerbijs, Ex ouo prodijt, &, Ouo prognatus eodem.

¶ Oui somnio thesaurus indicatus, ut supra retuli in b. ex Cælio Rhodigino. Ὠὰ κρατεῖν ἔδειν τὸ σημαίνει λύπας, Suidas.

¶ Liuia Augusta prima sua iuuenta, Tiberio Cæsare ex Nerone grauida, cum parere uirilem sexum admodum cuperet, hoc usa est puellari augurio, ouum in sinu fouendo, atq; cum deponen-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 496 sur 825

dum haberet, nutrici per sinum tradẽdo, ne intermitteretur tepor. Nec falsò augurata proditur, Plinius. Gallinam cum lauri ramulo cecidisse ferunt in sinum Liuiæ Drusillæ, &c. Niphus. Ad Gallinam uilla Cæsarum fuit ad Tyberim, uia Flaminia, quæ ab eo dicta est, quòd Augustæ ex alto abiecit in gremium aquila conspicui candoris gallinam, lauri ramum suis baccis fœtum rostro tenentem, quam seruari iusserant aruspices, ramum uerò inseri diligenter: quod ad uillam factum est, quę hac de causa Ad gallinã dicta fuit. Vide etiã infra in Prouerbio, Albæ gallinæ filius. Alia quædam leges in Gallo h. Orpheus scripsit Ooscopica, Ὠοσκοπικὰ, Suidas. hoc est de diuinatione ex ouis. Ouorum quondam purgandis piaculis, lustrationibusq; quotidianus erat usus: & in Bacchi Orgijs aliorumq; deorum sacrificijs, ubi pro homine soluendum aliquid deo esset, adhibebantur. Omittimus quæ in Orphicis & Bacchi Orgijs, in hac ipsa re obseruata ab antiquis traduntur, id solum ex eis repetemus, ideo religioni oua inseruisse, & in tanto honore cũctis gentibus fuisse, quòd capiente omni mundo tot animalium naturas & genera, nullum ferè est in quo non ex ouo species aliqua nascatur. Volucres passim ouum gignunt, aquatilia in mari penè infinita, in terrestribus lacertæ, in ambiguis & quibus in terra æquè quàm in aqua uictus est, crocodili, in bipedibus aues, in carentibus pedibus, angues, in multipedibus attelabi: & ne longiores simus, in pluribus generibus alijs plura alia. Ob quæ totam referre naturam credita fuerunt: & in religione ad placanda exorandaq; numina gratiorem habere potestatem: Marcellus Vergilius, nimirum ex Saturnalibus Macrobij 7. 16. cuius uerba superius retuli. Καὶ εἴπω εὗρον ἐν τῇ πρόσθῳ ἑκάστης λεπτὸν κέρμνον, ἢ ὠὸν ἐκ καθαρσίου, Lucianus in dialogis mortuorum, id est, Sicubi comperiat in triuijs Hecates cœnam iacentem, aut ex catharsio ouum. Catharsium in Græcorum doctrina uidetur purificatio quædam dici. Morem quip pe Athenis fuisse produnt, conciones expurgandi, atq; theatra, & omnino quemlibet populi conuentum. id uerò minutis fiebat porcellis, quos nominabant catharsia, eiusmodi obibant munus, qui dicebantur à colluſtratione peristiarchi. Oua expiationibus apta monstrat Iuuenalis illud, Nisi se centũ lustrauerit ouis. Sed & in arte Ouidius, oua hæc lustralia indicat illis uersibus: Et ueniat quæ lustret anus, lectumq; locumq; Præferat, & tremula, sulphur & oua manu. Eius autem ab recentioribus ratio promitur, quòd ex animaliũ generibus adeò multiformibus, plurima ædantur ouis, quæ uelut media sint inter animal & non animal, proinde pergrata dijs censuêre ueteres, Cælius, In purgationibus præterea notamus oua adhiberi solita, & sulphura, tædas, lauros & similia, ut ex Plinio, Iuuenale, Ouidio, Apuleio poetis ceteris colligimus, Gyrald. Oui quod in Cereali pompa solitum fuerit esse primum, meminit Varro de re rust. l. 2. Gallinæ luteo rostro pedibusq;, ad rem diuinam puræ non uidentur: ad opertanea sacra, nigræ, Plin. De Termini sacrificio Prudentius contra Symmachum ita canit: Et lapis illic Si stetit antiquus, quẽ cingere sueuerat error Fasceolis, uel gallinæ pulmone rogare, Frangitur, & nullis uiolatur Terminus extis. Aesculapio gallinæ immolabantur, Festus. uide in Gallo h. Libet expectare quis ægram Et claudentem oculos gallinam impendat amico Tam sterili, (pauperi,) Iuuenalis Sat. 2. immolabãt enim nimirum dijs, præsertim Aesculapio, pro salute & sanitate donanda gallinas. Magi Zoroastren secuti canes, gallinas (ὄρνιθας) & terrestres echinos bono deo attribuunt, aquaticos autem malo, Plutarchus in libro de Iside & Osiride. Ex animatis olim sex sacrificia in usu erant, de oue, sue, boue, capra, gallina & anſere, Suidas. uide in Oue h. Orpheus scripsit Oothytica, Ὠοθυτικὰ, Suidas. id est de sacrificijs ex ouis. Ouorum hecatombe, Ὠῶν ἑκατόμβη, ab Ephippo nominatur, (per iocum,) Athenæus.

¶ PROVERBIA à gallina. Feliciter natum, Albæ gallinæ filium dicimus. Quia tu gallinæ filius albæ, Iuuenalis Sat. 13. Vel quòd læta atq; auspicata Latini alba uocant, uel quòd prouerbium alludit ad fatalem illam gallinam, de qua meminit Suetonius Tranquillus in Galba, his quidem uerbis: Liuiæ olim statim post Augusti nuptias Veientanum suum reuisenti, præteruolans aquila, gallinam albam, ramulum laureum in rostro tenentem demisit in gremium. Cumq; nutriri alitem, ac pangi ramulum placuisset, tanta pullorũ soboles prouenit, ut hodie quoq; ea uilla Ad gallinas uocetur. Tale uerò lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent. Fuitq; mos triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere. Et obseruatum est, sub cuiusq; obitum, arborem ab ipso institutam elanguisse. Ergo nouissimo Neronis anno, & sylua omnis exaruit radicitus: & quic quid ibi gallinarum erat, interijt. Conueniet igitur adagium in eos, qui rara & fatali quadam felicitate successuq; rerum utuntur. Huic diuersum est illud apud eundem Iuuenalem, Nati infelicibus ouis. Non abhorret huic quod scribit M. Tullius libro Epistolarum familiarium septimo ad Curionem: Quum enim salutationi nos dedimus amicorum, quæ fit ex hoc etiam frequentius quàm solebat, quòd quasi auem albam uidentur bene sentientem ciuem uidere, abdo me in bibliothecam. Veteres enim quod inauspicatum haberi uolebant, atrum aut nigrum uocabant: quod felix, album. Vnde apud Senecam Asinius Pollio, Albutij sententias, quòd inaffectatæ essent & apertæ, solitus est albos appellare. Quin & Græcis λευκότερον εἰπεῖν dicitur, qui clarius rẽ explicat, Erasmus. Idem alibi in Prouerbio Alba auis, λευκὸς ὄρνις, eadem quæ nunc recitauimus Ciceronis uerba repetit, interpretatur autem pro re noua atq; auspicata. Quadrabit etiam (inquit) in rem admodum raram & inusitatam, quòd aues perpaucæ sint hoc colore. Ita Iuuenalis, Coruo quoque rarior albo. ¶ Lac gallinaceum, ὀρνίθων γάλα, id est gallinarum lac. dicitur in opulentos, & quibus quiduis rerum suppeditat, ut illud Copiæ cornu. Aut de raris inuentu, atq; ob id pretiosis: ut sit hyperbole significans nihil

nihil omnino deesse. Plinius in præfatione historiæ mundi, irridens Græcorum delicioſas quaſdam & magnificas inſcriptiones: Cerion (inquit) inſcripſêre, quod uolebant intelligi fauũ: alij κόρας ἀμαλθέας, quod copiæ cornu, uelut lactis gallinacei ſperare poſsis in uolumine hauſtum. Ἐγὼ γὰρ τοῦ᾽ ἂν ὀρνίθων γάλακτ᾽ Ἀντὶ τοῦ βίου λάβοιμ᾽ ἂν οὗ μενοῦν ἀκροᾶσθαι, Ariſtophanes in Veſpis, (in Acharnenſibus,) id eſt, Non lac hercle gallinaceum, Hacce pro uita capiam, quam mi adimis in præſentia. Euſtathius in quartum Odyſſeæ, citat hoc adagium ex Anaxagoræ fabula, cui titulus Γάλα, (decipitur Eraſmus, aut Euſtathius ex quo citat: lege, ex Anaxagoræ Phyſicis.) Rurſum Ariſtophanes Comicus in Auibus, Δώσομεν ὑμῖν Ἅπασι, πᾶσι, παύροις πᾶσιν Πλοῦτον ὑγίειαν, δυσδαιμονίαν, Βίον, εἰρήνην, νέότητα, γέλωτα, χοράς, θαλίας, γάλακτ᾽ ὀρνίθων. Ὥστε παρέσται ὑμῖν ἅπαντ᾽ Ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν. id eſt, Dabimus uobis ipſis, filijs, filiorum filijs, opulentiam bonæ ualetudinis, felicitatem, facultates, pacem, iuuentam, riſum, choros, feſta, lac gallinarum, ut ſitis præ bonorum copia laboraturi. Strabo Geographiæ lib. 14. narrat de Samiorum agris, quòd eſſent omnium rerũ ampliter feraces, illud uulgò iactatum eſſe, quòd lac etiam ferrent gallinaceum. Idem teſtatur hoc adagium apud Menandrum comicum inueniri. Athenæus lib. 9. Dipnoſoph. ex mediæ comœdiæ ſcriptore quodam Mneſimacho ſenarios hos adducit, καὶ τὸ λεγόμενον, Σπανιώτερον παρὰ τοῖς ὀρνίθων γάλα, Καὶ φασιανὸς ἀρτεπιλήπτῳ καλῶς. id eſt, Et quod dicit prouerbio, Lac ſuppetit res rara gallinaceum, ac Plumis reuulſis phaſianus adprobè. Rurſum lib. 9. adducit ex Numenio, Ἡσὶ ὅπερ ὀρνίθων καλέονται γάλα. id eſt, Atque quod gallinæ dicitur lac, Eraſmus. Anaxagoras in Phyſicis ſcribit id quod gallinæ lac uocatur, album in ouis liquorem eſſe. Animalibus uiuiparis cibus, qui lac uocatur, in mammis parentis paratus eſt: ſed cõtrà quàm homines putant & Alcmæon Crotoniates ait, non enim albumen oui lac eſt, ſed uitellus. hic enim pullis pro cibo eſt. illi albumen pro cibo eſſe exiſtimant, propter coloris affinitatem, Ariſtot. de generat. anim. 3. 2. Κατασήσω σ᾽ ἐγὼ Τύραννον, ὀρνίθων παρέξω σοι γάλα, Piſthetærus Herculi in Auibus Ariſtophanis. Scholiaſtes Ariſtoph. in Acharn. hoc prouerbium locum habere ait in ijs qui admodum fortunati ſunt, & nihil non poſsident, ita ut etiam circa res impoſsibiles aliquid lucrentur, impoſsibile enim eſt ut unquam lac è gallinis habeatur. at fortunati homines id quoq; ſi uoluerint comparare ſibi poſſunt. Meminit & Suidas. Βάλοιντο μὲν ἂν καὶ τῶν ὀρνίθων γάλα παρασχεῖν, Syneſius in epiſtolis. De herba quam ornithógala Græci uocant, ſcripſimus in Gallo a. ¶ Germanica prouerbia nonnulla etiam extant, à gallinis facta, ut ſunt: Per meſſem ferociũt gallinæ, In der ärn ſind die hüner traub. hoc eſt, Satietas ferociam parit. Gallinis caudam religare meditaris: Du wilt den hüneren den ſchwantz aufbinden: non diuerſo ſenſu ab iſto, Aquilam uolare doces. Cum alienis gallinis oua in nidum parere, Wil anderen hüneren ins neſt legen: ut apud Latinos, Alienum arare fundum, quod eſt cum alienis uxoribus rem habere.

¶ PROVERBIA ab ouis. Ouum adglutinas, Ἢ ὠὸν κολλᾷς, (ſi rectè legitur. malim κολλᾶς,) id eſt, Ouum glutino compingis. Refertur à Diogeniano. Ridiculè laborat, qui fractum oui putamen glutino ſarcire & coagmentare conetur, Eraſmus. ¶ Ab ouo uſq; ad mala, prouerbiali figura dixit Horatius in Sermonibus Sat. 3. pro eo quod eſt, ab initio conuiuij uſq; ad finem. Si collibuiſſet (inquit) ab ouo Vſq; ad mala citaret, iò Bacche modò ſumma Voce, modò hac reſonat quæ chordis quatuor ima. Antiquitus enim cœnam ab ouis auſpicabantur, malis finiebant. Erit uenuſtius, ſi longius trahatur, ab ouo uſq; ad mala: id eſt, toto colloquio, tota nauigatione, aut toto opere. Qui rem altius repetunt quàm oportet, notantur illo uerſu Horatiano, Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo, Eraſmus. ¶ Ex ouo prodijt, Ἐξ ὠοῦ ὀφθῆλθον, aiunt dici ſolitum de magnopere formoſis ac nitidis: quaſi neges communi hominum more natos, ſed ex ouo, more Caſtoris & Pollucis. Siquidem eſt in poetarum fabulis Ledam Tyndari filiam, ex Iouis concubitu duo peperiſſe oua, è quorum altero prodiêre gemini Caſtor & Pollux, inſigni forma iuuenes: ex altero nata eſt Helena, cuius forma literis omnium eſt nobilitata, Eraſmus. ¶ Ouo prognatus eodem. hoc fortaſsis ſimpliciter dictum eſt ab Horatio. Quandoquidem ad fabulam reſpicit Ledæ, quæ grauida ex Ioue in cygnum conuerſo, ouum peperit, unde gemini prognati Caſtor & Pollux. Id ouum Pauſanias in Laconicis refert. oſtendi apud Lacedæmonios ſuſpenſum tænijs à teſtudine templi. Verum ſi quis hoc dictum deflectat ad ijſdem natos parentibus, aut ab eodem eruditos præceptore, aut ita conſimilibus ingenijs, ut eodem ouo nati uideri poſsint, nihil æquè fuerit prouerbiale, ueluti ſi dicas: Vultus, ingenium, mores, facta, ac prorſus omnia ſic huic cum hoc conueniunt, ut iures eodem prognatos ouo. Ariſtoteles quidem oſtendit iuxta naturam fieri poſſe, ut ex eodem ouo duo pulli naſcantur, Eraſmus. ¶ Extant apud authores aliquot ſimilitudinis adagia, quorum de numero eſt, Non tam ouum ouo ſimile, de rebus indiſcretæ ſimilitudinis. Vides ne ut in prouerbio ſit ouorum inter ſe ſimilitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuiſſe complureis ſaluis rebus illis, qui gallinas alere quæſtus cauſa ſolerent. Ii cum ouum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant. Neq; id eſt contra nos. Nam nobis ſatis oua internoſcere, Cicero 2. Academic. Idem prouerbium refertur & à F. Quintiliano. Vſurpatur & à Seneca in libello, quem in Claudium Imperatorem luſit, Eraſmus. Ouorum inter ſe miram ac propè indiſcretã ſimilitudinem, ſæpenumerò apud animum meum non ſine ſtupore perpendi. Alterum enim alteri ſi compares, fallitur examen, hebeſcitq; intuentis obtutus: tanta prorſum paritas eſt, tantaq; geminitudo, Cælius. Huic ſimile eſt aut idem potius apud Germanos, Tappio referẽte, Eyer ſind eyern gleych. & hoc, Wär er einem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 498 sur 825

haſen ſo ánlich als einem narren/die hund hetten jn langſt zerriſſen. ¶ Ὡὸς πολὺ λαλιώτερον, id eſt, Quo multò candidius Sappho dixit, Athenæus. ¶ Apud Tappiũ hæc etiam Germanica inuenio: Ouũ præ gallina ſapit, Sas ey wil klüger ſeyn dann die henne. cui illud Latinorum reſpondet, Ante barbam doces ſenes. Qui oua deſiderat, gallinarum obſtreperos cantus ferat oportet: Wär eyer wil haben/der můß der hennen kackelen lyden. Qui uitat molam, uitat farinam. Hollandorũ eſt, Anſerinis neglectis oua gallinacea requiris, Su ſüiſt nae thennen ay/vnde leſt tganſen ay varen. cui Tappius illud Græcorum confert, Omiſſa hypera pedem inſequeris.

DE PVLLIS GALLINACEIS.

DE pullis gallinacei generis etſi quædam ſuperius dicta ſint in Gallinæ hiſtoria, capite tertio & quinto & ſexto, & alibi fortaſsis: hîc tamen de iiſdem copioſius ſeparatim agere uolui, ſuperioribus quidem nõ repetitis. neq; enim ullarum auium pulli ita in uſu ſunt ad cibum, ac gallinacei. Nominat autem pullos gallinaceos Plautus in Captiuis, fœtus ſcilicet gallinarum adhuc tenellos: & Martialis in lemmate diſtichi, Si Libycæ nobis uolucres & Phaſides eſſent, Acciperes. at nunc accipe cortis aues. Sed abſolutè etiam pullos pro gallinaceis poni inuenio apud Vegetium & alios. Pelicula quæ ſolet pullorum uentribus adhærere, Palladius in Maio Tit. 9. Puls potiſſimum dabatur pullis in auſpicijs, Feſtus. dabatur autẽ non quibusliber, ſed gallinaceis. Heliogabalus una die non niſi de phaſianis tãtum edebat, alia die de pullis, Lampridius. Gigeria pullorum coques, Apicius. Pullaſtrum & pullaſtram neotericè uocamus, Grapaldus. Pullaſtræ uocabulo pro parua gallina, Hermolaus, Sipontinus & Platina utuntur. Quidam etiam fœmininо genere pullas efferunt, è re centioribus. Pullaſter uel pullaſtra, ſignificat gallum uel gallinam adoleſcentes. ſic à M. Varrone libro 3. de re ruſt. pullaſtræ dicuntur iuuencæ gallinæ, ait enim, Et ea quæ ſubijcias potius è uetulis quàm è pullaſtris. Pro pullo pulleiacium Auguſtus dicere ſolebat, ut ait Tranquillus. Pullicenus (aliâs pullicinus, quod magis placet. nam & Itali hodieq; pulcinos uel pullicinos appellant) diminutiuum à pullo. Seruos habuit uectigales, qui eos ex ouis & pullicenis & pipionibus alerent, Lampridius de Alexandro Seuero. ¶ Ab Athenæo libro 9. νεοσσοὶ ὄρνιθων & ἵπποι dicuntur. Νεοττοὶ δὲς ἀλεκτορίδων καὶ χηνῶν, Ariſtoteli ſunt fœmellæ iuuencæ è gallinaceo uel anſerum genere, quæ nuper ſcilicet parere cœperunt: poſſunt etiam ſic dici antequam pepererint. Athenæus pullos gallinaceos à Græcis hippos, hoc eſt quaſi equulos uocari ſcribit: credo, quia pulli propriè ſunt equorum, Hermolaus. Ὀτοβόσκος ζωμὸς, id eſt, pulli gallinacei ius, Dioſcorides. Ὀρτάλιχος (uox poetica) tum gallum ipſum tum pullum gallinaceum ſignificat. ſed pullum frequentius. uide in Gallo H. a. Ὀρτάλιχοι, pulli qui nondum uolare poſſunt: & galli ipſi Bœotis (quod & Scholiaſtes Ariſtophanis ſcribit,) Varinus. Pullos qui recens apparuerunt, (Ὀρνίθων τὰ ἐν ὠῷ πω ὄντα) Græci νεοττοὺς uocant, aliqui ὀρτάλιχος, Euſtathius. Ἀνορταλίζειν uerbum Ariſtophani in Equitibus efferri & ſuperbire ſignificat: uel leuiter agere, & nimis facile aliquid credere. Propriè autem ὀρταλίζειν dicitur de auibus uolare incipientibus (ὧν πρῶ ἀρχομένων ἀναπτερύσσεσθαι ὀρνίθων. ut & πτερυγίζειν) uel de ijs qui pueros in ſublime efferunt citato motu, (ἀναβιβάζειν τὰ νήπια πρῶ παιδίων, οἷον ὀρθὰ ποιεῖν εἰς ὕψος,) & impropriè deinde etiam de alijs motibus, Scholiaſtes Ariſtophanis.

Aues πρεπίστιν & πτωκτεῖς dicuntur, quæ antequam ocyptera, id eſt pennę maiores eis enatę aut ſatis perfectæ fuerint, uolare geſtiunt, inutili & ſæpe noxio conatu, cum cadant interdum & in humum allidantur. eædem ὀρτάλιχοι dicuntur, ὡς λίχνοτον (γλίχνοτον) ὀρθῆν, hoc eſt à cupiditate motus & uolatus, Io. Tzetzes 7. 128. Ὄρνιθον ἁδροσθῶν μικτόβιον ὀρταλίχων, Verſus à Suida citatus. Ὀυσὶ' ὀπὸτ' ὀρτάλιχοι μινυροὶ ὧν πώτην ὀρῶν, Theocritus Idyllio 15. Βοσκαδίης χηνὸς νέον ὀρταλιχῆα, Nicander de pullo anſeris. Plura de uoce ortálichos leges in Gallo a. Νέβρακον, pulli gallinacei maſculi, Heſychius & Varinus. Alectryon Græcis gallus eſt, unde diminutiuum ἀλεκτρυόνιον: ut ab alector ἀλεκτορίσκος, & patronymica forma ἀλεκτορίδης, ut ſcripſimus in Gallo H. a. Pulli Græcè uulgò ἀλεκτοροπόδια dicuntur, apud Symeonem Sethi ὀρνιθόποδα. Alfrach (Arabicè) eſt nomen commune ad omnes pullos, & quandoq; dicitur de gallina iuuene, quæ nondum oua peperit: ſed abſolutè prolatum ſignificat pullum columbinum, qui nondum uolare poteſt, Andr. Bellunenſis. ¶ Pullus Italicè dicitur pollo, pollaſtro, pulcin. ſed hic propriè tener adhuc & implumis, pullaſtro maiuſculus & iam menſis aptus. Gallicè poulſin, pouſsin, pol, pollet, cochet, & pollaille de pullaſtra adultiore. Germanicè Hünle/Hüncel. Anglicè chyk.

¶ Pullos maturos dicere poſſumus primo uere excluſos: ut ſerotinos illos quos patria lingua autumnales appellamus. Et ſerotini quidem non pariunt oua ſub ueris initio, quemadmodũ illi quos maturos eſſe dixi. quamobrem non ad pullationem, ſed ad ueru aluntur, Gyb. Longolius.

C.

¶ Varro pullos pipare dixit, Nonius. Vide in Gallina C. Pipire propriè dicuntur pulli gallinacei (& huiuſmodi) Columellæ. Vrticarum genera quædam pullis mortifera ſunt, quæ gallina roſtro conatur euellere, Albertus.

E.

¶ Muſtelæ cinis ſi detur in offa gallinaceis pullis, tutos eſſe à muſtelis aiunt, Plinius.

De ijs

F. & G.

De ijs quæ circa salubritatem pullorum gallinaceorum, & apparatum ad cibum & remedia considerantur, abunde dictum est in Gallinacei historia.

H.

a. Pullus generale uocabulum est omniũ alitum: & quadrupedũ etiam quorũdam fœtus pulli dicuntur, ut equi & asini, unde pullini dentes, Grapaldus. Pullos dicimus paruos fœtus quorumcunq; animalium, sed præcipuè auium: & inter eas gallinarum præcipuè per excellentiam. Sed iumentorum quoq;, ut Græci πῶλον, nos fœle. Ranæ pullos Horatius dixit, de apibus nouellis Columella. Quia tu gallinæ filius albæ, Nos uiles pulli nati infœlicibus ouis, Iuuenalis. Quinetiam arborum atq; plantarum pullos dicimus, ut Plinius, unde uerba pullulare, pullescere, pullulascere. Pullatio, fœtura pullorum, Columellæ. Pullities ipsa pullatio uel pulli ipsi: qua uoce idem utitur de turture, anseribus & apibus. Georg. Alexandrinus in priscarum uocũ enarratione, pullicium, (pullicie m legendum arbitror) interpretatur fœturam pullorum è Varronis lib. 3. Pullinus, quod est pulli, unde pullini dentes, quos primum equi iaciunt. Pullarius, qui pullorum curam habet. & qui è pastu pullorum captat auspicia, ut in Gallo h. ostendimus.

¶ c. Alulen, id est cibus pullorum, Vetus Glossographus Auicennæ. Insipere, farinam facere pultis, (lego pullis.) Vnde dissipare, obsipare. ut cum rustici dicunt, Obsipa pullis escã, Festus.

¶ h. C. Claudio, M. Perpenna C O S S. pullus gallinaceus quadrupes natus, Iulius Obsequens. Vide supra in Gallina b. ¶ De augurijs uel auspicijs è pullis, leges in Gallo h. Aduersus grandines olim agnum aut pullum immolabant, Cælius Calcagninus in libro de re nautica.

DE GALLINIS SYLVESTRIBVS.

1. In genere, & de nonnullis etiam particulatim.
2. De rustica gallina.
3. De meleagride.
4. De Africanis uel Numidicis.
5. De Indicis, uel gallopauis.
6. De alia gallina Indica.
7. De lanatis.
8. De otide uel tarda.
9. De tetraone uel tetrace uel erythrotaone.
10. De uro gallo maiore.
11. De gallo betulæ.
12. De uro gallo minore.
13. De grygallo maiore minoreq;.
14. De gallinulis terrestribus, & primum de hegeschara uulgò dicta.
15. De arquata maiore, & phæopode duplici, quarum alteram arquatam minorem uocaui.
16. De ralla terrestri.
17. De gallinulis aquaticis lõgis cruribus in genere.
18. De auibus quarum ueteres meminerunt, quæ ad genus gallinaginum aquaticarum referri posse uidentur.
19. De rusticula, uel perdice rustica maiore.
20. De gallinagine siue rusticula minore.
21. De duodecim generibus gallinularum aquaticarũ, quæ circa Argentoratum capiunt, &c.
22. De gallinulis duabus siue ardeolis marinis.
23. De glottide.

DE GALLINIS SYLVESTRIBVS IN GENERE, & de nonnullis etiam particulatim.

GALLOS gallinásue syluestres aut feros ferásue dicamus, utrunq; sexum comprehendendo, nihil interest. Dixerim autem syluestres potius quàm agrestes. Nam agrestes uel pascales eas potius rectè appellari puto, quæ licet domesticæ, non inclusæ tamen, sed in agris liberè pascuntur: nomades Græcis: & similiter ferè in columbarum genere. Græci animalia syluestria uidentur ἄγρια uocare, agrestia uerò ἀγροικα, ut Galenus de cõpos. medic. sec. genera, lib. 3. cap. 5. Sunt sanè permulta earum genera, figura, magnitudine, locis in quibus degũt, & alijs quæ circa naturam eorum & cibi rationem considerantur, longè differentia: ut imperitè illi facere uideantur, qui de gallinis syluestribus in genere aliquid scribunt. Quoniam tamẽ à ueteribus, & recentioribus etiam, pauca quædam sic scripta inueni, ea unum in locum hîc coniungenda existimaui. Fieri autem potest, ut certam aliquam speciem per excellentiã generali galli syluestris nomine appellarint. Ego uel phasianum, uel magnos gallos montanos syluestris nomine apud ueteres acceperim, medicos præsertim. In theriacæ ratione gallum syluestrem nominat Galenus: id interpretatus Auicenna fasianum marem eo nomine intelligendum prodit, Cælius. Gallus syluestris, id est fasianus siccior altili, Syluaticus.

¶ Theophrastus scribit ex gallinaceis libidinosiores domesticis agrestes esse, itemq; mares statim à cubili uelle coire, fœminas autem magis procedente die, Aelian. Vide supra in Gallo c. ¶ Gallinæ montanæ in uictu attenuante conceduntur à Galeno. ¶ Gallinarum adeps medius est inter anserinum & suillum: sed ex agrestibus gallinis tenuiorum est partium, ut scripsi in Gallo uillatico G. sed Græcus codex (lib. 3. de compos. medic. sec. genera) adipis τῶν ἀγροικων ἀλεκτρυόνων καὶ ἀλεκτορίδων mentionem facit, ἄγροικα appellans, quæ non in ciuitatibus sed ruri pascuntur, ut ipse uidetur interpretari. Sed quod ad remedia, syluestrium adipes magis etiam quàm agrestium subtiles dixeris. ¶ Gallinæ syluestres, montanæ præsertim, quo cibo captæ ali debeant, non constat. quidam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 500 sur 825

captas omnino cibum reſpuere aiunt, aut rarò ſumere. ¶ Paſſilli apparatum è pullaſtro ex Germanico Baltaſaris Coqui libro in Gallo deſcripſimus. monet autem gallinas ſylueſtres quoq; ſimiliter parari, ſed laridum paſsim infigẽdum eſſe, ut ſolet aſſandis. De gallinæ ſylueſtris coctura, uide etiam in Pauone.

¶ Dukiphat, דוכיפת, Hebraicum nomen, Leuitici undecimo & Deut. 14. R. Salomon exponit gallum ſylueſtrem duplicata criſta, qui uulgò dicatur, חחפא, hachpha, (forte legendum hupa, חופא, ſic enim Galli upupam uocant:) unde etiam nomen ſit, quaſi du, id eſt duas habens, cephor, id eſt criſtas. Chaldaicè uocatur נגרשרא (negarſchara, ni fallor) id eſt artifex montis, propter opera ſua, ut inquit R. Salomon. Iudæi uulgò Germanicè interpretantur Vrhan, id eſt maximum gallum ſylueſtrem. noſtri upupam, Paul. Fagius. Dauid Kimhi etiam ex magiſtrorum ſententia gallum ſylueſtrem interpretatur. Chaldaica translatio Deut. 14. habet בגר טורא, kagar thura, upupã intelligunt: Arabica חרחר, hadhar: Perſica אן בח בנך, an coh benak. Septuaginta Deut. 14. porphyrionem uerterunt, Leuitici 11. upupam, ut & Hieronymus, quod probat Sanctes. Sunt qui gallinã Africanam aut Meleagridem intelligant. ¶ Neelaſa, נעלסה, Iob 39. Kimhi exponit טיוס (ταὼς) id eſt pauones. Sententia hæc eſt: Nunquid (dediſti) alas plauſibiles pauonibus, aut pẽnas ciconiæ & plumas? interprete Munſtero. Septuaginta Hebraicã uocem relinquũt. Chaldæus pro neelaſa ponit תרנגול ברא, hoc eſt gallum ſylueſtrem. R. Abraham putat eſſe ſtruthionem. ¶ Ranan, רנן, ut D. Kimhi docet, auis eſt quæ exultat & ſibi placet ob uocem aut pennas, nimirũ pauo. In commentarijs etiam in Iob cap. 39. multos ſcribit pauonem putare. Alij auem eſſe conijciunt cantu excellentem, ueluti הרריגיירולו (ſi rectè ſcribitur. luſciniam intelligo, quæ gallis ruſsignole dicitur.) Aliqui uolunt eſſe auem quæ delectatur in ſuo cantu, Munſterus. Leui ben Gerſon alam aut pennam potius auis intelligit. Interpres noſter ſtruthionis pennam reddit. Vtuntur autem ſtruthionum pennis in criſtis qui exultant & lætitiam aut ſuperbiam oſtentant. Chaldæus uertit תרנגול ברא, id eſt gallum ſylueſtrem. Septuaginta τραπμώων. זיז, ſis uel ziz, Hebræis nomen generale eſt de omni fera beſtia. Rabini quidam auem maximam interpretantur, quæ alis ſuis extenſis Solem obſcuret, Pſalmo 80. alij ſimpliciter auem quandam, alij omne reptile agri exponunt. Septuaginta μονιὸν ἄγριον, id eſt aprum, (uide in Apro A.) Chaldæus tharnegul, id eſt gallum ſylueſtrem. rurſus Septuaginta ὡραιότητα, Pſalmo 50. Hieronymus pulchritudinem. Auguſtinus ſpecies. Eſaiæ 66. Septuaginta εἰστοδν. Ionathan מחמור זיז יקרתא, mechamar ſis iekaratha, Hieronymus omnimodam gloriam, Symmachus pinguedinem, Theodot. multitudo, Aquila ταυποδιαπλῶ χώρας, malim ταυποδιαπλῶ ὥραν.

¶ Vpupam Varinus ἀλεκτρυόνα ἄγριον, id eſt gallum ſylueſtrem interpretatur. & Itali quidã eandem gallum paradiſi uocitant. Videtur autem ei galli nomẽ attribui propter criſtam. quamuis illam è pluma tantum habet, non ut gallinaceum genus ex cartilagine quadã carnoſa. Hebraicam quoque uocem dukiphat, ut paulò ante retuli, alij upupam, alij gallum ſylueſtrem exponunt. ¶ Κυπαειόσια, genus gallinaceorum, Heſych. & Varinus.

¶ A Sueuis circa Rauenſpurgum audio genus quoddam galli ſylueſtris Riethanen, id eſt gallos paluſtres appellari, magnitudine anſeris ferè, pedibus gallinacei; capitibus pulchris, magnis, in quibus pennæ rubicundæ ſpectentur, caudis ferè quales galli Italici gerunt, rarò capi niſi hyeme ali quando, captos interdum ſale condiri. Ab Hieronymo Trago inter feras gallinas nominantur rot hũner, id eſt gallinæ rubicundæ Germanicè dictæ. Longolius hoc Germanicum nomen perdici Græcæ attribuit. uidetur autem perdicem rubram uulgò dictam intelligere. ¶ Lagopodem alpium noſtrarum incolæ nominant gallinam ſaxorũ uel niuium, Steinhũn, Schneehũn, Schiat hũn. ¶ Attagenem noſtram, id eſt gallinam corylorum, quidam Gallicè uel Sabaudicè uocant gelinettam, id eſt gallinulam, uel gallinulam ſylueſtrem. Supra ſtatim poſt Attagenẽ de GALLO PALVSTRI illo quem Scoti uocant Mûrkock, ſcripſimus, & effigiem eius è Scotia miſſam addidimus. ¶ Reperitur in Scotia etiam aliud genus galli ſylueſtris, phaſiano carne ac magnitudine ſimillimum: ſed nigra pluma, rubentibus admodum palpebris. ſylueſtrem agri gallum noſtrates (Scoti) dicunt, eſtq; frumento uictitans, Hector Boëthius in deſcriptione Regni Scotiæ. Huius alitis effigiem, quam unà cum proximè dicta, Cl. V. Henricus à S. Claro è Scotia nobis tranſmittendam curauit, hîc adieci. Scoti in hoc genere marẽ uocant ane blak cok, id eſt gallum nigrum: fœminam quæ magnitudine inferior & colore dilutior eſt, ane grey hen, id eſt gallinam fuſcam. Mas collo, pectore, alis coxiſq; punctis rubicundis aſperſus eſt, fœminam leucophæam maculę nigræ uariant. Supercilia & barbulas in utroq; ſexu membrana rubens inſignit. Anglus quidam hac icone uiſa, in Anglia etiam capi retulit locis erica plenis.



¶ Eandem auem Guil. Turnerus intelligere uidetur, in deſcriptione quam ſtatim ſubdemus, niſi fœminæ alium colorem tribueret, quam ait magis ruffam eſſe perdice, cum fœmina galli nigri Scotici fuſca ſit, ut diximus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 501 sur 825

Gallinaceum ſyluestre genus apud nos est (inquit Turnerus Anglus, Morhennam uulgò uocant, ni fallor, forte propter colorem maris nigrum ut in Mauris: alij, puto, hethcok, id est gallum ericarum) in quo fœmina à mare ita differt, ut duorum generum istiusmodi rerum imperito uideri possint. Mas gallo domestico paulò minor totus niger est, excepta ea parte caudæ quæ podicem tegit, ea enim alba est. Cæterum nigredo huius nonnihil splendescit, ad eum ferè modum quo columborum nigrorum torques circa colla splendescunt. ad uiriditatem igitur proximè accedit. in capite rubrum quendam habet, sed carneum cirrum, & circa genas duos habet uelut lobos rubros, & eos carneos. Fœmina tota maculis distincta est, & à perdice, nisi maior esset, & ruffa magis, ægrè dignosci posset. In desertis locis & planis, erica potissimùm consitis, ambo degunt. grano uescuntur, & summis ericæ germinibus. Breues habent alas; & breues faciunt uolatus. Hanc auem attagenem esse conijcerem: sed qui attagenem describunt, marem à fœmina nõ separant. unde colligo eundem fuisse colorem, & eandem figuram maris & fœminæ. Quòd si attagen non sit, gallina uidetur esse Varronis ruſtica, Hæc ille. Verum hanc auem non esse attagenem, ex eius historia apparebit: præsertim cum attagen paluſtris sit, hæc non item. Vide an eadem sit auis, quam Gyb. Longolius attagenem putauit: cuius uerba recitabimus infra in Grygallo.

DE GALLINA RVSTICA.

ALIA uideri potest gallina ruſtica, cuius Columella & Varro meminerunt: alia uerò perdix ruſtica, cuius Martialis, eadem (ni fallor) ruſticula Plinio dicta. ¶ Gallinæ quæ uocantur trium generum sunt, uillaticæ, & ruſticæ, & Africanæ, Varro & Columella. Ruſtica gallina non dissimilis uillaticæ, per aucupem decipitur: eaq; plurima est in insula, quam nautæ in Liguſtico mari sitam producto nomine alitis Gallinariã uocitauerunt, Columella. Gallinæ ruſticæ (inquit Varro) sunt in urbe raræ, nec ferè mansuetæ sine cauea uidentur Romæ, similes facie non his uillaticis gallinis nostris, sed Africanis aspectu ac facie incontaminata. In ornatibus publicis solent poni cum psittacis, ac mẽrulis albis, item alijs id genus rebus inusitatis. neq; ferè in uillis oua ac pullos faciunt; sed in syluis. Ab his gallinis dicitur insula Gallinaria appellata, quæ est in mari Thusco secundum Italiam contra montes Liguſticos, uigintimilliũ Albingaunium. alij ab his uillaticis inuectis à nautis ibi feris factis procreatis, Hæc ille. Albingaunij quidem Liguriæ oppidi Plinius etiam mẽminit. est autem illi uicinum Intemelium oppidum, & sic apud Varronem legendũ puto, (sic & Hermolaum legisse uideo,) non uigintimilliũ, ut Gallinaria insula sita intelligatur cõtra hæc duo Liguriæ oppida & Liguſticos montes. ¶ Syluestres gallinæ quæ ruſticæ appellantur, in seruitute non fœtant: & ideo nihil de his educandis præcipimus, nisi ut cibus ad satietatem præbeatur, quò sint cum uiuiorum epulis aptiores, Columella.

¶ Ruſticæ gallinæ sunt agrestes (syluestres potius) rostro longiore, quæ per diminutionem ruſticulæ quoq; appellantur, Ge. Alexandrinus: quem uideo gallinaginem uel perdicem ruſticam, (quam Galli beccassam à rostri longitudine, nostri Schnepff appellant, Plinius, ut uidetur, ruſticulam,) pro gallina ruſtica accepisse. Audio & hodie circa Bononiam in Italia gallinã ruſticam siue ruſticellam nominari auem paluſtrem & lautam, haud scio an beccassam, an aliam quandam. Sed cum Columella gallinam ruſticam uillaticæ non dissimilem faciat, beccassa uerò longè dissimilior sit illi quàm aliæ quædam syluestres gallinæ, inter alias quærenda est quæ nam tum forma tum magnitudine ad uillaticam accedat proximè: qualis illa est cuius è Scotia missæ imaginem paulò antè posuimus: uel illa (nisi eadẽ sit) quam in Anglia reperiri Turnerus scripsit, ut proximè recitauimus: in quo genere mas totus niger est, fœmina uaria instar perdicis, &c. Rursus cum Varro ruſticas non uillaticis gallinis sed Africanis aspectu similes scribat, ac facie incontaminata: Africanas autem non alias quàm Meleagrides faciat, dubitare aliquis posset, tanquã alia Varronis quàm Columellę gallina ruſtica esset. quod mihi quidem non uidetur. possunt enim ruſticę uillaticis reliquo corpore similes esse, facie uerò dissimiles. ¶ Gallina apud nos ruſtica (inquit Turnerus) nusquam reperitur, si gallina illa quam morhennam uocant, (quam supra uerbis ipsius descripsimus,) non sit: quamuis de eadem an attagen sit dubitamus.

DE MELEAGRIDE.

A. & B.

CIRCA Meleagridis historiã nec ueteres ferè scriptores, nec; recentiores consentiunt. quàmobrem ueterum de ijs scripta primo loco adferre placuit, deinde recentiorum seorsim. Græcè scribitur Μελεαγρὶς oxytonum, fœmininо genere. ¶ Gallinæ Africanæ sunt grandes, uariæ, gibberæ, (gibbosæ, ut Beroaldus exponit) quas Meleagridas appellant Græci. hæ nouissimæ in triclinium gallinarium introierunt è culina propter fastidium hominum. Væneunt propter penuriam magno, Varro. Simili modo (ut Memnonides circa Memnonis sepulchrum in Ilio) pugnãt Meleagrides in Bœotia. Africæ h c est gallinarum genus, gibberum (aliàs giberium, Volaterranus gilbarum legit) uarijs sparsum plumis: quæ nouissimæ sunt peregrinarum auium in mensas receptæ, propter

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 502 sur 825

ingratũ uirus. Verum Meleagri tumulus nobiles eas fecit, Plinius. Columella diſtinguit: Africana gallina eſt (inquit) quam pleriq; Numidicam dicunt, Meleagridi ſimilis, niſi quòd rutilã galeam & criſtam capite gerit, quæ utraq; ſunt in Meleagride cœrulea, Columella. Tranquillus etiã cum Columella ſentiens, ſeparat Meleagridas à Numidicis (ſeu Africanis. nam Varro, & Plinius quoq; ut uidetur non diſcernunt) Volaterranus & Niphus. Meleagrides, & Numidicæ & Gutteræ, aues ſunt quæ & Afræ dicuntur, Ge. Alexandrinus. apparet autem illum pro gibberis apud Varronem gutteras legiſſe: & conijcíat aliquis gutteras forte cognominari poſſe quòd plumis uarijs quaſi guttis diſtinguantur, ut Plinius & Athenæus teſtantur de Meleagride. Et picta perdix, Numidi cæq; guttatæ, Martialis. ſed cum gutterum pro guttato alius nemo, quod ſciam, dixerit, non temere quicquam mutárim. In eo etiam quòd galeam Meleagridi rutilam eſſe Columella ſcribit, ut & criſtam, mendum mihi ſubeſſe uidetur: & paleam legendum. uocant autem paleam uel paleas, quæ ueluti barbæ à gallinarum roſtro dependent, ut in Gallo B. docuimus. quanquam, ut author eſt Clytus apud Athenæum, barbam ſeu paleas propriè dictas non habet, ſed eius loco carnem oblongam, & magis quàm in gallinis rubentem.

¶ Meleagrides fert ultima Syriæ regio, ut Diodorus Siculus ſcribit. Mneſias Africæ locum (la cum) Sycionem appellatum tradit, & Cratin amnem in Oceanum effluentem è lacu, in quo aues quas Meleagridas & penelopas uocat uiuere, Plinius. Meleagrides aues paſcebantur in Acropoli, Suidas & Varinus. Meleagrides primi feruntur habuiſſe Aetoli, Athenæus. Strabo libro 16. circa Arabiam alicubi, in fronte portus magni (ſic dicti) tres inſulas eſſe ſcribit, quarum una Meleagrides multas habeat.

¶ Clytus Mileſius Ariſtotelis diſcipulus libro 1. de Mileto, Circa templum Virginis, inquit, in Olero (codex Græcus habet ἀφρῷ. Gillius uertit ad templum æreum: & idem ſcribit, Hiſirum in Olero tradere Meleagridas à nullis auibus quæ unguibus ſint uncis uiolari. Volaterranus ex Aeliano legit, Meleagrides in Lero inſula eſſe. eſt autem Leros inſula in Icario mari. ego in Olero legerim, quæ urbs eſt Cretæ in alto loco ſita, à qua Minerua (quam & Virginem, παρθένον, per excellentiam uocant) Oleria dicta, & feſtum eius Olerium, apud Stephanum. conijcio autem has alites Mineruę ſacras fuiſſe, cum Athenis etiam in Acropoli educari ſolitæ fuerint olim) Meleagrides aues ſunt. locus ubi aluntur paluſtris eſt. pullos ſuos nullo amoris affectu hæc ales proſequitur, & teneros adhuc negligit. quare à ſacerdotibus curam eorum geri oportet. Magnitudo ei gallinæ generoſæ. caput pro corporis magnitudine paruum, & glabrum, (ψιλόν,) in quo apex (criſta, λόφος) carneus durus & rotundus ſpectatur, clauí uel paxilli inſtar eminens, (in Græco additur, καὶ τὸ σῶμα ξυλοειδὲς, pro quibus uerbis Gillius nihil aliud poſuit, quàm paxillum quẽ diximus ligneum eminere. Vuottonus roſtrum ligneum uertit. ego pro σῶμα, forte χρῶμα legendum conijcio. nam de totius corporis colore poſterius agit. & apicis illius colorem hoc in loco lector deſiderare poterat. itaq; ξυλοειδὲς tanquam coloris nomen accipio, etſi Columella Meleagridi tum criſtam tum galeam rutilã tribuit. Hęc ſcripſeram cum Hermolaum quoq; in Corollario nobiſcum facere obſeruaui. Gyb. Longolius ad totius corporis colorem refert.) Ad malas ab ore (σόματος, non σώματος, ut rectè etiam Hermolaus & Vuottonus legunt) orta caruncula longa barbæ loco dependet, rubicundior quàm in genere gallinaceo, quod autem in gallinis roſtro adhæret, ὠάγωνα uocant Græci quidam (Latini paleam mentúmue) non habet. Roſtrum acutius & maius quàm gallinæ. Ceruix nigra craſſior breuiorq; quàm gallinæ. Corpus totum uarium eſt, nigrum uidelicet maculis (πῖλοις, forte ποίκιλοις) plumarum candidis, frequentibus, lente maioribus, diſtinctum. ſunt autem orbiculi iſti in rhombis nigris, unde ipſi etiam rhombi uarietatem exhibent, (in Græco additur, τὸ μὲν μέλαν ἔχοντος λευκὸν τὸ χρῶμα, τὸ δὲ λευκὸ μελάντερον.) Alæ etiam maculis notantur albis, ſpecie ſerrata per uerſus parallelos (ſpatia æquidiſtantia) digeſtis. Crura ſine calcaribus, cæterò ſimilia gallinaceis. Fœminæ maribus adeò ſimiles ſunt, ut uix dignoſci ſexus queat, Athenæus. ¶ Gallinæ ruſticæ ſimiles facie ſunt, non his uillaticis gallinis noſtris, ſed Africanis aſpectu ac facie incontaminata, Varro. facit autem eaſdem Africanas & Meleagrides.

¶ Verbum κακκάζειν in uſu eſſe de Meleagridum uoce docet Pollux. Heſychius hoc uerbum Atticis uſitatum eſſe ſcribit de gallinarum uoce circa partum: cui ſimile eſt apud nos gaggſen. Meleagrides, ut & attagæ, ſuum ipſæ nomen uoce ſua imitantur, Aelianus. ¶ Meleagridum & phaſianorum oua punctis diſtinguuntur, Ariſtot. (& Plinius) de hiſt. anim. 6. 2. ubi Albertus cum primum rectè nominaſſet meleagridem auem, mox iterum de eadem, Et oua (inquit) cathailar, quæ Latinè theagridi (ineptè pro meleagride) uocatur. ¶ Quorum tenuior eſt res familiaris in celebribus Iſidis conuentibus anſeres atq; aues meleagrides immolant, Pauſanias.

¶ Meleagri qui filius Oenei regis Calydoniæ fuit, hiſtoriam leges apud grammaticos, Euſtathium (in nonum Iliados & alibi) & alios, unde nos etiam aliquando eam in Onomaſticon proprio rum nominum retulimus. Meleagri ſorores aliqui in Meleagrides aues mutatas ferũt. alij familiares (uirgines) Iocallidis uirginis in Lerna, cui diuinos honores præſtant, Suidas & Varinus. Aelianus ſcribit Meleagridas in Lero inſula eſſe, quas fabula uult Meleagri Oenei filij natas fuiſſe, luctu patris in aues conuerſas, quare & lamentabili carmine cantus earum exaudiri, Volaterranus. ¶ Μελεαγρὶς & μελεαγρὶς radices quædam dicuntur, ut Suidas ſcribit, qui & hæc innominati authoris

uerba

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 503 sur 825

uerba recitat: Ῥίζαις αὐτοῦ μελεαγρίων καὶ καρδίαις καλάμων ἐλέξατο. Videntur autem herbæ alicuius ſyluestris radices eſſe, adeò dulces ut mel ſyluestre dici meruerint, quales uidentur illę quas Itali uulgò dulcichinos uocant.

DE MELEAGRIDE RECENTIORVM OPINIONES.

RECENTIORES quidam indocti gallos uros uulgò dictos (Orhanen) Meleagrides eſſe crediderunt: ſed & alia non conueniunt, ut in Galli uri hiſtoria apparebit, & quòd hic captus animum deſpondet, cibumq; (non) niſi longo poſt tempore aſſumit. Meleagrides uerò confeſtim ut captæ ſunt, eſcas non recuſant. Has nobis quandoq; Aegyptij pro gallinis Hieroſolymitanis magno mercatio uendiderunt, & in Syria captas affirmarunt, certe præter colorem & paleas uris noſtris planè ſimiles, Gyb. Longolius.

¶ Raph. Volaterranus ſuo tempore Meleagrides duas ſecundum Plinij deſcriptionem Romę in hortis Cardinalis S. Clementis uiſas ſcribit. Auguſtinus Niphus Meleagrides uulgò Tunes appellari tradit, nimirum ab urbe Africæ Tuneto. Eliota Anglus Meleagrides Anglicè interpretatur, hennes of Genny: Quidam Hiſpanicè gallinam moriſcam. Petrus Bellonius gallinas Indiæ uulgò dictas: ut & ante ipſum Guil. Turnerus. Qui in ſuo de Auibus libro, Columellæ (inquit) Meleagrides, uidentur illæ eſſe aues quas nonnulli pauones Indicos appellant. nam illas paleis & eriſtis cœruleis eſſe in confeſſo eſt. Horum ſententiæ ipſe etiam aliqua ex parte accedo, & gallinas Indicas uulgò dictas Meleagridum ſpeciem eſſe iudico, quòd cum Clyti Peripatetici deſcriptione à nobis recitata in pluribus quàm ulla mihi cognita auis conueniant. etſi enim calcaribus non careant, neq; eadem fortaſsis colorũ uarietate eodemq; ordine digeſta ſpectentur: habent tamen apicem illum paxilli inſtar à capite prominentem, & barbæ uel palearum loco carnem dependentem rubram, caput glabrum, &c. Conuenit & magnitudo generoſæ gallinæ, quanquam & colore & magnitudine gallinas Indicas diuerſas reperiri audio. maximas eſſe & præferri nigras, alias albicare, minimas corpore uario eſſe, maculis nigris corpus albicans diſtinguentibus. & fieri poteſt ut alia adhuc ſpecies inueniatur, quæ etiam propius ad Clyti deſcriptionem accedat. Iam cum Columella Africanas criſtæ tantum paleæq; (uel eius quod pro palea eſt) colore à Meleagridibus differre ſcribat, utranq; auem generali gallinæ Indicæ appellatione comprehendi licebit.

¶ Gallinæ Aphricanæ, Græcis Meleagrides, nunc PHARAONIS aues dicũtur, Ge. Alexandrinus. Aues Pharaonis dictas, quæ ex Oriente deferri ſoleant, in regno Senegę Nigritarum plurimum abundare Aloyſius Cadamuſtus ſcribit.

DE GALLINA AFRICANA SIVE NVMIDICA.

GALLINAE trium generum ſunt, uillaticæ, & ruſticæ, & Africanæ, Varro & Columella. Numidicæ (gallinæ celebrantur) in parte Aphricæ Numidia, nunc etiam in Italia, Plin. Gallinæ Africanæ ſunt grandes, uariæ, &c. Varro. uide proximè ſuperius in Meleagridis hiſtoria. Varro enim non diſtinguit: Columella colore tantum criſtæ paleæq;, in Africana rubentiũ, in Meleagride cœrulearum. Numidicarum eadem eſt ferè quæ pauonum educatio, Columella & Varro in Geponicis Græcis. Eſt & phaſianorum educatio eadem, quæ ſuo loco explicabitur. ¶ Tuo palato clauſus pauo naſcitur, Gallina tibi Numidica, Petronius Arbiter. Pulli Numidici cocturam & condituram ex Apicio recitaui in Gallo F. ¶ Anſere Romano quamuis ſatur Annibal eſſet, Ipſe ſuas nunquam barbarus edit aues, Martialis ſub lemmate Numidicæ. Si Libycæ nobis uolucres & phaſides eſſent, Acciperes: at nunc accipe cortis aues, Idem. Plinius gulam illorum reprehendit, qui uictu ſimplici & præſentibus non contenti, aues ultra Phaſidem amnem & è Numidia petunt. Nec fruſtum capreæ ſubducere, nec latus Afræ Nouit auis noſter tyrunculus, Iuuenalis Sat. 11. Phil. Beroaldus etiam ex Horatio Afram auem, gallinam Africanam interpretatur. De his & Papinius intelligi uoluit in Syluula: Quas udo Numidæ legunt ſub Auſtro.

¶ Manardus in epiſtolis gallinas Numidicas, gallinas deſerti uocari ſcribit. Michael Sauonarola gallinas deſerti temperamẽto perdici proximas eſſe tradit, ſiccare & aſtringere admodum. Ex recentioribus quidam dubitat an coturnix ab Italis uulgò dicta, auis Numidicæ, quam quidam deſerti gallinam uocent, aliqua ſpecies ſit. Ego de gallina deſerti certum nihil habeo. auis uerò Numidicæ, id eſt gallinæ Africanæ ſpeciem eam eſſe quæ coturnix uulgò Italis dicitur, neutiquam mihi ueriſimile ſit. ¶ Ariſtoteles Hadrianas gallinas facit uarias & paruo corpore, ut & Plinius: Varro Africanas, quas non alias eſſe conſtat quàm Hadrianas, uarias & grandes facit, Recentior quidam: ſed abſq; authore. nam qui Adrianas eaſdem Africanis eſſe ſcripſerit, nullus eſt quod ſciam. Nos de Adrianis ſcripſimus in Gallo B.

¶ Aphricanæ gallinæ nidos in nemoribus ſtruunt locis uliginoſis. Eæ ſolebãt (circa Coloniam Agrippinam) eſſe tam frequentes, ut drachmæ pretium in foro non excederent. nunc ſingulas aureo numo licentur. Plumis mirificè uariis fulget, ut eminus uidenti phaſianus uideri poſsit. criſtam habet purpuream, & caudam minimè longam, corporeq; preſsior (quàm phaſianus) eſt. Hanc olim in auiarijs ſedulò curabant Romani, Gyb. Longolius: interpretatur autem Germanicè Kürhenn,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 504 sur 825

neſcio qua nominis origine. Quòd ſi Africana eadem cum Meleagride eſt, uel ita tantum differt ut Columella putauit, (neq; enim aliam eius deſcriptionem à priſcis relictam habemus,) non poteſt ea eſſe quam Longolius putat. Exiſtimauit ille fortaſsis ſatis eſſe ad perſuaſionem, quoniam curhenna ſua uaria ſit gallina, cũ Africana quoq; uaria ſiue guttata memoretur. Sed nimis infirmũ hoc argumentũ eſt. Nouimus enim & alias quaſdã toto corpore uarias è gallis ſylueſtribus, ut grygallos.

DE GALLOPAVO.



HANC auem cum aliqui gallinam Indicam, alij pauonem Indicum uocitent, nobis compoſito ex utriſq; nomine gallopauum appellare libuit, ut & eruditos quoſdam ante nos appellaſſe audio. Etſi enim gallinacei generis eam potius eſſe quàm pauonini conſtet, habet tamen cum pauonibus communem caudæ explicationem. hoc ut in uno nomine apparet, & ſimul Indici differentiam adijcere non eſſet neceſſe, gallopauum dixímus. Itali appellant gallina d' India. Hiſpani pauòn de las Indias. Galli poulle d' Inde. Germani ein Jndianiſch oder Kalekuttiſch / oder Welſch hün. Angli a kok of Inde. Turnerus & Bellonius gallopauum noſtrum Meleagridem eſſe conjciunt: qua de re ſententiam meam in Meleagride ſupra expoſui. Iis qui erythrotaonem eſſe putant, de quo in Vrogalli hiſtoria inferius ſcribam, non aſſentior. ¶ Qui uulgò pauo Indicus appellatur, nihil pauonis habet præter expanſam pauonis in morem caudam: quam tum cum iraſcitur, ſubitò extendit, Gyb. Longolius.

¶ In India gallinacei naſcuntur maximi: non rubram habent criſtam ut noſtri, ſed ita uariam & floridam, quemadmodum coronam ex floribus cõtextam. Pennas poſteriores (caudæ, πτέρα τὰ ὀπίσω γαῖα) non inflexas habent, neq; in orbem reuolutas, ſed latas, quas cum non erigunt, ut pauones tra hunt: eorum pennæ ſmaragdi colorẽ gerunt, (χρόαν δὲ ἔχει τὰ πτέρα αὐτῶν χρυσοπάσῃ τινὶ καὶ κυανωγῇ [forte, χρυσοπλίῳ τε καὶ κυανωγῇ] κατὰ τὸν σμάραγδον λίθον,) Aelianus 16. 2. in trãslatione P. Gillij. & ſanè gallus hic Indicus non alius quàm noſter pauogallus uidetur, uel certe omnino congener. Rurſus in Gillij acceſsionibus, gallopauum noſtrum his uerbis deſcriptum inuenio: De gallo peregrino: Is quem ex nouo orbe deportatum uidi, eadem eſt qua pauo colli proceritate, quod ipſum ſimul cum capite à plumis omnino nudum eſt: tantum purpuraſcente pelle obducitur: & tam ualde craſſum eſt, ut pellem quæ antea laxa & uacua ſpectabatur, cum uocem mittit, ſic contendat & inflet, ut ad brachij craſsitudinem accedat. Vox cum fragore per collum longe lateq; uagans redditur, ut liquorem in dolium infuſum diceres ſtrepere: in ſua tamen uoce quiddam gallinaceum recinit. Eius capitis uertex colore partim albo, partim cæruleo, partim purpureo diſtinctus, criſta caret: quædam rubra appendicula carnea ex eius ſummo roſtro per ſuperiorem roſtri acclíuitatem, tantopere eminet, ut digiti longitudine inferius depẽdeat quàm roſtrum ipſum, quod quidem ipſum ea ſuperintegitur, ut hoc

hoc niſi è tranſuerſo uideri nõ queat. Hanc quidem appendiculam cum paſtum capeſsit contrahit, ut quæ antea digito longior, quàm roſtrum propendebat, modò contracta ad roſtri longitudinem non accedat. Huius plumæ tum accipitris ſpeciem ſimilitudinemq; gerunt, tum extremæ albæ uiſuntur. Cruribus eſt proceriſsimis, eiuſdemq; ungues ſimiliter ut noſtratium aduncitatem habent, & diſtinctionem. Illius quem uidi corpus & rotũdum erat, & pauonis excelſitatem ſuperabat. oculorum ambitus cœruleo & purpureo colore efflореſcebat, & perinde ut accipitres acri atq; acuto uidendi ſenſu uigebat. Cum quiſpiam ad gallinam appropinquat, totus inhorreſcit, plumis & gradu ſuperbo exterrere accedentes conatur: gallina illius alba erat, & pauonem cum is plumas caudæ amiſit, referebat, Hæc omnia Pet. Gillius. Pauogallus (inquit Gyb. Longolius, pauonem Indic. ipſe uocat) criſta caret: niſi pelliculam iſtam carnoſam, quam per nares adeò demittit irata, ut roſtro promineat, & in paſtu ita retrahit, ut uix uideri queat, criſtam appelles. Quinetiam neq; paleis neq; genis prædita eſt. quid enim iſta rubeſcens pellis aliud, ac appendix quædam cutis, quam nunc contrahit, nunc extendit: nunc cœruleo colore, mox pallido, deinde purpureo pro affectibus, ut apparet, ſuis pingit? Pauo Indus (inquit Hier. Cardanus) caudam in rotam erigit, gaudetq; hominum admiratione qui illam intuentur. quo fit ut pauo Indus ſit, quem aliqui gallum exiſtimant. nam & ipſe caudam ſuam miratur in orbem conuerſam geſtiens: quamuis pulchritudine multum à noſtro pauone decedat. Decoratur tamen pelle circa caput, cuius colorem pro uoluntatis arbitrio mutat. Cum enim uarij coloris ſit, albo q; ac cinereo quaſi diſtincti, adueniente ſanguine modo cœrulea, modo rubra fit. Et cum ſit iracundus, ſpeciem ac affectum irati hominis præbet, pellem illam pro facie habens. Sed aliud eſt maius, quòd eam pellem quandoq; colligit, ut uix uideatur, tuncq; pallet. aliquando uerò eam extendit, adeò ut roſtrum totum integat, tuncq; purpurea plerunque uidetur. Indicio eſt igitur illam unà cum ſanguine extendi, quanquam & uiderim ſimul pallentem atq; extenſam. Colligitur igitur ac contrahitur, quoniam tenuis eſt & laxa: ut ſcroti etiam cutis, quæ quandoq; tota contracta uidetur, quandoq; uerò extenſa multum. Igitur laxitas & tenuitas tam extenſionis & contractionis, quàm mutationis colorum cauſæ ſunt, Hæc Cardanus. Attagen, id eſt francolinus auis, pennis eſt uario modo coloratis ſicut gallina Indica, interdum tamen colore uiridi & cœleſti uiſitur, Syluaticus: ſi modo de pauogallo hic loquitur, & non potius de Indica gallina illa de qua paulò pòſt dicetur. Pellicula in uertice loco criſtæ pauogallus, uelut paxillus quidã eſt, ut de Meleagride Clytus peripateticus ſcripſit, illum aliquando multum demittit, ut totum roſtrum contegat, & ad pectus uſq; interdum porrigatur. Colli illa ſub roſtro appendix carnoſa, cum ab aue contrahitur, tuberculis quibuſdam exaſperari apparet. In pectore medio uelut penicillus quidam è ſetis iubæ equinæ inflexis, ab uno principio ſe extendẽs, ad duos circiter digitos longis, in mare præſertim, ſpectatur: quod pictor noſter non expreſsit.

¶ Gallopauum aiunt uocem quandam ædere gallinaceæ non diſsimilem neſcio quid crocitando, & in frigidis regionibus ægrè ali, minimum ex eis fructum eſſe, ſumptus in educando alendoq; & curæ multum requiri, in cibo lautiſsimos haberi, & principum menſis dignos. ¶ Catreus auis Indica in C. Elemento nobis deſcripta, cum pauogallo confinem naturam habere uideri poſſet, niſi canora & muſica eſſe traderetur.

DE GALLINA INDICA.

INDICA Gallina, quam Philippus Traiectenſium epiſcopus in delicijs habuit, criſtata planè fuit, (criſta ſpecioſa ornata,) perq; omnia gallinæ ſimilis, ſi colorem, quo pſittaci in morem uirebat, excipias. Eam quanquam uiuam non uiderim, exuuiæ tamẽ, quæ Batauoduri in arce cuſtodiebantur, indicant gallinacei generis auem, Gyb. Longolius. Quærendum an hic ſit attagen Syluatici, quem ſcribit pennis uario modo coloratis eſſe ſicut gallina Indica, interdum tamen colore uiridi & cœleſti inueniri. Pauones Indi (Gallopaui) pulchritudine multum noſtro pauone inferiores ſunt, ſed caudam ſuam ſimiliter mirantur in orbem conuerſam. at contrà gallinæ quas ego uidi Indicæ, noſtris pulchriores ſunt, pennisq; pauonis decorantur: ſed cauda ampla carent, quam nec in orbem erigunt. igitur non à coloribus, ſed operationibus ipſis ſpecies animalium ſunt diſtinguendæ, Cardanus.

IDEM alterius etiam gallinæ Indicæ meminit hiſce uerbis: Gallina Indiæ occidentalis, imò potius uulturis genus (nam cadauera & res corruptas ſectatur) bene olet ob caloris uehementiam, & ſiccitatem temperiei.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 506 sur 825

DE GALLINIS LANIGERIS.

Icon hæc desumpta est ex charta quadam Cosmographica.



FVCH ciuitas est maxima uersus Orientem, in qua maximi galli nascuntur. Gallinę sunt albę instar niuis, non pennis sed lanis tectæ ut pecus, Odoricus de Foro Iulij. In ciuitate Quelinfu, in regno Mangi nomine, inueniuntur gallinæ, quæ loco pennarum pilos habent, ut catti, nigri scilicet coloris, sed oua pariunt optima, M. Paulus Venetus 2. 68.

DE OTIDE.

DE OTIDE quoniam uariæ sunt recentiorum sententiæ, primum ea seorsim conscribam, quæ apud ueteres mihi lecta obseruaui: mox de illis etiam auibus priuatim acturus, quas uel otidem uetерũ simpliciter esse, uel genus aliquod otidis, ut uel alijs uisum est, uel nobis uidetur. Et quanquam gallinaceorum generi otidem adscribendam nemo adhuc monuerit, mihi tamen rectè ad id referri uidetur. De tetraone quidem uel tetrace magno (quem nostri urogallum uocant, & eruditi quidam congenerem otidi faciunt, quibus & ipse astipulor) quin gallinarum generis sit, nemo qui auem ipsam uiderit, dubitare potest.

¶ Auibus quas tetraonas uocant, suus est nitor absolutaq; nigritia, in supercilijs cocci rubor. Harum alterum genus uulturum magnitudinem excedit, quorum & colorem reddit, &c. Proximę eis sunt quas Hispania aues tardas appellat, Græcia otidas, Plinius. Hinc est quòd Gaza etiam Aristotelis interpres pro otide tardam uertere solet. Otidem auem magnam & gallinacei generis, ut dixi, cum oto aue nocturna noctuæ simili ueteres etiam authores confudisse conijcio. Est otus qui cum coturnicibus auolat, idem scops Aristoteli, non satis cognitus ei, ut fatetur: cum præteruolando tantum per biduum appareat: pinguis & esculentus alioqui. Hic apud Plinium lib. 10. cap. 23. non rectè otis uocatur. nam & apud Aristotelem otus legitur: & in quibusdã Plinij codicibus quanquam glottis & otis & cychramus legatur, paulò pòst tamen, otus bubone minor est, legitur. quod probo, quod ad nomen: de re ipsa uerò iudicium meum adhuc cohibeo. neq; enim ulla nocturna auis auolare uidetur. quòd si quæ otus dicta auis cũ coturnicibus auolat, illius forte descriptio apud authores non extat. Nam otis magna, si ea est ut docti credunt quam uulgò trapum uocant, non auolat, nisi fallor, ex nostris regionibus, (etsi Heluetiæ rara est,) & hyeme etiam apud nos capitur interdum. Vide mox in C. De oto nocturna aue, plura scribam in Elemento O. Fieri sanè facile potest, ut Aristoteles quoq; harum auium nomina & historias non satis discreuerit, nominum uicinitate deceptus, aut uulgi consuetudinem secutus. Sunt otides, quos & otos uocant, aues parum uolaces, & quæ uolando citò defatigantur nõ aliter atq; perdices, Vuottonus. Alexander Myndius otum uel otidem (ut scribit Athenæus, qui hæc nomina confundit, uel aliorum potius confundentium uerba citat) etiam lagodian (λαγωδίαν) nominari scribit. Mihi lagodiæ nomen à lepore factum, non otidi (de quâ hîc agimus) sed oto noctuæ simili conuenire uidetur, eò quòd pedes plumis uillosos & leporinis ferè similes habeat, qua ratione lagopodi etiam (quam nostri perdicem albam uel montanam appellant) inditum nomen. Ἐνῆσαν δὲ καὶ ὠτίδες καὶ δορκάδες, Xenophon libro 1. Anabaseos. Inuenio & ὀτίδες per o. breue in prima, & ὐτίδες per υ. diphthongũ scribi. Galenus in Glossis à Xenophonte lib. 1. Anabas. ὀτίδα per omicron haberi testatur, apud Aristotelem per ω. quod & Varinus repetijt. Est & ὄτις paroxytonum (malim oxytonum) in Hesychij Lexico.

¶ Alhabari est auis magna sicut anser, non multũ uolans, nota apud uenatores Damasci, And. Bellunensis. Interpres Auicennæ tardam uertit. Fimum eius Auicenna ad impetiginem laudat, & oua ad denigrandos capillos, ut referam in G. quanquam hæc remedia de otide Græci non scripserint. Clas, id est tardus auis, Syluaticus.

B.

Hispania otides producit, Strabo. Pascuntur circa Cephisum aues potissimum quę otides sunt dictæ, Pausanias in Phocicis. Otus auis Athenæo (noctuarum generis ut uidetur,) circa Alexandriam Libyæ maximè capitur. ¶ Otidis magnitudine Scythica quædam auis est, Aristot. & Plinius. uide in Aquila C. ¶ Otides perdicum similes sunt: præ obesitate autem corporisq; põdere, parum se alis attollunt, Volaterranus ex Aeliano. Athenæus otidi colorem coturnicis tribuit tanquam ex Aristotele: ex quo hæc etiam citat: Otis auis fidipes est, tribus insistens digitis, magnitudine gallinacei grandioris, capite oblongo, oculis amplis, rostro acuto, lingua ossea, gracili collo. Nos horum nihil in ijs quæ extant Aristotelis legimus, sed hoc tantum, quòd gula ei tota ampla sit, ingluuies nulla: appendices paucæ quædam infra qua desinit intestinum. Synesius in epistolis otidem ab imperito aliquo pauonem existimari posse scribit.

C.

Otides uel oti cibum ruminare dicuntur, Athenæus & Eustathius. Breui uolatu utuntur propter corporis sui grauitatem. unde fit ut uel manu capiantur, si quis celeriter instet, & canibus, ut in

E. recita-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 507 sur 825

E recitabo. ¶ Incubat tarda tricenis diebus ut reliquæ etiã alites magnæ, ut aquila, anser, Aristot. Migrat & regionem mutat, Athenæus ex Aristotele. Aristoteles quidẽ de oto scribit, auolare eum cum coturnicibus: quem locum Plinius repetijt, in cuius codicibus & otus & otis legitur. ego non otum noctuæ similem, quamuis tum Plinius tum Aristoteles ita interpretẽtur eodem mox in loco, sed otidem de qua scribo auolare puto cum coturnicibus; sed corporis grauitate impeditum perseuerare non posse, & in locis proximis remanere, ut de glottide etiam legimus. Nocturnam quidem auem aut noctuæ similem nullam migrare arbitror.

D.

Attagen ceruum amat, perdix damam, otis equum, Gillius ex Oppiano. Et rursus, Otides cir
10 cum pedes equorum concursant. Itaq; si quis pellem equinam sibi induat, facile quotquot libuerit capiet, Athenæus. Aegyptiorum sapientes hominem uiribus imbecillem significaturi, qui fortiorem insequentem fugiat, otidem auem & equum pingunt. uolat enim illa uiso equo, (ἄυτη γὰρ ἵππαι παύσασθαι ἱδοῦσα ἵππον,) Orus. Mihi huius auis & otidis pictura, melius ad sequentis hieroglyphici inscriptionem quadrare uidetur, quæ est: Quomodo significent hominem qui ad patronum suum confugiens nihil ab eo iuuatur: ubi passerem & noctuam pingi legitur. sed ad eandem rem denotandam diuersas fieri picturas nihil obstat. ¶ Vulpes in Ponto sic otidas uenatur, ut & sese auertens, & in terram abijciens, tanquam auis collum, sic caudam extendat: eæ autem hac insidiarum instructione seductæ, ad illam, tanquam ad suam gregalem accedunt: illa uero se uertens nullo negotio capit, Aelianus. ¶ Otis metuit sibi à cane, Philes, uide mox in E.

20 E.

Otides equis gaudent, & si quis equinam pellem sibi induerit, quotquot uolet uenabitur. nam sponte ad illum accedent, Athenæus & Eustathius. Equum ubi aspexerit magno statim cum gaudio ad ipsum aduolat, Aelianus. Qui perdicum in ceruos, idem in equos otidum amor est. quamobrem huiusmodi industria falluntur. Retia aliquis prope fluuium aut stagnum idoneo loco erigit, angustoq; per medium transitu relicto, quo eques unus transire possit, equum auibus ostendit. Sequuntur illæ statim pennis omnibus expansis, donec equus ex loco illo angusto recedat, ipsæ uerò incluſæ omnes irretiantur, Oppianus lib. 3. de aucupio. ¶ Canem nulla non auis paruifacit. Vnam otidem excipio, (Oppianus attagenes etiam ceu parum uolaces canibus posse capi meminit,) quæ propter corporis sui grauitatem, & tarditatem canem perhorrescit. Eam enim ponde-
30 rosa corporis mole constrictam alæ non facile alleuant: iccircoq; demisso atq; humili uolatu utitur, quia pondere deprimitur. Ex eo fit, ut nonnunquam à canibus capiatur: itaq; conscientia suæ humilitatis perculsa, simulac canes latrantes audiuerit, in dumeta, aut paludes excursione se impellit, quibus & protegatur, & ab instanti periculo seruetur, Aelianus. ¶ Otidum uolatus breuis, Xenophonte teste, qui sic scribit: Otides si quis celeriter instet, capere poterit. breui enim uolatu utuntur sicut perdices, & mox fatigantur. Verum autem esse quod Xenophon scripsit, Plutarchus ait: qui multas huius generis aues in Alexandriam ex adiacẽte Libya uolare ait, capiq; eas hoc modo. Otus ad imitationem natum animal, earum præcipuè rerum quas ab homine agi uiderit, aucupes etiam imitari solet. Stant illi è regione, & certo quodam pharmaco oculos sublinunt: & alia quædam glutinosa pharmaca parata proximè alicubi in paruis peluibus apponunt: quibus uisis oti po-
40 stea se illinunt, & conglutinatis oculis ac palpebris mox capiuntur, Athenæus & Eustathius. Sed cum otum ac otidem, ut dixi, confudisse ueteres quidam uideantur, hoc aucupandi genus non ad otidem, sed ad otum noctuæ similem pertinere mihi uidetur. Est enim otus auis, ut & aliæ quædam noctuis similes, (scopes maximè,) omnino ad imitationem apposita, eoq; nomine facilis deceptu. Otidem uerò cum canibus & retibus facile sit uenari, hac machinatione nihil est opus.

F.

Hispania aues tardas appellat, quas Græci otidas, damnatas in cibis. Emissa enim ossibus medulla, odoris tædium extemplo sequitur, Plin. Atqui Xenophon, citante Athenæo, otidum carnes suaues esse ait. Ἥδιστ δ' ἐστὶ καὶ ὠτίδα ἑδέσθαι, ὄρνεων ἐκτόπως ἡδύ, Synesius in epistolis. Otidũ caro media est inter gruum carnem & anserum, non tam dura scilicet atq; fibrosa quàm sit gruum caro,
50 excrementosa est, ac proinde uitanda ijs qui salubri, id est tenui uictus ratione uti uolent, Galenus & Symeon Sethi. ¶ Aethyia, id est mergus, ad saturitatẽ usq; ab accipitre edi potest. suauissima enim eius caro est, & facilis concoctu: item otidis, Demetrius Constantinop.

G.

Phryges & Lycaones mammis puerperio uexatis, inuenêre otidum adipem utilem esse, Plin. Alhabari, id est tardæ auis simum impetigini medetur, Auicenna. Oua auis tardæ (alhabari, Bellunensis) sunt tinctura bona capillorum, ut fertur: quod quidem experimẽto apparere aiunt, de laneo eis inserto, & donec nigrescat relicto, Auicenna libro 2. in capite de ouis. & similiter oua alocloæ (alochloch) ut aiunt, Idem. Kiranides ciconiæ oua cum uino soluta capillos denigrare scribit: & oua corui canos nigredine occultare, idẽ & Sextus, nec de aliarum auiũ ouis tale quid proditũ inuenio.

60 H.

Onesicritus perdices conscripsit in India anserum magnitudine esse, Aelianus. hæ forte fuerint otides, uel eius congeneres, conuenit enim magnitudo anseris, uel maior potius, & color perdicis,

¶ Vna ex aquilarum genere quæ Iouis appellatur, carnes non attingit, sed ad uictum ei herba satis est, Aelianus. ego nullam aquilam herbiuoram extare puto: nisi quis otidem aquilæ nomine dignetur, propter magnitudinem & rostrum, ut in gallinaceo genere, non dissimile aquilino. etsi autem otis quoq; carnes edit, herbis tamen & frugibus etiam pascitur.

DE OTIDE QVID SENTIANT RECENTIORES.

OTIDAS dici putant stardas, quasi tardos anseres, Cælius, & Budæus in Annotationibus in Pandectas. alij tardas scribunt. & Plinius, Tetraoni (inquit) proximæ sunt quas Hispania aues tardas appellat, Græcia otides. Otis nobis cognita perdici similis est: & tarda dicitur, quia tardè conspecta est Romę, Niphus. Idem dubitat an auis illa Scythica, (cuius meminit Aristot. de animalib. 9. 33.) quę oua sua in leporina aut uulpina pelle deponit, otidis genus sit, sed ab otide nobis nota diuersum. Ego tardæ nomen factum existimo, non quòd tardè conspecta sit Romæ, sed à corporis tarditate potius. Nam & Isidorus, Tarda (inquit) auis apud nos dicitur, eò quòd tardo & graui uolatu detenta, nequaquam ut cæteræ uolucres uelocitate pennarum attollitur. Græcè autem gradipes (ego nec hanc nec aliam eiusdem significationis uocem de hac aut alia aue apud Græcos extare puto) uocatur.

Gyb. Longolius otidem interpretatur auem à corylis Germanicè dictã ein Haselhũn, quam Itali francolinum uocant, cum Attagêne nobis descriptam. Eam quo minus otidem esse credam, cum magnitudo tum aliæ notæ in Otidis historia positæ, prohibent. Orix Alberto genus est gallinæ syluestris, perdice maius, ferè colore perdicis, Haselhũn dicta Germanis, Albertus. nomina quidem orix (quod apud nullum probatum authorem legitur) & otis colludunt: unde Longolius fortè auem eandem esse coniecit, & forsitan etiam ex lagodiæ nomine (quod tamen, ut supra docui, otí potius quàm otidis est) ad eandem sententiam impulsus, ac si Germanicum quoque nomen à lepore potius quàm corylis factum esset, quod nobis non uidetur. neq; sanè ex nominibus certi quicquam constanter colligi potest. Longolium Eberus etiam & Peucerus secuti sunt.

TARDAE VEL BISTARDAE HISTORIA È RECENTIORIBUS.



TARDAM uel bistardam auem quamuis otidem esse non dubitem, (& eandem quæ Germanicè Trapp appellatur,) propter diuersas tamẽ quorundam opiniones, (cum alij otidem alio uocabulo recentiorum interpretentur, ut proximè exposui: aliqui tardam seu trapum nostrum, alio uetere, tetracem uel tetraonem uocantes, ut deinceps dicam) ueterum de otide scripta, & de tarda recentiorum, nostrasq; obseruationes seperaui. Pygargum aquilæ genus Germanorum literatores (ut Murmellius) trappum interpretantur turpi lapsu, Turnerus. Sig. Gelenius in Lexico Symphono, auem Trap, Illyricè drofa uocari scribit (Poloni trop dicunt) & eam esse conijcit quæ in Lexicis Græcorum ῥάφος appellatur. Ῥάφοι, aues quædam, Hesychius & Varinus.

Varinus, ſed cum nulla præterea raphi auis mentio aut deſcriptio extet, nos ex ſola nominum uici-
nitate, eandem eſſe auem non aſſeremus. Kiranidi pelecanus alio nomine etiam ramphos appella-
tur, à roſtro uidelicet quod inſigne & omnium latiſsimum habet. ¶ Tarda Gallicè nominatur
ouſtarde, uel houtarde, uel biſtarde. Auis tarda quæ biſtarda uocatur, Syluaticus. Anglicè a bu-
ſtard, uel a biſtard. Germanice ein Trapp, uel Trappganß, uel Ackertrapp.

¶ Trappus apud Ariſtotelem tetrix, (τέτριξ & ὄρτυξ) & Plinio tetrao eſt, Turnerus. Olaus Mag
nus in deſcriptione regionum Septentrional. trappum erythrotaonem nominat.

¶ De tarda, & otidis uel tetraonis tribus generibus Hermolaus Barbarus in Caſtigationibus
Plinianis ita ſcriptum reliquit: Vbi uulgati codices habẽt, Decet & tetraonas ſuus nitor, Politianus
ſimiliter legit, ex Suetonio in Caligula, qui ait: Phœnicopteri, pauones, tetraones, Numidicæ, Me-
leagrides, Phaſianæ. Et hercule codices antiqui ferè habent tetragonas. quod & fortaſſe rectius eſt
quàm tetraonas, quoniam Græci eas (ut conijcio) tetracas appellant. Tetracis enim meminit Ariſto
phanes in Auibus. Et Athenæus, In Mœſia (Myſia) & Pæonia, inquit, naſcuntur tetraces porphy-
rioni ſimiles, maximis gallinaceis maiores, criſtis (barbis) ex utraq; auricula pendentibus, uoce gra-
ui, forma conſpicua (florida) ſtruthionis ſapore. Eſt & auiculæ, inquit, puſillę nomen tetrax, Alexan
dro Myndio Epicharmoq;. Ergo tetraones ſiue tetragones, aut eædẽ ſunt quæ & tetraces, aut ualde
ſimiles. Merula non diſſentit quidem penitus: ſed & erythrotaonas quoq; dici eas poſſe credit, ſcri-
pta ad nos epiſtola his uerbis: Peragraui, inquit, fines patrios, ſecus Aemyliã uiam oblatæ mihi ſunt
paſcentes aues, haud ita multò anſere maiores: quarum ceruix quatenus alas contingit, rubro per-
funditur, rubeſcunt item cilia, (atqui in noſtris ſtardis ſeu trappis, quas ipſe uidere potui, cilia pror-
ſus non rubeſcunt.) Rogati de nomine ruſtici, reſpondẽre ſtardas appellari, & nidificare inter ma-
tureſcentes ſegetes. præterea caudam in modum pauonis ſubrigere, quarum carnes qui comedẽre
non inſuaues aiunt eſſe. eas cõtenderim erythrotaones Plinio uocari. tu quid ſentias quando otium
fuerit perſcribe. Reſpondi ad hunc modũ de erythrotaone: Si quæris de nomine, ſubdubito: cum
propter illa Suetonij uerba, qui tetraonas aues in Caligula appellat, tum quòd omnes Plinianí co-
dices manuſcripti retragones ſiue tetragonas habent, nullus erythrotaonas. ſin de re, tecum ſum: ut
genus hoc intelligam, quod (ut ſcripſiſti) Ligures ſtardas uocãt. nam & Veronæ Aquileiæq; modo
ſterdas, modo trapos eas nominant. Hiſpani tardas, à tarditate dictas ut arbitror, quoniam, ut inquit
eodem loco Plinius, alterum earum diſcrimen uulturum magnitudine coloreq; conſpicitur. nec
ulla, inquit, auis, excepta ſtruthiocamelo, maius corpore implet pondus, intantum aucta, ut in terra
quoq; immobilis prehendatur. deinde ſequitur, Proximæ (inquit) eis ſunt, quas Hiſpania aues tar-
das appellat, Græci otidas: ut tria uideantur eius alitis faſtigia. Sed uulgus differentias & interſtitia
tueri diu neſcit. proindeq; tria earum genera tanquam unum eodem uocabulo ſignificat, tardas ap-
pellando, Hæc Hermolaus.

¶ De tetrace, ex Dialogo Gyberti Longolij de auibus, quem is interpretatur Vrhan Germà-
nicè, id eſt urogallum, uel gallum ſyluaticum maiorem: & cum trappo confundere uidetur. mihi te-
trax Athenæi, & Ariſtotelis tetrix, cuius uerba recitat, urogallus uidetur, ut & Plinij tetraon ſiue
erythrotaon: Nemeſiani uerò tetrax, omnino idem qui trappus uel otis. Tetracem eſſe arbitror
(inquit Longolius) quam Ariſtoteles etiam tetricem uocat: Athenæus porphyrionis ſpeciem eſſe
docet. Indicat autem porphyrionis uox neſcio quid purpuraſcentis, quem tamen colorem in uro
gallinaceo nondum deprehendi. Certè Athenæus tetracem ita deſcribit, ut Myſiorum potius no-
menclaturæ uideatur tribuere, quod aſſerit, quàm ueritati. Nam ab indigenis ita uocatam auem di-
cit. Refert autem in Myſia ſibi in ſporta allatũ, magnitudine maximi gallinacei, ſpecie porphyrioni
perquam ſimilem, utrinq; ab auribus propendentibus gallorum inſtar paleis, graui uoce, floridoq;
corpore. Certè urus noſter non paleas, uerum ueſtigia tantum palearum habet: neq; porphyrionis
forma conſpicitur, cum non adeo longo ſit collo, ſed inſtar pauonis adducto & gracili, nullaq; ui-
rentium aut rubentium plumarum imagine ſpectabilis: Vt tetracem tamen appellem, Nemeſiani
poetæ authoritas, qui de aucupio Latinis uerſibus conſcripſit, me adducit. Eos hîc recitare placuit.
Et tetracem Romæ, quem nunc uocitare taracem Cœperunt, auium eſt multò ſtultiſsima, nun-
quam (nanq;, forte) Cum pedicas necti ſibi contemplauerit adſtans, Immemor ipſe ſui, tamen
in diſpendia currit: Tu uerò adductos laqueí cum ſenſeris orbes, Appropera & prædam pen-
nis crepitantibus aufer, Nam celer oppreſsi fallacia uincula colli Excutit, & rauca ſubſannat
uoce magiſtri Conſilium, & læta fruitur iam pace ſolutus. Hic prope Pentinum radices Apen
nini Nidificat, patulis qua ſe ſol obijcit agris. Perſimilis cineri dorſum, (collum forte) maculo-
ſaq; terga Inficiunt pullæ (nigræ, ut in perdice) cacabantis imagine notæ. Tarpeiæ eſt cuſtos
arcis non corpore maior: Nec qui te uolucres docuit Palamede figuras. Sæpe ego nutantem
ſub iniquo pondere uidi Mazonoim (Mazonomi lego) puerũ, portat cum prandia, cirro Quæ
conſul prætorue nouus conſtruxit ouanti. Principio poeta auem iſtam ſtultam uocat, quòd la-
queum, quem ſibi coràm parari uidet, non fugit, ſed abeunte aucupe, mox accurrens, ſeſe huic in-
uoluit. Deinde cacabanti colore & maculis perſimilem aſſerit, hoc eſt, ſi quid ſentio, perdici. etenim
me legiſſe alicubi memini, cacabare perdicis eſſe uocem: neq; aliter etiam nunc ſonant. Deinde de
magnitudine quàm bene conuenit, ad anſeris pondus collata, Ariſtoteles tetracem (imò tetricem)

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 510 sur 825

non tecto ſed aperto nido oua ponere ſcribit, idq; plurimum in fruticibus. id quod nos etiam obſeruauimus, & nidum eius congeſtum potius quàm conſtructum uidimus. Idem ab Athenienſibus uragem nominari perhibet: unde coniecerit aliquis hodie etiam à nobis urum gallũ dici, quod mihi tamen non uidetur. aſtruant hoc illi, quibus Germania olim Græciſſaſſe exiſtimatur. Eſt ſanè urus gallus etiam puluerator, ut omnes propemodum frugilegæ. Nec alius uidetur tetraon uel erythrotaon Plinij, quem è Germania uel Septentrione, anſeris ſpecie nigricantem, (uidetur hîc Longolius gallum urum & trappum confundere, ut infra etiam in urogallo dicam. nam cum de urogallo agat, eundem Plinij tetraonem nunc faciens, mox uulgò eundẽ anſeris nomine uenire ſcribit, quod trappo non urogallo conuenit. Illum enim Trappganß appellant,) rubro paulò perfuſum, uenire aſſerit. Non enim ſpeciem hîc ad ſimilitudinem, ſed ad magnitudinem refero. Quòd rubro autem perfuſum prædicat, id & in coturnicibus & perdicibus uidere licet, & in noſtro tetraone eundem colorem animaduertere. Nam & is à perdice nulla propemodum ratione, præterquam magnitudine, qua uel quatuor propè gallinaceos etiam maximos uincit, diſſtat. quin etiam & gregarius eſt, & puluerator, & frugilegus. Sub autumnum ad nos gregatim aduolat, agrum quem inſedêre, ouium grege occupatum diceres, tanta eſt uolucris magnitudo, ſæpè mihi conſpectæ: nec ullam peſtem magis odêre holitores. nam uentrem rapis fulcit, & non mediocri præda contentus eſſe ſolet. At non uideo, cur uulgò anſeris nomine ueniat, cum nulla in tam magno corpore mica ſit, quæ anſeris ſpeciem præbeat: niſi quia anſerum modo gregatim uolat. (Vide infra in capite de recentiorum ſcriptis de Tetrace.)

¶ Tetraones, τέτρακες, Trappen Germ. colorem habent album, tendentem ad cinereum, alas nigricantes: magnitudine uultures uel æquant uel ſuperant, Eberus & Peucerus. Sed qui elegantiſsimus in noſtris trappis color eſt per dorſum, caudam, & alarum partem, ut in ardea ſtellari uel perdice ruſtica diſtinctus, ab illis non memoratur. ¶ Biſtarda auis eſt (inquit Albertus) bis uel ter ſaltum dans, priuſquam de humo eleuetur, unde & nomẽ ei factum, (quaſi bisterdans ſ. ſaltum.) Magnitudine & ſpecie aquilam refert. roſtro eſt curuo, unguibus aduncis, alis & cauda alba, reliquo corpore uaria. Carnibus ueſcitur ut aquila: uolucres tamen non prædatur. ſed cadauera forte inuenta comedit: uel animal innocens aut agnum aut lepuſculum occidit. quod quidem ſola facere non audet, ſed à pluribus ſui generis auibus adiuta. Herbis etiam in fame ueſcitur. ciceris, piſi & leguminum herbis præcipuè delectatur: quod rarum eſt in auibus carniuoris. Nidificat, non in ſublimi, propter tarditatem: ſed in terra parit, cum matura ſeges eſt, Albertus.

¶ Trappus in regionibus noſtris rarus eſt, in Alſatia & circa Briſacum oppidũ non infrequẽs, ut audio. Memini ter quaterq; apud nos captum, & in Rhætia circa Curiam, Decembri & Ianuario menſibus, nec apud nos nec illic à quoquam agnitum. Ego duos ex eis ponderare uolui: quorum alter libras nouem duodecim unciarum appendebat, alter libras tredecim cum dimidia. Eoſdem cum diligentius inſpicerem, deſcriptionem confeci huiuſmodi. Trappi color parte prona (id eſt dorſo & alis, collo excepto, quod cinereum eſt) talis eſt qualis grygalli (de quo infra ſcribetur) uel perdicis ruſticę, id eſt beccaſſæ, præſertim minoris, uel etiam ardeæ ſtellaris, ſed magis ruffus, nigris maculis undantibus ferè eleganter diſtinctus. Roſtrum gallinæ. Caput & collum cinereum, ſed ſupina colli pars, ad album uergit: pectus quoq; & uenter, & crura quatenus plumis ueſtiuntur ad media uſq; femora, alba ſunt. Cauda digitos quindecim longa, hoc eſt palmos ferè quatuor: pẽnis pulchris, ruffis, cum tæniis quibuſdam & maculis nigris, ſuperiore interioreq; parte albis, ut etiam in extremitate, ornata. Collum dodrantale, reliquum corpus à collo ad orrhopygium, circiter quinq; palmos longum. cauda tres palmos. alarum pennæ maiores candidæ, circa finem nigræ. Crura fuſca, paulò breuiora duobus dodrantibus. digiti pedum & ungues ut in gallina. ſed digiti terni tantum antrorſum tendunt, nullus retro. Vola uel pars interior retro denſa toroſaq; eſt. Ventriculus magnus & herbis quibuſdam (auricula muris, genere quodam uiciæ ſylueſtris, & daucí uel apij) refertiſsimus erat: unà cum duobus calculis albis. Aliâs etiam in uentriculo capti in maxima niue, lapillos tantum quoſdam & cortices arborum inuenimus. In extrema gula ante ſtomachum ſeu os uentriculi, pars eſt capacior, & ex multis rotundis ferè carũculis compacta & intricata quodammodo. Inteſtinis diductis & extenſis, id quod à fundo uentriculi ad aluum recta procedit, dodrantum eſt ſeptem cum dimidio. appendices uerò duæ ab aluo retrocedunt, quarum altera tenuior eſt, circiter tres dodrantes longa, altera amplior longa dodrantes duos cum dimidio. Tres iſti meatus iuxta aluum in unam capacitatem conueniunt.

¶ Starna (à recentioribus dicta) uel eſt perdix minor, uel auis magna ut anſer, griſea, cinerea, cuius caro laudatur, maximè cum iuuenis fuerit, Conciliator ut citat Ant. Gazius. ſed hæc auis magna ut anſer, ſtarda uel tarda potius quàm ſtarna dicenda eſt: quod nomen perdici noſtræ uel Externæ auí conuenit.

¶ Trappos permultos in Anglia eſſe audio, & locis gaudere aquoſis. Syluaticus tardam auem in aqua degere ſcribit. In ſegetibus ſæpe inueniuntur. euolare niſi uento iuuante non poſſunt: nec ſubitò, ſed præcedente tantum curriculo aliquo, uel duobus tribus ue ſaltibus. ¶ Has aues perquam timidas eſſe audio, & puſillanimes, ita ut uel leuiter uulneratæ moriantur. ¶ Trappi à canibus capiuntur, præſertim ceſſante uento, item à falconibus & accipitribus. ¶ Trapporum pennæ à

næ à piſcatoribus requiruntur, ut repræſentatas ex eis muſcas pro ineſcandis piſcibus, hamis ſuis annectant. Eædem uſum ſcribendi præbent, ut & anſerinæ.

¶ Laudantur à uulgo in cibo trappi, tanquam ſuaues & teneri. caro quidem eorum alba nõ eſt. Biſtardi carnes uituperantur tanquam craſſæ & difficiles concoctu. præferuntur tamen ſi uno die prius occiſæ fuerint. Pectoribus & coſtis eorum allia paſsim inſeri debent, cum pipere & aromatibus. Quòd ſi concoquantur, multum alunt. In nidis reperti maioribus præſtant, ſed debet ab eorum eſu chalce mellitum ſumi, & uinum bonum uetus cum zinzibere conditum, Elluchaſem.

¶ Anapha, אנפה, ueteres Hebræi exponunt genus milui, noſtrates Iudæi uulgò trappum, Paulus Fagius.

¶ IN Merchia Scotiæ regione naſcuntur aues GVSTARDES uernaculo ſermone dictæ, cõlore plumæ ac carne perdicibus non diſsimiles, ſed quæ holores corporis mole exuperant. Rara eſt eã auis, atq; humanum aſpectum plurimũ abhorrens. nuda humo oua ponit, quæ ſi ab homine contrectata, aut eius anhelitu & afflatu uel leuiter imbuta ſenſerit (quod facile naturæ beneficio dignoſcit) extemplo ueluti inidonea ad pullos procreandos relinquens, aliò ad oua parienda ſe confert, Hector Boethius. Ego è Scotia auis cuiuſdam palmipedis iconem accepi, tanquam guſtardæ: quam poſui ſupra poſt anſeres feros, quoniam à guſtarda ſiue tarda qua de hic ſcribimus, planè diuerſa eſt, & in nomine fortaſsis ab eo qui adſcripſit, erratum eſt. Vera quidẽ tarda, guſtarda dicta uidetur à Britannis: quoniam guß anſerem ſignificat, ac ſi tardum anſerem dicas. palmipes tamen non eſt, & præter magnitudinem nihil cum anſere cõmune habet. ¶ Aliæ aues apud Albertum ſunt goſturdi, nempe alaudæ criſtatæ.

DE TETRACE, TETRICE, TETRAONE, ERYthrotaone, ex ueterum ſcriptis.

DE Tetrace uel tetraone ſcripſimus nonnihil etiam ſupra in Tarda, præſertim ex Nemeſiano, cuius tetrax omnino non alia auis quàm Tarda eſt. Tetrix, quam Athenienſes uragẽ uocant, nec terræ nec arbori ſuum nidum committit, ſed frutici, Ariſtot. (Quo in loco Albertus pro tetrix habet radoryz, quæ, inquit, ſpecies quædam picorum eſt, ferè ſimilis turdo, &c.) Et alibi, Tetrix minus uolat, eoq; non in nido, ſed frutice condenſo prolem ſuam ædit, nidumq; aurę patentem habet. Ab imperatore præfectus eram Myſiæ, (inquit Laurentius ille qui dipnoſophiſtas inuitauit) cum tetracem primum uidi, & ſic appellari à Myſijs & Pæonibus didici. At tetracem eſſe ex dictis Ariſtophanis recordatus ſum. Cum autem exiſtimarem dignam auem eſſe, de qua mentionem Ariſtoteles faceret, tractatum illum eius tot talentis æſtimatum legens, non de eiuſmodi alie quicquam inueni. Itaq; gaudebam me habere locupletiſsimum teſtem Ariſtophanem, qui recẽs ab illius ætate fuit. Ac nimirum cum hæc dixiſſet, ingreſſus quiſpiam eſt, qui in calatho tetracem ferret: hæc maximum gallinaceum magnitudine ſuperabat, & porphyrionis ſpeciem ſimilitudinemq; gerebat; ac quemadmodum galli barbulas utrinq; ab auribus propendẽtes habebat. eius uox grauis erat. Cum autem floridam & pulchram auem admirati fuiſſemus, cocta nobis nõ multò poſt allata fuit, cuius carnes magnarum ſtruthionum non diſsimiles ſæpe comedimus, Hæc Athenæus lib. 9. Sed eruditis quibuſdam (ut Longolio & Turnero) Ariſtotelis tetrix, de qua uerba eius paulò ante recitaui, non alia quàm tetrax magna Athenæo deſcripta uidetur, quibus ego etiam facile aſſentior. ¶ Videri autem poteſt tetrax hæc ales magna à uoce dicta. nam & tetrax parua, ſpermologo, id eſt frugilegæ ſimilis, per onomatopœiam ſic appellatur, ὅτι τετράζει τῇ φωνῇ, quoniã cum oua peperit, talem uocem emittit: de qua inter paſſeres ſcribemus. Tetrax, phlexis & elaſas aues nominantur in Auibus Ariſtophanis: nec à Scholiaſte ſuper ijs quicquam adfertur. ¶ Decet & tetraones (aliàs tetragones, uel retragones, uel tetracones, ut codices quidam antiqui habent. Politianus in Miſcellaneis ſcribit in uetuſtiſsimo codice Mediceæ bibliothecæ haberi, Decet & traonas: conijcit autem legendum decet tetraonas. Merula etiam erythrotaones legi poſſe ſuſpicatur) ſuus nitor abſolutaq; nigritia, in ſupercilijs cocci rubor. Alterum eorum genus uulturum magnitudinem excedit, quorum & colorem reddit, (hæc forſitan otis eſt Galeno atque Ariſtoteli, & ôtus Athenæo, Vuottonus:) nec ulla auis, excepto ſtruthiocamelo, maius corpore implens pondus, in tantũ aucta, ut in terra quoq; immobilis prehendatur. gignunt eos alpes, & Septentrionalis regio. in auiarijs ſaporem perdunt. moriuntur cõtumacia ſpiritu reuocato. Proximæ eis ſunt, quas Hiſpania aues tardas appellat, Græci otidas, damnatas in cibis, Plin. Eſt in alpium montibus anſerum (forte anſerum legit aliquis, ubi Plinius habet, Alterum eorum genus, &c. quanquã tetraces Nemeſiani tardas, Germani trappos anſeres appellant) genus, inter aues maximum præter ſtruthionem: ſed adeò ponderoſum, ut manu capiatur, Author de nat. rerum. ¶ Cæterum ut apud Plinium diuerſæ ſunt lectiones ut dixi, ita apud Græcos etiam uarijs modis hoc nomen ſcriptum reperio, quos omnes tamẽ ad alitem unam referri conijcio. Iam ſupra tetrax (unde genitiuus tetragis, τέτραξ, τέτραγος: quemadmodum & cum pro paſſere accipitur) ab Athenæo ſcribi oſtendimus, quem & Euſtathius ſequitur: ab Ariſtotele tetrix, τέτριξ (& τέτραξ.) Τετράδωρ, auis quædam eſt Alcæo, Heſychius & Varin. Phaſianos aliqui tetraonas (τετραώνας) nominant, Ptolemæus lib. 12. Commentariorum de regia Alexandriæ;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 512 sur 825

apud Athenæum lib.14.sed rursus idem Athenæus lib.9.phasianum ab Epeneto tatyram nominari scribit:& à Ptolemæo Euergete in secundo libro Commentariorum τέταρτον, ubi forte similiter τετραονα potius legendum. Vt autem phasianus olim tetraon dicebatur,sic etiã tetraones nostri (præsertim minores.nam urogallum nostrum tetraonem maiorem,siue simpliciter tetraonem Plinij esse coniicio)à quibusdam uulgò phasiani montani uocantur. sunt enim utrique gallinacei generis ut uidetur.Olaus Magnus etiam in regionum Septẽtrionalium descriptione aues quasdam in niue degentes uocat Germanicè Ozhanen(id est tetraonas)uel phasianos.

RVRSVS DE TETRACE VEL TETRAOne,&c. scripta recentiorum.

VOLATERRANVS & Gyb. Longolius de tetraone Plinij uerba recitantes, anseris specie eum esse dicunt,quod Plinius non scribit.Coniectura tamen est eum anseri congeneres tetraonem ac otidem facere,libro 10.cap.22. ubi cum de anseribus egisset, mox subdit, Anserini generis sunt chenalopeces & chenerotes.Et statim,Decet tetraonas suus nitor,&c. Iidem tetraonas ex Plinio, rubro paulum perfusas esse scribunt, quod Plinius non dixit, sed in supercilijs cocci ruborem eis esse. Merula eandem auem tetraonem,(uel,ut ipse legere mauult,erythrotaonem)& tardã (uulgò stardam)facit:& cilia eius rubescere scribit, (ut supra in Capite de tarda recitaui.) Tetrix Aristotelis,& Plinij tetrao,ea est auis quæ uulgò trappus dicitur, Turnerus. Ego in trappis illis uel tardis tribus quos aliquando uidi,cilia(uel supercilia,ut Plinius de tetraone scribit)neutiquam rubere animaduerti:sed in ea aue potius,quam nostri urogallum(Ozhan)appellãt:cui etiam nitor & absoluta nigritia conueniunt.In eadem sententia sunt,cum alij quidam uiri docti, tum Ge. Agricola, qui tetraonas interpretatur Germanicè Pirckhũner,Auerhãn. Paucæ aues (inquit idem) hyeme in syluis manent,ut tetraones,attagenes. Sigism.Gelenius urogallum tetraonem esse nominum similitudine coniicit,quoniam Illyrica lingua hodieq; tetrzew uel tetres appelletur. Tetrax Athenæi nihil ad tetraones.hi enim à Plinio absoluta esse nigritia dicuntur,& quasi coccinis supercilijs:quidam tamen uulturum colore,tetracem uerò porphyrioni similem tradit Athenæus, eiusq; admiratur τὸ ἀνανθὲς,quasi picturatum significans,& floridum,quod Hermolaus forma conspicua conuertit:tum pendere utrinq; ab auribus paleam ostendit, Politianus. Ego contra Politianum uel omnino easdem,uel maximè congeneres aues esse dixerim,utrasq; scilicet in syluestri gallinaceorum genere maximas. ¶ Augustino Nipho Aristotelis tetrix, nõ magna aliqua auis, sed alaudæ species uidetur,absq; crista,magnitudine & colore similis cristatæ.quod ego non probo, neq; enim id omisisset Aristoteles,cum alias ubi de cristata sentit,semper τὸν λόφον ἔχουσαν addere soleat. Quòd si tetricis nomine paruam aliquam auem Aristoteles intellexit,ea non alia quàm tetrax passerum generis fuerit, de qua suo loco scribemus. ¶ Capitur apud Moschouitas auis subnigra, puniceis superciliis,magnitudine anseris:quæ pulparum sapore phasianorum superat dignitatem, Moschouitica lingua tetrao nuncupata, quæ Plinio erythrotao uocatur,Alpinis populis cognita,& maximè Rhætis qui saltus ad Abduæ amnis fontes incolũt,Paulus Iouius. Est autem hic omnino urogallus noster.

DE VROGALLO.

VROGALLVM imitatione Germanicę uocis hanc auem gallinacei generis ferí omnium maximam appellare mihi libuit:nam quo apud ueteres nomine dicta sit, non cõuenit inter recentiores. Mihi quidem omnino tetraon Plinij uidetur. & quoniam alia etiam non dissimilis ei gallina fera reperitur in Helueticis Rhæticisq; mõtibus,multò minor tamen, maioris minorisq; differentia addenda fuerit, ut illum de quo hîc agimus uel urogallum tetraonémue simpliciter appellemus,uel maiorem:alterũ de quo postea scribemus,urogallum minorem, uel tetraonem minorem.sic enim etiam montium incolæ Germanicè appellitare solent,Kleine vnd grosse Ozhanen. Vide plura ad uetus huius auis nomen pertinentia, suprà in Tarda,& in Capite de Tetrace uel Tetraone è recentiorum scriptis. Videtur autem Germanice Vrhan uel Ozhan dictus,(aliqui scribunt Auerhan)non quidem ab auribus, sed à magnitudine:ut in boum etiam syluestrium genere maximũ uocamus urum, Vrochß, Auerochß : ut pluribus in Vri historia docui. ¶ Gyb.Longolius imperitos quosdam Grammaticos Meleagrides pro urogallis accipere scribit. Anserem(inquit idem)omnino corporis magnitudine æquant, ut ob id uros (urogallos) à Germanis dictos autumem. Etenim non aliter gallinaceos, ac uri boues nostros , pondere corporis superant. Et rursus, Vri(urogalli)nostrates perdicis in morem dorso sunt uario,uentre subcandicante, (hæc trappo,id est tetraci Nemesiani , non urogallo nostro conueniunt, ut & aliæ quædam notæ à Longolio hîc recitatæ:ut duas aues diuersas confundere mihi uideatur , ut supra etiã in Tarda scripsi,nimirum quòd morte præuentus dialogo suo de Auibus extremam manum non imposuerit,) pedibus cruribusq; tuberosis quarundam columbarum in modum spectantur,captí animũ despondent,cibumq; nisi longo post tempore non assumunt, Hæc Longolius.

¶ Albertus Magnus lib.7.de animalibus urogallum ineptè putauit ueterũ ortygometram esse.

Ortygo-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 513 sur 825



Ortygometra (inquit) genus est gallinæ maximum, anseris magnitudine: pennis in pectore hyacinthi coloris, in dorso cinerei. Vocatur autem Orhan ab incolis alpium, in quibus maximè abundat. Incolit ipsa iuga montium: & ex glacie quæ illic perpetua est, aliquando crystallos deijcit: & inueniuntur aliquando parui crystallini berylli in gulis (pappis) eius, Hæc ille. Sed urogallus quem ipse obseruaui ac descripsi, dorso non erat cinereo.

¶ Vrogallus apud Italos diuersa habet nomina. nam circa Tridentum cedron uocatur: alibi, ut circa Vincentiam, gallo seluatico, quo nomine qui circa Tridentũ habitant, alterum syluestris galli genus domestico simile aut par appellant. alibi, circa Rhætiam, stolzo, uel stolgo, uel stolcho: cuius uocis etymon uideri potest Germanicum. nostri enim stoltz appellant, quicquid magnificum aut superbum est: ut forte propter magnitudinem ac pulchritudinẽ ex adiectiuo nomine ei proprium factum sit. Illyrij tetrzew, quasi tetracem uel tetraonem nominant. Germani Orhan, uel etiam Pirckhün, quod nomen etiam alteri cuidam generi attribuitur, quod mox ab Vrogalli historia memorabimus. Sunt qui phasianis adnumerent, atq; ita appellent, Bergfasan. Phasianus etiam in montibus Helueticis reperitur, perpulchra auis, & flauis pennis splendida. duorum est generum, maior & minor. reperiuntur autem quidam nigri, alij fusci, (urogallos minores intelligo, quorum fœminæ, ut & maiorum magis fuscæ sunt quàm mares, ut eadem auis sit phasianus maior, & urogallus minor,) admixtis tamen diuersi coloris splendentibus pẽnis. Maximi phasiani alio nomine uro-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 514 sur 825

galli uocantur, Stumpfius. Dukiphat Hebraicam uocem Iudæi quidam recentiores Germanicè Vrhan interpretantur, ut supra scripsi in Gallo syluestri in genere.

¶ Vrogalli quidam reperiũtur qui libras duodecim aut quatuordecim appendunt, Stumpfius: intelligit autem de libris nostris, quæ sedecim uel octodecim unciarum sunt. ¶ Vrogallus à me inspectus huiusmodi erat: Collum dodrantale, plumis ueſtitum nigricantibus, sed cinereo diluto colore sparsim notatis. alarum longissimæ pennæ palmorum quinq; nigricantes aut fuscæ potius. reliquæ in alis, minores dico & minimæ, castaneæ ferè colore, nigricantibus punctis distinctæ. caput nigrum, pars infra rostrum nigrior. Rostrum gallinæ, breue, gibberum, latum, ualidum. Supercilia & pellicula circa oculos rubra. Collum pronum punctis cinereis uarium, quibus pennæ uirides succedunt. Pectus & uenter colore nigro. In medio thorace ubi os pectoris maxime prominet, plumæ aliquot ab altera parte albæ, altera nigræ sunt. Minores plumæ sub alis albissimæ, præterquã in summo: reliquæ albicantes fusco admixto splendidæ. Cauda quinq; palmos longa, aut paulò plus, pennis nigris condita, maculis paucis albissimis extremitates præsertim minorum pennarum & punctis uariarum insignientibus. In metaphreno (dorso superiore) plumæ castanearum coloris, punctis aspersæ, ut in alis: in inferiore (dorso) cinereæ, magis uariæ punctis quàm in collo, lõgè pulcherrimæ. Poplites & femora plumis albis uestiuntur, quæ in cruribus fuscæ usq; ad digitos pedum descendunt, ut in grygallo quoq;, & urogallo minore. quibus etiam digitos pedum similes habet, & appendiculas quasdam pectinatim utrinq; à digitis sed breuiter eminentes, & alia ubiq; toto corpore multa similia, ut congeneres esse aues, magnitudine ferè tantum & colore distinctas, non sit dubitandum. Longitudo urogalli à capite extensi ad pedes, dodrantes quatuor cum dimidio. Cauda extensa semicirculum reddebat, triũ in circunferentia dodrantum. Ex albis in cauda maculis ætas conijcitur. quò enim iuniores sunt, eò pauciores illas habere feruntur. Marem à fœmina quod ad colorem nihil differre audio, nisi quòd fœmina minus nigra est.

¶ Versantur urogalli in altissimis montium iugis, Albertus: aut altissimis potius syluis. Folia stirpium edunt, à quibus etiam nomen uulgare factum urogallo minori, Laubhan.

¶ Species quædam syluestrium gallinarum nomen inuenit ab arboribus & patria ubi potissimum uersatur, ein Birckhan/ (betulam arborem nostri uocant Birck/) dicitur & Aurhan: forsitan ab aura, quam facillimè sentit propter rarissimum corpus: aut Vrhan/ à senio longissimo: aut cauda, (quæ Græcis urà est:) aut magnitudine, quia reliquis gallinis maior sit. Hæc etiam coit ore mense Martio, sed multò aliter quàm bonosæ. Gallus huius speciei sperma ex ore tempore coitus in uêre excreat & euomit, & uoce magna aduocat gallinas ipsas, (sicut domesticus gallus aduocat gallinas inuento aliquo grano) quæ cum aduenerint, sperma eiectum & excreatum à gallo in terram, ore legunt & reglutiunt, & tali modo concipiunt. Quas deinde ludens gallus omnes ordine comprimit, (quasi uerò illud comprimere non sit coire,) & quasi ratum facit semen comestum. at non coit, quod uidi: sicuti semina quorundam piscium, tantum afflatu masculi, teste Plinio, rata reddantur, ut ita dicam. Nam super quas gallinas non ascendit, illæ oua hypenemia pariunt ut domesticæ gallinæ. Quicquid uerò fugatis gallinis, casu aliquo remanet in terra de spermate galli excreato, hoc operante Sole nonnunquam, forsitan rore aut pluuia superueniente, & putrefacta materia, mutatur in uermes & serpentes quæ dicuntur à Germanis Vrhanschlangen & Birgschlangen (id est urogallorum serpentes, & montani serpentes.) harum copia est in sylua, quæ à Tangera fluuio nomen habet in ueteri Marchia. Quicquid econtra remanet in terra de spermate excreato istius galli, pluuia non superueniente aut rore (non) coincidente, mutatur & coagulatur quasi in uesicã translucidam & candidissimam, & ueluti lapidescit: & fit gemma quæ à pastoribus & uenatoribus colligitur. & reperitur in locis ubi tali modo galli isti coeunt, auff dem paltz platze/ tempore uerno, wan yhr paltz zeit ist. Hęc illa ipsa gemma facta & coagulata ex spermate galli excreato, mirum in modum facit ad conceptum datum (data) mulieribus sterilibus. incitat ad Venerem, & auget appetitum prolis. Gemmæ tales magnitudine & forma & candore margaritarũ apparent. nonnunquam grana harenæ unà coagulata in his reperiuntur, aut pulueres, Christophorus Encelius Salueldensis. Ego huic serpentium & gemmarum è genitura galli generationi, non facile crediderim. nam si huiusmodi res alienæ prorsus naturæ ex auis semine nasci possent, ex aliorum quoq; animalium semine, quod proculdubio sæpe in terram delabi contingit, multa & uaria cur minus quàm è galli semine nascerentur? Præterea hoc auium genus ore coire quis credat? Scribit quidem ipse Encelius ferè omnes gallinas syluestres ore coire, sed modo diuerso. Et paulò ante, Multæ aues ore (inquit) concipiunt & coeunt, ut sunt corui, exosculatione facta ut fit in columbis. licet hoc negat Aristoteles. nec ego admodũ adfirmo, quia non uidi coeuntes. De graculis tamen siue monedulis mox adfirmans, Graculi (inquit) profecto ore coeunt tempore uerno. Inter aquatilia etiam lolligines, sepias, locustas, squillas, cancros, ore coire scribit. Ferunt & nostri quidam aucupes urogallos coitu ros aream aliquam puram & planam in terra parare, in qua coeant: fœminam à coitu maris genitura quæcunq; effluxerit deuorare & concipere.

¶ Vrogallis audio interim dum gallinas uoce allìciunt & inuitant (faltzen [uel paltzen etiam puto] Germani appellant, & locken,) usum & auditum intercipi: atq; interim opus esse magna celeritate aucupis ut bombardæ globo feriat: alioquin enim auditum eius acutissimum esse.

Tetrao

Tetrao Latinorum est auis quam Itali hodie uocant gallo cedrone, Sabaudi gallum syluaticum, un coc de bois, hæc frequenter in altis Cretæ montibus uidetur, duplæ magnitudinis ad capum, macula utrinq; iuxta oculos supra tempora insignis, instar phasiani, colore tam atro ut tanquã palumbi collũ resplendeat, nihil in ea albi, præterquã in alis, crura similiter ut attagenis hirsuta, Bellonius.

DE GALLO BETVLAE.

¶ ARISTOTELES de historia animalium 8. 12. inter alias aues quæ auolãtibus coturnicibus duces se præstant, cynchramum quoq; numerat: à quo inquit reuocantur noctu, cuius uocem cum senserint aucupes, intelligunt parari discessum. Hunc locum reddens Albertus, Fababorioz (aliâs fababoniz, inquit,) est gallina quam uocamus gallinã sybicis, (uibicis,) quæ est arbor quam quidam nutricam (forte myricam scripsit, quanquam myrica alia arbor est) uocant, eò quòd gallus huius generis in hac arbore insidens frequenter inuenitur, & cantat noctu sicut gallus domesticus, maximè quando discessum parat. Nos de cynchramo scripsimus supra in Elemento C. Cæterum arbor quam uibicem appellat, nõ alia est quàm betula, Germanicè uulgò dicta ein birck: è qua uirgæ conficiuntur, quibus uibices & liuores in percussis excitantur. Sunt qui urogallum maiorem etiam Germanicè nominent Birckhũn, uel ut Ge. Agricola scribit, Pirckhũn. Sed is potius Germanicè dici debet Birghũn, id est montana gallina: hoc uerò genus de quo nunc agimus, Birckhũn, hoc est gallina betulæ, rectè appellatur: siue quòd betulæ gemmis uescatur, siue quòd inter has arbores latère solet, siue à colore ut Gyb. Longolius suspicatur. Nam supremum (inquit) à betula corticem si detrahas, qui albo subest, in nigroq; ruffescit, præcipuum huius gallinæ colorem imitatur, nam dorsum alioqui instar perdicis maculosum habet: Hæc Longolius, qui hanc auem attagenem esse coniicit. Ego attagenem aliam esse puto, (quoniam à ueteribus palustris describitur auis:) hanc uerò betulæ gallinam, eandem esse quæ à nostris montium incolis Spilhan uocitatur, nos grygallum minorem appellabimus paulò pòst, ubi & gallina betulæ seorsim amplius describitur Longolij uerbis. In libro quodam uulgari, in quo rerum nomenclaturæ uarijs linguis enumerantur, auem Germanicè dictã Pirckhũn, Italicè calmaza (corrupta forsitan uoce pro gallinaza) uocari inuenio.

DE VROGALLO MINORE, VEL Tetraone minore.

AVIS hæc quam urogallum minorem uoco, uel tetraonem minorem, uulgus nostrum secutus, quod eandem in alpibus Germanicè sic appellat, Kleiner Orhan, cum superiore multa cõmunia habet, & post eandem inter syluestres gallinas maxima est. Alíqui Laubhan appellant, à frondibus siue foliis arborum & fruticum quibus uescitur. alij Birgfasan, id est phasianum montanum. alij Grügelhan, quasi grygallum dicas, à uoce. Sed alius est grygallus, cuius historiam proximè subijciemus: alius etiam Spilhan uulgò dictus, grygallo minor, nec aliud ferè differens. Imperiti quidam & uulgus hominũ hęc nomina confundunt: sunt qui sexu tantum differre putent, sed falluntur. Ego enim ipse singula hæc genera diligenter inspexi, præter grygallum minorem, quem nondum uidere potui: & à uiris harum rerum peritissimis, præcipuè clarissimo uiro Aegidio Scudo Claronensi, differentias eorum didici. Colores igitur & alia singulis peculiaria, in singulorum descriptionibus leges, hîc magnitudines cõparasse sat fuerit. Est enim ad attagenem (sic uoco gallinam coryli uel francolinum)

Grygallus minor,	ein Spilhan,	sesquialter:
Vrogallus minor,	ein Laubhan,	duplus:
Grygallus maior,	ein Grügelhan,	triplus:

Vrogallus maior omnium maximus, qui etiam anserem quandoq; excedat.

In Athesina regione gallinæ syluestris genus capi audio, quod uulgò Germanicè Bromhenn nominetur, fortè quòd inter frutices & sentes latere soleat, uillatica maius. quod ego uel urogallum minorem nostrum, uel grygallum maiorem esse coniicio, nam maioris urogalli nomen ubiq; idem est: grygallus uerò minor infra gallinam uillaticam est.

Vrogallus minor à me conspectus multò maiora supercilia è pellicula rubente, (cœrulea quandoq;, ni fallor) quàm urogallus magnus, habebat. plumas in uertice nigras. Rostrum nigrũ, breue, longitudine tantum transuersi pollicis. Collum quinq; aut sex digitorum longitudine, cœruleis uel Indicis plumis uestitum. Infra collum in medio dorso & alis plumæ nigricant. alarum tamen mediæ partes candidæ sunt, item interiores. Venter quoq; nigris plumis integitur, post medium dorsi, quod nigricare diximus, iterum caudam uersus plumæ sunt Indicæ ut in collo, utrobiq; tamen non totæ plumæ huius coloris sunt, sed margines tantum earum & extremitates, ferè ut in pauonibus. Cauda pẽnis suis nigricat, quæ in medio multæ curtæq; sunt, ita ut latè extendi possint: utrinq; uerò tres longiores extrorsum reflexæ, ita ut lilij figuram qualis depingi solet, cauda extensa quodammodo referat. Circa orrhopygium & poplites plumæ densissimæ, quæ ad digitos usq; pedũ extenduntur, quasi natura ipsos munire uoluerit ne frigoris iniuria læderentur, ut & grygallum maiorẽ (nam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 516 sur 825



minorem non uidi) & urogallum maiorem, & maximè lagopodes. Digitis pedum ſquamatim compactis, utrinq; ſquamoſæ quædam uel corticeæ appendices eminent ut in caudis cancrorum ferè, ſicut in aliis etiam gallorum montanorum generibus. Magnitudo totius alitis, inſtar gallinæ uillaticæ, uel paulò maior, & oblongior. Plumæ pedum nigricãt, ſed maculis albis diſtinguuntur: & tibiæ anterius tantum, non etiam poſterius, plumis induuntur. ¶ Fœmina in hoc genere, mari ſimilis eſt, ſed minus nigra, & magis fuſca, ut & in urogallo maiore.

¶ Italicè nominatur faſàn négro, uel faſiano alpeſtre, uel gallo alpeſtre, à montium incolis & uicinis. ¶ Phaſianos ſylueſtres nigriores in alpibus capi, qui rubedinem quandam circa collum prope roſtrum habeant, in ſchedis meis annotatũ inuenio, haud ſcio an ex authore aliquo, an quòd ita audiuerim. ¶ Stumpfius etiam memorat phaſianos quoſdam montanos, nigros & fuſcos, ueris phaſianis maiores, qui non in ſummis montium altiſsimorum, ut urogalli maiores, ſed mediis plerunq;

plerunque ſyluis reperiantur: de his ipſis, ut uideo, urogallis minoribus ſentiens: in quibus nigrior mas eſt, fœmina dilutior. ¶ Vrogallus minor rarò uiuus capitur, (ut ſcripſit ad me, qui miſit olim amicus è montibus Claronę:) capit̃ enim laqueo, ita ut collo aſtricto ſuffocet̃ & inſtar furis pendeat.

¶ Vrogalli minores in Septentrione (in Noruegia & finitimis regionibus) duobus aut tribus menſibus ſub niue ſine cibo latitant: interim tamen aliquando à uenatoribus capiuntur, Olaus Magnus. Eædem forte aut ſimiles aues fuerint, de quibus Ariſtoteles in libro Mirabiliũ narrationum: In Ponto (inquit) aiunt per hyemem aues quaſdam reperiri, quæ neq; excernant, neq; cum pennæ eis euelluntur, ſentiant, neq; cum ueru transfigũtur, ſed tum demum cum ab igne incaluerint. Niſi quis lagopodes potius accipiat, quæ in ſummis & frigidiſsimis, ubi ne frutex quidem præ frigore ullus creſcit, alpium iugis degunt.

DE GRYGALLO MAIORE.



AVIS hæc ad uiuum depicta, in Helueticis alpibus, circa Claronam præcipuè, uocatur ein Grügelhan, per onomatopœiam: quam ego ſecutus Latinè etiam grygallum dicere uolui. Græcè etiam γρυκόκκυξ nominari poterit. à particula gry ad uocis imitationem facta, & uerbo κοκκύζειν, quod uoci gallinaceorũ peculiariter tribuitur: unde & orthriococcyx pro gallinaceo legitur. Quòd ſi quis propter mirificã colorũ uarietatẽ, qua attagenem & gallinaginem etiam ſuperat, attagenẽ alpinum nominare uoluerit, præſertim cum delicatiſsimã eſſe in cibo exi-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 518 sur 825

ſtimem, non ineptè is mihi facere uidebitur: etſi magnitudine attagenes doctis pleriſq; exiſtimatos (francolinos) ut præcedenti capite docui, triplo ferè excedat. ¶ A capite ad pedes extenſa auis, quam unicam in hoc genere uidi, longa erat tres dodrantes & palmum, roſtro ut urogallus maior, ſed minore ac nigriore. Toto corpore perdicis ferè præſertim ruſticæ, uel gallinaginis inſtar colorato & punctis diſtincta ubiq; maculisq; nigricantibus, reliquus color ruffus eſt uel ad caſtaneę colorē uergens. eſt & cinerei aliquid, in collo præcipuè. ſunt & albæ quædā alicubi maculæ. Iris oculorum rubicunda. Colore circa oculos, retro præſertim, rubente, anguſtius tamen quàm in alijs gallis ſylueſtribus, niſi fœmina hæc forte fuit quam uidi. Ima colli pars prona rubet, intercedentibus lineis ex cœruleo uirentibus. In uētre plurimum albi eſt. Crura pedesq; & digiti ſimiliter ut in urogallis. Varietas quidem colorum tam multiplex eſt, ut uarietatem decoremq; eius uerbis exprimere nequeā.

DE GRYGALLO MINORE.

GRYGALLVS minor à me appellatur, qui uulgò in Heluetícis alpibus, Claronæ præſertim, Spilhan/uel Spillhan/neſcio quam ob cauſam. Is à ſuperiore, ut audio à uiris harum rerum peritiſsimis, magnitudine tantum differt, dimidio ſcilicet minor, ſeſquialter uerò ad attagenam quam coryli gallinam uocamus.

¶ Haud ſcio an eadem auis ſit quæ circa Coloniam & alibi Birckhůn/id eſt betulæ gallína, nominatur: quam Gybertus Longolius attagân eſſe putat. Perdici (inquit) perſimilis eſt, ſed maior. nomen Germanicum habet, non à montibus, ſed ab arbore betula. denſa enim loca & opaca, ut uenatoris inſidias, maximè bombardarum minas fugiant, petunt. quamobrem ſæpe in betuleto latēt: de quo ſubinde, ſi diligenter adſis, in fœnilia & ſata callidiſsimè excurrere uideas. at quòd nunc non eadem natalia obſeruant, in cauſa eſt bombardarum frequens uſus, qui multis præclaris auibus Germaniam ſpoliauit. Alioquin ego non tam à montibus, quàm à betulæ colore auem nuncupatā reor. Nam ſupremum à betula corticem ſi detrahas, qui albo ſubeſt, in nigroq; ruffeſcit, præcipuum huius alitis colorem imitatur. perdice enim paulò magis ſubruffeſcit, ut de Attagene Alexander Myndius tradidit. dorſum quoq; inſtar perdicis maculoſum habet, Hæc ille. Quærēdum autem an hæc uel eadem ſit cum grygallo minore noſtro: uel forte fœmina in eo genere quod morhennam appellant. talem enim omnino deſcribit Turnerus, ut ſupra dictum eſt, & dubitat an ſit attagen uel gallína ruſtica. marem uerò in eodem genere totum nigrum facit. Fieri autem poteſt, ut uel Turnerus deceptus ſit, (quod magis puto) talem huius galli fœminam exiſtimando, ut utrunq; genus diuerſum ſit: uel Longolius talem huius fœminæ marem eſſe ignorauerit. Ego quidē in nullo animalium genere, fœminam mari colorum uarietate & pulchritudine anteire puto. Plura de gallína betulæ uide paulò ſuperius in Capite propriō.

DE ORDINE SEQVENTIVM GALLINACEI GENERIS, VT VVLGVS ferè appellat, auium: quæ omnes feræ ſunt, gallinis uillaticis aliqua ex parte ſimiles, minores tamen, longis cruribus, &c.

HACTENVS dictum eſt de illis auibus quas gallinacei generis manſueti aut feri eſſe, nemo dubitat, & quas ueteres etiam eidem generi adſcripſerunt. Reſtat ut de cæteris etiam ſcribamus, quæ à uulgo noſtro aliarumq; nationum (Italiæ & Galliæ præſertim, quod ſciam) gallinellæ ferè (ab Italis) appellantur, (quo nomine communi etiam Latinè dici poterunt, niſi quis gallinagines malit) quòd gallinis ſimiles, ſed minores ſint, cruribus omnes longis, & roſtris pleræq; longiuſculis, fidipedes, digitis tribus ante, uno retrorſum extēſo, in omnibus, ni fallor (nā inter aquaticas gallinellas Argentorati mihi depictas, duas [Schmirring & Koppziegerle] uideo poſteriore iſto carere, neſcio an uerè, an quòd pictor non expreſſerit, quod magis puto) minimè uolaces, & ad curſum potius comparatæ. quamobrem crura eis longiora data ſunt. Plumæ in cruribus ad media femora omnibus deſcendunt. omnes in delicijs menſarum habentur, carne ſuaui & tenera, ſæpe etiam pingui. Differunt uictu & locis in quibus paſcuntur. Sunt enim aliæ aquaticæ, quæ in ripis, littore, glarea, locis aut pratis paluſtribus uictitāt, multorum omnino generum. aliæ terreſtres locis ſiccis, quarum pauca genera nouimus. hæ corpulentiores, illæ graciliores. Primum igitur de terreſtribus agendū.

DE GALLINVLIS TERRESTRIBVS: ET primum de illis quæ uulgò Germanis Hegeſcharæ dicuntur, quarum & icon hîc expreſſa eſt.



VIS hæc à noſtris aucupibus uulgò Eggenſchär appellatur, ab alijs Heggeſchär tribus ſyllabis, uel Heggſchär duabus: quoniam turmatim iuxta ſæpes decurrunt, ubi poſt fœniſecia deprehenduntur. heggam enim uel hagam Germani ſæpem uocant, ſcharam uerò gregem uel turmam. aut forte quoniam circa ſæpes terram fodiant. Verbum enim ſcharren nobis ſignificat pedibus fodere, ut gallinæ ſolent. quod tamen an hæ aues faciant certum mihi non eſt. Sunt qui periphraſticè nominent, ein groß Waſſerhůnle/hoc eſt gallinellam aquaticam



cam magnã, sed non propè aquatica dici debere uidetur. Corpore breui & crasso est: & reliqua specie sicut hìc pingitur. Vix ulli auium digiti pro sua magnitudine longiores. postremus etiam ad anteriores circiter dimidiam longitudinem obtinet. Colores non satis memini: puto tamen crura subuiridia esse: in dorso & alis colorem è subruffo fuscum, &c. Circa Verbanum lacum quidam mihi Italicè polle nominabant: quod nomen cum pullam seu gallinam significet, nimis generale est. ¶ Græcum aut Latinum nomen nullum habeo: poterit tamen trochilus terrestris dici (nam alij sunt aquatici è gallinellarum similiter genere trochili) cum & genus commune sit, & in cursu celeritas, unde nomen à Græcis factum. quanquam & minimam auiculam regulum aliqui trochilum appellant. Hegeschara quidē celerrimè per frutices currit, & aliquando ad latus salit. malè uolat, & ægerrimè in aërem se attollit. A falconibus aut accipitribus capitur, qui propter coloris obscuritatem (ut audio) difficilius hanc auem quàm coturnicem eminus uisu deprehendunt. ¶ Vocem eius esse audio asperam & serratam, ut ita dicam, ger, ger, ger, (proferendo g. consonantem ut Latini solent ante a.) instar serpentium uocis quodammodo. itaq; etiam capi ab aucupe uocem eius imitante allectam, dum cultrum per aridum lignum crenatum deducit. (Sunt qui dicant hageschara captam uocem instar sciuri emittere.) ¶ Sed alios hoc idem de alia quadam aue referentes audiui: quæ mense Iunio & Maio in pratis reperiatur, magnitudine turdi uisciuori, colore ruffo instar perdicis, cruribus longis, cauda nulla, die noctéq; obstrepera, uoce mirabili, quam imperiti prętereuntes na-

tricum (serpentium) esse putent, non admodum dissimili anatum uoci (**der enten retschen**) sed argutiore. Hæc (aiunt) inter herbas & gramen sese abdit, ut rarò appareat. Deprehendunt eam tamen aliquando fœnisseces in nido. Oua eius duodecim aliquando inuenta sunt, columbinis paulò maiora. Hæc nobis amicus quidam retulit, cui fœnisseces narrauerant. Apparet autẽ hanc quoq; , si alia auis est, inter gallinellas terrestres numerari debere. Quærendũ an eadem sit de qua Turnerus: Est apud Anglos (inquit) in Northumbria auis longis cruribus, cætera coturnici, nisi quòd maior est, similis: quæ in segete & lino, uere & initio æstatis non aliam habet uocẽ quàm crex, crex. hanc enim semper ingeminat, quam ego Aristotelis crecẽ esse puto. Angli uocant a dakerhen, Germani **ein Schryck**. (Ea quam nos arquatam nominauimus, à Frisijs, ut audio, **Schrye** appellatur.) Sunt qui etiã rusticulam minorem, uoce sua ita obstrepere dicant, ac si quis cultrum per serram duceret.

¶ Retulit etiam nuper mihi quidam similes quasdã hegescharæ aues ex India adferri, in Gallia à se uisas, quæ carnem & mures edant grandibus bolis, & ossa magna deuorent, magnitudine gallinæ. ¶ Hegescharam Anglicè audio ray nominari, & inter segetes capi, lautissimam auem.

DE GALLINVLA QVAM NOSTRI VOCANT Brachhün: uel de arquata maiore, & phæopode duplici, quarum alteram arquatam minorem uocaui.

PHAEOPVS **Brachuogel.**



HAEC auis circa Argentoratũ nominatur **Brachuogel**, corpore nigricãte paucis ruffis & subflauis maculis aspersa, rostro tenui, oblongo, nigricante, modicè inflexo. collo albicante, inferiore eius parte circa medium & infra ad flauum uel ruffum tẽdente, uentre albo, cruribus fuscis uel cinereis, ut pictura nobis ostendit. unde phęopus cognominari posset. quemadmodũ etiã ea cuius figura proximè sequetur, quam tamẽ arquatã minorẽ potius appellare uisum est. Eiusmodi aues Mediolani girardellos nominãt. ¶ Sed uideo etiã turdi genus paruũ à Saxonibus **Brachuogel** uocari, quod Eberus et Peucerus colluriónem faciunt. Turnerus etiam batin esse conijcit auiculam quæ uulgò uocetur **klein Brachuögelchen**, Anglis stonchatter a.

CHRISTOPHORVS Encelius lib. 3. de re Metallica meminit auis quæ in Marchia regione Germaniæ uulgò nominetur **ein Brachhün**, **Brachuogel**, nomine ab agris quiescentibus (**brach** uocant) imposito; coloris cyanei, optimi saporis, boni chymi. Hoc etiam genus, ut & alias gallinas syluestres ore coire scribit circa æquinoctium uernũ, mare in os fœmellæ

inserente

inſerente roſtrum & infundente genituram, quod ueriſimile mihi nequaquam eſſe, ſupra in Vrogallo dixi. Nos auem **Brachuogel** deſcripſimus in Elemento A. Arquatæ nomine, propter roſtri figuram, de qua an ſentiat Encelius quoq; incertus ſum. color quidem cyaneus arquatæ noſtræ nõ conuenit. Audio autem eam appellari **Brachuogel** in quibuſdam locis à menſe Iunio quo aduentare ad illos ſolet: Encelius à quieſcentibus & noualibus agris hoc nomẽ ſuæ brachhennæ factum ait. Arquatam noſtram aliqui etiam **Regenuogel**, hoc eſt auem pluuię appellant, alij uenti uel tempeſtatis auem, **Windtuogel**, **Wätteruogel**, quòd tempeſtatis futuræ prognoſticon ex ea ſumatur. Sed uideo hæc nomina parum certa eſſe: nam & aliæ quædam aues iſdem nuncupantur: quæ quoniam ad gallinaginum aquaticarum (ut omnino coniicio ex pictura) hiſtoriam pertinent, icones carum hic adijciemus.

HANC auẽ, quam arquatam minorem dixerim, (de maiore ſcripſi in Elemẽto A.) aliqui ſimiliter ut maiorem uocãt **Rägenuogel**, id eſt pluuiæ auem, (à qua tamen diuerſa eſt quæ apud Gallos una uoce pluuier, id eſt pluuialis uocatur.) In Italia quidam tarangolo. Superiori (iam deſcriptæ) ferè ſimilis eſt, cruribus ut illa cinereis, & uentre albo, & ſub capite ſimiliter, itemq; roſtro, niſi quòd paulò oblongius uidetur. Alæ maculis albis aſperguntur, alioqui ex ruffo fuſcæ. ſed longiores earum pennæ nigræ ſunt, ut & dorſum & collum pronum nigricant. Collum ſupinum cum pectore nonnihil ruboris habet obſcuri & ualde diluti, plurimiſq; maculis nigricantibus diſtinguitur. ¶ Arquata minor & ochropus magna, *ein* **Schmirring**, quanquam gallinulæ aquaticæ ſunt, aliter tamen ferè capiuntur, ut ex aucupe quodam Argentinenſi intellexi: nempe alis duabus commiſsis, idq; in gramine, non in ripa, alioqui diſpoſitis ut mox in Capite de Gallinulis aquaticis capiendis in genere dicetur. Sed cum hæc duo genera præ cæteris adeò cauta ſint, ut noctu in locis qui undique aqua ambiuntur quieſcãt, aſtutia opus eſt ut alis iſtis opportunè diſpoſitis deprehẽdantur. Si quæ è retibus euaſerint, tam altè clamãt, ut ſpatio itineris fermè horæ exaudiantur.



DE RALA TERreſtri.

RALA uel ralla, nomen apud Anglos & Gallos in uſu, multis & diuerſis auibus incõſtanter, ut uideo, tribuitur, nam & terreſtres & aquaticæ quædã ſic appellantur, omnes tamen gallinularum generis, & cruribus oblongis. Petrus Bellonius ortygometram uulgò rallã dici interpretatur. Hegeſcharam nobis proximè deſcriptam, Angli (ut puto) rayl appellant. Perdix ruſtica uel ruſticula Plinij (inquit Turnerus in epiſtola ad me) ab Anglis uocatur rala. Eſt autem rala duplex, altera cibum è ripis fluminum petit, altera degit in ericeto in locis ſylueſtribus. Aquaticam illam Coloniæ diu aluí, & male uolare deprehendi, & egregiè pugnacem. Roſtrum & crura erãt rubra, plumę multis maculis reſperſę. Montana uerò illa & ſylueſtris crura habet multò breuiora aquatili, & plumas undiq; ma-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 522 sur 825

gis cinereas, sed rubra interim crura habet & rostrum. auis utraq; apud nos regium epulum (real Itali regium uocant, Galli royal, & forte hinc ductum est ralæ uocabulū. à colore crurum forte erythropus fuerit) uocatur, Hæc ille. Ego rusticam perdicem uel rusticulam, non ralam Anglis, sed Vuodcoccum uulgò dictum, Gallis beccassam, interpretor. ¶ Quærendum an rallæ aues forte dici potuerint, quod longis cruribus tanquam grallis insistere uideantur. Sunt enim grallæ (nostri stelzas dicunt) fustes furculas habentes, quibus nituntur qui super ijs ambulant, teste Nonio. Vnde grallatorius gradus, id est magnus, cuiusmodi solet esse grallatorum. Diuersi generis est rallus auis, ut quidam in Italia uocant, quem post Fulicam descripsi.

DE AVIBVS SIVE GALLINVLIS AQVATICIS: longis cruribus &c. quædam in genere.

PRIVSQVAM reliquas huius generis aues singillatim proponam, in genere prius quædam adferenda uidentur. Dixi autem iam superius quoq; nonnulla toti huic generi tum terrestrium tum aquaticarum gallinaginum communia. ¶ Girardelli Mediolani, & alibi in Italia giarioli (ut audio) uariæ aquaticæ gallinulæ nominantur, quasi glareolæ: quòd in glarea (sic uocant loca fabulo et lapidibus plena circa fluuios & torrentes) uersari soleant. Nostri ferè omnes huiusmodi aues in genere Wasserhünle/id est gallinulas aquaticas nuncupant. Sunt autem innumera earum genera, ut ardearum etiam aquaticarum auium, quarū μυελὸς ἐίσω esse author est Oppianus: magnitudine præcipuè & coloribus discreta. Sed ardeæ maiores sunt & piscium uoræ, rostris omnes rectis, &c. Gallinulæ minores, neq; tam piscibus (ni fallor, nisi minimis forte piscibus) sed uermiculis potius & insectis circa aquas uictitant. Aristoteles ortygometram aquaticis auibus corporis specie similem esse scribit. Idem οὖν ὄρτυγας (malim ὄρνιθας) τὴν λιμναίων σχιστόπους esse scribit in Physiognomonicis, hoc est pedibus uel digitis pedum angustè coniunctis, & naturæ timidæ: unde homines etiam timidi esse coniiciantur illi, οἷς τῶν ποδῶν τὰ δάκτυλα συμπεφραγμένα. Est autem, ut nos obseruauimus, hæc ferè species aquaticarum auium, ut crura oblonga habeāt, quo cibum commodè circa aquam & in aqua quærant, non enim natant, quare palmipedes non sunt. digitum qui pro calce est perbreuem habēt (quo quædam omnino carent, ut ea quæ Schmirring Germanicè, & altera quæ Koppziegerle uocatur, quantum ex pictura uideo) corpus gracile & adductum, non crassum nec in corpulentiam extensum: caput pleræq; omnes puto proportione paruum: plumas plerunq; uarias, uersus quosdā crispantes coloris uarietate (albi uel alterius) redditos: caudam perbreuem. Rostrū est longiusculum, modicè flexum: præterquam in rusticula utraq;, & marinis quibusdam, quarum omnino rectum est rostrum. Partem capitis supinam, quæ inter rostrum & collum est, omnibus albêre uideo, ut etiam uentrem. sed hoc interest, quod uenter aliis simpliciter albus est, aliis in albo maculis distinctus fuscis. Maximæ alarum pennæ omnibus ferè nigræ aut nigricantes, ochra & erythra exceptis. Plurimæ etiam circa oculos maculas albas habent. Rostrum pleriq; nigrum: in ochra & poliopode aliquid punicei habet: & rubri nonnihil in erythra. in ochropode magna, pars dimidia quæ iuxta caput est, flauet, anterior nigra est.

EX GALLINVLIS AQVATICIS, QVAS NOVIMVS, SVNT



Gallinulas hasce omnes ferè à crurum colore denominauimus, præter hypoleucon, à partis inferioris albedine, erythram & ochram, à totius corporis colore.

¶ Auem

¶ Auem Deffyt à crurum colore Poliopodem uocauí: (quamuis etiam gallinula quæ Brachuogel dicitur superius descripta, fuscos habet pedes, sed minus (ut ex pictura conijcio) canos, ut Phæopus potius sit quàm Poliópus: in ea que Rotknillis dicitur, magis nigricant è fusco, nec ullius in hoc genere nigriora, quare Melampodem cognominabimus. Matkerna uerò esti fuscos habeat pedes, à totius corporis tamen colore potius Erythram nominare placuit.) ¶ Item pleræq; omnes iam dictæ aues cum aquaticæ sint, & inter frutices ac arbusta riparum uersentur, non alio ferè, quod sciamus, cibo quàm pisciculis aluntur. & initio autumni plerunq; ad nos aduẽtant, & hyemis exitu denuò auolant, ut & aliæ quædam aues migrare solitæ. Aucupium earum mane ante Solis exortum fit, aut uesperi post occasum. Interdiu enim locis palustribus degunt, incipiente uerò uespere tam sublimi uolatu euehuntur, ut nõ amplius appareant. Aucupes in ripa, quam frequentare solent, rete extendunt, ita ut uersus aquam spectet. utrinq; autem ad rete eius generis aues quas capere uoluerint, aliquas mortuas, & circiter duas uiuas disponunt: ad quarum allicientium uocem aues è sublimi se demittunt, & reti in aquam delecto capiuntur. Cæterũ arquatæ minoris & ochropodis magnæ captura nonnihil differt, ut supra indicauimus.

¶ Alcyonem Encelius Saluelden sis uulgò à quibusdam Wasserhünle, id est gallinulam aquaticam, sed impropriè appellari scribit.

¶ Almencalbum, seu almebacalbũ, est illud quod Aegyptij uocãt albucalmun, & est auis aquatica, quam habitantes infra terram Aegyptij in loco nominato Alsemur uocant gallum aquæ, ut docet Glossa Arabica & Sirasi, Andr. Bellunensis. Sunt qui etiam fulicam nostram (ein Böllhinen) pullum seu gallinam aquæ appellent, sed ea palmipes est & natat, nec longa habet crura ut gallinulæ de quibus hic agimus, quarum nulla palmipes est.

DE AVIBVS QVARVM VETERES MENTIONEM FECERUNT, QUÆ AD GENUS GALLINAGINUM AQUATICARUM REFERRI POSSE UIDENTUR.

CALIDRIS & CELEVS aues suo loco dictæ sunt, TROCHILVS dicetur. Sunt autẽ trochili diuersi, ex quorum genere corythum (κόρυθον) etiam esse Hesychius & Varinus tradunt. NVMENIS post Arquatæ historiam descripta est, & ATTAGEN quoq; auis palustris in A. Elemento. ELAPHIS in E. de GLOTTIDE ultimo post Gallinulas loco agetur. PHOENICOPTERVS auis palustris à puniceo colore pennarum dicta, in P. non omittetur.

TRYNGAS (τρύγγας) lacus & fluuios petit, caudam motitat, ut etiã cinclus, albicula & iunco, sed inter minores has maiuscula est. turdo enim æquiparatur, Aristoteles. Tryngas Germanicè dicitur ein Wasserhenn, (id est gallina aquatica,) Anglicè a water hen, or a mot hẽ, (forte a mor hen,) Turnerus. Est autem auis (inquit) tota pulla, excepta ea caudæ parte, quæ podicẽ tegit. ea enim candida est, & tum cernitur cum caudam erigit. alis parum ualet, atq; ideo breues facit uolatus. In stagnis, quæ nobilium ædes obducunt, & in piscinis apud Anglos plerunq; degit. Si quando periclitatur, ad arundineta densiora solet confugere. Audio & snyt appellari apud Anglos auem longo rostro, magnitudine picę, quæ semper iuxta aquam uersetur, & caudam motitet: quæ cinclus, an tryngas sit, quærendum est. ¶ Tryngas, ein Wasserhenne, nigra tota, fidipes, candido uertice ad rostrum usq; demisso, pedibus altis & nigris, caudam continuò mouet, & loca incolit aquosa, Eberus & Peucerus.

¶ Huc pertinet etiam auis quæ alicubi in Heluetia, ut Claronæ, Wassertrostle, id est turdus aquaticus nominatur, rostro breui, cruribus altis, fidipes: quam non memini me uidere, nec an tryngas sit asserere possum: nisi forte merula aquatica est, de qua suo loco.

DE RVSTICVLA VEL PERDICE RUSTICA MAIORE.

A.

GALLINAGO dicta (ascolopas) per sæpes hortorum capitur (ὧν τοῖς κήποις ἁλίσκεται ἕρκεσι, forte melius uertetur, in hortis capitur retibus. nam ἕρκεσι pro δικτύοις Sophocles etiam dixit, ut Varinus habet) magnitudine quanta gallina est, rostro longo, colore attagenæ. currit celeriter, & hominem mirè diligit, Aristot. de anim. hist. 9. 26. in quo loco Albertus habet ascolakos. sed eiusdem libri cap. 8. circa finẽ σκολόπακ habet Aristoteles, quod magis placet, Scolopax (inquit, ὁ σκολόπαξ Gallinago uertit Gaza) ex auibus non uolaticis, nunquam in arbore consistit. sed humi. Facile quidem fuit coniuncto articulo pro ὁ σκολόπαξ, ἀσκαλώπας scribere. Scolópax sanè apud Hesychium etiam & Varinum legitur. uidetur autẽ sic dicta hæc auis quod rostrum longum & rectum habeat instar pali. nam palum siue lignum longum rectumq; Græci scólopa nominant, σκόλοπα, omnibus syllabis breuibus. cum Nemesianus penultimã producat, ut iam recitabo, apud quem prima per a. scalópax scribitur, quasi σκαλόπαξ Græcè dici deberet. Volaterranus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 524 sur 825



inepte Aristoteli scribit hanc auem alectoridem dici, cum alectoris gallinam significet, cui magnitudine tantum comparatur ab Aristotele. Scolopacis auis Herodianus meminit, qui syluestrem perdicem interpretatur, (ut & docti plerique rusticam perdicem à Martiali dictam interpretantur) quam & Nemesianus sic uocat, & eius uenationem mox post otidem quibusdam notis similem statim describit, cuius hi sunt uersus: Cum nemus omne suo uiridi spoliatur honore, Fultus equi niueis syluas pete protinus altas Exuuijs. præda est facilis, & amœna scolopax. Corpore non Paphijs auibus maiore uidebis, Illa sub aggeribus primis quà proluit humor, Pascitur, exiguos sectans obsonia uermes. At non illa oculis, quibus est obtusior, etsi Sint nimium grandes, sed acutis naribus instat, Impresso in terram rostri mucrone sequaces Vermiculos trahit, & uili dat præmia gulæ. Hæc Nemesianus citante Gyb. Longolio, qui hanc auem non aliam facit, quàm quæ beccassa uulgò dicitur, ein Schnepff.

¶ Eadem planè quæ scolopax Græcorum, Latinorum rustica perdix, uel rusticula esse uidetur. Rustica sum perdix, quid refert, si sapor idem est? Carior est perdix, sic sapit illa magis, Martialis sub lemmate Rusticula. Rusticulæ & perdices currunt, Plinius. Rusticulam Scoppa interpretatur Italicè gallinam arceram, id est beccassam, ut & Gallicè quidam. Cæterum aliam esse auem quę gallina rustica à Columella nominatur, & gallinæ uillaticæ similis esse fertur, supra dictum est. Humi nidulantur perdices, & rusticulæ, quæ sunt nostrates perdices (quæ uulgò perdices uocantur, ab Italis starnæ uel externæ. nam propriè perdices sunt maiores, ut Hispanæ, & Chienses, & Siculæ, Niphus. Et rursus, Gallinago Aristotelis est, quæ uulgò gallinella dicitur. quamuis alij quidam, sed malè, (ut recognitor ille Papinij,) nostram perdicem intelligentes, dicant gallinellam rusticè dictam, esse rusticulam siue starnam, (externam.) Turnerus rusticulā illam auem esse putat, quæ Anglicè rala dicatur, duûm generum, aquatica & terrestris, ut supra recitaui in Capite de rala.

¶ Scolopacem Theodorus gallinaginem uernaculam uocem secutus (ita enim uulgò nominatur) interpretatus est, Hermolaus. Volaterranus & Niphus Italicè uulgò gallinellam dici scribunt. Effertur & gallinaza à quibusdam, ut circa lacum Verbanum: ubi & pola à quibusdam, nimis generali uocabulo dicitur, id est pulla. Phasiani & turdi & gallinacea (de gallinagine intelligo) magis hyeme conueniunt, Arnoldus de Villanoua. Arcia circa Brixiam dicitur, ut audio, & alibi gallina arcera, teste Scoppa. alibi pissacare, circa Bononiam: & gallina rusticella, ni fallor, alicubi, sed impropriè: in Hetruria accegia. Sunt aues quædam quæ gallinæ syluestres dicuntur, uulgo gallinaceas appellant, quæ ad naturam perdicis & temperamentū eius proximè accedunt, ut Michael Sauonarola testatur, Anton. Gazius Patauinus. ¶ Gallis nominatur becasse, uel becasse grande, à rostri longitudine, ac si rostricem Latinè dicas. nam becco rostrum appellat uulgus Gallicum, uocabulo Tolosano antiquo: quāquam id illis gallinacei rostrum significaret, ut author est Tranquillus in Vitellio. Fuerit autem & pico fortassis suum nomen à rostro factum, quod ualidissimum habet, ut becassa quasi picassa longum, sunt qui scribant bequasse. Normanni uidecocq appellant nō diuersam,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 525 sur 825

uersam, ut quidam putant, sed eandem auem. est autem ea uox Anglorum, qui Vuodcok uocitant, nomine semigermanico & semigallico. nam wod eis est sylua, ut nobis wald. cok gallinaceus, ut Gallis. quidam Germanici & Anglici sermonis imperiti, uidecocq dictam suspicantur ridiculè, quòd rostrum instar uirgæ genitalis gallinacei habeat. ¶ Germanica nomina uaria sunt, nam uel simpliciter Schnepff appellatur, & Schnepffhün, & Rietschnepff, quòd humidis locis gaudeat ac palustribus: & ad differentiam minoris rusticulæ, grosser Schnepff. id est rustícula maior. Brabandis Neppe nominatur, (unde Albertus & alij quidam nepam dixerunt,) à Flandris Sneppe: ab Anglis snype, uel wodcok ut supra scripsi. à Turcis in Asia minore tcheluk. ¶ Græcis hodie uulgò xylornitha, id est gallina syluatica, Bellonius.

¶ Falluntur Britannici Ludimagistri, qui suum Vuodcoccum (id est beccassam) attagenem faciunt, qui solis uescitur uermibus & grana nunquam attingit, Turnerus. ¶ Sunt qui auem (beccassam) cui à rostri longitudine à Germanis nomen rectè inditum est, ueterum ortygometram esse putent, Gyb. Longolius. Ethigoneta (mendosè pro ortygometra) auis est similis perdici, sed longo rostro, Arnoldus Villanou. Sed de ortygometra post Coturnicem scripsimus. ¶ Albertus ficedulam, nepam uel sneppam Germanorum interpretatur, ea forsitan solum ratione ficedulam eam uocans, quòd suauis & pinguis sit auis, & mensis plurimum quæsita: nam ueterum ficedulam aliam esse fatetur. ¶ Georgius Alexandrinus becassam, id est perdicem rusticam, cum gallina rustica confudisse uidetur, uulgi forte nomenclaturis deceptus, ut supra in Gallina rustica scripsi.

B.

Reperitur hæc auis in omnibus ferè regionibus: apud Heluetios quidem circa loca montana & aquosa, etiam abundat, initio hyemis præsertim. Magnitudine paulò inferior est quàm uillatica gallina. Rostro longo: & ea propè crurum forma, qua cynchramum (cynchramum uerò scricam Germanis dictam facit, ein Screcke) esse diximus. ingluuie caret, Gyb. Lõgolius. Nepa rostrum oblongum habet, in dorso colorem perdicis, in uentre nisi: linguam ualde longam, quam procumbens in puluere procul extendit, & attrahit uermes, Albertus. Idem ubi Aristotelis libri de hist. anim. noni caput 26. interpretatur: Auis (inquit, nimirum ex Auicenna) ascolacos (ascalopas) ut Græci uocant, in hortis & pratis capitur, magnitudine galli (gallinæ Aristot. sed minor etiam quàm gallina est, ut columbis melius à Nemesiano conferatur;) rostro longo, colore ut attagen, qui declinat ad cinereum cum quodam rubore & flauedine distincta. Moratur autem in hortis, nam diligit loca hominibus uicina, propter semina quæ inuenit incubentis (in areis forte) herbarum hortorum. Sed siue hæc Albertus de suo adiecit, siue ex Auicenna mutuatus est, falsa uidentur. non enim seminibus uescitur scolopax (id est becassa nostra) sed uermibus, ut neq; alia auis (quod sciã) cui rostrum sine latitudine oblongum est. Longolius tamen, ut in E. referam, inclusam farina fagotritici pinguescere scribit. ¶ Gallinago quam ipse inspexi instar paruæ gallinæ erat, eadem qua perdix nostra corpulentia, unciarum forte duodecim pondere, colore macularumq; uarietate mirificè distincta, ex ruffo uel testaceo colore, albicante, nigro, & alijs. Rostro ab extremitate ad oculos quinq; digitos aut amplius longo, anterius nigricãte & asperiusculo. Rostri pars superior ultra inferiorem extenditur. Lingua gracilis, oblonga, neruosa. Crura ferè rosei coloris.

C.

Ascolopax auis puluerarix est, G. Lõgolius. Versantur circa hortos, & circa domos etiam in urbibus in Italia ut audio. alioqui circa riuos & locis humidis degere gaudent: & per diem ferè inter arbusta latere, noctu in prata prouolare. ¶ Capiuntur Octobri mense ferè apud nos. Autumno mane & uesperi inter arbores uolant, Albert. In die quiescũt, in aurora & crepusculo uolãt, Idem. Capiuntur in Anglia mane potissimum & crepusculo in syluis. nunquã apud nostrates nisi hyeme uidentur. quare de prole & modo nidulandi nihil habeo quod dicam, Turnerus Anglus. Sæpenu mero aduentantibus turdis incipiente capitur autumno in Gallia & patria nostra (circa Brixiam,) Aloisius Mundella. Circa solstitia hyberna nobis uẽdi solet, Gyb. Longolius. Ficedula (sic uocat sneppam) à quibusdam locis Germaniæ nunquam recedit. in Sueuia enim semper inuenitur. sed à Germania inferiore Aquilonari, quæ multum est aquosa, recedit æstate, & redit in fine autumni, Albertus. ¶ Sneppa solis uermibus uescitur, & grana nunquam attingit, Turnerus. Rostrum molli luto infigit, & cibum uermium requirit: & si aliquando profundius defixo rostro hæserit, pedibus lutum eruens se liberat, Albert. In puluere procumbens longe extendit linguam & attrahit uermes, Idem. Sunt qui dicant gallinaginem spiritu immisso in caua, unde sonus etiam quidam procul audiatur, uermes extrahere: eosq; exire propter calorẽ aëre ex inflatu auis calfacto. sonum autem reddi, si locus cauus, angustus & oblongus sit.

D.

Mirificè amat hominem, Aristotele teste, scolopax.

E.

Nepa in die quiescit, in aurora & crepusculo uolat: & ideo tunc in altũ eleuatis retibus capitur, Albert. Mane & uesperi inter arbores uolat. quare tunc expãsis in altum retibus capitur: eò quòd exeundo & intrando semper easdem uias sequi consueuit, Idem. Capitur apud Anglos diluculo potissimum & crepusculo in syluis, retibus in loco arboribus uacuo suspensis, & ueniente aue dẽ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 526 sur 825

missis. Rusticulæ capiuntur noctu ad ignẽ, tintinabulo, & genere retis quod Galli coopertorium uocant. Ignis quidem fit è pannis ueteribus siccis in seuum liquatum intinctis, tum cõtortis brachij crassitie, longitudine pedis, accensisq́, Rob. Stephanus. ¶ Scolopaces sæpe in ornithone mihi sagina plenos fieri, uidere contigit. Hæc autem ex farina fagotritici cũ aridis subacta ficubus paratur, quæ in labris paulò latioribus effusa, copiosius aqua conditur. eam rostris illi longissimis hauriunt potius quàm ducunt. Ab hac fartura, quòd magnis impensis fiat, multi abstinent, uerùm illi mihi haudquaquam sapere uidentur. Edunt enim omnium ferè minimum, ut quæ carnosæ admodum sunt, & ingluuie planè careant, Gyb. Longolius.

F.

Snepa carnem habet suauem, Albertus. Habetur quidem in delicijs, minus tamen quàm perdix, & carne minus alba est & magis rubicunda quàm perdix. Gallinacea (id est becassa) magis hyeme conuenit, Arnoldus de conseru. sanitate. in plerisq́ quidem locis hyeme tantũ reperitur.

G.

Gallinaginem aliqui deplumatam exenteratamq́, in furno torrent & cremant in olla figlina ad quoddam remedium, aduersus calculum ni fallor.

DE RVSTICVLA SYLVATICA.



ALIA

ALIA est quæ simpliciter rusticula dicitur, uel rusticula palustris maior, de qua iam scripsimus: alia uerò rusticula syluatica, de qua nunc agimus, quæ syluatica potius quàm palustris est, unde à Germanis uocatur Waldschnepff/Holtzschnepff: maior superiore, cum gallinam ferè æquet: & colore simili quidem, sed saturatiore, cruribus cinereis, uentre albicante, rostro minus longo, ut pictura ostendit, quam ab Argentoratensi aucupe eodemq; pictore accepi. Tendiculis seu laqueis capitur.

DE GALLINAGINE SIVE RVSTICVLA MINORE.



AVIS est apud Batauos eadem (qua rusticula maior) forma rostri, capitisq;, item corporis: nisi quòd longè minor sit, mensarum delicijs maximè nobilis. at hæc neq; in auiario, neq; in caueis uiuere dignatur. neq; mihi constat quo nomine hactenus à ueteribus sit appellata. Aduena est secũdum uernum æquinoctium, neq; à margínibus lacuũ & stagnorum quoquam discedit, quare neq; pulueratrix est (ut rusticula maior,) Gyb. Longolius interpretatur autem Germanicè Härsneff. alij uocant Herrschnepff, hoc est dominorum & nobilium gallinaginem. alij Graßschnepff, fortè quòd inter gramina lateat: alij uoce diminutiua Schnepfflin: alij nimis generali uocabulo Wasserhünle. Galli becasson. Sabaudi becasse petite, id est gallinaginẽ minorem. Turcæ (ut audio) ielué. ¶ Ebero & Peucero mollíceps ab Aristotele dicta auis, eadem est quæ Germanorum Harschnepff: quod mihi nequaquam congruere uidetur, quanquam Longolius quoq; ante illos idem senserit. ¶ In rusticula maiore inferior rostri pars aliquanto breuior est superiore, non item in minore rusticula: in qua tamen anterior pars (si bene memini) multò quàm in maiore asperior est.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 528 sur 825

¶ Rusticulæ minoris uocem auditam pluuiæ prognosticon quidam faciunt. Eandem aliqui talem esse aiunt, ac si quis cultrum per ferram ducat. quod tamen alij de alia quadam aue dicunt, de qua supra scripsi inter Gallinulas terrestres. In rusticulæ minoris uentre initio Decembris captæ, inueni scarabeos quosdam, & uermes albicantes, tenues, oblongos, quales farinarios nostri appellant. Caro eius tenera & suauis est.

Rusticulæ siue gallinagini maiori similes esse audio in Frisia aues quasdam, nam ea quæ **Wülp** nominatur uulgò, rostro & pennis colore illi cõfertur, sed magnitudine uincit. item **Grütte** dicta, rostro, &c. ¶ Hieronymus Tragus inter aues mensis requisitas meminit illarum quæ Germanicè dicantur **Bruchschnepfflin oder Habergeißlin**: quę forsitan non aliæ sunt quàm quas supra inter Gallinulas terrestres **Brachuögel** (ab agris noualibus, rostro ferè becassæ, sed arcuato) nuncupauí. ¶ Hæmatopus, id est pica marina ut Galli uocant, rostrum habet quatuor digitos longum, ut gallinago: unde & gallinaginem marinam (becasse de mer) aliqui nominant, Bellonius.

DE DVODECIM GENERIBVS GALLINVLARVM AQVATICARVM, QVAE circa Argentoratum capiuntur: quarum nulli peculiare aliquod Latinum Græcúmue nomen assignare possum. In genere uerò nonnihil de eis dictum est supra.

DE PRIMO GENERE, quod uulgò Germanicè uocant **Rotbein**, id est erythropodem.



LVCAS Schan Argentoratensis pictor diligentissimus, & idem auceps, captas à se aliquot gallinulas aquaticas egregiè depictas (nisi hoc aliquis improbet, quòd nõ eo qui uiuarum est corporis gestu, sed ut pingendas suspenderat reddidit) mecum communicauit. Ex his iam superius duas dedimus, gallinulã scilicet à noualibus agris dictam **Brachuogel**, ut conijcio: (nisi ea potius terrestris est quàm aquatica) & alteram cui à pluuia nomẽ **Regenuogel**. Reliquum est, ut cæterarũ quoq; icones proponam, & breuissimas à coloribus pictis sumptas descriptiones. uiuas enim aliquot earum non uidi. Præponam autem illas ferè quibus rostrum longius est: quibus id breuius, postponam. Icones quidẽ ipsæ si colores non addantur, pleræq; parum inter se discernuntur.

¶ Primi huius generis Germanicum nomen à rubente crurum colore factum est, ut dubites an hæc sit erythropus cuius Aristophanes meminit, quanquam & rala Anglorum, tum terrestris tum aquatica (utraq; inter gallinulas terrestres supra nobis memorata) cruribus simul & rostro rubeat. ¶ Auis cuius hæc icon est, rostro est (ut apparet) oblongo & nigricante, per summũ modicè inflexo, pennis fuscis, albo passim aspersis, uentre albo, fuscis per trãsuersum maculis intercepto. Meminit huius auis etiam Turnerus: Est apud Anglos (inquit) in locis palustribus auis quædam, longis & rubris cruribus, nostra lingua redshanca dicta: cui an descriptio hæmatopodis Pliniani conueniat, qui apud Anglos degunt inuestigent & examinẽt. Quòd si Anglorum redshanca (ut conijcio) eadem quæ Germanorum **Rotbein** est, cum utrunq; nomen Germanicum sit & eiusdem significationis: non poterit esse hæmatopus Plinij, cui rostrum simul & crura prælonga rubent, nostræ uerò rostrum tantum.

¶ Erythopodem alterum minorem Germanicè dictum **Kopptziegerlin** inferius describam loco undecimo.

DE

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 529 sur 825

DE SECVNDO GENERE, QVOD Glutt NOminant, quasi glottidem.

HVIC aui uulgare nomẽ est Glutt, forte tanquã glottis, cuius Aristoteles meminit, impositò à lingua oblonga nomine. quod si illa non est, congener uideri potest. nam cum rostro sit longo, linguam etiam ei longam esse uerisimile est, ut & gallinagini in hoc genere, quę cum uermibus pascatur, (sicut plereq; omnes huiusgeneris puto,) linguã exerit oblongam, ut in eius historia scriptum est. Sed de ueterũ glottide, siue alia siue eadem est, infra scribemus. Glottis hæc nostra colore fusco est, albo colore in alis modicè aspersо pẽnis extremis. alba est circa oculos, collo, pectore & uentre toto. Rostrũ nigrum est, crura ferè uiridia, uel mixti è pallido & uiridi coloris. Vocẽ instar fistulæ argutam ædit.



DE TERTIO GENERE, QVOD Deffyt nominatur uulgò, à nobis Poliopus.



TERTIVM hoc genus neſcio qua ratione Deffyt appellatum, cruribus eſt cinereis uel canis, unde poliopodem aliquis dixerit, roſtro partim obſcurè roſeo, partim nigricante. per collum ſuperne ac dorſum fuſcus color ad ſubruffum accedit, qui in alis multò dilutior & albicantior eſt, in quibus etiam pennarum margines albi ſunt, ut pectus quoq; & uenter totus.

DB

DE QVARTO GENERE, Schmirring DICTO, NOS Ochropodem magnum nominabimus.

OCHROPVS magnus, quẽ ſic nomino à luteo uel ſulfuris inſtar ſubflauo crurũ colore, (qui in roſtro etiam ad dimidiũ uſq; uel ultra apparet, anterior enim eius pars nigra eſt,) Germanicè **Schmirring**, per onomatopœiam (ut cõijcio) nuncupatur. Eſt autem in hoc genere maximè uarius, cum ſeptẽ in eo colores (ut pictura oſtendit) diſcreti appareant. nam præter ſubflauum quem dixi, paſsim toto corpore ruſſus apparet: in breuiſsimis alarum pẽnis extremis etiam rubens ut in rubrica fabrili. albus tum in capite & circa oculos, tum in mediis alarum pennis & uentre. Longiſsimæ alarum pennæ nigrę ſunt: & alibi paſsim, in dorſo, cauda, collo & alis maculæ nigricant. Palpebrarum margines color croceus tingit. Eſt & fuſci uel cinerei nonnihil in alis. ¶ Digito poſteriore pedes carent, niſi pictura me fallit. ¶ Nidificat inter fruticeta è muſco & gramine.



¶ Ochropodes aliæ duæ, media & minima, inferius deſcribẽtur, octauo & duodecimo locis.

DE QVINTO GENERE, QVOD RHODOPO-dem appellamus, uulgus Germanicum Steingállyl.



RHODOPVS auis, ut nos appellauimus, roseum uel amethysti ferè colorem in cruribus habet. rostro est nigro, corpore fusco, cinereæ per alas maculæ: ut per collum quoq;, quod alioqui album est. uenter absq; maculis candet, caudam albam transuersæ lineæ nigræ cingunt. rostrum est nigrum. Causa nominis Germanici ignota mihi est. Turnerus scribit tinnunculum etiam accipitrem ab Anglis alicubi Steingall uocari.

DE

DE SEXTO GENERE GALLINVLAE AQVAticæ, quam Hypoleucon cognomino: uulgus Germanicum appellat Fyſterlin, neſcio qua ratione.



HYPOLEVCON, hoc eſt ſubalbum, genus hoc gallinulæ cognomino, quod tota pars ſubtus collum, pectus & uenter, albi coloris puri & abſq; maculis ſit, præ cæteris huius generis auibus. Reliquum corpus fuſcum apparet, in alis dilutius, circa collum ſuperius utrinque ruſſum uel ſubflauum nonnihil admixtum eſt. Crura fuſca cum modico colore ruſſo. Roſtrum nigrum modicè flexum anterius.

T

DE SEPTIMO GENERE, QVOD Rotknillis uocitant, ego Melampodem cognomino.



GERMANICVM nomen Rotknillis compoſitum uidetur, à colore. eſt enim ruffo uel rubicundo colore cum maculis fuſcis in collo hæc auis, & circa oculos. Knillis uerò neſcio unde facta uox communior eſt, cum alia etiã huius generis gallinula proximè deſcribenda, Markknillis dicatur. Nos à crurum colore Melampodis nomen finximus, quod nigripedem ſignificat. nulla enim huius generis auis, quòd ſciam, nigriora habet crura. Corpus fuſcum eſt, cum maculis quibuſdam ſordidi coloris & obſcuri. roſtrum etiam nigrum eſt. alas maculæ albæ diſtinguunt.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 535 sur 825

DE OCTAVO GENERE, VVLGO DICTO Mattkmillis: nobis Ochropus medius.



DE Germanico huius auis nomine proximè retrò dictum est. nos ochropodē medium nō minauimus, à crurum colore luteo, uel subuiridi obscure, nam ochropodem magnum supra loco quarto descripsi, minimum duodecimo descripturus. Rostrum ei nigricat, ut & tota superior pars corporis. alæ ad fuscū tendunt, præter pennas longiores nigras. fuscum est etiam pectus cum collo, ut pictura indicat. Vidi ego captam huius generis auem, initio Februarij, huic similem: sed rostro oblōgiore paulò quàm hic pingitur: dorso minus nigro, fusco potius: cui uersus caput nonnihil cinerei coloris admixtum erat: in dorso uerò posterius aliquid subruffi obscuri. cauda aliquatenus tota candida erat, sed circa finem duæ lineæ nigricantes spacijs albis distingue bantur. Apparebant & exigua puncta albicantia passim, præsertim in minoribus pennis alarum. uenter cādidissimus. collum cinereum maculosum. rostrum nigrum. pars capitis inferior candida. crura ferè ex uiridibus fusca. lingua in oblongum mucronem desinens. Magnitudo totius quæ merulæ, sed corpus paulò gracilius, & collum oblongius.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 536 sur 825

DE NONO GENERE, QVOD ERYTHRAM nuncupo, uulgus Mattkern.



CVR Mattkern à uulgo hæc auis dicatur ignoro: ego à totius corporis colore erythrã uocaui. Etsi autem corpus totum ferè (uentrem albicantem rubro tamen suffusum, & crura leucophæa excipio) rubicundum sit, obscurior tamen is rubor in dorso est, & maculis nigris interceptus: clarior in alarum aliquot pennis: in quibus longissimæ ad rubricæ fabri bore, breuius quàm pleriscp alijs in hoc genere. ¶ Inter arundines capitur laqueis, (*mit bögli vnnd schnurret wie die wullenwäber wenn sy die wullen schlahend.*) Vocem & clamorem ædit quo repræsentatur sonus fullonum lanas ferientium. *Er schryet* ¶ Audio etiam ab alijs Reinuogel, hoc est auem Rheni appellari: paruam quãdam in gallinularum genere, colore uariam subfuscam, & alio nomine Mattkern dici.

DE

DE DECIMO GENERE Gallinularum, cui Ochræ nomen fecimus, uulgò Wynkernnell appellant.



MVIVS etiã auis Germanici nominis rationẽ non aſſequor. Kernella quidem uulgò Germanorũ dicta, in anatum quoq; ferarum genere eſt: & Matkerna inter gallinulas proximè dicta. ego ochram nominaui, à totius ferè corporis colore ſubuiridi, ſed ſordido & obſcuro, prona parte magis fuſco. Caput, collũ, pectus & alæ, punctis & maculis candidis inſigniuntur. cauda albicat aliqua ex parte. roſtrũ partim nigricat, partim puniceũ eſt. Crura, ut in ochropodum genere, lutea.

DE VNDECIMO GENERE, quod Erythropodem minorem appello, uulgus Kopptiegerle.



GERMANI circa Argentoratum, ut proximè ſequentem auem Riegerle uocant: ita eam quam nunc deſcribimus Kopptiegerle, neſcio quam ob cauſam. Ego à pedũ colore rubente erythropodem, adiecta minoris differentia. nam maiorem ſupra primo loco deſcripſi. Coloris eſt fuſci, & nonnihil ſubruffum habet in alis præſertim & collo. Alas per medium linea alba trãſuerſa diſtinguit. longiores earum pennæ partim nigræ, partim cinereæ apparent. cauda alba. roſtrum nigricat. Digiti pedum poſteriores nulli, uel breuiſsimi uidentur, ſi pictura bene habet. Erythropodem maiorem ſupra primo loco deſcripſi.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 538 sur 825

DE DVODECIMO GENERE GALLINVlarum, quod Ochropodem minorem nomino, uulgus Riegerle.



VVLGO hanc auem Riegerle uocant, (quasi motriculam dicas, uerbum enim regen/ nobis moueri est. Nam cum aliquid circa aquã audierit hæc auis, statim mouetur, & exigua uoce sua argutissimè clamat,) ut superiorem Kopp:riegerle. Minima quidẽ inter gallinulas uidetur. Rostrum nigricat, collum album est, idq; altius quàm in cæteris, idem linea fusca ceu torque ambitur inferius. Caput quoq; nigricat, in quo spatium supra oculos nigrum inter albas utrinq; maculas continetur. Dorsi alarumq; color ad cinereum uergit. longissimæ alarũ pennæ nigricant. Crura sublutea sunt, à quorum colore Ochropodem minorem hanc auem nominaui, magnum enim ochropodem iam prius descripsi loco quarto, medium octauo.

DE GALLINVLA QVAM ANGLI Goduuittam uel Fedoam appellant.

SI satis exploratum mihi esset attagenam auem palustrem esse, & uarijs maculis distinctam, ut Erasmus scribit, Anglorum goduuittam siue fedoam, attagenam esse, indubitanter auderem adfirmare. Est autem ipsa gallinagini ita similis, ut nisi paulò maior esset, & pectoris color magis ad cinereum uergeret, altera ab altera difficulter possit distingui. uiuit in locis palustribus, & ad ripas fluminum. rostrum habet longum, sed capta triticum non secus atq; columbi, comedit. triplo pluris quàm gallinago apud nos uenditur, tantopere eius caro magnatum palatis arridet, Turnerus.

¶ Haud scio an illa quoq; auis gallinularum generis sit, quam Frisij TIRCK appellant, pennis & rostro non dissimilem sturno, cruribus proceriorem.

DE GALLINVLIS SIVE ARDEOLIS MARINIS, quarum alteram Totanum, alteram Limosam circa Venetias uocant.

TOTANVS.



TOTANVS & LIMOSA, ut Venetijs uocant si bene memini, inter ardeolarum gallinularumq; naturam ambigere ferè uidentur, quòd gallinulis maiores sint, ardeolis minores. Rostra eis recta & acuta, & ad uictum è piscibus apta sunt. In Germaniæ maritimis has aut similes aues **Polschnep**, uel **Pfulschnepff** nominari audio: hoc est gallinagines paludum, ut conijcio.

¶ Totanus auis est aquatica, rostro nigricante, præsertim anterius: posterius enim, & magis inferiore parte, ruffum est. uertex cinereus, ut & reliqua pars prona. Alarum ima pars alba, extima nigra est, reliquæ plumæ in ambitu uariæ (στικταὶ) sunt & albicantes, cauda palmi longitudine, transuersis lineis albis nigrisq; depicta, ut etiam Limosæ. Pennæ supra caudam ad medium dorsum usq; al-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 540 sur 825

LIMOSA.



bicant. Pars omnis ſupina alba eſt: in collo tamen & ſuperiore alarum ambitu nigricantes maculæ uiſuntur. Totius auis longitudo ab extremo (roſtro) ad pedis extremum extenſæ, dodrantem cum duobus palmis æquat. Roſtri longitudo circiter tres digitos, colli totidem. Fidipes eſt: uerum duo maiores digiti pedis aliquouſq; membrana iunguntur, ut & Limoſæ. Pedes duos palmos longi ex pallido rubent, unguiculis muniti nigris. Corpus auis ea ferè craſsitie eſt qua Mergulus noſter roſtri acuti.

¶ LIMOSA per dorſum coloribus arquatam maiorem fermè refert, maculis uaria tota parte prona, capite & collo præſertim. ſimilis propè Totano iam deſcripto (in quo de hac etiam nonnihil leges) ſed paulò maior. roſtrum ei undiq; nigricat. Interna alarum pars uariè maculoſa eſt, reliqua pars

pars ſupina albet, in collo tamen maculis diſtinguitur. Pennæ alarum extremæ lateribus adiunctæ, extremitatem caudę attingunt. Pedes longiores quàm ſuperioris, glauci, uel ex cinereo ſubuirides. Totius à roſtro ad ungues longitudo, dodrantes duo cum palmo: colli, palmus: roſtri ſimiliter.

DE GLOTTIDE.

GLOTTIS, γλωττίς, auis eſt Ariſtoteli, Gaza Lingulacam reddidit. Volui autem hanc quoque Gallinularum aquaticarum hiſtoriæ adiungere, quoniam eadem forma qua aues (gallinulas intelligo) lacuſtres eſt, ut ortygometra quoq;, Ariſtotele teſte. Lingulaca, quæ linguam exerit prælongam, otus & ortygometra, duces ſe præbẽt abeuntibus coturnicibus, Ariſtot. Glottis prælongam exerit linguam, unde ei nomen. Hanc initio blandita peregrinatione (cum coturnicibus) auidè profectam, pœnitentia in uolatu cum labore ſcilicet ſubit. reuerti incomitatam piget & ſequi: nec unquam plus uno die pergit, in proximo hoſpitio deſerit. uerum inuenitur alia, antecedente anno relicta: ſimili modo in ſingulos dies, Plin. Cæterũ quænam hæc auis ſit, & quo hodie appelletur nomine, non facile dixerim. nam & alias quaſdam aues, lacuſtrium auium ſpecie, cum coturnicibus auolare puto. Habent autem omnes illæ corpus gracile, crura & roſtra longa, & pleræq; etiam linguas longas, quas exerunt ad cibum uermium quibus ueſcuntur, ut inter cæteras de gallinagine uel ruſticula conſtat. Eſt inter alias quæ Glutt Germanis appellatur, uocabulo ad Græcum accedente: de qua plura leges ſupra Loco ſecundo inter duodecim illas Gallinulas aquaticas quæ circa Argentoratum capiuntur. Eſt & elaphis apud Oppianum, quæ pennas in dorſo omnes ceruinę pelli colore ſimiles habet: & lingua longiſsima in aquam protenſa, ſenſim ad fauces deceptum aliquem piſcem attrahit: quæ & ipſa glottidi Ariſtotelis cognata uidetur. ¶ Albertus pro glottide ex Ariſtotele de animalium hiſt. 8. 12. picum linguoſum habet. Niphus etiam lingulacam uulgò Italicè ſcribit picum tocciulum dici, qui longa lingua ſua extrahat uermes & formicas. Sed utrunq; deceptum apparet. neq; enim ſoli pici longas linguas habent: nec auium lacuſtrium forma, qua glottis eſt, picorum generi conuenit.

¶ Lingulaca, piſcis etiam nomen eſt, & herbæ apud Plinium. Glottis Atticum fuerit, commune gloſsis. Eſt aut γλωσσίς etiam pars tibiæ Euſtathio. Ἀηδόνα, ὠδὴν καὶ γλωσσίδα, οἱ δὲ χελιδόνα.

¶ GAVSALITES, γαυσαλίτης, auis quædam apud Indos, Heſychius & Varinus.

DE GNAPHALO.

GNAPHALVS, γνάφαλος, dicta auis, uoce proba eſt, colore etiam pulchro: nec non ingenio ualet in uitæ officijs, & ſpeciem præ ſe fert decoram. peregrina hæc auis eſſe uidetur, quippe quæ rarò noſtris locis appareat, Ariſtoteles. Gaza hunc locum transferens nullam gnaphali mentionem facit (mendoſo forte codice uſus:) & omnia quæ de gnaphalo ſcribũtur, ad ueliam (ἐλέαν) cuius Ariſtoteles proximè meminerat, refert. Atqui noſtri codices Græci gnaphali nomen exprimunt: & in ueteri etiam traductione tanquam aues diuerſæ ponuntur. Albertus pro gnaphalo habet adepellus. Eberus & Peucerus gnaphalum interpretantur fullonem, (nam & piſcis γναφεὺς eſt, quem fullonem Gaza interpretatur. gnáphalon quidem Græcis tomentum ſignificat, & gnaphalus auis à plumis forte tomenti inſtar mollibus dici potuit) Germanicè Seydenſchwantz/ Wipſtertz. hanc auem pulchram eſſe aiunt, colorum uarietate elegantem, rarò apparere, & hyberno tempore ferè cerni, ut uideatur eſſe peregrina auis. Ego Germanica hæc auium nomina non agnoſco.

DE GRACCVLIS VEL MONEDVLIS IN GENERE: & priuatim de illa ſpecie quæ tota nigra eſt, roſtro etiam & pedibus, quam Ariſtoteles lycon cognominat: & plæriq; hodie præ cæteris monedulam: unde & dulæ uel tulæ nomen uulgare apud nos factum: cuius icon ſequens pagina continet.

GRACCVLI coruini generis ſunt, ut docui in Coruo A. Primitiuum graccus eſt, diminutiuum gracculus: & quanquam plurimi per c. ſimplex has uoces ſcribant: multi tamen ex eruditis c. duplicant, quos ſequi placuit, cum aliâs: nam & Graccho ab hac aue cognomen factum aiunt: tum ut ſemper produci eas in carmine ita certius ſit. ¶ Græcis gracculus κολοιὸς eſt, oxytona uoce. Gaza ex Ariſtotele monedulam uertit, cuius tres ſpecies cum faciat Ariſtoteles, & primam rutilo roſtro κορακίαν nominet: Gaza eandem gracculũ Latinè uocat. Ego gracculum potius nomen generis fecerim: monedulam uerò ſpeciem eius ſecundam, quæ tota nigra eſt, roſtro etiam cruribusq;. ea enim præcipuè monetę rapax eſt, & talis, qualis ab Ariſtotele deſcribitur ſecunda gracculi ſpecies. accedit & uernaculum Germanis eius nomen tula, quaſi dula, ultimis duabus tantum de monedula ſyllabis ſeruatis. Deſ. Eraſmus etiam κολοιὸν gracculum potius quàm monedulam uertit. Plinius tamen de iynge loquens ex Ariſtotele κολοιὸς gracculos tranſtulit.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 542 sur 825



Sed nonnunquam Græci etiam κολοιὸν pro ſecunda ſpecie priuatim ponunt, ut apud Conſtantinum Cæſarem de agricult. lib. 14. Nobiſcum etiam doctiſsimi uiri Turnerus & Vuottonus ſentiunt: Monedula (inquit hic) de ſecunda ſpecie ab Ariſtot. deſcripta, niſi fallor, antonomaſticè dicitur: cui & Ouidius immenſum illum auri amorem tribuit, cuius & hic uerſus: Nigra pedes, nigris uelata monedula pennis. Ad agrum circa Larium lacum ciconiæ non permeant: ſicuti nec octauum citra lapidem ab eo, immenſa alioquí finitimo Inſubrium tractu examina gracculorum monedularumq́, cui ſoli aui furacitas auri argentiq́ præcipuè mira eſt, Plinius. apparet autem ex his eius uerbis, gracculos & monedulas ſpecie eum diſtinguere cum ſimul utraſq́ nominet: genere non item, cum mox in ſingulari numero ſubiungat, cui ſoli aui &c.

¶ De tribus gracculorũ generibus diuerſæ ſententiæ. Gracculorum tria ſunt genera: Vnum quod coracías uocatur, magnitudine quanta cornix, roſtro rotundo, rutilo. Alterum lupus cognominatum paruum, & ſcurra. Tertium, quod familiare Lydiæ, ac Phrygiæ terræ, ídemq́ palmipes eſt, Ariſtoteles. ¶ Ex his tribus ab Ariſtotele deſcriptis gracculi generibus, primum (inquit Fr. Maſſarius) pedibus & roſtro rutilis, in Veronenſi agro maximè abundat. ibiq́ tacola nominatur.

Turnerus

Turnerus hanc auem eandem esse putat, cum pyrrhocorace Plinij, quæ cornice paulò minor est, rostro luteo, paruo, &c. Vuottonus etiam in eandem sententiam inclinare uidetur, nihil tamen affirmat. Nec aliter Eberus & Peucerus sentiunt. Et Albertus Magnus ubi interpretatur Aristotelis locum de hist. anim. 9. 24. Coracias (inquit, quanquam Græca uocabula apud illum ualde corrupta sunt) gracculorum generis, rubei rostri, (φοινικόρυγχος habet Aristot. id est, punicei rostri. Gaza uertit pro una hac uoce, rostro rotundo, rutilo, quod nō laudo. In nostro quidem pyrrhocorace, quem Itali quidam tacolam nominant, rostrum non puniceum aut rutilum, sed luteum est:) & hæc est per omnia sicut genus monedulę montanæ, Albertus. Vocatur autem pyrrhocorax à nonnullis monedula montana. Sed de pyrrhocorace seorsim agemus mox à gracculorum historia. ¶ Secundum gracculi genus, λύκος & βωμολόχος Aristoteli dictum, hoc est lupus & scurra, Latinis propriè monedula appellatur, ut supra etiam docui, Turnero & Vuottono consentientibus. De uoce quidem βωμολόχος nos plura iam supra in Asione. Lupus, genus graculi paruū, scurapola Venetis uocatur, tota hæc & pedibus & rostro nigra est, Fr. Massarius. λύκιος (λύκος potius) genus est gracculi, Hesychius & Varinus. ¶ Tertium genus, cuius nomen Aristoteles nullū expressit, palmipes, phalacrocoracem Plinij esse suspicatur Turnerus, & secuti eum Eberus ac Peucerus. Sed quanquam ex Aristotele Gaza tres tantum species gracculi faciat: & Albertus quoq; similiter: Græcum tamen contextum consideranti, quatuor esse uidētur: primum scilicet tres fidipedes, deinde quarta palmipes. Verba eius Greca hæc sunt: Κολοιῶν δ' ἐστὶν εἴδη τρία. ᾧ μὲν ὁ κορακίας. οὗτος ὅσον κορώνης, φοινικόρυγχος, ἄλλος ὁ λύκος καλούμενος. ἔτι δὲ ὁ μικρὸς, ὁ βωμολόχος. ἔστι δὲ καὶ ἄλλο τι γένος κολοιῶν πρὸς τοῖς λυδίαις καὶ φρυγίαις, ὃ στιγανόπους ὀνομάζεται. Gaza hæc uerba, ἔτι δὲ, omisit. quæ si legamus, gracculus ille paruus ὁ βωμολόχος alius fuerit quàm λύκος. ¶ Monedulæ aliæ sunt maiusculæ, similiores cornicibus, nisi quòd nigriores. aliæ mediæ, quibus & rostra & pedes rubent. aliæ minimæ, Perottus. ¶ Apud Rhætos tria gracculorum genera agnosci audio: unum quòd Tulla uoce Germanis cōmuni appellent, capite cœruleo: alterum Beena dictum, inter Rhætos qui Germanicè loquuntur, & hanc esse monedulam uulgarem, tertium Germanicè Taha, Italico uerò sermone quo Rhæti utuntur, zorl, pedibus & rostris rutilis, in locis syluestribus. Eandē esse puto quæ in Bauaria Steinraben, id est graculus saxatilis appellatur, (& haud scio an eadem quoque sit Anglorum cornix Cornubiæ,) cuius iconem ab amico missam hîc adiunxi. Rostrum ei oblongius, rubrum, ut etiam crura, reliquū corpus undiquaq; concolor, nigrum. Turres maximè in montibus incolit, cicuratur, & uescitur similà è lacte, carne, pane, tritico, &c. mox quicquid illi apponitur degustans.



¶ Stephaniō, Στεφανίων, genus gracculi, Hesychius & Varinus. hoc forte fuerit genus, quod in quibusdā Heluetiæ locis reperiri audio, ut circa Tugium, cęteris similimū, sed albo circulo collum ambiente distinctū, de quo tamen certi adhuc nihil habeo. ¶ Quæ merula alpina uocatur circa Verbanum lacum, nos Caryocatacten in Elemento c. nominauimus, quærendum an graculi potius, picæue genus quàm merulæ dici mereatur. ¶ Vuottonus spermologum quoq; auem cum monedulis numerat, nimirum ex Hesychio qui spermologum κολοιῶδες ζῷον interpretatur, spermonomum quoq; uocans. Spermologum, id est frugilegam Aristotelis Longolius coniecit esse cornicem graniuoram, rostro albo, cętera nigram, quæ uulgò Germanis dicitur ein Rüch. De spermologo passere inter Passeres loquemur. Cornicem maiorē rostro albicante aliqui graculum uocant, Albertus.

¶ Auienus Arati interpres κολοιὸς alicubi coruos interpretatur. Lenios species est monedulæ, pedibus & rostro nigra, Albertus ex Aristot. de hist. anim. 9. 19. ubi Aristoteles nō monedularum, sed merularum differentias enumerat. Idem alicubi cornicē cum monedula, alibi cum coruo confundit; & alibi ubi Aristoteles κολοιὸν habet, in Alberti translatione coruus legitur.

¶ Graculi uulgò ciagulæ dicuntur, Niphus Italus Suessanus. Ab alijs in Italia tatula dicitur, ab alijs taccola (quanquam & pyrrhocoracem aliqui taccolam uocant) ab alijs cutta, & pola, forte à pullo, id est nigro colore. ¶ Hispanicè graculus gráio uel graia nominatur. ¶ Gallicè chucas uel choca, chouette, uel gay. Bellonius auem gay dictam Gallicè, interpretatur graculum: & multis coloribus latera eius uariegata esse scribit: unde suspicor hoc nomen Gallicū non graculo, quem hîc describimus, sed generi picæ, (quod garrulum quidam uocant) conuenire. Sabaudi quoq; gay nominant, & alicubi etiam chue, ni fallor, à uoce. ¶ Germani Tul, Dole. Saxones Aelke, uel

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 544 sur 825

Kaycke, uel Gacke ut alij scribunt, sunt qui in Heluetia quoq; Graacke proferant. Hollandi, Brabandi & Frisij Ka, uel Cau uel Chau. circa Rostochium, ut audio, Wachtel, quod nomẽ alij omnes coturnici propriè tribuunt. Aliqui Tahe/ Talhe/ Sale/ Sól. Flandri, Gaey/ Hanneken. ¶ Monedulam Anglí uocãt a caddo, a chogh, a ka, Turnerus. Eliota Anglus interpretatur a iay. alij scribunt etiam dawe, choughe, cadesse. ¶ Illyrij kawka, ut Turcæ tschauka. Poloní zegzolka. ¶ Hebraícam uocem anapha, אנפה, quídam graculũ interpretantur. uide in Ardea A. Oreb Hebræis plerunq; coruum significat: uidetur autem continere omne genus coruínum, nempe cornices, graculos. uide in Coruo A.

B.

De gracculís quod ad corporis speciem partesq; attinet, & secundum eas differentijs, iam supra quoq; in A. nonnihil attulimus. ¶ Gracculus non facile comparet in Alexandria, Hesychius. In transpadana Italia ad agrum circa Larium lacum ciconiæ nõ permeant: sicuti nec ocyauum citra lapidem ab eo, immensa alioqui finitimo Insubrium tractu examina gracculorum monedularumq;, Plin. ¶ Gracculus auis est parua, Suidas. Minor cæteris in hoc genere est, quæ βωμολόχος, id est scurra cognominatur, ut supra recitaui. Monedula multò minor est pyrrhocorace, Turnerus. Cornici símilis est gracculus, sed longè minor. Formosa est auis, quanquã nígra, & grata, Author libri de nat. rerum. Simocatus & alij dícunt τὴν κολοιὸν ὑποφαίνειν ὄρνιν πανοδυπρεπεστατην, Io. Tzetzes. ¶ Monedula uel gracculus auis est nígra, coruíni generis, Albert. Superiore capitis parte alíquantulum in nígrum colorem uergit & cinereum nitentem, Idem. Nígra est per totũ corpus. est enim de genere cornícis, Author libri de nat. rerum. Nígra pedes, nígris uelata monedula pennis, Ouidius 7. Metam. Monedulas iam uidimus propter frígus habitationis nascí albas, Albert. In Norwegia monedulæ albícant, Gyb. Longolius, qui monedulam albam etiam uisam sibi scribit. ¶ Monedula magno rostro est, albo ubi coniungítur capiti, Albert. Atro colore est ad Indicum uergente in luce, præsertim in capite & medijs alís. Colli & capitis pars retro oculos in lateribus, ad cinereum colorem inclinat. ¶ Monedulæ (gracculi Plínius) pro ingluuie gulam habent patentiorem propius uentriculum, Arístot. Atqui Albertus lib. 2. de animalib. tract. 2. cap. 2. quædam (inquit) aues os stomachi siue meri non habent latum, & papam (ingluuiẽ) tamen non habent, ut pica & graculus. ¶ Monedulæ pedes nígri sunt, Ouidius & Albertus. ¶ Iyngi ungues grandes ceu graculís, Plínius.

C.

Monedula templorum turres incolit, & in earum latibulís (cauís) nídulatur. Graculus líbenter in altíssimis nídificat: idq; in tanta multitudine, ut in una sæpius arbore septem paría graculorum nidos constructant, Author libri de nat. rerum. In altíssimis arboribus (in syluis, & in cauis arboribus, Turnerus) nídos ciuíliter constructunt, & sæpe complures in una arbore, Albert. ¶ Gracculi aues sunt loquaces, minimè canoræ sed odiosè garrulæ atq; obstreperæ. Clamosæ sunt, maximè tempore coitus, & pullorum, Albertus & Author libri de nat. rerum. Loquacíssimum genus est & uocibus importunum, Isidorus. Graculi à sono oris uocati sunt, Festus. uocem enim primæ nominis syllabæ correspõdentem emittunt, Grapaldus. Gracculus frigulat, Author Philomelæ. Græcis, ut Pollux docet de gracculorum uoce, uerba κλώζειν & κολοιᾶν in usu sunt. κλώζειν, sono aliquo illudere alícui, à uoce gracculorum qui κλώζειν dicũtur, Varin. ¶ Exprímunt gracculi & humanum sermonem, ut dícam in D. ¶ Graculus cadauer non tangit, Albert. Amant carnes & glandes, ut & genus picæ quod garrulum uocant, Hier. Tragus. Tradunt & monedulã condentem semina in thesauros cauernarum, eiusdem rei præbere causas, Plínius de insitione. Graculi forte dicti sunt à gerendo, quòd iacta segetum semina plurimum gerãt: uel quòd ex oliuetis cubitum se recipientes duas pedibus baccas, tertiam ore ferant, Festus. ¶ Varro graculos dictos conijcit quòd gregatim uolítent. Sturni etiam, ut gracculi, aues sunt clamosæ & gregatim degẽtes, Eustathius. Graculos aues esse minimè solitarías, sed gregales, apparet ex Varrone de re rust. lib. 3. ¶ Rostrorũ coniunctio coruis & id genus auibus solita est. quod in gracculis, quos mansuetos alimus, planum est, Arístot. Graculi clamosi sunt, præcipuè tempore coitus (quem in eis tempus excitat uernum, Author de nat. rerum) & pullorum, Albert. Ore coëunt tempore uerno, Christoph. Encelius: qui & alia quædam animalia ore coire scribit, ut in Vrogallo maiore recitaui. mihi omnino ullum animal ore coire ueristímile nequaquam fit. ¶ Gracculi, merulæ, & aliæ aues lauri folio annuum fastidium purgant, Plínius.

D.

Graculí maximè ínter se compatiuntur, Author libri de nat. rerum. Gregatim degunt ac se inuicem dilígũt, unde natum prouerbium, Semper gracculus assídet graculo, Scholiastes Homeri. Sui generis aues tantopere monedulæ amant, ut hic amor etiam pernicíosus eis sit, ut referam in E. ¶ In columbaceo genere mares non relinquunt suas coniuges usq; ad mortem: & coniugum altero mortuo alter uíduus manet. Idem & gracculi faciunt, Athenæus libro 9. ex Arístotele. nos in ijs quę extant Arístotelis níhil tale legímus. ¶ Monedula auis est grata, Albert. Arístoteles minimum genus gracculi βωμολόχον, id est scurram cognominat: de qua uoce Græca plura scripsi in Asione. ¶ Docilis est graculus, & facile mansuescit, Textor. Graculi exprimunt etiam sermonem humanum,

num, quo impensius delectant, et caueis emissi reuertuntur, Grapaldus. Voces imitantur humanas si adhuc pulli edoceantur. Mane quidem diligentius addiscunt, ut omnes aliæ aues, Albertus. mane oriente Sole citius, discretius & tenacius meminisse dicuntur, Author libri de nat. rerum. ¶ Gracculi, merulæ, & aliæ aues lauri folio annuum fastidium purgant, Plin. Gracculi παυσηγίας διαφέρουσι ποσσίν, Clearchus apud Athenæum. sed pro ποσσίν legerim τόσσῳ, scilicet ὀρτύγων, de quibus proximè dixerat, ut non simpliciter astuti gracculi, sed coturnicibus tamen astutiores sint, nec eodem quo illæ modo capi possint. Scribunt & alij quidam gracculum astutum esse, nec facilè captu. Sturnos & gracculos aiunt cum umbra propria pugnare, Eustathius. Vmbræ quidem propriæ repræsentatione in oleo capiuntur, ut referam in E. ¶ Huic soli aui (gracculos & monedulas proximè nominauerat) furacitas auri argẽtiq; præcipuè mira est, Plin. Quicquid monetæ auri uel argenti inuenerit monedula, tollit & abscondit, Albert. Hinc est quod à moneta ei nomen factum est, secundo scilicet generi. non enim omnia gracculorum genera aurum furantur, Turnerus. ¶ Monedula gaudet fricari in capite, Albert.

¶ Aristoteles noctuam & cornicem inter se pugnare scribit: pro quo indocti Aristotelis interpretes, & qui eos secuti sunt, aliàs noctuam & monedulam inuicem pugnare reddunt, aliàs monedulam & bubonem, aliàs nicedulam uel incendulam & bubonem. monedulam enim cum cornice confundunt è Græco uel Arabico transferẽtes, ut cum noctua bubonem. librarij uerò monedulam etiam in nicedulam peruerterunt. ¶ Pica, cornix, monedula & huiusmodi aues contra aquilam pugnant. aquila enim deuorat illas, Albert. ¶ Gauia cum monedula amoris coniunctionem habet, Aelianus.

E.

Gracculum auem perastutam esse audio & perdifficilem captu. Cornicibus & monedulis captis pelles detrahunt, faciuntq; ut uiuæ uideantur, ad allectandum alias. Non maiores tantum accipitres & falcones, sed parui etiam ut dendrofalcus & nisus siue sperueris interdum monedulas capiunt. ¶ Aduersus clamosos gracculos (inquit Oppianus) uenatio talis instituitur. Virga oblonga terræ infigitur, cui laqueus ad funiculum additur, & in medio ὕαλυγξ, quæ circumactu suo uimina utrinq; sita contegat. In summam uirgam oleæ bacca imponitur, cui è regione laqueus pendet: quem ubi cõtigêre gracculi, ὕαλυγξ delabitur, & uirga erecta laqueus ita attrahitur ut auiũ ceruices inhæreant. Similiter etiam picis insidiantur aucupes. Est & alius dolus gracculis capiẽdis accommodatus: Vas (ἄγγος κρατὴς Athenæus) oleo plenum eo in loco exponitur, ubi conspiciatur à gracculis. Illi suas in uase imagines intuiti, aliosq; gracculos esse rati, in oleum deuolant: & licet statim resiliant, madidi tamen oleo ita pennis & membris omnibus grauantur, ut auolare nequeant, eoq; statim in loco comprehendantur, Hæc ille. Oleo quidem similiter eos capi Athenæus etiam refert lib. 9. dipnosoph. Graculi (inquit) quantumuis callidi, capiuntur tamen cratere olei pleno: cuius labris qui insederint, mox ad imaginem in eo apparentem se demittunt, (καταρράπτουσι, sic enim legendum ex Eustathio. ἐμπίπτουσιν, idem Eustathius ex alio authore. καταπτώντες, Oppianus) unde pennæ eis oleo madidæ ceu glutino impediuntur. Sui generis aues uehementer monedulæ amant, quæ quidem res eas sæpe in pernicie inducit. nam si quis pelues olei plenas disponat in loco quem frequentare solent, curiosa bellè auicula eò profecta, in uasis labro considet, & simul sese inclinans, suam ipsius umbram despicit: & quòd existimet aliam se monedulam uidere, ad eam ipsam festinat descendere, eoq; ut est delapsa, olei crassitudine circunfusa, sine laqueis, sine retibus constricta tenetur, Aelianus.

¶ In Lemno insula gracculos colunt, aduerso uolatu occurrentes locustarum exitio, Plinius. Monedularum se beneficiarios existimant Thessali, Illyrij, Lemnij, ob eamq; rem his uictum urbes publice præbendum esse decretum fecerunt, qui locustarum fruges uastantium oua perderent, earumq; sobolem perimerẽt, unde magna ex parte locustarum multitudo ueluti in nubem coacta minuebatur, fruges q; incolumes ad tempestiuitatem perueniebant, Aelianus.

¶ Theopompus Venetos inquit Adriam accolentes cum sementes faciunt, monedulis farinas oleo temperatas muneri idcirco mittere, ut eos permulceãt, & cum ipsis tanquam fœdus sanciant, ne sementes refodiant, & grana sparsa legant. Lupus cum hæc uera esse fatetur, tum eosdem addit loros rubros eis proponere, & monedularũ greges extra fines manere, ac nimirum duos aut treis ex urbibus tanquam legatos ad eos mitti solere, exploraturos hospitum multitudinem: qui ut eam perspexerunt, inuitant & reuertuntur. Eæ autem inuitatæ gregatim proficiscuntur. ac si offas obiectas comederint, se pacem & fœdus habere Veneti intelligunt: sin contempserint, & tanquam uilia non dignentur comedere, indigenæ sibi persuasum habent, illorum cõtemptum famem ostendere. Illæ enim tanquam muneribus incorruptæ, nec ex obiectis escis quippiam gustantes, in arationes inuolant, & cum maxima animi acerbitate inuestigantes, semina prædantur, Aelian. Eadem ferè Aristoteles scribit in Mirabilibus: non tamen offis aliquibus, sed omni frugum genere exposito à Venetis inuitari ait gracculos, quorum sæpe multæ myriades in eorum regionem inuolent. ¶ Fugabis graculos unum captum suspendens. Cæteri nanq; uidentes illum aufugient, nimirum illic putantes paratas esse retiũ insidias. Graculos etiam accedere, ac præterea uolucria omnia prohibebis, si ueratrum nigrum, maceratum ex uino, cum hordeo disseminaueris. Commode tamen facies, si

V

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 546 sur 825

priusquam in aruum descendant, strepitu atq; fragore aliquo illos abegeris. Facileq; eos perterrefaciet, tum is qui à crepitaculis sit, tum qui à taurino tergore (ἀπὸ τῆς τυμφάνης, scuticam intelligo,) editur sonus, Leontinus in Geoponicis.

¶ Prognostica. Graculi aduolãtes sub tecta (nimirum ut protectionem quærant) & alas concutientes, (ut quæ aeris humiditatem sentiant. nam quæuis aues madefactæ alas concutiũt,) signum sunt pluuiæ, Aratus & Scholiastes. Graculi turmatim syluis ualedicere identidem conspecti, sterilitatem ac triste nescio quid ueteribus semper indicarunt, Gratarolus. Agmen coruorum in futurum excidium retulerunt augures, ut & aliarum quæ cadaueribus uescuntur, uulturum, graculorum, &c. Niphus. Monedulæ uolãtes modo in sublime, modo deorsum uersus, frigus & pluuiam monstrant, Aelianus. Graculi serò à pabulis recedentes hyemem præsagiunt, Plinius. quod Aratus dixit, Καὶ φῦλα κολοιῶν ἐκ νομῶ ὀρχήμενα πρὸς φορβὸν ὦσι ὄψιον αὖλιν. Et rursus, Καὶ ὀψὲ ἐοῶντα κολοιοί, similiter inter hyemis (χειμῶνος, tempestatis) imminentis signa. Vbi Auienus sic habet, Hesperus æthra Cum redit innumero si cantu gracculus instat. Et Aelianus, Gracculus (inquit) crepusculo uesperti no uocalis, tempestatis aduentum prædicit. Illud uerò quod iam recitaui Καὶ φῦλα κολοιῶν ἐκ νομῶ, &c. Vergil. 1. Georg. sic uertit, Et è pastu descendens agmine magno Coruorum increpuit densis exercitus alis: cum Græcè habeatur κολοιῶν, id est gracculorum. Coruí & gracculí cum gregatim apparent, & similem accipitribus uocem ædunt, pluuiæ signum faciunt, Aratus. est autem accipitrum uox acuta, Scholiastes. Auienus sic transfert, Agmine cum clauso circunuolitare uidetur, Gracculus & tenuí cum stridunt gutture coruí.

F.

Pullí graculorum apti sunt ad cibum, si cum plumis & pelle fuerint excoriati, Albertus & Author libri de nat. r. Sunt apud nos qui fune à feneſtris altarum turrium demittantur, ut pullos monedularum è cauis exemptos in saccum, quem annexum habent, recondant, cibi gratia. Monedula gaudet fricari in capite (tanquam pruriens:) & carnes etiam eius pruritum capitis inducunt, Albertus & Author libri de nat. r.

H.

a. Gracculus primam semper producit in carmine, etsi quidam per c. simplex scribant, ut dixi in A. M. Varro graculum dictum putat ab eo quòd gregatim uolet, forte quasi gregaculum. Festus à gerẽdo, quòd iacta segetum semina gerat, uel baccas oliuæ: aut à sono uocis, (ut Quintilianus quoq;,) quod mihi quidem præ cæteris probatur. Sunt qui à gracilitate uocatos existimẽt propter paruitatem, Perottus. ¶ Monedula à moneta, quam furatur, denominata est: Alberto sic dicta uidetur quasi monetam tollens uel diligens. Habet hæc uox antepenultimam longam, reliquas breues. Nigra pedes, nigris uelata monedula pennis, Ouidius. ¶ Κολοιὸς auis tumultuosa & clamosa est, denominata à uerbo κολόω, uel uerbo κλῶ quod est φωνῶ καὶ κλάζω: à quo etiam κλώζω & κλωγμὸς dicuntur, Eustathius & Etymologus. Κολοιοί, σκωπὲς, μικραὶ κορωνίαι, (malim κορωνίδες, ut Tzetzes habet) Hesychius & Varinus. Κολοιὸς est cornix minor, ἡ μικροτέρα κορωνὶς, Io. Tzetzes in Chiliadib. Σκῶπες, aues quædam, uel graculi, & genus saltationis, Hesychius. & forte supra quoq; non σκωπὲς, sed σκῶπες, legendum fuerit. uidetur sanè scôpis nomen, quod genus quoddam noctuæ propriè significat, ridiculum & ad imitationem natum, monedulæ etiam ridiculæ & stolidæ aui potuisse attribui. Κῶπας, κολοιὸς, Macedones, Hesychius & Varinus. Κορακίας, Aristoteli genus est gracculi primum, ut dictum est supra in A. ab Hesychio exponitur ὁ μέλας, καὶ κολοιὸς, καὶ κορακῖνος ὁμοίως. Κορακίας, μέλας, Suidas. Κολοφὼν, κολοιὸς, & piscis quidam marinus, Hesych. Celes, aliàs celtos, id est stragulus auis, Syluaticus. legendum conijcio, Colœos, id est graculus auis. Κολοιὸς πτηνὸς nominat Homerus, ut citat Suidas.

¶ Epitheta. Graculus frigulans, loquax, apud Textorem. ¶ Monedula lasciua, apud eundem. ¶ Κολοιοὶ ὀξυβόαι, Oppianus. Κραγέται, Pindarus.

¶ Icon. Hesychius admonet colophonem interdum dici graculum: quòd, ut opinor, summis ædium fastigijs auis ea soleat imponi, uelut admonens iuxta cornicem Hesiodiam, ut homines sibi componant nidos: neq; enim semper fore æstatem, Erasmus in prouerbio Colophonem addidit.

¶ Alia auis est quæ κολιὸς, uel κολεὸς: alia item κελεὸς, alia uerò de qua hîc agimus κολοιὸς. Κολωὸς tumultum significat. Ἐν δὲ θεοῖσι κολωὸν ἐλαύνουσιν, Homerus Iliados primo. Scholiastes hoc nomen à gracculo translatum ait, aue obstrepera, tumultuaria & clamosa, (o. breui scilicet in longum conuerso & iôta subscripto uel adscripto.) Philoxenus uero deriuat à uerbo, κλῶ quod est κλάζω, per paragogen, neq; adscribit iôta. Sunt qui κολοιὸν, ut dixi, à uerbo κολόω, quod est tumultuari, deducant. Verbum κολωᾶν apud Homerum extat, κολωεῖν apud Antimachum. Pollux de gracculorum uoce κολοιᾶν uerbum usurpat, ut & κλώζειν. Pindarus in Nemeis Bacchylidem uellicans, ut locutuleium impendio, ac humilem, sic ferè pronunciat. Κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται, Cælius. Timæus historiarum conditor Agathoclem Siciliæ tyrannum κολοιὸν nuncupat & Τριόχθω, id est gracculum & buteonem: & gracculum quidem fortasis ob latrocinia & furacem naturã. nam latrocinijs eum incubuisse ante tyrannidem historia testis est, sed in concionibus quoq; perfacundus est creditus: quo nomine ab æmulis & inimicis gracculus uideri potest appellatus: ueluti loquax magis esset quàm eloquens, uti de Atilio Palicano pronunciatum nouimus, nam & eadem ratione Gracchum apud Romanos

Romanos cognominatum legimus: quamuis apud Varronem obseruatũ sit, Gracchum ideò nuncupatum, quòd eum mater mẽsibus duodecim in utero gestasset, quia legitimum pariendi tempus esset supergressa. proinde ex iunioribus quidam etiam bene doctus, sine ullo scribendum censuit, quum Quintilianus olim quidem ueteres aspiratione parcissimè usos scribat, diuq; obseruatum ne consonantibus aspiraretur, ut in Graccis & triumphis. Sed hoc non perpetuum fuit, & priscis solis usitatum, Cælius. A graco aue Gracchi cognomen principio ortum à facundia, quam æmuli loquacitatem uocabant, Perottus. Pusillos item statura κολοιὸς, id est graculos dici consuesse, in Aristophane uideor obseruasse. nam & auis hæc minutula est, ut quæ tota ferè pennis constet, Cælius. Verbum tulen nostris in usu est, pro eo quod est stultè imaginari, siue à graculis factum, siue per alluſionem nominis toll, quod stolidum significat.

¶ Sunt & coliæ pisces, dicti Theodoro monedulæ, Cælius. Κολίας piscis, ab aue eiusdem nominis, quam Galli uocant un gay, dicta, quòd eius latera coliæ auis modo multis coloribus uariegata conspiciantur, Pet. Bellonius. sed uideo eum per coliam auem genus illud picæ intellígere, quod aliqui recentiores garrulum appellant. ego nullam auem Græcè coliam dici memini. & κολοιὸς graculus est, non garrulus recentiorum. Vbicunq; graculum piscem interpretes Galeni uerterunt, coracinus scribi & intelligi debet, Bellonius. ¶ Graculus numeratur inter Diogenis Cynici scripta, Laertius.

¶ b. Bubo apud nos aquilæ magnitudinem habet, in Aegypto uerò graculi, Strabo. Monedulæ simili specie est spermologus auis, magnitudine terraci æqualis, ut author est Alexander Myndius, Vuottonus.

¶ c. Gracculorum epitheton à uoce est κραγέτα apud Pindarum, ὀξυβόαι apud Oppianum. Κολοιοὶ ὄλεμον κεκλήγοντες, Homerus. id est, Graculi acuta uel densa uoce clamantes: ὀξὺ βοῶντες ἢ τωυκνόν. Graculi non sunt solitaria natura, Varro. Plinius examina graculorum dixit, Homerus νέφη κολοιῶν. Πολλοὶ γὰρ μῦσι σφε κατακρέζουσι κολοιοί, Aristophanes in Equitibus. uidetur aũt rhetores tanquam loquaces & tumultuantes nominare graculos. & uerbo κρώζειν utitur alludens ad gracculorum uocem de qua propriè κρώζειν dicitur. Κολοιῶν κρωγμὸς, Antipater in Epigrammate.

¶ d. Non plus aurum tibi quàm monedulæ committebant, Cicero pro Flacco. Adolescentem quendam in Sparta ob speciem gracculus amauit, Aelianus.

¶ e. Nam ubi illò aduenì, quasi patricijs pueris aut monedulæ, Aut anates, aut coturnices dantur, quis cum lusitent, Plautus in Captiuis. Gracculis alijsq; auibus quæ domi aluntur, paxilli in parietibus figuntur, quibus inuolent & insistant. unde Aristophanes in Vespis, ὁδ' ὡσπερεὶ κολοιὸς κάτω πεπηλλας ἐνέκρυγη εἰς τὸν τοῖχον, ἔπτ' ὀξύλιτος.

¶ h. A Pharsalica pugna quum aufugeret Pompeius, dicẽte Nonio quodam superesse adhuc aquilas septem, necdum animum esse desponendum. Rectè (inquit) moneres, si cum gracculis depugnandum foret, Cælius. ¶ Iupiter regem auium creaturus diem præscripsit in quo aues omnes apparere deberent; & cum aliæ aquis lese abluerent, gracculus omniũ deformissimus, defluentibus diuersarum auium pennis se exornauit. unde pulcherrima omnium uisus est: & regiam quoque dignitatem adeptus fuisset, nisi noctua primum agnitam pennam unam de suis euulsisset, & mox cæteræ aues similiter. Priuatus enim furtiuis pennis mox gracculus, ut initio erat, gracculus apparuit. Hæc fabula significat, multos rerum alienarum rapina & furtis uincere uideri eos qui honestum natura & laboribus possident, Io. Tzetzes. Eandem fabulam describit copiosè & elegantèr Theophylactus Simocatus in epistola quam fingit Themistoclis ad Chrysippum: Pẽnis alienis omnibus ablatis, inquit, gracculus iterum gracculus apparuit. πάλιν ὦν ὗθις ὁ κολοιὸς κολοιός. Hæc fabula Chrysippe, si ueritatem spectes, ad magnam moderationem nos hortatur. Nam similiter nos homines quoq; nihil in hac uita proprium possidemus: sed breui quod hic agimus tempore, ornatu fictitio superbimus: morientes uerò ijs quæ nostra non erant, priuamur. Fac igitur ut pecuniam & corpus negligas, & animam immortalem excolas. hæc enim æterna & immortalis est, cætera mortalia & ad breue tempus nostra, Hæc Simocatus. ¶ Arne Sithonis in monedulam mutata fertur, ut refert Ouidius libro 7. Metam. Quamq; impia prodidit Arne Sithonis accepto quod auara popoſcerat auro, Mutata est in auem quæ nunc quoq; diligit aurum, Nigra pedes, nigris uelata monedula pennis. ¶ Imperante Antonino Caracalla insedit obelisco uociferabundus gracculus, mirum dictu, succlamatum ab omnibus, ceu ex composito, Martiali salue, Martiali ab tempore multo te uidimus. Hęc autem non intelligenda est gracculi appellatio, sed eius erat nomen, à quo interemptus est mox Antoninus, Cælius. Agmen coruorum in futurum excidium retulerunt augures, ut & aliarum quæ cadaueribus uescuntur, uulturum, graculorum, &c. Niphus.

¶ PROVERBIA. Aesopicus graculus, Αἰσώπειος κολοιὸς, dicitur qui aliena sibi usurpat, aliorumq; bonis sese uenditat. Vsurpat Lucianus in Pseudologista. Horatius, Moueat cornicula risum Furtiuis nudata coloribus. (Grammatici quidam Græci gracculum corniculam, id est cornicẽ paruam interpretantur.) Extat apologus (supra à nobis recitatus) inter alios qui Aesopi nomine circumferuntur, Erasmus. Aquila inter graculos primas tenet, Ἀετὸς ἐν κολοιοῖς κρίσσων. uide in Aquila h. Pindarus in Nemeis aquilam graculo comparat, se uocãs aquilam, Bacchylidem æmulum gracculum, quòd illum immenso superaret interuallo: ut recitauimus in Aquila h. in prouerbio Aquila in nu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 548 sur 825

bibus. ¶ Vetus adagium est, Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaracino sui: quod de ijs dicitur, qui se ijs rebus, quas ignorant, petulantius audent immiscere, uel de rebus suis nimium præsumunt. quale est illud, Sus Mineruam: uel quod dici solet, Asinus ad lyram, Perottus. ¶ Graculus inter Musas, Κολοιὸς ἐν ταῖς μούσαις: Indoctus inter doctissimos, infantissimus inter eloquētissimos. Rectè dicetur & in homines ostentatione falsæ doctrinæ sese iactitantes, & uiris eruditis impudenter obstrepentes. est enim graculus auis minimè canora, sed tamen odiosè garrula atq; obstrepera. Huic confine est illud Vergilij, Argutos inter strepit anser olores, Erasmus. ¶ Semper graculus assidet graculo, Ἀεὶ κολοιὸς πρὸς (πάρ, aliâs ποτὶ) κολοιὸν ἱζάνει. Refertur à Diogeniano prouerbialis hic senarius: notaturq; ab Aristotele in Rhetoricis, ubi inter alia complura huius sentētiæ prouerbia hoc quoq; commemorat. item libro Moralium octauo, Καὶ κολοιὸς ποτὶ κολοιόν, id est, Et graculus (inquit) ad graculum. Græcis est trochaicus dimeter, haud dubium quin ex poëta quopiam decerptus. Eleganter usurpauit adagium Gregorius in quadam ad Eudoxium epistola, Κολοιὸν δὲ ποτὶ κολοιὸν ἱζάνειν καὶ τῆ παροιμίας ἀκούεις. id est, Graculum autem assidere graculo, audis & à prouerbio. Plutarchus in libro de polyphilia, Οὐκ ἀγελαῖον ἐστὶν οὐδὲ κολοιῶδες. id est, Non armentarium (gregarium potius) est, neque graculeum. Quin huic aui nomen inditum à κολαίω, quod est conglutino, Erasmus. sed uerbum κολλάω, quod glutino significat per λ. duplex scribitur, nec ab eo quisquam κολοιὸν dictū tradidit, sed potius à uerbo κολούω, ut supra ostendimus. Gregatim degunt & mirè se inuicē amant: quare in usum uenit hoc prouerbium de ijs qui cum sui similibus cōuersantur, Suidas & Scholiastes Homeri. Eustathius cōuenire ait de amicitia hominum uilium, περὶ εὐτελοῦς φιλίας. Simile & Germani usurpant, Vögel von einen (einerley) fäderen / fliegen gern zůsamen. ¶ Graculo magis obstreperus, in hominem importunę loquacitatis prouerbialiter dici potest, authore Erasmo. Vide supra in a. item illud quod habet Plutarchus in libro aduersus usuram, Ἀπιθανώτερος κολοιοῦ: hoc est, Ineptior ad persuadendum quàm graculus, uel ut Erasmus transfert, Homo cui minus fidei habeatur quàm graculo. ¶ De ijs qui circa rem aliquam planè nihil operæ & curæ ponunt, parœmia hæc Tzetzæ locum habebit, Τοῦ γὰρ ἔστι τοῖς κολοιοῖς φροντὶς τῆ βασιλείας; hoc est, Quid enim graculi de regno curant? (In lemmate sic habetur, Ὁπόσον κολοιοῖς βασιλείας καθέστηκε μέλησις. hoc est, Quantum graculi regnum curant) Io. Tzetzes. qui cum hanc suam esse parœmiam dicat, nō uulgarem neq; ab alijs scriptoribus usurpatam insinuat.

¶ Alciati Emblema, cuius lemma Imparilitas.

Vt sublime uolans tenuem secat æthera falco,
Sic summum scandit super æthera Pindarus ingens,
Vt pascūtur humi gracculus, anser, anas:
Sic scit humi tātum serpere Bacchylides.

DE PYRRHOCORACE.



ALPIVM peculiaris est pyrrhocorax, luteo rostro, niger, Plinius. Huic aui nomen à coloribus inditum apparet, quòd rostrum ei pyrrhòn, id est ruffum uel luteum sit, reliquum corpus instar córacis, id est corui nigrum. Ab hoc primum gracculi genus quod Aristoteles coraciam uocat, rostro puniceo (etsi id in nostro pyrrhocorace luteū est, ut Plinius quoq; scribit. sed fieri potest ut per anni tempora aut ætatem quoq; color mutetur) non differre eruditis quibusdam uideri, supra ostendi in Gracculis A. Petrus Bellonius, Gracculus (inquit) cui rostrum & pedes rubent, Aristotelis coracias, Plinij pyrrhocorax, in altis Cretæ montibus abundat, incolæ scurapola nomināt. Sed pyrrhocorax rostro luteo describitur, qualem nos hîc damus: gra-

culus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 549 sur 825

culus uerò coracias roſtro puniceo, qualem ſupra dedimus. Non probo recentioris cuiuſdam opinionem, qui pici genus maximum, quod Germani Holtrâe nominant, pyrrhocoracem eſſe ſuſpicatur: quanquam ea auis nigra ſit, & magnitudine non multum infra coruum, & plumas in capite rubentes gerat. nos illam inter Picos deſcribemus.

¶ Pyrrhocorax noſter ab Italis quibuſdam ſpeluier uocatur, circa Lucarnum & Veronam taccola, (quamuis alibi gracculum communem etiam taccolam & tatulam dici audio,) circa Bellinzonam paſon, alibi etiam zorlut audio. Apud Valeſios qui ferè Gallica lingua utuntur, choquar uel chouette, quæ tamen communia gracculorum generi nomina ſunt. ¶ Germanicè qui loquuntur Valeſij, uocant Alprapp, id eſt coruum alpinum: circa Claronam Heluetij Alpkächlen, & wilde Tulen, id eſt monedulas ſylueſtres. Aliqui Steinbetzen, id eſt garrulos (ſic enim genus picę recentiores uocant) ſaxatiles. Rhæti qui Germanicè loquuntur Beenen: quanquam alij, ut audio, graculos communes eodem uocabulo uocitant, pyrrhocoraces uerò Tahen. ¶ Primum Ariſtotelis graculorum genus (inquit Turnerus) Plinio pyrrhocorax eſt: Anglis a corniſh choghe, Germanis ein Bergdól. cornice paulò minor eſt, roſtro luteo, paruo, & in fine nonnihil adunco. frequens eſt in alpibus, & apud Anglos in Cornubia. uocem habet monedula acutiorem & magis querulam, nõ parum etiam maior quàm monedula, (minor tamen coruo.) Sunt qui huius generis roſtrum & crura æſtate admodum rubere dicant, hyeme uerò lutea & pallida eſſe ut in merulis. pyrrhocorax quem ipſe uidi, roſtrum luteum, crura rubicunda habebat. Vocem eorum non admodum diſſimilem merularum uoci eſſe aiunt, & ad fiſtulæ ſonum nonnihil accedere. Cum in altum uolant, frigus augeri: cum ad humiliora, remitterè ſperant. Noxij ſunt agris frumento conſitis, (quod granis ſcilicet ueſcantur ut etiam communes graculi.) Alicubi apud Rhætos hyeme tantum cernuntur, alibi uerò toto anno, ni fallor: circa altiſsimos tantum montes gregatim ſemper frequentes. ¶ In cibum non ueniunt, niſi forte apud pauperes, & pulli præſertim, ut & reliqui graculi. Quidam pyrrhocoracem præcipuo ſapore eſſe ſcribit, ex Plinio. ſed hæc uerba Plinij, præcipuo ſapore, ad lagopodem referuntur, de quo ſtatim agit, non ad pyrrhocoracem.

GRAVCALVS, γραύκαλος, auis cinerea apud Ariſtotelem, Heſychium & Varinum. Nos apud Ariſtotelem pardalum legimus auem, totam cinerei coloris: de qua plura leges in P.

DE GRVE.

SVS, סוס, uel סיס, ſis, nomen Hebraicum in Vetere Teſtamento grus exponitur, ab alijs hirundo uel miluus, ut dixi in Equo A. Turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autem meus nõ cognouit iudicium domini, Hierem. 8. interprete Hieronymo: qui uocabulum ſus uertit hirundinem, agur (עגור) uerò ciconiã. Munſterus eo in loco gruem interpretatur. Idem Eſaiæ cap. 38. (ubi Hieronymi translatio habet, ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ut columba,) pro ſus uertit gruem, pro agur hirundinem. Hoc quidem ex locis iam citatis conſtat, agur auem eſſe aduenam, & uoce utentem lugubri. Dauid Kimhi Hebraicam uocem agur, Chaldaicè interpretatur סנוביתא, ſenukita, ſi rectè ſcribo: quam uocem à Thalmudicis uſurpatam R. Hai exponit Arabicè בטאת, cataph, uulgò ארירוניא, arundina, id eſt hirundo. Sunt qui auem putent loquentem uoce humana גאזה, gazah, uulgo dictam, (id eſt picam, uel genus picæ.) Totidem uerbis ferè Kimhi exponit Hieremiæ 8. ubi Arabicam uocem ponit קטאת, kataph. Salomon hirundinem putat. Septuaginta Eſaiæ 38. prætereunt. Aquila & Theodotion habent agor, Symmachus incluſa. Rurſus Hieremiæ 8. Aquila & Symmachus Hebraicum nomen agor relinquunt, Septuaginta uertunt ἀγρὸς σπουδίας, id eſt agri paſſeres. ¶ Maracarae, id eſt fel gruis, Syluaticus. ¶ Munſterus in Dictionario trilinguí pro grue Hebraice ſcribit ſas, סס, & ſenunit, סנונית.

¶ Græcè γέρανος uocatur, quod proparoxytonum eſt nomen: idem nomen Græci hodieq; ſeruant, ſed ultimam acuunt. ¶ Italis eſt gru uel grua. Hiſpanis grúlla. Luſitanis ema. Gallis grue. Germanis Kran uel Krane / quod nomen à Græco geranos deſumptum uideri poteſt. uel Kranich / Kranch: & noſtris etiam Krye. Anglis a crane. Illyrijs gerzab. Polonis zoraw. ¶ Vipionem uocant minorem gruem, Plinius: ut pipionem pullum columbæ.

B.

In Tartaria circa ciuitatem Cianigainorum, quinq; gruum genera inueniuntur. quædam habent alas nigras ut coruí: aliæ ſunt albæ & candidæ, quarum pennæ ueluti oculis aurei coloris diſtinguuntur, ut ſunt apud nos caudæ pauonum. Rurſum aliæ noſtris non diſsimiles, quarto, aliæ paruæ, quas pennæ ueſtiunt longæ & pulcherrimæ, rubeo ac nigro colore permixtæ. quinti generis ſunt colore cinereo (griſeo) oculis rubentibus & nigris, ualde magnę, Paulus Venetus. Petrus Martyr in hiſtoria Noui orbis, in pratis quibuſdam Noui Orbis (in Cuba) gruum agmina noſtratibus duplo grandiorum Hiſpanos reperiſſe ſcribit. ¶ Pico Martio & gruí Balearicæ natura cirros (in capite) dedit, Plinius. Virum tu hunc gruem Balearicum, an hominem putas eſſe? Laberius apud Nonium. In ciuitate Halep, quam aliqui olim Hierapolim, alij Berœam dictam putant, uidimus auem grui ſimilem, minus craſſam, margine circa oculos rubente, cauda ardeæ, uoce mi-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 550 sur 825



nore quàm gruis. Hanc ueteres gruem Balearicam appellasse credo, Bellonius.
¶ Apud Anglos etiam nidulantur grues in locis paluſtribus: & earum pipiones ſæpiſsimè uidi, quod quidā extra Angliam nati falſum eſſe contendunt, Turnerus. ¶ Gruum in ſenectute pennas

nas nigrescere perspectum est, Aristoteles & Plin. Grues senescentes effici nigriores aiunt, cuius affectus causa esse potest, quòd pennarum natura earū albicet, plusq; humoris senescentibus ijs constituitur in pennis, quàm ut facile putredini pateat, canicies enim efficitur putredine quadam, Aristot. de generat. 5. 5. Albertus quòd in senecta grues è cinereis nigrescant, terrestrem naturam humidi ipsorum causatur, quod à calore iam imminuto non satis concoqui ait. Grues in senectute fluescunt, Solinus: cum tres iam citati authores eos nigrescere scribant. Grues aliquando albi uidentur, ut oculatus quidam testis nobis narrauit. & albi coloris gruem se uidisse Gyb. Longolius quoq; testatur. ¶ Gruibus rostrum porrectius est, Aristot. Arteria eorum cur angusta sit, quærit Aphrodisiensis problematum 1. 123.

¶ Grus quam hæc scribens inspexi, fœmina erat, & oua gerebat. Longa sex pedes ferè uiri mediocris, extensa rectà à summo rostro ad imos pedes. Pennæ quædam in alis retro uersus caudam pulchræ & crispæ erant, quas aliqui auro uel aliter ornatas pileis addunt. Alarum alioqui maiores pennæ nigricant: superiores uerò paruæ & cinereæ sunt. Collum duos dodrantes longum, altitudo ab imo pedis ad tergum summum, quatuor ferè dodrantes. Pondus totius libræ medicinales duodecim. Cauda breuis longioribus alarum pennis occulitur. Plumæ crurum cinereæ quinq; digitis supra genua desinunt, infra plumas cortice uestiuntur nigro. Digiti humanis non breuiores. Anterior colli pars & ad latera nigricat: prona albet, reliqua omnia cinerea, præter maiores alarum pennas. Vertex niger cum macula rubente, quæ quidem in mare magis rubet.

C.

Gruum uox cur rauca sit inquirit Aphrodisiensis problematum 1. 123. Paruus ut est cycni melior canor ille, gruum quàm Clamor in ætherijs dispersus nubibus austri, Lucretius lib. 4. Grus gruit, Author Philomelæ. Grues nomen de propria uoce sumpserunt, tali enim sono susurrant, Isidorus. Gruere dicuntur grues, ut sues grunnire, Festus. κλαΐειν uerbum rectè dicetur de aquilis, κλαγγάζειν de gruibus, κλαγγὴ nomen de utrisq;, Pollux & Varinus. Latinè clangere & clangorem dicemus. κλάζειν uerbum est proprium de sono uocis gruum, & auiū simpliciter: abusiuè uerò etiam homines, & porci & arcus κλαΐειν dicuntur, Eustathius. Grues κλάζειν dicuntur, non κρωΖειν, (clangere, nō clamare,) Idem. ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων τέλεα ὀρανόθι πεσὴ, Homerus Iliad. γ. de Troianis, qui clamore confuso temere in pugnam ruebant. Vox gruis ex alto quotannis clangentis (κεκληγυίης,) tempus arandi sub hyemem denotat, Hesiodus. γέρανος κρώζουσα, Aristophanes in Auibus. ἔχουσιν αἱ γέρανοι οὐδὲ ἀδιευρέπουντας ὀν τοῖς ἐχθροῖς, Aristot. ¶ Aues quædam (ingrediendo) ante se pedes iaciunt, ut ciconiæ & grues, Plin. Perq; fabam repunt & mollia crura reponūt, Ennius de gruibus, ut citat Seruius in illo Vergilij de equo, Altius ingreditur & mollia crura reponit. Audio gruem etiamnum implumem, tam celeriter tamen currere, ut homo non assequatur. ¶ Congruere dictum est à gruibus, quæ non se segregant, siue cum uolant, siue cum pascuntur, Festus. Et rursus, Congruere, hoc est conuenire, à gruibus: quia id genus uolucrum minimè soliuagum est. ¶ Fru gibus & seminibus uescuntur, inuisæ eo nomine agricolis, ut dicam in E.

¶ Apud Anglos etiam nidulantur grues in locis palustribus, Turnerus. ¶ Non considente humi fœmina, sed stantes coëunt, Aristot. & Plinius. Pariunt oua non amplius quàm bina, Aristot. Grus inter duo oua quæ parit, lapidē (aliquoties, ut alibi addit) interponit, quod Coloniæ per annos aliquot in horto quodam experti sumus, Albertus. Et alibi, Grues domesticas quotannis uidimus lapidem inter sua oua collocare, sed hunc sine discrimine acceperunt de lapidibus fortuitò inuentis. dubitari quidem potest, utrum in libertate lapidem peculiarem quæsituræ fuissent & utiliorem. ¶ Gruem hausta uitis lachryma interimit, Aelian. κτείνει δὲ λιβὰς τὰς γεράνους ἀμπέλου, Phiales. Grues & similes aues annuum fastidium purgant iunco palustri, Plinius.

DE VOLATV ET MIGRATIONE GRVVM.

¶ Quæ circa uolatum & migrationem reuersionemq; gruum obseruauimus, ea hunc in locum conscribemus omnia: Quando scilicet auolent, Vnde, Quo, Quomodo, Quàm altè, Quo ordine, Quibus uentis. Tum ducis eorum & custodum uigilúmue historiam addemus: Et an lapides arenamq; gerant, & quam ob causam, dicemus. Fessi quomodo descendant, & quomodo noctu quiescant. Quando denicq; ad nos & quomodo reuertantur. Quòd si quæ forte unius argumenti nō uno pariter loco memorabimus, uel causæ nonnihil subesse existimabit Lector æquus, aut festinanti inter tantos lucubrandi labores calamo ignoscet. ¶ De gruum migratione nonnulla leges etiam supra in Anseribus ferís. Grues Septembri mense discedere incipiunt, Aristot. Nos proximo anno Septembris die undecimo grues primum migrantes audiuimus, hora una ante noctem. Grus omnem terrarum orbem peragrat, nec diu in eadem regione permanet, Symeon Sethi. More regis Persarum æstiua ac hyberna conficiunt, Aelianus. Aues quædam nō mutant locum apud nos, aut (ut) grues sunt continuè & hyeme & æstate. licet regio nostra perquam frigida 47. ferè gradibus latitudinis ab æquinoctiali distet, Albertus. Cum Thraciam grues relinquunt, defugiendo iniurias frigoris, frequentes congregantur in (ad) Hebrum fluuiū Thraciæ, & in turmas ac ordines se disponunt. Cum uerò iam proximum est ut auolēt, hyberni circa Nilum uictus desyderio incensæ, grus quæ inter alias extremo ætatis tempore affecta fuerit, ter circa uniuersum gregem uolans (περιφέρε-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 552 sur 825

μὲν κυκλοτερῶς, καὶ τὸν γεραιὸν τηρήσας, Io. Tzetzes) discedit, supremumq; uitæ diem conficit, (statim procidens mortua iacet, Tzetzes:) Hanc primò sepultura reliquæ afficiunt, rectà deinde in Aegyptum iter faciunt: neq; immensa pelagi spatia alarum robore transmittẽtes usquam interquiescunt, Aelianus & Io. Tzetzes. Quum Thraciam relicturæ sunt, una reliquas omnes lustrat, (ἀγυίζει,) & exclamat: tum cæteræ auolant, ea quæ collectas aues lustrauit, sola remanente, Oppian. ¶ Grus altè admodum uolat, ut nubes è proximo conspiciat, neque tempestate agitetur, atq; ita altam agat quietem, Orus. Volant altè, ut procul prospicere possint: & si nubes tempestatemq; uiderint, conferunt se in terram, & humi quiescunt, Aristot. Plinius & Oppianus. Cum nubes pluuijs grauidas prospiciunt, clamant & uociferantur, ac ducem suum celeriores captare uolatus solicitant, Isidorus. Grues multa prudenter faciunt, loca enim longinqua petunt, Aristot. Gaza addit, sui commodi gratia. Grues Scythicæ plagæ hyemem fugientes ad loca circa Nili fontes se conferunt hybernatum, Herodotus lib. 2. Grues in Thracia nascuntur, ubi hyems solet esse atrox, & tempestas perfrigida: idcircoq; eam, quòd ibi ortæ sint, amore prosequuntur, in qua æstiuo tempore patriæ sedis studio captæ, ætatem ducunt: medio autumno salutis ergò, frigoris uim non sustinentes, tanquam terræ ambitum, cœli mutationem temporumq; uarietatem scientia & cognitione comprehenderint, frequentes in Aegyptum, Libyam, ac Aethiopiam proficiscuntur, Aelianus. Immensus est tractus quò ueniunt, si quis reputet à mari Eoo, Plinius. Post hyemem uolare feruntur à montibus orientis, Isidorus, de earum ad nos (ut apparet) reditu loquens. Atqui cæteri authores omnes nõ ab oriente neq; ad orientem, sed à septentrione ad meridiem uolare scribunt, cum à nobis discedunt: contrà, cum redeunt. Grus sensuum acrimonia ualet, (ὀξυαίσθητος est,) & frigus facile præsentit. quare fugiens frigus & hyberna Thraciæ loca, ad calidiora & Oceanum meridionalem peregrinatur: uel secundum Aristotelẽ ab extremis ad extrema, nempe à Scythicis campis ad paludes è quibus fluit Nilus, Eustathius. ¶ Quando proficiscuntur, consentiunt, Plinius. Aduersus aquilas aliasq; aues (rapaces) se mutuò iuuant & defendunt, Io. Tzetzes. Cum sese ab aquila impeti perspiciunt, in orbem consistunt, & cõtractæ in sinum falcatæq; exsiliunt, atq; ordinatim tanquam in aciem structæ, speciem pugnæ ostendunt. quare aquila regreditur. eæ autem ad tergum præuolantium collis & capitibus adnitentes, nonnullam requietem laboriosi uolatus capiunt. itaq; laborem facilem efficiunt, Aelianus.

¶ Grues ut facilius aerem incidant, ordinem instituunt triangulum oxygonium, Io. Tzetzes. Trianguli figuram efficiunt, ut hac forma facilius aera aduersum secent. ex triquetra figura sexangulam aliquando ędunt, Aelianus. Grues Cicero ait, cum loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficere: eius autem summo angulo aer ab ijs aduersus pellitur. Deinde sensim ab utroq; latere tanquam remis, ita pennis cursus auium leuatur: basis autẽ trianguli quam efficiunt grues, ea tanquam à puppi uentis adiuuatur, Gillius. Vbi uentus exortus est maiori cum ui, & sæuit cœlum, non quomodo cum est tranquillum frontatim ac lunato globi sinu uolant: sed in cuneum momento se traducunt, (nõ falcatæ, sed triquetræ uolant, ne uel circunflante uento ordo conturbetur, uel etiam funditus de suscepto itinere depellantur, Gillius,) ac ipso mucrone uentum diuidunt, circum latera frustra luctantem, sic ut nihil acies turbetur, Plutarchus. Cum ab aquila se impeti perspiciunt, in orbem consistunt, & contractæ in sinum falcatæq; exsistunt, ut supra recitaui. Et cœtu cinxêre polum, Vergilius primo Aeneid. de cygnis uolantibus. ubi Seruius, Plinius (inquit) in Naturali historia dicit, omnes aues colli longioris, aut recto ordine uolare, ut sequens pondus capitis præcedentis cauda sustentet. unde & prima plerunq; deficiens relicto loco incipit esse postrema: aut in cœtu se omnes inuicem sustinere. Hoc autem uolatu imitantur literas quasdam: unde in Lucano, Et turbata perit dispersis littera pennis: Hæc ille in genere de auium longioris colli uolatu, quæ mihi ad grues potissimũ pertinere uisa sunt. Grues unam sequuntur ordine literato, D. Hieronymus ad Rusticum de uita Monastica. Sylueſtres anseres quoq;, similiter omnes gregatim uolando, ordinem seruant literatum, Albert. Vide supra in Anseribus feris c. Turbabis uersus, nec litera tota uolabit, Vnam perdideris si Palamedis auem, Martialis de gruibus. Volantes ordine quodam Y. (Ypsilon) literam faciunt: id quod Palamedem deprehendisse legimus, Grapaldus. Inter uolandum littera Alpha (A) ab eis delineari uidetur, uel ut alijs amplius arridet, Ypsilon: cuius inuentionem ex auium uolatu Palamedi attribuunt, id quod indicare uel Philostratus aduertitur, Cælius. Recentiores quidam, ut Eberus & Peucerus, grues uolucri suo ordine literam Λ. (Labda) potius repræsentare putant. Illud inter omnes constat, Cadmum sedecim literas è Phœnice in Græciam detulisse, Α, Β, Γ, Δ, Ε, Η, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Σ, Τ, Υ. his Palamedẽ Troiano bello quatuor adiecisse, Ξ. Θ. Φ. Χ. quas uolunt simul cum ordine aciei à gruibus didicisse, Perottus. Quòd si, ut Perottus scribit, nec Λ. nec Α. nec Υ. literas, Palamedes inuenit, meritò aliquis dubitet, quomodo alia ex istarum Palamedis littera, aut grues ab eius figura Palamedis aues uocari possint. Mihi quidem quod ad ordinis figuram attinet, Λ. literam magis referre uidentur uolantes hæ aues: uolant enim (ut dictum est) trianguli oxygonij figura, siue tum solum cum uenti uis maior urget, ut Plutarchus scribit, siue aliâs quoq; ut alij. Videtur sanè hic ordo alias etiam cõmoditates habere, quòd sic ducem uidelicet omnes ex æquo prospiciant: & alter alterius prospectum nõ impediat, & uento secundo etiam ex æquo fruantur omnes. ¶ Prouectiores ætate in primum ordinem uolãdo collocant,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 553 sur 825

locant, ne ſcilicet ſe fatigent nimium ſequendo, ſi iuniores præcederent. Clamorem etiam ædunt, ne ſeparentur nimium aliæ ab aliis. Si quam ſenſere defeſſam, aliæ duæ utrinque alis ſubleuant, aut etiam ſuper dorſis & pedibus ferunt. retrorſum enim cœlo ſereno pedes extendere ſolent, Oppianus. ¶ Volant flatu ſecundo, Ariſtot. rarò contra impetum uenti, niſi fugiendo, nitentes, Albertus. Secundos uentos & retrò flantes obſeruare norũt, Aelianus. Quod de gruibus iactatur, eas uolatum obuertere contra uentos, id ipſum omnes piſces præclarè intelligunt, ſemper enim contra fluctum natant, Gillius in Aeliano, contra reliquos ſcriptores qui non aduerſis ſed ſecundis uentis grues uolare tradunt. ¶ Ducem etiam habent, & eos qui clament (οἳ ὠθισυκέπλοντας) diſpoſiti in extremo agmine, ut uox percipi poſsit. Cum conſiſtunt, cæteræ dormiunt, capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes: dux detecto (nudo) capite proſpicit, & quod ſenſerit uoce ſignificat, Ariſtot. Ducem quem ſequantur eligunt. In extremo agmine per uices, qui acclament (qui uiciſsim acclament, ne qua deeſſe uideatur, ut quidam citant,) diſpoſitos habent, & qui gregem uoce contineant. Excubias habent nocturnis temporibus lapillum pede ſuſtinentes, qui laxatus ſomno decidens, indiligentiam coarguat. Cæteræ dormiunt capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes: dux erecto prouidet collo ac prædicit, Plin. Cum in terram deſcenderint cibi gratia, dux earum caput in altum erigit in cuſtodiam omnium: cæteræ uerò ſecurè paſcuntur, Iſidorus. Dux multum clamat, ut omnes conueniant: quod ſi nimio clamore rauceſcat, alius conſtituitur, Albert. Caſtigat uoce quæ cogit agmen: ea cum rauceſcit, ſuccedit alia, Iſidorus. Grues in tergo prælantium colla & capita reponunt: quod quia ipſe dux facere non poteſt, quia non habet ubi nitatur, reuolat, ut ipſe quoq; quieſcat: in eius locũ ſuccedit alia ex ſequentibus: eaq; uiciſsitudo in omni curſu conſeruatur, Aelianus. Itineris iam experientes duces ad uolatum conſtituunt: & natu grandiores, ut uero proximum eſt, ad regendum extremum agmen deligunt, minores natu mediæ ſunt, Idem. Gruum gubernandi rationem hominibus regendi reſpublicas doctrinam dediſſe ferunt, Idem. ¶ Cuſtodes ſemper ac duces circumeunt, & ſiue homo ſiue fera accedat, exclamant, altaq; uoce inſidias indicant, ut reliquæ in tempore fuga ſibi conſulant, Oppianus. Vigiles conſtituunt, & decima quæq; cuſtodit excubias, Albertus. In longiſsimis terræ tractibus noctu reliquæ omnes ſomnum capiunt, tres aut quatuor ad reliquarum cuſtodiam aduigilant: & ne ſomno opprimantur, operoſo labore ac moleſto ſtant, nempe lapillũ ſumma cautione ſublimi pede continent, ut ſi quando ſomnus obrepſerit, edito ſtrepitu ex lapilli caſu, expergiſcantur, Aelianus. Quæ noctu excubant in terra, crurum alterutri corpore innituntur, altero adducto prehenſum lapillum tenent. Igitur illa in retinendo iugitas obrepere diutius ſomnum non ſinit: ſed ſtatim ut remiſere, decidens calculus excitat arguitq; negligentem. Itaq; non eſt cur iſtuc Herculis adeò quiſquam miretur, Quod alæ ſubdens arcum hærentem brachio, & Dextra clauam regens manu, quieſceret, Plutarchus. Nocte excubias diuidunt, & ordinem uigiliarum per uices faciunt, tenentes lapillos ſuſpenſis digitis, quibus ſomnos arguant: quod cauendum eſt, clamor indicat, Iſidorus: & Plinius ferè ſimiliter ut ſuperius recitaui. Aegyptiorum ſapientes hominem ſibi ab aduerſariorum inſidijs cauentem cum uolunt ſignificare, gruem uigilantem pingunt. hæ enim hoc ſeipſas præſidio cuſtodiunt, tota nocte per uices excubias agentes, Orus. Cum lapis è pede alicuius uigilis exciderit, reliquæ ſono perceptо omnes clamant, quaſi increpantes uigilum ſomnolentiam, Albertus.

¶ Migraturæ grues, lapidem pro ſe quæq; deuorant, ut & unde prandere poſsint habeãt, & aduerſus incurſiones uentorum firmamentum aſſequantur, Aelianus. Et rurſus, Lapis quem deuorant, ut eo tanquam ſaburra firmentur uolantes, auri index eſt: quem poſtquam eò ubi habitant ſe applicauerunt reuomunt. Quod de lapide narrãt, falſum eſt. lapidem enim eas tenere fulcimento, quem, ubi deciderit, accipi utilem ad auri probationem aiunt, Ariſtot. Idem Albertus quoq; falſum eſſe ait, Lapis enim (inquit) è grege eorum cadens, à pedibus non ab ore cadit. Solent autem aliquando lapides pedibus complecti, cum digiti pedum eis incuruantur, ut ſuper lapidem dirigant: in quem uſum nõ peculiarem ullum lapidem, ſed quemuis ſine diſcrimine accipiunt: ut illum etiam quem ouis incubantes interponunt, nullo diſcrimine capiunt. Quamobrem ridiculum eſt quod Iſidorus ſcribit: Fertur (inquit) grues poſt hyemem uolãtes à montibus Orientis, harenas aureas & aurichalcum lapidem deglutire: & poſtea in locis tranſmarinis reuomere. Vnde dixerunt qui experti ſunt, lapidem quem grues euomunt, ignis ui conuerti in aurum. Certum eſt Pontum tranſuolaturas, primum omnium anguſtias petere, inter duo promontoria Criumetopum & Carambin, mox ſaburra ſtabiliri: cum medium tranſierint, abijci lapillos è pedibus: cum attigerint cõtinentem, & è gutture harenam, Plin. Lapidibus non omnes inter uolandum, ſed quædam ſe onerant, quæ alijs uelociores & leuiores ſunt, ne reliquas celeritate uolandi præueniant, & defeſſæ poſteriores aciem deſerant. Lapides quidem ab eis proijci deprehenſum eſt à nautis, in quorum aliquando naues inciderunt, Albertus. Ariſtophanes Byzantius grues ſcribit deuorare lapides, ut cum bene ſublimes uolantes, & impetu quodam rectà antrorſum ad cõficiendum iter attendentes, aſpectum ad inferiora impeditum habent, de uia feſſæ eos deijciant, & ex lapidum caſu percipiant, ſupra marene an terram ſubuolent. nam ſi ad mare lapides deferantur, iter ſuſceptum facere pergunt: ſin ad terram decidant, à uolando requieſcunt, Gillius è Scholijs in Ariſtophanis Aues: unde Suidas etiã & Varinus deſcripſerunt. Coturnices etiam mare traiecturas lapillis ſe munire Plinius & Oppia-

nus scribunt. ¶ Grues lapidem deglutientes, αἱ γέρανοι λίθους καταπίπτωκνῖαι: Suidas ex Aristophane citat, ostendens dici solitum de ijs qui summa prouidentia gerunt negotium. idq; inde in uulgi sermonem ueniſſe, quod gruibus hic mos sit, ut quoniam admodum sublimes uolant, &c. ut iam interprete Gillio recitaui. Verba in Auibus Aristophanis hæc sunt, ἐκ μὲν γε Λιβύης ἦκον, ὡς τοῖς μυείαις γέρανοι, θεμελίους καταπεπωκνῖαι λίθους. hoc est, ut Erasmus interpretatur, Venêre gruum terdena fermè millia Libycis ab oris, deuoratis maximis Saxis. In eadem fabula sycophanta quidam sic loquitur: Μὰ Δί', ἀλλ' ἴν' οἱ λησταί γε μὴ λυπῶσί με, Μετὰ τῶν γεράνων ἐκεῖθεν ἀναχωρῶ πάλιν, Ἀνθ' ἑρματῶ πολλὰς καταπεπωκὼς δίκας.

¶ Fessis aliquibus ad terram omnes descendunt, ut se inuicem expectent, Albertus. Omnes uno crure innixæ dormiũt, & capita alis obuelant, Oppianus: duce & uigilibus exceptis, ut dictum est. Cur grus & aliæ quædam aues dormientes uni tantum pedi innitantur, & caput humero alteri imponant, Hieronymus Garimbertus quærit quæstione 51. Nocte superueniente ad fluuios se stinant: & in medijs illorum collibus, quos amnis insularum instar circumfluit, residunt: atq; hoc ad insidias cauendas faciunt, quòd insidiosæ feræ aut traijcere flumen non possint, aut traijciendo saltem strepitum cieant, quo ipsæ à somno excitæ aufugiant, Oppianus.

¶ Grues uolucres aduenæ sunt, Varro. Audio ciconias cum gruibus iniurias frigoris fugientes, mutatione cœli solum uertere, ac rursus hyberno tempore exacto, ad patriam sedem remigrantes, cum illas, tum has, sicut homines domum, probe nidos suos recognoscere, Aelianus interprete Gillio. Sed quanquam utræq; hæ aues frigoris iniurias fugiant, diuersis tamen temporibus auolare & redire solent. Ciconias è longinquo uenire non dubium, eodem quo grues modo: illas hyemis, has æstatis aduenas, Plinius. Coturnices semper ante aduenium quàm grues, Idem. Cum hybernum tempus in Libya & Aethiopia traduxerint, lætissimiq; dies ac tranquilli illucescere cœperint, retro ad Thraciam uersus gradiuntur, Aelianus. Ab Aethiopia & Nilo migrant (ad nos redeunt) Ἄτλαντῶ νιφόεντα πάγον καὶ χέμα φυγέσαι, Oppianus. Cum reuertuntur ad nos (à meridie ad septentrionem) nullum ducem habent, abeuntes uerò habent, tum enim timent sibi ab auibus rapacibus & Pygmæis: in reditu non item, Albertus.

D.

Grues gregales sunt, Aristo. Grus est animal ciuile, & sub duce degit, Idem. Ad communem custodiam cooperantur, Niphus. Animalia quædam imitantur ciuilitatem in habitatione congregata & defensione communi, sicut grus, Albertus. ¶ Quæcunq; grues circa migrationem prudenter & admiratione digna faciunt, in C. retulimus. ¶ Grues inter se pugnant tam uehemẽter, ut dimicantes capiantur. hominem enim expectare potius, quàm pugna desistere patiuntur, Aristot. ¶ Grus animal est timidum, Eustathius. Auis est ad ludum & derisionem facilis: nam syluestris etiam ad uocem hominis clamorem eius repræsentantis ludit & saltat, Albertus. Mansuesa etiæ lasciuiunt, gyrosq; quosdam indecoro cursu uel singulæ peragunt, Plinius. Aduenæ aues sunt, ut grues & ciconiæ, quæ certo anni tempore à nobis auolant, certo redeunt: quas cum in auiario, amputatis pennis longioribus, cludimus, inter mansuetas & domesticas uiuere discunt, feritatemq; exuunt, Gyb. Longolius. ¶ Grues plurimum se inuicem diligunt & iuuant, Albertus. Aduersus aquilas aliasq; aues rapaces mutuò se iuuant, ut in C. dictum est. Grus mas & fœmina pro pullis ducendis inter se decertant. nos quidem oculis nostris uidimus gruem marẽ deijcere fœminam gruem, & occidere rostro undecim uulneribus inflictis, eò quod pullos quò minus ipsum sequerentur abstraxisset. hoc autem accidit Coloniæ ubi grues mansuetæ generare solent, Albertus.

¶ Grues ex Scythicis campis ad paludes Aegypto superiores, unde Nilus profluit, ueniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur. non enim id fabula est, sed certe, genus tum hominum illic, tum etiam equorum pusillum (ut dicitur) est, degunt́q; in cauernis, unde nomen Troglodytæ à subeundis cauernis accepere, Aristot. Pygmæos sub terra degentes, supra Gangem posita loca incolere, & sicut fama de ipsis prædicat uiuere, non uanum est, Philostratus libro 3. de uita Apollonij. Pygmæorum & latrantium (ὑλακτόντων) gentes in India & in Aethiopia reperiuntur, Idem. Pygmæi homines in Aethiopia sunt, tam parui, ut pueri septem uel octo annorum, &c. ut legimus in Hebraica epistola regis Aethiopum ad pontificem Romanum in Cosmographia Munsteri. Pygmæos Albertus genus quoddam simiarum esse putauit, quod hominum gestus sermonemq; imitetur: & nos plura de eis scripsimus in Capite de Simijs diuersis, sed hîc quoq; nonnulla adijciemus, quæ illic desiderantur. Pygmæi (inquit Eustathius) statura sua ne cubitum quidem æquant: denominantur enim à pygone. est autem πυγών uel πυγόσιον interuallum, quod à cubiti flexu ad initium usq; parui digiti, uel ad manum extremam digitis in pugnũ (quem Græci πυγμὴν uocant, ut inde etiam Pygmæi à Pygme dicti uideantur, quòd eorum mensura nõ cubitum totum, sed ad pygmen usq; tantum impleat) pertingit. De his traditur quòd cornua etiam sibi apponant, & arietum præ se ferentes speciem (ὧν σχήματι κεῖσθαι: nisi malis ὧν ὀχήματι κεῖσθαι, ut arietibus eos in pugna inequitare intelligamus) ut Hecataeus ait, crepitaculis quibusdam sonent, & hoc modo grues suos hostes, (τὰς πυγμαιομάχους γεράνους,) qui breuitatem ipsorum contemnunt, ulciscantur. Sunt autem agriculturæ studiosi: &, ut fertur ridiculè, securim in messem adhibent, (ἀξίνῃ ἐχρήσαντο ὡς δρεπάνῃ.) Cæterum & aquilonares quosdam Pygmæos esse legimus, è regione Thules (Θούλης) circa Inclica

(Ἰγκλικὴ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 555 sur 825

(Γηκλικὰ, τίγγλοι etiam nani exponuntur apud Grammaticos.) breui admodum corpore & uita quoque breuissima, qui telis exiguis & in acus ferè tenuitatem exeuntibus utantur. Nec desunt qui homunciones huiusmodi à se uisos affirment. Cæterum Pithecussæ dictæ insulæ non tales (homunciones) alunt, sed aliæ quædam feruntur, Hæc ille. Pygmæi homines parui sunt, qui cum gruibus bellantur, & perdicibus inequitant, Basilis apud Athenæum. At Menecles contrà apud eundem, Pygmæi (inquit) aduersus perdices & grues pugnant. Inducias habet gens Pygmæa abscessu gruum cum ijs dimicantium, Plinius. Gerania urbs fuit Thraciæ, (in eo tractu quem Scythæ Arotères tenuêre,) ubi Pygmæorum gens fuisse proditur, quos Catizos barbari uocant, creduntq; à gruibus fugatos, Plinius. Πυγμαίων τ' ὀλιγοδρανέων (βραχυβίων interpretor) ἀμφιλάλητε γυναῖκες, Oppianus. Pygmææ mulieris in gruem mutatio describitur ab Ouidio lib. 6. Metam. Vide etiam infra in h.

E.

Grues cum alijs modis, tum ita capiuntur. Cucurbita sicca & decollata excauatur, uisco intus illinitur, inijcitur scarabeus, qui exitum quærens immurmurabit, eo sonitu excitata grus accurret, & capite inserto, captoq; scarabeo, ipsum etiam cucurbitæ uas oculis, capitiq; agglutinabit, ut eo pennis hærente iam neq; uisu neq; progressu uti ualeat, sed uno in loco consistat, donec ab aucupe manibus capiatur. Si desit scarabeus, cepæ folium iniecisse in aluũ cucurbitæ sat fuerit. Laqueis etiam facile capietur, si quis arundinem sectam utrinq; perforet, & exiles festucas imponat, ac perforatum lapidem ab arundine suspendat, in media autem arundine ferreum acum figat, & fabam ei inserat, quam grus respiciens laqueo caput insinuet. Hac arrepta, iam retractura caput, collum illaqueatum sentiet: perceptoq; dolo, sursum euolare nitetur: sed lapidis pondus obsistet, donec ab accurrente aucupe comprehendatur, Oppianus libro 3. de Aucupio. Gruibus pedicas ponere per hyemẽ conuenit, Vergilius 1. Geor. Strymoniamq; gruem funda deiecit, Idem x 1. Aeneid. de filia Metabi. Captæ uel pedica uel retibus in mensas transferũtur, Platina. Grues, cygni, &c. quomodo capiantur reti in ripis fluuiorum, pulchrè docet Crescentiensis 10. 18. Pantheron retis genus est quo utuntur Galli ad passeres, sturnos, grues, Budæus. Ἄρκιον πελαγρῶν λαμποτέλαν γεράνων, In epigrãmate quodam ueteri. Aquila rapit anseres, grues, &c. Aelianus. Herodius (sic uocat aquilam germanam) altissimè uolat. nam si aues magnæ (quas insectatur) altius supra eam euaderent, ut grues & ciconiæ, rostrorum acie eum interimerent, Albertus. Falcones capiunt anseres, grues, &c. Crescentiensis. Galli falconem gruier, quasi gruarium, cognominant, qui ad grues capiẽdos institutus est. Vidimus accipitrem ex genere perdicariorum palumbis magnitudine, gruẽ tractim deturbantem, uisenda solertia oculis inuolatam, ita ut præda torpens & in terram decidens à cane leporario excíperetur, Budæus. Lanarius falco quomodo instituatur ad gruum uenationem, supra in eius historia dictum est. Girofalcones capiunt cygnos & grues, Sigismundus Baro. Per grues domesticas aliæ capiuntur grues, Author libri de nat. rerum.

¶ Grues Aegyptios sementem facientes offendunt, & mensæ (ut ita dicam) in armis ciborum redundantia extructæ interueniunt, ac tametsi minus inuitatæ, hospitalis tamen mensæ iure fruuntur, Aelianus. Grues & anseres nocent agris, Verg. Georg. 1. γέρανοι γεωργῶ κατανέμοντο χώραν ἐπαρώμιλλα νεωσὶ πυρίνῳ σίτῳ, Suidas in πυρίνῳ. ¶ Plato in Ciuili in Thessalicis campis scribit esse χηνοβοσίας & γερανοβοσίας, hoc est anserum & gruum pascua. ¶ Qui sibi metuit, noctu præsertim dormiens, à uenenosis animalibus, nutriat secum grues & pauones, Auicenna & Rasis. ¶ Aethiopes ex Asia in locum clypeorum pelles gruum prætendebãt, Herodotus lib. 7. ¶ Tibiæ primum ex gruum tibijs, unde nomen habent, tum ex arundinibus factæ sunt, Perottus.

¶ Initium hyemis clangore suo migrantes in sublimi grues designant. Quin & gaudebit arator Plebe gruum prima: gaudebit tardus arator Agmine pigrarum, (&c. deest,) Auienus. Obseruato quando gruis uocem quotannis altè in nubibus clangentis audias, hæc enim signum arationis adfert, & hyemem pluuiam prænunciat, Hesiodus. Cum grus crocitans in Libyam migrat, serito, Aristophanes in Auibus. Χαίρει καὶ γεράνων ἀγέλαις ὡραῖος ἀροτρεὺς Ἴσθι σὸν ἔργον ἰδών· ὁ δ' ἀώριος αὖτις ἀλᾶται, &c. Aratus. hoc est, Agricola qui messem celeriorẽ (uel tempestiuè serere) desyderat, gaudet grues maturius migrantes apparere: contrà qui tardiorem messem uel sementem (Theon utroq; modo exponit) optat, tardiore gruum aduentu lætatur. solet enim mox à gruum migratione hyems & pluuia ingruere, eaq; citius, si grues maturè & in magnis turmis appareant: tardius uerò, cum serò & non in magnis turmis, sed per interualla & pauciores, & passim moram diutius trahentes migrant. Grues ante blandam tranquillitatem (cum longam tranquillitatem futuram præsentiunt) omnes simul ad eundem cursum (uolatum coniunctum uno continuo ordine, & rectà extensum) ceu bona spe fretæ (ἀσφαλέως, tutæ à tempestatibus) pergent, neq; retrò se conuertent in serenitate uolantes, Aratus. Vbi Scholiastes Theon, Præsentientes (inquit) tranquillitatem aliquandiu duraturam, in sublime se efferunt, fiducia plenę ad tam longinquum iter. Quòd si uentus & tempestas inciderint, retrò ferri solent, & ordinem turbare, & metum clamore testari. Βοῶσι δὲ πάλιν ὡς ἀσθμήναι, ὅταν εἰς τὰ θερμὰ τῶν τόπων ὧν χειμῶνι χρώντα. hoc est, quanquam (non solum propter metum, sed) etiam gaudentes clangũt cum hyemis tempore ad loca calidiora peruenerint. Et mox, Cœlo tranquillo licet interdum retro & inordinatè uolitent, æqualem tamen & cõtinuum (λεῖον) uolatum peragunt. Fieri quidem uidetur, ut cum aër durior densiorq; (ut fit propter uentos & frigus & pluuias) occur-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 556 sur 825

rit,retrò uertantur grues:cum contra lenis,placidus & æquabilis est,rectà pergant. Tunc & Strymonias circunuolitare(forte,rectà uolitare)repente Suspicies, & per apta (uersus est mutilus) ubi mitior annus Sponte procellosum dissiecerit aera cœli, Auienus ex iam citato (ni fallor) Arati loco. Imminente tempestate,non solent in alto oblongi gruum ordines eodē ductu pergere,sed conuersi retrorsum feruntur,Aratus. Vbi Theon,Grues(inquit)aiunt,cum pluuiæ futuræ sunt, nec in sublime ferri,nec ita rectà pergere, sed retrocedere. Auienus ex Arato sic transtulit, Si Threiciæ per aperta Sponte grues trepidant,nec sese audacius æthræ Committunt. Grues nauta cū uidet gyros agere,subindeq; reuolutare in medio maris intelligit,contrarijs uentis impellentibus illas,ab itinere instituto absistere,auium discipulus factus,ad portum renauigat, & nauem incolumem seruat,Aelianus. Grues silentio per sublime uolantes serenitatem,sic noctua in imbre garrula: at sereno,tempestatem,Plinius. Grues ex mari in mediterranea uolantes, tempestatis atroces minas intelligenti significant:eædem silentio & quiete uolantes,serenitatem promittunt,Aelian. Grues in mediterranea festinantes uentum præsagiunt,Plinius. Turbulentè clamantes acerbam tempestatem denunciant,Aelianus. Nunquam imprudentibus (hominibus) imber Obfuit, aut illum surgentem uallibus imis Aeriæ fugêre grues,Verg.Georg.1. Earum clangores pluuias accersere fama est,Aelianus. Quum nubes pluuias prospiciunt, clamant & uociferantur, ac ducem suum celeriores captare uolatus solicitant, Isidorus.

F.

Grues Pollucí nominantur inter aues quæ in cibos ueniunt.idem γεφανοβοσίας, id est gruum pascua à Platone nominata meminit,ut iam apud ueteres grues cibi gratia anserum instar etiam domi & in uillis nutritas appareat. Balearibus insulis in honore mensarum est uipio.sic enim uocant mínorem gruem,Plinius. Cor.Nepos,qui diui Augusti principatu obijt,scripsit ciconias magis placere quàm grues : cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo uelit attigisse, Plinius. ¶ Gruis & anseris caro conueniunt accipitri in cibo,sed absq; multo sanguine.nam si eo copiosiore utatur accipiter,corde grauatur,(tanquam homo ebrius uino,) & ad uenationem ineptus fit, Demetrius Constantinop. Valentissimæ materiæ est & plurimi nutrimenti, omnis grandis auis, ut anser,grus,Celsus. Gruum carnes calidæ sunt,siccæ & fibrosæ: & ideo post duos dies quàm iugulatæ fuerint,eas esse oportet.Sanguinem temperato crassiorem & magis melancholicum gignunt, Symeon Sethi. Caro gruis crassa est, neruosa & fibrosa, difficilis concoctu, & sanguinem atribiliarium parit,Rasis. Est hæc auis terrestris naturæ, carne dura, Albertus. grauiore quàm reliquarum auium,Author de nat.rerum.uitanda illis quos hæmerrhoides crebrò uexant & maximè pulsantes,Arnoldus Villanoua. Gruis caro à Theodosio perhibetur frigida. Ioannes uerò eam calidam ponit.mihi quidē frigida magis quàm calida uidetur.est enim crassæ substantiæ, difficilis concoctu,& sanguinem malum generat. unde eam frigidam & siccam esse conijcio : siccíorem tamen quàm frigidiorem.Eligenda est iuuenis,per falconem aut aliam auem rapacem capta. Salubrieres erunt,si antequam coquantur suspensæ à collo lapidibus ad pedes alligatis per diem & noctem pendeant:item si aromatibus condiantur,& uinum generosum superbibatur,Mich.Sauonarola. Elluchasem quoq; uno alteróue die post interfectionem seruari eas iubet, lapidibus ad pedes alligatis suspensas,ut teneræ fiant carnes earum:deinde diu & diligenter decoqui. Post gruum carnem ingestam chalce mellitum sumi debet, & uinum bibi suluum, & (cibi aut potus) huiusmodi sumi, qui ut citius distribuantur & excernantur efficiunt. sunt enim hæ aues neruosæ (carnis,) & crassæ pinguedinis,Elluchasem. Ex gruibus cibaria quouis modo cocta,tardè coquuntur : atram bilem augent,& recrementi in se quàm alimenti plus habent, Platina. Grues torminosis in cibo prosunt, Marcellus. Otidum caro medium quēdam locum habet inter anserum & gruum carnes,Symeon Sethi. Ciconiæ caro eadem ferè quæ gruis est, Platina. mihi quidem ciconiæ caro humidior,gruis uerò siccior uidetur. ¶ Ius gruum uocem clarificat, & semini genitali adijcit, Symeon Sethi. ¶ Ventriculi animalium non laudantur in cibo, præter uentriculum gallinarum, aut anserum, aut gruis,Arnoldus de conser.sanit. Occisa grus in pennis iaceat (uel potius, collo suspendatur,lapidibus ad pedes alligatis,ut supra dictum est)æstate per diem unum, hyeme per duos. sic enim caro tenerior(& facilior concoctu,Hali)fiet,Albertus. Grues & phasiani mactati biduo æstate, hyeme triduo seruari debent, Arnoldus de conseru. sanitate. Caro ex auibus habentibus duras carnes, (ut sunt turtures,grues,anates feræ, & huiusmodi) comedi debet à nece earum duodecim horis in hyeme,Auenzoar.uel potius uiginti quatuor horis post,ut Isaac scribit,Ant. Gazius. Rasis simpliciter ad plures à mactatione dies gruem seruari iubet: Symeon Sethi duos dies postquam iugulatæ fuerint nullo æstatis aut hyemis discrimine adnotato. ¶ Mazonomo (genere lancis,Acron) pueri magno discerpta ferentes Membra gruis sparsi sale multo non sine farre, Horatius. Grus elixari debet,Platina. Eiusdem de porcello lactente condimentis quibusdam farciendo assandoq;, uerba recitaui in Sue G.Idem autem (inquit) fieri potest ex anseře, grue, &c. Gruem cum coquis, caput eius aquā non cōtingat,sed sit foris ab aqua.cum cocta fuerit, sabano calido inuolues gruem, & caput eius trahe,cum neruis sequetur,ut pulpæ uel ossa remaneant.cum neruis enim manducari non potest,Apicius 6.2.quo in loco uarios grui & anati coquendis seu condiendis communes apparatus describit, quos nos omnes in Anate F. recitauimus.

G. Grues

G.

Grues torminosis in cibo prosunt, Marcellus. ¶ Ius gruum uocem clarificat & semini genitali adijcit, Symeon Sethi. ¶ Caput gruis, oculi, & uenter siccentur, & tosta cum omnibus contentis redigantur in puluerem: quo sanantur fistulæ, cancer, & omnia ulcera, Arnoldus Breuiarij 3. 21. ¶ Galenus in opere de compos. medic. sec. locos, recitat compositionem quandam Andromachi ad uitia sedis cui inter cætera cerebrum gruis immiscetur. ¶ Ex medulla cruris gruis fit alcohol, id est collyrium, Serapio 7. 33. Vide inferius in Felle. ¶ Tubera & quæcunque molliri opus sit, efficacissimè anserino adipe curantur. idem præstat & gruum adeps. Gruis adeps remissus durities omnes soluit, Constantinus. Cum adipe anserino remissus, locorum duritias & concretiones discutit, Sextus. Rigor ceruicis adipe anserina, uel potius gruina perunctus, uelocissimè mollietur, Marcellus. Pingue illud, quod cum coquuntur grues superfluitat, si auribus instilletur, auditus grauitati mederi creditur. tum & harum pinguedo cum scillitico aceto sumpta (παφλαζανόμενον) in balneo lienis durities iuuat, Symeon Sethi. ¶ Iecur gruis utile est cõtra dolorem renum & operationem (uox corrupta uidetur) ueficæ, si aridum bibatur pondere drachmæ cum aqua cicerum, Rasis. ¶ Fel gruis medetur aduersus spasmum oris. & si drachmæ pondere cum zambac immittatur in nares, Rasis. est autem sententia imperfecta, quæ fortè compleri potest ex aliorum scriptis quæ nunc subijciemus. Fel gruis calidum subtile, si cum aqua sansuci naribus instilletur, paralysi prodest, & facit titillationem, (uidetur aliquid corruptũ,) Haly. Sunt qui tradãt, si gruum fel cum zambacelæo (quidam ineptè oleum baccarum oliuæ interpretatur) misceatur, memorię lapsui prodesse. Sunt & qui harum etiam felle ad oculorum morbos feliciter utantur, Symeon Sethi. ¶ Gruis testiculi utilissimi sunt ad albuginem oculorum, si findãtur, & apponatur sal gemmæ: tum aridi terantur, & cum spuma maris & stercore lacertæ & saccharo imponantur oculis. contra ictum & plagam oculi ablue hoc totum; Rasis. ¶ Gruis & columbæ fimum eandem facultatem obtinet, ut in Antiballomenis Græcis legimus. Anseris, accipitris, gruum, & similiũ stercora, de quibus multa nugaces quidam fabulantur, inutilia esse experimento compertum est, Aetius 2. 117.

H.

a. Grues masculino & fœminino genere dicuntur, ut Nonius & Seruius obseruarunt. Strymoniæq; grues, Verg. 1. Georg. Longior hic quàm grus grue tota cum uolat olim, Lucilius apud Nonium. Virum tu hunc gruem Balearicum, an hominem putas esse? Laberius apud eundem. ¶ Grues etiam Naupliadæ uolucres dicuntur, ut Textor annotauit, & Palamedis aues. quoniam Palamedes Nauplij filius ex earum ordine tres literas reperisse fertur. Clangunt Naupliadæ uolucres, & peruia pinnis Nubila conscribunt, Politianus. uide supra in C. ubi de literato gruum ordine scriptum est.

¶ γέρανος generis epicœni est, Suidas. Io. Tzetzes in masc. & in fœminino genere utitur, Basilis & Menecles apud Athenæum masc. genere. γέρανις semper in fœminino genere efferes, non masc. sicut etiam ἵππος, si Attice loqui uolueris. γέρανος dicitur quasi γηρύνος, ἀπὸ τοῦ γλῶ (τὸ γῆς σπέρματα) βρύνω: hoc est, ab eo quòd terræ semina perscrutetur. unde & σπερμολόγος (frugilega) nominatur, semina enim quæ terra non obruta fuerint in agris, colligit, Varinus & Eustathius. de auicula exigua quæ spermologus similiter uocitatur, inter Passeres dicam. Aut forte geranos uocata est, quod colore cinereo & ferè cano tanquam géron, id est senex appareat. quin etiam in senectute color pennarum ad nigredinem ei mutatur. γέρων, honorandus, γέρων, (ut & γερώ, & γεραρός,) οἱ δὲ γέρανος, Hesychius & Varinus. legendum puto γέρανος, id est grus, cum accentu in prima. nam & γερῶ nõnullis grus fœmina exponitur, (ut συεισὴς mas) secundum Aelium Dionysium, citante Cælio. τινὶς, grus, Tyrrhenis, Hesychius & Varinus. συεισὴς, grus mas, Iidem: dictus forsan à uoce. nam & Aristoteles grues in postremo migrantium agmine ὠὸ συείρειν ait. σῆτης, grus, Polyrhenijs, Iidem.

¶ Epitheta. Grues aëriæ, (id est, altius uolantes) Verg. 10. Aeneid. Altiuola, Alciatus. Hyberna Rhodopes grus, Statius Sylu. 4. Strymoniam gruem, Ver. Aeneid. x 1. Seruius Thraciam interpretatur. Threicia grus, Ouidius 3. de Arte. Reperio & apud Io. Textorem hæc epitheta. Grues aduenæ, altiuolantes, Thracum uolucres, rapidæ, querulæ, profugæ, granilegæ, uagæ. ¶ Ἀρπάκτειραι πορμαὶ ὑψιπέτηι (aliâs ὑψιπέτηι, Suidas in Bistonia) Βιστονίαν γέρανον, In epigrammate. Thracia olim Bistonia dicebatur, ut in Bisone dixi. Ἄρκιον τε γλαγερῶν λαιμοπέδαν γεράνων, In epigrammate. Ἠέριαι γέρανοι, apud Homerum: Eustathius & alij interpretantur matutinas, uel in aere uolantes. Vergilius quoque grues aerias dixit. Κραιπναὶ, Calabro. Ὑψιπέτης γεράνων χορὸς ἄρχε πατὶ νοτροφώνων, Oppianus. Λίθουσα γέρανον, Babrius apud Suidam. Ἡ μακρόαυχος ὄρνις, id est auis procerè colli, pro grue, Melanthius apud Athenæum. Πυγμαιομάχοι γέρανοι, Eustathius.

¶ Gruere dicuntur grues, ut sues grunnire: unde tractum est congruere, hoc est cõuenire. quia id genus uolucrum minimè soliuagum est, Festus. Et alibi, Congruere dictum est à gruibus, quæ non se segregant, siue cum uolant, siue cum pascuntur. Ingruere est simul gruum modo inuadere, Perottus. ¶ γέρανος, imber apud Cyrenæos, παρὰ τὸ τλῶ ῥαίνω, Varinus. Diades suis scriptis ostendit se inuenisse coruum demolitorẽ, quem nonnulli gruem appellant, Vitruuius. uide in Coruo a. Sunt qui gruem exponant machinam ad subleuanda onera, sic dictam quòd in longum pro-

X

minens collũ gruis referat, cuius sæpe meminerit Vitruuius. Vide Budæum in Pandectas. Tympanum, Græci etiam geranon appellant, est rotæ ambitus magni genus, cuius circumactu calcantibus hominibus adfixas pro gradibus regulas, axis fune obuoluitur, atq; ita onera extolluntur, aut sublata deprimuntur, Philander in Vitruuium 10. 4. Nostri hanc machinam uocant ein ſteinrad/ quod ad saxa potissimum eleuanda huius rotæ usus sit. Geranium uocatur lignum, quo ex puteis hauritur aqua, celoneum item nuncupatum: nam κάλπη lignũ est, νοῦμι adnuere, Cælius. Κηλόνειον, γεράνιον μικρόν, τὸ ἀνακλῖνον καὶ κατανεῦον, Varinus. uide in Ciconia a. γέρανος etiam est machina quædam quæ è sublimi demittebatur ad raptum corporis alicuius, quo usa est Aurora cum Memnonis corpus raperet, Pollux libro 4. Géranos est uncus (harpax) in scena paratus à mechanopœo, quo persona aliqua rapiebatur, ὃς δ' ἔ (δ' ὃ forte) ὁ ἐσκδυασμιδὸς τανυκειτὴς γραγωδὸς (ἁρπάζεται,) Varinus. Dicebatur item γέρανος instrumentum ligneum in quo pistores farinam pinsunt: unde & farinas (τὰ ἄλφιτα) γεράνεια cognominant, Hesychius & Varinus. Nos tale instrumentum inter uariam rei rusticæ supellectilem, depictum dedimus in Boue H. c. Simili etiam (pila scilicet, cum pistillo qui à fune pendet, funis autem alligatus est perticæ flexili quæ per transuersum tabulato superiori affixa est) figuli nostri utuntur: & simili ferè puto molitores ad excorticanda & frangenda legumina. nec inepte aliquis etiam malleos istos quibus lintea ad usum chartæ parandæ comminuuntur, grues dixerit. ¶ Fuit & geranos saltatio, quam nostris literis dicere gruem licet. numerosa erat saltatium turba, quadam uolantium gruum similitudine. instituta hæc primum fertur à Theseo apud aram Deliam, dum exitum de labyrintho imitatur, Cælius. τὴν δὲ γέρανον ἦγον πλοῦν ὠρχοῦντο, ἕκαστος ἐφ' ἑνὸς σώματος ἕνα στίχον, τὰ ἄκρα ἐκατέρωθεν τῆς ἠγεμόνων ἐχόντων, τῆς πόλεως Θησέα πρῶτον μὲν Δήλιον ὁμοῦ ἀκμικαζομένων τὸν ἀκρωτηριασθέντα λαβυρίνθου ἔξοδον, Pollux lib. 4. ὁ γερανολόγος, princeps & coryphæus chori & saltationis in Delo, Varinus: quasi geranum, id est sequentem saltationem post se trahens. ¶ Geranóchrus, color est lanæ à gruibus uocatus, Hermolaus. Apud Plinium in Epidico de geranio uideo mentionem haberi, corruptis licet uulgatis codicibus: Cerinum (inquit) uel geranium. & epiphonema statim per annominationem subiungit, Gerræ maximæ. hanc uerò (uestem) à colore gruis cinericio puto dictam, ut ea sit quam Græci κατοδεσμὸν uocant, Cælius Calcagninus in Epistolis. ¶ Geranopípas legitur in scripto quodam Hieronymi ad Eustochium, de sene quodã monacho: Huic (inquit) inimica castitas, inimica ieiunia, prandium nidoribus probat, & altilis γερανοπίπης, uulgò pipizo nominatur. Ipse (inquit Cælius Rhodig.) malim legere γέρων οἰνοπίπης, id est senex temulentus, quem plebeia uoce pipizonem dici solitum coniectamus. nam πιπίζειν fugere significat. ¶ Plato in Cæuili γερανοβοσίας esse scribit in Thessalicis cãpis: sed Pollux ex Platone γεροβοσίας legit, per σ. ¶ Seleucus ad nos misit tigrin, & oportebat nos illi uicissim remittere θηρίον τερογέρανον. ὁ γὰρ γίνεται τερ' αὐτοῖς, Philemon in Neæra apud Athenæũ. ego quid per uocẽ τερογέρανον significetur non assequor.

¶ Stirpes. Geranium, γέρανιον, herba à Dioscoride (uel quisquis est qui nomenclaturas diuersas adiecit) pelonitis etiam uocatur, (malim pelargitis: quod scilicet instar rostri uel gruis, uel pelargi, id est ciconiæ, pericarpia sua ueluti acus quosdam rigentes proferat,) & echinastrum (quòd acus illi ueluti spicula in echino rigeant) & geranogeron: cuius formæ uiriumq; descriptio, omnino eam quæ pecten Veneris appellatur quibusdam, referre mihi uidetur: nec obstat quòd eadem forte caucalis alibi dicta uideatur. alia enim caucalis Dioscoridis esse potest, &c. Est & alterũ geranium Dioscoridi, foliis maluæ similibus, cui in coliculorum cacuminibus apices quidam prominent similitudine gruini capitis cum rostro, aut caninorum dentium, nullo in medicina usu. Sunt in folliculo illo (pericarpio) geranij secundi cum uiridi colores alij plures, præsertimq; cinereus, tam præsenti totius colli capitisq; & rostri gruini imagine, ut aptiore pictura ostendi à peritissimo pictore animalis eius tota ea pars non potuisset, Marcellus Vergilius. Est & gruina inter secundi geranij nomenclaturas apud Dioscoridem. mihi quidem eadem nominis ratio à gruini rostri similitudine ad pericarpia in his stirpibus, in utroq; geranio conuenire uidetur, etsi authores secundo tantum generi hos acus adscribant, cui folia ut maluæ, uulgò cognito, pedem columbinum uocant. Plinius geranij genus unum foliis cicutæ facit, minutioribus: alterum uerò anemonæ foliis &c. uidetur autem mihi ex diuersis authoribus hæc descripsisse, & unum geranij genus (possunt enim eadem folia uel anemonæ comparari, uel cicutæ ut minora sint tamen) in duo distraxisse. Est & tertium apud nos geranij genus, foliis ferè pimpinellæ, sed magis diuisis, binis è regione, quam acum pastoris uulgò quidam nominant. Herba Roberti quoq; uulgò dicta, quam inter sideritides ponunt eruditi, & alia quędam syluestris in montibus ferè nascens, radice sanguinea, (unde nomen ei apud nos, blůtwurtz/) apices acuum instar habent eadem qua gerania effigie eminentes. Plinius id genus cui folia anemones, radicem inquit mali modo rotundum habere, cum Dioscorides simpliciter ῥίζαν στρόγγυλον dixerit, hoc est radicem subrotundam: ego oblongam & teretem accipio. Radix è geranio (inquit alibi Plinius) peculiariter secundis inflammationibusq; (lego inflationibus ex Dioscoride, & ipso Plinio in præcedentibus de geranio scriptis) uuluarum cõuenit. Apud Hesychium & Varinum γράνιον pro herba scribitur. ¶ Quinquefolium herbã aliqui Germanicè uocant kran fůß, id est gruis pedem, quasi geranopodium. ego inter lychnidis coronariæ nomenclaturas apud Dioscoridem geranopodion legere memini. ¶ γράνεια, quæ secundum aliquos hydna dicuntur, hoc est tubera, Eustathius. Cranium, tuber & fungus radice carent, Theophrastus 1. 9. Græcè legitur,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 559 sur 825

gitur, Ὕδνον, μύκης, πύξος, κράνιον. sed Athenæus lib. 2. pro duabus postremis uocibus, habet πίζις & γράνειον. quanquam is locum Theophrasti citat non super carentibus radice, sed super habentibus corticem læuem. Hydnon est quod aliqui aschion uocãt, Theophrastus 1. 10. hîc etiam Athenæus pro aschion legit γράνειον. Quærendum an tuberi appellatio cranij melius conueniat propter rotunditatem.

¶ Geranites gemma à gruis colore (aliâs collo) nomen habet, Plinius.

¶ Grus marinus, piscis quidam ab Aeliano descriptus, &c. NEROGVRVNO, νηρογέρανος, hoc est grus nigra, à Græcis uulgò dicitur (ut audio) auis quædam aquatica. Ardeam Hispani quidam grou, quasi gruem appellant, propter quandam corporis similitudinem.

¶ Icones. Aegyptiorum sapientes hominem sibi ab aduersariorum insidijs cauentem cum uolunt significare, gruem uigilãtem pingunt, hæ enim hoc seipsas præsidio custodiunt, tota nocte per uices excubias agentes, Orus. Idem syderalis scientiæ gnarum cum significant, gruem uolantem pingunt. illa enim altè admodum uolat, Idem. Typographi quidam pro insigni suo gruem habent pictum, qui pede altero attracto lapillum sustinet, uigilantiæ & diligentiæ monumentum. Gulosi hominis icon gruino collo ab Alciato repræsentatur, cuius Emblema infra in fine huius historię ponam. Ludouicus Dominicus in Italica descriptione Theatri Iulij Camilli, inter imagines Iouis attributas: Sub Gorgonibus Iouis (inquit) erat imago gruis, quæ cœlum uolatu petens, rostro caduceum tenebat: & elabente è pedibus eius pharetra, sagittæ effusæ per aerem cadebant dispersæ: qualem memini iconem uidisse in auersa parte ueteris cuiusdam nummi. Grus animum uigilantem significat, qui iam defessus & fastidiens mundum eiusq; impostoras, tranquillitatis desiderio ad cœlum euolat, caduceum hoc est pacem & tranquillitatem gerens. E pedibus uerò pharetra cum sagittis excidit, hoc est curæ huius mundi relinquuntur. In hanc sententiam Psaltes; Quis dabit (inquit) mihi pennas sicut columbæ? & uolabo, & requiescam.

¶ Propria. Gerana, γεράνα, mulier quædam fuit, apud Pygmæos olim diuinis honoribus affecta, & à Iunone in auem gruem conuersa: uide infra in h. ¶ Gerania urbs fuit Thraciæ, (in eo tractu quem Scythæ Arotères tenuêre,) ubi Pygmæorum gens fuisse proditur, quos Catizos barbari uocant, creduntq; à gruibus fugatos, Plinius. Gerania locus est in Laconico agro, Idem 4. 5. Geranthæ urbs Laconicæ est Pausaniæ, Stephanus. In ora Græciæ oppidum est Geranea, Idem. Gerania uocatur promontorium in Megaride (cuius meminit Lysias) in mediterranea uergens, ac oblongum, indeq; ab figura nuncupatum, Cælius. Stephano γράνεια mons est inter Megara & Corinthum, à quo se præcipitem dedit Ino cum fugeret Athamantem, (ut meminit etiam Scholiastes Pindari in argumẽto Isthmiorũ.) A primitiuo γράνη (inquit) deriuatur γράνεια. gentile γρανώδης uel γρανειάτης. Hunc mõtem Geraniam fuisse appellatum scribit Pausanias in Atticis, quia Megarus quidam in diluuio ad uolitantium gruum clangorem eum tranauerit. Geranidæ, γρανείδαι, incolæ Phocidis, Hesychius & Varin. Gerania, γράνεια, oppidum Phrygiæ, Stephanus.

¶ b. GROMPHENAM auem in Sardinia reperiri narrant, grui similem, ignotam iam etiam Sardis, ut existimo, Plin. Stymphalides aues ad gruum magnitudinem accedunt, Gillius. Ibis est cruribus gruinis, Valla apud Herodotum. Theophilus ait Philoxenum Euryxidis filium (τὸν Εὐρυξίδου) hominem gulæ præcipuè circa pisces mancipium, non satisfecisse suæ circa ingluuiem libidini, gruis collum optando: cum potius oportuisset eum omnino aut bouem aut camelũ, aut elephantum fieri, ut & multũ & multa cum uoluptate ingereret, Athenæus lib. 1. cum paulò ante Philoxeni Leucadij & alterius Cytherij opsophagorum, hoc est gulæ circa pisces obnoxiorum meminisset. Φιλόξενός τις ὀψοφάγος ὢν τὸν φάρυγγα αὐτῷ μακρότερον γράνου γενέσθαι ηὔξατο, ὡς ἥδιον τῆς ἁφῆς, Aristoteles in Ethicis 3. 10. Ego utrobiq; Κυθήριον legere malim. nam & Machõ Comicus apud Athenæum lib. 8. de Philoxeno Cytherio scribit, optasse illum sibi collum tricubitale: Φιλόξενός ποθ', ὡς λέγας, ὁ Κυθήριος Εὔξατο τριῶν ἔχειν τὸν λάρυγγα πήχεων, Ὅπως καταπίνω φησὶν ὅτι πλείστου χρόνου, Καὶ πάνυ γ' ἄμα μοι τὰ βρώματ' ἡδονὴν ποῇ. sed Philoxenum Eryxidis à Plutarcho quoq; memorari Cælius annotauit. quare nihil definio. Clearchus non Philoxenum, sed Melanthium quendam ait optasse sibi φάρυγγα μακράν ὄρνιθος τὸν τροχίλου, ἵν' ὅτι πλείστου τοῖς ἡδίστοις ἐφίεσθαι, Athenæus. ¶ Ibis nigra in Aegypto pedibus est gruinis, Herodotus. ¶ Apion refert Oeneo in Menide regnante, bicipitẽ gruem apparuisse, tumq; Aegyptum feracem extitisse: atq; sub alio rege quadricipitem auem uisam fuisse, & quanta antea nunquam Nilum alluuione redundasse, frugumq; ubertatem mirificam fuisse, Aelianus.

¶ c. Parasitus quidam apud Athenæum, multa de se iactans, inter cætera nihilo segniorem esse ait ad matutinam absq; calceis deambulationem: Ἀνυπόδητος ὀρθρὸς πρωϊπατεῖν γέρανος. ¶ Capra quidem cytisum sequitur, lupus inde capellã, Ἀγρίου τοῦρος, (id est grus uerò aratrum,) ἐγὼ δ' ὧδ' αὖ τὴν μεμάνημαι, Theocrit. Idyllio 10. Trahit sua quenq; uoluptas. Aegirus agricola in epistolis Theophylacti Simocati, de gruibus conqueritur Platano rustico, quòd messes ipsorũ inuadant & spem frugum consumant. ¶ Cattuza & Rhacole Stephano, regio est Pygmæorum, & incolæ Tullyli, ut Cares uocabant. Plinius Catizos hanc gentem appellauit. Οἳ δὲ τὰς γεράνους ὁρμᾷν, τὸ χωρίον Ῥακώλιον προσαγορεύεσθαι, Stephanus. Pendula ceu paruis moturæ bella colonis Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo, Ordinibus uarijs per nubila texitur alis Littera, pennarumq;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 560 sur 825

notis inscribitur aër, Claudianus. Τῆσι δ' ἀρ' ἐσπαμένοισι κατὰ στίχας οὔρεϊ ὄρμοι Ἠέρα τε σκιάουσι, καὶ ἄλλυδις ὄγμον ἔχουσιν, Oppianus. Clamorem ad sydera tollunt Dardanidæ muris: Quales sub nubibus atris Strymoniæ dant signa grues: atq; æthera tranant Cum sonitu, fugiuntq; Notos clamore secundo, Vergilius x. Aeneid. Κλαγγή (clangor) propriè dicitur de gruum uoce, hoc uocabulo ab initio statim tertij Iliados poeta ter utitur, semel de clamore Troianorum pugnam ineuntium, bis de gruum uoce. est enim (inquit Eustathius) grus auis uocalis, (φωνητικὴ:) ut timidiora animalia omnia φωνητικώτερα sunt animosis. Τῶν δ' ὡς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ, Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δολιχοδείρων, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίῳ ἀμφὶ ῥέεθρα, Ἔνθα καὶ ἔνθα πετόωνται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσι, Κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών, Homerus Iliad. β. Τὰι δ' ἐφέροντο Κλαγγηδὸν κραιπνῦσιν ἐοικυῖαι γεράνοισι, Calaber lib. 3. ¶ Gruem marinum piscem è semine gruum per mare migrãtium delapso nasci aliqui credunt, ut in Aquatilium historia recitabo.

¶ d. Gruum genus quadam prudentia præditũ uidetur, Plato in Ciuili. Ad ciuitatem auium condendam è Libya uenerant ὡς προισμένοι γέρανοι, θεμελίοις καταπεπωκυῖαι λίθοις. Τότες δ' ετύγχανον (ἔξεον) αὖ κρέκων τοῖς ῥύγχεσιν, Aristoph. Μὰ Δί, ἀλλ' ἵν' οἱ λῃσταίγε (piratæ) μὴ λυπῶσί με, Μετὰ τῶν γεράνων ἐκεῖθεν (ab insulis & urbibus) ἀναχωρῶ πάλιν, Ἀνθ' ἑρματῶν πολλὰς καταπεπωκὰς δίκας, Sycophanta apud Aristophanem in Auibus. ubi Scholiastes, Ἀνθ' ἑρματῶν, id est pro lapide. grues enim ore lapillos circunferunt, ne in transuersum rapiantur à uẽtis. ¶ Erasistratus præ nimio aduersus Hippocratem contendendi studio, ne communes quidem omnium hominum notitias obseruat, ἀλλ' ἔτι καὶ τῶν γεράνων ἀνοητότερον ἐυρέσκεται, Galenus in libro de phlebotomia contra Erasistratum. hoc est, Sed ipsis etiam gruibus minus mentis habere deprehenditur. ¶ Ἀλλ' ὡς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἀσπετος ἄεθλος Ἔθνεα ἐφορμᾶται ποταμὸν παρὰ Βοσπορίοιο Χηνῶν, ἢ γεράνων ἢ κύκνων δολιχοδείρων, Homerus Iliad. ο. ¶ In breuis staturæ hominem scomma Iuliani: Ἀσφαλέως οἰκεῖον γὰρ ἄστει, μὴ σε πολάζῃ Αἱματι πυγμαίαν ἄδολιν γέρανον.

¶ e. Gruum cerebrum quippiam ãmatorium habet, utile ad conciliandam mulierum gratiam, si modo bene animaduerterunt qui hæc primi obseruarunt, Aelianus.

¶ f. In Cotyis Thracum regis conuiuio apud Athenæum grus etiam appositus memoratur.

¶ g. Pulmonis uulturini dextræ partes uenerem concitant uiris adalligatæ gruis pelle, Plin. Iecur ranæ dryopetis (aliâs diopetis) & calamitæ in pellicula gruis alligatum uenerẽ concitat, Idem. Negant illos in ullo labore lassescere, qui neruos ex alis & cruribus gruis habeant, Idem.

¶ h. Iocatur Epicharmus apud Athenæum ludendo circa uoces γέρανον & γέρανον. Ὁ Ζεὺς μ' ἔπεμψε λέσχ' ἐρέσθαι γ' γέρανον ἑστῶν. Ἡ πεμπτόνηρον ὄψον ὦ τᾶν ὁ γέραν. Ἀλλ' ὅτι γέρανον, ἀλλ' γέρανον τοι λέγω. ¶ Apologus de grue, quæ stipulata mercedem os lupi gutturi ihærens immisso capite eduxit, relatus est in Lupo, in prouerbio, E faucibus lupi. Qui in conuiuijs griphos inenarrabiles quodãmodo probant, Aesopeam uulpem gruemq; imitari uidentur, quarum utraq; facetoso conuiuij apparatu alteram delusit ac dimisit incœnem, Cælius. ¶ Pygmæa in gruem mutata memoratur in descriptione telæ Palladis, apud Ouidium Metam. lib. 6. Bœus author est Cygnum regem Ligurum à Marte conuersum esse in sui nominis auem: & cum ad Sybarin fluuium peruenisset coiuisse cum grue. Idem scribit, insignem quandam mulierẽ apud Pygmæos fuisse (hæc ab Eustathio γέραινα uocatur) quæ cum à ciuibus deæ instar coleretur, ueros deos ipsa cõtempserit, maximè uerò Iunonem & Dianam. Quare indignata Iuno in speciem informem, auis scilicet, ipsam cõuertit, & Pygmæis, à quibus antea colebatur, inimicam & exosam reddidit. Addit, ex hac & Nicodamante testudinem terrestrem natam esse, Athenæus. Meminit etiam Aelianus de animalib. 15. 29. ¶ Aues hominibus deorum sententiam nunciant, aquila Iouis, grus Cereris, Porphyrius libro tertio de abstinentia ab animatis.

¶ Prouerbia. Grues lapidem deglutientes: Vide supra in c. & in d. ¶ Gruibus stolidior, Vide supra in d. ¶ Ibycí grues, Αἱ Ἰβύκου γέρανοι, Græcis in prouerbium abierunt, quod dici consueuit, quoties sceleribus nouo quodam & improuiso casu proditis, scelesti pœnas dant ijs quos læserunt. Id ex huiusmodi quodam euentu natum memorant. Ibycus poeta quidam, cum in latrones incidisset iam occidendus, grues fortè superuolantes obtestatus est. Aliquanto post tempore cum ijdem latrones in foro sederent, rursumq; grues superuolarent, per iocum inter se susurrabant in aurem, Αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι παρεισιν: id est, Adsunt Ibyci ultores. Eum sermonem assidentes in suspicionem rapuerunt, maximè desyderato iampridem Ibyco. Rogati quidnam sibi uellet ea oratio, hæsitanter atq; inconstanter responderunt. subiecti tormentis facinus confessi sunt. atq; ita uelut gruum indicio pœnas Ibyco dederunt: ac (aut) potius suo ipsorum indicio, ut dicitur, perierunt. Huiusmodi fermè Plutarchus in Commentario de futili loquacitate. Meminit huius adagij Ausonius in Monosyllabis: Ibycus ut perijt: uindex fuit altiuolans grus. Extat super hac re Græcum Antipatri epigramma, (in Anthologio,) Erasmus.

¶ Emblema Alciati, quod inscribitur Gula.

Curculione (Gurgulione) gruis, tumida uir pingitur aluo,
Qui larũ aut manibus gestet onocrotalum. Talis forma fuit Dionysi & talis Apici,
Et gula quos celebres delicioſa facit.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 561 sur 825

DE GRYPE, PRIMVM EX VETERIBVS, deinde recentioribus.

GRYPS generis masculini, in gignendi casu facit grypis, ut apud Græcos γρύψ, γρύπος (etsi aliqui primam circunflectant in obliquis, quæ quidem apud Vergilium longa est, sungentur iam gryphes equis. ego utroq; modo, aliàs cum acuto, aliàs cum circunflexo, in uetustis Græcorum codicibus scribi reperio) non γρύφος. multi tamen Latini, etiam ueteres, gryphas per ph. scripserunt. nos utroq; modo utemur, etsi absq; aspiratione grypem scribi magis placeat. Non desunt qui etiã gryphum scribant in secunda declinatione, quos non probarim: & minus illos qui gryphonem in tertia. γρυῶν, ὁ γρύψ, Hesych. & Varin. legitur autem apud Lycophronem, λοῦσα δ' ἐσντα γρυωνὸν ἐπηφωμένον. aliqui κορμόν, id est truncum uel stipitem interpretãtur. Lycophron pro nauí accipit, ut Cælius annotat. etiamsi ad Alexandrum posse referri putat interpres. Picos ueteres esse uoluerunt, quos Græci γύπας appellant, Nonius. Picos diuitijs qui aureos montes colunt Ego solus supero, Strophilus inuento thesauro in Aululari Plauti. ¶ Hebraicã uocem peres, פרס, aliqui gryphem interpretantur, nos potius accipitrẽ, Paulus Fagius. Deuteronomij 14. inter aues immundas Hebraicè peres legitur, in translatione LXX. interpretum γρύψ, & sic Procopius quoq; habet, (Ἀποφάσκει ὁ νόμος τὸν ἀετὸν καὶ τὸν γύπα,) & Hieronymus. & similiter Leuitici 11. alij hanc uocem aliter interpretantur, ut indicauimus supra in Capite de accipitribus diuersis. Est & asnijh, אוניה, Hebraicum nomen, quod ab alijs atq; alijs conuertitur accipiter, smerillus, haliæetus, gryps. In Lexico trilingui Munsteri pro gryphe legitur etiã ברגוא & עזניא, hoc est bargesa & adia, si rectè lego, nescio qua dialecto.

¶ Gryphas uolucres auritas in Aethiopia aduncitate rostri fabulosos reor, Plinius. In Asiatica Scythia terræ sunt locupletes, inhabitabiles tamen. nam cum auro & gemmis affluant, gryphes tenent uniuersa, alites ferocissimæ, & ultra omnem rabiem sæuientes: quarum immanitate obsistente, aduenis accessus difficilis ac rarus est. Quippe uisos discerpunt, uelut geniti ad plectendam auaritiæ temeritatem. Arimaspi cum his dimicant, ut intercipiant lapides, (gemmas,) Solinus. Gryphas Aristeas ait feras esse leonibus (equis, Leonicenus in Varijs, Aristeam quoq; citans, non probo) similes, sed alis atq; rostro aquilæ, Pausanias. uerum quæ capita cum incuruis rostris aquilarum more, sed aurita habeant, Leonicenus. Grypibus (γρυψὶ) maculas ceu pantherarũ inesse aiunt, Pausanias in Arcadicis. Aurum quod grypes effodere dicuntur, petrę sunt aureis guttis minutissimis conspersæ, quas hæc fera rostro discindit. Sunt enim huiusmodi aues in India, & Soli sacrę esse perhibentur: easdemq; quadrigæ iungunt qui Solis imaginem apud Indos pingunt. Magnitudine autem ac uiribus leonibus pares illos esse tradunt: & ob petrarum cupiditatem sibi inuicem insidiari, elephantos quoq; ac dracones superare. Volant autem non multum, sed quantũ paruulæ aues. non enim pennatæ sunt, sed rubra pellicula alarum costæ, tanquam digiti (animalium scilicet steganopodum) connectuntur. Itaq; in gyrum delatæ aliquantum uolare, & è sublimi pugnare possunt, Philostratus lib. 3. de uita Apollonij. Philostratus scribit grypes superare elephãtos & dracones, (Aelianus cum cæteris quidem animalibus grypes pugnare ait, ab elephantis uerò & draconibus uinci,) omnia denicq; animalia præter tigridem, quæ ob uelocitatem ab ea aufugit: uultu quoq; nõ multum ab humano differre, Volaterranus.

¶ Gryphem Indicum animal audio similiter quadrupedem ut leonem esse, robustissimis item existere unguibus, leonum similibus: tum esse posticis partibus nigrum (κατόπτροφον. in nostro codice) anticis uerò rubrum: alas autem ipsas non item eiusmodi, sed albicantes ferunt. Ctesias eos ait (τὸν δ' ὄρνιν κυανοῖς ὑπολίδια πτεροῖς: id est, collum cœruleis pennis floridè distingui) aquilino ore esse, & capite cuiusmodi pictores fingunt: oculis autem igneis, nidosq; in montibus facere, utq; ætatis processu grandes non capi, ita earum pullos cõprehendi posse. Bactri autem Indis finitimi eos illic auri custodes esse, aurumq; effodere aiunt, & simul eo ipso nidos construere: quod uero auri in terram deciderit, Indos homines auferre. Contra Indi eos auri, quod ueri quidem simile uidetur, custodes esse negant. neq; enim gryphes auri egere, at cõtra ipsos cum ad colligendum aurum homines accesserunt, hos de pullis suis maiorem in modum timentes, pro eis pugnare, atq; cum alijs etiam animalibus concertare, eaq; funditus uincere. Contra autem leones & elephantos non stare, (atqui Philostratus has etiã belluas à grypibus superari scribit,) idcirco indigenæ, quòd ab huiusmodi animalium robore timeant, nõ interdiu, sed ad collectionem auri noctu proficisci, quod se tum melius latere arbitrẽtur. Locus ubi gryphes uersantur, ac ubi aurum effoditur, desertissimus est. Quocirca aurum uenari studentes, mille, aut bis mille armati eò perueniũt, simulq; fossoria & saccos afferunt, silentem lunam obseruantes. Quòd si gryphes fallant, duplicem commoditatem assequuntur, quòd & eorum uita ab illorum atrocitate seruatur, & quòd etiam aurum Indi domum auferunt. Sin in furto deprehendantur, perierunt. Cum semel eò profecti sunt, domum non nisi trienij, aut quadrienij interuallo reuertuntur, Aelianus.

¶ Sphingem finxerunt unguibus grypis, Scholiastes Lycophronis. Ad Septentrionem Europæ quàm plurimam auri uim esse constat. sed quomodo fiat, pro comperto dicere non queo. Dicuntur tamen id à gryphibus auferre Arimaspi, uiri unoculi, quod quidem non crediderim, ut uiri

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 562 sur 825

naſcantur unoculi, cæteram naturam habentes alijs hominibus parẽ, Herodotus libro 3. Ariſteas Proconneſius in uerſibus ſuis ſcriptum reliquit, grypes ob aurum cum Arimaſpis (qui omnes luſci naſcantur) ſupra Iſſedonos certare, aurum uerò quod cuſtodiunt terram proferre, Pauſanias.

¶ Aucha uel ancha (neſcio cuius linguæ uocabulum, apud Raſim in libro de 60. animalibus cap. 39.) auis eſt maxima, teſte Ariſtotele, (nihil tale apud Ariſtotelem extat) ex cuius alarum pennis pharetras fieri aiunt, ad condendas ſagittas, & ex unguibus eius uaſa potoria. Indigenæ ut eas capiant, duos boues alligant in curru alligato lapidibus, iuxta currum uerò tugurium eſt, in quo latet uenator: qui in promptu ſecum habet ignem & aquam. Et cum aduenerit auis, & unguibus in bouis corpus infixis nec illum auferre, nec ungues extrahere poteſt, uenator igne alas eius accendit: ijsq; conſumptis ut uolare non amplius queat (ignem aqua reſtinguit, &) capit. Sunt ſanè animalia omnia in regionibus ab æquatore uerſus meridiem tum corpore maiora, tum magis admiranda, ut elephantes & rhinocerotes, & alia monſtroſa. Cæterum in felle huius auis eſt quædam facultas mirabilis aduerſus comitialem, cum ad ſternutationem ciendam ſumitur drachmæ pondere, (nimium hoc pondus eſt:) præſtat enim plus quàm ocilece, (uox mihi obſcura,) Hæc ille. Aues in Aethiopia tantæ reperiuntur, ut pedibus bouem uel equum integrum abreptum pro pullis cibandis auferant, Rex Aethiopiæ in epiſtola Hebraicè ſcripta ad pontificem Romanum in Coſmographia Munſteri. ¶ Indorum grypes & Aethiopum formicæ, quanquam ſint forma diſſimiles, eadem tamen agere ſtudent, nam aurum utrobiq; cuſtodire perhibentur, & terram auri feracem adamare, Philoſtratus. Aurum à formicis aut gryphibus apud Scythas erutum omittamus, Plinius.

¶ Grypi nomen impoſitum mihi uidetur à roſtri & unguium aduncitate, qua aquilam referre dicitur. grypum enim Græci aduncum uocant. Gryphes & ſtriges an extent in natura, Angelus Decembrius quærit parte 68. Iungentur iam gryphes equis, Vergilius Aegl. 8. Vbi Seruius, Hoc genus ferarum in Hyperboreis nalcitur montibus, omni parte leones ſunt, alis & facie aquilis ſimiles, equis uehementer infeſtæ, Apollini conſecratæ. ¶ Grypæ, (γυπὰι, ſecundum alios γυπὰς) dicuntur nidi uulturum, Heſychius. γρυπῶν χυδοφυλάκων οἴκησις, Euſtathius. Gryphes Hyperborei, obunci, & Scythici apud Textorem. γρυπαίετες χαλκηλάτες, καὶ ῥήμαθ' ἱππόκρημνα, Ariſtoph. in Ranis. ſcholiaſtes interpretatur γρυπαίετες, peregrina (ἀλλόκοτα) ſcuti inſignia. aquilas enim (inquit) ſolebant in ſcutis pingere. Canathra grypum imagines ſunt ac tragelaphorum ligneæ, quibus inſidentes puellæ circunferebantur in ſpectaculis, ut Xenophon indicat & Plutarchus exponit, Cælius. ¶ Scyles rex Scytharum habuit in urbe Boryſthenitarum ædes magnificas, & circa illas è lapide candido ſphinges & grypes ſtantes, Herodotus libro 4. Athenis in arce ſimulacrum eſt Pallados: cuius galeæ ad partem utranq; gryphes ſunt additi, in medio imago ſphingis incumbit, Pauſanias. ῥόδους ἔχον (de dapidio picto) καὶ γρῦπας ἐξώλης τινὰς τῶν ῥοφητικῶν, Hipparchus apud Athenæum.

¶ Grypus, naſus gibbus ſeu aquilinus, à gryphis ſimilitudine, Tortellius. Apud Perſas plurimi ſunt grypi. γρυποί, Scholiaſtes in Argon. Apollonij. Grypos, id eſt aduncо naſo homines Perſæ amplexabantur, & regios opinabantur, quòd eiuſmodi fuiſſe Cyrum proditum ſit, Cælius. γρύπος, pars de inſtrumentis nauis, & anchoræ, & genus animantis uolucris quod γύπου (γύπου * ἐμέσιν, Heſych.) uocant, Varinus. γρῖφος, idem quod γρῖπες, genus retis piſcatorij, πᾶσα ἡ γρὺς ἡ ξύω. ἑλκόμενον γὰρ ξύει τὸν ὑποκαμπίλιον ἄμμον, Euſtathius. hinc & griphus dicitur ſermo obſcurus, & intricatus inſtar ænigmatis, qui in conuiuio (inquit Euſtathius) proponi ſolebat, propoſita in medium phiala uino plena, quam qui griphum ſoluiſſet pro mercede ebibebat. Agreſtes boues epigrypos eſſe dicunt Græci, id eſt rictu leuiter aduncо. ¶ Perſina boum armenta, et equorum, ouium, coturnicum ac grypum ((γρυπῶν) greges præmiſit, partim ut ex unoquoq; horum animalium genere hecatomben adornaret, partim ut populus inde aleretur, Heliodorus lib. 10.

EX RECENTIORIBVS.

QVIS gryphas aurítos in Aſiatica Scythia habitare credat? Perottus. Plinius etiam (ut recitaui) has aues fabuloſas exiſtimat. hinc eſt forte quod nullum eius in linguis diuerſis peculiare nomen reperitur, ſed nationes omnes uſitato Græcis nomine gryphem appellant. cur enim nomen rei nunquam uiſæ, aut nuſquam (ut ſuſpicamur) extanti, aut certe in ipſorum regionibus nuſquam, indere homines uoluiſſent? Nam quod Græcorum uanitas indiderit mirum non eſt, quæ centauros etiam & ſphinges & alia huiuſmodi nomina confinxerit. Illyrica tamen lingua gryps appellatur nob. Græcis hodie uulgò γρυπός. Italis & Gallis gryphon, uel griffon. Germanis gryff uel greiff. Anglis a grype uel gryffon. ¶ Perperam grammatici quidam uulturem gryphem nominant, uulturem & gryphem inepte confundentes, Turnerus.

¶ Gryphus eſt auis quadrupes, capite & alis aquilæ ſimilis, ſed multò maior. In nido ſuo lapidem agathem ponit, Author libri de nat. r. Animal pennatum & quadrupes eſt gryphus, (&c. ut Seruius,) Iſidorus. Gryphes aues ab hiſtoricis potius quàm philoſophis & rerum naturæ peritis memorantur. Aiunt autem eas anterius, capite, roſtro, alis, & pedibus anterioribus, aquilam referre: poſterius uerò, ut cauda & pedibus leonem. & in aquilinis quidem pedibus, longos habere ungues, in leoninis uerò breues. ex maioribus (ut ex Raſi etiam ſupra ſcripſi) cyphos potorios fieri. hinc eſſe quòd alij longos, alij breues gryphis ungues inueniri dicant, Albertus. Iohannes de Monteuilla ſcribit corpus magni gryphi maius eſſe octo leonibus regionum noſtrarum, nam poſtquam bouem,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 563 sur 825

bouem, equum uel hominem etiam armatum occiderit, pleno uolatu illũ auferre. ungues eius tanquam cornua bouis esse, è quibus magni pretij pocula fiãt: ut de pennis alarum eius arcus rigidi & missilia & sagittæ ad iaculandum aptę. Memini ego me uidere apud aurifabrum in ciuitate nostra cornu nigrum læue, & in summo aduncũ, ferè ut in rupicapris, triplo forte crassius, cuius labris argentum inducturus erat aurifaber, ut pro poculo mensis adhiberetur. id forte bouis alicuius peregrini, ut quem Indicum uocant, aut bubali, cornu erat, ille uerò pro gryphis ungue acceperat.

¶ Ad extremum septentrionem Rhiphæos & Hyperboreos montes aliqui posuerunt, quos illic nullos esse experientia constat. Quinetiam in Iuhra & locis septentrionis non effoditur aurum, argentum, nec alia metalla, nec inueniũtur illic gryphi & magnę aues prohibentes fodere & efferre aurum. Ego sanè contra ueteres authores gryphos nec in illa Septentrionis, nec in alijs orbis partibus inueniri affirmarim, Matthias à Michou in Sarmatia Asiana. ¶ Vltra Madagascar maximã & ditissimam insulam, aliæ quædam insulæ sunt, quæ propter uelocissimum maris cursum difficillimè adiri possunt. In his certo anni tempore apparet mirabilis species auis, quæ Ruc appellatur, aquilæ quidem effigie, sed magnitudine immensa. Aiunt qui illas uiderunt aues, pleraſq; alarũ pennas longas esse passus duodecim, ea crassitie quæ longitudinis mensuræ conueniat. Auem tanti roboris esse, ut sola sine aliquo adminiculo elephantem capiat: & in sublime raptũ, rursum ad terram labi sinat, quo carnibus eius uesci possit. Ego Marcus quum primum hæc de illa aue audissem, putabam esse gryphum, qui pennatus & quadrupes (ex recentioribus tantum aliqui gryphem quadrupedem faciunt, ueterum nullus quod sciam) fertur, leoni omni ex parte similis, nisi quòd faciem habet aquilæ similem. Sed hi qui aues illas uiderant, constanter asserebant, nihil illis cõmune esse cum ulla bestia, & quòd duobus ut reliquæ aues incederent pedibus. Habebat meo tempore magnus Cham Cublai nuncium quendam, qui in insulis illis tam diu captus tenebatur, donec incolis earum satisfactum esset: & hic postliminio domum reuertens, mira retulit de conditione illarũ regionum, & de uarijs animaliũ generibus quæ in illis inueniuntur, Paulus Venetus. ¶ Lutetiæ in templo quodam (Palatij, ni fallor) pes gryphis suspensus ostenditur. eum quidam falsum esse suspicantur, & ex ligno confectum. canonici uerò illius loci, ex Melita uel Rhodo allatum esse asserunt à quodam huius ordinis equite.

AVIS chym uel kym (Græcè φλώψ legitur, id est ossifraga) maior est aquila (uulture, ex Auicenna:) & hoc genus aquilæ quidam gryphem esse putant, Albertus. idem rursus uocem kym pro uulture ponit.

IN Capite de Aquilis diuersis quarum recẽtiores meminerunt, auem in Misnia Germaniæ repertam descripsi maximam, cuius crura leoninis maiora fuerunt, ungues instar digiti humani.

DE GYGE AVE.

GYGES auis est semper clamosa & canora, (ἀναβοᾷ ἀεὶ καὶ ᾄδει ὄρθρου,) unde & nomen ei impositum. Hæc aues amphibias noctu deuorat. Linguam eius ære exectam si quis infanti (qui tardius loqui incipiat) edendã dederit, mox filẽtium eius soluet ut fari incipiat, Oppianus de aucupio 2. 16.

DE AVIBVS, QVARVM NOMINA H. LITERA INCHOAT.

DE HARPE.

HARPE auis rapacis nomen est inconstans. nam alij miluum, alij miluo similem auem, alij aliam quandam faciunt. Arba auis est, quæ in lingua nostra uocatur arpa, similis miluo, sed utcunq; maior, Syluaticus. Harpe (inquit Eustathius in Iliad. τ.) uel miluus est, uel alia auis aquilæ similis, quæ è sublimi facile in quem uoluerit locũ cum impetu se demittit. alij auem marinam laro inimicam faciunt: quæ cibum (inquiunt) colligere solet & custodire in stipulis (ἐπὶ τοῖς καρφίοις) ut pullis suis suppeditet. Harpe auis, quam aliqui miluum uocant, alij ossifragam, Scholiastes in Iliad. τ. Io. Tzetzes etiam harpam cum miluo confundit, Aristoteles manifestè distinguit. Cretenses miluum ἁρπεγὸν uocant, Hesychius.

¶ Harpæ (inquit Oppianus) conspectui raro se offerunt, rupium asperrimarum incolæ. Nidos enim pullis struunt in altis montium hiatibus. Præcipitijs, ut reliquæ uolucres truncis ac ramis, insidunt. Pullos amore miro prosequuntur, adeò ut si quis rusticus pullum harpæ latenter suffuratus fuerit, illa nidum deinceps, cibo neglecto, non relinquat, & locum omnem gemitu plorantis instar mulieris impleat, & lachrymarum defluxu genas madefaciat. Vestiuntur autẽ eis maxillæ & mentum tam frequentibus plumis, ut barbæ quandam speciem ad collum demissam repræsentent, (Plinius ossifragam quoq; barbatam dici scribit: & è Græcis Grammaticis quidam, harpen interpretantur phenen, id est ossifragam: & idem in pullos amor proq; illis amissis lucius utriq; aui tribuitur: remedia etiam ferè eadem) & hæc eis inter omnes aues nota peculiaris est. Lapidibus uescuntur, & pridem mortuorum animalium ossibus. Quòd si deglutire possint, auidè, quod obtigerit, ingerunt: maiora uerò unguibus apprehensa, in sublime uolantes, per saxa deijciunt toties, donec frangantur edendoq; sint. Morbos hedera nigra sanant aut præueniunt, Oppianus lib. 1. de Aucupio. Harpæ

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 564 sur 825

hederam nidis imponunt ad cuſtodiam pullorum, (uel ut abigantur blattæ, Zoroaſtres in Geopo-nicis) Aelianus.

¶ Harpa cum gauia (laro) & brentho (Gaza anatem uertit, ex Plinio ut uidetur) diſsidet, quoniam omnes cibum à mari petunt, Ariſtot. Harpæ inimica phoix eſt, uictus enim earum eſt ſimilis, Idem. Et rurſus, Harpa, piſex & miluus amici ſunt, ubi Albertus corruptè habet, Archy & archytynos (pro harpe & ἰκτῖνος) amicitiam colunt. Harpæ & miluo communes inimicitiæ contra triorchin ſunt, Plinius. Et rurſus, Diſsident inuicem, aquaticæ, anates & gauiæ: harpæ & triorches accipiter. Sed Ariſtoteles ſic ſcripſerat: Diſsident etiam inter ſe qui è mari uiuunt, ut brenthus & larus & harpe: item triorches, rubeta & ſerpens. Harpa & erodius inimici ſunt, Aelianus. Harpa auis montana impetens oculos effodit, Plinius: ſed peream (ut uideo) cum Ariſtot. de hiſt. anim. 9.18. phoici (cui inimica harpe ſit) peculiare præ cæteris eſſe ſcribat, ut oculos potiſsimum appetat, nec montanam eſſe harpen, ſed alibi ex mari eam uiuere ait.

¶ Harpe Oppiani uidetur mihi genus uulturis illud, quod noſtri à partis pronæ colore ruſſo uocant ein Goldgyr, id eſt aureum uulturē, cuius figuram cum uulturis hiſtoria ponam, nam & in altiſsimorum montium petris ſimiliter agit: & ſub mento (ut ita nominem) plumas barbæ inſtar demiſſas habet. Ariſtotelis uerò harpe cum uictum ex aqua (mari) petat, & propter eundem anati laroq; infeſta ſit, ea aut maximè congener uideri poteſt, quæ Germanicè Maßwy, id eſt miluus paluſtris nominatur, quòd è paludibus & lacubus anates & aues aquaticas rapiat, recto (ni fallor) deorſum impetu in eas delata.

¶ Zaucos uel zeuocos, quidam zingion, alij harpen dicunt, ſpecies eſt uulturis alba, deuorantis cadauera, Kiranides 1.6. Et rurſus libro 3. Harpe (inquit) auis eſt rapax, ſimilis uulturi, ſed minor & rubicundior. Facultates quidē quas eo in loco ei attribuit, phenæ, id eſt oſsifragæ ab alijs adſcriptæ uidentur: & Homeri quoq; Scholiaſtes, ut ſupra recitaui, harpen ſecundum quoſdam phenen interpretatur. iam quòd harpen uulture minorem & rubicundiorem eſſe ſcribit, uulturi aureo noſtro (quem paulò ante harpen Oppiani eſſe conieci) conuenit.

G.

Harpe ſpecies eſt uulturis alba, deuorantis cadauera. huius inteſtinū ſi cui in cibo dederis, rumpetur ingurgitatione. erit enim inſaturabilis. Colenteron, id eſt maius inteſtinum eius ſi tritum alicui dederis in potu, aut aſſum in cibo, colicum perfectè curabit, Kiranides 1. 6. Adeps harpæ cum unguento olei inunctus, quartanas expellit. Fimus lepras ſedat cum aceto illitus. Iecur eius utcunque modicè datum, interiora omnia corrumpit, Ibidem. addit & phylacterium in quo harpe auis ſculpitur, indignum relatu. ¶ Rurſus idem libro tertio: Harpe (inquit) auis eſt rapax, ſimilis uulturi, ſed minor & rubicundior. Huius uenter aridus tritus & cum polenta uel farina ſumptus dyſuriam ſanat, & lapides ueſicæ frangit: ileon ſiue condaſon (forte, chordapſon) lumborum ſanat. Venter eius geſtatus concoctionem ſummam promouet. Eadem ferè aut ſimilia remedia oſsifragæ etiam aui à ueteribus adſcribuntur: diximus autem ſupra, harpen aliquos non aliam quàm oſsifragam auem facere.

H.

Harpe (ἅρπη) auem & falcem quoq; ſignificat, Scholiaſtes Homeri. Διξιτόρῃ δὲ πιλώρῳ ἔλλαβεν ἅρπλω, μακελῶ, καρχαρόδοντι, Heſiodus. hinc harpedophorus (Suidas habet ἁρπηφόρος) dicitur falcifer. Ἅρπη εἶδος ὀρεπάνης παρὰ τὸ ἁρπάζω, Varinus. Ἅρπη falcem & uentum ſignificat, Heſychius. ſed pro uento harpyia potius ſcribēdum uidetur. ¶ Harpe Græca dictio (ut annotant Grammatici) enſem falcatum ſignificat quo utitur Mercurius. Et ſubitus præpes Cyllenida ſuſtulit harpen, Lucanus lib. 9. hoc eſt incuruum Mercurij gladium. Vertit in hunc harpen madefactā cæde Meduſæ, Ouidius 5. Metam. ¶ Ἅρπλω τοφρόπις, Lycophron de Phæacia inſula, id eſt Corcyra: in qua ſub terra latebat falx, qua Iupiter Saturnum caſtrauit. uel quoniam in illa Ceres harpen, id eſt falcem à Vulcano accepit, meſsibus idoneam: & eam ob cauſam Corcyra drepanon, id eſt falx nominatur. eſt & in Sicilia locus Drepanon dictus, quòd in eo abſcondita falx ſit qua caſtratum fabulantur Saturnum, Varinus. ¶ Harpides (ἅρπιδες) calciamenta ſunt, quæ item crepidas uocant, &c. Harpys, ἅρπυς uerò amorem ſignificat, Cælius. ¶ Ἡ δ' ἅρπη εἰκυῖα ταναυπτέρυγι λιγυφώνῳ ὀρφανὸν ἐκκατέπαλτο δ' ἀθρόον, Homerus Iliad. τ. de Minerua. Ταναυπτέρυγα magnas uel longas alas habentem interpretantur. Cæterum acutus clangoris ſonus aquilarum generi (Euſtathio teſte) proprius eſt. Harpam Mineruæ attribuunt, Gillius.

¶ Emblema Alciati, cui lemma, Aemulatio impar.

Altiuolam miluus comitatur degener harpam, Et prædæ partem ſæpe cadentis habet, &c.

DE HARPYIS.

EQVIDEM quæ de harpyis traduntur ficta eſſe arbitror, Perottus. Harpyiæ dicuntur aues quædam rapaces, Varinus. Harpyias aliqui fabulantur in Thracia fuiſſe, corporibus uulturum, auribus urſorum, facie bus uirgineis: Iſacius Tzetzes, & Varinus in Scylla, ubi pro κύρκων legendum eſt κορῶν ex Tzetze. ¶ Sophocles in Phineo harpyias nominat catarrhactas, Varinus & Heſychius:

chius: quòd uehementi scilicet ac præcipiti ad rapiendũ aliquid in terra uolatu ferrentur. ¶ Harpyias malas pro nequissimis mulieribus ueluti ex adagio usurpasse uidetur Apuleius, Cælius. Δρᾶκαιναὶ ἄμικτοι, χίμαιρα πνεροπόν, τέρας θ σκύλλα ποντία κύων, πῆλωξ δ' ἁρπυιῶν γλύν, &c. nihil aliud quàm scorta fuerunt, ut Athenæus lib. 13. Anaxilæ uersibus recitat. Qui harpyiarum fabulam historicè interpretantur, mulieres fuisse aiunt ἀσώτους δαπάνας, (si rectè scribitur,) Eustathius. id est in luxum prodigas ac sumptuosas. Sidonius Apollinaris pro cruẽtis sanguinarijsq; raptoribus, qui pecunię uel immoriãtur, harpyias usurpasse uidetur: In foro (inquit) Scythæ, in cubiculo uiperæ, in exactionibus harpyiæ, &c. ut citat Cælius.

¶ Ἅρπυια, subita rapina, ἁρπαγὴ ἀπὸ τύχης, Hesychius. Νῶϊ δέ μιν ἀκλειῶς ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο, Homerus Odysseæ α. Grammatici (ut Scholiastes Homeri, Suidas, Varinus, Hesychius) harpyias interpretantur rapaces deas uel dæmones, alij dæmones alatas fœminas, alij uentos rapidos, alij canes rapaces. Harpyiæ per allegoriam uenti intelliguntur, Varinus. Ἅρπυιαι, αἱ τῶν ἀνέμων συροφαὶ, θύελλαι, Hesychius. Ἅρπυια, ἡ τοῦ ἀνέμου καταγὶς, ἀνέμου καταγιδώδης, Eustathius. Harpyias Scholiastes quidam Hesiodi flatus rapaces interpretatur, qui ex aquæ exhalatione nascantur. unde nimirum Hesiodus ex Electra Oceani filia ipsas natas fingit. quemadmodum & iris in nubibus ab exhalatione ortis apparet, cuius quidem conspectum nemo non admiratur, ut meritò Thaumãtis filia fingatur, quemadmodum & uenti omnia penetrantes. Harpe auis, & falx, & uentus, Hesychius. sed ut uentum significet, harpyia potius scribi debet. ¶ Electra Oceani filia ex Thaumante peperit Irin, Ἠνώμας δ' Ἅρπυιας, Ἄελλώ τ', Ὠκυπέτην τε, αἵ ῥ' ἀνέμοιν πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἕπονται, Ὠκείαις πτέρυγεσσι, μετάχρονιαι γὰρ ἴασιν, ἰάλλον, ἰάλλον, ἀντὶ τοῦ ἔτρεχον, ἐπέποντο. χρόνον μὲν οὐρανὸν, ἐπέποντο. χρόνον μὲν οὐρανὸν vocabãt, ut sensus sit, Cœli enim motum & cursum sequebantur,) Hesiodus in Theogonia. Harpyiæ dicuntur Ponti (Neptuni secundum alios) & Terræ filiæ, ut ait Seruius, (ut quidam citant:) unde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Fabulæ referunt etiam Phinei filias Erasean & Harpyreian aues fuisse, quæ cibum ab ore senis diripuerint, Varinus. Strophades Graio stant nomine dictæ Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno Harpyiæq; colũt aliæ, Phineia postquam Clausa domus, mensasq; metu liquêre priores. Tristius haud illis mõstrum, nec sæuior ulla Pestis, & ira deûm Stygijs sese extulit undis. Virginei uolucrum uultus, fœdissima uentris Proluuies, uncæq; manus, (id est ungues uncí) & pallida semper Ora fame, Vergilius 3. Aeneid. Vbi Seruius, Phineus (inquit) rex fuit Arcadiæ; hic suis liberis superinduxit nouercam, cuius instinctu eos cæcauit. Ob quam rem irati dij ei oculos sustulerunt, & adhibuerunt harpyias, quæ quum ei diu cibos abriperent, hic Iasonem cum Argonautis propter uellus aureum Colchos petentem suscepit hospitio, cui etiam ductorem dedit. Hoc ergo beneficio illecti Argonautæ, Zeten & Calaim filios Boreæ & Orithyiæ, alatos iuuenes ad pellendas harpyias miserunt. Quas quum strictis gladijs persequerentur, pulsæ de Arcadia peruenerunt ad insulas, quæ appellabantur Plotæ. & quum ulterius uellent iuuenes tendere, ab Iride admoniti, ut abstinerent à Iouis canibus, suos conuerterunt uolatus. Quorum conuersio, id est στροφή, nomen insulis dedit, quod Apollonius exequitur plenissimè. Vt autem canes Iouis dicerentur, hæc ratio est: quia ipsæ furiæ esse dicuntur, unde etiam epulas dicuntur abripere, quod est furiarum, ut, Et manibus prohibet contingere mensas. Vnde & auari singuntur furias pati, qui abstinent partis. Item ipsas furias esse paulò pòst idem testatur, dicens: Vobis furiarum ego maxima pando. Furias autem canes dici & Lucanus testatur: ut, Stygiasq; canes in luce superna Destituunt. & in sexto Vergilius, Visæq; canes ululare per umbram Aduentante dea. Sanè apud inferos Furiæ dicuntur & canes, apud superos Diræ & aues, ut ipse in duodecimo ostendit. In medio uerò Harpyiæ dicuntur: unde duplex in his effigies. Has Vergilius tres dicit, Aellò, Ocypete, & Celænò: Apollonius duas, quem in 12. Vergilius sequitur: ut, Sunt geminæ pestes, Hæc Seruius. Harpyiarum uẽter (inquit Donatus eundem Vergilij locum enarrans) non retinebat cibum, sed statim effundebat quicquid uictus causa recepisset. unde non tantum non satiabantur, sed semper patiebantur famem, atq; ex ea pallor succedebat. Tunc littore curuo (inquit Aeneas libro 3. Aeneid.) Extruimusq; toros, dapibusq; epulamur opimis. At subitę horrifico lapsu de montibus adsunt Harpyiæ: & magnis quatiunt clangoribus alas, Diripiuntq; dapes contactuq; omnia fœdant Immundo: tum uox tetrum dira inter odorem. Rursum in secessu longo sub rupe cauata Arboribus clausi circũ, atq; horrentibus umbris Instruimus mensas: arisq; reponimus ignem. Rursum ex diuerso cœli, cæcisq; latebris Turba sonans prædam pedibus circumuolat uncis, Polluit ore dapes, &c. Sunt qui putent tribus Harpyis addi ab Homero quartam nomine Thyellam. Apollonij uerò interpres in illis poetæ uerbis ex Argonauticôn primo, Ἀλλὰ θύελλαι Ἀντίαι ἁρπάγδην ὀπίσω φορέουσι. id est, At thyellæ aduersæ raptim retrò ferebant, ita scribit: Thyellæ hyberni flatus & procellæ. unde Homerus per synonymiam thyellas posuit, & harpyias, hoc est procellosos flatus. Ὡς δ' ὅτε πνοιαὶ ἁρπύιαι κόρας ἀνείλοντο Θύελλαι. Τόφρα δὲ τὰς κόρας Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο. Apollonius uerò operis eiusdem libro secundo, Iouis magni canes harpyias dixit illis uersibus: οὐ θέμις ὦ υἷες Βορέος ξιφέεσσιν ἐλάσσαι Ἅρπυίας, μεγάλοιο Διὸς κύνας. Et mox subiungit, fugatas à Zete & Calai coniecisse se in specu, quod in Creta uisebatur sub Arginûnte. Sunt ex Græcis qui irin harpyiarum sororem prodiderint, Cælius. Sunt qui Harpyiarum nomine Furias intelligant, unde etiam epulas abripere dicuntur, quod est furiarum. Hinc elegãter Horatius gulam dixit rapacibus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 566 sur 825

dignam harpyis: intellígi uolens, gulones dignos uideri, quibus harpyiæ furtim inuolantes edulia surriperent, in ipso edēdi desiderio & epularum apparatu, sicuti Phineas diripuêre dapes, Cælius.

¶ Ex harpyis unam nomine Celæno (quæ seipsam apud Vergilium furiarum maximam uocat) Homerus Podargen nominat Iliad. π. & ex ea Zephyrum uentum Achillis equos, Balium uidelicet & Xanthum genuisse dicit: Τὼ ἅμα πνοιῇσι πετέσθην, τὸν ἔτικε Ζεφύρῳ ἀνέμῳ Ἅρπυια ποδ' ἀργή Βοσκομένη λειμῶνι παρ' ῥόον Ὠκεανοῖο. Vbi Scholiastes, Harpyiarum (inquit) nomina sunt Ἀελλὼ, Ὠκυπέτη, Ποδάργη. sunt qui Harpyiam hîc armentalis equæ nomen faciant, cui à pedum albedine epitheton ποδ' ἀργὴ factum sit. Podarge nomen proprium est Harpyiæ, unde & Hectoris Pódargos denominatur. Dicit autem hæc poeta fabulosè propter nimiam istorum equorum celeritatem, quos & ποδώκεις & ἀελλόποδας cognominat. Naturalis quidem ratio hæc est: Equæ cōcepta genitalibus suis aduersa Boreæ aura (aut etiam Zephyri) pullos generosiores pariunt, quales nimirum & Achillis equi fuerunt. Sed nomen etiam & etymologia equi uelocis, quem Græci ποδώκης ἀργὸν uocant, ex Podarge harpyia natum esse, pulchrè colludunt, Eustathius. Et rursus alibi, Harpyia (inquit) genus uenti est: fingitur autem secundum fabulas dæmonium quoddam alatum equiforme (ἱπποφυὲς) ut & Pegasus secundum easdem equus alatus. Quoniam enim uiolēti quidam uenti etiam grauia corpora inferne subleuant ac tollunt, conficte sunt harpyiæ uenti quidam crassi (σωματοειδῆ τινα πνεύματα) forma monstrosa, à quibus rapta dicuntur quæcunq; quomodo euanuerint uel quo peruenerint ignoratur, (ὅθεν γίνονται ἀφανῆ:) ut poeta etiam sentit, inquiens, Ἅρπυιαι ἀνηρέψαντο. Etsi uerò cæteris Harpyis fabulæ manus attribuant ad raptum idoneas, ea tamen (Podarge) de qua Homerus hoc loco agit, manibus prædita uideri non potest propter equinam speciem. Cæterum equi Achillis Xanthus & Balius æquales celeritate dicuntur flatibus (uēti nimirum alicuius, ut Zephyri, aut harpyiarum uentorum, qui per allegoriam uolare dicuntur,) & ungulis pares harpyis iuxta Harpinnam illam apud Lycophr. quod parabolicum est, & non simpliciter accipiendum. nimium enim audacis & mendacis foret equos illos simpliciter Harpes (Harpyiæ) & Zephyri sobolem esse afferere, Hęc ille cum alibi tum in primum Odysseæ. Sunt qui scribant, ideo uirgines fingi, quòd omnis rapina arida sit ac sterilis, ideo plumis circundatas, quòd quicquid inuaserit rapina, celat. Volatiles autem, quòd omnis rapina ad uolandum sit celerrima. Dicitur enim aellò, quasi ἑλὼν ἄλλο, id est alienum tollens, (etymologia est absurda:) ocypete, citius auferens. Celænum uerò Græci nigrum uocant. Vnde & Homerus prima Iliados Rhapsodia, Αἶψα τοι αἷμα μελαινὸν ῥωήσει περὶ δουρί. Quæ omnia id demum significare agnoscimus, quòd aliena concupiscimus primò, mox expetita inuadimus, postremò inuncata semel abscondimus illatebramusq;. Sed & ipsum Harpyiarum nomen inditum à rapacitate uidetur, siquidem eo nomine indicatur Græcis rapina. Vide plura apud Cælium 29.27. Ἅρπυιαι ἄτλητον ὦδὴ ἔφασαν πνέεσκον: id est, Harpyiæ putidum & fœtidum odorem emittebant, Varinus: conjicio autem carmen esse Apollonij. Sirênas (Varinus corruptè habet Harpyias) Lycophron ἁρπυιογόνας uocat, ἀπὸ τοῦ ὀρνιθογόνες ἀπὸ μέρους. erant enim alatæ, & partes inferiores sicut aues habebāt, (superiores uirgineas, quod & Harpyis tribuitur. Vtrasq; sanè pro meretricibus meritò per allegoriam interpreteris,) Isacius Tzetzes. Ἐοικότως ἁρπύιαι καρπαλίμως ζόλγησι μὲν ἐνθορὸν ἀφαλόωντον, Calaber lib. 4. Exterruit ales Aello, Ouidius libro 3. Metam. Ἀελλός, furens, uel auis quædam, Hesychius & Varinus.

¶ Recentiores ueterum figmentis non contenti, plura insuper commenti sunt: Harpyiā (inquit author de nat. r.) primum hominem quem in deserto uiderit occidere ferunt. & si postea fortuito aquas inuenerit, (uel iuxta mare consederit,) faciemq; suam in eis contemplata fuerit, mox sui similem hominem occidisse se animaduertentem, immodicè tristari, & omni tempore uitæ suæ occisum lugere. Sed hæc (inquit Albertus) fabulosa uidētur, tradita ab Adelino & Iorach. Harpyia quamuis rationis expers auis, aliquando tamen cicurata uocem exprimit humanam, Author de nat. r. ineptissimè mendacissimeq;: quasi non satis fuisset Vergilium poetam Harpyiarū uni sermonē humanum tribuisse, nisi illi etiam qui philosophi uideri uolunt, simiæ purpuratæ, huiusmodi nugas simpliciter ceu ueras proponerent, quod hominis insanè deliri est. ¶ Penelope (Odyss. υ.) duas Pandarei filias orbas à Venere educatas, iā nubiles ab Harpyis raptas & Furijs traditas ait, Eustathius: ubi Harpyiæ à Furijs distinguuntur, cum alij easdem faciant.

¶ Harpyia, urbs Illyriæ iuxta Encheleas, Stephanus. Harpyia etiam nomen est unius è canibus Actæonis, apud Ouidium.

DE HELIODROMO.

HELIODROMOS est auis in India, quæ mox nata euolat ad Orientem uersus Solem: & statim cum Sol uertit se ad Occidentem, rursus eundem sequitur. Annum uitæ unum non excedit. parit marem & fœminam. Hæc auis pota gratiam conciliat. Nam si quis eam aperuerit, & interiora eius gestauerit, passans (condiens, inueterans) eam myrrha, ditescet. In cibo etiam sumpta bonam ualetudinem efficit. & qui gestauerit eam cum ab omni morbo tutus perpetuo, tum etiam dives redditur, Kiranides.

¶ HEMIONION, Ἡμιόνιον, herba & auis quædam, Hesychius.

DE HE-

DE HELORIO.

HELORIVS, Ἑλώριος, auis crecí símilis tradítur, híc ut & trochílus & carulus, marí tranquíllo líttorĩbus aduolant, uíctum ex píscíbus quærens. Non probo eos qui elorium síne aspiratione scríbunt, uídetur enim hæc auis (ardeæ uel ibídi símilis) nomen παρὰ τὰ ἕλη, id est à paludibus accepísse, quòd circa eas nímirum degere soleat. ¶ Homerus ἑλώρια uocat ἑλκύσματα ἢ σπαράγματα: ut Iliados prímo, Αὐτὰρ ὅ γ' ἑλώρια τοῦσι κύνεσσι, παρὰ τὸ ἕλω τὸ φονεύω, ἢ παρὰ τὸ ἕλκω.

DE HERCYNIAE SYLVAE AVIBVS.

IN Hercynio Germaníæ saltu ínusitata genera alítum accepímus, quarũ plumæ ígnium modo colluceant noctíbus, Plín. Saltus Hercynius aues gignit, quarum pennæ per obscúrum emícant, & interlucent, quamuís densa nox obtegat, & densét tenebras. Vnde homines locí illíus plerunq; nocturnos excursus sic destínant, ut íllis utantur ad præsidiũ itíneris dirígendi, præiactísq; per opaca callíum, rationem uíæ moderentur índicío plumarum refulgentíum, Solínus. ¶ Emeríæ (nomen corruptum apparet pro Hercyníæ) quæ noctu uolantes pennis aërem illumínant, & in tenebrís magís quàm interdíu lucent, síćq; produntur & capiuntur, Iorath. Author de nat. rerum & Albertus Magnus has aues lucídias à luce nomínant.

DE HIMANTOPODE.

PORPHYRIONIBVS rostra & prælonga crura rubent. hæc quídem & himantopodí, multò mínorí, quanquam eadem crurum altítudíne nascítur in Aegypto, ínsístit ternís dígítís, præcípuè eí pabulum muscæ, uíta in Italía paucís díebus, Plínius. Dubitandum autem uídetur, cum ínquit, hæc quídem & himantopodí, utranq; ne partem quæ in porphyríone rubet, hoc est rostrum & crura, an crura tantum íntellígere debeamus. nam hic, pronomen cum de duobus dictum est, ad posterius referrí solet. Vuottono quídem & Bellonío utranq; partem in hac aue, símíliter ut in porphyríone rubere placet. Scío hæmatopodas uídeří nomínatas aues has, à colore pedum sanguíneo. Cęterum multí codíces Plíníaní tam in Indíce quàm hoc loco, Imantopódas habent, ex argumẽto pedum, quasi lorípedes. ait enim crura íjs prælta esse. nam & populi Aethiopiæ, quí serpendo (id est, ut Solínus ínterpretatur, flexís crurũ nísibus) íngrediúntur, Imantopodes Pomponío Plínioq; uocantur. In dísputatíonẽ reuoco, non decído rem, Hermolaus in Plínium. Sed himantopodes cum aspiratione scríbendum íjs facile constat, qui Græcè sciunt. Lentís cruríbus esse Himantopodas scríbit Mela Pomponius: tu ínterpretare loreís, ex nomínís quoq; etymo, Cælius. Himantopodes (ἱμαντόποδες) aues nomen à crurum tenuítate habent, hoc nouum in eis, quòd maxílla ínferíore fixa, superíor solum ípsís moueatur, Oppíanus lib. 2. de aucupío.

¶ Inter aues omnes mihí cognítas, nulla non quatuor dígítos in pedíbus habet, præter pluuíalem, & tres alías: quarum unam Galli uocãt Guillemot, alteram Canne petíere, tertíam pie de mer, id est pícam marínam, (bístardam ego addíderím, & charadrium nostrum) est autem pica hæc ueterum hæmatopus, quæ in nostrís líttorĩbus rarò quídem, conspícitur tamen alíquando, ea corporis mole est, qua auís aígretta Gallís dícta, alís prædíta instar gauíæ (muettam Gallícè uocat, cuius alæ oblongæ sunt, & in acutum ferè desínunt) corpore phœnícopteri (quem Galli flambant nomínant) rostro quatuor dígítos longo, ut gallínagínís, unde & gallínaginem marínam alíquí appellãt. figura quídem ab omnibus alíarum auíum rostrís díffert: nam circa fínem planum & latiusculum est, & in acutum desínit, (applati & agu par le bout,) & modícè nígrum in fine: cum cætero tota rubeat. Caput totum & collum: & tota superíor (prona) alarum pars per transuersum albet, unde à pícæ colore Gallí nomen eí ímposuerunt. In uentre etíam & sub alís alba est. Cauda in fine nígra, longa ut anatis. Dígítos in pedíbus duos habet coníunctos, & tertium ínteríorem separatum. calcís loco nullum habet retrò paruum ut cæteræ aues aquatícæ habere solent. Pedes eí molles, non íta sícci & duri ut in alíjs. Crura tres dígítos (sic habet textus Gallícus, uídetur autem corruptus, ne crura rostro breuíora sint) longa. dígíti pedum breues, cum ungue uno flexo ut in bístarda. Caro eius ímprobatur, cum sit dura & ualde nígra. Gula prægrandís est, ampla & ualída, Bellonius in Singularíbus Obseruatiónibus lib. 1. capíte XI. sed rursus lib. 2. cap. 32. Supra (ínquit) scrípsí de íbíde nígra, hæmatopodem esse conjíciens: sed nunc re dílígentíus animaduersa, íbídem nígram cuius Herodotus & Arístoteles meminerunt esse statuo. magnítudíne est qua auís Gallícè dícta corlís (arquatam ínterpretor) uel paulò mínor, tota nígra, capíte phalacrocoracís, rostro uersus caput plus quàm pollicarí crassítudíne, quod in acutíus tendit, & modícè ínflectítur, colore rubro: ut crura etíam, quíbus alioquí ardeam stellarem refert. collo ut aígretta Gallorum, íta ut quum primum uídíssem hanc auem corpore & habítu uel gestu ardeæ stellarí símíllíma mihí uíderetur, Hæc ille, atquí supra (lib. 1. cap. XI.) hæmatopodem, nõ hanc íbídem nígram (quæ mihí coruus syluaticus noster uídetur) sed aliam auem esse coníecerat, quam Galli uulgò pícam marínam à coloris uarietate nomínent: cum íbis nígra, ut ípse scríbít, tota sit nígra.

¶ Est apud Anglos in locís palustríbus auís quædam, longis & rubrís cruribus, nostra língua

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 568 sur 825

redshanca dicta: cui an descriptio hæmatopodis Pliniani conueniat, qui apud Anglos degunt inuestigent & examinent, Turnerus. Ego hanc auem, de qua Turnerum sentire conijcio, primo loco inter duodecim Gallinularum aquaticarum genera descripsi, & Erythropodem maiorem nominaui. himantopodis quidem historia ei non conuenit. ¶ Eberus & Peucerus hæmatopodem & erythropodem nõ distinguunt, & fringillam rubram interpretantur nulla ratione: nam & communem fringillam sic uocant, Rotfinck.

¶ HIPPOCAMPTVS, ἱππόκαμπτος, auicula quædam, Hesych. & Varinus.

¶ HIPPOS auis alicubi apud Aristotelem nominatur, Gaza piponem uertit: alibi uerò πίπραν similiter piponem. Vide in Pico A.

DE HIRVNDINE DOMESTICA ET IN GENERE.



A.

HIRVNDINVM plura genera sunt. de apode seu cypselo scripsimus in Elemento A. de cæteris mox post præsentem historiam scripturi. in præsentia de hirundine urbana siue domestica, & si quæ de hirundinibus in genere afferri poterunt, agemus. ¶ Agur Hebraicam uocem aliqui hirundinem interpretantur: alij picam, alij gruem esse malunt: Vide in Grue A. ¶ Sus uel sis, Hebraicè à quibusdam hirundo exponitur, (ut Hierem. 8.) ab alijs grus, uel miluus, ut dixi in Equo A. Chauraf, id est hirũdo, Syluaticus. apud Serapionem legitur thartaph: apud Auicennam libro 2. cap. 356. chatas uel chataf. Hirundo, chauraf & algardaione idem significant, Syluaticus. ¶ Græcè χελιδὼν, & hodie uulgò χελιδόνι, uel χελιδώνη. ¶ Italicè rondine, uel (ut alij scribunt) rendena, rondena, rundina, rondinella, cesila, zisila. Rondone uerò Italicè dicta apus est, quæ & biui alibi. ¶ Hispanicè golondrina, andorinha. ¶ Gallicè harondelle. ¶ Germanicè Schwalbe/Schwalb, à nostris Schwalm/Hußschwalm. Saxonibus Swale, Flãdris Swalwe: Brabandis arunde, à Gallica uoce. ¶ Anglicè swallowe. ¶ Illyricè wlastowige.

B.

Hirundines Thebarum tecta subire negantur, quoniam urbs illa sæpius capta sit, nec Biziæ in Thracia propter scelera Terei, Plinius. Hirundo est auis leuissima, rostro paruo, forma grata, nigredine decentissima, modicam habet carnem & nigram, plumas multas, Author de nat. rerum. Cyanea, id est cœrulea hirundo cognominatur Simonidi apud Athenæum: Aristophani ποικίλα, id est uaria. Hirundinis pennæ præ nimio frigore interdum albescunt, Aristot. Idem in libro de coloribus aliam causam adfert cur hirundo & alia quædam animalia ante tempus albescant uel canescant, ut recitaui in Ceruo B. ex interpretatione Ruellij. sed præstat uerba authoris Græca apponere. καὶ μέλας (λευκὸς lego cum Ruellio) δήποτε πέφυνε καὶ ἔλαφος καὶ ἄρκτος. ὁμοίως δὲ τούτοις καὶ ὄρτυξ, καὶ πέρδιξ, καὶ χελιδὼν. ὅταν γὰρ ἀσθενήσωσι τῇ γενέσει πάντα τὰ τοιαῦτα, διὰ τὴν ὀλιγότητα τῆς προφῆς, πρὸ ὥρας ἐκπεττόμενα (forte ἐκπεττομένης) γίνεται λευκά. Albæ hirundines aliquando apparent, sicut dicit Alexander Myndius, Aelianus. Hirundo alba non minor perdice in Samo apparuit, Heraclides. ¶ Hirundo auis est parua, dorso & alis nigra, uentre alba, rubea sub gutture, Albertus. ¶ Hirundines domesticæ primi hirundinum generis sunt, sanguinolento pectore nobiles, Turnerus. Et rursus, Ad primum genus referri possunt hirundines illæ in domibus rusticorũ semper nidificantes, quas à reliquis generibus, duæ sanguinolentæ maculæ, quas utrinq; in pectore uideas, distinguunt. Hirundo Tecta subit, neq; adhuc de pectore cædis Excessere notæ, signataq; sanguine pluma est, Ouidius. Et manibus Progne pectus signata cruentis, Vergilius. Hirundines domesticæ nigræ sunt, Eberus & Peucerus. ¶ Vt pennis prẹualere, sic pedibus degenerare uidetur hirundo, Aristot. Hoc differunt apodes ab hirundinibus tam agrestibus quàm domesticis, quòd tibias habent hirsutas,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 569 sur 825

hirſutas, Georg. Agricola. ¶ Hirundines caudam habent longam, biſurcatam, Albert. ¶ Sola hirundo ex his quæ aduncos ungues non habent, carne ueſcitur, Plinius. ¶ Hirundini, ut auiculis omnibus, nō gula amplior, nec ingluuies, ſed uentriculus longior eſt, Ariſtot. Fel earum alijs uentri, alijs inteſtino adhæret uel in eodem hirundinum genere, Idem.

C.

Hirundo ſola auium non niſi in uolatu paſcitur, Plinius. Carne ueſcitur, etſi unguibus non ſit aduncis, Ariſtot. Sola carne ueſcitur ex ijs quæ aduncos ungues non habent, Plin. Apibus iniuriam infert, Ariſtot. apes populatur, Plin. Muſcis & apibus inſidiatur, Albert. Capiunt cicadas, Plutarchus, Aelianus & Philes.

¶ Heſiodus teſtatur luſciniam ſolam auium ſomni expertem eſſe, & aſsiduam in uigilijs: hirundinem uerò non prorſus ſemperq; uigilare, ſed dimidium tantummodo ſomnum perficere, Aelianus in Varijs.

¶ Hirundinum genera ut pennis præualent, ſic pedibus degenerare uidentur, Ariſtot. Volucrum ſoli hirundini flexuoſi uolatus, uelox celeritas, quibus ex cauſis neq; rapinæ cæterarū alitum obnoxia eſt, Plinius.

¶ Volucrum pleræq; à ſuis uocibus nominātur, ut hirundo, ulula, Varro. Drinſat (aliàs Trinſat) hirundo uaga, Author Philomelæ. Regulus atq; merops, & rubro pectore Progne Conſimili modulo zinzilulare ſciunt, Idem. Χελιδόνας ψιθυρίζειν apud Pollucem legimus. Τιτυβίζει, ὡς χελιδὼν φωνεῖ, Heſychius & Varinus. Τιτυβίζεται, ποιὸν ἦχον ἀφιτελεῖται. καὶ Βάβειον, Ἔστι χελιδὼν τοιοῦτος ἀκόουσας μικρὰ τιτυβίζουσις, Suidas. Cantu ualent hirundines, Aelianus. Nulla auis cum aut fame, aut frigore aut alia moleſtia afficitur, canit, ne ipſa luſcinia quidem, aut hirūdo, & upupa, quam quidem aiunt præ dolore lugentem canere, Plato in Phædone. Hirundo garrula eſt, & diem præcinendo nunciat, Albertus. Cum primum redierint uêre, cantu priſtinis nidis inuentis applaudere & ſibi gratulari uidentur, mirificè uario & quaſi articulato, ut uerbis etiam quibuſdam gaudium ſuum teſtari uideantur uulgò.

¶ Auium quædam perennes ſunt ut columbæ, aliæ ſemeſtres ut hirundines, Plinius. A noſtris obſeruatum eſt aduenire eas Martio, abire Auguſto. Fauonium quidam ad v i. cal. Martij chelidonian uocant ab hirundinis uiſu, Plinius. Diſcedunt ante hyemem, Ariſtot. hybernis menſibus, Plinius. Abeuntes eas aliquando palumbi aliqui comitantur, Ariſtot. Ciconię à nobis prius recedunt quàm hirundines, & hirundines quàm coturnices, Albert. Milui non ante hirundines abeunt, Plinius. Signum orientis Arcturi ſeruetur hirundinum abitus, nanq; deprehenſæ intereunt, Idem 18. 31. Hirundo tandiu hominum hoſpitio utitur, dum pullos ex ſeſe pepererit ac aluerit: deinde ingrata in deſertos receſſus abſtruſa latet, Aelianus. Hirundines (tam domeſticæ quàm agreſtes, G. Agricola) hyeme ad loca tepidiora abeunt, ſi uicina ſint: at ſi longè diſtent, non mutant ſedem, ſed ſe ibidem (in anguſtis montium locis, G. Agricola) condunt, Ariſtot. Iam uiſæ ſunt multæ hirundines in anguſtijs conuallium nudæ, atq; omnino deplumes: milui etiam de huiuſmodi locis euolaſſe, cum primum apparerent, uiſi ſunt, Idem. In uicina abeunt, apricos (aliàs Africos) ſecutæ montium receſſus: inuentæq; iam ſunt ibi nudæ atq; deplumes, Plinius. Iam uiſum eſt quòd hirundines in plantis quibuſdam concauis ſe abdiderunt: & hoc accidit in quadam ſylua ſuperioris Germaniæ, ubi inciſa quercus putrida inuenta eſt plena hirundinibus, & fuit multus puluis ligni putrefacti in quercu: & ſimiliter uiſum eſt de miluis, Albert. Idem hoc Pompeius Columba, uir maximus rerum naturæ rimator, in Germania ſe reperiſſe in concauo cuiuſdam arboris in imo fluminis exortæ, teſtatus eſt mihi, Auguſt. Niphus. Comperi latêre hyeme hirundines in nido ſuo tanquam mortuas, proinde non puto auolare eas. Totam hyemem habent ſecum recentia oua, reuiuiſcunt autem ſub æſtatem. Quare iudico mirabile quoddam opus eſſe, ac imaginem reſurrectionis noſtrorum corporum, Innominati authoris uerba hæc ſunt quæ recitat Gaſp. Heldelinus in Encomio ciconiæ. Idem rurſus in excauatis arborum truncis hirundines abſcōdi ſcribit. Hyematum Alexandriam hirundines, miluos cæterasq; uolucres, pontum hyeme adueniente à noſtris regionibus Europæis tranſuolantes, tendere cognoui, Petrus Martyr lib. 2. Legationis Bab. In Libya circa fontes Nili milui & hirundines perennant, (id eſt non recedunt inde, quòd regio admodum calida ſit,) Herodotus lib. 2. Per uer ad nos ueniunt, flare incipiente Fauonio, Grapaldus. Hirundo cuſtodit tempus aduentus ſui, Albert. Ab Arcturi ſydere ad hirundinum aduentum, notatur cornicem in Mineruæ lucis templiſq; raro, alicubi omnino nō aſpici, Plin. Arcturi ortus & hirundinis aduentus à Columella coniunguntur, tanquam eiuſdem temporis.

¶ Hirundo tecta ſubit, Ouidius. Hirundines uolucres aduenæ in tecto pullos faciunt, Varro. Intra domos hominibus habitatas nidificant, Albertus. Nidum hirundo confingit implicito luto feſtucis ad normam lutariæ paleationis: & ſi quando luti inopia eſt, ſeipſa madefaciens uolutat in puluere omnibus pennis, ſtragulum ſibi etiam more hominum facit, duriora primum ſubijciens, & modice totum conſternens pro ſui corporis magnitudine, Ariſtot. Nidum luto conſtruunt, ſtramento roborant. Si quando inopia eſt luti, madefactæ multa aqua pennis puluerem ſpargūt. Ipſum uerò nidum mollibus plumis floccisq; conſternunt repefaciēdis ouis, ſimul ne durus ſit infantibus pullis, Plinius. Si luti facultas ſit, id hirundo unguibus fert, nidumq; ex eo fingit; ſin minus luti fa-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 570 sur 825

cultas ei detur, aqua se conspergit, atq; in puluerem se abijciens, alas luto mergit, idq; post alis agglutinatum rostro excutiens, nidificat, Aelianus. Primum festucis solidioribus ceu fundamento iactis, molliores insuper adfigunt. Luti, quo cemento & ueluti glutino nidum ædificandum reliquunt, cum penuria est, ad lacum sinúmue proximum aduolantes, summis alis sic stringunt aquas, ut humescant liquore tantum, nihil grauentur autē: mox concepto his puluere, illinunt aspera, hiantia glutinant, Plutarchus. Pulchrè intelligit hirundo, quòd si teneros, ex pennisq; nudos in duris fruticibus pullos requiescere sineret, non ferendis doloribus premerentur: quamobrem in ouium tergo considens, floccos lanarum euellit, indeq; suis pullis nidum quàm mollissime substernit, Aelianus. Hirundinum duo prima genera (nempe domesticum & quod in cauis riparum nidificat iuxta aquas) artificiosos nidos sibi construunt, grauia inferius, & leuia superius ponendo, & erigendo parietes. foramen in nido relinquunt, per quod intrent: interiora nidi, pilis plumisq; impositis, mollia & calida faciunt, Albertus. Omnes quæ in muris nidificant, claudunt nidos præter foramen per quod intrant, Idem. Figuram operi nec angulosam, nec multifidam, sed æquabilem, & quantum id fieri potest sphæricam maximè inducunt. Hæc enim omnium est cum firmissima tum capacissima, & animantium insidijs minus patet, Plutarchus. Boreæ & uentorum qui ex Thracia spirant flatus non amant, & nidos inde auersos collocant, Oppianus. Redire quotannis uēre ad eosdem nidos solent.

¶ Auersæ hirundines coeunt, contra atq; cæteræ aues, Aelian. Hirundo fœmina libidinis imagine concipit aut puluere, Author de nat. r. ¶ Hirundines bis anno pariunt, Plin. Cætera quæ carne uescuntur, non plus quàm semel anno parere exploratum est, hirūdo una bis anno nidificat, Aristot. Primi partus oua quandoq; propter hyemem (frigore. prima enim omnium parit) corrumpuntur, posteriora uerò pullos proferunt, Physiologus: sed Aristot. de hist. 5. 13. de merula hoc refert: cum qua etiam hirundinem nominauerat, ea tātum ratione quòd similiter bis pareret. Non amplius quinq; ferre in utero atq; parere solet, Aelianus. Hirundines quæ in Italia pariunt, non in omnibus terris pariunt, Varro. Pausanias cum dixisset hirundines in Daulia non parere, subiungit: Nec in ipsa quoq; Terei Thracis patria, his uerbis: Φωκεῖς δὲ λέγουσιν ὡς τῇ Φιλομήλᾳ καὶ ὄρνιθι ἔσαν, Τηρέως δὲ δῶμα, καὶ ἓν παιδίον ἀπέσυ ὁ Τηρέως, Hermolaus. ¶ Hirundini cæci primò pulli, & ferè omnibus quibus numerosior partus, Plinius. Aues nonnullæ imperfectos & cæcos pariunt pullos, uidelicet quæ cum paruæ corpore sint, multos progenerant, ut cornix, hirundo, &c. quamobrem si quis hirundinum nouellarum adhuc oculos præpungat, rursum incolumes reddentur. cum enim fiunt, non facti iam, corrumpuntur. itaq; denuò oriuntur ac pullulant, Aristot. Hirūdinum pullis, laceratis oculis subnasci alios nonnulli referūt, Aristot. Et rursus, Pullorum hirundinis adhuc recentium oculi, si quis stimulo (acu) eos uexârit, resanescunt: & cernendi uim postea planè recipiunt. Serpentium catulis & hirundinum pullis, si quis eruat oculos, renasci tradunt, Plinius. Philosophi hos renasci tradunt, quòd imperfecti sint, medici dicerent quòd humidiores sint, Cardanus. hoc si uerum est, cur non omnibus renascerentur, cum natiua humiditas pullis omnibus maximè abundet? quare magis placet Aristotelis ratio. nam quod lęditur antequam perfectum sit, & interim dum crescit, facilius resarcitur. aliorum uerò pullorum oculi statim perfecti sunt. Hirundinum pullos plena Luna excæcant, restitutaq; eorum acie capita comburuntur ad oculorum remedia, Plinius: quasi plena Luna excæcati facilius restituantur. Aristoteles in Samo ait albam nasci hirundinem, cuius oculos si quis pupugerit, statim quidem excæcatur, pòst uero uisum recipit: &, sicut ille dicit, sic acute quemadmodum à principio uidet, Aelianus interprete Gillio: quasi non in quauis hirundine (aut cuiusuis potius hirundinis pullis, ut alij authores scribunt, & Aristoteles ipse in libris de hist. & de gener. anim. Nam in Mirandis narrationibus, albam quidem hirundinem in Samo nasci scribit, sed nihil aliud addit) sed in alba tantum in Samo hoc accidat. Hirundinis pulli (inquit alibi Aelianus) similiter atq; canum catuli, tardum uisum accipiunt. Veruntamen eadem mater admota herba quadam uisum eis affert: & adhuc ex ætatis infirmitate alis hæsitantibus tremebundos, parumq; ad uolandum habiles, è nido ad cibi inquisitionem profert. Huius herbę homines quamuis compotes fieri summo cupiant opere, nunquam tamen in hac parte eorum studio satisfactum est, Aelianus. atqui alij authores plerique omnes chelidoniam, id est hirundinariam hanc herbam nuncupant. Chelidonia hirundines oculis pullorum in nido restituunt uisum, ut quidam uolunt, etiam erutis oculis, Plinius. Et alibi, Chelidoniam uisui saluberrimam hirundines monstrauere, uexatis pullorum oculis illa medentes. Si quis hirundinum pullos excæcauerit, hirundinarię herbæ rostro demorsę liquorem oculis infundunt, & noxam cęcitatis amoliuntur, Oppianus. Sed de hoc ex chelidonia remedio, an eo hirundines utantur, nihil omnino certi constat, Niphus. Extrinsecus interdum si ictus oculum lædit, ut sanguis in eo suffundatur, nihil commodius est, quàm sanguine uel columbæ, uel palumbi uel hirundinis inungere. Neq; id sine caussa fit, cum horum acies extrinsecus læsa interposito tempore in antiquum statum redeat, celeberrimeq; (celerrimeq;) hirundinis. unde etiam locus fabulæ factus est, aut per parentes aut id herba (quidam legit, per parentes id herba) chelidonia restitui, quod per se sanescit, Celsus. Chelidonia herba in hirundinum stercore nascitur, quæ oculis plurimum suffragatur, Marcellus. ¶ Pullus hirundinis auidè clamat & ieiunus & de nocte, Author de nat. r.

¶ In

¶ In uentre hirundinum pullis lapilli reperiuntur candido aut rubenti colore, qui chelidonij uocantur, Plinius. Nos quæcunq; de his lapillis obseruauimus, omnia in G. referemus.

D.

Hirundo hominis studiosa est, cuius contubernalem se esse gaudet: cum ei rursus bonum uidetur, discedit. Homines Homeri lege hospitalitatis eam tecto recipiunt; qui præcipit, hospitem præsentem esse diligendum, discedere uerò uolentem dimittendum, Aelianus. Hirundines hominibus maximè familiares & contubernales sunt, Oppianus. ¶ E uolucribus hirundines sunt indociles, è terrestribus mures, Plinius. Hirundinem & murem animalia indomita esse dicunt: sed ego sæpe mansuefactas uidi, & ad manum uolantes sicut aliæ aues aduolant, Albertus. Animalia complura nec placida, nec fera sunt, sed mediæ inter utrunq; naturæ, ut in uolucribus hirundines, apes, Plinius. Ex animalibus duo, quæ hominum hospitio utuntur, musca (mus Plinio, sed de utroq; uerum est) nulla arte ad hominum tractationem mãsuescere possunt; neq; nobis quicquam officij cum quapiam animi grati uel minima significatione compẽsant. nam musca quòd sibi timeat negotium exhiberi, prehensari perhorret. hirundo uerò sic homini diffidit, ut neq; mansuefieri possit, neque quicquam non periculi plenum ab homine expectare, Aelianus. ¶ Hirundinibus aduersus blattas defensionem natura largita est. nam cum blattæ earũ ouis pernicíosæ sint, matres apij folia ante pullos proijciunt, ob idq; ab illis ad pullos accessus fieri nequit, Aelianus. Quanta solertia earum in nidi extructione sit, dictum est in c. & quomodo pullorum oculis chelidonia herba medeantur.

¶ Hirundinem accipiamus maternæ sedulitatis in filios grande documentum, Ambrosius. In fœtu summa æquitate alternant cibum, Plinius. In enutrienda prole mira tam mas, quàm fœmina æquitate laborat. Impartit pullis singulis cibum, obseruans consuetudine quadam, ne qui acceperit, bis accipiat, Aristot. Iustitiam mater hirundo aduersus filios suos seruat, in distributione cibariorum suam cuiq; tribuens dignitatem. nõ enim unica tantum cibi uectione omnes pascit, neq; enim posset, cum ea quæ affert pusilla, & pauxillula sint: primum in lucem editum primò pascit: deinde ab illo secundum: tertium, tertio loco partum alit: sicq; deinceps usq; ad quintum progreditur, Aelianus. Pullos suos hoc ordine pascunt, ut illi qui cibo accepto locum mutauerit, nihil amplius largiantur, donec ad pristinum suum locum redierit, Oppianus. ¶ Notabili mundicia egerunt excrementa pullorum: adultioresq; circumagi docent, & foris saturitatẽ emittere, Plinius & Aristot. Lapillum dicuntur pullo excluso dare, Plinius. uide infra in G. Aegyptiorum sapientes, omnes parentum opes filijs relictas uolẽtes innuere, hirundinem pingunt. illa enim iam morti proxima, luto seipsam uolutat, & pullis latebras (nidum, ut in c. dictum est, quanquam alij non moribundam, sed quandocunq; nidificare uoluerit, hoc eam facere, id est aqua se aspergere, tum in puluere uolutari scribunt, cum luti inopia est) comparat, Orus 2.32. ¶ Hirundines & apes suas gregales extinctas eijciunt, Aelianus. Io. Tzetzes cadauera sui generis hirundines sepelire scribit. ¶ Quomodo aggerem Nilo, quo minus inundet, opponãt, uide infra in Hirundine riparia. Hostilem in modum apibus insidias moliuntur hirundines, Aelianus: ego non tanquam hostes, sed cibi gratia tantum apibus eas insidiari dixerim. Hirundines & passeres interficiunt se cum cõueniunt in una domo, Auicenna. Albertus hirundines illas quæ in muris exterius & lapidibus nidificant, mirè cum passeribus dissidere scribit, uide infra in capite de hirundinibus syluestribus. ¶ Coluber aliquando hirundinis nidum inuadit, ut pullos eius deuoret: ea (parens) primum auolat lugubriter canẽs, cum uerò pullos iam perire animaduerterit, superato metu ad colubrum aduolat, & circa eius maxillas se uoluit, donec ab eodem hoste conficiatur, Oppianus lib. 5. de piscibus.

E.

Hirundo musicæ reuerentia permotis non ab apiarijs occiditur, alioqui ad necandum facilis. satis enim est eas prope alueos nidificare prohibere, Aelianus. Hirundines apibus nocent, Idem, Aristot. & Florentius in Geopon. quare nidos earum alueis propinquos apiarij tollunt, Aristot. Absint ab aluearibus merops, aliæq; uolucres, Et manibus Progne pectus signata cruentis, Vergilius. ¶ Vulgus hirundinum aduentu gaudet, & tanquam fortunatas aues hospitio libenter suscipit, ut nidos earum uastare pleriscq; religio sit. ¶ Cecina Volaterranus equestris ordinis quadrigarum dominus, comprehensas in urbe secum uictoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito uictoriæ colore. Tradit & Fabius Pictor in annalibus suis, cum obsideretur præsidium Romanum à Ligustinis, hirundinem à pullis ad se allatã, ut lino ad pedem eius allígato nodis significaret, quoto die adueniente auxilio eruptio fieri deberet, Plinius.

¶ Hirundo certa aduentus sui tempora obseruat, eoq; ueris initium nunciat, Aelianus & alij. Vêris & aduentum nidis cantârit hirundo, Columella. Garrula est, & diem canendo prænunciat, Albertus. Vêre homines cantãdo excitat, Kiranides. ¶ Aratus inter signa pluuiæ (licet Theon Scholiastes χειμῶν & signum faciat) ponit hirundinem circa lacus aquæ tam proximè uolitantem ut etiam uentre cõtingat. Ἡ λίμνη ποθὲ δηθὰ (σωνεχὲς) χελιδόνι ἀίσσοντι πασσύρτι τύπτησι ἄντως ἐλυμένον ὕδωρ, id est aquam à uento commotam. Aut arguta lacus circunuolitauit hirundo, Auienus ex Arato. Hyemem (tempestatem) præsagit hirundo tam iuxta aquam uolitans, ut penna sæpe percutiat, Plin.

F.

Hirundines à pauperculis quibusdam, ut apodes quoq;, etiam in cibum admittuntur. Alimen-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 572 sur 825

tum ex eis nocuum & feruidum eſt, Bapt. Fiera. Remedij quidem gratia ſumi à medicis iubentur, ut referetur in G.

G.

Efficaciores ad omnia quæ ex hirundinibus monſtrantur, pulli ſylueſtrium (hirundinum ſunt:) multò tamen efficaciſſimi riparíarum, Plinius. ¶ Linguæ ulcera & labrorum hirūdines in mulſo (in melle uel mulſo, Sextus, in mulſa, Conſtantinus) decoctæ ſanant, Plinius. Ad morſum canis rabidi laudant hirundinis decoctum epotum, Plinius. Sunt qui hirundines totas cenſeant deuorandas aduerſus quartanas, Plinius inter remedia à Magis prodita. Si hirundinum pulli tres tribus offis in fauces boum (cum uino) deijciantur, toto anno eos ualere quidam ſcripſerunt, Plinius & Columella. ¶ Aqua hirundinum ſic fit: Hirundines iuuenes tritas miſce cum caſtoreo & pauco bono aceto, & deſtilla. Hæc aqua à ieiuno pota eſt uera medicina morbi caduci ex quacunq; cauſa oborti, & quamuis aliquis hunc morbum quinquēnio paſſus fuerit, curabitur, idq; perfectè, ſi per dies quatuor huius aquæ parum biberit. phrenitin quoq; pota intra nouem dies curat. cerebrum corroborat magis quàm ulla medicina. uentriculum purgat. pectus emollit, neruos confirmat, & reſolutionis eorum cauſas exterminat, genituram auget, & refrigeratos calfacit. Cum hyſſopi decocto pota, hydropem ex cauſa frigida curat: item febres quotidianas, & capitis dolorem tollit, ſomnum facilem præſtat, concoctionem iuuat, & urinæ (aliàs alui) excretionem promouet. Sed abſtinento ea grauidæ, ne fœtus in utero periclitetur. Pilos remouet ubicunq; cuti puræ illinitur, ita ut nunquam renaſcantur, Lullius & Aegidius. ¶ Hirundines comeſtæ (frequenter, Kiranid.) caducos ſanant, Sextus. Pulli hirundinum uel aſſi, uel elixi, in cibo ſæpius ſumpti, oculis caligantibus efficaciter proſunt, Marcellus. Hirundines uti ficedulæ (paratæ) in cibo, aciei uiſus medicamentum præbent, Dioſcor. Hirundo in cibo acuit uiſum: & aliquando exiccata (inueterata & trita) datur in potu aurei pondere, Auicenna. Verum hoc poſterius remedium non ad uiſum acuendum, ſed aduerſus anginam à Dioſcoride ponitur: quanquam id ipſum etiam aduerſus anginam poſitum ab Auicenna repetitur, Salitur (inquit) & exiccatur, & bibitur aurei pondere aduerſus ſynanchen. Vnde apparet illum in poſteriore ſecutum Dioſcoridem: in priore uerò Galenum, qui tamen ſimpliciter non tanquam ad uiſum acuendum hoc remedium à nōnullis uſurpari ſcribit, &c. Et ipſæ & pulli exiccati (σκιλιτόβιβωτες: Marcellus Vergilius uertit, ſale inueterati, Plinius in ſale ſeruati, Ruellius ſimpliciter exiccati) ſi drachmæ pondere ex aqua bibantur, hos iuuant qui angiuæ morbo conflictantur, Dioſcorid. Sunt multi qui cuiuſcunq; hirundinis (domeſticæ, ſylueſtris, aut ripariæ) pullum edendum cenſent, ne toto anno metuatur anginæ malum, Plinius. Vulgò audio, ſi quis pullum hirundinis ederit, angina toto anno non periclitari, Celſus. Pullus hirundinis ſylueſtris, uel melius ſi riparíolæ, certè etiam domeſticæ aſſus uel elixus comeſtus, anginam uelociſſimè certiſſimeq; ſanat: adeò ut hominem ab hoc morbo per totum annum tutiſſimum præſtet, Marcellus. Aduerſus anginam, lus in quo hirundinum pulli cocti fuerint accipitur tepens, & intra fauces continetur, atq; aliquid inde tranſmittitur, Marcellus. Laboranti uuæ diuturno labore hæc cura ſuccurrit: Hirundinem uiuam teſta Africanæ cochleæ includes, eamq; phœnicio inuolutam, lino circa collum ſubligabis, intraq; diem nonū omni moleſtia liberaberis, Idem. Ad gurgulliones inflammatos & tonſillas, aiunt aliqui ſummè facere hirundinum pullos teneros ualde, ſiue recentes, ſiue inueteratos aſſos & in cibo exhibitos. ſtatim enim leuant ſuffocationem, Archigenes apud Galenū de compoſ. ſec. loc. Hirundo comeſta partum accelerat, Kiranides.

¶ Ex hirundinibus crematis remedia. Hirundines ad remedia ſic rectè urentur: Pullos hirundinum implumes in olla noua pones, & modicum ſalis ſuperinijcies: & ollam luto obturatam ſuper prunas aut in furno collocabis, donec crematí fuerint, Bulcaſis. Hirundines ad remedium contra anginas (inquit Aſclepiades apud Galenum de compoſ. ſec. loc.) uruntur hoc modo: Pullos ſale conſperſos unà cum pennis in fictile conijcimus, obturatumq; prunis imponimus. Gratia habenda eſt Aſclepiadæ (inquit Galenus) ob id quòd tam diligenter deſcribit, quomodo hirundinum pullos uri iubeat, & quòd ipſa animalia & non eorum recrementa in pharmaci (contra anginam) compoſitionem præparanda cenſeat. Leonellus uerò Fauentinus remedia anginæ deſcribens, hirundinem hoc modo comburi uult: Decolletur (inquit) & ſanguine euacuato deplumetur, & ſaliatur, deinde ponatur in uaſe uitreato oris anguſti: & claudatur os uaſis cum luto, & relinquatur in furno donec præ aridítate facile teri poſsit. Plinius ad oculorum remedia uiuas hirundines cremari iubet: alibi uerò ad anginam pullos ſtrangulatos cum ſuo ſanguine comburi. ¶ Vlcus etiam annoſum coaleſcet ſi cineres hirundinis altæ ei inducas, Serenus. Hirundinis pullorum cinis cum lacte tithymalli ſpumaq; cochlearum, pilos in palpebris incommodos euulſos renaſci non patitur, Plin. Sunt puto qui hirudini uſtę, nō hirundini, pſilothri uim tribuant. ſed cum addiderit pullos Plinius, hirudini legere non poſſumus. Si ſpina uel aculeus in pede aliáue parte canē leſerit, extrahet illum impoſitus puluis hirundinellarū (cinerem de pullis hirundinū intelligo) in olla noua cū partibus inteſtinis (cum ipſis inteſtinis) combuſtarum: quod medicamentū tanquam ſaluberrimum in pyxide reſeruandum eſt, Albert. Ego hunc cineris hirundinum uſum apud ueteres non reperio: cæterum harundinis, quam phragmiten cognominat, radicem conciſam per ſe, & unà cum bulbis illitam, ſuculos & cuſpides extrahere, Dioſcorides tradit. Contra canis rabioſi morſus prodeſt glebula ex

hirundi-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 573 sur 825

hirundinum nido illita ex aceto, uel pulli hirundinis combusti, Plin. Ad soluendam ebrietatem, Cineris hirundinum aduſtarum quantitatem ſufficientem da ebrioſo, Author Theſauri pauperum. Ad comitialem, Aptus muſtelæ cinis eſt & hirūdinis unà, Serenus. Hi duo cineres miſti comitialibus quotidie in potu dandi ſunt, Plinius. Nuper amicus quidam noſter remedium aduerſus comitialem à medico quodam in Germania celeberrimo exhiberi ſolitum his uerbis mihi deſcripſit: Cineri de quatuor hirundinum pullis combuſtis, drachmas duas caſtorei addebat, & unciam aceti fortis. hæc mixta linteolo exprimebat, & expreſſum inde liquorē ægro ante uel mox poſt paroxyſmum propinabat. Tam pullorum quàm matrum in fictili olla (ἐν χύτρᾳ, Auicennæ interpres habet in uitro) crematarum cinis cum melle (ſi ex eo fiat alcohol cum melle, Auicenna) oblitus, oculis claritatem adfert, Dioſcor. & Kiranides. Hirundines uiuas cremare, & cinere earum cum melle Cretico inungi caligines utiliſsimum eſt, Plinius. Ad oculorum dolores & lippitudines & caligines, Hirundinis pulli cinerem cum melle in oculos mitte, Sextus. ¶ Hirundinum pulli in cinerem combuſti, faucium morbis medentur, Sextus uel Aeſculapius & Conſtantinus. Hirundinum riparíarum pulli ad cinerem ambuſti, mortifero faucium malo, multiſq; aliis morbis humani corporis medentur, Plin. Cinerem ex hirundinibus aduerſus anginam aliqui in potu dant, alij illinunt uel per ſe cōtingendo, uel cum melle, alij cum canna tenui inſpirant. Vulgo audio, ſi quis pullum hirundinis ederit, angina toto anno non periclitari: ſeruatumq; eum ex ſale cum is morbus urget, comburi, carbonemq; (cinerem) eius cōtritum in aquam mulſam (quæ potui datur) infricari, & prodeſſe. Id cum idoneos autores ex populo habeat, neq; habere quicquam periculi poſsit, quamuis in monumentis medicorum non legerim, tamen inſerendum huic operi meo credidi, Celſus. Anginis ſuccurritur cinere hirūdinis ex aqua calida poto. huius medicinæ auctor eſt Ouidius poeta. ſed efficaciores ad omnia ex hirundinibus remedia pulli ſyluestrium ſunt: multò tamen efficaciſsimi riparíarum. Strangulatos cum ſanguine comburunt in uaſe, & cinerem cum pane aut potu dant. quídam & muſtelæ cineres pari modo admiſcent. ſic & ad ſtrumæ remedia, & comitialibus quotidie in potu, Plinius. Crematarum hirundinum cinis pro diſcutienda angina utiliſsimus eſt, quem deinceps utinam medici in uſum traherent, Amatus Luſitanus: an uerò intra corpus ſumi debeat, an foris adhiberi non exprimit. Palatum cinere hirundinis aduerſus ſynanchen utiliter tangitur, Auicenna. Hirundinum combuſtarū cinis cum melle Attico mixtus, faucibusq; inditus, & anginam reprimet, & ulcera ſi quæ arteriis inerunt cōtacta purgabit ſanabitq;, Marcellus. Præcipuè contra ſynanchen prodeſt, ſi hirundininos pullos uiuos in nido prendas, & uiuos incēdas, ut puluis ex his fiat, die Iouis, Luna uetere. ſed obſerua ut impares in nido inuenias, & quāti fuerint exuras. horum in calida aqua puluerem bibendum dabis, & de ipſo puluere digito locum ſynanches ab intro continges. miraberis remedium. ſed inlotis manibus remediū facies, Idem. Hirundinum cinere cum melle commodè perunguntur anginæ, Dioſcor. & Kiranides. Aſclepiades & Andromachus pullorum cinerem anginis illinunt, Dioſcorides uerò tam matrum quàm pullorum cinere utitur. Marcellus Empiricus cap. 15. remedium ad anginam deſcribens compoſitum, hirundinū pullorum exuſtorum cinerem adijcit. & rurſus alteri hirundinum ſyluestrium pullorum exuſtorum cinerem: quod quidem Liuiam Auguſtam ſemper compoſitum habuiſſe dicit, & reconditum in uaſculo uitreo. facere enim mirificè aduerſum anginam & ſynanchen. Eandem compoſitionem paululum uariantem (ubi Galenus habet ſeminis apij, Marcellus habet opij, quod non placet) Galenus deſcribit lib. 6. de compoſ. ſec. locos. uocat autem ſtomaticam illitionem ex beſaſa, hoc eſt ſemine rutæ ſyluestris. Celebre eſt (inquit) & hoc pharmacum ab Andromacho deſcriptum. Id inter alia apud Galenum recipit cinerem hirundinum recentem: apud Marcellum, hirundinum ſyluestrium pullorum cinerem. Hoc ipſum pharmacum (inquit Galenus) etiam Heras ſcripſit, ut parum abſit quò minus penitus idem ſit. de hirundinibus quidem ambo obſcurè tradiderunt, quanquam alij clarè ſcripſerint, niſi quòd inter ipſos non conuenit. alij enim nidū urere iubent, ex ſtercoribus hirundinum maximè compoſitum, alij ipſas hirundines, alij ipſarū pullos. Hi uerò obſcurius ſcripſerunt: & Andromachus quidem cineris hirundinum recentis: oportebat autem ipſum apponere uſtarum. tale enim quiddam cineris uox ſignificat, niſi nidum ipſum terere ac lęuigare iubet. Heras autem, hirundinum recrementi, non apponens uſtarum. Forte igitur neuter uult comburi debere hirundinum recrementum, quemadmodum alij. In quibuſdam tamen exemplaribus ſic ſcriptum eſt, Hirundinum tenerarum unciam ȷ. quemadmodum in alijs hirundinum à trabibus. Palàm eſt autem acre & diſcuſſorium hoc pharmacum eſſe ex hirundinum excrementis conſtans: quemadmodum etiam alia omnia omnium animalium ſtercora, aliqua magis, aliqua minus: uelut etiam ipſorum animalium uſtorum cinis, Hæc Galenus. Aliud ſtomaticum, quod facit etiam ad anginas, Aſclepiadæ: Hirundinum ſyluestrium uſtarum cineris drachmas iiij. croci drach. ȷ. nardi Indicæ drach. ȷ. melle excipe. mixtura fit quum iam ſub manibus ſunt affectiones. Pulli hirundinum cum pennis in fictili ſuper prunas uſti diachelidonium (διαχελιδόνιον potius) ſtomaticum ad anginas Andromacho faciunt apud Galenum, Syluius. Stomaticum ex hirūdinibus ad anginas ut Harpocras (ſcripſit, uel uſus eſt:) Pullorum hirundinum uſtorum numero x i. mellis cyathum ȷ. (aliàs ij.) myrrhæ obolos tres. Omnia tere, & miſce. Hæc duo præſcripta pharmaca (inquit Galenus de compoſ. medic. lib. 6. cap. 1.) ex hirundinibus ſunt abſq; beſaſa, alia autē duo ſtomatica hæc præcedentia ex hirundinibus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 574 sur 825

unà cum beſaſa conſtant. Eſt autem & tertia coniugatio pharmacorum eiuſdem generis, in qua ea quæ ex beſaſa citra hirundines præparantur, continentur. Eandem (nunc recitatam) ad anginas illitionem Nicolaus Myrepſus quoq; deſcribit in Capite de illitionibus, interprete Leonh. Fuchſio, ſed uariantem nonnihil, & ut iudico ex parte deprauatam: Pullos (inquit) hirundinum agreſtium numero xi. ſucci myrti uiridis, mellis Attici, ana cyathos ij. ſeminis myrti ſucci (forte ſicci legendum, non ſucci. Galenus habet tantum myrrhæ) triobolum, miſce. Electuariũ diachelidonon Aui cenna etiam deſcribit primo quinti, & Meſue in curatione anginę, & Serapio inter Antidota 8. Ad anginam: Cinerem crematæ hirundinis, cum fimo canis oſsibus paſti miſce. hic puluis inſpiretur in fauces & locum abſceſſus cum cannula ſubtili bis uel ter in die, Leonellus Fauent. ¶ Hirundinum cinere multi melle excepto uſi ſunt ad affectiones quæcunq; circa fauces & uuam cum tumore fiunt, Galenus. Hirund. exuſtarum cinis uſq; ad periculum laborantí uuæ, cum melle mixtus potenter illinitur, Marcellus. Sic uuæ & tonſillarum inflammationibus ſuccurri Dioſcorides & Plinius ſcripſerunt. Sic & faucium dolor mitigatur, Plinius. Ad gurguliones inflammatos & tonſillas, Hirundines integras unà cum pennis uſtas ac tritas cum melle illiníto, Archigenes apud Galenum de compoſ. ſec. lo. Et rurſus, Aut cinerem pullorum hirundinum implumium illine. Hirund. cin. cum melle inunctus ulcera in gutture & lingua, & omnia depaſcentia, & gangrænas perfectè curat, Kiranides. ¶ Ad oris putredines & cruſtas, Vſtarum hirundinum cinerem ex melle illínito, Galenus Euporiſt. 1. 72. Aut hirund. uſtarum & ſtercoris humani (pueri, præſertim qui biduo ante lupinos ederit & uinum mediocre biberit, huius autem ſtercus exiccatum repo nitur, Nic. Myrepſus) parem modũ cum melle illine, Idem ex Archigene libro 6. de compoſ. med. ſec. loc. ¶ Cinis hirund. raucedines ſanat cum melicrato potus, Kiranides.

¶ Hirundinis matutino paſcentis caput præciſum, maximè Luna plena, líneo panno adalligant capitis doloribus licio, Plinius. ¶ Hirundinum pullos plena Luna excæcant, reſtitutaq; eorum acie, capita comburuntur. hoc cinere cum melle utuntur ad claritatem & dolores, ac lippitudines & ictus, Plinius & Marcellus. Hirund. capita uſta cum melle illita leucomata in equis curare in Hippiatricis Græcis legimus. ¶ Ex hirundinum pullis fit calliblepharion bonum, quod aſpritudinem pruriginemq; oculorum potenter expurgat, nec patitur quicquam in his moleſtiæ concreſcere: humidos quoq; naturaliter oculos exſiccat, quod hoc modo componitur. Capita pullorum quàm plurima igne lentiſsimo comburuntur, & trita in puluerem tenuiſsimum rediguntur, quæ admixta recenti adipe gallinæ inunctioni maximè proſunt, Marcellus.

¶ Comitialibus medetur hirundinum ſanguis cum thure, Plinius & Serenus. Nicolaus Myrepſus ſanguinem hirundinis miſcet ſuffimento ad epilepticos experto. Ad oculorum dolores & lippitudines & caligines, Hirundinis fel & ſanguinem inungito, mirè prodeſt, Sextus. Sanguis eius de ſubala dextra medetur oculis, Albertus. Sanguine hirundinis recenti ac tepido inunctus oculus ictu læſus & cruore ſuffuſus, ſtatim ſanabitur, Marcellus. Extrinſecus interdum ſi ictus oculum lædit, ut ſanguis in eo ſuffundatur, nihil commodius eſt, quàm ſanguine uel columbæ, uel palumbi, uel hirundinis inungere. Neq; id ſine cauſa fit, cum horum acies extrinſecus læſa interpoſito tempore in antiquum ſtatum redeat, celeberrimeq; (celerrimeq;) hirundinis. Vnde etiam locus fabulæ factus eſt per parẽtes id herba reſtitui, quod per ſe ſaneſcit. Eorum ergo ſanguis noſtros quoq; oculos ab externo caſu commodiſsimè tuetur, hoc ordine, ut ſit hirundinis optimus, deinde palumbi, minimè efficax columbæ & illi ipſi & nobis, Celſus: quaſi non hirundinis tantum oculi extrinſecus læſi, ſed etiam columbæ ac palumbi ui interni ipſorum ſanguinis per ſe ſaneſcant: ſed tardius quàm in hirundine, quòd ſanguis eius ad ſanandum efficacior ſit tum ſibi ipſi tum nobis, in illis infirmior. Sanguis hirundinis illitus podagricos dolores mirificè lenit, Trallianus lib. 11. Hirundininus ſanguis pſilothrum eſt, Plinius.

¶ Hirundinum caro recens concerpta contra ſerpentes auxiliatur, Plinius. Aduerſus uiperæ morſus in iumentis hirundinis pullos diſſectos adhiberi conſulit Pelagonius.

¶ Hirundinis cerebrum ad ſuffuſiones facit, Plinius. Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem ad idem remedium mel ei admiſcet. Auicenna etiam & innominatus quidam apud Serapionem, idem remedium cum melle in ſuffuſionis oculorum (aquam ipſi uocant) principio commendant.

¶ Hirundinis oculi fronti alligati ophthalmiam ſanant, omnemq; rigorem febrium auferunt, Kiranides.

¶ Corda hirundinum cum melle deuorari iubent Magi aduerſus quartanas, Plinius. Hirund. cor recens deuoratum comitialibus prodeſt, Plinius. Cor mandito amomis Commixtum, ingenij uis tibi maior erit, Io. Vrſinus. Certiſsimum eſt (inquit Iacobus Oliuarius) quod ab Hieronymo Montuo medico præſtantiſsimo didici, corda hirundinum augere memoriam, ſi cum cinnamo, amomo, & his quas elephanginas ſpecies uocant, ſumatur. Hirund. cor potum morbos faucium curat, Aeſculapius.

¶ Hirundinis fel pſilothrum eſt, Plinius. Ad oculorum dolores & lippitudines & caligines, Hirundinis fel & ſanguinem inungito, mirè prodeſt, Sextus.

¶ Ex uentre hirundinis medicamenta quædam leguntur apud Nic. Myrepſum Leonharto Fuchſio interprete; in quibus ego nidum potius legendum puto. nam in Græcis uocabulis facilis eſt mu-

eſt mutatio, uide infra inter remedia è nido hirundinis. Ad omnem uirulentum ictum in iumentis Eumelus pulli hirundinis uentrem, uel eorundem nidum contritum imponi iubet.

¶ Hirundinum ſtercus acre eſt, & digerit, ut aliorum animalium (omnium) magis, minus, Syluius (ex Galeno.) Celſus hirundinis ſtercus inter adurentia numerat. Decoctum & potum aduerſatur morſui rabidi canis, Plinius ut quidam citant. Ponzettus tum illitū tum potum conferre ſcribit. Aliqui (Magi) fimum hirundinis drachma una in lactis caprini uel ouilli, uel paſsi cyathis tribus ante acceſsiones aduerſus quartanas propinant, Plinius. Potum naſcentiam (phyma, id eſt furunculum uel ſimilem tumorem intelligo) ſanat, Kiranides. ¶ Ad faciendum capillos albos: Stercus hirund. tritum cum felle tauri no inunge, Galenus Euporiſton 2. 82. Cum felle caprino mi ſtum capillos tingit nigros, & alphos leproſos nigros ſanat, Kiranides. Vt pili fiant albi, ſuffiantur ſulfure uel ſtercore hirundinum, Elluchaſem. Oribaſius apud Aetium 13. 129. hirundinis ſtercus ex aqua illini iubet ad nigras cicatrices inalbandas. Capillis nigrandis infectio optima: Hirundinum ſtercus quantum ſufficiat cum aceti ſextario, mitte in fas fictile, atq; in fimo caballino per dies 35. ſuffoſſum habeto, ac ſic macerato, atq; hoc medicamento raſum caput illinito in umbra per peniculum pictoris: ſed ſeuo ceruino faciem prius perunge, nequid inde deſtillet, & maculet: & dum ſiccatur infectio, oleum intra os teneto, ne & dentes inficiantur: ac poſtquam impoſueris medicamen quarto die caput lauato, Marcel. ¶ Ad dolorem capitis & temporū: Hirund. ſtercus priuſquam terram attigerit ſimul cum luto nidi, in uaſculo ligneo, aceto madefac, & illine frontem, ¶ Galenus Euporiſton 2. 92. Mirificè medetur albugini oculorum quod iam expertus ſum, Albertus. Stercus hirund. calidum oculos excæcat, Albertus. Contigit aliquando ut fatigato Tobiæ à ſepultura, uenienti domum & obdormienti iuxta parietem, ex nido hirundinum ſtercus calidum in oculos incideret, unde excæcatus eſt. Stomaticæ compoſitioni ex beſaſa, aliqui hirundinum cinerem admiſcent, alij hirundinum recrementum (ſimpliciter, alij eiuſdem cinerem, ut Heras) ut ſupra rectaui: mihi quidem cinerem ipſarum hirundinū addi magis probatur. Hirund. ſtercus in cibo uel in potu ſumptum, tribuit colo ſanitatem, Marcellus. Idem apud Nic. Myrepſum miſcetur medicamento ad difficultatem urinæ & calculum & colum. Aluum cit & hirundinum fimum adiecto melle ſubditum, Plinius.

¶ Oua hirundinis denigrant capillos & albugines, Kiranides libro 3. Elemento ultimo. Alij hanc facultatem fimo hirund. attribuunt.

¶ Nidum hirund. cum uino uetere contritum aduerſus uiperarum morſus in iumento impoſito, Pelagonius. Ad omnem quidem uirulentum ictum in iumento Eumelus pulli hirund. uentrem, uel eorundem nidum contritum imponi iubet. Glebula ex hirund. nido illita ex aceto, morſui canis rabidi medetur, Plinius & Valerianus. Aetius Sermone 14. cap. 49. hirundinis nidum tritum & cribratum ac melle exceptum, contra eryſipelata faciei commendat, tanquam remedium cito diſcutiens. Ad oculos ſanguine ſuffuſos & ſtaphylomata in equo: Nidum hirund. integrum, ut nihil prorſus de eo amittatur, in uaſe cum aqua miſce & turba, cola, & liquorē colatum iumento ſitienti bibendum dato, aut etiam per cornu infundito, Eumelus. Terra nidi hirund. cum aceto colatum iumento cephalalgiam ſedat, Kiranides. Hirundinum ſtercus priuſquam terrā attigerit ſimul cum luto nidi, in uaſculo ligneo, aceto madefac, & illine frontem, Galenus Euporiſton 2. 92. Stomaticæ compoſitioni ex beſaſa ad anginas aliqui hirundinum cinerem admiſcent, alij nidum urere iubent ex ſtercoribus hirundinum maximè compoſitum. Terra nidi hirundinum cum aqua ſoluta & inducta, colli & faucium tumores & ſynanchen curat, Kiranides. Anginæ nidus hirund. mederi dicitur potus, Plinius. Ad anginam ualet emplaſtrum maturans & reſoluens abſceſſum è nido hirund. quod ab Arculano deſcribitur, Leonellus Fauent. Hoc tempore medici pro angina curanda diſcutiendáue emplaſtrum ex nido hirundinis collo imponunt, non ſine magno & euidenti iuuamento. quanquam non deſint aliqui, qui quum nidum ex terra & paleis compoſitum animaduertant, rebus, ut apparet, ſtypticis, illius admonitionē timent, ac metuunt ne forſan aſtrictione ſua materiam intrò repellat: quo fit ut ſolo nidi decocto utantur, in quo cæteræ res anginam diſcutientes miſcentur. ſed reuera falluntur, quum omnia in hirundinis nido contenta, potius diſcutiendi uim quàm conſtrictoriam aliquam habeant, Amatus Luſitanus. Vide plura apud eundem lib. 1. Curatione 40. Aſclepiades apud Galenum de compoſ. ſec. loc. medicamēto cuidam ad laxatas columellas nidum hirundinum ſylueſtrium aridū admiſcet, ubi Galenus, Nidus hirund. ſylueſtrium (inquit) multam diſcuſſoriam uim habet. Ad inflammatas tonſillas illini debet ſtercus columbæ & uenter hirundinis, Nicol. Myrepſus. ubi Fuchſius (ſi bene memini) καλιὰν, id eſt nidum, quàm νοσσίαν, id eſt uentrem, legere mauult. Ad fluxionem gutturis, Nido hirund. trito ex aceto illinito, Galenus Euporiſton 3. 283. Emplaſtrum ad pleuriticos mirabile (numero 80. apud Nic. Myrepſum.) Nidū (nam Græcus codex καλιὰν habet. Fuchſius νοσσίαν, id eſt uentrem legit, quod non probo) hirundinis uniuerſum accipiens tero, & ſucco apij farinaq; fœnigræci imbuto & probè calefacto utere. Contra calculos ſumi prodeſt cinerem inteſtinorum palumbium ferorum cochlearibus tribus è nido hirundinum, Plinius. Vrticæ ſemen & hirund. nidum cum ſapa tero ac illinito, Aetius inter unguenta podagrica 12. 44.

¶ Chelidoniæ lapilli (à recto chelidonias, ut apparet, ὁ χελιδονίας λίθος) quidam chelidonium lapi-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 576 sur 825

dem,& chelidoniam gemmam dicunt)uulgò à noſtris ſchwalmenſtein uocãtur,id eſt hirundinum calculi. In uentre hirundinũ pullis lapilli,candido aut rubenti colore,qui chelidonij uocantur,magicis narrati artibus reperiuntur,Plinius. Et alibi,Chelidoniæ duorũ ſunt genera,hirundinum colore,& alia parte purpureæ,nigris interpellantibus maculis. Aſpidi ſimilis eſt gemma quam uocari chelidoniã inuenio,Idem 37.11.ubi gemmas nominat quæ ab animalibus denominantur.unde hanc aſpidi chelidoniæ ſimilem,nomen ab ea tuliſſe conijcimus, & ab ea cui hirundines nomen fecerunt diuerſam.Genus quidem aſpidum unum eſt, quas chelidonias uocant, quæ circa ripas fluuiorum,præſertim Nili, latibula habent. Pulli hirundinis Auguſto menſe lapidem chelidonium geſtant aliquando in hepate uel uentriculo: quem ego diuerſorum inueni colorum. Fertur autem quòd pulli geſtantes lapidem hoc ſigno cognoſcuntur,quòd in nido ſedent conuerſis ad ſe inuicem uultibus.nam cæteri qui non habent lapidem, poſteriora ad ſe conuertunt, Albertus & Author de nat.rerum. Lapilli ſunt exigui, & tales iam uidimus à ſocijs noſtris extractos è uentriculo hirundinum menſe Auguſto,tunc enim extracti efficaciores habentur. & frequenter duo ſimul in una hirundine inueniuntur,Albert. Chelidonijs,qui in hirund,uentriculis reperiuntur, figurã globi ferè dimidiati,ſemperq; intus caui. qua de cauſa admodum tenues exiſtunt, in eminentia ſunt plerunq; rauo,ſed diluto colore,in caua conuexitate purpureo, nigris interdum interpellantibus maculis.atq; ob id duæ earum ſpecies uidentur eſſe, Georg. Agricola. Lapilli magnitudine ſunt, ut ipſe uidi,ſeminis lini,forma quoq; ſimili.ego nigros & ruſſos tales uidi lapillos,Chriſtophorus Encelius. Vidi & ipſe cum ruſſos lentis figura & magnitudine chelidonias; tum alios quoſdam candidiſsimos non tamen perſpicuos, quos in monte quodam Sedunorum abunde reperiri audio,in arena inter excelſas rupes.horum unum cum fregiſſem dentibus multum renitentem, ſolidum deprehendi,non cauum. ¶ Iidem aut ſimillimi chelidonijs hodie nominatis lapillis illi mihi uidentur,quorum Strabo libro 17.mentionem facit, his uerbis: Aceruí quidam ex tritura lapidum ante pyramides(in Aegypto)iacent, in quibus lapilli & forma & magnitudine lentis inueniuntur, quídam ut hordei grana,quæ ſemiexpoliata excurrunt. dicunt reliquias ciborum qui operantibus ſupererant in lapidem induratas, quod quidem ſatis uidetur ueriſimile. nam & apud nos collis quídam eſt oblongus,in campo ſitus,qui toſi calculis in modum lentis plenus eſt, &c.

¶ Diſſectis creſcẽte Luna pullis hirundinis qui primo partu excluſi ſunt,ἐκ τῆ πρώτης νεοσσοποιίας, è prima fœtura,)in uentre eorum lapillos offendes.e quibus duos,unum colore uarium,alterum purum exímes:(quorum alter colorem unum habet,alter plures,Auicenna,) ij priuſquam terram attígerint, in iuuencæ corio, aut ceruina pelle brachio aut collo adalligati, comitialibus proderunt.& ſæpe prorſus eos recreabunt,Dioſcor. Sanant uel lapilli è uentre pullorum hirundinum ſiniſtro latere annexi.dicuntur enim excluſo pullo lapillum dare.Quòd ſi pullus ís detur incipienti in cibo, quem primum peperit,cum quis primum tentatus ſit, liberatur eo malo,Plinius. Lapilli in uentriculis hirund. reperti & brachio alligati, caducos perfectè ſanant, Sextus. De collo puerorum ſuſpenſi ad comitiales morbos utiles eſſe perhibentur, Ge. Agricola. Mirificum hoc ad comitiales remedium eſt. duo lapilli in hirundinum pullis diſſectis inueniuntur:quorum unus quidem niger, alter uerò albus exiſtit.comitiali collapſo eos imponito, ac ipſum excitabis. nigrum uerò cuti alligato.At hirundines dicuntur primo pullo hos lapillos dare,qui non facile inueniuntur niſi uniuerſis pullis diſſectis, Alexander Trallianus. Author Additionum in Breuiario Arnoldi antidoto cuídam contra epilepſiam lapidem hirundinis admiſcet. Hirundinum pulli lapillos in uentriculis habere conſuerunt,ex quibus qui albi maxime fuerint, ſi in manu etiam ſinguli teneantur, aut circa caput lino nectantur,ueterrimos & diutinos capitis mulcent dolores, niſi contactu terræ lapillorum potentia minuatur,Marcellus. Et alibi, Hirundinis uentriculo ſciſſo albi ac nigri lapiſculi inueniuntur,qui ſi lupino aureo includantur,& collo ſuſpendantur,omnem dolorẽ oculorum perpetuò auertent,ſed & contra quartanas proſunt,croceo linteo uel panno inuoluti lino q; ad collum ualidiore ſuſpenſi. Adduntur ad oculorum collyria, Ge. Agricola. Si quid in oculos inciderit, imponuntur.nam cum minimi & læuiſsimi ſint,nec mole obſunt, nec figura aut angulis:& palpebrarum compreſsione, id quod inciderit, emouere & elidere poſſunt, ut & alectorolophi ſemen. Dextro brachio ſuſpenſi hepaticos perfectè ſanant, Kiranides.

¶ Quin & è nído earum lapillus impoſitus recreare (excitare) comitiales dicítur confeſtim,& adallígatus perpetuò tueri,Plinius,& Serenus. Lapilli in nidis pullorum hirundinum reperti appenſiq;,à tuſsi tutum reddunt.ſanant & columellæ uitia & tonſillarum phlegmonen, Galenus Euporiſton 2.44.

H.

a. Hirundo primam corripit.Aut arguta lacus circunuolitauit hirũdo, Auienus.uideri autem poteſt ab hærendo dicta,quoniam tectis ædium uel trabibus, ubi nidificat, adhæreat. Varro tamen à ſua uoce ſic dictam conijcit. A poetis uocatur Progne, ut à Vergilio: Pandionis ales, ab Ouidio ad Piſonem: Atthis à Martiali, propter fabulam quam in h. referemus. Ἀτθὶ κόρα μελίδρεπτε, in epigrammate lib.1.ſect.60.Brodæus hirundinem aut luſciniam interpretatur, ego hirũdinem omnino eo in loco.illæ quidem non ueſcuntur melle. ¶ χελιδὼν penultimã producit, Arato, Theocrito, Ariſtophani. Vocatur autem χελιδὼν, ἢ παρὰ τὸ τὰ χείλη δυνεῖν, ἢ παρὰ τὸ τὰ χείλη διδάσκειν, ἢ παρὰ τὸ τοῖς χείλεσιν

χείλεσιν ἄδειν, Etymologus & Varinus. Dicitur & χελιδώ, χελιδῶς, unde uocatiuus ὦ χελιδοῖ, Euſtathius. Ποικίλα χελιδοῖ, Ariſtophanes in Auibus. Χελιδὼς, χελιδόνιος, & piſcis quidam, Heſych. Ἀηδόνα, ᾠδίλιν, καὶ γλωσσίδα, οἱ δὲ χελιδόνα, Etymologus. Ὄρνις δ' ὡς ἀυόπτοια διέπτατο, Homerus: alij πανόπτοια legunt & hirundinẽ interpretantur, alij aliter. uide ſupra in Capite de Aquilis diuerſis. Ἀδλωνίις, χελιδών, καὶ ἡ θρίσλαξ, Etymologus. ſed magis placet ut Heſychius habet, Ἀδλωνίης, ἡ χελιδών, καὶ ἡ θρίδακινη. Κρίσσα, hirundo, Heſychius & Varin. Thebani, qui nouis rerum nominibus gaudebant, hirundines κωπιλάδας uocabant, Athenæus lib. 13. & Varinus in Λιξαλδω. Κωτίλος, auis ſic dicta, à qua etiam loquaces & adulantes uel decipientes κωτίλοι dicuntur: hirundo, Varinus. quanquam ab illo per λ. duplex ſcribitur. Ὀλολυγόνα apud Theocritum aliqui hirundinem interpretantur deflentem Ityn, alij aliter. uide in Acredula. Κυκνήτορα Kiranidę interpres hirundinem exponit, alibi uerò ſparuerium, id eſt accipitrẽ minorem. Ὄρνις κατὰ δίδυμα σωίεσιν ἀνθρώποισιν, Oppianus de hirundine.

¶ Epitheta. Arguta, Vergilio 1. Georg. & Auieno. Garrula, 4. Georg. Vaga, Sereno. Veris prænuncia, Ouidio 2. Faſt. Et apud Textorem Biſtonis, peregrina, trinſans, Daulias, laſciua, Pandione nata, uocalis. nam Agreſtis & Ruſtica differentiæ potius ſunt, & ſpeciem propriam conſtituunt. ¶ Θρηϊκία χελιδὼν, Ariſtophanes in Ranis. Ἐαρινὴ ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις, Oppianus. Ἄγγελε κλυτὰ ἔαρος ἀδίνοδμε, κυανέα χελιδοῖ, Simonides apud Athenæum, & Ariſtophanis Scholiaſten. Κεκροπίδες, in Epigrammate. Κωτίλη etiã epitheton eſſe poteſt, ut Latinis garrula. nam & ipſas ſubſtantiuè Thebani κωπιλάδας uocabant. Hirundo κωτίλη appellatur Heſiodo, Anacreonti & Simonidi, Gyraldus. Cum ſexaginta dies à ſolſtitio brumali abierint, initio noctis Arcturus oritur. Τὸν δὲ μετ' ὀρθρογόην (aliàs ὀρθοδόην) Πανδιονὶς ὦρτο χελιδὼν Ἐς φάος ἀνθρώπους, Heſiodus. Varinus ὀρθρογόλω expo nit, τῷ μεγάλως θρηνοῦσαν, ἢ ὑπὸ τὸν ὄρθρον ἠχοῦσαν, id eſt magno uel matutino luctu inſignem auem. Cognominatur & ὀρθόλαλος, (forte ὀρθρόλαλος:) Κορινθίας, ὀρθολάλοισι χελιδόσιν εἰκελοφώνοις, ut Suidas citat. Πανδίονος, χελιδόνι σωοίκῳ, Αἰσχύλος Τροφοῖς, Heſychius & Varinus. ego χελιδόνος legendum conjicio, ut πανδίονος (quod etiam μέτοικον interpretantur) eius epitheton ſit. Ποικίλα χελιδοῖ, Ariſtoph. in Auibus. Καταυλάμενοι πρὸς χελιδόνος (aliàs χελωνίδος) πολυπρότου ψόφους, Athenæus libro 5. uide in Teſtudine a. Ὑπωρόιος. nam Theocritus hirundinis τέκνα ὑπωρόια dixit. Ὄρνις κατὰ δίδυμα σωίεσιν ἀνθρώποισιν, Oppianus de hirundine. Ἀτθὶ κόρα μελίθρεπτε, λάλος λάλον ἀσπάσασα Τέτιγα πανοῖς δ' αὖτα φορεῖς τέκεσιν; Τὸν λάλον ἀ λαλόεσσα, τὸν ὀλβιόδρομον ἀπηδρόεσσα, Τὸν ξένον ἀ ξεῖνα, ἀρινὸν ἠρινά, (forte εἰαρινά. nam Oppianus etiam εἰαρινῆσι χελιδόσι dixit.) Οὐχὶ τάχος ῥίψεις; ἐ γὰρ θέμις, οὐδὲ δίκαιον Ὅλυθ' ὑμνοπόλος ὑμνοπόλοις ὑόμασιν, Incertus in Epigrammatũ lib. 1. ſect. 60. ubi Brodæus Atthidem puellam hirundinem uel luſciniam interpretatur, ego omnino hirũdinem hoc in loco. cicadas quidem ab hirundinibus capi Plutarchus & Aelianus ſcribunt.

¶ Dic igitur me tuam anaticulam, columbam, uel catellum, hirundinem, &c. Plautus. Eſt & hirundininus adiectiuum, quo utuntur Plinius & Plautus in Rud. In nido ſeges eſt hirundinino, Martialis lib. 11. Ligneis ſecuriclis (Galli hirundinis caudas uocant) cæra & amurca perfuſis ueteres in alligationibus (lapidum) uſos ipſa opera docent, Gul. Philander in Vitruuium 2. 8.

¶ Χελιδὼν, ungulæ concauitas in equis: & in canibus eodem modo ſecundũ aliquos: & in homine pars ſupra cubitum, ὃ ἄνωθεν τοῦ ἀγκῶνος τὸ κατὰ τὰς κάμπας, Heſychius, Suidas & Cælius. Vide in Equo B. Ornamenta in brachijs quædam ponebantur circa carpos, ut pericarpia, echini, ὄφεις, χελιδόνες (aliàs χλιδόνες, quibus utebantur Samij, ut ſcribit Athenæus:) ſed ἀμφιδέξιοι & χλιδῶνες (χλιδόνες potius, uel χελιδόνες ut ſupra: niſi utrunq; rectè dicatur, & χελιδόνες, & per ſyncopen χλιδόνες) tum circa brachia, tum circa carpos nominantur, Pollux. Equorum impetigines ſunt ſquammulę anteriorum crurum ſub armorum partibus in ipſis animalibus natæ. has Græci lichenas uocãt, ſiue chelidonas. nos uerò impetigines uel hirundines, Cælius Aurelianus. ¶ Πρὸ χελιδόνων, Ante hirundines, id eſt ante hirundinum aduentum, Ariſtophanes in Equitibus. ¶ Χελιδονιδεῖς, hirundinum pulli, Euſtathius. Achæus durius dixit, Χάσκοντα λιμῷ μόχθον ὡς χελιδόν', pro νεοττόν, ἄγαν χελιδονιδῆ, Idem. Χελιδόνειον μέλος, id eſt hirundinis cantus, Suidas. ¶ Fauonium quidam ad VII. cal. Martij chelidonian (à recto chelidonias, ὁ χελιδονίας ἄνεμος) uocant ab hirundinis uiſu, Plinius lib. 2. Eſt & chelidonias uel chelidonius lapis, (ὁ χελιδονίας ἢ χελιδόνιος λίθος,) uel chelidoñia gemma: de quo ſupra in G. ſcripſimus, niſi quis diſtinguendi gratia malit ut is qui nomen ab hirundine habet, chelidonius lapis uel chelidonia gemma dicatur: alter uerò chelidonias, cui aſpis ſimiliter dicta nomen dedit. Chelidonium etiam gladij genus eſt cauda bifurca, Brodæus. nam & auis hirundinis huiuſmodi cauda eſt. ¶ In Rhodo inſula (Euſtathij codex impreſſus in Homerum, non rectè habet Ῥωμαίοις pro Ῥοδίοις) feſtum ſiue ludicrum ſolebat celebrari, in quo cornici aggregatio fiebat quædam hordei & id genus rerum aliarum. Vocabant autem carmina illa (τὰ ἀδόμενα, aliàs τὰ διδόμενα) coroniſmata. Eiuſmodi quippiam & hirundinibus in eadem fiebat inſula, ut eſt apud Theognin tertio de ſacrificijs Rhodiorum. Id uerò χελιδονίζειν dicebant, quòd ita cõcinerent: Ἦλθε, ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλὸς ὠνιαντός. id eſt, Venit, uenit hirundo pulchras ducens horas & annos pulchros, Cælius. Athenæus lib. 8. integra hæc carmina Doricè ſcripta ſic refert, nos ex Euſtathio quædam emendauimus, etſi is integra non referat: Ἦλθ', ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα καὶ καλὸς ὠνιωσῦ, ὦδὶ γαστρὶ λευκὰ κἀπὶ νῶτα μέλαινα. Παλάθαν δ' πλοκυκλῆς ἐκ πίονος ὄικα, (Euſtathius habet, Εἶτα ὡς σωόψει φάναι, δ' πτελαθαν ζητοῦμεν, quod nõ placet. exponit autem παλάθιον, σύκων ὠθισμῶδες.) Οἶνα τε δίεπασσον, τυρῦ τε κάνυσσον

(forte κάνιστρον, Eustathius omittit) καὶ πυρῶν; Χελιδὼν καὶ λεκιθίταν (placentam, à lecitho, id est uitel lo sic dictam) ἂν ἀπωθεῖτο. Ῥόστρ' ἀπίωμεν, ἢ λαβώμενα; Εἰ μὴ νὴ Δία σεις. (ἐλλειπτικῶς ἔχει: ἴσι δὲ καὶ πῦ τοῦτο νοιαν, Eustathius.) εἰ δὲ μή, ἂν ἐάσομεν. Ἢ τὰν θύραν φορήσομεν, ἢ βʼ ἐπορήσομεν, Ἢ τὰν γυναῖκα τὰν ἔσω λαβὼν μενάν. Μικρὰ μὲν ὅτι ῥᾳδίως μὲν οἴσομεν. Ἂν δὲ φορῇς τι, μέγα δή τι καὶ φορεῖς. Ἄνοιγ' ἄνοιγε τὴν θύραν χελιδόνι. Οὐ γὰρ γρόντοθ' ἑσμὲν, ἀλλὰ παιδία. Fiebat autem hæc collectio menſe boedromiône (Iunium interpretantur, quod hîc non conuenit, hirundinis enim aduentus uernus eſt) à pueris paſsim circumeundo cantillantibus: & primum eam inſtituiſſe in Lindo Cleobulus Lindius fertur, cum pecunia colligenda egerent, Hæc Athenæus. Qui hanc cantilenam decantabant, χελιδονισαὶ uocabantur, (& cantus uel ludus ipſe χελιδονισμὸς Euſtathio) ut qui cornicis nomine ſtipem colligebant, κορωνισταί, Euſtathius & Heſychius. Aeſchylus χελιδονίζειν uerbum uſurpat pro βαρβαρίζειν, id eſt barbarè loqui: & Ion in Omphale barbaros χελιδόνας nominat maſc. g. (cum alioqui fœm. g. tantum efferantur) Herodiano teſte, Scholiaſtes Ariſtophanis. uide infra in prouerbio Hirundinum muſea. Vtuntur & per ſe ſucco (chelidoniæ maioris, etſi de utraq; proximè locutus ſit) in collyriis, quæ chelidonia appellantur ab ea, Plinius. Apud Galenum de compoſ. ſec. loc. 4. 7. collyrium chelidonium inuenio, in quod chelidonia herba non recipitur, ab hirundinibus, ut apparet, dictum, quaſi oculis hominum claritatem ita reſtituere poſsit, ut remedio quodã uiſum ſuis pullis ademptum reddere creduntur hirundines.

¶ Chelidonia herba eſt, quæ & chelidonium dicitur. Χελιδονία ἑστάνη, Oppianus. Dioſcorides & alij medici χελιδόνιον gen. neutro proferũt. eſt autem duorum generum maius & minus. recentiores quidam Latinè hirundinariam nominant. Creditur chelidonium maius nomẽ ſibi inueniſſe, quòd hirundinum aduentu ex terra prodit: diſcedentibus uerò ijſdem marceſcit. Alij uerò tradiderunt, ſi quis ex hirundinis pullis in nido excæcatus fuerit, matrem hanc herbam oculis admouentem, cæcitati eius mederi, (ut inde potius, quàm à tempore nominatum uideatur,) Dioſcorides. uide ſupra in C. Τὸ χελιδόνιον ἅμα τῇ χελιδονίᾳ ἀνθεῖ, id eſt chelidonium cũ aduentu hirundinis floret, Theophraſt. de hiſt. 7. 14. interprete Gaza. Dioſcorides non florere tum, ſed prodire ſcribit, ἅμα ταῖς χελιδόσι φαινομέναις ἀναφύεσθαι. Apud nos quidem chelidonium minus eo tempore & prodit & ſtatim floret: marceſcit idem menſe Maio. chelidonium uerò maius lunio demum floret: ut Plinius nõ rectè ſcripſerit, Florent aduentu hirundinum, diſceſſu marceſcunt: tanquam de utroq; uere dicatur. περὶ δὲ (circa fontem) θεῖα πολλὰ πεφύκῃ, Κναίωρόν τι χελιδόνιον, Theocritus. Dioſcorides tribuit maiori chelid. folia colore ſubglauco. ¶ Hanc capnon quæ naſcitur in ſæpibus chelidoniam phragmiten uocare moris eſt Aetio, ad exinanitiones partium in iocinere curuarum utilem: dictã, ut puto, quoniam ſucco diſcutit caliginem, ut chelidonia: & ob id in medicamenta oculorum additur: ut in collyrium Marciani eam chelidoniam capnitida cognominantis. Quod ſi eadem probetur eſſe cum cymbalari, ut quidam coniiciunt, etiam illa ſimilitudo confluet, quòd folium hederæ habuerit, quale chelidonio minori contigit. propterea conſiderari cupio, nunquid non ſimilis, ſed eadem omnino ſit capnos hæc cum chelidonio minore. multa certe paria comperio, Hermolaus. Eruditi quidam chelidoniam phragmitin eam eſſe herbam coniiciunt, qua hactenus pharmacopolæ in Germania pro ariſtolochia rotunda perperam uſi ſunt. Chelidonion paruum inter fumariæ etiam nomenclaturas apud Dioſcoridem legitur: & chelidonion ſimpliciter inter uitis albæ & anagallidis purpureæ nomina. ¶ Eſt & apud Germanos alia ab hirundinibus dicta herba, neſcio qua occaſione, ſchwalmenkrut/quam multi aſclepiadem ueterum eſſe putant. flore lacteo, liguſtri ferè odore: foliis binis per genicula, lauri ferè, ſed in anguſtum exeuntibus, radicibus albis multis implicatis, &c. quas aliqui ad oſſa fracta conſolidãda facere putant, ut eo quidem nomine wallwurtz potius quàm ſchwalmenwurtz dici deberet, ut & ſymphytum maius. ¶ Ficus chelidoniæ, ἰσχάδες χελιδόνιοι, ficus Atticæ ſunt, quæ & chelidones uocantur, Pollux. Commendantur eædem ab Athenæo libro 14. qui eas colore φυθρομελαίνας, id eſt ex rubro & nigro permixto eſſe ait. Purpureæq; chelidoniæ, Columella inter ficus. Nouiſsima ſub hyeme maturatur chelidonia ficus, Plin. Grammatici quidam à Chelidonijs populis in Britannia dictas coniiciunt, neſcio quàm rectè. Clemens in Pædagogo nominat ἰσχάδας χελιδονίους, δι' ἃς εἰς Ἑλλάδα πωγωνοσίαις ἅμα μυελαίσιν ὁ κακοδαίμων ἐσέλατο ῥόστος. Χελιδονίους, (Χελιδόνειοι potius,) εἴδους ἰσχάδων, Heſych. & Varinus.

¶ Χελιδονίαι λαγωοί, & χελιδόνιοι δασύποδες leguntur apud Athenæũ lib. 9. Euſtathius chelidonias lepores interpretatur, qui ſuperiore parte nigri ſint, inferiore ſubalbi inſtar hirundinum. Friſij qui maritimam Germaniæ partem habitant, prænunciam hirundinum (ſchwälken vorbott) uocant auem de genere motacillæ. ¶ Eſt & χελιδών, id eſt hirundo marina, piſcis Ariſtoteli. Volat hirundo (piſcis) ſanè perquam ſimilis uolucri hirũdini, Plinius. Eſt & alius piſcis chelidonias dictus, χελιδονίας ὁ, cuius Athenæus ex Diphilo meminit: ut & hirundinis piſcis polypo ſimilis. Alterum exocœti genus circa Byzantium quidam chelidonium uocant, Bellonius.

¶ Piſcem Boreum (inter ſydera) hirundinis præferre caput, propterea & à Chaldæis piſcem nuncupari chelidoniam Theon ſcribit, Cælius. Cum LX. dies à ſolſtitio brumali abierint, initio noctis arcturus oritur, poſt illum uerò hirundo apparet, Heſiodus. Χελιδὼν etiam eſt numiſma argenteum Peloponneſiacum, (uel χελώνη potius apud Pollucem.) Aegyptiorum ſapientes omnes parentum opes filijs relictas uolentes innuere, hirundinem pingunt, illa enim iam morti proxima,

luto

luto seipsam uolutat, & pullis latebras (φωλεὸν, nidum) comparat, Orus.

¶ Propria. Chelidonius ex Cleopatræ mollibus patrimonium grande possedit, Seneca epistola 88. Χελιδὼν uocabatur Cleopatræ cinædus, Suidas in Χελιδὼν & in Κίναιδος. Item uates quidam priscus, Idem. Et nauis quæ in Massiliam traiecit, ἡ ναῦς ἡ εἰς σὺν εἰς Μασσαλίαν διαπομπαία, Idem. Menippus quidam olim Χελιδὼν cognominabatur, Aristoph. in Auibus, ubi Scholiastes, Διὰ τὸ ἵππο τρόφον εἶν καὶ ταχυτικὸν εἶδος (forte καυτηρίῳ τούτῳ, scilicet χελιδόνι) χρῆσθαι, ὅτως ὠνομάσθη. Chelidonē theologum quendam fuisse aiunt, qui obseruatis prodigijs collegerit rerum exitus. uide infra in Prouerbio, Audi chelidonem. Cicero lib. 3. Verrinarum de Chelidone meretrice agit, quam egregiam deperibat Verres, ea uerò tum in Vrbana, tum in Siciliensi Verris prætura omnia moderabatur, tran
10 sigebat, decidebat. chelidon quoq; hirundinem auem significat: omniaq; auspicatò, & captatis augurijs Romani agebant, augures q; & auspices & publicis & priuatis rebus adhibebant. Propterea ait Cicero: Nam ut Verres prætor factus est, qui cum auspicatò à Chelidone surrexisset, sortem nactus est Vrbanæ prouinciæ, &c. Quibus uerbis alludit simul & ad auspicium, & meretricis concubitum & cubile, Gyraldus in libro Aenigmatum. ¶ Chelidoniæ insulæ sunt in initio oræ Pamphyliæ, Strabo lib. 11. Et lib. 14. Chelidoniæ insulæ in Pamphyliæ ac Lyciæ confinio iacent. Et rursus in eodem, Prope Hieram promontorium Lyciæ Chelidoniæ insulæ tres sunt, asperæ sanè, & magnitudine æquales, ad stadia quinq; inter se distantes, &c. Post Rhodum uersus orientem Χελιδονίαι γυαλοὶ Τρεῖς νῆσοι, μεγάλης Παταρηΐδος ἔνδοθεν ἄκρης, Dionysius Afer, Herodianus Χελιδονιὰ legit cum acuto in ultima, Eustathius. Chelidoniæ insulæ nauigantibus pestiferæ, Plinius 5. 31. Hæ duę
20 sunt secundum Stephanum, quarum una Corydela, altera Menalippea dicitur, contra Tauri promontorium similiter Chelidonium dictum sitæ. Stephanus has insulas, Chelidonias petras appellat. Chelidonij populi sunt Illyriæ, Stephanus. ¶ Ἱπποχελιδὼν, hippodromus Athenienſium, non ab hirundine, sed ab Echelo heroē denominatus est, ut scripsi in Equo H. c.

¶ c. Supra corpus eorum uolant noctuæ & hirundines, Baruc 6.

¶ Garrula quæ tignis nidum suspendit hirundo, Vergilius 4. Georg. Sicut grus & hirundo (agur) sic garriebam, Esaiæ 38. Tecto uaga plorat hirundo, Politianus. Τετιγυῖα, Oppianus de hirundine. Ὅταν ἠρὸς ὥρας κελαδῇ χελιδὼν, Stesichorus. & Aristophanes in Pace, Ὅταν ἠοινὰ μὲν Φωνῇ χελιδὼν ἐζομένη κελαδῇ. Vlysses neruum arcus intendit, τείνησατο νευρῆς, Ἡ δ' ὑπὸ καλὸν ἄεισε χελιδόνι εἰκέλη αὐδήν, Odyss. φ. Εἰ γὰρ συνεχῶς, καὶ πολλὰ, καὶ ταχέως λαλεῖν, Ἦν τὸ φρονεῖν παράσιμον, ἀ χελιδὼν Ἐλέγανθ' ὡς ἡμῶν σωφρονίσθαι πολύ, Nicostratus apud Stobæum. Ὀξὺ μὲν ἔκλαγμ' ἀΐσσα, καὶ ἄνθορον ὀξὺ λακοῦσα, Oppianus de hirundine. Τραυλὰ μινυρομένα ταυδιονι κάμμορε φωνᾷ, In epigrammate authoris incerti. Et rursus Palladas, Τίπτε ταυημερίῳ ταυδιονι κάμμορε κάρη Μυρομένη κελαδεῖς τραυλὰ σέθεν τομάτωρ; Homerum infantem Aegyptijs parentibus ortum fabulantur, cum mel aliquando ex Aegyptię nutricis uberibus in os eius manasset, ea nocte nouem uoces diuersas ædidisse, hirundinis, pauonis, columbæ, cornicis, perdicis, porphyrionis, sturni, luscinię & merulæ, ut recitaui in Columba liuia ex Eustathio. Οὐδὲ τόσην θρέψασεν αὖ ὥρην μακρὰ χελιδὼν, Theocritus Idyll. 19. Ἐφ' ὧν Δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις Δεινὸν ἰάπτεται Θρηϊκία χελιδὼν Ἐπὶ βαρβάρου ἐζομένη τερέθρου, Κελαδεῖ δ' ἐπίκλαυτον ἀηδόνιον Νόμον, Aristophanes in Ranis de Cleophônte quem traducit tanquam peregrinū, imperitum, loquacem, ignobilem, barbarum & matre Thrassa genitum. uidetur enim hæc omnia Threiciæ hirundinis ap
40 pellatione comprehendere. Χελιδὼν δὲ ἀπαιδευσία, Scholiastes.

¶ Hirundo (sis Hebraicè scribitur) & ciconia (agur) custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini, Hieremiæ 8. Νοῦμαι σοι νοῦμαι ἡμιαύσιον, ὥστε χελιδὼν, Homerus in Iresione apud Herodotum. Ὠρύα, χελιδόνων ὀροφὴ, id est hirundinum tectum, (nidus forte,) Hesychius & Varinus. Vêre nouo cum iam tinnire uolucres Incipient, nidosq; reuersa lutabit hirundo, Calphurnius. Achæus poëta pullum hirundinis durius μόχλον χελιδόνος dixit, Eustathius.

¶ d. Aristophanes in Auibus hirundines fingit lutum ore conferre ad extruendam auium ęiuitatem, hoc enim faciunt (inquit Scholiastes) cum nidificant. ¶ Μαίεται δ' ἥδε τέκνοισιν ὑπωρόφιοισι χελιδὼν Ἄψορρον ταχινὰ ποτέοντα, βίον ἄλλον ἀγείρειν, Theocrit. Idyll. 14.

50 Ὡς δ' ὁπότ' ἀπλώσιοι φορέῃ βόσιν ὀρταλίχοισι Μήτηρ, εἰαρινὴ Ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις.
Οἱ δ' ἀπαλὸν πρύζοντες ὑπαθρώσκουσι καλιῆς Γηθόσυνοι πόθι μητρὶ, καὶ ἱμείρουσι ἐδωδῆς
Χεῖλος ἀνακπύουσιν, ἅπαν δ' ὤιξε λέπυρον Ἀνθρώπου ξεινοδόκιον λίγα κλάζουσι νεοσσοῖς,

Oppianus libro 3. de piscatione.

Hybernos peterent solito cum more recessus Atthides, in nidis una remansit auis.
Deprehendere nefas ad tempora uerna reuersæ, Et profugam uolucres diripuere suæ.
Serò dedit pœnas, discerpi noxia mater Debuerat: sed tunc, cū lacerauit Itym, Mar-

tialis. Ὡς δ' ὄρνις κατὰ δῶμα σωίστροιο ἀνθρώπουσιν, Ἀρτίτοκος νεαροῖσι πόθι καίρουσα νεοσσοῖς Κίρνῳ ὑπὲρ τέγεος κατεπάλμενον ἀθρήσασα, Ὀξὺ μὲν ἔκλαγξ' ἄϊσσα, καὶ ἄνθορον ὀξὺ λακοῦσα, Ἀυχένα δ' ὑψόσ' ἄειρεν ὅτ' ἠέρτα γυρώσαιτο, Καὶ πτέρυγας ἐκάτερθεν ἑοῖς ἔφριξεν ἐθείραις, Καὶ ῥ' ἤτορ ταύτα χάλασε ποτὶ χθόνα, τοὶ δ' ἄρα δείλοὶ
60 Τείχεος ὑπὸ δυσπόρυμον πρυλέων πρύζεσι νεοσσοί. Ἡ δὲ καὶ ἀΐξασ', καὶ ἅλασεν ὄρνιμ ἀναιδῆ, Εἰρυμνὴν φίλα τέκνα, τά τ' εἰσέτι νήπια φορβῆς, Ἄπρηκτα λυσιπόνῳ θαλάμῳ ἀκλύμενα δεσμῶ, Oppianus lib. 3. de uenatione. Οἷς δ' ἀμφὶ μέλαθρα μεγ' ἀχαλόωντα χελιδὼν Μύρεται ἀϊόλα τέκνα, τά τε μαλλα πεπυγώτε Αἰνὸς ὄφις κατέδαψε,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 580 sur 825

καὶ ἥκαχε μητέρα κεδνήν. Ἦ σ' ὅτε μὲν χήρη ποδιπετὴς ἅμα καλιὴν: Ἄλοχον δ' ὑπνώοντι πόδι πεδόθυρον ποτᾶται, Αἰνὰ κινυρομένη πτερύγων ὕπορ, Poeta quidam priſcus, Apollonius (ut cõijcio) aut Q. Calaber. Serpens quidam impetu ſubiturus nidũ hirundinis ut pullos eius uoraret, decidit in focum & igne periit, ut legimus inter Epigrammata Græca 3. 24. Ἤ τις ἐαρινῆσι χελιδόσιν ἐγγὺς ἐκυρσε Μυρομένοισι τέκνα, τά τε σφίσι λαίσαντο Ἐξ ὀδυνῆς, ἢ φῶτες ἁπλωίδιοι, ἢ ὀφάοντες, Oppianus lib. 1. de Venatione.

¶ e. Kiranides (lib. 3. in Hirundine) ex pullis hirundinum in ollam luto obſirmatam incluſis & aſſatis, &c. philtrum ſiue σφίγητρον, & contrarium ei μίσητρον, ſuperſtitioſa & impia perſuaſione parare docet. Mulier ut non ſecedat à uiro, iecur hirundinis uſtum bibendum clam præbe ex uino, & non amplius de alio cogitabit uiro, Nic. Myrepſus. χελιδόνιον φάρμακον, id eſt Hirundinum pharmacum apud Hipponactem memoratur, quod fit (τὸ ἀλεγινέμενον) ἐπὶ σιλφίῳ χελιδόνα πρῶτον τις ἴδοι, Suidas. ¶ Ἦ μὴν χελιδὼν αὖτε (ὦ τὸ) θορυβῶ γώνατ λαλεῖ, Philemon apud Scholiaſten Ariſtophanis. Εἶτα χελιδὼν (ὥραν ἀκροφάνει) Ὅτε χρὴ χλαῖναν πωλεῖν ἢ δύειν, καὶ λιὶσιαρίον τι (θορίσριον, ἢ δυπλεῖς ἱμάτιον θορινὸν) ποιεῖσθαι, Ariſtoph. in Auibus.

¶ g. Hirundinis roſtri cinis cum myrrha tritus, & uino quod bibatur inſperſus, ſecuros præſtabit à temulentia. inuenit hoc Horus Aſſyriorum rex, Plin. Hirundinum pullis paſce accipitrem, & citius mutabit pennas, Demetrius.

¶ h. Apologum de hirundinibus quę cygnis obijciebant quòd in ſolitudine canerẽt, cum ipſæ ſuos cantus in ciuitatibus publicarent, &c. recitaui in Cygno h. ¶ Hirundinum genus dijs penatibus & Veneri, quæ ipſa quoq; è numero penatium eſt, charum eſſe dicitur, Aelianus. ¶ Hirundines infauſti ominis eſſe, & ancipitem afferre fortunam, multi prodiderunt. nam Pyrrhi tabernaculo, & in naui Antonij inſidentes, ſuſcepti belli infelicitatem & funeſtas clades portenderunt, Alexander ab Alex. In Pyrrhi pueri tabernaculo nidificans hirundo, rerum actiones quas ſuſciperet, non bene & feliciter euenturas eſſe ſignificauit. Et item Cyro altera nidũ in huius tectis conſtruens, quæ ei male caſura eſſent prænunciauit. Contra enim Medos (Scythas, Alexander ab Alexandro) profectus, non reuertit ad ſuos: ſed rebus male geſtis, de loco quopiam ſe præcipitem deiecit. Dionyſio priori arcem relinquenti nidificantes ibidem reditũ præmonſtrarunt, Aelian. Cleopatræ nauis, quæ Antonias dicebatur, ſignum habuit horrendum. nam cum ſub puppi hirundines nidificaſſent, ſuperuenêre aliæ, & primis per uim expulſis, nidos deſtruxêre, Plutarchus in Antonio. ¶ Iſis in Byblo Aegypti nutriuiſſe fertur reginæ (quã alij Aſtarten, alij aliter uocant) filium, digito ei in os pro mamilla inſerto: & noctu quæ in corpore eius mortalia erant, aduſsiſſe: ipſamq; hirundinis ſpecie circa columnam lugendo uolitaſſe: donec regina aliquando noctu infantem amburi conſpicata clamore emiſſo, immortalitatem ei ademit, &c. Plutarchus in libro de Iſide.

¶ Homerus Odyſſeæ τ. luſciniæ fabulam, inquit Euſtathius, aliter quàm recentiores memorat. neq; enim Pandionis, ut illi, mentionem facit, (niſi Pandion forte alio nomine etiam Pandareos dictus ſit) neq; Procnes, neq; Terei. & Itylum uocat illum, quem recentiores Ityn, quem Pandarei filia è Zetho peperit, κοῦρον Ζήθοιο ἄνακτος. alia lectio habet Ζήτου. Sunt & qui Itylum, Ἰτύλου eſſe nugentur, & prima litera adempta Ἰτύλου per ι. ceu qui genus ab Aëte ducat, ut & pater eius Zetes Boreæ filius. Cæterum recentiores ſic tradunt: Pandionis Atticæ tyranni filiæ fuerunt Procne & Philomela. Ex his Philomela (Φιλομήλα) Tereo Thraci nupſit, et ſic ex Attica muliere facta eſt Thracia. Porrò Tereum aliquando Athenas profecturum rogauit ut Procnen ſororem ſuam ſecum adduceret. quod is fecit quidẽ, ſed in itinere puellæ uim intulit: & ne facinus ſorori aperiret, linguam execuit. Procne uerò in tela texendo iniuriam ſorori prodidit. Philomela uindictæ cupida filium Ityn è Tereo ſibi partum, occidit, & patri coctum appoſuit. Comedit ille, & ex minutis quibuſdam reliquijs filium eſſe agnouit, itaq; perſequutus ſorores occidere parabat. fugiunt illæ, & dijs imploratis, in aues mutantur, Philomela hirundinis, Procne uerò luſciniæ forma aſſumpta, (lego, Philomela luſciniæ, Procne uerò hirundinis forma aſſumpta.) Quamobrẽ hirundinis uox aſpera & cantu inſuauis eſt, ut cui lingua mutilata fuerit: & frequenter Terei ceu balbutiens nomen efferre conatur. luſcinia uerò ityn ſubinde ſuo cantu repetit. Tereus denicq; in upupam transformatus crebrò Vbi nam ſunt, (ποῦ ποτ' εἰσιν,) exclamat. Sic quidem recentiores fabulantur: alij uerò Homerum ſequuti, Pandarei (inquiunt) cui pater fuit Merops Mileſius, filiæ fuerunt Mérope, Cleothéra & Aëdón. Harum maxima natu Aëdon Zetho Amphionis fratri nupta, unicum filium peperit Itylum: & cum inuideret numeroſæ leuiri ſui (τοῦ δ' ἀδρῶ, τοῦ αὐθρασίελφα) Amphionis ſoboli, qua ille ex Niobe uxore Tantali & Hippomeduſæ filia augebatur, Itylum filium ſuum cum filijs Niobes ludere & uno etiam in lecto interdum dormire ſolitum, ſeorſim cubare (uel, ut alij ſcribũt, in lecto interiore) iuſsit, ut ipſa intempeſta nocte accedens, primũ ex Amphionis filijs occideret, Amaleum nomine, (Ἀμάλεα:) ſed cum Itylus uel oblitus eſſet uel non obtemperaſſet matri, ea noctu filium proprium, Amaleum eſſe rata, occidit. quo cognito præ nimio luctu ut ex hominibus migraret, à dijs petijt. itaq; in luſciniam mutata, Itylí luctum retinuit, cuius nomen cantu ſuo repetere ſolet. Alij Aëdóna mulierem non ignorantia, ſed ſponte Itylum filium interfeciſſe dicunt, occiſo enim (aiunt) Amphionis filio Amaleo, cum uxorem illius (Amphionis) timeret, mox ſuum quoq; filium interemit, ut expectandam ſibi ab inimica ultionem præueniret. Porrò in ſequẽte Rhapſodia (Odyſſ. υ.) reliquas duas Pandarei filias parentibus orbas, Penelope à Venere educatas ait: & cũ iam nubiles eſſent ab

Harpyis

Harpyis raptas & Furijs traditas esse. Fortasis enim cum forma quidem excellerent, propter orbitatem tamẽ infelices, in prauam & furiosam aliquam (εἰς ὑπονόσκωλον καὶ ὡς οἷον εἰπεῖν ὀρνιθώδεις ἤθη) uitam præ nimio luctu conuersæ, obscuræ perierunt, ut inde à uentis raptas & Furijs traditas fabulosè feratur, Hæc omnia Eustathius. ¶ Similiter hanc fabulam Varinus quoq; refert è Scholijs Aristophanis in Aues, in uocabulo ἴτυς, in hoc tamen differt, quòd Procnen Terei uxorem, & Ityn eiusdem è Tereo filium facit, non Philomelæ ut Eustathius. Procne (inquit) cum sororis Philomelę casum intellexisset, mactatum Ityn filium Tereo edẽdum apposuit. quo ille cognito, gladio eas persecutus est, clamans ποῦ ποῦ, (ut solent quærentes.) Philomela uerò præ metu Terei nomen efferebat. Procne uerò filium lugens Ityn, ἴτυ ἴτυ miserabiliter sonabat. Ioue autem miserato, Procne in luscíniam, Philomela in hirundinem, & Tereus in upupam mutati, eadem adhuc uoces canunt, Hæc ille, nos Philomelam potius in luscíniam mutatam dicimus, & Prognen (cum Ouidio) in hirundinem, & huic uocem πρόκνη, illi uerò ἴτυ ἴτυ cõuenire. Aristophanes ipse Terei (sub persona Epopis) uxorem facit aëdona, id est luscíniam. Io. Tzetzes etiam Hesiodi Scholiastes eandem fabulam similiter narrat, Procnen scilicet Terei uxorem fuisse, & in luscíniam mutatam: Philomelam uerò in hirundinem. Tereum quoq; addit Philomelæ in Aulide Bœotiæ uim intulisse, & huius fabulæ Sophoclem in Tereo meminisse. Procne ex Tereo binos liberos suscepit, & in hirũdinem à Ioue mutata est, Proclus in Hesiodum. Megaris non procul Hippolytæ Amazonis sepulchro, tumulus conspicitur Terei, qui Prognen Pandionis filiam uxorem habuit, Regnauit autem, ut Megarenses aiunt, Tereus, in ijs Megaridis partibus, quæ Pegæ, id est fontes appellantur. Sed ut mihi uidetur, & certè adhuc coniecturæ extant, in Daulide quæ supra Chæroneam est, Tereus regnauit. Olim enim Barbari, eius quæ nunc Græcia nominatur, multas partes incoluerunt. Ob flagitia uerò quæ Tereus in Philomelam, & mulieres in Itym commiserant, subigere eos non potuit. Atq; ideo manus sibi ipsi Megaris attulit: cui tumulum confestim excitarunt, & adhibitis pro mola calculis, rem sacram quotannis peragunt. Vpupam præterea auem primùm ibi apparuisse asserunt. Mulieres Athenas peruenerunt, ibiq; dum mala deplorant, quæ passæ fuerant, quæq; ultionis causa ipsæ regesserant, lachrymando contabescunt. Vnam item in luscíniam commutatam esse aiunt, alteram in hirundinem, non aliam ob causam, ut puto, quàm quòd eædem quoq; auiculę miserabilem cantum ædant & lamentis similem, Pausanias in Atticis. ¶ Aut ut mutatos Terei narrauerit artus: Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit, &c. Vergilius Aegl. 6. ubi Seruius, Tereus rex Thracum Pandionis Athenarum regis filiam Prognen duxit uxorem: & Athenas profectus ut sororem illi accerseret Philomelam, in itinere illam uitiauit & linguam abscidit. Illa tamẽ rem in ueste suo cruore descriptam misit sorori. Qua re cognita Progne Itym filium interemit, & patri epulandum apposuit. postea omnes in aues mutati sunt, Tereus in upupam, Itys in phasianum, Progne in hirundinem, Philomela in luscíniam. Et mox in illud Vergilij, Quas illi Philomela dapes, Atqui (inquit) hoc Progne fecit, sed aut abutitur nomine, aut illi imputat propter quam factum est. Idem rursus in quartum Georg. sibi aduersatur, enarrans illud poetæ, Et manibus Progne pectus signata cruentis, (id est hirundo:) Nomen (inquit) posuit pro nomine. nam Philomela in hirũdinem uersa est: pro qua Prognen, uel quasi sororẽ posuit: uel quasi eam, quę fuerat illius sceleris causa. nam ipsa miserat Tereum ad adducendã sororem. Quod ait Seruius in Bucolicis, (inquit Erythræus in Indice Vergiliano,) Atqui hoc Progne fecit, rectius quidem dixisset ex fabula: Atqui hoc pariter cum Progne fecit. Nam & apud Ouidium in 6. Metamorph. Iugulũ ferro Philomela resoluit: Ityosq; caput Philomela cruentum Misit in ora patris. Tu illinc integram fabulam pete. Hanc quidam in auem sui nominis mutatam ferunt, quæ à Latinis luscínia appelletur. Prognen uerò in hirundinem. Quos apertè sequitur Martialis eo distícho, cuius est lemma, Luscínia. Ait enim, Flet Philomela nefas inceſti Tereos, & quæ Muta puella fuit, garrula fertur auis. Et alibi idem Martialis: Multísona feruet sacer Atthide lucus. Nam Atthis ab eo luscínia intelligitur, quasi Attica auis: quod declarat epitheton Multísona, & uerbum Lucus. In lucis enim multis modis canit luscínia: quum hirũdo tecta frequentet. Et hoc à Græcis traxisse uidetur, apud quos Tragœdia extabat Philochori de Philomela, quæ Atthis inscríbebatur. In hac sententia fuisse uidetur & illius carminis auctor, quod Philomelæ titulo circunfertur. Quod etsi omnino negligendum non sit, Ouidium tamen non refert. Probus tamen, non reprobus Vergilij interpres, prodit, Philomelam in hirundinem, Prognem in luscíniam conuersam. quod mihi ueríssimílius fit, propter garrulitatem hirundinis, quam ex amputatione linguæ Philomelæ referat. quom ipsa luscínia mille modis cantum uariet. A Probo stat M. Varronis auctoritas, cuius in IIII. de orig. uerb. hæc uerba sunt; Luscíola (fortasse luscíniola νεωτερισμῶς legendum) quòd luctuosè canere existimetur, atq; esse ex Attica Progne facta auis, Hactenus Erythræus. Progne pro Græco Procne dicitur, ut cygnus pro cycnus. Primam in Progne corripuit Petronius Arbiter, quem Quintilianus & Macrobius citant: Atq; urbana Progne, quæ circum gramina fusæ, Erythræus. Τὰ περὶ Φιλομήλαν καὶ Πρόκνην ἐν Δαυλίδι μυθεύουσι, Θρηνῳδοῦσι δ' ἐν μεγάροις φησὶ, Strabo. Fabulam omnem copiosius cæteris ex Ouidio (ut conijcio) Nic. Perottus in Cornucopiæ persequitur. Itys uerò (inquit) in phasianam mutatus est: quæ auis picturatarum uestium colores seruat, quibus uti regij pueri solebant. Prognen quæ facinus illud in filiũ perpetrauit, & Ityn, in arce Athenis Alcamenes dedicauit, Pausanias. Hirundines aliqui ideo auersas coire putant, quòd Te-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 582 sur 825

reum regem horreant, ne quando latenter irrepens, nouam tragœdiam efficiat, Aelianus. Hirundines in aues mutatæ sunt cum uir adhuc esset Thracius ille Tereus: postquam uero & illum mutatum uiderunt in auem, relicto omni auium consortio, ad hominum domicilia confugerunt. Quinetiam neq; Boreæ, neq; uentorum qui ex Thracia spirant flatus amant: & nidos inde auersos collocant, Oppianus. Bizziam in Thracia ingredi negantur propter scelera Terei, Plinius. Hesiodus testatur luscíniam solam ex omnibus auibus somni expertem esse, seduloq; in uigilijs uersari: hirundinem uerò non prorsus semperq; uigilare, sed dimidium tantummodo somnum perficere. Has autem pœnas luunt propter facinus in Thracia perpetratum in cœnam illam illicitã, Aelianus in Varijs lib. 12. Pandionis ales, Ouidius ad Pisonem, hirundinem intelligens aut luscíniam. nam Progne & Philomela filiæ fuerunt Pandionis. Daulias & Getici tandem secura mariti Ales adest, plausuq; larem cantuq; salutat, Politianus de luscinia, (uel hirundine.) Deflet Threicium Daulias ales Itym, Ouidius in epistola. nam Daulia uel Daulis oppidum fuit Phocidis sub ditione Terei regis Thracum. Daulidas aues etiamnum uocant, Plutarchus in Symposiacis 8. 7. Cum hirundo in Gorgiam sophistam alui onus emisisset, directo in eam uisu, οὐ καλὰ ταῦτα εἶπεν ὦ φιλομήλα, Idem ibid. Diluculo autem philomela inter frutices silentem Prognen, inter aceres minurizantem, Sidonius 1. epistolarum, id est parua uoce succinentem, cantillantem, quod & Græci μινυρίζειν dicũt. Ἴτυλον, ὀρφανὸς, μόνον, νέον, ἄπαλὸς, Varinus. uocat autem Homerus Itylum quẽ alij Itym. Itys quidem in prouerbio, I modo uenare leporem nunc Itym tenes, quid sibi uelit, nõ facile dixerim. Prognes apud Textorem epitheta sunt hæc: Daulias, Querula, Impia, Rhodopeia, Pandionia, Getica, Sæua, Dura, Attica, Minuriens, Cruenta, Ismaria, Garrula, Domestica, Acerba, Cecropis. Eadem & Philomelæ attribuit, & insuper, Flebilis, Tristis, Dulcis, Garrula, Sibilans, Torua. ¶ Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos, Iuuenal. Sat. 7. Philomelides quidam Lesbi rex fuit.

¶ Prouerbia. Audi chelidonem, πύθε χελιδόν, id est in tempore curato tua negotia. Quidam à theologo quodam ortum autumant, cui nomen Chelidoni. nam aiunt huic fuisse morem obseruatis prodigijs colligere rerum exitus, (ἀπὸ τινος Χελιδόνος θεολόγου καὶ παραπόντου, καὶ πρὸς πλειστῶν διειλεγμένου, Suid.) atq; huius opinionis author citatur Mnaseas Patrensis ἐν τῷ περίπλῳ. Nonnulli malunt ad auem hirundinem referri, quòd stridula sit auis, ac lugubris, siue quòd ueris prænuncíet aduentum, Erasmus. Huc & illud facere uidetur quod annotauit Suidas, Χελιδόνειον μέλος, Hirundininum carmen. est autem uox hirundinis (inquit) non luctus, sed cantus adhortans & incitans ad opera (ἆσμα γοδλικὸν καὶ ἐλελυστικὸν πρὸς ὄργα:) nam hyeme neq; uolant neq; canunt, (sed tempore ueris adueniunt, & summo diluculo ad opera mortales excitant.) ¶ Hirũdines sub eodem tecto ne habeas, ὁμωροφίους χελιδόνας μὴ ἔχειν. Diuus Hieronymus Aristotelis authoritatem secutus, interpretatur abstinendum à commercio garrulorum & susurronum. Verum hoc interpretamentum refellitur apud Plutarchum Symposiacõn decade octaua, (8. 7.) Nam haud æquum uideri (ait,) ut auem domesticam & humani conuictus citra noxam amantem, perinde ut sanguinarias & rapaces (nã hoc etiam inter Pythagoræ symbola est, ταμψώνυχον οἶκοι μὴ τρέφειν) propellamus. quod enim de garrulitate causantur, id esse friuolum, cum gallos, graculos, perdices, picas, cumq; his alias complureis multò magis obstreperas non arceamus à domestico contubernio: imò nihil penè minus in hirundinem conuenire, quàm garrulitatem, (Ἀλυσιτελῶς γὰρ ἥκιστα χελιδόνι μέμψει, λαλιᾶς δὲ καὶ πολυφωνίας ἀμᾶλλον ἀλίτρους καὶ ποδαρσίους καὶ ἀλεκτορίσι.) Ne id quidem accipiẽdum uidetur, quòd quidam Pythagoricum hoc symbolum ad tragœdiam quę de hirundine fertur, referunt, quasi triste omen secum adferat. nam hac ratione philomelam item ejici oportere, ut quæ ad eandem pertineat tragœdiam. Itaq; uero propius uidetur, ob id improbatam hirundinem, quòd eidem malo uideatur obnoxia, quo infames habentur aues aduncis unguibus. Siquidem carnibus uictitat, & cicadas, animal maximè uocale ac Musis sacrum uenatur: præterea humi uolans minutis animalibus insidiatur, ceinde sola auium in tectis uersatur, nullam adferens utilitatem. Nam ciconia quum ne tecto quidem utatur nostro, (ὅπου σκίπωνος μετέχων, ὅπου ἀλέας,) tamen haudquaquam mediocrem contuberníj gratiam refert, bufones, serpentes, hostes hominum è medio tollens. Contrà hirundo, posteaquam sub nostro tecto suos educauit pullos, abit nulla relata gratia communicati hospitij. Denicq; quod est omnium grauissimum, duo dunta xat animalia domestica sunt, quæ nunquam humano conuictu mansuescunt, neq; tactũ admittunt, neq; consuetudinem, neq; ullius rei aut disciplinæ communionem. Musca semper pauitat ne quid mali patiatur, & ob hanc causam indocilis ac semifera. Hirundo item natura uidetur hominem exosum habere, proinde nec curatur, utpote diffidẽs semper, semperq; suspicans mali quippiam. His de rebus rectè Pythagoras conuictorem ingratum parumq; firmum, hirundinis symbolo monuit ablegandum, Huiusmodi fermè Plutarchus Erasmo interprete. Quibus illud unum uidetur addendum (inquit Erasmus) Ciceronem, seu quisquis is fuit, in Rhetoricis ad Herennium, infidæ amicitiæ similitudinem ab hirundinibus mutuari, quæ uere ineunte præsto sint, hyeme instante deuolẽt: ita falsi amici, inquit, sereno uitæ tempore adsunt, simulatq; fortuna immutata est, deuolãt omnes. Locum è Symposiacis Plutarchi de hirundine hospitio non recipienda, Phil. Melanchthon etiam conuertit. Hieronymus & Cyrillus & quidam alij, putant nos hoc symbolo moneri, ne garrulis & nugacibus fidem præstemus, néue eorum consuetudinem consortiumq; habeamus. Alij sic interpretantur ut cauendum dicant ab ijs amicis, qui infelicitatis tempore recedũt. Talis enim est hirundinis

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 583 sur 825

dínis natura, ut garrula sit, & bono tempore, hoc est uerno & æstiuo, nobíscum sit, malo uerò & turbído, hoc est hyberno, demígret, proculq; à nobis recedat. Alexander quoq; Myndius & Dionysius Heliopolites, hírundinem ín somnis malum significare prodiderunt, contrarium tamen sentit Artemídorus líb. 2. Onírocrítícôn, ubí de hírundine quædam scitu dígna scríbit, L. G. Gyraldus. Sub eodem tecto hírundines non habendas, id est mutabiles homines ín amicítía non habendos, uel alienos ín locum nostrum nõ habendos, Plutarchus in libello de symb. Pythagorícis ínterprete Gyraldo. Hírundo tandíu hominum hospítio utitur, dum pullos ex sese pepererit, ac aluerit: deínde ingrata ín desertos recessus abstrusa latet. quamobrem Pythagoras mínimè tecto recipiendam censebat, Aelianus. ¶ Hírundínum musea Aristophanes in Ranis dixit. Επιφυλλίδες ταῦτ' ὄδ' ἀεὶ κἀπὸ σωμύλματος, Χελιδόνων μουσεῖα, λωβητὰ τέχνης. hoc est, Sunt ista folia, & stulta blateramína, Musea hírundínum, artis ac subuersío. Interpres admonet prouerbium esse in ímpendío loquaces & obstreperos. hírundines enim ínepto garritu plus tædíj auditoribus adferre quàm uoluptatís. (Τὸ γὰρ χελιδόνων γῆρυς πλέον ἢ τὸ πολὺ τῆς ᾠδῆς ἡδονὴν ἀκούοντας, ἢ ἧττον τὸ μέλος δυσφαίνει, Scholiast. Aristoph. hoc est, magís nímio suo cantu auditoribus molestum est, quàm suauitate iucundum.) Aptè dícetur ín poëtas índoctos, oratores loquaces magís quàm eloquentes, aut in cœtum hominũ ineptè loquacíum, Erasmus. Sic & alibi Aristophanes, οὐ πρὸς χείλεσι βρέμεται ὀρνίκια χελιδών. Contrario sensu sirênum & luscíníarum musea legímus, Scholiastes Aristophanis & Varínus. Comícus tragicos poëtas hirundínum musea uocat, quod barbaro & obscuro sermone uterentur, ὡς βαρβαρα καὶ ἀσαφῆ ποιοῦντας, Hesych. & Suidas. πολὺς δ' ἀνεῖρπε κισσὸς δυσφυὴς κλάδοις, Χελιδόνων μουσεῖον, Eurípides apud Scholiasten Aristoph. Homines barbari (οἱ ὑπερβάρβαροι) & parũ puræ oratiónis hírundínibus conferuntur, & hírundínum musea cognominantur, Eustathius. Χελιδονίζειν pro βαρβαρίζειν Aeschylus dixit, & Ion barbaros χελιδόνας nominauit, Scholiastes Aristophanis. ¶ Noua hírundo, apud Aristophanem ín Equitibus, (etsi Suídas ex Auibus citat, fallente, sicut opínor, memoría:) Σκέψασθε παῖδες, ἦ ὁρᾶθ', ὥρα, νέα χελιδών: id est, Spectate pueri, non uídetis uer, noua ecce hírundo. Interpres admonet prouerbiali figura dictum, ac perínde ualere, quasi dícas ínitium ueris, propterea quòd id temporis appareat hæc auis. Quemadmodum & Horatius, Zephyris & hírundine prima. Suídas ait dici solere, quoties uerba darentur alícui. Sumptum à ioco pueríli. nam hí data opera nouam hírundinem adsímulantes uídere sese, ostendunt alijs: deínde contemplantibus illis & ínten tis, ínterím quod uolunt surrípiũt, (sic quídem Aristophanes usus est.) Proínde quadrabit ín eos, qui falsa spe quapíam ínsecta fallunt ac nocẽt, Erasmus; qui apud Aristophanẽ distínguit post ὥρα, & νέα χελιδὼν cõiungit. codex noster ὥρα νέα coníungit. sed Suídas pro ὥρα habet ἆρα, interrogandi aduerbium. ἆρ' ὁρᾶτ' ἆρα; νέα χελιδὼν, id quod placet. ¶ Hírundo totos schœnos anteíbit, ῥόσων τις χελιδὼν ὅλους σχοίνους παρέπτα. Vbi quis ímmenso uíncit ínteruallo. nam σχοῖνος Græcis mensuræ genus est quæ sexagínta complectitur stadía Herodoto & Hermogení: Plínius alícubi quadragínta stadía illi tríbuit, alíbi trígínta, scríbarum (ut uídetur) uítio. Verum suspícor Chelidonem hoc loco pro uíro accípiẽdum, qui haud scio an cursu celeritateq; præcelluerit, Erasmus. ¶ Vna hírundo non facit uer, Μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. hoc est, unus díes non sat est ad parandam uírtutem aut eruditionem. aut non unũ aliquod benefactum, benedictúmue sufficit ad hoc, ut uíri boní, aut boní oratoris cognomẽ promerearis. plurímis enim uírtutíbus ea res constat. Aut ut certum aliquid cognoscas, non satis est unica coniectura. Siquídem fierí potest ut una quepíam hírundo casu maturíus appareat. Sumptum ab hírundínis natura quæ ueris est nuncía. Aristoteles líbro Moralium primo, Τὸ γὰρ ἔαρ ὅτι μία χελιδὼν ποιεῖ, ὅτι μία ἡμέρα. id est, Ver enim nec una hírundo facit, nec unus díes. & beatum eodem modo felícemue nec unus díes, nec breue efficit tempus. Aristophanes in Auibus, Δεῦθ' ἅτε δ' ἔοικεν ὀλίγων χελιδόνων. id est; Multa uídetur opus habere hírundine. Interpres índicat allusum ad prouerbium quod modo retulímus, Μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. Huic affine uidetur illud Sophocleon ín Antígona: πόλις γὰρ οὐκ ἔδ', ἥτις ἀνδρὸς ἐδ' ἑνός. Etenim quemadmodũ una hírundo non facit uer, ita nec unus homo facit ciuitatem, nec unus nummus díuitem, Erasmus. Sensus est huius paroemiæ, nõ posse uno díe sapientem uel ad perfectionem peruenire, uel ad ínscitiã, εἰς τελείωσιν ἐμβαλεῖν ἢ εἰς ἀμαθίαν, Hesychius. Et quoníam hírundines ueris nunciæ sunt, Aristophanes in Auibus ludens ín quendam uetere & è uarijs centonibus consuta uestẽ índutum, appellat eum ποικίλην χελιδόνα, id est uariam hirũdínem. Tum alius, Εἰς θοιμάτιον τὸ σκόλιόν ἐστιν μοι δοκεῖ; Δεῦθ' ἅτε δ' ἔοικεν ὀλίγων χελιδόνων. id est, nõ una hírundíne, sed pleníam ueris tempore índigere uídetur, quo multæ sẽ proferunt hírundines.

¶ Alcíatí Emblema sub lemmate Garrulitas.

Quíd matutínos Progne mihi garrula somnos Rumpis, & obstrepero Daulias ore canis?
Dígnus epops Tereus, quí maluit ense putare Quàm línguam ímmodicã stírpitus eruere.

DE HIRVNDINIBVS DIVERSIS.

ARISTOTELES tría tantum hírundinũ genera facit: domestícas, apodes & falculas. Plínius autem quatuor genera facere uídetur: domestícas, rustícas, apodes & ríparías, Turnerus. Hírundínum quædam nídificant ín domibus, quædam ín senestris uítreis, quedam ín abruptis móntium. & hæ qualitate & quantitate differunt, Author de nat. rerum. Hírundínum genera sunt quatuor;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 584 sur 825

domeſticæ: quæ in muris exterius: quæ in terra (ripis) iuxta flumina: & marinæ dictæ, Albertus. ¶ De apode ſiue cypſelo, hirundinum generis aue, in Elemento A. ſcripſi. Cæterum marinas nullas agnoſco. piſcis enim eſt, nõ auis, quam hirundinem marinam ueteres appellant. Noſtri tamen auem meropi congenerem, ut conijcio, **Seeſchwalm**, id eſt hirundinem marinam nuncupant: & Itali gauias hirundines marinas. aiunt enim earum alias nigras, alias albas eſſe, & piſcibus uiuere. Plinius apodes hirundinũ ſpecie toto mari cerni ſcribit, & ſemper comitari naues, haud ſcio quàm rectè. fortaſsis enim aues illæ non apodes, ſed gauiarum generis fuerint: quod conſiderabunt ij qui propius mare uerſantur. ¶ In quodam Mauritanię flumine hirundines (uide ne hirudines legendum ſit ut conijcio, cum in aqua degant) ſeptenûm cubitorum ſunt, & gulam ad reſpirandum perforatam habent, Aelianus interprete Gillio. ¶ Auis quæ caput capríno ſimile habet, uocatur Latinè apud uulgus caper hirundinis, Albertus.

DE HIRVNDINIBVS SYLVESTRIBVS.



HIRVNDINES quædã ruſticæ ſunt, quæ & ſylueſtres & agreſtes à Plinio nominantur: præter enim Plinium nullus, quod ſciã, ex ueteribus earum meminit. Alterum genus hirũdinum eſt (inquit) ruſticarum & agreſtium, quæ raro in domibus, diuerſos figura, ſed eadem (qua domeſticæ) materia confingunt nidos, totos ſupinos, faucibus porrectis in anguſtũ, utero capaci: mirum qua peritia occultandis habiles pullis, & ſubſternẽdis molles. In Aegypti Heracleotico oſtio molem continuatione nidorum euaganti Nilo inexpugnabilem opponunt, &c. Sed hoc poſterius ad riparias hirundines, non ad ſylueſtres ſimpliciter uocatas pertinere dixerim: quare ad illas differo, etſi dubitem ad utras potius referri debeat. Et alibi, Angínis (inquit) ſuccurritur cinere hirundinis ex aqua calida poto. Sed efficaciores ad omnia quæ ex hirundinibus monſtrantur pulli ſylueſtrium. (proinde cætera etiam ex ſylueſtri hirundinum genere remedia, ſupra in domeſtica requires.) figura nidorum ſylueſtres deprehendit, Hæc Plinius.

¶ Hirundines ſylueſtres illas eſſe ſuſpicor, quas Turnerus apodes minores uocat, quarum iconem poſuimus. Apodes minores (inquit Turnerus) uoco, quæ in ſcopulis, templorũ feneſtris ædítioribus & ſummis turribus nidos figunt. has Angli uocãt rok martinettes, uel chirche martnettes: Germani **Kirchſwalben**. Alij aliter Germanicè nuncupãt, **Murſpyren/Mũnſterſpyren/Murſchwalben**, (ut Ge. Agricola:) **Bergſchwalben/wyſſe Spyren**: eò quòd in tẽplis, & muris & montibus nidificent. Imo uentre ad collum uſq; albicant, reliquo corpore nigræ, Eberus & Peucerus. In muris ueterum ædificiorum & cauernis ac ſcopulis montium nidificant, Matthæolus. Hirundinum genus tertium in parietibus murorum (in muris) exterius nidificat, & muſcis eſt infeſtum. Idem cum paſſeribus pugnat. paſſer enim domicilium (nidum) eius præoccupat initio ueris antequam ueniant hirundines. tum hirundo conatur eum è nido eijcere. Et obſeruatum eſt ſæpius Coloniæ, hirundinem cum non poſſet eijcere paſſerem, ſtridore ſuo hirundines multas conuocaſſe: quæ ſimul cum impetu aduolantes, luto quod roſtro ſingulæ gerebant, nidi foramen ſubito obſtruxerunt: & paſſerem ita incluſum ſuffocarunt, Albertus. Et rurſus alibi, Hirundines quæ in muris & lapidibus nidificant, concludunt luto nidum uſq; ad arctum foramẽ per quod intrant & exeunt. quòd ſi paſſer intrauerit, & non citò exierit, hirundinibus collectis pluribus & luto obturantibus nidum ſuffocatur. poſtea reparato foramine hirũdo ad quam pertinebat nidus paſſerem mortuum eijcit. Auicenna hirundines (ſimpliciter) & paſſeres ſe interficere mutuò ſcribit cum in una domo conuenerint. Hirundines omnes quæ in muris nidificant, claudũt nidos præter foramen per quod intrant, Albertus. ¶ Apodes hoc differunt ab hirundinibus tam agreſtibus quàm domeſticis, quòd tibias habent hirſutas, Geor. Agricola. Turnerus ſanè eas quas nos ſylueſtres hirundines facimus, apodes minores uocat, nullo antiquo nomine impoſito: ruſticas uerò ſeu ſylueſtres alias facere uidetur, quæ ſcilicet in domibus ruſticorum ſemper nidificant: quas à reliquis generibus (inquit) duæ ſanguinolentæ maculæ quas utrinq; in pectore uideas, diſtinguũt: quod Ouidius his uerſibus pulchrè oſtendit: Altera tecta ſubit: nec adhuc de pectore cædis Exceſſere notę, ſignataq; ſanguine pluma eſt, Hæc ille. refert autem has hirundines ad primum genus, hoc eſt ad domeſticas, quas itidem ſanguinolento pectore nobiles dixerat: ut Ouidij uerſus de pectore ſanguinolento, ad domeſticas ſimpliciter, uel ad utraſq; referri poſsint.

DE

DE HIRVNDINIBVS RIPARIIS, ET PRIMVM DE DREPANIDE.



DREPANIS Aristoteli memorata auis, à Theodoro falcula aut riparia conuertitur, uidetur autem non alia quàm quæ riparia à Plinio nominatur, à Marcello Empirico riparíola uoce diminutiua. est enim (ni fallor) in hirundinum genere minima, unde & à Germanis quibusdã, ut circa Argentoratũ Rhynnögele, id est Rheni auícula, diminutiua formula dicítur: cuius figuram nos posuímus, quòd alia ríparia nõdum nobis cognita sit, aut enim hæc ríparia símpliciter est, aut certè ei cognata. Drepanis ut pennis prævalet, sic pedibus degenerat, ut & hirundo & apodes. nam tria hæc genera & moribus & uolatu (ὁμοιόπτερα) & specie (tum reliqua scilicet, tum paruitate pedum) proxima inter se conspiciuntur, Aristoteles. Aestate tantum apparet drepanis cum imber incesit, tunc enim & apparet & capitur. deniq; rara hæc auis est, Idem. Qui negant uolucrem ullam sine pedibus esse, confirmant & apodes habere, & drepanin in eis quæ rarissimè apparent, Plinius ex Aristotele. Δρεπανὶς Hesychio & Varino cénchron, id est milium significat. δρεπανίδες uerò eisdem (lego δρεπανιεῖς, quanquam ordinis ratio apud illos hoc nõ admittat) genus auis est. ¶ Tertium hirundinum genus est quæ rípas excauant, atque ita internidificant. nidos enim (propios) non faciunt: migrantq; multis diebus antè, si futurum est ut auctus amnis attingat, Plinius. Ríparíæ in riparum cauis nidificant, Idem. ¶ Alterum genus hirundinum est rusticarum & agrestiũ, &c. In Aegypti Heracleotico ostio molem continuatione nidorum euaganti Nilo inexpugnabilem opponunt stadij ferè unius spacio, quod humano opere perfici non posset. In eadem Aegypto iuxta oppidum Copton insula est sacra Isidi, quàm ne laceret amnis idem, muniunt opere, incipientibus uernis diebus palea & stramento rostrũ eius firmantes, continuatis per triduũ noctibus tanto labore, ut multas in opere emori cõstet. Eaq; militia illis cum anno redit semper, Plin. Conijceret autẽ aliquis hoc opus circa fluuios ad riparias pertinere, quòd illæ maximè in ripis fluuiorum uersentur & pariant. Sed obijci potest quòd alibi scribit Plinius rías nõ facere nidos proprios, sed in riparum cauis nidificare. itaq; tale opus quo Nilus inundare prohibeatur, nõ efficient. item quòd hoc ipso in loco Plinius mox à rusticarum & agrestium hirundinum mentione hæc scripsit, tanquam illas tantum hoc opus perficeré sentiens. Sed Albertus hirundines illas quæ in foraminibus riparum ædificant iuxta aquas, nidos artificiosos sibi construere asserit, nõ minus quàm domesticas, ut in illis retulimus, quare rem in medio relinquo. Plutarchus quidem in libro de fluuijs (de Nilo scribens) hirundinibus simpliciter hoc attribuit: Generantur (inquit) in Nilo lapides κόλωπες (nimirum à ui agglutinandi, uel glutinoso humore) quos hirundines colligunt cum imminuta est Nili aqua (ἵνα τὸν ἀσέβειαν τοῦ Νείλου. locus uidetur corruptus. ego pro ἀσέβειαν reponerem μείωσιν, uel καταβασιν, uel símile aliquod uocabulum) & chelidonium, id est hirundinínum appellatum murum construunt, qui aquæ ímpetum cohíbet, & regionẽ ínundari prohíbet, ut Thrasyllus in Aegyptiacis tradit. ¶ Hirundínum quæ rípas excauant pulli ad cinerem ambusti, mortífero faucíũ malo, multisq; alijs morbis humani corporis medẽtur, Plin. Remedía quídem eadem omnia, eodem teste, ex hirundínum genere domestico, syluestri & ripario habentur: sed efficaciora è syluestribus, è riparijs efficacíssima.

¶ Albertus ín hístoría animalium lib. 1. cap. 3. pro ijs quæ Aristoteles de drepanide scripserat, sic habet: Hirundínis quædam species non apparet nisi uno tempore anni post pluuiam in fine æstatis mense Augusto, cum Sol est in Leone. ea auis Græcè uocatur abroycayn, & quídam uocant eam daryachím (aliâs dryacha. uoces sunt corruptæ à Greca drepanis.) Est autem admodum rara: & per totum annum non nisi semel apparet, mense uno, quo etiam perit. quare generatio eius obscura est. Et rursus libro 23. Dryacha (inquit) auis est Aristoteli pedibus carens, (καπόπους non ἄπους Aristoteli est:) & cum ad terram ceciderit, cubitis alarum & pectore repit ferè sicut uespertílio. Non apparet autem nisi post pluuiam in principio æstatis. & eo tempore parit, cumq; pulli cõualuerint moritur.

¶ Tertium hirundínum genus quod ín ripis nidulatur, Angli nominant a bank martnet, Germani ein ůberswalbe, aut Speiren, (aliqui Wasserschwalme/Rynschwalme/) Turnerus. Ge. Agrícola apodem eandem cum hirundíne ríparía facit, (cui non assentior,) & Germanicè interpretatur Speirschwalben. Ego diuersarum hirundínum nomina in diuersis Germaniæ locis cõfundi puto, nostri spiras (Spyren) uocant apodes: ínferiores uerò Germani ríparías sic nominant, ut dixi in Apode A. Ripariæ inter hirundines minimæ colorem habent fuscum ad cinereum uergentem,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 586 sur 825

iiberſchwalben Germanis dictæ, Eberus & Peucerus. In terra in foraminibus riparum iuxta aquas nidificant, & inſidiantur bibionibus (culicibus) qui uolant ſuper aquas, Albertus. Hirundines quæ in altis ripis fluuiorum nidulantur, ut & cæteræ ſylueſtres, ab Italis rondoni uel tartari dicuntur, Matthæolus Senenſis, ab alijs, ut audio, dardanelli. à Gallis martinet, quod nomen etiam ad apodes ſeu cypſelos pertinet. Volitant ſuper aquas, & occurſu mutuo infeſtæ uidentur, cum interim nihil aliud quàm muſcarum uenationem ſibi proponant. Arena roſtro allata nidificare eas aiunt. ¶ Auiculam, cuius figuram pro riparia poſui, in Rheni riparum cauis nidificare certum eſt. ſunt qui foramina etiam ab ea excauari aſſerant. Eadem ab alijs Germanice Seelſchwalm nominatur, caudam ut alia genera hirundinum bifurcatam non habet, quantum ex pictura apparet: uentre albicat, ut in collo quoq; pectore fuſca eſt.

¶ In genere item ripariarũ eſt, cui nidus ex muſco arido ita abſoluta perficitur pila ut inueniri non poſsit aditus, Plinius 10.33. cum proximè de alijs hirundinibus ripарijs egiſſet: quare magis placet ripariarũ legi, quàm ut nonnulli codices habent parrarum. nam Gazam quoq; ripariarum legiſſe uideo. etſi eo in loco Plinius non de certo auium genere, ſed in uniuerſum de auium in nidificando ſolertia perſcribat. Et mox, Argatilis appellatur eadem figura ex ligno (lino) intexens. Solerti porrò ingenio argathylis (Græcus codex habet acanthylìs: Gaza uertit argathylis, Plinij ſcilicet lectionem ſecutus. acanthylis quidem non alia auis quàm acanthis uidetur: Heſychius & Varinus acanthyllis per l. duplex ſcribunt, & genus paſſeris interpretantur) in ripariarũ genere (Gaza hoc de ſuo addidit, Plinium nimirum ſequi ſe ratus: cum tamen Plinius non argathylin ripariarum generis eſſe ſcribat, ſed innominatam aliam de qua proximè egerat) ſuũ inſtruit nidum. filis enim intexit lineis ſpecie pilæ, aditu arcto, Ariſtot. 9.13. Quærendum eſt an non parrarum, neq; ripariarum, ſed parorum (id eſt ægithalorum) generis ſit, quæ ex muſco arido nidificat. talis quidem pari ſpecies apud nos eſt, quam à caudæ lõgitudine denominamus: ſed nidus eius oblongus eſt, non pilæ forma. Aegithalus & argathylis nomina facile permutari potuerunt.

DE HORIONE.

CLITARCHVS in India ſcribit uolucrem amatorio affectu flagrantem, nomine horionem, naſci, magnitudine herodio ſimilem, rubris cruribus, oculis cœruleis, ſic à muſica inſtructam, ut naturæ munere tam ſuauiter canat, ut ipſas Sirenes laceſſere poſsit, Aelianus. ὠρίων ſyderis nomen, aut auis quædã, Heſychius. In noſtro Aeliani codice manuſcripto primæ huius nominis non aſpiratur, ut neq; Orioni ſyderi.

¶ HORTVLANAM auiculam quandam in cibis expetitam & facile pinguescentem, Itali circa Bononiam uocant, alaudis (ni fallor) congenerem. Hortulanæ caro calida eſt, genituram auget, & renes calefacit ac impinguat, & menſes prouocat, Raſis.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA INCIPIVNT AB I. LITERA.

DE IBIDE.

A.

EBRAICAM uocem ianſchuph Leuit. 11. & Eſaię 34. Septuaginta & Hieronymus ibin interpretantur. doctiores multi nocturnam, & auem nocturnam eſſe conſentiunt, à uoce ianaph (uel neſcheph potius) quæ crepuſculum ſignificat, tum temporis enim apparet, ut Aben Ezra dicit, cum lucem interdiu ferre nequeat. Vide in Cygno ſupra, & Noctua infra. Tinſchemet quoq; eiuſdem linguæ uocabulum alij ibin, alij aliter exponunt, ut ſcripſi in Talpa A. Auicennæ interpres pro ibide habet auſchuz, ſed Albertus legit caſeuz. Auis (inquit, de ibide ſentiens) quæ ab Aegyptijs ſecundum Ariſtotelem leheras (aliàs ieheras) dicitur, ſecundum Auicennam caſeuz uocatur. ¶ Græce ἶβις ſcribitur. ¶ Mentiuntur qui dicunt ibides eſſe ciconias: niſi dicant genus eſſe ciconiarũ in orbe noſtro ignotum. habẽt enim ciconię roſtrum rectũ, ibides aduncum, Author de nat. r. & Albertus. ¶ Ibidi forte cognata eſt auis quam Itali falcinellum uocitant, mox poſt Ardeas nobis deſcripta: cui roſtrum longum & aduncum, id eſt modicè, arcus aut falcis inſtar, inflexum. color pennarum ſubuiridis. Tringo dicta auis à uulgo Gallorum ad mediterraneum mare, quæ ciconiæ ſimilis eſt & ſerpentibus ueſcitur, nondum mihi cognita eſt. ¶ Belloníus ibidem nigram facere uidetur auem illam, quam nos Coruum ſyluaticum diximus, uide ſupra in Himantopode.

B.

Ibis extra Aegyptum nunquam progreditur. quoniam cœli ſtatus illic uuidus eſt, (διὰ νοτωτάτην χωρῶν ἁπάντων Αἴγυπτος ὄντων. id eſt, quoniam Aegyptus magis quàm ulla regio ad meridiem ſita eſt. quod cum uerum non ſit, Gillius νότῳ, humidum trãſtulit, licet in ea ſignificatione uſurpari non putem, niſi forte à poeta aliquo:) & Luna omnium maximè planetarũ humida (νοτωτάτη.) Iam ſi quis ui atq; impetu eam ab Aegypto exportet, illa quidem ex inſidiatoribus ultionem capit, uel cum magna

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 587 sur 825

gna ſua pernicie. mortem enim ſibi fame conſciſcens, raptoribus ſtudium in ſe exportanda extra Aegyptum uanum eſſe oſtendit, Aelianus. Circa Licham in extrema Africa lacus quidam dulcis eſt, & in eo loco ibes conſpiciuntur, Strabo. Viſam in alpibus ab ſe peculiarem Aegypti ibin, M. Egnatius Caluinus præfectus earum prodidit, Plinius. Scio ego in alpibus reperiri auem, quam noſtri ciconiam nigram appellant: quam tamen ibin eſſe roſtrum rectum non ſinit, ut neq; coruus ſyluaticus alpina auis nigra ibis eſſe mihi uidetur, quanquam roſtro adūco, quòd alia quædam non reſpondeant. ¶ Ibes Aegypti duplici genere diſtinguuntur. ſunt enim aliæ candidæ, aliæ nigræ. candidæ apud Peluſium tantum non ſunt, cum in reliqua tota Aegypto habeantur. nigræ contrà apud Peluſium tantum, in cætera Aegypto nullæ, Ariſtoteles, Plinius, & Solinus. Roſtrum non rectum, ſed aduncum (πρόσωπον ἐπίγρυπον, Herodotus) uel obliquum ibidi tribuunt Plinius & Pauſanias. Stymphalides aues magnitudine grues æquant, ſed ibibus ſunt ſimiles, roſtra tamē habent firmiora, & non ut ibes obliqua, Pauſanias in Arcadicis. Ibis nigra tota uehementer eſt, cruribus gruinis, roſtro maxima ex parte aduncо, eadem qua crex magnitudine. pugnant autem nigræ cum ſerpentibus. At earum quæ pedes humanis ſimiles habent (omittit hæc Vuottonus. Græcè legitur, Τῶν δ' ὧν ποσὶ μᾶλλον ἐιλδυμένων τοῖσι ἀνθρώποισι, ψιλὴ τὴν κεφαλὴν (δ' ἐλαίνοτι ἡ ἰδέη) καὶ τὸν δέρην καὶ τὰς χεῖρας) gracile caput ac totum collum, pennæ candidæ præter caput ceruicemq; & extrema alarum & natium, quæ omnia uehementer nigra ſunt: crura & facies (πρόσωπον, roſtrum) alteri conſentanea, Herodotus libro 2. Crex auis marina ibidi ſimilis, Heſychius. Ibis magnitudine & figura ciconiæ perſimilis eſt. colore autem duplex. nam altera ciconiæ ſimilis, altera tota nigra: & nullum Alexandriæ triuium non eis plenum eſt, Strabo. Ibes aues ſunt excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroq; roſtro, Cicero 1. de nat. deorum. Qui Taricheæ beſtijs præſunt, ibidis inteſtinum ſex & nonaginta cubitorum eſſe affirmāt. quod idem in Lunæ defectione comprimitur, Aelianus. hinc eſt nimirum quòd etiam decreſcente Luna minus quàm augeſcente alimenti hanc auem capere apud eundem traditur. Ibis iuxta Nilum eſt uaria, in Aethiopia (Peluſio malim) uerò nigra: auis magna, in multis ciconiæ naturam referens, Albertus. Idem alibi ibidem ſcribit eſſe ciconiā totam nigram in dorſo, & reperiri quoq; fuſcam, (griſeam.)

C.

Ibis licet aquatica ſit & ſuper (iuxta) Nilum uerſetur, aquam tamen nunquam ingreditur, nequè natare poteſt, Albertus & alij obſcuri. Nocte & die ſemper iuxta litora (ripas) ambulat, Phyſiologus. ¶ Magna tarditate graditur: nec eam ocyus quiſpiam ingredi uideat, quàm molli gradu & tardo, more lautarum mulierum, Aelianus.

¶ Cibus ibidis. Gaudet ibis alimento fœtido, uenenoſo, & uoraciſſima eſt, & inimica ſerpentibus, Simocatus. Apud Græcos Lexicorum conditores ibin ὀφιοφάγον ab eſu ſerpentium, & ὑποκαθαρτικὸν ab impuritate uictus cognominari inuenio. Nullum Alexandriæ triuium non plenum eſt his auibus, partim utiliter, partim inutiliter. utiliter quidem, quia omnem ſerpentem, & omnes macelli immunditias colligit. inutiliter uerò, quia immunda eſt, & omnia comedit, nec facile à mundorum coinquinatione arceri poteſt, Strabo lib. 17. Ibes nigræ anguium uolucrium cateruas peſtilentes intra Aegyptios fines & ingredi prohibēt, & pro terra ſibi amica propugnantes, illud uniuerſum agmen interficiunt, atq; cōſumunt. Aliæ uero ibes ex Aethiopia Nili alluuionibus ſerpentes Aegyptum appetentes conficiunt, eorum conatibus obuiam euntes: quæ cauſa prohibet Aegyptios ex acceſſu ſerpentium perire, Aelianus. Serpentes (paruos, Mela) alatos ferunt initio uēris in Aegyptum uolare, quos ibides aues occurrentes ad ingreſſum planitiei interimant: & ob id opus ibidem magno in honore Aegyptij habent, Herodotus. Ibes maximam uim ſerpentiū conficiunt, auertunt peſtem ab Aegypto quum uolucres angues ex uaſtitate Libyæ uento Africo inuectas interficiunt atq; conſumunt, ex quo fit, ut illæ nec morſu uiuæ noceant, nec odore mortuæ. Eam ob rem inuocantur ab ipſis Aegyptijs ibes, Cicero 1. de nat. deorum. Ibis ſerpentum populatur oua, gratiſſimamq; ex his eſcam nidis ſuis defert. Sic rareſcunt prouentus fœtuum noxiorum. Nec tum aues iſtæ tantum intra fines Aegyptios proſunt. nam cum Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina, quorum tam citum uirus eſt, ut morſum antè mors quàm dolor inſequatur: ſagacitate, qua ad hoc ualent, aues excitatæ, in procinctum eunt uniuerſæ, & prius quàm terminos proprios externum malum uaſtet, in aëre occurſant cateruis peſtilentibus, ibi agmen deuorant uniuerſum. quo merito ſacræ ſunt & illæſæ, Solinus & Ammianus Marcellinus. Ibis Aegyptijs utiliſſima eſt ad ſerpentes ac locuſtas bruchosq; delendos, Diodorus. Quòd autē calidiſſima ſit natura, propterea uel peſſimarum rerum cōficientiſſima uorago eſt. ſiquidem ſerpentes & ſcorpios exeſt, & conficit, atq; ex his partim facile & calore, quo permulto abundat, exterit, & concoquit: partim nullo negotio excrementa excernit, atq; expellit: ægritudine perraro afficitur, Aelian. Ibis iuxta aquas colligit piſciculos & cadauera reiecta, & alia quæ inuenerit animalia, & maximè ſerpentes. altiores quidem & puriores aquas, in quibus piſces puri degunt, refugit, Albertus & alij obſcuri. Catarrhactes, ibis, &c. prohibentur, eò quòd aues ſint piſcium uoraces, quorū rapinæ inhiant, Procopius. Ibin audio creſcente Luna copioſiorę alimento uti quàm decreſcente: & inteſtinum eius in Lunæ defectione comprimi, Aelianus. In quidlibet uel ſordidiſſimum, quamuis immittit roſtrum, ut quippiā illic inquirat, ex inquiſitione tamen cibi, cum ſe quieti tradit, cubile lauat, & pur-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 588 sur 825

gat, Idem. Ibis nunquam sordidam aut ueneno infectam (medicatam aut insalubrem, Plutarchus) aquam bibit, Idem.

¶ Ore parit, Solinus. Aegyptij eam ferunt ore coire & parere: ueruntamen ea de re mihi non facile persuadent, Aelianus. Aristoteles de generat. anim. 3. 6. contradicit illis qui coruum & ibin ore coire putant, ut retuli in Coruo C. Ibis in palmis, ad euitandos seles, nidificat: non enim facile in palma, ob eminentem & cultellatum trunci corticem ij sæpe repulsi & reiecti, sursum correpere possunt, Aelianus. Lunæ sacra est, tot enim diebus oua excudit, quot Luna augetur & decrescit, Idem. Ibidis oua frangunt Aegyptij, quòd inde basiliscí credantur nasci, Simocatus. ¶ Ibis rostri aduncitate per eam partem se perluit, qua reddí ciborum onera maximè salubre est, Plin. Purgationem qua ibis utitur, salsuginem scilicet adhibens, aduertisse & imitati postea Aegyptij dicuntur, Plutarchus & Aelianus. sed Aelianus salsuginis mentionem non facit. Vidi ego canem sæpe uomitu utentem, & Aegyptiam auem clysterem imitantem, Galenus in libro de phlebotomia. ¶ Apion eam ait longissimæ uitæ esse. Atq; in eam rem Hermopolis sacerdotes citat sibi sanè immortalem ibim ostendisse, quod quidem ipsum huic nō minus procul à uero abesse uidetur, quàm ab omni ratione abhorrere existimo, Aelian. Ibis felle hyænæ interimitur, Aelianus.

D.

Mitissima (māsuetissima) auis est ibis, Strabo. Hæc auis prima clysteris usum hominibus monstrauit, ut retuli in C. ¶ Crocodilum si ibidis penna tangas, immobilem reddes, Orus & Aelian. De ibidum pugna contra serpentes scripsi in C. Ibidis pennæ serpētibus aduersantur, Simocatus. Non mouebitur serpens penna ibidis ipsi iniecta, Zoroastres in Geoponicis. & Florentinus Democritum citans authorem. Quilibet serpens ibidis pennam uel intueri timet: si attigerit, obtorpescit: si comederit, uentre dirupto moritur, Philes.

E.

Ibis etsi utilis est in Aegypto, ut quę serpentes omnes, & omnes macelli immundicias absumat: inutilis est tamen tanquam auis immunda, & quæ à mundorum etiam inquinatione non facile arceatur, ut narraui in C. Iosephus Antiquitatum Iudaicarum 2. 10. Moses (inquit) cum ad bellum contra Aethiopes ab Aegyptijs mitteretur, plectas ex papyro fecit in modum arcarum, easq; complens ibidibus secum portabat. hoc autem animal serpentibus inimicum est, fugiunt enim eas aduenientes: & cum se celare uoluerint, flatu uelut ceruorum arreptæ deuorantur. Ibides autem sunt ualde mansuetæ, & generi tantum serpentino feroces. Ibis apud Aegyptios sacra est & amabilis & innocua: ideo quòd nidulis suis ad cibum suggerens oua serpentum, efficit ut rarescant mortiferæ pestes absumptæ, Ammianus Marcellinus. Vescitur ibis scorpionibus & serpentibus, Aelianus. Aegyptijs utilissima est ad serpentes ac locustas bruchosq; delendos, Diodorus.

F.

Ibis, siue tinschemet Hebraicè dicta est, siue ianschuph, in uetere Testamento, cibis interdicitur: siue etiam neutro istorum nominū, impura enim uidetur, cum serpentibus & cibis impuris tantum alatur. Ibidum oua & caro uenenosa sunt, quoniam deuorant serpentes, Albertus. Ibis, in Pentateucho, auis Aegyptia, obscœnitate oris immunda, quo aluum purgare consueuit, Eucherius. Ibidem, ciconiam & gruem Baptista Fiera in Cœna sua tanquam graues cibos improbat. Ibis (inquit) in antiquos, redeatq; ciconia luxus. nos ciconiam quidem mensis receptam legimus, ibin uerò nunquam.

G.

Ibidum oua & caro uenenosa sunt, quoniam deuorant serpentes, Albertus. Oua earum frangunt Aegyptij quòd inde basiliscí credantur nasci, Simocatus. Si quis ea comederit, morietur, Author de nat. rerum. Assa feras (serpentes, nidore scilicet) depellunt, Kiranides. Cinis ibidis sine pennis crematæ potus tormina sanat, Plinius. Ibidum pennæ uim serpentibus contrariam habent, (non tamen inter hominis remedia commendantur,) ut scripsi supra in D. ¶ Pro folijs erini, id est caprifici, fimus ibidis uel folia mori in medicina substituí possunt, ut legimus in Antiballomenis Græcis quibusdam. sed folia mori aliâs proximè postponuntur, substituenda scilicet pro radice hibiscí.

H.

a. Ibis in gignendi etiam casu ibis facit, uel ibidis. Cicero & Plinius ibes in multitudinis numero protulerunt. Inuenio & ἴβυς per υ. in ultima apud Athenæum quod non probo. ἴβυξ ὀρνέου εἶδος, καὶ ἴβυς, Hesych. & Varinus. ἴβις auis est, cuius genitiuus ἴβιδος, & accusatiuus (pluralis) οὓς ἴβιδας, Varinus. quasi mascul. generis sit. Plutarchus in libro de Iside, & alij omnes (quod sciam) gen. fœmin. proferunt. ἴβυξ (malim ἴβυγξ per υ.) genus est auis clamosæ, à qua Ibycus nomē proprium factum est: καὶ ἰβυκλωίσαι, ὅπερ ψῆφι μεταφορᾷ λέγονται βυκλωίσαι, Etymologus in Ibis. Videri autem potest Ibyx auis nomen per onomatopœiam factum, ut & gifyth apud nostros: quæ forsitan etiam eadem fuerit, cū & clamosa sit, & onomatopœia similis. ¶ Ybos uel ibis pro antho aue apud Albertum legitur, qui eam alicubi imperitè eandem ciconiæ facit. uide in Antho. Idem Albertus alicubi ichneumonem quadrupedem ex interpretis Auicennæ (opinor) translatione anschycomon & thyamon uocans, ibidem auem interpretatur indoctissimè.

¶ Ichneu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 589 sur 825

¶ Ichneumonis & ibidis imago in statua reperitur Romæ in horto Belueder in palatio Pontificis, Bellonius. ¶ Aegyptij cor uolentes indicare, ibin pingunt, quòd hæc auis Mercurio cordis ac rationis præsidi attributa sit, (ut dicemus in h.) Orus. Idem pro homine rapace & otioso, crocodilum pingunt cum ibidis penna in capite. hunc enim si ibidis penna tangas, immobilem reddes, Idem. De ibide aurea quæ in comessationibus Aegyptiorum circunferebatur, uide infra in h.

¶ Ibidis sanguis inter rubi nomenclaturas apud Dioscoridem legitur. item ibidis penna & ibidis unguis pro quinquefolio secundum Magos.

¶ Aristophanes in Auibus Lycurgum ibin cognominatum scribit: ubi Scholiastes ostendit Lycurgum à pleriscp uel genere uel moribus Aegyptium esse creditum. ¶ Minutianus auctor est, Coruinum ab Ouidio appellatum fuisse ibin ex auis fœditate, cui uentrem rostro purgare insitum sit, & hoc ex Callimachi imitatione, Cælius. Callimachum inuenio Apollonium poëtam ibin appellasse. Ibis (ut Grammatici scribunt) à similitudine auis eiusdem nominis, pro inuido ponitur, unde Ouidius conscripsit libellum in inuidum, quem In ibin uocauit. Ibidis (inquit) interea tu quoque nomen habe.

¶ h. In pugna gigantum contra deos Cyllenius (id est Mercurius) ibidis alis latuit, Ouidius 5. Metam. ¶ Ibin orationis parenti Mercurio aiunt in amore esse, quia orationis speciem similitudinemcp gerat. nanch eius nigræ pennæ cum tacito, & nondum emisso sermone comparari queunt: nec dum uero prolatæ orationi, intimorum sensuum enunciatrici, candidæ possunt conferri, Aelianus interprete Gillio, sed aliter ex eodē Volaterranus: Ibis (inquit) à Mercurio diligitur, quòd eius naturæ cōueniat. nam quòd nigra & alba in hoc genere reperitur, altera mentis tantum excogitata, tacitacp notantur. altera uerò nuncius auditi prolaticp sermonis extrinsecus significatur. Aegyptij dicunt ibin statim ab ouo excusam duas drachmas appendere, quantum & cor infantis nuper nati. Eadem pedum inter se & ad rostrum interuallis designatis trigonum æquilaterum (cordis quadam specie scilicet) constituit, Plutarchus in Symposiacis 4.5. & in libro de Iside. Illam ibidis etiam uim de Aegyptiorum libris accepi: eam nimirū cum in pēnas, quæ sub pectus existunt, collum & caput abdiderit, cordis figuram exprimere. Socrates in Phædro Platonis, Audiui (inquit) circa Naucratem Aegypti priscorum quendam fuisse deorum, cui dicata sit auis quam ibim uocant, deo autem ipsi nomen Theuth. Eruditi Thoth uel Theuth deum, Mercurium interpretantur. Aegyptij cor uolentes indicare, ibin pingunt. quod quidem animal Mercurio attributum ac dicatum est, cordis omniscp rationis præsidi & moderatori. nam & ibis per se ipsa magna ex parte cordi adsimilis est, de qua re plurimi apud Aegyptios agitātur sermones, Orus 1.36. ¶ Ibis Lunæ sacra est. tot enim diebus oua excudit, quot Luna augetur & decrescit, Aelianus. In comessationibus (κωμασίαις) Aegyptiorum, aurea deorum simulacra circunferunt: canes duos, accipitrem unum, & ibin unam. & quatuor hæc simulacrorum idola, quatuor literas uocant. canes duo mundi hemisphæria interpretantur, accipitrem Solem, ibidem Lunam. opacam enim Lunæ partem (τὰ σκιερὰ) nigro ibidis pennarum colori: splendidam albo conferunt. alij per canes accipiunt duos tropicos, per accipitrem æquinoctialem, per ibin denicp zodiacum: quòd hæc auis præcipuè in numeri & mensuræ cogitationem Aegyptios induxerit, quemadmodum præ cæteris circulis zodiacus, Clemens lib. 5. στρωματέων. Aegyptij animalium quorundā figuras non sine humani generis emolumento dijs tribuêre. nam cum eorum regio adeò serpentibus scateat, ut nulla maior pestis incolas soleat infestare, prouida natura Deuscp malorum depulsor aues quasdam illuc immisit ibes appellatas, quæ serpentes interimunt. quamobrem Aegyptiorum sapientes, ut homines Aegyptios ab interficiendis huiusmodi auibus suæ gentis conseruatricibus deterrerēt, (necp enim deerant qui eis mortem molirentur,) lege cauerunt, ne cui liceret Aegyptiorum ibim interimere, subiecta causa, quòd dij si quibus apparerent, in ibium forma sese eis ostenderent, Alexander Aphrod. in 12. primæ philosophiæ Aristot. Aegyptij diuersa animalia colunt uel usus uel symboli gratia: quædam etiam utriuscp, ut ibin. hæc enim reptilia mortifera interimit, hæc prima clysteris usum in seipsa ostendit: & religiosissimi sacerdotum non alia lustrali aqua purgantur, quàm de qua ibis biberit. necp enim unquam illa insalubrem aut uenenatam aquam gustat, cum ne accedat quidem. hęc designatis inter se pedum gressu distantium & rostri interuallis triangulum æquilaterum efficit. Et nigræ eius pennis albis ita appositæ sunt, ut Lunam amphicyrton referant, Plutarchus in libro de Iside. Ipsi quorum uanitas ridetur Aegyptij, nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem cōsecrauerunt: uelut ibin, quòd maximam uim serpentum conficiat, Cicero. Vide etiam supra in c. Inuocant Aegyptij ibes suas contra serpentium aduentum, Plinius. Crocodilon adorat Pars hæc (Aegypti,) illa pauet saturam serpentibus ibin, Iuuenalis Sat. 15. Πῶς οὖν μᾶλλον ἂν σώσειεν ἶβυς, (ἴβεις potius,) ἢ κύων; Timocles in Aegyptijs apud Athenæum. Aegyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes prauitatum erroribus, quamuis carnificinam potius subierint: quàm ibim, aut aspidem, &c. uiolent, Cicero. In Aegypto si quis aliquā de feris sacris uolens occiderit, morte mulctatur: sin inuitus, plectitur ea mulcta quam sacerdotes statuerint. Ibin uerò aut accipitrem quisquis necauerit, siue uolens, siue nolens, necessariò morte afficitur, Herodotus lib. 2. Diodorus Siculus tamen non accipitrem cum ibide, sed æluru, id est felem in eodem honore ponit. ¶ In Aegypto sacerdotes non omni aqua se aspergunt, sed ea duntaxat, ex qua ibim bibisse credunt. nam planè sciunt hanc nūquam aquam impuram aut

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 590 sur 825

ueneno infectam bibere, ſacram enim diuinandi quandam uim in ſe habere hanc auem exiſtimant, Aelianus.

¶ Emblema Alciati in ſordidos: Quæ roſtro (clyſtêre uelut) ſibi proluit aluum Ibis, Niliacis cognita littoribus, Tranſijt opprobrij in nomen quo Publius hoſtem Naſo ſuum appellat, Battiadesq; ſuum.

DE AVE INCENDIARIA SEV SPINTVRNICE.

INAVSPICATA eſt & incendiaria auis (de bubone prius ſcripſerat) propter quam ſæpenumero luſtratam urbem in Annalibus inuenimus: ſicut L. Craſſo, C. Mario coss. quo anno & bubone uiſo luſtrata eſt. Quæ ſit auis ea nec reperitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur incendiariam eſſe, quæcunq; apparuerit carbonem ferens ex aris uel altaribus, alij Spinturnicem eam uocant. ſed hæc ipſa quæ eſſet inter aues qui ſe ſcire diceret non inueni, Plinius. C. Lælio, L. Danitio coss. auis incendaria uiſa occiſaq;, Iulius Obſequens. Auis incendiaria ſecundum grammaticos quoſdam dicta eſt quòd incendijs naſcatur.

¶ INTVBA auis amari iecoris falſò creditur à nonnullis in Vergiliano uerſu, primo Georg. Et amaris intuba fibris: quo doctiſsimus poeta ad genus illud intubi uidetur alludere quod picris appellatur, Hermolaus in Corollario.

DE ISPIDA.



A.

ISPIDA auis nomen apud recentiores, à ſono uocis factum eſt, ut ſcribit Author libri de nat. rerum. Italicè piumbino, id eſt eſt plumbina uocatur, & circa lacum Larium martinus piſcator: & alibi auis paradiſi propter pulchritudinem ſcilicet. plumbina uerò nominari uidetur, ut Io. Antonius Clarius Ebolitanus ad nos ſcripſit, quoniam deſuper deuolans, in aqua, tanquam plumbum iactum, deorſumq; tendens, linea perpendiculari mergitur, ut inde piſciculos quibus ueſcatur, piſcetur. Eandem ob cauſam etiam haliæetum auem piſcium rapacem Italis plumbinam dici puto. Græci eadem ratione aues quaſdam catarrhactas nominant. Rurſus Itali quidam hanc auem piſcatorem ſimpliciter nominant, circa Mediolanum: alij piſcatorem regis, ut Angli quoq;: alij uitriolum, à uitrioli, id eſt chalcanthi colore, ut conijcio, circa lacum Verbanum: in Hetruria auem S. Mariæ. ¶ Hiſpani in Luſitania aruela. ¶ Galli peſcheur, id eſt piſcatorem: alij martinet peſcheur, ut & Larij lacus accolæ: alij tartarin per onomatopœiam: alij artre, quòd artras Gallice dictas, id eſt tineas abigat. Circa Lutetiã audio mounier appellari, neſcio quàm rectè. à nonnullis impropriè etiam piuerd, id eſt picum uiridem, à colore. ¶ Germani Yßuogel/ uel Eißuogel/ id eſt glaciei auẽ, ut Albertus Magnus quoq; interpretatur. nam hyeme etiam apud nos manet, & circa aquarum ripas glacie cõcretas degit. Pomerani Yſengart. ¶ Angli the kyn ges fiſsher, id eſt regis piſcatorem, ut & Itali quidam. ¶ Iſpidam ex recentioribus quidam ueterum alcyonem eſſe putant, uel ſimpliciter, uel fluuialem: qua de re ſententiam meam expoſui in Alcyone A. Chriſtophorus Encelius alcyonem ab iſpida diuerſam facit: ſed illi quoq; ut huic Germanicum nomen Eißuogel attribui ſcribit.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 591 sur 825

B.

Ispida auis parua est, sed pulchra & pennarum uenustate clarissima: colore medio inter uiridem & cœruleum, qui ad Solis radios sapphirum refert: color pectoris instar carbonum ardentium est. Binos tantum habet in pedibus digitos, ungues aduncos, rostrum parum & rectum, Albertus & Author de nat. rerum. Ispidæ (ipse alcyonem fluuiatilem seu ripariam uocat) pectus purpureum est, collum & dorsum in uiridi cœruleum, alæ fuscæ: rostrum, ut etiam pedes, cinereum, Ge. Agricola. Ispidæ (ex nostra inspectione) rostrum est nigrum, rectū, in summo acutum, tres digitos longum. Vēter totus, & minores sub alis plumæ, colore ferrugineo uel ruffo tali qualis ferè interiorum castaneæ tunicarum est. Pedes breues, rubicundi: in quibus duo longiores digiti ad mediam usque partem connexi, postea finduntur. sunt autem articulati ab imo digiti multis minutis transuersis lineis. Plumę genùa tegunt, inferior pars nuda est. Per medium dorsum, à principio eius usque ad finem caudæ, plumæ sunt cœrulei coloris diluti & ad album inclinantis, mirum in modum splendidæ, ut oculos etiam usu immorantes splendore suo offendant. Pronum caput cum ceruice uidetur uiridis coloris, transuersis lineis ex albo cœruleis distinctum. Virent etiam alæ. sed interior pars plumarum in eisdem ad purpureum ferè tendit uiolaceo dilutum colorem, ut cœrulearum quoque per medium dorsum. Asperguntur & alæ lucidis aliquot punctis. longiores earum pennæ exteriorem partem uiridantem habēt, interior nigricat. Lingua perbreuis est, latiuscula, ac subrubens cum faucibus palatoq;. Oesophagus ualde longus. uentriculus in infimo corpore iuxta anū. adeps ruffa.

C.

Ispida maximè solitaria auis est. Manet apud nos etiam hyeme circa ripas glacie concretas, unde & nomen ei à nostris impositum. Allata est mihi nuper Ianuarij initio capta. ¶ Piscibus uiuit. unde in uarijs linguis alij piscatorem simpliciter, alij piscatorem regis, alij martinum piscatorem uocitant. Circa aquas uolat, pisciculis insidiatur & uermibus, Albertus & G. Agricola. Terram circa aquas rostro cauat, ibiq; nidum congerit ac fœtus facit, Author de nat. rerum. Audio eam in arena uel in scopulo aliquo iuxta aquam nidificare: nidum forma rotunda construere, eminente in angulum foramine exiguo, mollem, ex floribus harundinum: pullos interdum nouem in nido uno reperiri. ¶ Ispida cum pullis suis suauiter olet moschi odorati ferè instar, Hier. Tragus. Caro eius mortuæ non putrescit. Vulgò creditur pellem eius detractam (multi unà cum carne seruant, intestinis tantum ademptis) & alicubi suspensam, pennas quotannis tanquam in uiuo corpore mutare: quod ego falsum esse expertus sum in pluribus huius generis auibus per plures annos reseruatis, Albertus.

D.

Ali & mansuefieri posse hanc auem non puto.

E.

Qui pannos laneos uendunt, huius auis pellem cum pannis habere solent, quasi ui quadam peculiari aduersus tineas polleat. unde & artram à Gallis quibusdā dici arbitrantur. hoc autem ut præstet, satis esse aiunt in eadem cella eam haberi, atq; hoc quidam per aliquot annos se expertos mihi retulerunt: ego uix fidem habuerim. Sunt qui negent fulgurari domum in qua fuerit nidus ipsius. Dicunt etiam auguria sectantes hanc auem cōseruatam in thesauris, augere illos & amoliri pauperatem, Alber. Sunt & similes quædam circa alcyonem superstitiones, quas retuli in Alcyone H. e.

F.

In cibo non probatur, Hieron. Tragus.

CORNIX aquatica apud Morpetenses Anglos dicta (quam supra inter Cornices descripsimus) rostro est paulò breuiore quàm ispida, ante uolatum eiusdem more crebrò nutans. Voce eandem ita refert, ut, nisi uideas, ispidam esse iurares. In ripis etiam fluminum degit, & piscibus uictitat.

ITYX, ἴτυξ, auis quædam, Suidas. Sed forte legendum ἴυγξ, quod auis nomen cōmemoraui supra in Ibide H. a. aut ἴτυς. fertur enim Itys puer in phasianum mutatus.

IVNCO lacus & fluuios petit, caudam motitat ut & cinclus, albicula & tringa. quæ inter minores has maiuscula est. turdo enim æquiparatur. Iunco quidem alaudæ amicus est, Aristoteles interprete Gaza: qui pro Græca uoce χοίνικλος iunco transtulit. nam Græci iuncum χοῖνον nominant. & forte inter iuncos degit cum circa aquas uersetur. Apud Hesychium & Varinum χοίνικος legitur sine lambda. Σχοίνικος, auriga Amphiarai, & auis quædam, & planta, Hesychius. ¶ Ego (inquit Turnerus) quum nullam aliam nouerim auiculam, iuncis & harundinibus insidentem, præter Anglorum passerem harundinarium, illum iunconem esse iudico, auis est parua, passere paulò minor, cauda longiuscula & cápite nigro, cætera fusca, Turnerus. uocat aūt hanc auem Anglicè a rede sparrow, Germanicè ein Reydtmüß, (nostri potius efferrent ein Riedtmeiß, id est parum palustrem. Nos plura de harundinario passere inter passeres, & de paro palustri (hic enim ab harundinario passere differt, etsi Turnerus unam auem faciat) inter paros dicemus: ut de motacillis quoq; diuersis in Elemento M. Eberus & Peucerus etiam Turnerum (ut plerunq;) secuti iunconem interpretantur Germanicè ein Rietmeiß, id est parum palustrem. Græcè ab ijsdem scribitur χοινικλος uel χοινιωψ,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 592 sur 825

DE IYNGE.



A.

IYNX auis apud Aristotelem dicta, ἴυγξ, torquilla uertitur à Theodoro Gaza, tanquam uulgo (Italorum) sic nominetur. Idem ab antiquis turbinem appellatã scribit. ego nullum ex antiquis turbinis nomine pro aue usum inuenio. A colli circumactu, reliquo corpore quiescente, collitorquis appellari potest, Cælius. Italica huius auis nomina uaria obseruauimus, collotorto, stortacoli, capetorto: &, ut author Promptuarij habet, uertilla. Neapoli formicula dicitur, quoniam formicis uescitur. Hispanicè torzicuello. Gallicè terco uel turcot: in Atho monte Græciæ alcion nominatur, Pet. Bellonius. Germanicè **Windhalß/Naterhalß/Naterwendel/Naterzwang/Trähehalß**: quæ nomina omnia ei indita sunt quod collum circumagat, uel simpliciter, uel serpentis instar. Eberus & Peucerus meropem Germanicè **Krintz**, & **Windhalß** interpretantur, quasi uel **Windhalß** Germanicum uocabulum de duabus diuersis auibus in usu sit, uel merops quoq; collum circunuoluat similiter, quod non puto. Idem motacillam, uel Græce σεισοπυγίδα eandem faciunt auem: Theocriti (ut uideo) Scholiasten & Suidam secuti. mihi hæc Grammaticorum opinio non placet: nec iynx nobis cognita, quæ absq; omni cõtrouersia ueterum iynx est, caudam motitat, quod equidem sciam aut obseruarim, cum uiuam dies aliquot aluerim. quanquam uideo Io. Tzetzen quoq; iyngem interpretari cinclida & σεισοπύγιον: & in opere Galeni de compos. medic. sec. loc. iyngem etiam cinædum nominari. Sed hoc est iyngem & motacillam confundere.

B.

Iynx auium una utrinque binos habet digitos, causa est quòd eius corpus minus quàm cæterarum propensum est in aduersum, Aristot. & Plinius. Atqui etiam aliæ picorum & nocturni generis auium, binos utrinq; digitos habent, ut psittaci quoq;. Iynx paulò maior quàm fringilla est, colore uario. Habet sibi propriam digitorum, quam modo dixi, dispositionẽ, & linguam serpentibus similem: quippe quam in longitudinem mensura quatuor digitorum porrigat, rursumq; contrahat intra rostrum. Collum etiam circumagit in auersum, reliquo quiescente corpore, modo serpentum. (unde torquilla uulgò appellata est, quanquam turbo ab antiquis.) Vngues ei grandes, & similes ut monedulis exeunt: uoce autem stridet, Aristot. interprete Gaza. Iynx linguã serpentium similem in magnam longitudinem porrigit. Collum circumagit in auersum. Vngues ei grandes ceu graculis, Plinius. Aristoteles torquillam fringillæ comparauit, quoniam coloribus similes sunt, Niphus. nam quòd ad magnitudinem torquilla paulò maior est quàm fringilla. pictura quidem à nobis posita magnitudinẽ iustè exprimit. ¶ Turbo, ut Gaza nominat, fortè à corporis figura dictus fuerit. cauda siquidem (cuius pars postrema in icone à nobis posita patentior & latior esse debebat) rhombi alteram partem quodammodo refert. & reliquũ corpus cauda & capite dempto rhombum integrum. Vngues utrinq; bini sunt, ita ut utrobiq; longior alter cum altero breuiore coniungatur. Linguæ aculeus tam acutus & ualidus est, ut hominis quoq; cutẽ penetret instar aculeæ. lingua infra arteriæ summum subit, & supra craniũ reflexa naribus inseritur. est autẽ gemina ubi ab occipitio reflecti incipit. in sincipite rursus conueniunt partes utræq;. Marem à fœmina discerni puto cum aliâs fortè, tum pectore magis flauo.

C. Iynx

C.

Iynx lingua exerta magna celeritate formicas aculeo linguæ suæ transfixas (ut pueri ranas mucrone ferreo per arcum attracto emissoq; uenari solent) uorat, nec unquam illas rostro attingit ut cęteræ aues suos cibos. Ego aliquando Aprili mense captam per quinq; dies formicis aluí: quæ deinde mortua est, & haud scio an alí diutius possit, ægerrimè enim fert captiuitatem, nec alio præter formicas cibo uescitur: ut diuersis uermiculis, asellis aliisq; ei obiectis experíri uoluí. Rostro lignum ferit & strepitum ferè ut pící mouet. Iynges linguas prælongas, ut piscatores líneas extẽdunt, qua formicæ transeunt, accelerant illæ tanquam ad escam: & ubí iam plures insederint, paulatim iynges lingua retracta captas deuorant, Oppianus in Ixeuticis. ¶ Sí manu teneas caput circumagit in utranq; partem, non adeò quidem ut rostrum ad medium dorsum omnino retrò spectet, sed aliquousq;, ulterius scilicet quàm ulla alia auis. ¶ Voce sua stridet, Gaza ex Aristotele. Græcè legitur τρίζει. Grammatici Græci iyngem per onomatopœiam ἀπὸ τοῦ ἰύζειν dictã rentur. Vocis sono oblí quam tibiam imitatur, Aelianus. ¶ Nidificat in foraminibus arborum ut pící, aliquando etiam in domibus (rusticorum tantum puto.) Hyeme, ut audio, non apparet, sed autumno maximè. ego mense Aprili captam uídí, & aliâs Iulio: quo tempore etiam sobolem habebat, parit autem oua multa, circiter octo uel nouem.

D.

Iyngem mirabilem & stultam auiculam dies aliquot nutriuí formicis. Ea homine accedente nõ facile refugiebat: irascebatur tamen, & collum in sublime erigens & rostro pinsens (sine morsu tamen) ac idem retrahens extendensq; per uices, tanquam minãdo, iram declarabat, plumis interim, præsertim capitis, rigebat, & caudam erigebat dilatabatq;.

F.

In cibum etiam admittitur, ut Hieronymus Tragus scribit.

G.

Antonij Musæ ad pilos pungentes in palpebris enascentes, trichiasim uocant: Fel auículæ quæ cinædus appellatur, (est autem iynx, ut ostendemus mox in H. a.) & aconiti dimidium eius, mixtis utere, hoc est euulsis pilis locũ illíne, Galenus de compos. medic. 4. 7. inter Asclepiadæ liquida medicamenta ocularia. Aliqui etiam cinædi auículæ felle per se utuntur, ut eodem in capite legimus.

H.

Ἴυγξ auis debebat potius (φυσικώτερον) ἶυξ sine gamma uocari: à uerbo scilicet ἰύζω, ἰύξω, ultima uocali abiecta, Eustathius. Lynx pro iynge, id est illecebra apud Sophoclem legitur, ut citat Athenæus lib. 13. Τοιαύσδ' ὠν ὄψει λύγγα θηρατηρίαν Ἔρωτος ἀσφαλῶς πιν' ὀμμάτων ἔχει. Lynx auis, id est uultur, Kiranides. Scribitur etiam ἶυξ apud Hesychium & Varinum, quod non placet. Μίνθον alíj mentham interpretantur, alíj ἴυγγα, (forte ἶυγγα,) Varinus. Τύϊγγα, auicula quædam, Varín. Iynx auis quæ & cynædœon (κιναίδιον, malim κιναίδιον cum Suida) uocatur, Hesych. & Varín. Fel auículæ quæ cinędus appelletur (ut retuli in G.) medici contra pilos in palpebris pungentes illínunt. Kinædius, id est iynx: & pisces marinus in cuius corpore translucído spinæ apparent, Kiranides. Apud Kiraniden lib. 1. in Phoca, nominatur ad superstitiosum quoddã phylacterium formicarius & iynx, (lectio corrupta habet itygos:) puto autem pro iynge ab interprete formicarium redditum esse, & utrunq; in textum ascítum. nam & Itali quidam hodie iyngem formiculam uocant.

¶ Pindarus ποικίλαν ἴυγγα dixit à uarietate coloris. item πτερόκνημον, propter causam inferius explicandam.

¶ Iynx auis quoniam ueneficis ad philtra & amatorias illecebras in usu erat: iyngos etiam uocabulum authoribus Græcis plerunq; ὠὼθυμίαν, πόθον ἢ θέλησιν significat: hoc est desiderium, cupiditatem, uoluntatem, lenocinium, illecebram, & quicquid animum ad amorem ac desiderium trahit, ut Grammatici annotant, qui & hæc authorum anonymorum dicta citant: ἴυγγί τινι ἕλκομαι, Hesychius. Τῇ σῇ λιφθύητι ἴυγγι, Suidas. Σοφίαν τινὰ καὶ ἴυγγα κίνησον ἐπ' αὐτῷ Δίγυπτίαν, Heliodorus. Ἡ δὲ Κλεοπάτρα ᾤετο ταῖς αὐταῖς ἴυγξιν ὥσπερ ἂν Καίσαρος καὶ Ἀντωνίου, καὶ μύροις καὶ τῷ σεβασθῆ κρατήσειν πρώτου. Καὶ αὖθις, Τοιαύτῃ τις πειθοῖ ἴυγξ Διηγήσεως τοῖς λόγοις τοῦ καινοῦ, Suidas. Troilus Achillem πορφύρεον ἔδαλεν ἴυγγι Τόξων, ἄγαν πορφύρων βέλεα, λέγει δὲ ἕλκη ὄψεσι. Τοιαύσδ' ὠν ὄψει λύγγα, (sic citat Athenæus lib. 13.) θηρατηρίαν Ἔρωτος ἀσφαλῶς πιν' ὀμμάτων ἔχει, Sophocles. Per illecebras mutuas, quæ magorum iynges nuncupantur, & sympathiam seu cognationem quandam rerum miracula cõsurgunt maxima, Cælius. Est inter erotica infamis quoq; iynx, propter quod scitè admodum pro cupiditate uehementi dicitur iynx Pindaro: ἴυγγι δ' ἕλκομαι πόρ, νεμέωϊκα θυιάδων, Idem. Qui uehementi & impotenti desiderio trahuntur ad aliquid, iynge trahi dicuntur, Erasmus in Prouerbijs, citans hoc Pindari è Nemeis hymno 4. ἴυγγί ἕλκομαι πόρ, id est, Iynge trahor animo. & illud Theocriti in Pharmaceutria, ἴυγξ ἕλκει τὸν τλήμονα ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἀνδρός. ¶ Iynges uocant philtra & quæcunq; ad illiciendos amores parantur, ab iynge aue, qua ad hanc rem olim abusæ sunt ueneficæ, ut Grãmatici docent. hanc enim auem aiunt idoneã esse εἰς μαγγανείας, (μάγγανα interpretantur φάρμακα, μηχανήματα,) Hesych. ¶ Sunt qui iyngafuísse antiquis citharã cantus prædulcis tradant, (ut Varinus recitat,) ut inde omne quod expetas iucundius, rectè iynga dicas, Cælius. Iynx etiam fistulam significat ex unico calamo compactam, ut quidã in Lexicon Græcolatinũ retulit. ἴυγγες, λευκοὶ πόροι καὶ αἱ τρῆσεις, Suidas & Varín.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 594 sur 825

¶ Iynx potius dici debebat quàm iynx, à uerbo ἰύζω, ultima uocali abiecta: à quo etiam ἰυγμὸς deducitur, Eustathius. ἰυγὴ, uox, clamor, Hesych. idem quod ἰυγμός. ἰύζειν legimus apud Homerum de canibus & uenatoribus contra leonem clamantibus, Iliad. ρ. ubi Scholiastes: ἰύζουσιν, ἀγροικικῶς φωνοῦσι, προσφθέγγονται, προσφωνοῦσι, παραπίπτουσι δὲ αἱ λέξεις πρὸς τὸ ἰδιοπάθημα. ἰυγμίνης, Bacchus, Hesychio & Varino, fortè quòd uinum homines ad se iyngis instar alliciat, quasi illecebrosum interpretêris. Hinc ego (inquit L. G. Gyraldus) putárim Pindarum quodam hymno Pyth. ad Arcesilaum Cyrenęum iyngem auem Bacchi nuncupasse. ¶ Babylone ex testudine loci ubi rex ius dicere solebat, iynges quátuor aureæ pendebant, fatalem conditionem (Adrastiam) significantes, admonentesq; regem ne se supra hominem efferret. eas uerò dicunt Magos cum in regiam uenissent, iussisse fieri. Vocãt autem ipsas deorum linguas, Philostratus lib. 1. de uita Apollonij.

¶ Myrus piscis colorem totum símilem habet iyngi, tum intus, tum foris, ut scribit Aristoteles libro 5. de animalibus, Athenæus. sed Aristoteles libri iam citati cap. 10. aliter, ὅτι ὁ σμύραινος ὅλῳ ὁμόχρως καὶ ἀγυιὸς, καὶ τὸ χρῶμα ὅμοιον ἔχει τῷ πίττει (Gaza uertit laríci. non ἴυγγι) καὶ ὀδόντας ἔχει καὶ ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. Hinc igitur Athenæi locus restituetur. Iyngem prima Venus fertur è monte Olympo ad homines detulisse, ac dedisse Iasoni, & docuisse eum incantandi artes, ut Medeæ animum in sui amorem compelleret, Scholiastes Pindari in Pythijs Carmine quarto in Arcesilaum Cyrenæũ. ubi hæc poetæ uerba legimus, πότνια δ' ὠκυτάτων θελέων ποικίλαν ἴυγγα πε= =τράκναμον ὀλυμπόθεν, ἐν ἀλύτῳ ζεύξαισα κύκλῳ μανιάδ' ὄρνιν κυπριογενὴς φορῆν πρῶτον ἀνθρώποισιν, &c. Cognominat autem iyngem uariam à colore: item τετράκναμον, hoc est quatuor ubijs uel quatuor radijs insignem. quoniam à uenefícis hæc auis ad circulum seu rotam alligari solebat, alis binis superne, & pedibus binis inferne, ut ita quatuor radiorũ rotæ speciem præ se ferret. Potest & rota ipsa metaphoricè (inquit Scholiastes) iyngis nomine appellari, quatuor distincta radijs. sed poeta notanter ἴυγγα τετράκναμον dixit, non κύκλῳ. Iynx auis philtris est accommoda & excantaminibus amatorijs, pendens enim ex rota agitatur, aut cum cerea amburitur rota super ardentes prunas. Tradunt alij eius interanea explicari rotę circunuoluta, Cælius ex Varino uel Scholiaste Pindari. Ex iynge auicula caudam quatiente ad philtra utuntur priuatim pennis quæ circa caudam sunt, priuatim etiam osse circa pectus labdoide figura, specie símili myopi seu calcari equitum. Collum etiam eius ad alia quædam prodest: & auis tota ad amores, alis suis in aliqua rotula extensa & circunuoluta in nomẽ amantis, Io. Tzetzes Variorum II. 380. Iynx etiam paruum quoddam instrumentum est, quod uenefícæ solebant circumagere, ceu ita sibi conciliaturæ eos quos amabant, Suidas. Ferunt iyngem ipsam prius mulierem fuisse, filiam Pithûs uel Echûs & Panis quæ cũ in Ioue Iûs (ἰὼς. ut Scholiastes Lycophronis habet, & Cælius quoq; legit. Varinus non rectè habet ἠὼς, id est auroræ) amorem suis uenefícijs excitasset, à Iunone fugata in auem mutata sit, Varinus. Iynx perhibetur filia Echûs aut Pithûs, aut Hieronices aut Veneris (sed Græcè legitur Ἴυγξ Ἠχοῦς ἢ Πειθοῦς, θυγάτηρ Ἱερονίκης καὶ Ἀφροδίτης,) quæ cum Iouem suo uenefício affecisset, eam ob causam à Iunone in auem conuersa sit, Suidas. quamuis hic ἀπελιβώθη habeat, Varinus melius ἀπωρνιώθη. Iyngis ope puella Theocriti ad alliciendum amatorem utitur.

¶ Emblema Alciati, quod inscribitur Inuiolabiles telo Cupidinis, habet autem adiecta figura iyngem in rotula extensam.

Ne dirus te uincat amor, neu fœmina mentem
Bacchica auis præstò tibi motacilla paretur,
Ore crucem & cauda, & geminis ut cõplicet alis,
Dicitur hoc Veneris signo Pagasæus Iason
¶ Nos quoq; olim in iyngis iconem uinctam ad manum hominis lusimus his senarijs.
Cur uinctam iyngem picta detinet manus?
Quæsita philtris: fortè quòd quouis agat,
Sic & uoluptas corda agit mortalium,
Hanc tu nisi uinctam cum ratione rexeris,
Hoc fascinum putabis, atq; maximum
Hoc torquet animos, turbat, & retro mouet.
Aut si libet uti, uincla semper admoue.
Dirípiat magicis artibus ulla tuam:
Quam quadriradiam circuli in orbe loces:
Tale amuletum carminis omnis erit.
Phasiacis lædi non potuisse dolis.
Auis hæc amoris & uoluptatis nota est,
Ante & retrorsus, colla, in orbem, libere.
Mirumq; torquet in modum quoquò libet,
Mentis peribit quicquid ac sensus habes.
Philtrum, ueneficiumq; quàm miserrimum.
Aut igitur omnem tu uoluptatem fuge,
Nũquam cicuratur, semper est uinclis opus.

IZINES, ἸΖΙΝΕΣ, οἰωνοί, ὄρνιθοι, πτηνοί, λίβιττοι, tripodes, Hesychius & Varinus.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA L. CONSONANS INCHOAT.

DE LAGOPODE.

ALPIVM peculiaris auis est lagopus, præcipuo sapore. pedes leporino uillo insignes ei nomen hoc dedêre, cætero candidæ, columbarum magnitudine. Non extra terram in qua nascitur ea uesci facile: quãdo nec uiua mansuescit, & corpus occisæ statim marcescit. Est & ALIA nomine eodem à coturnicibus magnitudine tantum differens, croceo tinctu cibis gratissima, Plinius 10. 48. Si meus aurita gaudet lagópode Flaccus, Martialis lib. 7. In alijs exemplaribus



exemplaribus lagopice legitur, quod quidam ancillæ nomen interpretatur, quàm rectè ipse uiderit, in lagopode quidem prima breuis est, sed licentia produci potuit. Pinguemq; uitijs albumq;, nec ostrea, Nec scarus, aut poterit peregrina iuuare lagois, Horatius Sermonum 2. 2. ubi Acron, Aut (legerim, Lagois est auis quæ) carnem leporis habere perhibetur, aut genus piscis quod in mari Italo non inuenitur. Λαγωΐνης, auis quædam, Hesychius & Varinus. ¶ Otidem auem, de qua inter Gallinas scribemus, Alexãder Myndius lagodian (λαγωδίαν) cognominari ait. ¶ Est & herba lagopus, de qua plura scripsi in Lepore 2.

¶ Lagopus pedes habet leporinos, & uillum pro plumis, & malè uolat: & ideo in specubus sub terra uiuit, quòd si ad prædam aliquando prosilit, mox ea capta ad antrum redit & comedit, Albertus: tum hoc ex Plinio addit, nõ mansuescere, captam mori, & citissimè putrescere. Sed ex eo quòd

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 596 sur 825

illam è ſpecubus ad prędam proſilire ſcribit, nocturni generis auem exiſtimaſſe uidetur. ſunt autem nocturnæ quædam aues pedibus ferè uilloſis & pluma contectis, non tamen inferius quoq; ut nobis cognita lagopus. ¶ Lagopis, quos francolinos uocant, ager Vicentinus abundat, qui optimi ſaporis bonitate faſianos & perdices ſuperant, Zacharias Lilius. ¶ Eberus & Peucerus lagopodem croceam Germanicè interpretantur Emmerling/Goldammer, quod eſt genus paſſerum.

¶ Auis quam ego pro lagopode pinxi, à noſtris & montium incolis Germanicè nominatur ein Schneehün / Schneevogel/ein wyß Räbhün / ein wild wyß hün / Steinhün, circa Lucernam Schrathün. quæ uocabula uel à colore candido facta ſunt: uel à locis ubi degunt, niuibus ſcilicet & ſcopulis circa montium uertices. poſtremi ſignificationem non aſſequor. Bellonius Gallicè uocat perdrix blanche de Sauoie, id eſt perdicem albam Sabaudicam. Ego in Sabaudia Valleſijs finitima arbenne uocitari accepi. cui proximum nomen eſt urblan, Italis in Lombardia uſitatum. Burmij in Rhætis Italicè loquentes appellant rhoncas, alibi herbey: alibi perdice alpeſtre: qui circa Tridentum habitant perniſe bianche de la montaigne, id eſt, perdicem albam montanam. ¶ Cíuis quidam Curiæ Rhætorum uir non indoctus perdices albas in montibus Rhætorum inueniri mihi affirmauit, nihil à uulgaribus noſtris differentes, niſi quòd colorem, quem æſtate fuſcum & noſtris ſimilem habeant, hyeme in candidum mutent, quemadmodum & lepores in ijſdem montibus, quorum pedes etiam uilloſos perdices illæ repreſentent. aiebat autem totas eſſe candidas, præter minimas quaſdam notas quæ circa aures nigricent. lagopodes uerò (die Schneevögel oder Berg hüner) quamuis eadem magnitudine ſint, nõ tamen eſſe perdicum generis: & in frigidiſſimis montium iugis uel cacuminibus morari, ubi ne frutices quidem ulli prę nimio frigore creſcere poſſunt: perdices locis non adeo frigidis reperiri, & maximè inter iuniperos.

¶ Allata eſt ad me aliquando lagopus, initio Maij capta, magnitudine columbæ, tota candida, niſi quòd pẽnæ in cauda utrinq; nigræ erant. pedes & digiti undiquaq; hirſuti, ut in lepore. roſtrum quale galli corylorum dicti, quem attagenem interpretor. Auriculæ nullæ, nec aliquid aurium inſtar eminẽs, ut mireris cur auritam lagopodem Martialis dixerit. Amplius corpus mari, & à roſtro oculos uerſus linea nigra, qua fœmina caret. Supercilia etiã, id eſt ſemicirculi ſupra oculos in mare magis rubent, in fœmina pallent. Aeſtate fuſcam eſſe aiunt, nõ albam: eas uerò quæ non aſcendant in montes, ne hyeme quidem albeſcere. uocem ædere non diſsimilem ceruinæ. prope niuem & glaciem degere in alpium uerticibus tota hyeme. eadem in ijs quæ in perdicibus obſeruari, quòd oua humi pariant, & quòd gregatim uolent nec in ſublime. cauis equorum ueſtigijs per niuem aliquando inſidere, unde ſi quis forte accedat ſubitò euolent. uiatores propè admittere, minimè ſuſpicaces. capi interdum pane tantum obiecto, alio accedente à tergo. ¶ Guſtaui aliquando aſſatæ lagopodis carnem, ſubamaram, guſtu alioqui non ingrato, & delicijs quæſitam. cutis eius nigricat. ¶ Lagopus (quæ Germanicè Steinhün uel Schneehün dicitur) non procul uolat: & facile capitur, tanquam ſimplex & ſtolida auis, hoc ferè modo: Lapides oblongo ductu diſponuntur, tanquã ad muri extruendi initium. eò cum peruenerint lagopodes, non tranſiliunt, ſed iuxta illum ſubinde aſcendunt deſcenduntq;. tum aucupes funem longum laqueis inſtructum iuxta eundem extendunt, & cum illic uiderint aues, funem tandiu huc illuc trahunt, donec illæ collo illaqueentur, Stumpſius. Quin & ſimplicius interdum capiuntur: Aucupum alter pileum manu rotat, quem dum admiratur auis, alter cum longa arundine & laqueo accedit. Lagopodes hyeme fuſci fiunt, æſtate candidi: habentq; crura & pedes albo pilo tectos. incolæ montium aiunt carnes earum cibum eſſe lautum, ſalubrem & calidi temperamenti. capiuntur hoc pacto: Lapilli diſponuntur in lõgam ſeriem continui: ad quam uenientes aues cum non audeant tranſire metam poſitorum lapidum, ordine ſequuntur murulum illum, donec in extremitate eius incidant in laqueos & poſitas inſidias, Munſterus. ¶ In Septentrione genus eſt auium niualium, quæ in ſæuiſsima hyeme tantum & magnis niuibus prodeunt, turdi magnitudine & ſapore, totæ candidæ, Olaus Magnus. Mihi quidem hæ aues uel lagopodes, uel eis congeneres uidentur.

¶ Attagen uulgò in Creta Taginari uocatur: aliquibus attagas, ut Conſtantinopoli. Hæc auis noſtræ quæ Gallis uulgò canne petiere dicitur, perſimilis eſt. ſed canna noſtra non habet crura plumis intecta: attagen habet, & roſtrum nigrum, breue, prævalidum, corpus quàm canna graciliùs. Reliqua, ut color etiam, ferè ſimilia ſunt. Sed attageni color inconſtans. reperitur enim totus candidus, quem conjcio nihil differre à perdice alba Sabaudorum, hoc eſt lagopode Plinij. Memini equidem Venetijs attagenem album uidere. Itali ſiue albo ſiue alio colore inſignem, francolinum appellant, Bellonius.

DE LAGOPODE VARIA, CVIVS ICONEM in fine libri requires.

ALTERVM etiam hoc lagopodis genus in Heluetiæ montibus reperitur. Auis huius generis quam deſcripſi, mas erat. uentre candido, & alis quoq; albiſsimis. à poſteriori parte tamen pennæ aliquot partim fuſcæ, partim uariæ (σκίαι) erant. Caput, collum & dorſum plumis fuſcis & maculoſis diſtinguebantur, collum ſupina parte plurimum albi, nigri parum ha-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 597 sur 825

rum habebat: prona partim uarias, partim albas plumas. Pellicula ſupra oculos utrinque ſemicirculi figura rutila eminebat. Roſtrum perbreue, nigrum: cuius pars ſuperior incuruata, inferiorem canaliculatam in ſe recipiebat. Cauda digitos quinq; longa duodecim pennis nigris conſtabat, & duabus in medio candidis, & tribus aut quatuor uarijs. Circa coxas denſæ & multæ erant albæ plumæ, ad imos uſq; digitorum ungues adnatæ, ita ut nihil planè nudum appareret exceptis unguiculis nigris. Vola pedis tantum & interna digitorum pars ſine plumis erant. digiti tamen undequaq; cocuntibus plumis tanquam pilis integi poterant. Magnitudo columbę aut paulò maior. longitudo totius circiter palmos quinq;. ¶ Hanc auem circa Tridentū Italicè puto dici otorno, circa Verbanum lacum colmeſtre. Noſtri priuatim Steinhůn, id eſt ſaxatilem gallinā appellant: ut & præcedentem aliqui. ſunt qui diſtinguendi gratia magnitudinis differētiam adijciant, (klein oder groß Steinhůn.) conijcio autem ſecundum hoc genus paulò maius eſſe. De priore quidem genere dubium mihi nō eſt, quin ſit lagopus prima Plinij, candida, &c. hoc ſecundum uerò etſi dubitari forte poteſt an ſecunda Plinij lagopus ſit, quam à coturnicibus magnitudine tantum differre ſcribit, omnino tamen ad idem genus cum prima referri debet.

¶ LALAGES, λάλαγες, ranæ uirides circa paludes, uel genus quoddam auis, Varinus, aliàs λάσταγας.

DE LANIIS, ET PRIMVM DE CINEREO.

A.

LANIVM cinereum noſtrum, cuius effigiem in fine libri ponemus, alij aliter Latinè Græce uocari poſſe coniecerunt. ego cum nulli ueterum deſcriptioni ſatis eam accedere uiderem, nouo nomine lanium appellare malui: quòd in alias aues non ſolum ſe minores ſed maiores etiam aliquas laniando ſæuire ſoleat. Germanica eius nomina habemus Thorntrāer/Thornkretzer, quaſi torquiſpinum uel ſpinilanium dicas. ferūt enim aucupes inſecta à ſe capta & auiculas eum ſpinis ueprium infigere, & circuntorquēdo occidere, ſimul etiam roſtro laniantem deuorātemq;. Item Nüntöder/Nünmörder, hoc eſt enneactonos, apud Vueſtphalos, Heſſos & Turingos: quòd ſingulis diebus nouem alias uolucres occidere credatur. Circa Friburgum Waldhāher, uel Waldherr. Angli uocant a ſhrike, a nynmurder. In Anglia (inquit Turnerus) ſæpius quàm bis nunquam uidi, in Germania ſæpiſsimè. Nomen huius apud noſtros (Anglos) neminem inueni qui noſſet, præter Franciſcum Louellum tam animi quàm corporis dotibus equitem auratum nobiliſsimum. Itali regeſtola, neſcio quam ob cauſam: Circa lacum Verbanum oreſta. alij regeſtola falconiera, quòd prædandi natura falcones & accipitres imitetur: unde alijs gaza ſperuiera dicitur. circa Ferrariam deſtolo falconiero. alij gaza marina. gaza quidem pica eſt. refert autem hæc auis picam aliquo modo, cauda præſertim, & in genus etiam quoddam picarum ſæuit. alij paſſera gazera, quam aiunt magnas etiam aues nido ſuo appropinquantes morſu repellere: niſi hoc nomen forte minori tantum generi laniorum, quod paſſeris magnitudinem non excedit, conueniat. Sabaudi matagaſſe: quibus etiā agaſſe picam ſonat. alij pie grayche, id eſt pica Græca, uel pie eſcrayere. Galli quidam arneat: alij pie ancrouelle, quòd unguibus ſuis paſsim adhæreat arborum truncis ita ut aliquando uix extricetur. Turcę gezegán. Belloníus ſcribit uidiſſe ſe in Aegypto in ſæpibus uolantes aues illas, quæ Gallicè dicuntur pies grieches (id eſt picæ Græcæ) quæ (inquit) mures deuorant, ut tinnunculi.

¶ Turnerus in libro de auibus Ariſtotelis tyrannum eſſe arbitratur, cui Ariſtoteles corpus non multò amplius quàm locuſtæ tribuit, criſtam rutilā ex pluma elatiuſculam, &c. inde nimirum quod propter ſæuitiam in cæteras aues tyranni nomen mereri uideatur. Quanquam Ariſtoteles (inquit) unum tantum tyranni genus faciat, Colonienſes tamen aucupes tria genera eſſe contendunt. Primum uocant die groſſe Nünmörder, quod Angli etiam ſchricum nominant: & ego Ariſtotelis mollicipitem eſſe conijcio. ſturnum magnitudine æquat, color eius à cyaneo ad cinereum uergit. Secundum genus eiuſdem eſt coloris, cuius & ſuperius, ſed paſſerem magnitudine non excedit. Hoc genus etiam in aues ſæuit. Tertium genus, quod Ariſtotelis tyrannus eſt, auicula eſt regulo paulò maior, criſta rutila redimita, & cæteris generibus (ſi aucupibus credere phas ſit) cæde & corporis effigie non diſsimilis. Secundum & tertium tyrāni genus apud Anglos hactenus nunquam uidere contigit, & primum genus licet in Anglia ſit, paucisſimis tamen notum eſt: ſunt tamen, qui norunt, & ſhricum uocant. Primum genus ex iſtis à Turnero deſcriptis ſpinitorquus noſter eſt, magnitudine merulæ, uel turdi ferè, alterum genus noſtri appellāt ſpinitorquum minorem, ſpecie, colore & natura ſimile, ſed fringilla aut paſſere nō maius. Tertium genus (quod Turnerus in lemmate hiſtoriæ tyrāni Germanicè uidetur Goldhenlin appellare, neſcio quàm rectè. Germani enim regulum ab aurea capitis nota Goldhenlin appellant,) à Turnero poſitum, nō putauerim laniorum generis eſſe: & Turnerus ipſe non id ſe uidiſſe, ſed ab aucupibus audiuiſſe inſinuat. Vidi quidem in Italia minimum harum auium genus, uertice rubēte, reliquo corpore cinereo, tenerum & molle tactu, in cibo laudatum tanquam ſaluberrimum. (ſed hæ non ſunt quæ Germanis Goldhendle di-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 598 sur 825

cuntur.) Eædem uel minimis lanijs paulò maiores sunt, quæ Italicè uulgò (circa Ferrariam) uerſs uel uerle dicuntur, rostro pedibus & colore maioribus lanijs similes: ut casazui etiam dicti, magnitudine media, magis ruffi dorso, pectore uarij, cætera similes, στικτοί.

¶ Eberus & Peucerus lingulacam, id est glottidem Aristotelis, Sorendreer Germanicè interpretantur: quibus ego nullo modo assentior. Iidem mollicipitem, gallinaginem minorem faciunt, (ein Härschnepf/) non ut Turnerus lanij nostri genus primum.

B.

Auis quæ Germanicè nõ sine causa nominatur Nünmörder / huiusmodi est: Magnitudine minimum turdorum genus æquat, è longinquo contemplanti tota apparet cinerea. Propius autem inspicienti, mentum, pectus & uenter alba apparent, ab utroq; oculo ad collum usq;, longa & nigra macula, sed nonnihil obliqua porrigitur. Capite tam grandi est, ut aui triplo maiori (modò rostrum longius & maius esset) proportione sua satis responderet. Rostro nigro est, & mediocriter breui, & in fine adunco, sed omnium firmissimo & fortissimo, utpote quo manum semel meam duplici chirotheca munitam, sauciauerit, & auium ossa & capita confringat & conterat quàm ocyssimè. Ala utraq; nigra tota est, nisi quòd alba linea grandiuscula, mediã utrinq; alam transuersim distingat. Caudam picæ similem habet, longiusculam nimirum, & uariam. Tibias & pedes pro ratione corporis omnium minimos, & eos nigros: alas breues, & ueluti per saltus sursum atq; deorsum uolitat, Turnerus. Ore est firmo, paruo & rotundo, pennis inualidis, sed pedibus ualet, Eberus & Peucerus. Alarum pennæ multæ inferius albicant, pennæ in cauda nigræ sunt, sed extremæ utrinq; sitæ albæ, diuerso modo. nam prima extremarũ tota albet, secunda minus quàm prima, & tertia minus quàm secunda, quarta deniq; minus quàm tertia, ita ut utrinq; ex quaternis pẽnis interior semper minus alba sit exteriore. superius tamen, hoc est circa orrhopygium, omnes albicant. qui color etiam in uentre & inferiore colli parte spectatur. Rostrum, crura & ungues nigredine splendent. Rostrum aduncum est ut speruerio. eius pars superior ualde inflexa deorsum duos angulos utrinq; efficit. inferior uerò pars modicè sursum curuatur. Os subrubet intrinsecus, & lingua extrema (ni fallor) in fibras quasdam diuiditur, Hæc ex obseruatione propria.

C.

Viuit ex scarabeis, papilionibus & grandioribus insectis: sed non solis istis, uerumetiam, more accipitris, auibus. Occidit enim regulos, fringillas, & (quod ego semel uidi) turdos. Tradunt etiã aucupes hanc picas quasdam syluestres interdum iugulare, & cornices in fugã adigere. Aues, quas occidit, non unguibus, ut accipitres, uolando perniciter adsequitur, sed ex insidijs adoritur, & mox (quod iam sæpius expertus sum) iugulum petit, & cranium rostro comprimit & confringit. Ossa comminuta & contusa deuorat: & quando esurit, tantos carnis bolos in gulam ingerit, quantos rictus oris angustia potest capere. Ossifraga dici posset, si eius illi magnitudo adesset. nam nec moribus, nec colore ab ea multum abludit. Præter morem quidem reliquarum auium, quando uberior præda contigit, nonnihil in futuram penuriam reponit. Muscas enim grandiores & insecta iam capta in aculeis & spinis arbustorũ figit & suspendit, Turnerus. ¶ Audio lanios nostros plerunq; uersari inter frutices spinosos, & cum consident caudam erigere. in ijsdem nidificare. fruticum & humilium arbustorum summis surculis insidere. insanire nouies die: & singulo mense horis uiginti quatuor ægrotare morbo, quem quidam S. Ioannis appellant, Itali malum terræ, quo tanquã mortui iaceant. nullo non die uiuum aliquod animal perimere, aues scilicet aut uermes (ut iulos & erucas) præsertim hirsutos, quos circa spinam aliquam intorqueãt. cantillare, & uarias auium modulationes imitari latentes in sæpibus, ut aues ad se alliciant capiendas. nam alioqui parum ualent uolatu. itaq; in ipso etiam aere operam dant ut uolent sublimius, id est supra illas aues quas capere conantur: & celeritatem illarum uarijs utentes ipsæ anfractibus impediunt, donec defessas corripiant. sic turdis & similibus maiusculis auibus interdum potiuntur. alioqui muscas captant.

E.

Lanij facile capiuntur. nam cum uident auem aliquam caueæ inclusam, desuper uolant inuasuræ, tacta uerò decipula mox concidit. ¶ Cicurantur aliquando à pueris accipitrum instar & aluntur, ut passeres captent è nidis. Audio Franciscum Galliarum regem, cicurem habuisse laniũ, eoq; ad manum redeunte aucupari solitum. Omnium auium facillimè cicurantur, & mansuefacti carnibus aluntur, quæ si fuerint sicciores, aut prorsus exangues, potum requirunt, Turnerus.

F.

Hieron. Tragus lanios & alias aues rapaces in cibo improbari scribit. atqui minimum genus laniorum rubore uerticis insigne, ut supra scripsi, in Italia delicatum & salubre habetur.

DE ALIO LANIORVM GENERE MAIORE.

SIMILIS hæc auis est superioribus lanijs, maiori præsertim: quam tamen duplo ferè uincit magnitudine, ut ad merulam ferè dupla sit. natura & species corporis eadem, nisi quòd alæ sunt ruffæ. Germanicè circa Argentoratum, Francfordiam & alibi Werkengel uel Warkengel nominatur, nescio qua ratione. Sed Albertus Aristotelis de hist. anim. caput ter-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 599 sur 825



put tertium libri octaui enarrans, hoc nomen Germanicum præcedentibus lanijs tribuit, ita ut commune potius quàm uni speciei proprium uideri debeat. Aristoteles quidem eo in loco picorum genera duo facit, maius & minus. Albertus uerò ineptè (ut solet) pro pico auem kya uel kyliam nominat. Kyliam (inquit) Græcè est auis, quæ apud nos **Warchengel** uocatur: & habet rostrum non curuum (rostrum incuruum lego) nec uncos ungues, in quo genere species maior, ad magnitudinem merulæ accedit, minor uerò paulò infra sturnum est. utriusq; color cinereus, & maculæ duæ nigræ iuxta oculos. Venantur aues paruas, quas rostro capiunt. Idem Albertus alibi (in Aristot. de hist. anim. 9. 17.) pro certhio aue (suo nobis loco descripta) habet raricheus, & Germanicè **Warkengel** interpretatur. Et alibi, Auis (inquit) Germanicè dicta **Warkengel**, uenatur paruulam auem musicam, quam nos uinconem, quidam Germanicè sichendulam uocant (acanthidem intelligo, **ein Zinßle/Zyschen**) ab imitatione soni ipsius auis. Sed lanij nostri uarias auiculas, nõ acanthides tantum discerpunt.

¶ MERVLIS affine genus quoddam est uenaticum & captiosum, colore atrum, splendide canorum, recte ex eo uenaticum (ἀγρευὸς) appellatum, quòd ex auibus multas sui cantus permulsione ad se allicit, & capit: cuius ingenitæ sibi præstantiæ hæc auis non ignara, eo naturæ munere ad se uoluptate & cibo explendam uti uidetur. nam ex sui cantus auditione & bellissimas oblectationes habet, & aucupio & uenatione proxime ad se accedentium auicularum exsaturatur. Quòd si quando quisquam hanc captam concluserit in caueam, nõ modo canere omittit, uerum etiam pro seruitute sua à uenatore pœnas silentio sumens, muta permanet, atq; elinguis, Aelianus. uideri autem potest hoc genus lanijs nostris cognatum, cum & magnitudo, & natura uenandiq; modus aues cantu allectas, conueniant. solus color ater non conuenit. Bellonius in Obseruationibus suis Gallicis, Circa Gazam Syriæ (inquit) uidimus auem, quæ meo quidem iudicio suauitate cantus sui cæteras pleraſque uincit, ueteribus, ni fallor, uenatica dicta. Magnitudine paulo supra sturnum est, uentre albo, dorso cinereo, ut molliceps auis quam Galli uocãt gros bec à magnitudine rostri; cauda nigra, quæ alas eius excedit ut in pica.

DE LARO.

A.

CEPPHVS est qui uulgò larus dicitur, Scholiastes Aristophanis & Suidas. Ego cephũ è larorum genere auem esse non dubito; quando & inter Grammaticos ueteres id conuenit: & locus ubi degunt uictusq; ratio, & ingeniũ, ut conferenti apparebit, non discrepant. Lari quidem nomen latius patêre dixerim, quum & marini & fluuiatiles lari sint; cepphum uerò & catarrhacten, larorum marina duntaxat genera esse, quæ colore & magnitudine differant. Lege plura in Ceppho A. Larus uox Græca est, λάρος: Latinè gauiam reddunt, Gaza & alij. Larus in Pentateucho gauiam significat, Eucherius. Hebraicam uocem scharchaf aliqui larum interpretãtur, uide in Fulica ueterum uel in Bubone. Larus Hebraicè schachaph nominatur à morbo quo laborat. Hebræi uulgò cuculum sic uocant, quòd hæc auis præ cæteris scabiosa appareat, P. Fagius. Thachmas, תחמס, Leuit. 11. exponitur auis quædã immunda & rapax, iuxta Thar-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 600 sur 825

gum est genus accipitris. LXX. & communis translatio larum uerterunt, quidam uulgò interpretantur luscíniam, ut scribit Munsterus. Deuteron. 14. LXX. γλαῦκα reddūt, Hieronymus nocluam. Thargum Hierosolym. habet chatuphita, חטופיתא, quod sonat raptorem aut harpyiam. Chaldæus tarphita, טרפתא, id est laceratorem. Arabs cataph, בטאת. Persa Hebraicam uocem retinuit. Perottus in Cornu copiæ, Græci (inquit) larum fulicam uocant: quæ auis est nigra aquatica, uulgò nota, paulò supra magnitudinem columbæ, quam ego eius opinionem non probo. Sed de fulica tum ueterum tum recentiorum, suo loco satis dictum est. Albertus ex Aristot. de hist. anim. pro laro habet aleroz, ex Auicenna nimirum: & alibi latroz. ¶ Larorum plura sunt genera. Albi sunt quidam, & minoribus columbis similes. His alij maiores & robustiores sunt, ac pennis densius uestiti. His rursus tertium genus maius est, albis itidem pennis, extremis tantum unguibus & collo nigricans: ijsq; cæteri omnes lari de pascuis & sede tanquam regibus concedunt, Oppianus de aucupio. Buphagus genus lari, ab insigni uoracitate dicti, nominatur Eustathio.

B.

Cepphus auis marina est laro similis, Scholiastes Nicandri. Lari leues ab Oppiano cognominantur, ob corporis leuitatem. nimirum quòd propter multas & densas plumas (πυκνὰς πτέρυγας lari dixit Homerus) leuiores sint corpore quàm appareant. Cataractes auis insiar lari minoris est (παραπλήσιος, id est similis. ἴσος malim, id est æqualis, scilicet magnitudine: quanquam & specie corporis similis est) robustior & colore cādido, accipitri palumbario similis, Oppianus. ¶ Larus coloris est cinerei. inuenitur tamen & albus, qui apud mare uictitat, Aristot. Auis peralba illa gauia, Apuleius. Laris senescentibus pennas cœruleus color inficit, Oppianus. Vide plura ex eodem superius in A. Larus est nigra auis (sine authore) lato oris rictu, hinc prouerbium larus hians, Textor. Gauiæ gula tota ampla est & lata, Aristot.

C.

Lari alij circa dulces aquas, alij circa mare degunt, ut scripsi in A. Gauia illa peralba quæ super fluctus marinos natat, demergit sese propere ad Oceani profundum gremium, Apuleius. Larus cinereus lacus & fluuios petit: albus apud mare uictitat, Aristot. Larus auis est rapax & uorax, Suidas & Varinus. Cibum à mari petit, ideoq; cum anate & harpa dissidet, Aristot. Lari aues, ut Eudemus scribit, sublimeis cochleas surripiūt, ac ex alto deijcientes, magna ui ad saxa allidunt, itaq; esculenta testis seiunctis eligunt, Aelianus. Delphini in littora eiecti à coruis, laris, cæterisq; maritimis auibus exeduntur, Idem. ¶ Quod ad natandi uelocitatem, uix auis ulla laro contenderit, Oppianus. ¶ Mergi & lari saxis maritimis oua bina ternaue pariunt, sed lari æstate, mergi à bruma ineunte uere, & incubant cæterarum auium more: sed neutra earum auium conditur, Aristot. Gauiæ in petris nidificant, mergi in arboribus, pariunt plurimum terna, sed gauiæ æstate, mergi incipiente uere, Plin. Fœtificant in petris, præcipuè à quibus potabilis aqua manat: ut fœtus eorum uictu quidem marino, aqua uerò (in potu) dulci utantur: donec adulti nidos relinquāt, quo tempore iam cibo simul ac potu ex mari utuntur, Oppianus. ¶ Perit larus mali punici grano, Aelianus.

D.

Lari hominum amantissimi sunt, & prope eos tanquam maximè familiares uersantur: ac ubi uiderint piscatores extrahere sua retia, ceu prædæ participes adiungunt se nauiculis, & clamore partem aliquam sibi postulant. Illi pisces aliquot proijciunt, quos lari statim uorant, & si qui alij forte sagenas subterfugerint, promptè excipiunt, Oppianus in Ixeut. ¶ Larus cum monedula amoris coniunctionem habet, Aelianus. Harpen aliqui interpretantur animal marinum laro inimicum, (λαρῷ πολεμῶν,) Varin. Larus cibum à mari petit, ideoq; cum anate & harpa dissidet, Aristot. Aquaticæ, anates & gauiæ: harpe & triorches accipiter dissident, Plin. Ardea odit albos laros, Philes.

E.

Lari marinæ auis penna à piscatoribus pelamydum ad hamum lineæ annexum alligatur, ut ab occurrente aqua sensim & leuiter agitetur, Aelianus.

F.

Lari in cibum hominum non ueniunt, cum impuræ habeantur tanquam aues rapaces, & piscibus & alijs etiam impuris (cadaueribus nimirum circa littora) uiuentes. Prohibentur etiam in uetere testamento in translatione LXX. & Hieronymi. Homines inexplebiles legislator damnat, prohibitis in cibo passeribus & laris auibus, quæ cibos semper obuios (τὸ παρεμπίπτον) colligunt, Procopius. ¶ Accipiter comedat inter alia cor lari cum sanguine & paucis de pectore carnibus, Demetrius Constantinop. Et rursus, Lari cor tantum & iecur uoret accipiter, cæteræ enim eius partes graues & uirosæ sunt.

G.

In epilepsia dant aliqui cerebrum gauiæ fumo siccatū atq; concisum, infantibus uel pueris odorandum, perfectis autem ætatibus bibendum ad modum cyathi cum mulso & aceto tribus cyathis, Cælius Aurelianus.

H.

a. Larus auis nomen accepit à laris piscículis quos appetit, ij uerò sic appellantur & capiuntur in lacu quodā, qui Thessalonica distat itinere biduj, Siderocapsa uerò dimidij diei, Bellonius. sed cū

authorum

authorum nullus huic etymologiæ patrocinetur, mihi quoq; ea parum arridet. ¶ λαρὸς pro aue paroxytonum est, & primam corripit. Σδυσ' ἕπετ' ὦκὺ κῦμα λαρῷ ὄρνιθι ἐοικώς, Homerus Odyss. E. cum uerò suauem significat, oxytonum est & primam producit. Νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ λαρὸν πετυκώμεθα δόρπον, Homerus. Et alibi, λαρὸν δέ οἱ ἔμμεν ἀνθρώπῳ. Dicitur autem λαρὸν, τὸ ἄγαν ἁρμὸς τῇ ψυχῇ, παρὰ τὸ λα, καὶ τὸ ἀρῶ, ὃ δηλοῖ ἁρμόζω, κράσει τῶν δύο αα. εἰς α. μακρόν. Hinc superlatiuus λαρώτατος, primâ & secundam producens apud Homerum præter canonem. nam secunda per omicron scribi debuerat, Eustathius. ¶ Lycophronis interpres φωδιόν larum esse arbitratur, Cælius. sed erodiòs indubitate ardea est. Κλὴξ ἐναλίη, (Cex marina,) auis est marina similis hirundini, uel larus, uel mergus, unde genitiuus κληκὸς, ὅθεν ἴσως τὸ κληκάζειν ὑπὸ βλασφημίας, Eustathius & Varinus. Κλῆκοι, lari, Hesych. & Varinus. Κλὴξ, larus secundum Appionem: qui & καύηξ dicitur. Τινὲς καὶ ἐφυίαν (sic habet codex impressus) ἀφροδίδακτον, οἱ δὲ κέπφον. οἱ δὲ ὅλαφρόντα ἀλλήλων, Hesychius. Καύηξ, larus Etymologo. In epigrammatis libro 3. titulo in naufragos legitur καύηξ per υ. Χ' ὦ μὴν τὸ καύηξειν ἢ ἰχθυβόροις λαείδεσι Τεθρίωντ', ἅπτερος δυρεῖ γὰρ ἀλγιαλῶ. uersus sunt Leonidæ. Et rursus, Κηγὼ μὲν ἁλιζώοις λαείδεσι κέκλαυμαι. Videtur autem λαεὶς, diminutiuum à λαρός. Ἠΰ τέ τις καύηξ ἅλιον ὑδωρ ἁλμυρὸν πέλαγος, Antimachus apud Scholiasten in Argonautica Apollonij. Videtur autem Græca uox καύηξ, per onomatopœiam facta: & similiter gauia apud Latinos, aut ad imitationem Græcæ. Καύαξ, larus, Hesych. & Varinus. Καύηξ ὀρνὶς πτωσκαθίζουσα κλάζῳ, Lycophron. Et rursus, Καύηξ κυμαστὸν δρομεύς. exponitur autem à Scholiaste larus. Καῦληξ (Καύληξ, Varinus: quod non placet) larus, propter uoracitatem. κάβη (καύη, Varinus) enim cibus est, Τῆς δὲ ἄδυια, δὲ κρυσροὶ κάβηκοι, Euphorion, ut Suidas & Varinus annotarunt. Lycophron tres senes, Calchantem, Idomeneum & Sthenelum καύηκας nominat, quòd senes & albi (cani) essent instar larorum. Καύης (καύηξ) enim larum significat apud Aenianes. unde & Hipponax, Κίκωυ δ' ὁ πανδάλητος ἄμμορος καύης, Isacius Tzetzes. Κράβος, larus, Hesychius & Varinus. Οἱ δὲ κορώνησιν (cornicibus marinis) ἴκελοι κύμασιν ἐφορέοντο, Homerus. dicit autem Apion eandem esse auem quæ & larus, & æthyia uocetur, Etymologus. Vide in Cornice H.a. ¶ Forte apodes illæ quæ toto mari cernuntur Plinio, & semper comitantur naues, gauiarũ generis sunt: quod considerabunt ij qui iuxta mare habitant aut qui maria nauigant.

¶ Epitheta. Κῶφοι τε λαροι, Oppianus. Λαείδεσιν ἁλιζώοις ἰχθυβόροις, Leonides in Epigrammatis. Κρυσροὶ κάβηκοι, Euphorion apud Suidam.

¶ Larus pro homine rapace & fure accipitur, item pro parasito & pro stolido: ut ostendetur infra inter prouerbia.

¶ Larius lacus est Galliæ cisalpinæ uicinus alpibus, à fulicarum quæ ibi sunt multitudine appellatus. Græci enim larum fulicam uocant, Perottus. nos fulicam à laro differre ostendimus. quare magis probo Catonis sententiã, qui in Orig. Larius lacus (inquit) dictus est, quia Hetrusci larunem (alias laronem, barones etiam pro uiris fortibus quidam putant esse Latinum) uocãt nobilem principem. Larí insulæ dictæ, λαρώνησοι, Aphricæ adiacent prope terram, Ptolemæus. Leuce insula dicta ab auibus albis, laris forte aut ciconijs, Eustathius in Dionysium.

¶ g. Larus eadem potest quæ alcyon. Huius cor tenens ad mulierem partu laborantem ingredere, & mox pariet. Recedes autẽ mox ut peperit, ne & aliud quid (ipse uterus) subsequatur. Venter quoq; eius aridus potus & gestatus, concoctionem maximè confirmat, Kiranides.

¶ h. Vulgò celebratur opinio laros olim homines fuisse, qui primi uenationẽ & prædam marinam exercuerint: deinde, sic uolentibus dijs, in aues mutatos, iuxta urbes & portus uolitantes, ueteris etiamnum artis meminisse, Oppianus de aucupio. ¶ Aquam bibebat etiam Lamprus Musicus: de quo Phrynichus ait, luxisse eum laros, inter quos mortuus sit argutus ille Musarum sophista. In Pontica insula, quæ Achillis insula uel cursus dicitur, multæ sunt aues, & inter alias innumeras larí, quæ Achillis fanum colunt, ut scripsi in Aethyia. Epicureus quidam (apud Athenæum) cum placentam nimis calidam deuorasset, ὠχροφόρετο, (euomebat,) quo uiso Cynulcus ait, Ἀποφόρετα ἐκ τῆ βρυγκοπαρατάξεως ὁ λαρός.

¶ Homerus Odysseæ quinto Mercurium laro assimilat, non corpore, sed motu & uolandi super mare impetu. Verba poëtæ hæc sunt: Σδυσ' ἕπετ' ὦκὺ κῦμα λαρῷ ὄρνιθι ἐοικώς, Ὅσθ' ἁλὶ δ' εὐρὺς κόλπος ἁλὸς ἀτρυγέτοιο ἰχθῦς ἀγρώσσων, πυκιναὶ πτέρυγες δ' ὑπένερθε ἅλμη. Larus Mercurio conuenit, utpote auis alba Deo argiphontę, nam argòn album significat. διὰ τὸ λυκηρὸν, ὃ δηλοῖ φαργές, τὸ λόγε. commendatur autem oratio cui præest Mercurius, cum perspicua & quasi candida fuerit, aut propter suauitatem, διὰ τὸ λαρὸν καὶ ἡδύ. laron enim suaue est. oratio autem res suauis & iucũda, Eustathius & Varinus. Laro confertur Mercurius Odyss. quinto. ut inde facer ei uideri possit. sed Herculi magis conuenit hæc auis, siue larus simpliciter, siue is qui buphagus nominatur. talis enim Hercules quoq; celebratur. nam Athenæus & alij tradunt fuisse eum Βυθοίναν, id est integri bouis deuoratorẽ, inq; eo certamine Lepreum uicisse, Eustathius. Herculi propter uoracitatem sacer est larus, qui & βοφάγος cognominatur, Athenæus ab initio libri 10. Aristophanes quidem in Auibus eandem ob causam Herculi larum attribuit: Si quis (inquit) antehac Herculi bouem sacrificârit, pro eo iam laro plenas & bene farctas placentas (νεὸς μελιτόεσσας) immolet. ¶ Τὸς λάρος ἅπαξ εὗρόν ποτε ἐκβεβρασμένους, καὶ τότε ἀνέπηξα εἰς τὸν δρυῶ ἱστὸν τὸν πλησίον τῆ θαλάσσης, Pastor apud Dionem Chrysostomum in Euboico.

¶ Prouerbia. Cepphus, larus: in garrulum ac uecordem dicebatur, præcipuè qui cuiusuis rei

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 602 sur 825

cupiditate deceptus capitur, Eraſ. Vide plura ſuprà in Cepphoh. Laros uocamus ſtolidos, (ὦ βλίτυς,) quemadmodum & cepphos & otos, Euſtathius. ρεπώνλε λαρῷ ὄρνιθι ἐοικώς, Matron parodus de paraſito apud Athenæum, comparat autem paraſitum laro propter inſatiabilem in utriſq; uoracitatem: uel propter nominis ſimilitudinem, tanquam à uerbo λαρυσδίζειν, quod eſt σπίζειν, id eſt paſci & ali: unde & boues & ſues larini dici uidentur, Euſtathius. ¶ Larus hians, λαρὸς ἀχανὴς, dicebatur ubi quis auidius inhiaret prædæ. eſt enim larus auis auida uoracis. λαρὸς ἀχανὴς ὡὴ πέτρας δημηγορῶν, Ariſtophanes in Equitibus, Cleonem ob rapacitatem larum uocans: quòd quemadmodum auis in ſcopulis obuerſatur, ſi quid piſcium poſsit uenari, ita ille uerſaretur in reipub. negotijs adminiſtrandis (in foro, πλὴν δὲ πέτραν λέγει, διὰ τὸ ἔπιμα τὸν ἀγῶνα τῇ ῥυπῇ, Scholiaſtes,) ſuum interim agens negotium. Refertur hìc trimeter apud Athenæum lib. 8. ὀλοφάγες ὥστε ὦὴ λάρες ἐπὶ σύρες. Eſſe uti laros opſoniorum auidos Syros, Eraſmus. In Nubibus quoq; Ariſtophanes Cleonem uocat larũ munerum & furti, κλέωνα τὸν λάρον δώρων καὶ ἁλοπῆς. Larus hians, in rapaces & furaces dicitur. nam & larus auis rapax & uorax eſt, Suidas & Varinus. ¶ Larus in paludibus, λαρὸς ἐν ἕλεσι: Suidas ſcribit dictitatum de ijs qui faciles ſunt ad dandum. ductum à laro aue, quæ quia facile decipitur illicituríq;, proinde prouerbio locum fecit, Eraſmus. παροιμία ἐπὶ τῶν ταχὺ ἀπολλυμένων, Suidas & Apoſtolius. mihi quidem Eraſmi interpretatio non placet, tanquam lari dicantur qui faciles ſint ad dandum. neq; enim talis eſt lari natura, ut liberalis ſit aut facile communicet: ſed contra potius rapax uoraxq; eſt. quare uel mendum in dictione ἀπολλυμένων ineſſe ſuſpicor, & ἁπαπαμένων aut tale quid legendum: uel certè alio ſenſu accipiendum, ut de homine uorace, qui ſubinde ingerat egeratq;, ut ἀπολλύναι, ſcilicet πλὴν βοσκῶν, pro eo quod eſt cibum egerere accipiatur. ferè enim omnes piſciuoræ aues famelicæ ſunt, & mox aluo reddũt quod acceperint. ¶ Larus parturit, prouerbium apud Eraſmum, quod potius efferri debet Cepphus parturit. uide ſupra in Cepphoh. ¶ Lari uitam uiuit, λάρου βίον ζῇ, Aelianus in epiſtolis de mercatore perpetuò nauigante.

¶ Gurgulione gruis, tumida uir pingitur aluo, Qui larum, (producit primam quæ correpta eſt,) aut manibus geſtet onocrotalum, Alciatus in Emblemate Gula inſcripto.

DE LARORVM GENERIBVS DIVERSIS quorum mentio fit apud recentiores.

QVAE de laris eorumq; generibus diuerſis, (quæ magnitudine & colore differunt, & locis etiam, cum alij circa aquas dulces degant, alij circa mare,) apud recentiores obſeruaui, unum hìc in locũ digerere placuit, ita ut primum illa ponerem quæ ad laros in genere pertinere uiderentur, dein de quæ ad genera ſingula priuatim.

¶ Larus eſt de genere miluí, tam in aqua natans ad prædam, quàm in aere uolans, Albertus. Mihi miluis adnumerare aut cognatos facere laros nequaquam placet, cum palmipedes ſint omnes mihi cogniti lari, roſtro oblongo & recto ferè, (uel in extremo modicè inflexo,) non breui & adunco ut milui, magnitudine columbæ plus minus, alis oblongis & ualidis, quæ pari cum cauda longitudine extenduntur, colore in eiſdem cinereo, reliquarum enim partium colores differunt, cruribus breuiuſculis, corpore leuiſsimo, multis et denſis plumis induti, multa circa pellem pinguedine, clamoſi, uolaces, famelici, piſciuori, &c. ¶ Lagus (corruptè pro larus) eſt auis aquatica, mergo utcunq; moribus contraria. Nam ſicut mergus tempeſtatem maris fugit: ſic larus in tempeſtate lætatur & ludit, Iorath. Larus eſt auis quæ & in aere uolat, & in aqua natat, Elicius in Leuiticũ. Vulgò uocatur raſſe, Obſcurus. ¶ Gauiæ paluſtribus in locis per hyemem latent, Gaſpar Heldelinus. uidetur autem non laros (quos Ariſtoteles latere negat. apud nos quidem non latere certum eſt) gauiarum nomine intellígere, ut debuerat, ſed aues illas quas aliqui uanellos uocant, noſtri Gyfitz: quæ larorum & magnitudine & leuitate ſunt, & ſimiliter clamoſæ, unde & per onomatopœiam utriſq; inditum nomen: & à Germanis Oceani accolis lari etiam Gyfitz appellantur: ſed alijs multis tum corpore tum natura differunt.

¶ Larus in Creta uulgò antiquum nomen Græcum retinet, laros, Bellonius. Crocali uel crocay gauiæ uulgò nominantur circa Adriaticum mare, aliæ albæ, aliæ cinereæ, (ſunt qui crocalos mihi dixerint aues eſſe albas, in dorſo aliquid fuſci habere, roſtro falcato, pedibus nigris:) in alijs Italiæ locis, ut audio, rondene marine, id eſt hirundines marinæ, quæ & nigræ & albæ inueniantur, & piſcibus uiuant: alibi hoche marine, id eſt anſeres marini, non à magnitudine, ſed forte quòd ſimiliter palmipedes ſint. ¶ Larus Gallicè uocatur mouette, & alibi (ut ad Oceanum circa Dieppam) mauue, Bellonius. alibi gabian, à Latino nomine gauia. Germanicè Mewe / ut quidam putant, Murmellius. à qua uoce etiam Gallica mauue detorta uidetur. eſt autem onomatopœia: ut & Mawen de uoce felium, quam gauiæ aliquo modo referunt. Laros eſt auis alba marina quam nos melbam (meuuam) uocamus, Albertus. Sed uideo etiam laros qui circa dulces aquas uiuunt Mewen uocari, ut commune hoc nomen ſit: marinos uerò Seemewen priuatim. Aues quædam palmipedes habent aliquando partem aliquam qua comprehendant ea quæ ſunt in aqua, & collum illis eſt ſicut harundo piſcatorum, & ideo eſt longum: roſtrum uerò eis eſt pro hamo, Albertus ex Ariſtot. de partib. anim. 4. 12. Et talis eſt (addit Albertus de ſuo) auis quæ meba Germanicè uocatur.

Audio

Audio etiam alicubi Meerschwalm, id est hirundinem marinã uocari, ut & ab Italis quibusdam: circa Gandauũ Miesen, tum fluuiatiles tum marinas gauias. ¶ Illyricè wlastowige uel morska. ¶ Gauiæ aduolantes ad piscatores qui retibus piscantur, copiæ piscium capiendæ spem faciunt. ¶ Imminente uento, sublimes in aëre uolitant & uento se obuertunt: quod & ueterum quidam de cepphis prodidit.

DE LARIS QVI CIRCA AQVAS DVLCES DEgunt, & primum de cinereo, quem sic cognomino quòd plus cinerei habeat quàm reliqui.



AVIA cinerea, quæ ad flumina & lacus ascendit, querula semper & clamosa est, piscículos captat & uermes ad ripas lacuum, Turnerus. Hæc Italicè circa Comum galedor uocatur, circa Verbanum lacum & alibi galetra, Gallis gauian uel mouette, uel glaumet. Sabaudis grebe, uel griaibe, uel beque, uel heyron, quamuis ardeæ potius id nomen conueniat. Germanis Meb/Mew/Mieß/ nostris Holbzot/ Holbzůder, circa Acronium lacum Alenbock. Anglis secob, seegell. Turcis bahare. Vide plura paulò ante de communibus laroꝝ rum generi uocabulis. uidentur enim pleraq; huic etiam generi quod circa dulces aquas degit uel simpliciter attribui, uel fluuiatilis differentia adiecta, quamuis non deesse puto è uulgo qui fluuiatiles etiam laros, impropriè marinos cognominent, (ut Germani quidam & Itali hirundines mari-

nas)propter ſpeciei ſimilitudinem. ¶ Apud Friſios audio hanc auem Kabel uel Meew uocitari, quæ ruſticos arantes ſequatur propter uermiculos: perquam φιλόστοργον eſſe in ſobolem, oua terna parere, idq; in magnis gregibus, ita ut aliquando ducentę trecentæ ue per interualla diſpoſitos habeant nidos: oua colore & magnitudine ſimilia eſſe ouis auium quas Schryen appellant. ¶ Meaucæ (aliâs Meancæ) aues ab imitatione uocis nominantur, colore cinereo, &c. Albertus. Vide plura ſupra in capite De anatibus Germaniæ inferioris & maritimæ. Eberus & Peucerus gauias cinereas Germanicè interpretãtur Rybitz: quæ colore (ut ſcribunt) cinereo propemodum nigricant, uentre albent, criſtam capite gerunt, amnes & flumina petunt uictus cauſa. Ego nullam gauiam criſtatam circa aquas dulces uerſari adhuc cognoui. Kybizam quidem nos uanellum aliâs dictam auem uocamus, quæ criſtata eſt, ſed non gauiarum generis, colore uiridi ferè, &c. interim ſcio idem kybizæ uocabulum ad gauias quoq; transferri. ¶ Gauia communior apud nos, huiuſmodi eſt: Crura rubent, membranis digiti rubris ſæpiuntur, roſtrum quoq; leniter incuruum rubet. magnitudo parum ſuperat columbam, oblongior. alæ magnæ & oblongæ. color undiq; albus, in dorſo tantum & alis cinereus. extremæ & longiores alarum pennæ altero latere albæ ſunt, altero partim albæ partim nigræ. Tota leuis eſt ac plumis abundat. parum carnis habet. Os etiam interius totum & lingua rubent. Linguæ extremitas biſida eſt.

DE STERNA.



EIVSDEM

EIVSDEM generis est & alia parua auis, nostrati lingua sterna appellata, quæ marinis laris ita similis est, ut sola magnitudine & colore ab illis differre uideatur: est enim iste larus, marinis minor & nigrior. Tota æstate tam improbè clamosa est, quo tempore parturit, ut iuxta lacus & paludes degentes, immodico clamore tantum non obtundat. hanc ego sanè auem esse credo, cuius improba garrulitas adagio, Larus parturit, locum fecit, uolat ferè perpetuò super lacus & paludes, nunquam quiescens, sed prædæ semper inhians. Nidulatur hæc in densis arundinetis, Turnerus Anglus. Frisij quoque hanc auem **Stirn** appellant: & aiunt esse coloris fusci, clamosam, laro proximè descripto minorem, minus albam, uertice nigro. Cruribus & rostro rubet ut superior. Circa Argentinam **Spyrer** appellant, nostri **Schnirring**. capitur aliquando uirgis uisco illitis circa Limagum nostrum, ex alto ad prædam piscium se demittit. Volant aliquando frequentes, nimium clamosæ.

DE LARO PISCATORE.



ET S I larorum genus omne piscari & piscium præda uictitare solet, hunc tamen priuatim piscatorem circa Argentinam appellari audio, **ein Fischerlin**. Circa Oppenhemium eandem, aut aliam certe simile gauiarum generis auem uulgò **Fel** uocitãt. albicare eam aiunt, uertice nigro. Minor est hic quoq; laro cinereo, uertice nigro ut sterna, rostro & cruribus è fusco pallidis. uolatus celerrimi, & dum pisces captat etiam in aquam se mergens, quod larus cinereus non facit. Sunt qui etiam aquilæ speciem quæ circa paludes anatibus ac piscibus insidiatur, piscatorem (**Fischer**) Germanicè nominent.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 606 sur 825

DE LARO NIGRO.



LARVS hic niger est rostro, capite, collo, pectore, uentre & dorsi parte superiore saltem (neque enim ex pictura de toto iudicare licet) alis cinereis, ultra caudam extensis: cruribus leui rubore notatis. Circa Argentoratum Meyuógelin / id est auis Maij appellatur.

Haud scio an idem sit larus ille niger, qui in Germania inferiore, ut circa Gandauum, Brandvogel nominatur, à colore nimirum. nam & ceruos & uulpes colore nigricates Germani uocant Brandhirtz & Brandfüchs. Laro cinereo maiorem esse aiunt, & homines perquam auersari. Alibi meuam nigram appellant, ein schwartzen Mew. & forsan eadem fulica ueterum fuerit. Albertus quidem fulicæ & mergi nigri appellatione non fulicam nostram, (ein Böllhinen / quæ alia quàm ueterum fulica est,) sed larum nigrum accipere mihi uidetur. Vide supra in Fulica A. & in Capite de anatibus Germaniæ inferioris.

DE LARIS MARINIS, & primum de albo.

LARVS marinus Anglicè nominatur seecob uel seegell: etsi Turnerus larũ simpliciter ita interpretatur. Eberus & Peucerus laros albos marinos etiam Germanice Seegallen uocant, & Albuken. albæ sunt (inquiunt) hæ gauiæ, & in mari circunuolitant coniunctæ fulicis. Gauiã albam à fulica parum differre arbitror, solo nimirũ cirro & rostro, Turn. In petris & rupibus marinis nidificat, Idem. Aues quædam maritimæ ita callidæ sunt ut raro capiantur, ut quam Græci chikyloz, nos melbam magnam uocamus: hæc enim ualde cauet retia aucupis, cum uerò capta est optimè curatur, Albertus in Aristot. de hist. anim. 9. 12. ubi Aristoteles hæc de cinclo scribit. Catarrhactes (de quo supra scripsimus) fortè ea species lari est, quæ apud Frisios uocatur Seemew / id est larus marinus, maximus in larorum genere; miluo ferè æqualis: qui cadaueribus (etiam hominum) uescitur, & in fame etiam anates rapit: semper in mari uolitat, ouа apud Frisios non parit. Alba quædam auis duorum generum, maior & minor, uolat super aquam, & aliquando residet & natat in aqua: nostri Mere (lego Mew) uocãt. pisces uenatur, & cadaueribus aquæ innantibus uescitur, Albertus. Et alibi, Pisces captat auis alba marina quam nos melbam uocamus. ¶ Galancas, γαλαγκὰς, uulgò hodiè à Græcis uocatur, auis columba maior, quæ aquæ innatat, nec mergitur, albissima. hæc an gauiarum generis sit quærendum.

¶ Gauiæ marinæ, ab accolis Oceani Germanici (ut supra scripsi) kybitzæ per onomatopœiam nominantur, & generali uocabulo see oder meervógel. Has nautæ aiunt uentorum & tempestatis ui è suis locis procul impelli, & ut ipsi loquuntur in alia atq; alia maria peruenire: cuius autem singulæ regionis sint alumnæ facile ex ipsa specie dignoscunt. Magna celeritate propter uim tempestatis urgentis aliquando ad maximas naues aduolant, ceu circa summas earum malos quietem & protectionem quærant, & in ipsas aliquando naues incidũt. Videntur & clamore suo tanquam galli mutationem tempestatis prænunciare, unde nautæ plerique de nauigatione sua consilium capiunt. Pleræq; sunt albæ, quædam ad cœruleum uel cinereum colorem dorso & alis inclinant, uentre interim albo. Britannicis circulus rubicundus collũ insignit, ut Danicis niger: Lusitanicæ paulò maiores cæteris capita acuminata & plumis crista habent ferè ut upupæ: Prussicarum capita partim albo, partim nigro colore distinguuntur.

DE LI-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 607 sur 825

DE LIBYO.

LIBYVS, λιβυὸς, & galgulus pugnant, Aristot. de hist. anim. 1. 9. interprete Gaza. pro galgulo quidem Græcè κελεὸς legitur, quam ego auem non galgulũ, sed gallinulis aquaticis adnumerandam censeo. Rursum inferius eodem capite hæ duæ aues λιβυὸς & κελεὸς, inter amicas nominãtur. causam addit philosophus, quoniam celeòs iuxta fluuios & nemora degat, libyus (Gaza hic lædus uertit. Alberti translatio habet, dedos serpens manet in lapidibus & montanis) uerò saxa & montes incolat: suisq; locis utercq; contentus degat pacificè. Quamobrem superiorem locum aut deprauatum, aut abundare iudico.

DE LINARIA.



LINARIAM hanc auiculam appellaui, imitatione Gallorum qui linotam uocãt, quòd lini seminibus potissimum uescatur. etsi Ruellius linotam uulgò dictam auiculam, miliariam interpretetur. dicuntur autem miliariæ aues quædam à rei rust. scriptoribus quòd inclusæ milio ad cibum pingueſcant: uide infra in M. Elemento. Ea quam nos hîc pinximus passeris est magnitudine & specie, colore subruffo aut testaceo, passim etiam nigricans aut fusca, cum alibi, tum maximè cauda, alis extremis & dorso, uenter testaceus colore maculis aspergitur fuscis, crura ferè punicea. A milio aues miliariæ dicuntur, ut Varroni placet, quòd (ut arbitror) ad hanc frugem cateruatim se conferant, eoq; uescentes pingueſcant. Vulgus Gallicum linotas, uel melius linarias appellitat, quia cum rarior apud nos sit usus milij, ad linum & cannabim turmatim aduolent, sicut cardueles ad carduos. inde nomen adhuc uulgo remansit, Ruellius. ¶ Italicè fohonelo dicitur, uel fanello, alicubi canuarola, nimirum à cannabi. ¶ Gallis, linotte. Sabaudis lynnette. ¶ Germanis, Lynfinck/Schöſſzlin/Henffling/Flachßfinck. Frisijs priuatim Rubin. ¶ Anglis linota. ¶ Turcis, gezegen. ¶ Vide quædam in Carduele ex Alberto.

¶ Eberus & Peucerus eleam siue ueliam auem scribunt esse paruam, colore pulchro, inferne croceo, quæ uoce ualeat, & æstate umbrosa, hyeme aprica loca petat. Germanicè interpretantur Zi gelhempfling: & alteram eius speciem, cineream cognominantes, Heidenhempfling. mihi hæ linariæ species, his quidem nominibus, ignotæ sunt. Eleam quidem auem, uel potius heleam à paludibus quas ab arundinibus summis inspectat dictam, neque linariam, neque aliquam eius speciem esse arbitror.

¶ Gyb. Longolius linariam siue miliariam esse rubetram (batin Aristotelis) putabat, quòd rubis crebrò insideat. Sed quum Anglorum buntinga in rubis tam frequens sit, quid uetat quò minus & ipsa quoq; batis dici possit: nihil itaq; de hac aue (bati) certum habemus, Turnerus.

¶ Suauiter canit linaria, eaq; gratia ut carduelis alitur. Cibus apponitur cannabis, panicum, & auena fracta, inuicem permixta plerunq;. Dum in caueis alitur, corripitur quandoq; comitiali morbo. ¶ Acanthides, cardueles & linariæ, cornu suspensum rostro trahunt: sed post potum temere delabi sinunt, Albertus. Cum in libertate adhuc est linaria, si accipitrem persequentem euaserit, mirificè cantu sibi de salute gratulatur. ¶ Quomodo capiatur leges in Carduele E. ex Alberto. ¶ Est & linaria herbæ nomen apud recentiores, cui folia lino similia.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 608 sur 825

DE LINARIA RVBRA.



LINARIAM rubram hãc auem uocare uoluí, quòd linariæ ſupraſcriptæ congener uideatur uel nomine apud noſtros aucupes, etſi rarius capitur. Schóſſerle appellant. aliqui (ni fallor, ut circa Francfordiam ad Mœnum) Stockhenfling: Itali circa Verbanum lacum finett. Conſiderandum an híc forte ſit Oppiani aſter, niſi is carduelis uulgò dicta eſt. Cantu nõ adeò probatur ut ſuperior. Magnitudíne & figura roſtri ad ligurínũ accedit, colore differt. Cocci color in uertice ſaturatus. In pectore & ſupino collo, & ultimæ dorſi pennæ eundẽ colorem dilutiorem & non continuum habent: licet nonnullæ in pectore ualde rubeant. Ventris color albicat, alæ ſubnigræ. Ceruix & dorſum dimidium ſuperius pennas è fuſco ruſſoq; mixti coloris habent. roſtrum flauet, ſed medius ſuperioris partis angulus liuet, breue, ex lato in acutum deſinit. ¶ Hæc auis Norimbergæ, ut audio, Tſchütſcherle uocatur. Aduolant aliquando turmatim, & ferè peſtilentia breui ſequutura expectatur.

LINVRGI aues, Λινυργοί, capiuntur laqueis (παγίσι καὶ βρόχοις) ut anates & cenchritæ, & alia anſerum genera, celeresq; phelini & phalarides, Oppianus lib. 3. de aucupio. unde nos facile linurgos aues aquaticas & palmipedes eſſe conijcimus, quæ forte lini ſeminibus obiectis paſcantur illiciantur q;, ut cenchritæ milio. mox enim ſubiungit poeta, aues iam nominatas aliasq; plurimas ex amphibijs, obiectis circa lacuum amniúmue ripas, hordei, olyræ aut milij ſeminibus decipi.

DE LOXIA.



HANC auem lingua Germanica Krützuogel, id eſt cruciatam, uel Krumſchnabel, id eſt curuiroſtram appellat, Illyrica krziwonoſka, id eſt naſicuruam, à roſtri figura utraque. Sola enim hæc auium ſummas roſtri partes ac mucrones inuicem tranſponit ac decuſſat, quare nos loxian ab obliquitate nominauimus. Capitur apud nos non infrequens, magnitudine ſupra maximum parum, colore per corpus uario, quẽ tempore etiam & ætate mutat. Habui ego nuper Septembri captum nigricantem, qui ſequente menſe colorem mutabat in magis rubicundum. Primũ rubere ſolent pectore, uentre & collo inferius, deinde flauere. Cœruleus in uertice, ceruice, & circa oculos color apparet: in cauda & extremis alis è ſubruſſo nigricans. Crura rubicunda. Hyeme præſertim colorem mutat. Sunt qui colores eius quotannis mutari aſſerant, ita ut nunc ad flauum, nunc ad uiridem, rubrum aut cinereum magis declinet. Frigoribus gaudet, & canit: æſtate ferè ſilet cum cæteræ aues canunt. Nidificat Ianuario menſe aut Februarij initio in abietibus, quarum etiam nucleis ueſcitur. pulli quidẽ eius multò ante capiuntur quàm aliarum auium.

Vorax

Vorax est auis, simplicis & stolidi ingenij. caueis inclusa rostro ac pedibus sursum deorsumq; repetitat. hominem ferè nihil reformidat. Cepi aliquando manu syluestrem (nisi illa fortè alibi cicurata euaserit) quæ ad alteram quam in cauea alebam aduolauerat. Cannabis semine in primis delectatur. Cum satis biberit, pocillum rostro reijcit, si extrahere possit: fortè quòd imaginem sui conspiciat. Cantillat interdum satis suauiter. Audio eam cadaueribus quoq; uesci, æstate non insuauem esse in cibo. ¶ Quærendum an hæc sit Aristotelis chlorion: etsi illam potius, quam galbulam Latini uocant, hodie uulgò regalbulum circa Bononiam, chlorionem esse coniectem.

DE LVSCINIA.

A.



LVSCINIAM ex Latinis plerique alio nomine philomelam nuncupant, ut hirundinem Prognen, propter fabulā quam in Hirundine retuli. Græcorum uerò plerique philomelæ nomine non luscíniam, sed hirundinem accipiunt. Philomela dici debet non philomena, suffragante Pausaniæ authoritate, qui φιλομήλαν dicit, Cælius. ¶ Thachmas Hebraicam uocem, aliqui luscíniam interpretantur, alij aliter: uide in Laro A. sic & ranan, aliqui luscíniam, alij aliter. uide in Gallo syluatico. ¶ Enondon, ruscíniolus auis, Syluaticus. uox corrupta uidetur à Græca aedon, ἀηδὼν, quæ luscíniam significat: ut & audon, apud Auicennæ interpretem. Odorbrion, id est russignolus auis, Syluaticus. Hodie uulgò à Græcis adoni uel aidoni uocatur, Bellonius. scribunt autem ἀηδόνη uel ἀϊδόνι. ¶ Italicè rosignuolo, roscignolo, ruscigniuolo, roscignuolo, uscigniuolo, lusigniuolo. Luscínia æstate cum colorem uocemq; mutauit, in Italia alio nomine appellatur, Aristot. Hoc nomen (inquit Niphus Italus) quo luscínia æstate dicatur, non est traditum à Latinis nec notatum: licet Albertus dicat apud Italos hyeme luscíniā dici unisonum. ¶ Hispanicè ruissennór. ¶ Gallicè rosignol uel rousignol, quod tamen nomen (Bellonio teste) etiā phœnicuro attribuunt, appellantes illum rosignol de mur. ¶ Germanicè Nachtgall. ¶ Anglicè nyghtyngall. ¶ Illyricè slawik.

B.

Luscíniarum color æstate mutatur, Plinius & Aristot. Luscínia tum colorem tum cantum mutat, Idem & Clemens in Pædagogo. Poëtæ hanc auem à ceruicis colore χλωραύχενα & ποικιλόδειρον cognominant: id est collo insignem uario, aut uiridi, nisi synecdochicè per collum uocem accipias, quam uariam & floridam ædunt. Luscíniæ & atricapillæ proprium est præter cæteras aues ut linguæ summo acumine careant, Aristot. Linguis earum tenuitas illa prima non est, quæ cęteris auibus, Plinius.

C.

Philomenæ uermibus uictitant, formicas auidissimè legunt, & oua earum, & ex his conualescunt infirmæ, Albertus. Plura de cibo earum leges infra in E. ¶ Nidificant ferè inter frutices & in sæpibus loco denso non procul à terra. nidum è foliis arborum, paleis & musco parãt oblongum. ¶ Luscínia aliquando coit cum xanthiuro, (phœnicuro,) Christophorus Encelius. ¶ Parit æstate quinq; aut sex oua, Aristot. Vère primo parit, cum plurimum sena oua, Plinius. Minores aues, ut philomena & alauda, semel anno pariunt quatuor aut quinq; oua, Albertus. ¶ Cuculus cum in aliarum auicularum, præcipuè curucæ, tum in luscíniæ nido aliquando parit, ut audio. ¶ Hesiodus testatur luscíniam solam ex omnibus auibus somni expertē esse, seduloq; in uigilijs uersari, Aelianus in Varijs. Luscínia peruigil custos cum oua quodam sinu corporis & gremio fouet, insomnem longæ noctis laborem cantilenæ suauitate solatur, quò possit nō minus dulcibus modulis (ut mihi uidetur) quàm fotu corporis oua animare quæ fouet, Ambrosius ut quidam citant. Neq; quantum luscíniæ dormiunt, οὐδ' ὅσον ἀηδόνιον ὕπνώσσει, (prouerbium quod recitatur à Varino,) in eos conuenit qui somni parcissimi sunt. Luscíniæ minimum dormire feruntur, uel propter Ityn extinctum, uel ob timiditatem. Equidem magis arbitror dictum, quòd luscíniæ uernis mensibus per omnem ferè noctem perpetuo cantu garriant, Erasmus Roter. Ἀηδόνων ὠὴ (δεῖ) μὴν ὕπνον ἐλάχιστον, ὠὴ δὲ λύπης ἐσφοδρότατον, Hesych. ¶ Luscínia æstate adulta non diu apparet, abdit enim sese & latet, Aristot. Hyeme non cernitur, Plinius. Conditur ab autumno usq; ad uernos dies, Aristot.

¶ Cantus. Luscínia Græcis ἀηδὼν dicitur, ut Grammaticis placet, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ἄδειν, quòd sine intermissione ferè cũ cœpit, canat. Catrei auis uox acuta & cõcisa est, sicut luscíniæ, Aelianus. Ἔνσυμον uerbum de luscíniarum uoce Pollux habet. Scribere me uoces auiũ philomela coëgit, Quæ cantu cunctas exuperat uolucres. Dulcis amica uenit noctis solatia præstans, Inter aues etenim nulla tibi similis. Tu philomela potes uocum discrimina mille, Mille potes uarios ipsa referre modos. Nam quamuis aliæ uolucres modulamina tentent, Nulla potest modulis æquiualere

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 610 sur 825

tuis. Insuper est auium spatijs garrire diurnis: Tu cantare simul nocte dieq; potes, Author Philomelæ. Luscinia canere solet assidue diebus ac noctibus quindecim, cum sylua frõde incipit opacare. dein canit quidem, sed non assiduò. mox adulta æstate, uocem mittit diuersam, non insuper uariam, aut celerem, modulatamq;, sed simplicem. colore etiam immutatur, Aristot. Colorem & uocem per æstatem in aliam speciem immutat. neq; enim sic cantum uariat, distinguit, inflectit, acuit, quemadmodum uerno tempore, Aelianus. Luscinijs diebus ac noctibus continuis 15. garrulus sine intermissu cantus, densante se frondium germine, nõ in nouissimum digna miratu aue. Primum tanta uox tam paruo in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in una perfecta musicæ scientia modulatus æditur sonus: & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc uariatur inflexo, nunc distinguitur concisò, copulatur intorto, promittitur reuocato: infuscatur ex inopinato: interdum & secum ipse murmurat, plenus, grauis, acutus, creber, extentus, ubi usum est uibrans, summus, medius, imus. Breuiterq;, omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit: ut non sit dubium hanc suauitatem præmonstratam efficaci auspicio, cum in ore Stesichori cecinit infantis. Ac ne quis dubitet artis esse, plures singulis sunt cantus, & nõ ijdem omnibus, sed sui cuiq;. Certant inter se, palamq; animosa contentio est. Victa morte finit sæpe uitam, spiritu prius deficiente quàm cantu. Meditantur aliæ iuniores, uersusq; quos imitentur accipiunt. Audit discipula intentione magna & reddit, uicibusq; reticent, (audit attenta discipula, redditq; uicibus cantum, ut citat Author de nat. r.) Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio. Ergo seruorum illis precia sunt, & quidem ampliora quàm quibus olim armigeri parabantur. Scio sestertijs sex candidam (Sestertia sex, 150. coronati) aliquin, quod est prope inusitatum, nęnisse, quæ Agrippinæ Claudij principis coniugi dono daretur. Visum iam sæpe, iussas canere cœpisse, & cum symphonia alternasse: sicut homines repertos, qui sonum earum, addita in transuersas harundines aqua, foramen inspirantes, linguæ ue parua aliqua opposita mora, indiscreta redderent similitudine. Sed eæ tantæ tamq; artifices argutiæ à 15. diebus paulatim desinunt, nec ut fatigatas possis dicere aut satiatas. Mox æstu aucto in totum alia uox fit, nec modulata aut uaria. Mutatur & color, Plinius. De luscinia Plinius falsò scribit quòd à coitu uocem deponat & mutet colorem. audiuimus enim nos illam sæpe canentem dum oua adhuc incubaret, Albertus: qui Plinij uerba non rectè animaduertisse uidetur. Hæc auis mira modulatione audientes exhilarat. gaudet ad ortum Solis, præitq; lætitia uenientem. uerno tantum tempore cantat, hyberno nunquam. Initio quidem ueris adeò suæ uocis amœnitate delectatur, ut rarissimè comedat. & hoc cum summa festinatione, Author de nat. rerum. Luscinia modulos suos pullos docere, uersusq; quos imitarentur tradere uisa est, Aristot. Luscinæ mares canunt perinde ut suæ fœminæ. fœmina tamen cessat cantu, cum incubat, pullosq; educat, Aristot. Auium quarundam maribus eadem uox quæ fœminis, ut lusciniarum generi, Plinius. Cicadarum mares tãtum canunt, non fœminæ, tanquam sic mo nente natura mulieres decere silentium. nam & lusciniarum fœminæ ἀμελεῖς (cantu priuatæ, Cælius Rhodig.) sunt, Eustathius Iliad. r. Luscinia longæ noctis tædia cum oua fouet dulcibus cantibus releuat, & cantu diem nunciat, & cãtu oua uiuificat, Albertus: & Ambrosius ut supra recitaui. Philomela inter incubandum cantat. & dixerunt aliqui Platonicorum oua eius non posse sine cantu parentis uiuificari. id quod uerum esse (aliqua ratione) uidetur. nam spiritus lenis & calor eleuans sanguinem in talibus animalibus mouet in eis cantus iocũditatem, & desiderium gaudij. talis uerò parentum calor incubando magis uitalis est quàm alius, Albertus. Petrus Aponensis Aristotelis problemata enarrans, philomenas Scotiæ scribit non tam suauiter canere quàm Italicas: & oblectari eas cantu humano. Luscinæ domesticæ (præsertim mares) ineuntem brumam cãtu admodum uocali, tacentibus reliquis produnt, Incertus. Charmidem Massilienſem audio dicentem, non modo musicæ perstudiosam esse luscinam, uerum gloriæ etiam cupidam. Cum enim in deserta solitudine sibi tantum canit, tum simplicem cantum & illaboratum edit: cum autem captiua tenetur, & non caret auditoribus, cantum uariat, contendit, remittit, exprimit, obscurat, Aelianus interprete Gillio. Græcè legitur, ποικίλον τὴν ἀναμέλπτην, καὶ τακερῶς ἐλίττουσαν τὸ μέλος. Καταδύεται δὲ ἀπὸ ὀρθρου μάλα ἐῤῥωμένως καὶ ἀδιαλείπτως ἐγρηγορυῖα καὶ προῒσταται, Aelianus lib. 1. de anim. Atqui in cauea luscinia minus bene canere Eberhardus Tappius inter sententias prouerbiales ponit, tanquam libertatis desiderĩ cantus earum suauitatem imminuat. Philostratus in uita Apollonij libro 7. adolescentem quendam scribit philomelas & merulas & alias aues docuisse hominum uoces imitari.

¶ His adiungere libuit narrationem quam amicus quidam uir doctissimus & fide dignus ad me perscripsit. Quoniam de auibus perscripturus es Gesnere, dicam tibi de luscinijs sermones hominum imitantibus mirabile quiddam, ac propemodum incredibile, quod tamẽ & uerissimum est, & ipse his meis auribus audiui atq; expertus sum proximis Comitijs Ratisboneñ. Anni 1546. cum istic in publico diuersorio ad auream Coronam agerem, habebat hospes tres luscinias separatim collocatas, ita ut singulæ singulis caueis opacis includerentur. Per id uero tempus uernum, quo alioqui continuo ac indefessæ cantare solent, aduersa ualetudine ex calculo ita laborabam, ut quàm minimum mihi somno indulgere liceret. Tum circa, & post quidem mediam noctem, cum nihil usquam turbarum esset, miras altercationes & æmulationes duarum luscinarum Germanico sermone inter sese colloquentium audiuisses planè hominum sermones imitãtium, me ob admirationem

propemo-

propemodum obſtupeſcente. Promere enim ac conferre inter ſeſe nocte ſilentio hominum facto, quicquid interdiu ab hoſpitibus colloquentibus inaudierant ac meditatæ fuerant. Duæ autem inter eas erant eius artis inſignes atq; præcipuæ, uix decem pedum ſpacio diſiunctæ, tertia longè remotior aberat, quam non ita lecto decumbens exaudire poteram. Sed duæ illæ mirum dictu quàm inuicem altera alterã laceſſendo ac reſpondendo inuitabant, nec uoces tamen ſimul confundebant, ſed potius alternatim reddebant. Præter autem quotidiana & recenter à conuiuiſ prolata, duas potiſsimum hiſtorias mutuo inter ſeſe prolixè & à media nocte in auroram uſq;, donec nullus hominum ſtrepitus fieret, decantabant, & ea quidem modulatione ſua natiua & uario inflexu uocis, ut niſi intentus nemo hominum facile ab illis beſtiolis expectaſſet uel animaduertiſſet. Et quærenti mihi ex hoſpite num linguæ earum fortaſſe nouacula ſolutæ eſſent, aut aliquid loqui edoctæ, reſpondebat, minimè: num item animaduertiſſet, aut intelligeret quæ noctu occinerent, ſimiliter negabat. Idem dicebat familia tota. Ego uerò qui totas noctes ſæpe dormire non poteram, auſcultabam beſtiolas auidius ac diligentius induſtriam earum & certamen profecto admiratus. Altera hiſtoria ſeu collocutio erat de pincerna ſeu oikete, eiuſq; uxore, quæ poſtulantem maritum profecturum in bellum ſequi noluerat. Conabatur enim marítus uxori, quantum ex auiculis aduertebam, perſuadere ſpe prædæ ut diuerſorio eo ſeruitioq; relicto ſecum proficiſceretur in bellum. Illa uero recuſans ſequi, uel Ratiſbonæ manſuram, uel Norimbergam abituram ſe recipiebat. Fuerat utrinq; magna & longa contentio, ſed amotis (quantum intelligebam) arbitris atq; herò inſcio hanc q; totam reddebant auiculæ. Si quid etiam ſecretius tacendumq; magis inter diſceptandum forte euomuerant, illæ prodebant, ceu neſcientes diſcrimẽ inter honeſtas & inhoneſtas uoces. Et hanc quidem contentionem & altercationem beſtiolæ ſæpe noctu repetebant, ut quę firmiſsimè, ut conijciebam, hærebat, ac probe meditata fuerat. Altera erat tunc imminentis belli Cæſaris contra proteſtantes hiſtoria, & ceu præcinium quoddam. rem enim omnem, quæ paulo poſt accidit, uelut præſagientes ac uaticinantes decantare uiſę ſunt. Tum & immiſcebant ea, quæ antea contra ducem Brunſuicenſem geſta erant. Sed ut ego puto, auiculas illa hauſiſſe omnia ex nobilium ſeu Capitaneorum quorundam priuato & clandeſtino colloquio, quod eo loci, ubi auiculę detinebant, tanquam in publico diuerſorio, frequens eſſe potuit. Hæc q; nocte (ut dixi) & præſertim poſt mediam, cum profundius eſſet ſilentium, faciebant. interdiu uero magna ex parte ſilebant, & nihil quàm apud ſe illa quę forte uel in menſa conuiuę uel deambulando conferebant, meditari uidebantur. Ego profecto nunquam Plinio noſtro credidiſſem multa adeò miranda de auiculis illis ſcribenti, niſi ipſe has beſtiolas talia promentes & oculis uidiſſem & auribus hiſce audiuiſſem. Neq; ſatis ex tempore tamẽ mi Geſnere iam iſta ad te omnia perſcribere poſſum, & ſingula comminiſci longum eſſet.

D.

Philomelas gaudere cantu humano ſcribit Petrus Aponenſis in problemata Ariſtot. Philomela, ut expertus ſum, aduolat ad cantantes, ſi bene cantent, & dum cantant, auſcultat tacens, & poſtea quaſi uincere conans canendo reſpondet. Et ſic etiam ſeipſas mutuò prouocant ad cantum, Albertus. Sermonem humanum addiſcunt, ut referam in E. Luſciniæ tanquam amantiſsimæ ſuæ ſobolis Oppianus meminit lib. 1. de piſc. Ariſtoteles affirmat luſciniam quæ ad canendum pullum inſtitueret obſeruatam. Aſtipulatur certe, quod inconcinnius canunt, quaſcunq; matres ob exilitatem uocis amandant. docentur contrà quæcunq; degunt unà, diſcuntq;, non quæſtus laudisue ſtudio, ſed quia modulari uolupe eſt, tum quia magis elegantiam quàm uſum uocis amauere, Plutarchus. Dedit & luſciniis natura miram cõcentus ſuauitatem. hæ pullos ſuos ad cantũ potius quàm temere educant: & quorum putauerint eſſe genuinos cantus, illos omni diligẽtia curant: mutos autem occidunt, tanquam indignam Atticis luſciniis ſobolem. Quinetiam libertatis amorem tantum pullis ſuis inſtillant, ut ſi capiantur cantum omnino recuſent ac elingues fiant, Oppianus de aucupio. Quòd ſi capiatur iam confirmata ætate, & incluſa aſſeruetur in cauea, idcirco ſe & cantu & cibo abſtinet, & pro ſeruitute uenatorem ſilentio ulciſcitur, quia omnium uehementiſsime auium libertatis retinens eſt. quarum rerum experientes uiri, iam ętate grandes capere omittunt, & pullos comprehendere ſtudent, Aelianus. Luſciniæ pulli ſi qui capiantur adhuc cantandi rudes, interq; homines alantur, ideo peius canunt, quòd ante legitimum tempus à magiſtris parentibus ſubducti fuerint. cum igitur aluntur cum parentibus, erudiuntur & diſcunt, non ob quæſtum, ſed quòd ex cantu mirificam uoluptatẽ capiãt, Gillius. atqui noſtri aucupes luſcinias omnes è nido eximi oportere ut ali poſsint, aſſerunt. adultiores cibum omnem detrectare. Luſciniam ſi ſe audiri ſentiat ſuauius canere audio: ſerpentem timere, atq; ideo fruteta ſpinoſa quærere.

E.

Luſcinia auis eſt ſtolida & curioſa, ideoq; captu facilis. ſi quis in terra alicubi foſſulam faciat, & diſcedat, aduolat illa curioſe. formicis uel ouis facile inescatur. Oppiani uerba de merularum & luſciniarum aucupio, referam in Merula. ¶ Cur me Donace formoſa reliquit? Munera nanq; dedi, noſter quæ non dedit Idas, Vocalem longos quæ ducit aëdona cantus: Quæ, licet interdum contexto uimine clauſa, Cum paruæ patuere fores, ceu libera ferri Nouit, & agreſteis inter uolitare uolucres. Scit rurſus remeare domum, tectumq; ſubire Viminis, & caueam totis præponere ſyluis, Alcon apud Nemeſianum. Luſciniæ educandæ circa initium Maij nidis exi-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 612 sur 825

muntur. eliguntur autem mares, quorum color aliquanto obscurior est quàm fœminarum. canere illi (pulli Maio exempti) incipiunt mense Augusto paulatim, canuntq; ferè anno toto. Aluntur uermibus quibusdam aquaticis: uel melius farinarijs uermibus, qui apud pistores reperiuntur, & copiosius apud textores pannorum è lino uel cannabi. utuntur enim illi miscela quadam è furfuribus aceto & axungia: qua destillante putrescente q; uermes nascuntur, & conseruantur pro luscinijs in furfure. Edunt & carnem, corda bubula, crudam quidem libentius, uel coctam sed absque sale, oua gallinacea cocta, & oua formicarum tempore ueris præsertim. Facile pingue scunt, ut etiam extinguantur præ adipe. quare carnem crudam, ne nimis alat, dissectam uel contusam aqua interdum prius abluere solent. cibos pingues non dant. aquam in uase aliquando apponunt, ut si libuerit lauent. Domini & loci consueti mutationem non facile ferunt. Dominum quidem suum agnoscere & amare uidentur. Hyeme ob frigus facile pereunt: quæ in Italia ultra hyemem educatę fuerint, magno uæneunt. ¶ Habebant Cæsares iuuenes (Drusus & Britannicus Claudij filij) luscinias Græco atq; Latino sermone dociles: præterea meditantes in diem, & assiduè noua loquentes, longiore etiam contextu. Docentur secretò & ubi nulla alia uox misceatur, assidente qui crebrò dicat ea quæ condita uelit, ac cibis blandiente, Plinius.

¶ Luscinię domesticæ, præsertim mares, ineuntem brumam cantu admodum uocali tacentibus reliquis produnt, Incertus. Cantu diem nunciant, Albertus. Veris nunciam luscinium Sappho cognominauit.

F. G.

Auiculas diuersas quæ Augusto mense & autumno pinguescunt ficedulas Itali uocant eo tempore (becquefigas uulgò) & inter alias (ut audio) luscinią quoq;, uel potius auem luscinię similem, nimirum curucam. Pro cachecticis in cibo laudãtur alaudæ, luscinię, &c. Alexander Benedictus. Heliogabalus sæpe edit ad imitationem Apicij calcanea camelorũ, & cristas uiuis gallinaceis demptas, linguas pauonum & luscinіarum, quòd qui ederet ab epilepsia tutus diceretur, Lampridius. Carnes luscinię aiunt in cibo sumptas uigiliam promouere, Aelianus.

H.

a. Aëdon uox Græca usurpatur etiam à Nemesiano poëta Latino. Luscinia incipiente uere non desinit cantare dies ac noctes flebili & luctuosa uoce, unde etiam nomen accepit ut Grammaticis placet. Luscіola (lego luscіniola) quòd luctuosè canere existimetur, atq; esse ex Attica Progne in luctu facta auis, Varro de lingua Latina. Idem de re rust. 3. 5. ornithotrophion operosissimum describens, Intra rete (inquit) aues sunt omne genus, maximè cantrices, ut luscіniolæ ac merulæ. Plautus etiam in Bacchid. luscіniolam dixit. Luscinia dicitur quasi lucinia, quæ cantu suo solet significare dici surgentis exortũ, Isidorus. Luscinia à Cicerone acredula uocatur, Idem. sed Cicero acredulam uertit pro aue quam Aratus ἀηδονίδα nominat. Pandionis ales: Ouidius ad Pisonem, hirundinem intelligens aut luscіniam. nam Progne & Philomela filiæ fuerunt Pandionis. Vide in Hirundine H. h. Luscіniæ nota est fabula. quapropter Philomena (Philomela potius) & Daulias & Pandaris à Græcis appellatur, Volaterranus. Daulias ales, id est luscinia, à Daulide oppido, Seneca in Hercule Oetæo. Daulia cornix, id est luscinia, Suidas & alij, ut copiosè scripsi in Cornice H. a. Euboi, hoc est luscinia, echinus maris, Kiranides 1. 5. Acanthis auis est, quam alij luscіniam, alij carduelem esse uolunt, Grammaticus quidam. nos nostram aliorumq; de acanthide sententiam; ab initio huius libri retulimus. Ἀηδών, genitiuum facit ἀηδόν-ος, Suidas: penultima breui. Reperitur & ἀηδώ-ος, contractè ἀηδ-ους, poëticè apud Sophoclem: & uocatiuus ἀηδοῖ, tanquam à recto ἀηδώ, ut λητώ, sic à χελιδών, χελιδῶς & χελιδοῖ, Eustathius & Varin. Ἀηδών fit à uerbo ἀείδ-ω, mutatione Aeolica α, diphthongi in η, impropriam diphthongum, Eustathius & Etymologus. Recentiores quidam deriuant ab ἀεὶ & ᾄδ-ω, quòd sine intermissione ferè cum cepit canat. Ἀηδών pro ἀηδών, Theocritus Idyl. 19. Ἀεηδόνα, ἀηδόνα, Hesychius & Varinus. Τετρᾴλυσιν, ἀηδόνα, Idem. Ἀτθὶ κόρα μελίδρεπτε, &c. Epigrammatum libro 1. sectione 60. Brodæus eo in loco Atthidem hirundinem uel luscіniam interpretatur, ego hirundinem omnino. Ἁ δ' ἀλκυονὶς τηλόθεν ὠκυπόροις βώτραις πρύζισκον ἀκάνθαις, Theocritus Idyl. 7. hoc est luscinia (uel hirundo) Ityn deplorans, Scholiastes & Varinus. sed alij aliter interpretantur, ut in Acredula & in Rana C. exposui. Ἀηδονίδιος, luscіniola, diminutiuum est patronymicæ formæ. Οἷοι ἀηδονίδιοι ἐφεζόμενοι ὦμοι δ' ἐφέλκομεν Ῥωτῶντες πτέρυγας πεφυκόμενοι οἷον ἀπ' οἴζε, Theocritus. Est & ἀήδυις apud eundem pro ἀηδυίς, Idyl. 19. ut ἀήδονος pro ἀηδόνος. Ἅιπερ ἐμοῖον Μισίσθοι Δάφνις ταῖσι ἀηδυίσι, Theocritus Idyl. 7. Ἀηδυίς, luscіniæ pullus, & pudendum muliebre apud Archilochum, & locus in quo cantabant, & officina, (ὀργαστήριον,) Hesychius & Varinus. Ἀηδόνων γῆ-ος alicubi apud Aristot. legitur, ubi Gaza alcyonem transtulit: quære in Alcyone A.

¶ Epitheta. Aëdon uocalis, Nemesianus. Epitheta quædam Philomelæ & Prognæ communia retulimus in Hirũdine h. Aëdon & aëdonis apud Textorem inter epitheta Philomelæ, ipsam potius philomelam siue luscіniam significant. ¶ Ἀηδὼν δύφωνος, ἀηδόφωνος, Oppianus. Ἡς ἄγγελος ἠμὲν ὀφθαλμοῖς ἀηδών, Sappho apud Suidam. Λιγύμυιος (apud Varinum λιγύμοχθος) ἀηδὼν ταυσιπόρε, Aristophanes in Auibus. Λιγεῖα, σφιγγομένα Ἴτυν, ξυβᾷ, Aeschylus. Ἡδυμελὴς ξύμφωνον ἀηδόνα μόσιος, Aristophanes in Auibus. Ἁ τανύοος ὄρνις, Sophocles in Electra. Οἰκτρᾶς ὄρνιθος ἀηδοῦς, Idē apud Suidam. Ποικιλόδειρος, Hesiodus. Μελίγηρυς, in epigrammate Philippi. Χλωρὴς ἀηδών, uel quòd degat in locis

in locis uiridibus, ἢ ὡς ἅμα τοῖς χλωροῖς φαινομένην. uere enim apparet, uel propter colorẽ, à quo & apud Simonidem ἀηδόνα χλωραύχενα cognominantur, Scholiastes in Odyss. τ.

¶ Sunt in bombardarum genere, ut uocant hodie, quæ nescio quam ob causam luscíniæ dicuntur.

¶ Ἀηδόνες, Sirenes apud Lycophronem, propter suauem ac demulcentem earum cantum, Eustathius & Isacius Tzetzes. Ἀηδόνας ἀδελφὰς, τὰς ἀυλάλας, Lycophron. Libyssa aëdon (apud autho-rem innominatum.) quoniam in Carthagine Libyæ mulieres sunt quæ filios suos nescio qua reli-gione Saturno sacrificabant, aliqui θρηΐαν, id est uastitatem (uel orbitatem) exposuerunt, non rectè, Hesychius. Quidam in epigrammate cicadam aëdóna cognominat, hoc est musicam & suauiter cantillantem. Ἀκείσῃ τῇ κατ' ἀγρέαν ἀηδόνι. Ἀηδὼν pro glosside, id est lingula tibiæ per metaphoram le-gitur apud Euripidem in Oedipo: qui tibias quoq; alicubi λωτίνας ἀηδόνας nominauit, Hesychius & Varinus. Ἀηδόνα, ὡδὴν λίγα καὶ γλωσσίδα. ὁι δὲ χελιδόνα, Etymologus. Τὰν εὐφὼν ἀλιμίοσαν ἀηδόνα μέσσαν, Eu-ripides in Palamede, ut citat Isacius Tzetzes. Κόρικία τ' ἀυτοίκητον ἀηδόνα, τὰν φὼ ἐείθοις βακχυλὶς ἀυκρέ-τας (sic habet codex impressus) εὖ δ' ἔκειντε μύτας, ut citat Suidas in Μίτ. Ἀηδὼν, Minerua apud Pam phylios, Hesychius & Varinus. Λαμπὰς μινυρὸς ὑποφρυκτὶς μεσῶν σκιλευτὸς ἀηδὼν ἱππία ὑμνᾶ ἄοιδα, Phrynichus apud Athenæum. ¶ Ἀηδόνειος ὠδὴ καὶ ἀηδόνειον μέλος, Suidas & Varinus. Κελαδεῖ δ' ἐπίκλαυτον ἀηδόνιον νόμον, Aristophanes in Ranis. id est, Lugubri cantu perstrepit quali filium deflet luscínia Ityn. Ἀηδονὶς, luscíniola, & locus in quo canebant, Varinus.

¶ Fabricius Luscinus, uiri nomen apud Ammianum Marcellínum libro 3. uidetur autem Lu-scínus à lusco potius quàm â luscínia deriuatum. ¶ Aedòn, Ἀηδὼν, uocabatur maxima natu filia-rum Pandarei, ut retuli in Hirundine h.

¶ b. Curuca minor est luscínia, sed eadem corporis figura, colore subuiridi, Turnerus. Et rur sus, Colore luscínia & corporis magnitudine auículam illã proximè refert, quam Angli lingettam, & Germani passerem gramineum nominant. Audio in quibusdam Heluetiæ montibus, ut circa thermas Fabarias passeri specie & magnitudine non dissímilem auículam reperiri, instar luscíniæ canoram, quæ & ipsa forsan è curucarum genere fuerit.

¶ c. Homerum infantem Aegyptijs parentibus ortum, fabulantur cum mel aliquãdo ex Ae-gyptiæ nutrícis uberibus in os eius manasset, ea nocte nouem diuersas ædidísse uoces, hirundinis, pauonis, luscíniæ, &c. ut recitaui in Columba liuia ex Eustathio. Luscíniæ uocem aiunt esse ἴτυ ἴτυ, tanquam amissum filium Ityn deflentis, ut in Hirundine h. retulimus. Agesílaus cum inuita-retur ad audiendum quendam luscíniæ uocem egregriè imitantem, recusauit, ipsam se luscíniam sæpe audíjsse dicens. Poëtæ cantiones & carmina, ut quæq; dulcíssima sunt, non alijs quàm luscí-niarum cygnorumq; modulis comparant, Plutarchus. Nec querulæ cessant tenerum tinnire uo-lucres, Fluctibus alcyone, densa philomela sub umbra, Politianus.

¶ T. Vespasiani Strozæ carmen in Philomelam libro 6. Eroticõn.

Aemula diuini suauissima carminis ales,
Mollibus & uarijs quæ tot díscrímina uocum
Munere pro tali tibi quid philomela rependam?
Dum uagus huc illuc hortis genialibus erro,
Hospitis officio tu protinus usa benigni,
Nec procul hinc densis canis abdita frondibus, altæ
Verum hic iuniperi insidís míhi proxima trunco,
Et licet hac perstem tibi tam uicinus in umbra,
Nil tamen ipsa times, nec gutturis ista canori
Grata sed in longum luco resonante querela
Nos uerò tali quoniam dignaris honore,
Humanas auium quæ mulcent cantibus aures
Víue diu, similisq; tui generata propago
Quæ uirides umbras & loca sacra tenes:
Flexíbus humana dulcius arte refers:
Præmia quę tanto digna labore putem?
Miror & artifici culta uireta manu,
Fingis in aduentu carmina mille meo.
Ilicis in ramo populeisue comis.
Non imitabilibus me uenerata modís.
Deq; tua suaui garrulitate loquar:
Sedulitas ideo dulce remittit opus.
Ducitur, argutis continuata modís.
Dicimus in laudes hæc tibi pauca tuas:
Cedere carminibus carmina cũcta tuis.
Finiat extremum non nisi sera diem.

¶ Ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηὶς ἀηδὼν
Καλὸν ἀείδησιν ἐαρινὸν ἱσταμένοιο,
Ἣ τε θαμὰ πρωτῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν,
Κτείνε δ' ἀφραδίῃς κοῦρον Ζήθοιο ἄνακτος,
Δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσι,
Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον Φίλον, ὃν ποτε χαλκῷ
Ὡς καὶ ἐμοὶ δίχα θυμὸς ὀρώρεται ἐνθα καὶ ἐνθα, Penelo-pe apud Homerum Odyss. τ. Πολυηχέα φωνὴν, multisonam uocem, hoc est quæ multis mutetur ac ua riet modis interpretor. aliqui (inquit Aelianus) legunt πολυδύκεα φωνὴν, τὴν ποικίλως μεμμηκυῖαν, ὡς τὴν ἀηδονίδα, τὴν μυδάλεως εἰς μίμησιν παρατραπέσαν. Pandaris ut quondam florente ætate puella Vêre nouo ramis densa super arbore mœstum Ingeminans carmen uarijs loca cantibus implet, Volaterranus ex Homero. Luscínia uêre πολυήχως καὶ ποικίλως ᾄδει, Aelianus. ¶ Ἀηδόνες δὲ πυκνοῦσιν ὀδυρόμεναι ποτὶ φύλλοις, Theocritus Idyl. 19. Et rursus, ὀυδὲ τόσον ποτ' ἄεισεν ἐνὶ σκοπέλοισιν ἀηδών, Item Idyl. 12. ὅσσον ἀηδὼν Συμπάντων λιγύφωνος ἀοιδοτάτη πετέλλων Τόσσον ἐμ' ὄψεαι τὸ φανείς.

¶ Οὐδ' οἰκῆας γόον ὄρνιθος ἀηδοῦς ἄεισε δύσμορος. ἀλλ' ὀξυτόνως ὠδὰς θρηνήσει, χορὸν ἡλικίῃσι δὲ σὺν ὄρνισι πεσοῦσα Sophocles apud Suidam. Et rursus, Ἀλλ' ἐμὲγ' ἃ σινόεσσ' ἄρπυια φρήτας, (Atticè, pro ἴσσι μοι ταῖς φρε-σίν,) ἃ Ἴτυν ἀεὶ Ἴτυν ὀλοφύρεται, ὄρνις ἀτυζομένα Διὸς ἄγγελος. Dicit autem se imitari & æmulari luscíniam meritò lugentem Ityn: quam Iouis nunciam uocat, quòd uer prænunciet, uel diem: uel quòd suam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 614 sur 825

ipsius calamitatem, illam uulgari sermone iactatã nunciet. Ἄγγελος, οἷον τόδας, τὸ παρ' αὐτῆς γινόμενον εἰς τράπεζαν φύσεως, ut apud Suidam legimus. Ὦ φίλη, ὀπτ' ἔβης, ὦ φίλτατον ὀρνέων, πάντων ξυνομεν ἐμῶν, Ὕμνων ξυμπροφ' ἀκοιτι, Ἦλθες, ἦλθες, ὤφθης ἠδὺ φθόγγον ἐμοὶ φορῆ= Σ' ἀλλ' ὦ λιγυμιβόαν λιρέκα= Σ' αὐλόν, φθέγμασιν ἠρινοῖς Ἀρχα τῶν ἀναπαύσων, Chorus ad Luscíniam in Auib. Aristoph. In eodem dramate Epops luscíniam sic alloquitur: Ἄγε σώνομέ μοι πᾶσαι μὲν ὄπτα, Χῦσον δὲ νόμος ἱδρᾶν ὕμνων, οὓς ἔχα θεὸς σόματος θρηνεῖς: Τὸν ἐμὸν καὶ σὸν πολύδακρυν ἴτυν Ἐλελιζομένη (θρηνοῦσα) δι θροῖς (δι' ὀγκοις ἐκ τῶν στακέων) μέλεσι. Γόνυθ' ξυθῆς καθαρὰ χωρεῖ (ἀντὶ τοῦ χωρίστι) Διὰ φυλλοκόμα σμίλακος ἠχώ, Ῥρὸς Διὸς ἔδρας, ἵν' ὁ χρυσόμας φοῖβ' ἀκάμας, πᾶς ζῖς ἐλέγοις (θρήνοις) Ἀντιψάλλων ἐλεφαντόδ' Ῥρ φόρμιγγα, θεῶν ἵστησι χορούς, Διὰ δ' ἀϊανάτων σομάτων χωρεῖ Ξύμφων' ὁμοῦ Θεία μακάρων ὁλολυγή. Αὐλεῖ πίς. Tum Euelpis subdit: Ὦ ζεῦ βασιλεῦ τοῦ φθέγματος τερενίδος, οἷον κατιμελίτωσε τὴν λόχμην ὅλην.

¶ d. Qualis populea mœrens philomela sub umbra, &c. Vergilius Georg. 4. ubi Seruius eum speciem pro genere posuisse ait, philomelam pro quauis aue. Nulla auis cum aut fame aut frigore, aut alia molestia afficitur, canit: ne ipsa luscinia quidem, aut hirundo & upupa, quam quidem aiunt præ dolore lugentem canere, Plato in Phædone.

¶ e. Cor luscíniæ si quis ea adhuc palpitante cum melle transglutierit, & aliud cor eiusdem auis cum lingua portauerit, suauis ad loquendum erit, & sonoræ uocis, & libenter audietur, Kiranides.

¶ f. Luscínias solíti impenso prandere coemptas, Horatius Serm. 2. 3. Luscíniæ plumas cum quidam detraxisset, & parum omnino carnis inuenisset, Vox tu (inquit) es, & aliud nihil, Plutarchus in Laconicis.

¶ g. Magi oculos earum (fortè eorum, scilicet cancrorum, de quibus proximè dixerat) cum carnibus luscíniæ in pelle ceruina adalligatos, præstare uigiliam somno fugato tradunt, Plinius. Si quis oculos luscíniæ abstulerit, eamq; uiuam dimiserit, eosq; portauerit, nullo modo dormiet, quan diu portauerit. Fel autem eius cum melle illitum uisum perfectè acuit, Kiranid.

¶ h. Extat Philippi cuiusdam carmen inter Epigrammata Græca 1. 40. de luscínia, quæ boream fugiens quum per mare uolaret delphini dorso suscepta uectaq; sit, & illum nantem carminibus suis delectârit, ut uel hoc historiæ Arionis fidem faciat. ¶ In Auibus Aristophanis luscíniæ personam gerit meretrícula habitu ornata meretricio, capite uerò luscíniam referens, (plumis nímirum eius auis capiti circumpositis:) unde quidam dicit, ὅζον δ' ἔχει τὴν χρυσόμ: simul ad auis uarietatem in collo, simul ad meretricis ornatum respiciens. Apologum accipitris & luscíniæ Hesiodo scríptum, retuli in Accipitre h. ¶ Pandareo filiæ fuerunt Merope, Cleothera, & Aedòn, quarũ hæc in luscíniam mutata fingitur: secundum alios Progne in luscíniam, & soror eius Philomela in hirundinem, ut copiosè prosequuti sumus in Hirundinis historia. Sunt qui contra Prognen in Hirundinem, Philomelam uerò in luscíniam transformatam putent.

¶ Picus Martius & luscínia efficací auspício habentur, prosperaq; semper & felícia decreuerũt, Alexander ab Alex. Mira luscíniæ cantus suauitas, &c. ut non sit dubium hanc suauitatem præmonstratam efficací auspício, cum in ore Stesichori cecinit infantis, Plinius.

¶ PROVERBIA. Bubo canit luscíniæ, à Calphurnio Aeg. 6. prouerbij specie usurpatur, his uersibus: Nyctilon ut cantu rudis exuperauerit Alcon Astile, credibile est ut uincat acanthida cornix, Vocalem superet si dirus aedona bubo. Videtur autem transtulisse ex isto Theocriti Idyl. 1. Δάφνις ἐπεὶ θνάσκῃ, καὶ τὼς λιῦας ὦλαφ' ἔλησι. Καξ ὀρέων τελέσκοπος ἀκδύσεται ρύσαντο. Et quanquam scops alia auis est quàm bubo, utraq; tamen nocturna & absonæ uocis est. Eiusdem sententiæ est etiam illud Theocriti Idyllio 5. Pica cum luscínia certat, οὐ θεμιτὸν λαικῳ πτ' ἀκδόνα λίσσας ὄρισθεν, οὐδ' ἔπεσας λύκνοισι. ¶ Luscíniæ deest cantio: prouerbialis allegoría (inquit Erasmus) perinde quasi dicas, Mulieri desunt uerba, poetæ uersus, oratori color, sophistæ cauillum. Nulla enim auium æquè canora atq; luscínia, etiam fœmina, sicuti testatur Plinius 10. 29. Ego quoq; pol metuo ne luscíniolæ defuerit (defuat) cantio, Plautus in Bacchidibus. Tappius etiam Germanis quibusdam usitatum hoc ait, Die nachtgall kan nit singen. ¶ Corui luscíniis honoratiores, cum indocti doctis præferũtur, &c. uide in Coruo h. ¶ Luscíniarum musea, Ἀκδόνων μουσεῖα, apud Varinum ex authore innominato in prouerbio Χελιδόνων μουσεῖα, id est Hirundinum musea, cuius sensus cõtrarius uidetur, de barbaris & loquacibus & molestis: quale scilicet hirundinum genus est, quod nimio cantu suo audientes magis molestat quàm suauitate oblectet. Luscíniæ uerò etsi cum cœpere canant assiduè, tanta tamen earum cantus & suauitas & uarietas est, ut auditores mirificè capiat: ut hominum eloquentia & eruditione præstantium orationes, scripta, bibliothecas, uel etiam doctorum conuentus, pulchrè luscíniarum musea appelles. Sic & Sirenum musea dicuntur, eodem loco apud Varínum. ¶ Luscíniæ nugis insidentes, Ἀκδόνι λέσχας ἐγκαθήμενοι. Proximum illud (Hirundinum musea, inquit Erasmus) ad imperitos & tamen garrulos conuenit, hoc ad eruditos qui tamen immodicè suo studio delectentur, quod genus sunt poetæ potissimum. Plautus in Bacchidibus ad puellam transtulit, Metuo (inquit) ne luscíniolæ defuerit cantio. Quanquam in Græco prouerbio iocosa deprauatio uidetur inesse, ut pro λόχμαις dictum sit λέσχαις. Sumptum est autem ab incredibili canendi tum studio, tum arte, quæ huic auiculæ tribuitur. Λέσχαι loca dicebantur publica, in quibus colloquendi uel epulandi uel se calfaciendi gratia homines conueniebant; & quoniam plerique ijs in locis

de rebus

de rebus inutilibus ſermones miſcebant, factum eſt ut eadem dictio nugas ſignificet. in hoc tamen prouerbio nugas interpretari non placet, cum non ad indoctam loquacitatem, ut Eraſmus ipſe teſtatur, ſed eruditos ſermones pertineat: ut idem nimirum ſenſus ſit etiã ſuperioris prouerbij Luſciniarum muſea. ¶ Neq; quantum luſciniæ dormiunt: uide ſupra in C. ¶ Luſcinia uocalior, prouerbialiter uſurpari poſſe Eraſmo placet. Vocalem ſuperet ſi dirus ædona bubo, Calphurnius. ¶ Io. Tzetzes in Varijs 8. 244. cum parœmias duas commemoraſſet, Quantum graculi de regno curant, &, Quantum aquilis leges Platonis curæ ſunt, ſubdit: Hæc quoq; ſimilis eſt ſuperioribus parœmia, Syllogiſmorum quæ cura eſt luſcinijs: ſiue librorum qualiumcunq; Ariſtotelis; Συλλογισμῶν γὰρ τῆς φρονπίδος ὄρνις τοῖς ἀκούσιν· Εἴπε καὶ βίβλων ὀιασσὺν τῶν Ἀριστοτέλεως;

DE AVIBVS QVARVM NOMINA INCIPIVNT AB M. LITERA.

MAGNALES aues ſunt Orientis ualde magnæ, pedibus magnis (aliàs nigris, malim magnis,) & roſtro (ſcilicet magno) hominibus non nocentes. Piſcibus in fluminibus & ſtagnis inſidiantur, quos deuorant, Albert. Eædem forſitan onocrotalis ſunt.

MATTYEIΣ, dictio Macedonica, nomẽ auis, & lágana quæ è iure eius circunferuntur, Heſych.

MELANDERVS, Μελάνδερος, auicula quædam, Heſychius & Varinus; à colli ſcilicet nigro colore dicta.

DE MEMNONIIS AVIBVS.

AVCTORES ſunt, omnibus annis aduolare Ilium ex Aethiopia aues, & confligere ad Memnonis ſepulchrum, quas ob id Memnonidas (Memnonias, Solinus) uocant. Hoc idem quinto quoque anno facere eas in Aethiopia circa regiam Memnonis, exploratum ſibi Cremutius tradit, Plinius & Solinus. Circa Memnonis ſepulchrum quinto quoque anno cum biduo circunuolarint, tertio die pugnam ineunt, & ſe roſtris & unguibus lacerant: deinde reuertuntur in Aegyptum, Albertus. ¶ Terram Mariandyneam aues aſpectu nigras incolere ferunt, (Græcus codex noſter manuſcriptus habet, γῆν τὴν Μαριάνδυνον καὶ τὴν γείτονα Κυζικηνῶν ὄρνιθας οἰκεῖν μέλανας ἰδεῖν φασί,) quæ figura corporis & forma accipitribus ſimiles eſſe uidentur: eæ uſu carnium cum ſe abſtinent, tum in omni uictus ratione ſe continent, eis enim ad cibum ſemina ſatis ſunt. Cum autumnus eſſe cœpit, Ilium gregatim aduolant. Eas autem idcirco Memnonias uocant, quòd rectà ad Memnonis filij Auroræ & Tithoni ſepulchrum proficiſcantur. id enim uel etiam nunc à Troadis incolis ad ornamentum Memnonis cõditum ibi fuiſſe dicitur, atq; Memnonis cadauer ex cæde à matre in Suſa tantopere decãtata exportatum fuiſſe, ut humatione afficeretur, eq; dignitate illius exequiarum iuſta ei perſoluerentur. Aues igitur Memnonis gentiles (ἐπωνύμους) quotannis eò proficiſci, ibiq; primum in contrarias partes diſtrahi, deinde pugnam committere, eamq; ſumma contentione tandiu pugnare, dum ex his media pars pereat, altera uictrix diſcedat, Aelianus. ¶ Memnones aues (Οἱ ὄρνιθες οἱ μεμνονίδες, malim Μεμνονος in genitiuo. id eſt, Memnonis aues. Sic & Heſychius & Varinus, Antipſychi, inquiunt, uocantur Memnonis aues) genus à nigerrimis Aethiopibus ducunt. ſed Aethiopia relicta, ut quæ nimio calore fœturam impediat, ne nidos quidem in ea ſtruunt (Sol enim ſtatim oua omnia comburet) & Aquilonem uerſus ac Thraciam feruntur. Cum autẽ ad Helleſpontum ac Troiam peruenerunt, ſuper Memnonis ſepulchro inter ſe tanta prælia miſcent, ut ſtrepitus alarum ſcuta reſonantia repreſentet. deinde cum deſitum eſt pugnare circa montem Aeſepum (Aeſepus eſt fluuius Lyciæ ſub Ida, cuius meminit Homerus lib. 2. & 4. Iliadis) ſe lauant, & in arena ſe uolutantes puluere ſparguntur, ac ſuper Memnonis ſepulchro alas ad Solem ſiccant, collectumq; pennis puluerem monumento inſpergunt: uel hoc argumento, ni fallor, ex humana in auium formam ſe tranſijſſe, & neq; regium honorem, neq; belli meditationem à ſe negligi declarãtes, Oppianus in Ixeuticis. ¶ Ouidius lib. 13. Metamorph. Memnonides aues è fumo & fauillis rogi in quo Memnon ab Achille occiſus cremabatur, primum natas fingit, colore nigro, unguibus aduncis. Aues aliquas in Numidiam atq; Aethiopiæ ſepulchra peti, Plinius reprehendit. Οὐδ' ἐξεπλήγην αὐτὰς κύκνους πτοιῶν καὶ μεμνονας κωδωνοφαλαροπώλους, Ariſtophanes ut Varinus citat, in Κωδωνοφ. Οὐ πόσῳ ἥσσονες ἄγκεσι πτῶσιν ἔχ' ἀμφὶ Μεμνονος ὄρνις, Theocrit. Idyl. 19.

DE MEROPE, CVIVS EFFIGIEM EX PETRI Bellonij peregrinationibus mutuati ſumus.

A.

MEROPS, Μόροψ, auis nomen uſitatũ eſt Bœotijs, Ariſtot. Meropes aues uocantur apiaſtræ, quia apes comedunt, Seruius. Merops qui & apiaſter, Gaza apud Ariſtotelem. Alberto eadem auis muſcicapa nominatur, ut ſuſpicor, ſine authore. Aëropes uel aëropodes dicuntur parentes ſuos alere ut ciconiæ, Ariſtophanis Scholiaſtes & Suidas Ariſtotelem citantes: ſed legendum apparet μόροπος tribus ſyllabis: quamuis Heſychio etiam & Varino ἀόροπες aues quædam ſint, Eberus & Peucerus ἀόροπα dici arbitrantur ab aëreo colore, nos aliam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 616 sur 825



meropis etymologiam adferemus. Alkemus uel akeuius auis apud Rasim de L X. animalibus, cap. X L V I I I. non alia mihi quàm merops uidetur, scribit enim eam apibus uesci, &c. Marochos pro merope apud Albertũ legitur. ¶ In Creta uulgò melissophago dicitur à comedẽdis apibus, Bellonius. A nonnullis Græcis hodie μελισσοφαῖς. Meropes aues quę & flori (φλῶρι) dicuntur, Varinus: nimirum à floridis coloribus. sed alia auis est anthus, quam Gaza Latinè florũ reddit. Phlorus, φλόρος, per o. breue auis est, per o. longum uerò, φλῶρος, propriũ uiri nomen, Suidas. Anthum auem à Græcis hodie uulgò florum dici Bellonius testatur. ¶ Meropes dicuntur aues, quas in Italia uocant barbaros, Probus in Georgica. ego dardos uel dardaros legerim. darda enim Græcis hodie apiculam sonat: & dardo circa Bononiam alibiq; meropem auem, quæ apes muscasq; ut hirundines riparię (quæ uulgò similiter Italis dardani, dardanini & tartari dicuntur) uolando deuorant. Meropes aliter gauli uulgo Italico dicuntur, ut aiunt: & ieuoli, Ant. Mancinellus. Vulgo apud nos grallum appellant, Niphus. sed idem alibi galgulum quoq; grallum interpretatur. Meropem Neapoli audio lupo de l'api uocitari: in Sicilia picciaferro, à ferrea rostri duritie. ¶ Hispanicè aueiuruco. ¶ Gallicè dici posset guespier, Bellonius. ¶ Germanicum nomen fingere licebit, ein Jmbenwolff, uel Jmbenfraß.

¶ Darharcaria Latinè meroli (merops) uocatur, & est picus uiridis, Albert. Et alibi, Merops (inquit) est de genere picorum. Sed longe alia auis est picus uiridis, ut historiam utriusq; & icones conferenti facile erit animaduertere. ¶ Galli & Germani quidam putauerunt meropem esse auem quæ Gallicè mesange appellatur, (ea parus est Latinorum,) quod falsum est, Bellonius. Eberus & Peucerus auem Germanicè dictam Krinitz uel Winthalß, meropem faciunt, quum ea omnino iynx sit.

B.

Auis est merops tam uulgaris in Creta, ut nusquam non in illa uolare appareat: rara alibi, & ipsis etiam Græcis per continentem incognita, uix unquã uisa Italiæ, Bellonius. Nos in quibusdam Italiæ locis satis frequentem esse accepimus. Colore est longè pulcherrimo, quo uel cum egregio psittaco certat, paulò maior sturno, Bellonius. Etrursus, Magnitudine sturni est, similis ferè ispidę uulgò dictæ aui, (ipse ispidã alcyonem interpretatur.) Muscicapa auis est maior turture & columba, colore pennarum sicut lanarius, pedes & rostrum habet sicut hirundo, Albertus. hæc forte meropi non conueniunt. Meropes aues sunt uirides, Seruius. Errat Seruius qui meropem inquit uiridem esse & uiridiores pennas habere, Perottus. Pennæ huius auis inferiores pallidæ sunt, superiores cœruleæ, ut alcyonis: postremæ pinnulæ rubrę habentur, Aristot. interprete Gaza. Græcè legitur, τὰ δὲ ἐπ' ἄκρῳ τῶν πτερυγίων ἐρυθρὰ: id est, in summis alis rubræ. Plinius ex Aristotele sic, Merops est pallido intus (in uentre, Isidorus: quod magis placet) colore pennarum, superne cyaneo, priori (Isidorus legit pectore, sed malo priori, cum Græcè sit, ἐπ' ἄκρῳ) subrutilo. ¶ Meropes rubentibus sunt cruribus & ore prælongo, Textor. Græci hodie suum melissophagum rostro oblongo esse dicunt: Siculi durissimo, unde & picciaferrum nominant. Rictum oris tantum habet muscicapa, ut muscas multas in os eius gratia humoris insidentes capiat, Albertus. Oris rictum habet

habet amplíſsimum propter muſcas & cíniphes, quíbus ueſcítur. roſtrum tamen ínter aues, compa-ratione ſui corporís habet mínímum, & pedes ſimíliter, Líber de nat. rerum. ſed meropís roſtrum non uídetur mihí corporís relíquí comparatione ín eo mínímum. Idem coloris eſſe flaui audío.

C.

Meropes comedunt apes (ínter uolandum ínſtar hírundínum, Bellonius:) unde & apíaſtræ La-tínís dícuntur, & Græcís uulgò meliſſophagí. Cícadas quoque deuorant, Bellonius. Muſcícapís nomen quía muſcas capíunt, quíbus ſolís & uermículís ueſcuntur, Albertus. ¶ Regulus atque merops, & rubro pectore Progne Cõſímílí modulo zínzílulare ſcíunt, Author Philomelæ. Me-ropes ſíc dícuntur Græcè, quoníam earum uox multíplícem capít partítíonem, à meríſmo opòs, íd eſt partítíone uocís, Probus ín 4. Georg. Longè audítur merops, ac uocẽ ædít quodammodo ín-ſtar hominís, quí ore ín rotundum clauſo ſonaret grul gruru ururul, ſono tam alto quàm oríolus, Pet. Bellonius. ¶ Contrà uolat atq; cæteræ aues. alíæ enim omnes quaſí ſurſum ad oculos uerſus: ílla uero retro (ad caudam uerſus) uolat. Et profecto naturam uolatus admíratíone & ínſolentía ple-ní, quem facít hoc anímal, ſummopere míror, Aelíanus. Volat ferè cum alíjs ſuí generís auíbus, raro ſolus, frequens círca montes thymí feraces ubí apes deuorat, Bellonius. Muſcícapa pígra eſt ín uolatu, Albertus. ¶ Solus merops ſubíens terræ cauernas facít cunabula, Ariſtot. Cunabula ín terra facít, corporís grauítate prohíbítus ſublíme petere. Nídíficat ín ſpecu ſex pedum defoſſa al-títudíne, Plínius. Parit ſex aut ſeptem æſtate, (ἅπαξ τοῦ ὀπώρας,) ín præcípítíjs mollíoríbus, ínträ uel ad quatuor cubíta ſubíens, Ariſtot.

D.

Sunt quí meropes quoq; ídem facere cõfírment, quod cíconíæ, uícemq; reddí, ut parentes non modo ſeneſcentes, uerumetíam ſtatím, cum ſam datur facultas, alantur opera líberorũ: nec matrem aut patrem exíre, ſed ín cubílí manentes paſcí labore eorum, quos ípſí genuerunt, enutríerunt, edu carunt, Ariſtot. & Aelíanus. Genítores ſuos reconditos paſcunt, Plínius. Aëropes dícuntur pa-rentes ſuos alere, & ín pennís geſtare ut cíconíæ, Ariſtophanís Scholíaſtes. Meropes ſolícítí ſunt de pullís ſuís: & quando ſam ſeneſcunt & uolare nequeunt, pullí fouent eos & alunt quandíu uí-uunt, Iorath.

¶ Merops auís eſt aſtuta: quæ pullos ne quís capíat mutat de loco ad locum, ípſa quoque cum alíquem ſuos pullos quærentem uídet, ad loca díuerſa ſe tranſmutat, ne forte cognoſcatur ubí eos nutríat, Kíranídes.

E.

Meropes apíbus ínjurıam ínferunt, Ariſtot. Vergílíus, Aelíanus & Florẽtínus ín Geoponícís. Quare nídos eorum alueís propínquos apíarij tollunt, Ariſtot. ¶ Pulchrítudo eorũ ínuítat pue-ros ín Creta ut cícadís eos capíant, ſícutí apodes, íd eſt hírundínes maíores, hoc modo: Acícula ín-ſtar hamí curuata cícadam transfígunt. aículam fílo allígant, cuíus ípſí extremítatem tenent. Cíca-da ſíc transfíxa ín aërem euolat, eam conſpectam merops ímpetu petít, & deuorata fílo hærente ca-pítur, Bellonius.

F. G.

Merops ín cíbo ímprobatur, Bellonius. Caro auís alkemí eſt auſtera, prauæ (difficílís) conco-ctionís: utílís tamen contra ínflatíones, Raſís. Sí fel eíus míſceatur cum gallís, oleo omphacíno, ca píllos denígrat nígredíne firma, Idem.

H.

a. Pro merope Auícennæ ínterpres habet merũ. Merops, íd eſt para auís, eſt omnino uírídís, quam quídam grangenam uocant, Kíranídæ ínterpres. Merops uocatur, eò quòd cíto hominem ad amorem conciliet, Idem. Μέροπες hominum epítheton eſt apud poëtas, alíquando autem abſo-lutè ſine ſubſtantíuo ponítur ímperfectè, ut etíam βροτοί, Euſtathíus & Varín. Μέροπες homínes dí cuntur ab eo quòd uocem artículatam habeant, & díuiſam ín dictíones, ſyllabas & líteras: uel quía línguís & dialectís utuntur díuerſís. ὄπτα quídem & αὐδήεντα poëtæ de hominum uoce duntaxat effe-runt, Euſtathíus & Varínus, uel à Merope Coo quí ante Phaëthontem fuit, Heſychíus.

¶ Pandareum Meropís Míleſíj fílíum canem aureum ín Creta furatum aíunt, &c. Euſtathíus. Huíus Pandarei fílíæ memorantur Merope, Cleothera & Aëdon, &c. ut retulí ín Hírundíne h. Merops Cõus ante Phaëthontís tempora fuit, Heſychíus. Μέροπη, nomen unius Pleíadum, Euſta-thíus. Merope fuít Atlantís & Pleíonæ fílía, quæ Síſypho nupſít, atq; ob íd fíngítur ſtella ínter ple íades obſcuríſsíma, de qua Ouídíus: Septíma mortalí Merope tíbí Síſyphe nupſít: Pœnítet, & fa-cti ſola pudore latet. Euſtathíus refert quòd Cõs ínſula olím dícta ſít Merope & Meropeís, Μέρο-πηίς (Suídas habet μέροπις, ut & Plínius 5. 31. Hercules Troía euerſa per Aegæum pelagus rediens uí tempeſtatís actus eſt ín Cõn Meropídem, εἰς Κῶν Μεροπίδα, Scholíaſtes Homerí ín Ilíad. ξ.) quo-níam populí quídam Meropes ín ea habítarínt: deínde Cõs à Cõ Meropís fílía. Merops fílíus fuít Tríopæ (Theſſalorum regís) à quo Coí Meropes dícti ſunt, & ínſula ípſa Μεροπίς, Stephanus. Idem ín dictíone Κῶς, Vocabatur (ínquit) hæc ínſula Μέροπη (lego Μεροπίς) à Merope gígante, Cõs poſtea dícta à Cõ Meropís fílía. Síphnus quoq; ínſula (eodem teſte) olím Merope dícebatur. Merops dí ctus eſt unus ex terrígenís gígantíbus íllís, quí affectaſſe regnũ cœleſte dícuntur; hoc eſt quí turrím

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 618 sur 825

Babel extruxerunt, in qua ædificanda cum interuenerit linguarum confusio, uocumq; diuisio, qui eam moliebantur, dicti sunt Meropes, id est diuersarum uocum, ut grammaticus quidam annotauit. Meropem Coum fabulantur cum uxoris mortem deflere non desineret, & in luctu hospitio Rheam suscepisset, in aquilam mutatum semper adesse Ioui: Vide in Aquila h. ex Eustathio & Higino. Meropis Percosij uatis meminit Homerus Iliad. β. Aëropes populi in Troezene, & genus quoddam in Macedonia, Hesychius. scripsimus autem supra in A. meropem quoq; auem à nonnullis aëropem uocari. Legitur & Aërope Atrei uxor, adulterio à Thyeste Atrei fratre corrupta. Meropus, mons Græcis iuxta Thessaliam, uarijs præruptus anfractibus, unde & nomen habet. nam cum ex uarijs anfractibus, undiq; reseriente Echo, uoces diuersas reddat, ab effecto hāc appellationem sortitus est, Grammaticus quidam.

¶ e. Si akeuium auis decollata frigatur cum oleo, & inde manus alicuius inungatur, qui postea eam in apes immittat, non lædetur, Rasis. ¶ Merops ad multa facit, sicut & alcyon, Kiranid. Cor eius ad nimium amorem aptum est, Idem.

¶ g. Meropis cor in cibo cardiacos, ictericos & stomachicos iuuat, Kiranides. Fel eius cum melle ac succo rutæ suffusionem oculorum sanat, Idem.

DE MEROPE ALTERO.



AEROPEM qui uiderunt, aui quam hîc pictam damus non dissimilem esse aiunt, tum coloribus tum corporis specie. Mihi quidem neutram adhuc uidere contigit. Ea quam hîc ponimus ab aucupe quodam & pictore Argentinensi (rarissimè tamē circa Argentinam conspicitur) expressa est, nomine Seeschwalm/id est marina hirundo, uidetur enim partim

tim forma corporis, ut pedum breuitate: partim natura, ut uolatu, & quòd inter uolandum muſcis paſcitur, hirundinem referre. (Cælius Calcagninus tamen alcyonem hodie uulgò alicubi in Italia hirundinem marinam nominari ſcribit.) Verſatur, ut audio, circa aquas, craſsior merope, uel ſturno, (ut pictura oſtendit:) roſtrum habet oblongum, nigrum, & eiuſdem coloris lineam à roſtro per oculum retro ad colli initium pertingentem: crura fuſca, breuia, dorſum ex flauo & uiridi ferè mixtum: caudam & extremas alarum pennas uirides, uentrem & pectus cœrulea, partem ſub roſtro flauam, ſynciput ei albicat, uertex & occiput rubent.

DE MERVLA.



A.

MERVLA fœminino genere tantum apud claſsicos authores, à recentioribus etiam merulus effertur, ut ab authore Philomelæ, quidam à nigro colore uoce nõ Latina nigretum appellauerunt. Archia, id eſt merulus auis, Syluaticus: neſcio qua lingua. Coſsyphos certe Ariſtoteles merulas intelligit, item cottyphos, Hermolaus. κόσσυφος auis, quæ κόσσυφος à nonnullis dicitur, Heſychius & Varinus. Suidas habet κόττιφος per ĩôta in penultima, quod non placet. κόσσυφος, ἀλλὰ ὀρνέων τι κόσσυφος ὧν ἰχθύων, Suidas abſq; authore, proximè quidem ſcripſerat κόσσυφος ἔδος ἰχθύος. κοσσύφος, gloſſa (uox alicui gẽti peculiaris) eſt: κόσσυφος, communius, Euſtathius. Merula auis hodieq; Græcis τσίφος nominatur. Ab hoc Græco nomine corrupto leguntur, apud

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 620 sur 825

Syluaticum cosefos uel cosisos, kepsos: apud Albertũ fastozoz uel sarrakoz, cokoylos, folkynos, & chyricos, & focoton. ¶ Hæc quoq; barbara sunt, & nescio cuius linguæ, apud Syluaticum omnia, Alsia, merulus: Echus, idem: Euchus, merulí uenter: Nithoseuchis, Idem. item edulcus & ethida, pro merulo. Sed uideo omnia hæc uocabula corrupta esse ab æthyia Græcorũ, quæ Latinè mergum non merulum sonat.

¶ Merula Italis dicitur merlo. Hispanis mierla. Lusitanis melroa. Gallis merle. Germanis Amsel: Merl in Germania inferiore, ut Coloniæ, in Hollandia, &c. quidam Flandricè scribunt Merlaer, uel Meerel. Hollandi etiam peculiare uocabulum usurpant een Lyster. Anglis a blak osel, a blak byrd. Illyrijs kos, quæ uox facta uidetur à Græca kossyphos. Turcis feluek.

¶ Merularum genus unum nigrum & uulgare est, Aristot. Nigra merula rostro rutilo est, colore nigro & nitente, cætera non dissimilis turdo, Eberus & Peucerus. Merularum genus alterum undiquaq; nigrum est, (de fusco genere intelligo, cui rostrum quoq; nigricat:) alterum rostro cereo, κηρῷ τὰ χείλη προσοικὸς,) idemq; magis canorum, Oppianus. ¶ Genus alterum candidum est, magnitudine quidem compari, & uoce simili: sed circa Cyllenam (montem) Arcadiæ familiare, nec usquam alibi nascens, Aristot. in hist. anim. & Plinius. In Cyllene cossyphi penitus albi reperiuntur: à comicis autem qui ita appellantur ex alio genere auium sunt, non canori, Pausanias in Arcadicis. In Cyllene Arcadię merulas albas gigni fertur, nec usquam alibi, uoce uaria: ad Lunam progredientes, interdiu uerò, si quis experiatur, captu difficiles esse, Aristot. in Mirab. & Eustathius in Iliados β. Gallinæ rusticæ in ornatibus publicis solẽt poni cum psittacis, ac merulis albis, item alijs id genus rebus inusitatis, Varro. Io. Carus qui cum Hispanis (in nouum Orbem) nauigauit albos coruos & merulas isthic se uidisse adserit, Gyb. Longolius. In Noruegia merulæ & monedulæ albicant, Idem. In Heluetia etiã apud nos aliquando captæ sunt albę merulæ, rostro tamen flauente. ¶ Est etiam ex hoc genere quæ similis nigræ sit, sed fusca colore, & magnitudine paulò minor, uersari hæc in saxis & tectis (ὡσὶ τὴν πόρδαλιν) solita est: nec rostrum rutilum ut merula habet, Aristoteles. Quærendum an hoc genus sit quod nostri passerem solitarium nominant, de quo infra post Merulam torquatam priuatim agemus: uel genus illud merulæ quod Eberus & Peucerus Bircamsel, id est merulam montanam interpretantur. Vidi ego nuper Ianuario mense & initio Februarij hoc genus fuscum, in uentre ad cinereum colorem inclinans. mas paulò nigrior est & pectore magis ruffo & maculosiore quàm fœmina, rostro color idem in utroq; sexu. Autumno adueniunt, & ad cibum tanquam lautæ & opimæ probantur. nostri quoque uocant Birgamsslen uel Hagamsslen. Hanc esse puto cuius descriptionem olim confeci huiusmodi: Auis est paulò infra turdũ maiorem, colore nigricat in capite, dorso & alis, ruffo quodã modicè admixto. cauda est atra, crura ex glauco nigricante ruffoq; compositum colorem habent. pectus obscurè maculosum ex plumis partim subfuluis, partim nigricantibus. os interius & lingua luteo seu melino colore sunt. rostrum nigrum & concolores digiti. uentris color ex nigro cinereoq; mixtis constare uidetur. Albertus enarrans Aristotelis de hist. anim. caput 19. libri 9. pro merula hæc fusca (ipse monedulam mõtanam interpretatur, cum merulam dicere debuisset) nomen leneos ponit, cui in Græco nihil respondet, nisi φαιὸς forte ita deprauatum sit. nam Theodorus φαιὸς legit, quod est fuscus. codices uulgati βαιὸς habent, quod est paruus: quod non probo, quum mox sequatur, magnitudine paulò minor.

B.

Aristoteles turdum trichada merulæ æqualem facit, Atheneus. Merula tota ualde nigra est, solo rostro aureo, Kiranides: nigra aliquantulum, fusca pectore, Albertus. Hyeme ex nigra redditur ruffa, (ruffescit, Plinius,) Aristot. ξανθὸς (ὑποξανθὸς, Aelianus) ἐκ μέλανος γίνεται, Aristot. & Clemens in Pædagogo. Varinus cóssyphon melanóstiçton esse scribit. Hæc auis croceum quantulumcunque colorem habet in pectore, (rostro potius:) reliquum uerò corporis occupat nigredo, Author de nat. rerum. Rostrum & pedes crocei habet coloris & multum nitentis, Albertus. Rostrum anniculis in ebur transfiguratur, duntaxat maribus, Plin. Rostrum singulis annis mutant in candorem, Author de nat. rerum.

C.

Merula uersatur in locis densis, consitis arboribus & spinetis, & in fissuris lapidum, Albertus in Aristot. de hist. anim. 9. 11. ubi Aristoteles hæc omnia de trochilo tantum scribit.

¶ Merulæ cantu ualent, Aelianus. Dulcisonæ sunt, & æstate multum canunt, Kiranides. Merula dicebatur olim medula: quia mirabiles uocis modulos reddit, maximè cum uernũ tempus imminere prospexerit. nam hyeme tacet, tantummodo balbutiens, Author libri de naturis rerum. Merula domestica dulce canit, & uocis amœnitate seipsam oblectat, Idem. Clausa ergastulis propter pinguedinem diutius cantat: & tunc contra naturam carnibus uescitur, & propter eas libentius cantat, Albertus. Cantui educatur, Volaterranus. Et merulus modulans tam pulchris concinit odis: Nocte ruente tamen carmina nulla canit, Author Philomelæ. Aues quædam per anni tempora tum colorem tum uocem mutant, ut merula quæ ex nigra ruffescit, & uocem cohibet, (τὴν φωνὴν ἔχει. Gaza uertit, uocem reddit diuersam.) canit enim æstate, per hyemem uerò strepitat & tumultuantem ædit uocem, Aristot. Gaza aliter, Strepitat enim per hyemem, cum per æstatem tumultuans canter, sed Græcè legitur: ἐν μὲν γὰρ τῷ θέρει ᾄδει, τὸ δὲ χειμῶνος πιπτυγεῖ καὶ φθέγγεται θο-

ρυβώδες.

ἐνδάδες, cui lectioni aſtipulatur etiam Aelianus, Κόσυφοι θῆρες μὲν ἄδουσι, χειμῶνι δὲ παπαγᾶ τὸ παραγμένον φθέγγεται. & Clemens in Pædagogo, Παπαγηπικὸς δὲ ὠδικὸς γίνεται. Item Plinius qui ſic tranſtulit, Canit æſtate, hyeme balbutit, circa ſolſtitium muta. Merularum genus alterum undiquaq; nigrum eſt, (fuſcum uidetur intelligere:) alterum roſtro cereo, quod & magis canorum eſt, Oppianus. In Cyllene coſſyphi penitus albi reperiuntur; à comicis autem qui ita appellãtur ex alio genere auium ſunt, non canori, Pauſanias in Arcadicis. Κοψίχους σίζειν apud Pollucem legimus. Οἷα πιππίζουσι καὶ τρίζουσι θλακεκραγότες, Ariſtophanes in Auibus de merulis. Philoſtratus in uita Apollonij lib. 7. adoleſcentem quendam ſcribit philomelas & merulas docuiſſe hominum uoces imitari.

¶ Merula domeſtica contra naturam carnes comedit, Author de nat. rerum. & propter eas (pinguescens) libentius cantat, Albertus. Iiſdem quibus collurio ueſcitur, Ariſtot. Myrtis, lauris & cupreſſo conſitis nemoribus gaudet; & læta populo, picea pinuq; frondoſa, denicq; hedera ſe oblectat, Oppianus. Vermes & locuſtas edit, Elluchaſem. Pomis ſorborũ, & orni ſambuciq; acinis etiam ueſcitur. ¶ Lauare amat, & plumas roſtro purgat, Author de nat. rerum. ¶ Aues quædam ſaliunt, ut paſſeres, merulæ, Plinius. Merum, ſolum antiquis: unde & auis merula, quòd ſoliuaga & ſolitaria paſcitur, Feſtus: quòd mera, id eſt ſola uolitat, Varro. Hyeme uolare uix poteſt propter pinguedinem, Author de nat. rerum. ¶ Plumas non exuit ſicut cæteræ aues, Idem. Pennas nõ mutat contra naturã auium, Alber. ¶ Merula hyeme latet, Ariſtot. Quædam cum æſtate æuum degant in ſyluis, hyeme demigrant in finitimos locos apricos, montium receſſus ſecutæ, ſicuti ſturni, turdi, merulæ, &c. Ariſtot. Abeunt & merulæ turdicq; & ſturni ſimili modo in uicina. ſed hi plumam non amittunt, nec occultantur, uiſi ſæpe ibi (aliàs, niſi ſpe cibi) quo hybernũ pabulum petunt, Plinius. ſed Platina ſic legit, Occultantur hæc animalia ſæpibus, ibicq; hyberno tempore pabulum quærunt. Merulæ aliquando in anguſtis montium locis latere conſueuerunt, Georg. Agricola. ¶ Paraſitus quidam in Ariſtophontis Pythagoriſta apud Athenæum inter cætera de ſe gloriatur, ſi frigus ſub dio ferendum ſit, ſe cópſichon, hoc eſt merulam, eſſe. Ὑπαίθριον χειμῶνα διάγειν κόψιχον. ¶ Merula bis anno parit. ſed eius primi partus intereunt frigore hyberno: omnium nanque auium prima hæc parit, poſteriorem autem partum educat, & feliciter ducit ad finem, Ariſtot. Merulæ bis anno pariunt, Plinius. Ante exactam hyemem fœtificant, Oppianus. apud nos ferè Martio uel Aprili, ut aucupes narrant. Fatator (deprauatum nomen cõiectio, nec aliam auem quàm merulam indicare) ante alias aues parit: ſed oua eius prima frigore pereunt, ſecũda excludit & pullos educat, Author de nat. rerum. ¶ Nidum durum & quaſi glutino quodam firmatum conſtruit merula. ¶ Lauri folio faſtidium annuum purgat, Plinius. ¶ Mali punici grano perit, Aelianus.

D.

Philoſtratus in uita Apollonij de adoleſcente quodam ſcribit, qui merulas docuerit ſermonem humanum imitari. ¶ Merulæ & turdi (turtures, Ariſtot.) amici ſunt, Plin. Rubeculam audio (cui à rubente pectore nomen uulgus impoſuit) merulam amare, eamq; ſequi, & noctu ferè iuxta merulam aut in proxima arbore quieſcere. Merulam crex impugnat, nocet enim ipſi pullisq;, Ariſtot. Merulas, turdos & garrulos (picarum generis) præcipuè infenſas eſſe noctuæ aiunt, & ad eius clamorem mox aduolare.

E.

Accipitres capiunt merulas, turdos, &c. Creſcentienſis. Merulas (inquit Oppianus in Ixeuticis) & canoras luſcinias capere licebit laqueo inter denſa fruteta collocato, quem bini orbes conſtituant, ſub intortis ſinibus retis latentes, & marinis retibus, quæ ἀφυκτὰς uocant, ſimiles. Intenduntur etiam longiſſimi nerui bubuli, poſita in medio uirga, à neruis funiculus & laqueus ſuſpenduntur. Ad hæc eſca imponitur uermiculus aliquis, aut lumbricus, qua ineſcata auis illaqueatur, & omnibus illis quæ ad capturam deſtinata erant, circumactis, detineatur. Cæterum in merulas alium etiam captionis modum adoleſcẽtes excogitarunt. Scrobem hyeme fodiunt, cum auis maximè cibi inops eſt, & oliuæ aut lauri baccam injiciunt, ac propè teſtæ fragmentum uel lateris ponunt: ſcrobi item paxillum inſerunt, quo teſtas binas intendunt. Apponitur & altera auis laqueo ligata. Sic omnino merula famelica aduolabit, & ſcrobem ſubibit, Hæc ille. ¶ Merula cantui educatur, Volaterranus. uide in C. Varro de re ruſt. 3. 5. ornithotrophion operoſiſsimè deſcribens, Intra rete (inquit) aues ſunt omne genus, maximè cãtrices, ut luſciniolæ ac merulę, quibus aqua miniſtratur per canaliculum, cibus objicitur ſub rete. Merulæ quomodo clauſæ ſaginentur, in Turdis leges. ¶ M. Varro principatum dat ad agros lætificandos turdorum (& merularum, ut ipſe Varro habet 1. 38.) ſimo ex auiarijs, Plinius.

F.

Tum pectore aduſto Vidimus & merulas poni, & ſine clune palumbes, Horatius 2. Serm. Galenus in libro de cibis boni & mali ſucci, merulas numerat inter cibaria laudata, & neq; tenuem neq; craſſum ſuccum gignẽtia. Merularum caro durior eſt quàm perdicis, columbæ, gallinæ, &c. Idem libro 3. de alimentis. Aluum aſtringit, Celſus. Merulæ improbantur in cibo, eò quòd uermibus & locuſtis paſcantur: unde carnis acrimonia in eis percipitur, & odor ingratus. ſed neq; colore placent, deteriores cuzardis, (id eſt alaudis,) Elluchaſem ex quo etiam Mich. Sauonarola quędam repetijt. Turdorum & merularum carnes ſunt calidæ & ſiccæ in fine primi gradus, uſque ad

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 622 sur 825

principium ſecundi, ut Ieſus docet. Eligi debent pingues & laqueo uel retibus captæ ſecũdum Baldach, nonnulli præferunt captas cum aue, (noctua,) Difficiles ſunt concoctu: quod cauetur ſi in iure humectante decoquantur. Merulæ quidem turdis (ego turdos merulis prætulerim, quod & Volaterranus facit: merulas ſturnis) ſunt meliores, Mich. Sauonarola. Merulæ tardè concoquuntur, parum alunt, melancholiam augent, Platina. Medici Salernitani inter aues laudatas eam numerant, Arnoldus teneram eligit. Alexander Benedictus etiam peſtilentiæ tempore eam laudauit. Arnoldus interdicit eius cibo illis quos hæmorrhoides crebrò uexãt, & maximè pulſantes. ¶ De merulæ coctura, dicetur aliquid in Pauone. ¶ Ad artocreas è merulis: Accipe caſeum optimũ, & indito in auem medullam bubulam, lardum minutatim inciſum, & gingiber, Coquus Gallicus.

G.

Merulæ torminoſis in cibo proſunt, Marcellus. Turdus inaſſatus cum myrti baccis dyſenteriis medetur: item merulæ, Plinius. Oleum uetus in quo merula diſcocta eſt donec diſſoluatur, inunctum opiſthotonon & iſchiadem curat, Kiranides. Merularum (ſturnorum potius, quos oryza paſci ut ſimo eorum crocodilea adulteretur, Dioſcorides meminit) qui oryza ueſcuntur, ſimus tritus & cum aceto mixtus, morpheæ nigræ impoſitus, & lentiginem quoq; extirpat, Hali.

H.

¶ a. Merum ſolum antiquis. unde & auis merula, quòd ſoliuaga eſt, & ſolitaria paſcitur, Feſtus. Iſidorus merulam ait antiquitus medulam uocatam eò quòd moduletur. Merulæ nomine fœmininо mares quoq; ſunt, Varro. Τὸς, merula, Heſychius & Varinus. Brenthum aliqui merulam interpretantur, Iidem. uide in Brentho ſupra inter Anates. Siſofigius auis merula, Syluaticus. mihi potius motacilla uidetur, uoce corrupta à Græco σεισοπυγὶς. Pauſanias Bœoticarum gallinarum duo genera deſcribit, quorũ alterũ coſſyphos, id eſt merulas appellat, à colore ſcilicet atro.

¶ Fungos qui riguis prodeunt, longo pediculo, callo corporis in turbinem mucronato, Galli uulgò merulios uocãt, non à merula aue, ſed à metę figura, quaſi metulios, ut Ruellio placet. ¶ Eſt & merula ſaxatilis piſcis Plinio, nimirũ à colore auis dictus, quem Græci ab eadem aue cóſſyphon nominant. A merula merulatim pro ſolitariè dicimus, Grapaldus. ¶ Cornelius Merula conſulari familia ortus nominatur à Varrone de re ruſt. 3. 2. Georgius Merula Alexandrinus uir inter utriuſq; linguæ cognitione claros floruit circa annum Salutis M. D. XCIIII. ¶ Merula fluuius eſt qui Albingæ ciuitatis latus alluit, alio nomine Centena dictus, quia centenis amnibus augeatur.

¶ b. Caprimulgi appellantur aues grandioris merulæ aſpectu, Plinius. Merula ſandaricino colore, Næuius apud Feſtum, ſed color ſandaracæ roſtro merulæ duntaxat conuenit.

¶ c. Euolare merulas, Cicero 5. de finibus. ¶ Κόσυφοι ἀχθῦσι ποικιλόστροωλα μέλη, Incertus in epigrammate. ¶ Ferunt merulam quandam olim adeò excelluiſſe in nouem modis uocum, quibus omnis cantilena componitur, exprimendis, ut nullus hominum perfectè illam imitari potuerit: eamq; quaſi oſtentantem ſæpe in præſentia hominum nouem ordine notas formaſſe, Albertus & Author de nat. rerum. Homerum infantem Aegyptijs parentibus ortum fabulantur, cum mel ali quando ex Aegyptiæ nutricis uberibus in os eius manaſſet, ea nocte nouem uoces diuerſas ædidiſſe, hirundinis, pauonis, columbæ, merulæ &c. ut recitaui in Columba liuia ex Euſtathio. ¶ Herbæ quas à radicis figura teſticulos & ſatyria uocant, ex ſpermate turdorum & merularum naſci uidentur, Hieron. Tragus.

¶ In merulam quercui inſidentem Argentarij epigramma.

Μηκέλα νῦν μινύεις ἐπὶ δρυΐ, μηκέλα φώνᾳ
Κλωνὸς ἐπ' ἀκροτάτου κόσυφε λιγκλιμίου.
Ἐχθρόν σοι τόδε δένδρον, ἐπεὶ γλυκὸ σ' ἄμπελος ἔθρεψε
Αὐτέλλ', γλαυκῶν σύσκιον ἐκ πετάλων.
Κείνης ταρσὸν ὄρειον ἐπὶ λιλάσθῃ, ἀμφί τι λαίνᾳ
Μέλπε, λιγυὸν πρόχεων ἐκ γόματος λελάσθῃ.
Δρῦς γὰρ ἐπ' ὀρνίθεσσι φορὴ τὸν ἀναφόνιον ἰξόν.
Ἢ δ' ἐ, βόστρυχον, σόρηξ δ' ὑμνοπόλης βρόμον.

¶ Archiæ epigramma in merulam quæ è reti euaſit turdis detentis.

Αὐταῖς σὺν λίχλῃσιν ὑπὲρ φραγμοῖο διωχθεὶς
Κόσυφον ἠερίης πόλλον ἐδύνεφέλης.
Καὶ τὰς μὲν σινομένου ἀνέκδρομον ὤχμασε δώμῃ,
Τὸν δὲ μόνον πλεκτῶν ἄνθι μεθῆκε λίνων,
Ἱερὸν, ἀοιδοπόλων ἔτυμον γόον, ἢ ἄρα πολλοὺς
Καὶ λιαφαὶ πῆνδον φρεντίδ' ἔχοσι πάγαι.

¶ e. Teſtudo ſit magna, in qua millia aliquot turdorum ac merularum includi poſsint, Varro. ¶ Τοῖς τι λοψίχοισιν εἰς τὰς ῥῖνας ἐγχεῖ τὰ πτόρθια, Ariſtophanes in Auibus. ubi Scholiaſtes, Merulæ (inquit) cum oua pariunt, pungunt ea, quamobrem aucupes pennas eis inſerunt, ut roſtra pennarum mollitie hebetent. uel ne pituita laborent, (ἵνα μὴ κορύσσωσι, lego κορυζῶσι.) aut iugulatis pennas inſerunt, ut ab illis ſuſpenſæ ab omnibus conſpiciantur.

¶ f. Apud Nicoſtratum quidam emi ad cibum iubet, κνῆμα καὶ κοψίχους. Κομψέα, carnes merularum, Heſychius.

¶ h. Σὺ κοψίχου γ' ἔοικας σκάφιον ἀκροτελμιόω, Ariſtoph. in Auibus. Scaphium (inquit Scholiaſtes & Suid.) tonſuræ genus eſt, ὡραῖα ἢ ὧν χρῶ. ὁ δὲ λάπτων, τὸ πῶ μετώπῳ λειοσμῆθαι.

¶ VENATRIX auis (Λάγευς) uenatica & captioſa, colore nigro, merulis affinis eſt, &c. uide ſupra poſt Laniorum hiſtoriam.

¶ Eſt quoddam merularum genus quod CAPRIMVLGVS uocatur, Albertus. Ariſtoteles magnitudine tantum merulæ caprimulgum confert, ita ut paulò maior ſit, alioqui auis nocturna eſt.

¶ Brabandi

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 623 sur 825

¶ Brabandi uulgò aues quasdã totas lutei uel aurei coloris, ut audio, Goldmerles, hoc est MERVLAS aureas uocant, uel OLIMERLES. Ego hanc auem esse puto quæ obscuris quibusdam Latinis scriptoribus oriolus dicitur, quam Plinius uidetur picorum generi adnumerare, sed ea nigrum colorem in alis habet, non tota aurea est.

¶ Verbani lacus accolæ Italico sermone MERVLAM alpinam nominant auẽ, merle alpadic, quam nos supra Caryocatactẽ appellauimus: sed merulam torquatã potius sic uocandam coniicio.

¶ Auis quædam Germanis uocatur Brachuogel uel Brachamsel, id est MERVLA noualium, quòd in noualibus agris ferè degat, & circa loca palustria, rostro & cruribus oblongis, corporis reliqui specie uel magnitudine non dissimilis merulæ puto. uide supra in capite de Gallinulis terrestribus.

DE MERVLA TORQVATA.



MERVLAE tertia quædam species à Gallis uocatur merle au collier, habet enim lineã albam sub gutture uersus pectus: quæ totum eius collum ambit. Hoc genus maximè abundat in ualle Morienna & uallibus Sabaudiæ, Bellonius. Apud nos etiam circa montes reperitur: & uulgò nominatur Ringamsel, hoc est merula torquata: uel Waldamsel, id est merula syluatica. Magnitudine ferè & colore turdi est, inter collũ & pectus parte prona plumas

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 624 sur 825

habet albas duorum digitorum latitudine, reliqua pars tota inferior uaria & maculosa est, nigris in medio pennis, ambitu albis, rostrum inferius subflauum, tota pars superior fusca, alarũ pennæ margine extrinseco albicant, præsertim quæ in medio sunt. Auis barbatula est ut turdus. Nomina ei apud nostros diuersa, **Birgamsel/Steinamsel**: hoc est, merula montana, merula saxatilis. **Roßamsel**, quod in syluis uermiculos quærat in fimo equino. **Kureramsel**, forte quòd circa Curiam Rhætorum in montibus degat, sed **Birgamsel** uocatur etiam merula fusca non canora, de qua supra in Merula A. Italis quibusdam merulo alpestro.

DE PASSERE SOLITARIO.



EST etiã ex merularũ genere quæ similis nigræ sit, sed fusca colore, & magnitudine paulò minor, uersari hęc in saxis & tectis solita est: nec rostrũ rutilum ut merula habet, Aristot. Merula fusca, id est nec nigra nec alba, passer solitarius est à recentioribus dictus, quoniam soliuaga est, & tectícola, & saxícola, Niphus: cuius sententię ego quoq; astipulor. cõueniunt enim, genus merulæ, color, magnitudo, & habitatio. Alia, sed huic congener, ut conjício auis est, de merularum & ipsa genere, in saxis habitans, unde petrocossyphus, id est merula saxatilis à Græcis uulgò dicitur, à nostris **Steinrõtele**, similiter propter cantũ pretiosa, de qua supra in Cyano scripsimus. Est & alia merula fusca, non canora, de qua supra diximus in Merula A. ¶ Passer solitarius circa Tridentũ merulus solitarius nominatur. Romani merulum stercorosum uocant, quia habitat in latrinis antiquis & rimosis, Albertus. Germani nomen Latinum seruant **Passer solitari**, ab Italis nimirum acceptum. in Germania enim hanc auem nasci non puto, sed ex Italia tantum mitti, uel Rhætia nobis transalpina, quæ Italiam spectat, circa Larium lacum in dumosis rupibus nidulatur: & solitarius degit, non cũ alijs auibus, unde nomen: nec mirum, cum de genere merularum sit, quibus inde nomen quòd meræ, id est solæ uolitent. Mediolani & Geneuæ in foro aliquando has aues uendi aiunt magno pretio. Grapaldus imperitè carduelem putat esse passerem solitariũ suauiter cantillantem. ¶ Passer solitarius auis est nigra, (fusca,) merula minor, canora: & dicitur solitarius, quia cum nullo sui generis unquam congregatur nisi tempore generationis. Versatur in parietibus, & cum alijs passeribus coniungitur, & cum eis uolat ad pastum, eos qui sui generis sunt omnino contemnens, Albertus. Apud eundem falconarius Federici Imperatoris ad remedia quædam utitur fimo passeris Indici siue solitarij, uel loco eius passeris communis. Vidi ego iuxta Larium lacum passerem solitarium, uel montanum ut uocabant, fœminam ni fallor: quæ eadem cum merula habebat communia quæ cyanus auis, (ein **Steinrõtele**,) nempe rostrum, pedes, & magnitudinẽ. caput cinereum ferè: dorsum, uentrem & pectus cœrulea, (uersus Solem præsertim:) alæ & cauda uno colore nigricabant. ¶ Passer solitarius, σπυβίον μονάζον, auis aliquanto grandior passere ac subnigrior, solus per domorum culmina incedens, cantu suauis, Calepinus. ¶ Passer solitarius in tecto, Zipper boded al gug, Psalmo 102. hinc factum puto ut recentiores passeri, quem solitarium cognominant, nomen imposuerint. neque enim apud ueteres reperitur.

DE MERVLA AQVATICA.

AVIS hæc à nostris appellatur **Wasseramsel/Bachamsel**, hoc est merula aquatica uel rualis. Lucarni & circa Verbanum lacum nomen ei solor, uel solun d'aqua, Bellinzonæ lerlichirollo. Mense Nouembri aliquando captam & in cibum paratam gustaui, saporis erat mediocris, non admodum grati. Vescitur uermiculis aquaticis, illis præsertim quos nostri uocant **Kerderle**: haud scio an etiam piscículis. ¶ Eandem aut congenerem esse conjício, quam Turnerus in Alcyone describit, cornicem aquaticam nominãs, sturno paulò minorem, &c. cuius uerba recensui supra post Cornicem uariam. Cognata etiã illa uidetur, quam cinclũ Turnerus facit, Germani puto **Lyßẽliker** appellant, cuius effigies inter Motacillas ponetur. ¶ Nostra quidẽ merula aquatica capite & dorso fuscis est: alis partim nigra, partim cinerea: collo & pectore alba: uentre rubicundo, cum maculis quibusdã albis aut cinereis, cruribus roseis, cauda nigra breui.

rostro

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 625 sur 825



rostro nõ longiore ferè quàm merularum, nigro: fidipes. ¶ Cæterum Eberus & Peucerus etiam palmipedem auem, minimam in mergorum genere, quam urinatricem ueterum esse putant, Germanicè interpretantur Wasseramsel & Schwartzteicherlin, id est merulam aquaticam & mergulum nigrum. ¶ Georg. Agricola merulam interpretatur Amssel & Schamssel, merulam quandam marinam uel maritimam quoq; reperiri insinuans.

¶ METHYDRIDES, Μεθυδρίδες, paruæ quædam aues, Hesych. & Varinus.

DE MILIARIA.

MILIARIAE à cibo dicuntur, quòd milio fiant pingues, Varro de lingua Lat. In ornithone præter alias aues quidam alunt miliarias ac coturnices, quæ pingues uæneunt carè, Idem de re rust. Coturnix est auis miliaris, hoc est milio ut plurimum uescitur, Al. Mundella. & sanè licebit coturnicem hoc modo miliarem dicere, si adiectiuè accipias: si uerò substantiuè, miliaris nomen est auis à coturnice diuersæ, Varrone, ut iam recitaui, distinguente: quæ nimirum præ cæteris auibus milio maximè farciri soleat: ut quæ hortulanus uulgo ab Italis hodie nũcupatur, ortelano. hanc enim alaudæ non dissimilem esse audio, etiam colore, minorem. autumno captam per mensem milio ali, & mirè pingueſcere. Ruellius linariam auem uulgò dictam, miliariam facit, de qua in L. Elemento nobis scriptum est. ¶ Vuottonus an eadem sit auis miliaria cum cenchramo dubitat: ego planè diuersas puto, quanquam & cenchramus apud Græcos ab eadem fruge nomen inuenisse uideatur: sed alij cynchramum scribunt. &c. Diuersa etiam cenchris est, nempe tinnunculus accipiter, κεγχρὶς: nimirum à uarietate punctorum milij instar. cenchritæ uerò auium aquaticarum genus milio inescatum capitur. Vide in Accipitre tinnunculo H. ¶ Eubulus inter structharia hoc est auiculas nominat acanthylides, bittacos, spinia, & κόρχνηλας: à recto κόρχνης. quæ forte eadem miliariæ Latinorum fuerit. quanquam sic etiam scripta hæc uox alibi tinnunculũ significet, qui tamen cum parua auis non sit, non potest apud Eubulum intelligi.

DE MILVO.

A.

MILVVM Plinius ex accipitrum genere esse scribit. Vocatur & Miluius. ¶ Daah, דאה & איה aiah, nostrates Iudęi interpretantur pro generibus miluorum. & daah miluum sim. pliciter exponunt. aiah uerò miluum rubeum, uulgo Rötelwy. nostri interpretes uultu rem reddunt. Chaldaicè טרפיתא taraphitha dicitur, uidelicet à rapacitate. nam taraph rapere significat. Quidam ex Hebræis sentiũt aiah à notis insulis quas inhabitet sic uocari. אי, ai enim



Hebraicè ínſulam ſignificat, איים iijm, ínſulæ, Paul. Fagius. Aíah, איה, Rabino Kímhí auís eſt quæ uulgò gaza uel agaſſa, íd eſt píca dícitur, Deut. 14. & Leuít. 11. ubí Chaldęus ínterpres taraphítha trã ſtulít, hoc eſt uulturẽ: Arabs zeda, צרא. Perſa mar an tíh, מור אן טיח. Septuagínta ἰκτῖνας & ἰκτῖνα, íd eſt míluum. Hieronymus uulturem. Daíah, ריה, nomen auís, míluus, Deuteron. 14. ín pluralí dauoth, ריות, Eſaíæ 34. Munſterus. Daíah auem Elías Leuíta ſuſpícatur dictam ab atrore. Deuter. 14. Chaldæus uertít ריתא, daíetha, uel daía tha. Arabs cheda, חדא. Perſa an díh, אן ריח. (uox quídem díh, accedít ad Germanícam wih.) Septuagínta prætereunt. Eſaię autem 40. ἐλαφροὶ (aliâs ἔλαφοι, ceruí) reddunt pro douoth, ריות. Hieronymus míluus. Eodem capíte Eſaíæ Kímhí ínterpretatur uulgarí língua אירלטול, aultúl. (nímirum auſtour', quod Gallís eſt uultur.) R. Salomon al toríſch, אל טורש, uulturem ínterpretatur. Daah, ראה, míluus, auís ob pernícem uolatum ſic uocata, Munſterus. à uerbo ſcílícet daah, quod eſt uolare, hoc nomen ín Leuítico cum delta (rectíùs nímírum,) ín Deuteron. cum rhô ſcríbitur. Deuteron. 14. Chaldæus uertít bath kanepha, בת כנפא. Arabs gadach, גארח. Perſa mar an daah, מור אן ראה. Septuagínta gyps, íd eſt uultur. Hieronymus míluus. Chaldæus ín Leuítico daíetha, ítem ín Deuteron. R. Abraham probat eos quí uolunt ídem eſſe nomen cum raah, ראה. Alhada eſt auís quæ dícitur míluus, Andr. Beſlumeñ. ¶ Haſída uel chaſídah, Hebraícam uocem Thalmudiſtæ alíquí daíah lebano, íd eſt míluum album ínterpretantur: & ſíc dictum uolũt quòd faciat gratíam ſíue píetatem cum ſodalíbus ſuís, diſtríbuendo eís cíbos. uíde ín Cíconía A. ¶ Sus uel ſis Hebraicè grus exponítur, uel hírundo uel míluus, ut docuí ín Equo A. ¶ Anapha, אנפא, ueteres Hebræi exponunt genus mílui írritabile, quaſi deductum nomen ſit à uerbo anaph, quod íraſci ſígnificat, ut etíam Aben Ezra explícat. noſtrates Iudæi uulgò Trapp / P. Fagius. uíde ín Ardea A. ¶ Ardrías, burdo & actíros, neſcío quæ uocabula, ſíngula Syluatíco míluum ſignificant. poſtremum à Græco ἱκτῖνος corruptum apparet.

¶ Míluus Græcís ἰκτῖνος uel ἰκτὶν uocatur. Io. Tzetzes cum de ἰκτῖνο, íd eſt míluo ſcripſíſſet, multos hoc nomen ínepte cum ἰκτῖδι (íd eſt uíuerra) confundere ſubíungít. Harpe auís rapax alíjs míluus eſt, alíjs míluo ſímílís auís, alíjs alía quædam. uíde ín Harpe A. Míluus auís eſt quam uocamus harpam, Tzetzes. Harpetos, Ἁρπητὸς, míluus eſt Cretenſibus, Varínus & Heſychíus. Arıſtoteles & Plínius harpen à míluo manífeſtè díſtínguunt. Míluus hodíe à Græcís uulgò λόπη dícitur, nímírum à lupína rapacítate, Varínus ín ἰκτῖνα. Bellonius tamen lícadurum hodíe uocarí ſcríbít. ¶ Míluíus auís Italicè lo nichio, míluio, Scoppa. Nibíus corruptè uulgò dícitur, Níphus. Inuenio & nibbio ſcríptum, & niggo. Poyana quoq; Italícum uocabulum eſt, quaſi pullana, ní fallor, à raptu pullorum, haud ſcío míluus an buteo potíus. ¶ Hiſpanicè, míláno. Míluos quoſdam Hiſpaní regales appellant, Pet. Martyr. ¶ Gallicè mílan, & eſcorffle quoq; Roberto. ¶ Germanicè Wy / Weye: uel ut Peucerus & Eberus ſcríbunt, Weiher. Flandrís Wiwe. Genus quoddam mílui Saxonicè Rüttelwy dícitur: Paulus Fagius ſcríbít Rötelwy / & míluum rubeum ínterpretatur. Vulgus noſtrum míluum furem pullorum appellat, Hünerdieb. Míluus Wei uel Hünerarh / Ge. Agrícola. Anglí uerò accípítrís generí, quem rubetarium eſſe conjícit Turnerus, à dílanıandís gallínís nomen ímpoſuerunt, hen harroer. Ego círcum accípítrem príuatím gallínís ínſídíarí legíſſe memíní. ¶ Anglicè, a glede, a puttok, a kyte, Turn. ¶ Illyricè, luniak.

¶ De generíbus míluorum. Duo míluorum genera nouí, maíus & mínus: maíus colore propemodum ruſſo eſt, apud Anglos frequens, & ínſígníter rapax. Puerís hoc genus cíbum é manibus ín urbíbus & oppídís erípere ſolet. Alterum genus eſt mínus, nígrius, & urbes rarius frequentans. Hoc genus ut ín Germanía ſæpíſsímè, ıta ín Anglía nunquam me uídíſſe recordor, Turnerus. Et rurſus ín epiſtola ad me, Míluos tales habemus ín Anglía, quales nuſquã alíâs uídí. Noſtrates ſunt Germanícís multò maíores, clamoſíores, ad albedínem magís uergentes, & multò rapacíores. Tanta enim eſt noſtrorum míluorum audacía, ut panem pueris, píſcesfœmínís, & ſudaría ſepíbus, & uírorum manibus erípere audeant. Imò ſæpe píleos homínum capítíbus, eo tempore, quo nídulantur, uí auferre ſolent. Míluorum duo ſunt genera: alteros tempeſtate noſtra regales, (nímírum Rötelwyen Germaní. Hiſpaní etíam regales quoſdam míluos appellant. Níphus regalem aquílã quandam à quíbuſdam pygargum exíſtímarí ſcríbít.) alteros nígros, qui & robuſtíores ſunt, Beliſarius. ¶ Albertus pro ἰκτῖνο perperam habet acrínoz & lartínoz: quod (ínquít) paruum genus eſt míluí, & uocatur apud nos míluus rífus. Ego conjício íllum Germanícam uocem Lachwy / ſíc uoluiſſe

interpretarí.

interpretari. quæ ſicubi in uſu eſt, cur à riſu deriuetur rationem nullam uideo. etiamſi lachen Germanis ridere ſignificat. quin potius ſuſpicor harpam uel miluí genus circa aquas & paludes uerſari ſolitum, quod Ὦαßωy noſtrum uulgus appellat, id eſt paluſtrem miluum, alicubi Lacchwy uocitari. paludem enim Germani & maß & lacchen, quaſi lacum, appellant. Eodem in loco ubi Ariſtoteles (de hiſt. anim. alicubi) habet, γαλῶ, πιλεόν, λιβυήν, imperitè miluorum generis facit, barbaris quibuſdam uel Græcis potius corruptis nominibus utẽs. ſic & pro chlorione aue, habet glaro, & genus miluí paruí exponit. Coróne, id eſt cornix, occidit tapynũ, Ariſtot. Albertus pro tapyno miluum habet. Noſtri neſcio quod miluí genus uocant ὀτλiwy. ¶ Aquilam percnopterum ab alarum notis uel colore dictam, forte non imperitè ait Albertus miluum eſſe, Niphus. ego imperitiſsimè dictum puto. ¶ Aſtures ex genere infimo aquilarum uel miluorum eſſe putamus, P. Iouius.

B.

Miluí ex accipitrum genere magnitudine differunt, Plinius. Miluus ex accipitrum genere ijſdem & magnitudine & pennis reſpondet, Eberus & Peucerus. Buteonem aliqui natura formaq; miluo non diſſimilẽ eſſe putant. Miluo magnitudo eſt accipitris, pennæ ruffæ, ungues & roſtrum adunca ſimiliter, Albertus. ſed alas curuas & non rectas habet, in quo ab illis differt, Author de nat. rerum. Ictericorum oculi pallidi (ὠχροί) & nigri ſunt, ſicut ictinorũ, id eſt miluorum, Suidas. Miluo uentriculus eſt feruentior, Ariſtot. Iecori eius ſimul & inteſtino iungitur fel, Ariſtot. pleriſque toto inteſtino continetur, ſicut accipitri, miluo, Plinius. Fel quibuſdam diſpergitur in hepate, uentre, & inteſtino inferiore inuoluto primo, ut accipitri & miluo, Albertus. Miluis, ut magnæ parti auium, lien adeò exiguus eſt, ut propemodum ſenſum effugiat, Ariſtot. Aelianus ſcribit marem miluum non inueniri, &c. Volaterranus Aelianum authorem citans, ſed falſò, nam Aelianus 2. 45. de uulturibus hoc ſcribit, de miluis uerò mox alia quædam.

C.

Oculos miluínos pro acutiſsimis Politianus dixit. ¶ Miluum quidam coniiciunt fictitio nomine dictum à uoce quam ædit. Iugere miluí dicuntur cum uocem emittunt, Feſtus. Accipiter pipat, miluus hianſq; lipit, Author Philomelæ. ¶ Miluí uidentur artẽ gubernandi docuiſſe caudæ flexibus, in cœlo monſtrante natura, quod opus eſſet in profundo, Plinius. Sunt qui miluum à molli uolatu dictum putent. Rahaph, רחף, motus quidam eſt, quali ſcilicet miluus in aëre mouetur immotis alis, &c. Munſterus. ¶ Rapaciſsima & ſemper famelica hæc auis eſt, Plinius. carnium uora, Ariſtot. Inſidiatur auibus domeſticis, maximeq; pullis gallinaceis & anſerinis, & quos incautos uiderit, ſtatim rapit. Sectatur etiam cadauera, quare circa coquinas & macella uolitat, ut ſi quid carnis crudæ proiiciatur foras, mox rapiat, Albertus & alij. Nullum genus falconum cadaueri inſidet ſicut faciunt aquilarum & miluorum genera, Albert. Miluus auis eſt quam uocamus harpam, rapiens pullos gallinarum, Io. Tzetzes. Miluus cubitus (uidetur uox corrupta) cum à nido egreditur, perfectis iam alis, aues magnas uenatur: & cum ualidior fuerit, debiliores tum capit, tandem cum ad ſummum uigorem peruenit, muſcas, culices, ac lumbricos terreſtres captat, & tunc fame moritur, Iorath. Fertur etiam uulgò miluum primo anno adeò audacem eſſe, ut nihil mortuum guſtet, ſecũdo nihil uiuum præ metu, tertio fame mori. Veſcuntur & glande aues quædam uncorum unguium, pomiſq; multæ, ſed quæ carne tantum non uiuunt, excepto miluo, Plinius. In Aegypto palmulis etiam ueſcuntur, teſte Bellonio. ¶ Miluus quãdoq; uiſus eſt bibere, ſed rarò, Ariſtot. Miluum aiunt ex ſolis aquis pluuialibus bibere, eo ſolum tempore quo pluuia cadit, Io. Tzetzes. Punicæ malo nunquam eos inſidêre ferunt, & ne aſpectum quidem eius ſuſtinere. Fertur autem, ſi credere dignum eſt, uirum quendam amiſſa uxore, ex qua filiam nomine Siden (ſide etiam malum punicum ſignificat) ſuſceperat, libidinis affectu in filiã arſiſſe, illam uerò ne à parente contaminaretur, ſuper materno ſepulchro ſeſe iugulaſſe. poſtea uerò diis hunc caſum miſeratis, teram de ſanguine arborem produxiſſe: & patrem mutatum in miluum, calamitatis ſuæ monumenta refugere, nec inſidere huic arbori, Oppianus. ¶ Miluí hyeme ad loca tepidiora abeunt, ſi uicina ſint: at ſi remota fuerint, non mutant ſedem, ſed ſe ibidem condunt. Iam enim de anguſtijs uallium euolaſſe, cum primum apparerent, uiſi ſunt. Sic & hirũdines, Ariſtot. Miluus de genere unco pucis quibuſdam diebus latet, & noctua, Idem. Hybernis menſibus latent, non tamen ante hirundines abeuntes, Plin. In Libya circa fontes Nili miluí & hirundines perennant, Herodotus libro 2. id eſt non recedunt inde per hyemem, quòd regio admodum calida ſit. Accidit in quadam ſylua ſuperioris Germaniæ, ubi inciſa quercus putrida, inuenta eſt plena hirundinibus, & fuit multus puluis ligni putrefacti in quercu. & ſimiliter uiſum eſt de miluis. miluus enim ad breue tempus latet, ita ut multi ipſum latere neſciant. Aues ſua tempora norunt, quando ſcilicet ad calida loca feſtinantes, rigorem hyemis debeant declinare, et principio ueris ad regiones ſolitas redire. Vnde ſcriptum eſt, Miluus non apparet niſi in æſtate, ſicut nec turtur & hirundo. In hyeme nanq; manent in nido, uel latent in cauernis arborum, uel ad alia loca calidiora ſe transferunt, Author Gloſſę in Hieremiam. Hyematum Alexandriam hirundines, miluos (quos regales Hiſpani appellant) ceteraſq; uolucres, pontum hyeme adueniente à noſtris regionibus Europæis tranſuolantes, tendere cognoui, Pet. Martyr. Cuculi tempus habent & ipſi ueniendi miluorum ſcapulis ſuſcepti propter breues & paruos uolatus, ne per longa aëris ſpacia fatigati deficiant, Iſidorus. Miluí in Aegypto ni-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 628 sur 825

dificant dum absunt à nostris regionibus, & illic adeò mansueti sunt, ut ad feneſtras uſq; domuum aduolent, & dactylis paſcantur. Aeſtate in Europam tranſeunt, ut Solis æſtum declinẽt, Bellonius. ¶ Pariunt milui bina magna ex parte: interdum tamẽ & terna, totidemq; excludunt pullos. ſed qui ætolius nuncupatur, uel quaternos aliquando excludit, Ariſtot. Sed Plinius 10. 60. ægolius legit, quod eſt ulula, non ætolius. Singulos ferè parit, nunquam plus ternos, is qui ægolios uocatur quaternos, Plinius ibidem: cuius loci lectionem nos ex Ariſtotele ſic reſtituimus, Miluus binos ferè parit, nunquam plus ternos, &c. Vicenis diebus incubat, Ariſtot. & Plinius. Milui rhamnum nidis ſuis imponunt ceu faſcinationis remedium, (uel neſcio contra quas noxas,) Aelianus. ¶ Traduntur à ſolſtitijs affici podagra, Plin. Arthritica auis eſt & podagrica, ideoq; timida: & latet aliquando, circa ſolſtitia frequẽtius, quòd tunc morbo (podagræ) magis obnoxia ſit, Albertus. Certo anni tempore magnum in pedibus dolorem patitur, Oppianus.

D.

Impudentiſsimi omnium milui ſunt, qui etiam ad hominum uſq; manus prouolant, Oppianus. Buteones paulò minus audaces miluis ſunt, remotius enim à domibus prædantur, Stumpfius. Viribus & audacia deſtituitur miluus, niſi quòd pullis domeſticis inſidiatur, Albertus. Aquilæ quædam non ſolum aues uiuas, ſed etiam mortuas deguſtant: & hæ declinant ad naturam & ignobilitatem miluorum, Albertus. Miluus audax eſt in paruis, timidus in magnis. fugatur à niſo, quamuis triplo maior illo, Author de nat. rerum. Primo ætatis ſuæ anno animoſior eſſe fertur, deinde paulatim timidior fieri, ita ut tertio anno etiam fame intereat. uide ſupra in C. ¶ Notandum in miluis, nihil eos unquam eſculenti rapere ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex ara, ac ne ferentium quidem manibus, niſi lugubri municipiorum immolantium oſtento, Plinius. Miluus in rapinas faciendas eminentiſsimus ſi ſuperior extiterit, carnes è macello rapaciſsime aufert: ex Olympiæ tamen aris (de carnibus Ioui ſacrificatis, in Græco legitur, nulla Olympiæ mentione) eas nunquam attingit, Aelianus. Meminit & Pauſanias in Eliacis: & Ariſtoteles in Mirabilibus, Miluos (inquit) eſſe aiunt in Elide, qui carnes ab illis qui per forũ gerunt rapiant, ſacrificatis uerò abſtineant. ¶ Cũ harpa miluus amicitiam ſeruat, Ariſtot. & Aelianus. Communes inimicitiæ harpæ & miluo contra triorchin, Plinius. Habent & cuculi ueniendi tempus miluorum ſcapulis ſuſcepti, propter breues & paruos uolatus, ne per longa aëris ſpatia fatigati deficiant, Iſidorus. Vulpem & miluum inimicitias exercere aiunt: forte quia ambo rapiunt gallinas, Stumpfius. Miluus cum coruo diſsidet. eripit enim miluus à coruo quicquid tenet, ut qui & unguibus ſit præſtantior, & uolatu. ita fit, ut eos quoq; uictus ratio faciat inimicos, Ariſtot. plura leges in Coruo D. Gallus cum cantu ſuo terreat leones, & baſiliſcos exanimet metu, miluum tamen timet, Aelianus. Gallus contra ſerpentes & miluos pro gallinis dimicat.

E.

Milui capiuntur ut accipitres: lege in Accipitre E. Quomodo irretiantur milui & aquilæ, & aliæ aues quæ cadauera appetunt, Creſcentienſis præſcribit 10. 22. Miluorum uenationem primus demonſtrauit Alfonſus rex Neapolitanus patrum noſtrorum memoria, cõmiſſa in aëre falconum (magnorum accipitrum & falconum, Volaterranus) cum eis pugna, Niphus. Volatilis aucupij (per accipitres & falcones) ſtudium hodie flagrantiſsimum eſt, ita ut nec ardeæ nec milui intra nubes conditi, euadere humanas manus poſsint, Budæus. Milui nigri regalibus uulgo dictis robuſtiores ſunt, ut quamuis etiam ad terrã uſq; capti, & à ſacris falconibusq; circumacti, per aëra deſcendant, à falconum tamen manibus quandoq; euadant. Capiuntur autem præcipuè à ſacris qui bini ſe inuicem iuuant, Beliſarius. ¶ Coruorum & miluorum pulli apud Indos quomodo cicurentur & inſtituantur ad prædam hominibus adferendam, leges in Aquila E. ex Aeliano. ¶ Milui olim ueris ineuntis ſignum erant: uide infra in Prouerbio, Prouolui ad miluos. ¶ Agmen coruorum in futurum excidium retulerunt augures, ut & aliarum quæ cadaueribus ueſcuntur, uulturum, miluorum, &c. Niphus. Milui ludentes & ſpatiantes in aëre, alter cum altero uolando, ſignificant calorem, ſiccitatem, aëriſq; ſerenitatem, Gratarolus. ¶ Reptilia abiguntur ſi milui fimus cum ſyrace ſuffiatur, Florentinus in Geoponicis.

F.

Auicenna miluinam carnẽ craſſam eſſe ſcribit: & alibi, duræ carnis. ¶ Miluus in ſacris Deut. 14. & Leuit. 11. cibo interdicitur. Moſes in Lege miluum inter alias aues rapaces menſis Hebræorum abdicauit, innuens (ut Barnabas exponit) non oportere cõiungi uel aſsimilari hominibus illis, qui non labore ac ſudore uictum comparant, ſed rapto & iniquitate uiuunt, Clemens Stromat. 6. & Pædagogi 3.

G.

Surculus ex nido milui puluino ſubiectus dolentis caput prodeſt, Plinius & Marcellus. Ceraticis neruis & opiſthotono ex milui nido ſurculus uitis adalligatus auxiliari dicitur, Plinius. De miluo quidam affirmant, ſi inueterato tritoq; quantũ tres digiti capiant bibatur ex aqua, podagram ſanari. aut ſi pedes ſanguine miluino aut palumborum urtica trita permixta illinantur: uel pennis eorum cum primum naſcũtur tritis cum urtica, Plinius & Marcellus. Milui caput aiunt podagricos iuuare, ſi quis eius ſiccati abſq; pennis, quantum tribus digitis capitur, ex aqua biberit, Galenus ad Piſo-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 629 sur 825

ad Piſonem. (& Aegineta lib. 7. in Κεφαλαί.) Ad comitialem, Miluum in olla cremato uiuentem, cineremq; propinato, & ſanabis, Galenus Parabilium. 2. 3. ¶ Miluí iecur ad inunctiones oculorum uitiorum laudatur, Plinius ut quidam citant. Ad comitiales prædicatur iecur miluí deuoratum, Plin. Ad comitialem, Miluí iecur exuſtum & tritum ex aqua potui dato, Galenus Parabilium 2. 3. Aridum tribus obolis in aquæ mulſæ cyathis tribus potum opiſthotonos fieri prohibet, Plinius. ¶ Qui in Venerem infirmior erit, teſticulos milionis (miluum uel buteonem uidetur intelligere. uide in Buteone G.) ex aqua fontana quæ perennis eſt, cum melle decoctos edat ieiunus per triduum, ſtatim remediabitur, Marcel. Fimus miluorum articulorū doloribus illinitur, Plin.

H.

10 a. Miluus dicitur quaſi mollis auis, ſcilicet uiribus & uolatu, Iſidorus. quidam fictum hoc nomen ab eius uoce putant. ¶ Ἰκλινος legitur media producta in Auibus Ariſtophanis. Sæpe proparoxytona hæc uox mihi reperta eſt: ſæpe etiam penanflexa. Euſtathius in Iliados rhô, Ictinum inquit uiri nomen eſſe, quod ſimiliter ut auis nomen & ſcribatur & penanflectatur. Ικτινα, ſignificat auem quam Græci uulgò lupam uocant, παρὰ τὸ ἰκνεῖσθαι. Plato proparoxytonum facit, ut Ariſtophanes quoq; in hoc ſenario Ἴκλινα παντόφθαλμον, &c. Varinus. ſic & Clemẽs tertio Pædagogi Ἴκλινα nominat à recto Ἴκλιν. Ἰκτῖνος penanflexum, apud Pauſaniã in multitudinis numero. Ἰκτῖνος, ικτῖνος, Pergæis, Heſychius. Harpe etiam & harpetòs nonnullis miluum ſignificat: uide in A. Βαθυῤῥηγαλη, miluus Lydis, Heſychius. Itali & Hiſpani hodie genus miluorum infirmius regales nominant, Δικτυς, miluus apud Lacones, Heſychius & Varinus. Sunt & dictyes ſemel Herodoto nominatæ,
20 quadrupedes uiuiparæ, ut conijcio, de quibus alibi diximus. Ἔλαινος, miluus, Heſych. & Varinus. Κασανοῦειαν (Varinus ſ. duplici ſcribit) miluus, Iidẽ. Item σκίμνος apud eoſdem. ¶ Albertus epilaidem auem genus miluí temere interpretatur, & tympanum genus miluí paruí.

¶ Epitheta. Rapidiſsima uolucris miluius, Ouidius 2. Metamor. Hinc propè ſumma rapax miluus in aſtra uolat, Martialis. Raptor ab æthere miluus, Politianus. Ἴκτινα παντόφθαλμον ἅρπαγα πτέρυξιν, Ariſtophanes ut citat Varinus.

¶ Miluus de homine rapaci dicitur per translationem. Plaut. Rud. Vidí petere miluiũ, etiam quum nihil auferret tamen. Idem Penul. Tene ſis me arctè mea uoluptas, malè ego metuo miluos, Mala iſta beſtia eſt, ne fortè me auferat, pullum tuum. ¶ Miluinus, adiectiuum, quod miluí eſt. Madida quæ mihi appoſita menſam miluinam ſuggerant, Plautus Menæch. Miluinus pullus, per
30 translat. Cicero ad Q. Fratrem. Hieracites gemma alternat tota, miluinis nigricans ueluti plumis, Plinius. Aquilinus, quod ad aquilam pertinet, aut quod eſt aquilæ ſimile. An tu inuenire poſtulas quenquam cocum, Niſi ſit miluinis, aut aquilinis ungulis? Plautus Pſeud. id eſt rapacibus. ¶ Miluina, genus tibiæ acutiſsimi ſoni, Feſtus.

¶ Pes miluinus herba à Columella in uſum colligi & reponi iubetur, ſed qualis ſit nõ explicuit. Ruellius cornu ceruinum hodie uocatum eandem ſuſpicatur. Nam extremum folij in articuli aut miluí pedem articulatur. Nos cornu ceruinum ſupra coronopodem interpretati ſumus in Cornice. Pes miluí herba alio nomine pepanus dicta, folia habet diuiſa ſatis & ſubalbida, cum flore & capitello oblongo ſicut cauda animalis, Syluaticus. ſed alia eſt Plinij pepanus, bugloſsi folio, pulmonaria Latinè dicta, &c. Aliqui dicunt ſinonum eſſe pedem miluí, alij alexãdrum (oluſatrum.) ſed falsò
40 utrìq;. nam pes miluí ſeu pepanus folia ſatis maiora & pinguiora habet, & flores à floribus ſinoni ſatis differentes, multos, albos, & ſimul coniunctos in ſummo caule, apparentes inſtar caudæ felis: folĩa ut Valeriana. Sinonum uerò floret ſicut petroſelinum commune, &c. Syluaticus cap. 648. Pes miluí ſimilis eſt aro folijs, niſi quòd aron folia cornuta fert, pes miluí uaria, Obſcurus quidam in Synonymis medicinalibus. Pes miluí, id eſt cetrach, Idem. ¶ Hieracium minus rura noſtra alicubi uocant wyenſchwantz, hoc eſt caudam miluí.

¶ Ictinus cognominatur quartum genus lupi, à rapacitate nimirum, ut ſecundum etiam circus. ſunt enim hæ aues rapaces. ¶ Auis quæ uulgò à noſtris Waßwy, id eſt miluus paluſtris uocatur, uidetur Ariſtotelis harpe. ¶ Eſt & miluus piſcis Plinio, qui Græcis ἴρηξ, id eſt accipiter dicitur, à uolatu, quem repræſentat, harum auium nomina ſortitus.

50 ¶ Propria. Audit cum magno blateras clamore furisq; Mulius, Horatius lib. 2. Sermonum: ubi Acron legit Miluius, qui paraſitus fuerit: Calepinus mulium in eo loco pro mulione accipit. ¶ Miluium pontem Sublicíam interpretatur Hermolaus Barbarus. ¶ Ἴκλινα, nomen proprium, Suidas. ¶ Ictinus, Ἰκτῖνος, Eleuſinæ Cereris phanum myſticum apparauit, Strabo lib. 9. meminit huius opificis Euſtathius quoq;, & Græcè Ἰκτῖνος penanflexum ſcribi docet. Parthenòn, id eſt Mineruæ templum fuit fanum ad Acropolin curante Pericle conditum, ab Ictino architecto, ut eſt apud Strabonem: Ictini meminit & Vitruuius, Hermolaus.

¶ b. Quod ſi omni tempore ſimiles miluijs ſint ſtymphalides atq; aquilis, aues mihi uidentur Arabicæ, Pauſanias in Arcadicis. Catanances uſus ad amatoria tantum. electa eſt ad hunc uſum coniectura, quoniam arefcens contraheret ſe ad ſpeciem unguium miluí exanimati, Plinius.

60 ¶ c. Ἐπὶ ποῖον ἰοβόσκον καλεῖς Ἁλιαίετος καὶ γῦπας; οὐχ ὁρᾷς ὅτι Ἴκλινος εἰς ἂν ὤφρ' οἴκοι θ' ἁρπάσας; Ariſtophanes in Auibus. Solent miluí (οἱ ἴκλινοι) ſi quid incuſtoditum fuerit & rapere, & cum rapuerint in tutum aliquem locum ſecedere priuſquam deprehendantur, Xenophon in Hipparch. Miluus in

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 630 sur 825

gyrum uolat, subitoq; se demittit cum in gallinas aut columbas inuolat. Ducitq; per aera gyros Miluius, Ouidius Eleg. 2. 6. ¶ Miluus thryon comedit, Philes: tanquam remedium scilicet aduersus aliquos morbos.

¶ e. Quia non rete accipitri tenditur, neq; miluio, Qui male faciunt nobis, illis qui nihil faciunt tenditur, Terentius in Phormione. Sunt autem uerba Parasiti, qui sibi nõ metuit insidias aut uim ab eo, qui eam faceret maiore suo periculo, quàm alieno. Aues capiuntur uel gulæ gratia, uel delectationis, tale nihil in miluo aut accipitre, qui ad cibum non expetuntur, quosq; nemo alere uult, quia sunt nimis edaces: nemo habere cupit, quia malefici. Ideo autem tutiores sunt, quia in illis & fructus perditur, & opera luditur.

¶ h. Vt sibi liceret miluium uadarier, Plautus Aululatia. ¶ Arbor erit anima scilicet è corpore migrãs apud Platonẽ, illius qui nutritioni deditus die noctuq; torpuerit: miluus, qui raptu uiuet per cõcupiscentiã, Cælius. ὃν γὰρ οἶμαι μάλιστα μεταπεμπόμενοι ἀφυγεῖν τὸν λεγόμενον πρὸς τὸ κτίνιον μῦθον· ὃς ὄρνις ὢν ὠμὸς ἐμὸν καὶ θρασυκάρδιον, ἀμφοῖν ἥμαρτε, ἀγροικίας τε ἅμα καὶ δεξιότητος, Suidas in Κλινος ex authore incerto: in eum qui rationem uiuendi in senectute immutat ut uidetur. ¶ De patre Sides puellæ in miluum mutato, uide supra in C. ¶ Εὔχεσθε τῇ Ἑστίᾳ τῇ ὀρνιθείᾳ, καὶ τοῦ ἰκτίνου τοῦ ἐπόπτου, Aristophanes in Auibus. ¶ Vescuntur & glande in hoc genere (uncos ungues habentiũ auium) pomisq; multæ, sed quæ carne tantum non uiuunt, excepto miluo: quod ipsum in augurijs dirum est, Plinius. Miluij qui potissimum inter aues gaudent rapinis, sacrificantes in Olympia nulla afficiunt iniuria. Sin autem aliquando rapiantur à miluijs intestina aut carnes, signum inauspicatum sacrificãti putatur oblatum, Pausanias in Eliacis. uide in D. supra. C. Valerio, M. Herennio Coss, miluus in æde Apollinis Romæ comprehensus est, Iul. Obsequens. Agmen coruorũ in futurum excidium retulerunt augures, ut & aliarũ quæ cadaueribus uescuntur, uulturũ, miluorum, &c. Niphus. Miluus diri malicq; ominis, semperq; infortunia præmonstrare creditus, Alexãder ab Alex.

¶ Prouerbia. Quantum non miluus oberret: prouerbialis est hyperbole, de homine supra modum locuplete, cui tantum sit agrorum quantum nec miluus peruolet. Persius de Vectidio: Diues arat Curibus, quantum non miluus oberret. Id imitatus Iuuenalis Satyra nona: Tot miluis, inquit, intra tua pascua lassis, Erasmus. Quantum non miluus oberret, Persius dixit: uel secundum prouerbium, quo dici solet, Quantum non milui uolant: uel κωφρολικῶς ex prouerbio, tantam dicit regionem, quam uolans miluus circumire non possit, Hæc uetus Persij interpres. ¶ Milui & columbæ adulterium. Horatius in Epodo, Mirus amor, iuuet ut tigres subsidere ceruis, Adulteretur & colũba miluio. ταφοιμία ἐκ τοῦ ἀδιωάτου, pro summa discordia & naturali impotentia: primùm quòd aduersum animal columbæ sit miluius: deinde quia columba nulli alij succũbere dicitur, quàm cui semel se iunxit, ut inquit Porphyrio interpres, & copiosius enarrat Plinius. ¶ Non rete accipitri tenditur, neq; miluio, uide superius in e. ¶ Prouoluitur ad miluios, προκυλινδεῖται ἰκτίνοι, id est, Adorat miluium. Initio ueris prodeunt miluij, quare læti tenues quòd iam hyeme sint leuati, prouoluuntur, eosq; uelut adorant. Accommodari potest in eos qui noua spe gestiunt. Suidas prouerbij loco commemorat. Item Iuuenalis, Durate atq; expectate cicadas. Sumptum est autem ex Auibus Aristophanis προκυλινδεῖσθαι τοῖς ἰκτίνοις. Causam adscribit interpres, docens quatuor partes anni per aues denunciari hominibus. uer attribuit miluis, Erasmus. Ἴκλιος ὃν τὴν Ἑλλάδα πρὶν τότε, κἀξαίφνης ἐλθών, καὶ κατιδὼν ἐξῷν γ' οὕτως πρῶτος βασιλεύων, προκυλινδεῖσθαι τοῖς ἰκτίνοις, Aristophanes in Auibus. ubi Scholiastes, Ineunte uere (inquit) apud Græcos miluus apparet, ad cuius conspectum lætati homines, tanquam certum hyemis exactæ signum, in genua ceu adorantes procidebant, sicuti reges adorantur. itaq; ictinum regem olim fuisse fingit. Sed hic honos temporis mutationi potius quam auí habebatur. Et rursus in eadem fabula Aristophanes, Ἰκτῖνος φανεὶς ἐπόψιος (ἐκεινίῳ) ὥρας ἀκμάζουσα.

¶ Emblema Alciati, inscriptum Aemulatio impar.

Altiuolam miluus comitatur degener harpam, Et prædæ partem sæpe cadentis habet.

¶ Eiusdem aliud, sub lemmate Male parta, male dilabuntur:

Miluus edax, nimiæ quem nausea torserat escæ, Hei mihi mater ait uiscera ab ore fluunt.
Illa autem, quid fles? cur hæc tua uiscera credas, Qui rapto uiuens sola aliena uomis?

DE MOLLICIPITE.

MOLLICEPS (Μελανοκεφανὺς, à cranei mollitie) eodem in loco semper sibi statuit sedem, atque ibidem capitur. grãdi & cartilagineo capite est, magnitudine paulò minor quàm turdus, ore firmo, paruo, rotundo, colore totus cinereo. depes (codices nostri habent δύπους, quod est pedibus ualens) & pennis inualens est. Capiũ maxime per noctuã, Arist. Molliceps auis ea est, quæ Lutetiæ uocatur vn gros bec, à magnitudine rostri, à qua etiamnum in monte Atho nomen sortitur: & alibi in Gallia vn pinson royal, id est fringilla regalis, dorso cinereo, quemadmodũ & uenatica dicta auis, Belloníus in Singularibus. Coccothraustæ nostro si color conueniret totus cinereus, mollíceps uideri posset. ¶ Longolius mollicipitem esse putauit auem illam quam nos supra rusticulam minorem uocauimus, ein Härschnepff: quem Eberus etiam & Peucerus sequuntur. ego minimè probo. ¶ Turnerus auis illius quam nos lanium appellauimus, & Germani uocant ein Thiimmóżder,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 631 sur 825

mõ:der, genus unum mollícipitem esse conjícit mihi quidem secus uidetur. Lanios nostros ipse tyrannos uocat communi uocabulo, præcipuè uerò minimum ex eis, crista rutila insignem, Aristotelis tyrannum esse arbitratur, maximum uerò, mollícipitẽ: qui sturnum (inquit) magnitudine æquat, colore è cyaneo ad cinereum uergente. Idem de passere magno, ut Actuarius uocat, scribens, mollícipitis ex Aristotele descriptionẽ magna ex parte ei conuenire ait. ¶ Gallinaceos pugnaces fieri aiunt apud Alexandriam ex ouis quibus aues MONOSIRI bis aut ter incubarint, Cælius.

DE MOTACILLIS, ID EST CAVDAM MOTItantibus diuersis auibus: & primum quædam in genere.

MOTACILLAE nomen auibus diuersis conuenire uidetur, cum plures sint quæ caudam irrequietè motitant. Græca aliqui transferentes, cinclum motacillam uerterunt, alij sisopygida, alij iyngem. nos non solum de Græcis istis diuersis siue diuersorum, siue unius interdum auis nominibus separatim agemus: sed de alijs quoq; aliarum linguarum. ¶ Motacilla dicta est quòd semper moueat caudam, Varro. Motacillæ formiculis pascuntur, Arnobius contra gentes 7. Bacchica auis præstò tibi motacilla paretur, Alciatus de iynge sentiens. ¶ Pleræque caudam mouentes aquaticæ aues sunt, muscis quidem uesci commune omnibus, quamobrem ubi illæ abundant, ut circa aquas & circa pecora, uersari solent.

¶ Σεισόπυγις, est passer qui iuxta riuulos aquarum & torrentes inuenitur, cauda semper mobili, Kiranides. Κίλλυρος, σεισόπυγις, Hesychius & Varin. Cillere Latinis mouere est, unde (& cilia forte dicta: &) furcillæ, quibus frumenta cillentur, Seruius in Georg. 2. Quidam cinclum & sisopygida pro eadem aue accipiunt, ut apud Hesychium & Suidam legimus. Iyngem quoq; aliqui cum sisopygide confundunt. Iynx auis quæ sisopygis dicitur, Suidas. uide in Iynge A. Iynx quę & cinclis dicitur, caudæ motu insignis auicula, quam & σεισπύγιον ab argumento (φορωνύμως) uocamus, Io. Tzetzes 11.380. Iyngem aiunt suis carminibus Iouem in Ius amorem pellexisse: quare à Iunone in hanc auem conuersam fuisse, quæ sisopygis etiam, à nostris autem motacilla nuncupatur. addit Hesychius cinædion etiam (similiter scilicet à clunium motu,) appellatam, Gyraldus. A Syluatico imperitè sisofigius scribitur, & imperitius merula exponitur. In Lexico Græcolatino etiã σείσυρα scribitur, idem quod σεισσπυγίς. Σισυρὰ & κολοσσὸς nomina sunt Græcię nostro tempore usitata. colossum interpretor παρὰ τὸ τὸν κόλον ἄγειν τυγὰς σείειν. Si quis sisopygida cum pennis suis ollæ inclusam cremarit, & puluerem illũ mulieri in potu dederit, faciet eam dissolui præ amore & liquescere. Summus enim & inuictus hic amatorius potus est, Kiranides. ¶ Iideon, יִדְעוֹנִי, uel ijdeoni, 1. Regum 28. & Deut. 18. R. Salomon diuinum intelligit, qui utitur esse animantis, quod iadu, יִדּוּעַ, uocatur. ita Kimhi etiam. sunt qui motacillã putent. ¶ Motacilla Italicè nominatur la cogiuuanella, codatremola, la codacinciola, cotretola, titispisa, authore Scoppa. Inuenio & couatremola, squasacoa, & balarina. etsi hoc postremum aliqui ad motacillam albam priuatim referunt. ¶ Hispanicè pezpitalo, & aguza nieue, (hoc est auis niuis, ni fallor.) Eadem est, ut conjcio, quæ Venetijs quoque Vcciello di neue uocatur, id est auicula niuis, pispissa Siculis per onomatopœiam. hyeme per uicos apparet, nunquam quiescit, cauda semper tremit, colore uario, æqualis passeri aut minor, gracilis. Eandem & Nic. Massa describere uidetur in Epistolis, cuius uerba mox recitabo inter Remedia ex caudatremula ad calculos. ¶ In Gallia Narbonensi guignecue: alibi battemare.

¶ Tragulíduntes Arabicè, Græcè sasurion, Latinè caudatremula: auis est omniũ minima, quæ lapidem de renibus & uesica expellit, &c. Syluaticus cap. 674. Apparet autem nõ caudatremulam uel motacillam hanc auem esse, sed omnino passerem troglodyten Aetij. nam troglodyten corrupe runt in tragulíduntes, (uetus interpres Auicennæ adruculudídos habet,) & struthon uel struthion, id est passerem, in sasurion, uel safarahun. Et cum Aetius scribat circa sæpes & muros uersari, ipsi (imperiti Arabum sectatores) circa piscinas & parietes reddiderunt: & cum caudam erigere dicere debuissent, mouere dixerunt. hinc natus est error, ut motacilla uel caudatremula crederetur. Andreas Bellunensis apud Auicennam lib. 2. tract. 2. cap. 659. legit safarahun. Recentiores authores celebrant inter calculi remedia cinerem motacillæ: putamus ex Pauli sententia troglodytẽ uoluisse dicere, Alexand. Benedictus. Caudatremulæ cinis in medicina administratur, Nicolaus. ¶ Lapidem educit puluis crematæ auis quæ caudatremula dicitur, Leonellus Fauentinus. Aduersus lithiasin prodest auis quæ caudatremula dicitur, cuius mira uis in atterendo calculo. Ea pennas habet circa dorsum colore auri, (imò, ut Aetius refert, passer troglodytes regulo similis est in multis, nisi quòd in frõte auricolores pennas nõ habet, &c.) & in cauda puncta alba. Et quidã putant quòd sit parix. Sed potius uidetur illa quæ uulgò dicitur caudatremula, & præparãt sic: Auis hæc cũ pennis suis, uel ut aliqui uolunt absq; pennis (Aetius cum pennis) ollæ obstructæ incluſa in furno torretur. Eius puluerís drachma una uel altera datur cum aqua saxifragiæ: aut uino albo generoso, Leonellus Fauentinus. Vide etiam Nic. Florentinum in 5. de cura lapidis, & Montagnanam Consilio 182. Serapionem & Auicennam 18. 3. item in Alauda G. quomodo quæuis auis ad remedia cremari debeat. Inter aues quæ eduntur sunt etiam caudatremulæ, quæ frequentissimè ad nos (Venetias) per hyemem accedunt. Non sunt autem illæ quas medici lapidem in uesica & renibus fran-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 632 sur 825

gere dicunt,hæ enim rarò ad nos aduolant. inueniuntur tamen aliquando nimirum hyemis tempore,cum boreales uenti uigent,& sunt paruo corpore, colore cinereo, alis rubro ac nigro hinc inde colore distinctis.(Vide superius inter nomina uariarum gentium.)Quare uideant qui has aues ad frangendum lapidem uenantur, ne similitudine decepti in cassum laborent, N. Massa in Epistolis. Ad calculum etiã uesicæ,motacillæ genus quod à luteo colõre denominatur Germanis, (gẽl bachstelтzen,)in olla uritur pariter cum plumis:tum sanguis ceruinus similiter in olla tostus admiscetur, & è uino potente propinatur utiliter, Ex libro Germanico manuscripto. Medici quidam in Gallia circa Monspessulum,ut audio,ad calculi remedium ispidam auem(quam alcyonem fluuiatilem quidam esse putant)comburunt. arbitror autem illam quoq; caudam mouere, ut & alcyon marina fortè mouet.nam cinclus(inquit Aelianus) caudam semper mouet,quemadmodum cerylus(sic uocatur alcyon mas)apud Archilochum. Ego non admodum referre conjicio quænam auis comburatur:cum cineris prope omnium uis eadem uideri possit.prætulerim tamẽ illa auium genera, quæ insectis uescuntur,muscis,formicis,&c.Cinis quidem etiam ex alijs quàm plurimis remedijs in animalium & stirpium genere, ad lithiasin cõmendatur. Plura uide infra inter Passeres in Troglodyte. ¶ Arnoldus Villanou.in capite de calculo renum,laudat hanc auem,& ego quoq; mirabilem eius experientiam uidi. Reperitur autem apud nos frequens æstate ac hyeme, sed æstate non uersatur in ciuitatibus:hyeme uerò ciuitates & piscinas frequentat, Lombardis uulgò caudatremula,aliquibus beuerina, Author Luminaris maioris.

DE CINCLO.

LACVS & fluuios petunt iunco, cinclus, albicula (in Græco nihil est quod uoci albiculæ respondeat)& tringa:quæ inter minora hæc maiuscula est.turdo enim æquiparatur. omnibus his cauda motitat,Aristot. Et alibi, Cinclus apud mare uitam traducit. is astutus & capi difficilis est, sed captus omnium maximè mitescit. Læsus est, & incontinens parte sui posteriore. Suidas quoque auem marinam facit cinclum tum in uoce Ἡμερινὰ, tum in Κίγκλος, legendum Κίγκλος. Cinclus uolatilis bestia quòd posteriore sui parte debilis sit,ideo suapte natura,& per se dicunt non posse nidũ fingere,& construere,sed in alienis parere:eamq; ob rem bonorum inopes(qualem Catullus describit Furium,cui neq; uillula fuerit,neq; domus,neq; arca. hoc genus homines Græci ἀνιδίους uocant, hoc est expertes penatium,Erasmus)in rusticorum prouerbio cinclos appellari solere.Hæc semper caudam mouet,Aelianus & Suidas. Cinclus est auis quæ subinde clunes mouet, quam aliqui σεισοπυγίδα uocant,est autem pertenuis. unde prouerbium Cinclo pauperior, πτωχότερος κίγκλου, quo Menander in Thaide usus est,Suidas. Cincalus,Κίγκαλος, auis est tenuis & minimè carnosa, à qua factum est prouerbium,Mendicior leberide atq; cincalo , πτωχότερος ἐλεβηρίδος καὶ κιγκάλου , Idem ut Erasmus legit,qui hunc Menandri in Thaide uersum esse ait.uidetur autem alpha insertum carminis implendi gratia. ¶ Non placet quod aliqui κιγκλὸς oxytonum scribunt. ¶ Volaterranus falsò & sine authore cinclum auiculam esse palmipedem scribit. Idem memoria lapsus Plinio quædam de cinclo uerba attribuit,quæ Aristotelis sunt. ¶ Iynx auis est, quæ & cinclis dicitur , κιγλὶς oxytonum,Io.Tzetzes. Eandem aliqui σεισοπυγίδα esse putant, Idem & Hesychius. ¶ Ab hac aue fit uerbum κιγκλίζειν,quod est σβασθάζεσθαι,Hesychius. Erasmus interpretatur cõmoueri & obstrepere.sed actiue accipiendum uidetur. Κιγκλίζειν, σκελύειν, μοχλεύειν, κινεῖν, ἧχον ποιεῖν, Varin. Cincli auis Aristophanes etiam in Amphiarao meminit:ὀσφὺς δ' ὀβελίσκοις ἀκρως σβακίγκλισον.id est,Lumbis ceueto summis.Et,Οὔτε κίγκλου ἀνδρὸς πρεσβύτου:id est,Neq; cincli(pauperis nimirum & infirmi)hominis senis.Et in Geralordo,(forte,Gerytade. huius enim nominis fabulam Aristophanis Athenæus citat,) Κιγκλισβάτην (κιγκλισβώτην) ῥυθμὸν, hoc est cinædicum & cæuentem ingrediendi uel saltandi modum.Et Autocrates in Tympanistis: Οἷα παίζουσι φίλαι παρθένοι αὐλῶν κώμας κῶμα πεπλῶσαι κόμας, καὶ ἀναπρόσσαι χοροῖν,ἐφεσίαν παρ' Ἄρτεμιν,κάλλιστ' ἂν καὶ τοῖν ἰχίοιν τὸ μὲν κάτω, τὸ δὲ ἂν εἰς ἄνω διαίρουσαι , δῖα κίγκλου ἅλεται.hoc est, Vt gratæ ad tibias puellæ saltitant Leuiter,comasq; iactitãt,manus mouent, Dianæ in festo,natibusq; motitant Sursum deorsum sese,ita ut cinclus salit.

¶ Turnerus cinclum auem Anglicè interpretatur à water swallow, (quasi dicas hirundinem aquaticam,)Germanicè ein Steinbeisser,(sed nostri aliam auẽ, coccothraustem nostrum, Steinbeisser appellant.)Auicula(inquit)quam ego cinclum esse puto,galerita paulò maior est , colore in tergo nigro,uentre albo,tibijs longis,& rostro neutiquam breui. Vêre circa ripas fluminum ualde clamosa est & querula.breues & crebros facit uolatus. ¶ Huic Turneri descriptioni cognata uideri potest merula aquatica nostra:magis uerò illa , quam circa Argentoratum Lysslicker appellant:quam non similem modo Turneri cinclo, sed prorsus eandem esse conjicio , cuius figuram sequens pagina cõtinet. De eadem, ni fallor,Eberus quoq; & Peucerus sentiunt:similiter enim Germanicè interpretantur Steinbeisser & Steinbicker, (quasi lithocopon dicas : quòd nimirum in ripis calculos rostro feriat dum muscas & uermiculos petit.) Magnitudine (inquiunt) rusticillæ est, ex cinereo albicans,caudam mouet. Nostra,cuius iconẽ damus,rostro recto,nigro & longiusculo est,uentre albo,pectore cinereo,cauda breui,ita ut eadem alarum longitudo sit. alis dorsoq; fusca. cruribus ex russo ferè luteis,ut pictura repræsentat. ipsam enim auem non memini uidere.

¶ Βασιλίνη,

¶ Βουκολίνη, cinclus, (κίγκλος perperam scribitur,) Hesychius & Varinus. apparet autem nomen hoc à bucolijs, id est armentis factũ, quòd hæ aues pecora ferè sequantur, propter muscas nimirum. nam & apud nos genus motacillarum unũ esse audio, quod à bobus Rinderschysser appelletur. ¶ Κέγκλης, auis quædam marina, Suidas & Varinus. eadem cinclo nimirũ. In Cotyis Thracum regis conuiuio apud Athenæum nominãtur cygni, grues, κίγκλοι, κίγκλοι legerim. ¶ Κιγκλισμὸς, βραχεῖα (καὶ) συνεχὴς κίνησις, à cinclo animali, Galenus in Glossis in Hippoc. Κιγκλὶς ianua est biforis uel biualuis, &c. Varin.



DE CERCIONE.

IN India auis ad sturni magnitudinem accedens, uarijs coloribus picta, nascitur, quæ & humanam uocem effingit, & psittacis uocalior, & maiore est docilitate & ingenio, non tamen humanum uictum æquo animo sustinet, sed libertatis desiderio famem potius quàm seruitutem cibis refertam amplectitur. Vrbes quas Alexander in India excitauit, ideo cercionem appellant, quòd similiter caudam (Græci κορκὼν uocant) atque cinclus mouet, Aelian. Græcè κορκίων scribitur per iôta acutum in penultima. Κορκυὼν uerò cum y. in penultima, oxytonum, nomen uiri est Eustathio.

¶ TRINGA lacus & fluuios petit, caudam motitat, ut etiam cinclus & IVNCO. sed tringa inter minores has maiuscula est. turdo enim æquiparatur, Aristot. Græcè legitur penultima per y. ὁ τρύγγας, tryngas in prima declinatione. ¶ De iuncone scripsi supra in Elemento I.

DE MOTACILLA QVAM NOSTRI albam cognominant.

MOTACILLA alba nostra uno nomine albicula uel albicilla uocari poterit. Cinclus, iunco, albicula (sed quod huic nomen in exemplaribus nostris Græcis respondeat nullum est) & tringa, quæ inter minores has maiuscula est. turdo enim æquiparatur, Aristot. interprete Gaza. Germanicè appellatur ein wysse oder grawe Wasserstelz oder Bachstelz: Quikstertz, id est alba aut fusca motacilla. à S. Hildegardi Begestertz, uel Wegestertz, cuius temperamentum illa calidum & humidum esse scribit. A quibusdam Klosterfreuwle, id est monialis, ab albi & nigri colorum distinctione. Anglicè Vuagtale. Italicè balarina, & circa lacum Verbanum geron. Lusitanicè aueloa, quanquam alij motacillam flauam sic appellare malunt. Sabaudicè colapa. Gallicè circa Monspessulum enguane pastre, fortè quia ad pecora quæ pascuntur propius accedit, ut ad hominem quoq;, ut audio. ¶ Cuculus aliquando uisus est parere in nido auiculæ aquaticæ, quæ mouens caudam uocatur, Albertus. Aucupes nostri cuculi pullum à motacilla alba aliquando nutritum obseruarunt. ¶ Motacillæ albæ autumno auolant, flauæ non item. ¶ Pecora amare existimatur, quòd prope ea, forte propter muscas, circunuolet. ¶ In cibum etiam uenit, teste Hieron. Trago.



¶ Turnerus in libro de Auibus Cnipológon Aristotelis (id est culicilegã interprete Gaza) hãc auem esse putat. Culicilegam (inquit) esse iudico auiculam, quam aliqui motacillam nuncupant. est autem illa albo & nigro uariè distincta: cauda longa, quam semper motitat. degit plurimum ad ripas fluminum, ubi muscas captat & uermiculos. quin & aratrum uermiũ causa sequitur, quos uersat & exhibet cum gleba aratrum. Sed postea in epistola ad me, Culicilegam Aristotelis (inquit) in terra Bergensi uidi. tota cinerei ferè coloris est, & speciem habet pici Martij. illa uerò quam culicilegam esse putabã, est uariola, nisi fallor. ¶ Culicilega, Germanis Fligenstecher, differt à motacilla, Eberus & Peucerus. Vide supra in Culicilega.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 634 sur 825

DE MOTACILLA FLAVA.



MOTACILLAE quam flauam à colore uentris ímí appellamus, nomina conueniunt quæcunq; ſuperiorí, flauæ tantum differentia adiecta. Priuatím tamẽ à Gallis nominatur battequeue, nõnullís batteleſſifue, battemara. Italís cotremula. Sabaudís auſſecue, uel hauſſequeue. Turcís belbék. Auis eſt magnitudíne parí maioris. caudam ſemper mouet, quæ ei bifurcata eſt, reliquo corpore multò lõgior, pennis longioribus octonís condita, quarum duæ extremæ utrínque tres diſcretos colores habent, plurímum albí, mínus nigrí, mínimum lutei. interiores uerò, ítidem utrínque duæ nigricant cum pauciſsimo luteo. ſunt & paucæ in medio breuiores. Roſtrum longiuſculum, rectum, gracile, nigricat. Cranium molliſsimum. Venter albícat cum pauciſsimo luteo. qui color initio caudæ inferius intenſior eſt: ut & ſuperius infra orrhopygium color ex luteo & uiridí mixtus ſpectatur. Caput & dorſum fuſca ſunt. Pennæ in alís nigrícant, in medio per tranſuerſum albícant, præter extremas quæ totæ nigræ ſunt. Alæ ſunt breues, caput pro portione paruum, cruſcula fuſca. ¶ Motacíllas albas autumno migrare audio, flauas manere. Vtræq; armenta & pecora amant, nímirũ propter muſcas quibus uíctitant. ¶ Ab accipitre perſequente ſi euaſerint, egregie cantant, tanquam ſibí de ſalute gratulantes. ¶ Caueís nõ íncluduntur: ín hypocauſto tamen uel diæta líberíus uolantes alí alíquandíu poſſunt. ¶ Ad remedium aduerſus calculum motacílla torretur ollę íncluſa ín furno, ut ſupra ſcripſimus ín Motacíllís in genere. Sunt qui flauam ín hoc remedio præferant.

¶ Albertus cum ex Ariſtotele mouentes caudas alíquot aquatícas aues nominaſſet, addit: Et ſunt apud nos quædam fortíſsimí uolatus & boní greſſus, & uelocíter currentes ín ripís fluuíorum & maris.

¶ MOTACILLAE quædam uulgò **Ryſerle** & **Rinderſchyſſer** dícuntur, genus (ní fallor) ab alba & flaua motacílla díuerſum: quod & ípſum caudam motítat, & pecora præ cæterís amat, quòd muſcæ circa ea abundent: colore míxto è fuſco & uíridí, ut audío: unde conjício, eandem fortè eſſe auículam íllam quæ circa Argentoratum **Gickerlin** appellatur. Bucolíne Heſychío auís eadem quæ cínclus eſt, bucolíorum ſcílícet, íd eſt armentorum amans, & caudam quatiens. Sunt & budytæ auículæ Oppíano dictæ à bobus, quos ſubeũt ſcílícet & circunuolãt. uíde ſupra ín Elemẽto B.

¶ PRAENVNCIA Hírundínum uulgò ín Friſía appellatur, **Schwälken voꝛbott**, cui cauda ſemper agítatur, caput utrínq; rubet línea medium nígra trãſeunte. magnitudo fringillæ, ſed pedes & cauda longíores. Nídíficat ín harís nído tígnís affíxo. paſcítur ín ſtercoretís.

¶ Dícuntur & AVES quædam Germanícè **Todtenvógel**, neſcío quam ob cauſam, níſi forte quòd rarius appareant & ferè ímmínente peſte. hæ quoq; caudís mouendís nunquam quíeſcunt, rubeculæ magnítudíne, albícantes circa caudam. Alíqui **Wuggenſtecher**, íd eſt myíocopos uel myíophagos appellant, ſolís enim muſcís ueſcuntur. Roſtra eís ueluti hírundínum. Auguſto & Septembrí alíquando capíuntur. Sed non degunt circa aquas, ut pleræq; cæteræ motacillæ.

¶ PHOENICVROS etiam, **die Hußrötele**, caudís motítare obſeruauímus.

¶ Auis Anglicè dícta ASNYT, longo roſtro, magnítudíne picæ, ut fertur, ſemper ad aquas conſiſtit, & caudam agítat. Hæc an forte ſit tryngas Ariſtotelis quærendum eſt.

¶ TREMVLVS ín Regímíne Salernítano ínter aues bonas & ſalubres nominatur, cum perdíce, phaſíano, columba, &c. Arnoldus Villanouanus, Auis eſt, ínquít, quæ ſolet degere ſuxta mare, gallína minor, colore fuſco, altè clamans & uelocíſsimè uolãs: & quando ingredítur ſuper terra, cauda eíus ſemper tremit, & ſuper capíte plumas habet longas. Non eſt autẽ parua ílla auís longam habens caudam, quæ à medícís caudatremula nominatur, Hæc ílle. Quærendum an hæc auís alíquod genus fulícę ſit, utpote círrhata & circa mare uelocíter uolans & clamoſa: aut fortè uanelli, de quo ín V. Elemento ſcríbemus.

DE MOTACILLAE GENERE, CVIVS ICONEM Io. Kentmannus, deſcriptionem Ge. Fabricius ex Miſnia ad me dederunt.

AVIS quæ à Germanís ín Miſnia **ein Pilwenckgen**, uel **Pilwegichen**, uel **Pilente** nominatur, caudam ſine intermíſsíone mouet, ut motacílla. Primum nomen Germanicũ compoſitum eſt à ſono uocís, & ab agitatíone caudæ: alterũ à quadam ſímílítudíne cum anate ímpoſítum. quanquam hæc auís palmípes non eſt, & roſtrum longum (molle & colore cínereum) ac alta crura habet. Eíus duo genera ſunt, maius & mínus. Mínus eſt, cuíus pícturam ín ſequente pagína damus, magnítudíne merulæ: tergum cínereũ, uenter albus, alæ & cauda ſuperíore parte



parte cinereæ, inferiore cum albo distinctæ. Flumina colit, & in ripis hac illac uagatur, nidificat & incubat arenis: & aut in ijsdem, aut inter saxa, oua ponit, eaq; ut & hirundines ripariæ, nullis stipulis aut herba tegit. Supra octo pullos non excludit uno tempore. Vescitur muscis, uermibus, pisciculis: domi uerò cum alitur, pane, & malorum putaminibus. In muscis capiendis arte utitur. lento enim suspensoq; gradu accedens, rostro eleuato primum designat, tum captam prædam deglutit. Mansuescit non difficulter, & cōclauia ab araneis purgat. Aestate capitur in nassis, in quas propter escam se immergit: hyeme, pertícis glutine (uisco) illitis: pedicis uerò è pilis equorum factis, quouis anni tempore. Vocem noctu lachrymantis aut lamentantis instar ædit. A pueris aliquando delectationis causa alitur.

¶ MYTTEX, Μύττηξ, auis quædam, Hesych. & Varinus.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA N. LITERA INCHOAT.

NERTOS, Νέρτος, auis apud Aristophanem in Choro auium, quæ sit non constat, nec adserunt quicquam scholiastæ.

DE NOCTVA.

A.



NOCTVA à tempore noctis dicta quo canit uel uolat, Festus. Quanquam uerò multa nocturnarum auium genera sint, hæc una tamen præ cæteris apud Latinos nomen à nocte accepit, ut uespertilio apud Græcos nycteris. Albertus tamen uidetur noctuam ad omnes aues nocturnas generale uocabulum facere. ¶ Hebraicum nomen kos, כוס, noctuam interpretantur, cui finitima est Germanica uox Kutz: alij nycticoracem, alij aliter. uide in Bubone A. ¶ Pro uoce iaanah, יענה, Leuitici 11. Septuaginta uerterunt glaux, id est noctua: item Deuteron. 14. ubi communis etiam trāslatio noctuam habet: alij nycticorax. Munstero iaanah secundum Abraham Iob 39. est auis quæ ponit oua sua in terra, & uulgò uocaī struza, id est struthio. ¶ Ianschuph, ינשוף, omnes Hebræi sentiunt esse auem nocturnam, à ianaph, (nescheph potius, נשף) quod crepusculum significat. tum temporis enim apparet, ut Aben Ezra dicit, cum lucem interdiu ferre nequeat, nostri (& Septuaginta Leuit. 11.) ibin exponunt, P. Fagius, Munsterus Deuter. 14. noctuam. Vide supra in Cygno A. Noctua (ianschuph) & coruus habitabunt in ea, Esaiæ 34. Munstero interprete. hoc est, desolata reddetur. exponunt autem hoc loco etiam Hebræi ianschuph pro nocturna aue. ¶ Tachmas, תחמס, auis quædam impura & rapax Leuit. 11. Septuaginta larum interpretantur, Deuteronomij uerò 14. γλαῦκα, Hieronymus noctuam. uide in Laro A. Tachmas est nycticorax, sic dictus quod rapiat & spoliet cæteras aues. unde Thargum Hierosolymitanum habet hatuphitha, à rapacitate. hataph (חטף) enim rapere significat. Idem quoque hamas, Chaldaicè dicitur zizia, ציציא, ab elatis plumis, P. Fagius. ¶ Tinschemet, alijs noctuā, alijs aliud animal significat, ut scripsimus in Talpa A. ¶ Lilith interpretantur lamiam, onocentaurum, no-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 636 sur 825

ctuam, ut annotauimus in Onocentauro. & fortè ululam significat, alludente uocabulo. ¶ Kipod non noctua, nec aliud animal est, ut quidam suspicantur, sed omnino erinaceus. ¶ In trilingui dictionario Munsteri alia etiã noctuę nomina inuenio: nempę kimus, קימוס: & kiphupha, קיפופא.

¶ Allakaliki, id est aues nocticulæ, Syluaticus. uidetur autẽ noctuas intelligere. Albertus noctuam halatron inquit Græcè dici, imperitissimè: uidetur autem Persica uel Arabica ea uox esse ex Auicenna. Idem Albertus noctuam & bubonem in Aristotelis de animalibus scriptis non semel confundit.

¶ Noctua Græcè γλαὺξ nominatur à glauco oculorum colore. & per onomatopœiam ciccaba, & cicymis, unde etiam uox κικαβαῦ conficta est apud Aristophanem in Auibus. Καρὸ ἀγαθὴ κικυμὶς, Callimachus, ut citat Scholiastes Aristophanis, unde gignendi casus κικυμίδος. Hinc & cicumę nomen Latinum fortè Gaza finxit, quo nycticoracem interpretatur ex Aristotele. Volunt autem aliqui nycticoracem eandem esse auem cum noctua, ut Isidorus: alij diuersam, ut Albertus & nos quoq;. Nycticorax noctua est: multi bubonem esse contendunt, sunt etiam qui adserunt esse orientalem auem, quæ nocturnus coruus appelletur, Eucherius. Κικυμὶς, noctua, Hesych. malim Κικυμίς. Κυβλιώας, γλαυξί. Idem. Κοκκοβαφὴ, noctua, Hesych. & Varinus. hodie etiam uulgò Græcis κακαβάγια dicitur. Homerus noctuam à diis chalcidem dici scribit, nimirũ quòd eius pennæ æs colore referant: ab hominibus cymindin. Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε κύμινδιν, Homerus Iliad. ϛ. accedit autem cymindis uox ad cicymis. Vide in Cymindide inter accipitres. ¶ Βῆφοι, noctuæ apud Symeonem Sethi. uide in Bubone A. Τυτὼ, noctua, Hesych. & Varinus, per onomatopœiam ut conijcio: fortè à uoce tu tu, ut Plautus habet. Κεῖγη, noctua, uel dæmones, idola, Idem. Σιτ̃ζου alij noctuam, alij picam aut accipitrem interpretantur, Idem. ¶ Glastus (glaux potius) auis Palladi sacra, coronam in capite pennatam habet, oculos ut nycticorax magnos, in agris degit, Kiranides.

¶ Fr. Alunnus noctuam Italicè interpretatur nottola, bubonem uerò ciuetta, nescio quàm rectè. Ego bubonis alia Italica nomina suo loco attuli, ciuettam non aliam quàm noctuam arbitror. Scribunt alij ziuetta, zueta, ziguetta, & magnæ paruæq; differentiam addunt, à sexu nimirum petitam, ut fit in genere uncunguium. nam & alteram quæ chio ab ipsis dicitur, & noctua minor est, similiter in maiorem minoremq; distinguunt. Gimus & gimeta quoq; apud Crescentiensem 10. 16. non alia mihi uidetur auis quàm noctua maior & minor. ¶ Noctua Hispanis appellatur lechúza. Lusitanis mocho. ¶ Gallis hibou, & chathuant, ut Rob. Stephano placet, nisi is potius bubo est. noctua uerò circa Lugdunũ nominatur siuette, alibi chouette, souette, zoetta Auinione, & cheueche quoq;, ni fallor, alicubi. ¶ Germanis Kutz, uoce Hispanicæ finitima. Alij plerique, ut Turnerus, Ge. Agricola, Eberus & Peucerus, noctuam Germanicè interpretantur ein Eul/ Nachteul/ Schleiereul/ Stockeul/ Steineul, quæ quidem uocabula omnia ululæ potius mihi tribuenda uidentur. ¶ Anglis an owl, or an howlet, Turnero interprete. ¶ Illyrijs kalus, uel kalaus. ¶ Polonis szowa. ¶ Turcis baigús.

¶ Noctuarum quatuor sunt genera. Vnum, cui pluma aurium modo eminet, quod maximum est, & asio uocatur, (ôtus Græcis.) Alterum eximij candoris in gutture & uentre, alioqui candidis & luteis maculis alternis distinctum. Tertium paruũ, quo (ut etiam quarto) aucupes uenantur aues. Quartum minus illo, quod in rupibus saxisq; uersatur. hoc, sicut & tertiũ, cinereis & candidis maculis uariat, item alternis, Ge. Agricola. Auis Kutz uel Kützlin apud nos dicta, magnitudine turturis est, quæ è Gallia cisalpina & locis circa Mediolanum ad nos adfertur, tetradrachmi ferè in singulas pretio: colore subflauo, oculis elegãtibus, claris. noctu musculos uenatur, aucupijs quæsita. ¶ Noctuam auritam (ein Oor-kutz) audio uocari auem paulò minorem, sed longiorẽ, ululæ cõmuni, subruffam, circa oculos albicantem: oculis nigris, ambitu flauo, cruribus ad imum usq; pluma intectis. Hanc otum uel asionem esse dixerim. ¶ Noctuarum generis est etiam Steinkutz, id est saxatilis noctua dicta auis, (eadẽ forte illi quam Eberus & Peucerus Steineul uocant: qui hanc scopem esse conijciunt: quod nõ placet, cum scops auritus sit.) Magnitudo ei columbæ: crura & digiti pedum hirsuta plumis albidis. imi tamen digiti ad terram nudi sunt. ungues nigri, aduncі. Color ei tota parte prona fuscus, modico ruffo permixtus, albicãtibus maculis distinctus. caput ad reliquam magnitudinem prægrande, iris oculorum flaua & oculi magni. rostrum breuissimum, aquilinum, quæ pleraq; cum alijs noctuini generis auibus communia habet. In aue extincta rostrum superius rubebat, cum prius non uideretur rubere. Inter oculos & rostrum pennulæ quædam ceu pili aut barbulæ rigent. in uentre plus albidi habet quàm cæteris partibus. In montanis & saxosis locis eam uersari puto, ideoq; ad frigus cauendum plumas cruribus digitisq; induisse, (nam aliæ noctuæ non sunt hirsutis pedibus, colore ruffo è fusco) sicut & lagopodes & aliæ quædã. Speciem eius sequens pagina continet. Italicis noctuis saxatiles istas nostras similes esse audio, sed minus alacres, interdiu ferè cæcas. ¶ Adferuntur & ex inferiore Germania noctuæ quædã, Niderlendisch kutzen.

¶ Quærendum an scôpes sint minimæ in noctuarũ genere, auritæ, quas nostri paruas noctuas Italicas uocant, (kleine frembde oder Welsche Kützle/ Köpple,) Itali chus uel zus in agro Patauino, alibi chio per onomatopœiam, quòd noctu talem ædat uocem. harum caudas maculis uarias esse aiunt. His simile genus est apud nos, quod uulgus nominat Tschauytle, (ab Italico ciuetta forte corrupto nomine,) exiguũ, Italicis albius, cauda longiore, auriculis altioribus. Audio apud nos no-



nos noctuam aliquando captam ætate perfecta, magnitudine alaudæ, drachmis undecim uænũſſe. Eberus & Peucerus ſcôpis genus quod ſemper apparet, Keutzlin interpretantur.

B.

Noctuam Creta non habet: & ſi inuehatur, emoritur, Plinius, Solinus, & Aelianus. Noctuæ neq; maiores neq; minores in alpinis Heluetiæ regionibus inueniuntur, præter aduectas è Longobardia, uel Germaniæ ad Rhenum inferiore tractu, Stumpfius. ¶ Noctua auis eſt uaria, uarietas autem eius ad albedinem uergit, crura habet plumoſa, caput ingens, roſtrum curuũ, maior eſt niſo, oculis glaucis, Albertus, magnis & glaucis oculorum pupillis, Ambroſius. Zuetis (id eſt nocturnis) & bubonibus collũ perbreue, (pro ſua magnitudine,) Albert. Noctua appẽdices paucas quaſdam habet infrà quà deſinit inteſtinum, Ariſtot. Otis (lego Otus) bubone minor eſt, nocturnis maior, Plinius. Noctuæ pars inferior gulæ paulò latior eſt, Ariſtot. Noctuis ut magnæ parti auium lien adeò exiguus eſt, ut propemodum ſenſum effugiat, Ariſtot. Vncos ungues & nocturnæ aues habent, ut noctuæ, bubo, Plinius. Zueta cauda breui eſt, ut & bubo, Albertus. Noctua è genere aduncо eſt, Ariſtoteles.

C.

Noctua uagatur noctu, Ariſtot. Nocte uolat, Albertus. Dicta eſt à tempore noctis quo canit uel uolat, Feſtus. quo canit ac uigilat, Varro. ¶ Noctuas nouem uoces habere tradit Nigidius, Plin. Nomen ei quia noctu canit, Varro & Feſtus. Habet & noctua cantus ſuos, Ambroſius. Seros exercet noctua cantus, Vergilius. Vox ei rauca, Albertus. Noctuæ cognationem habent cum bubone & ulula: ſed differunt uoce, nec enim ululant, uerum ædunt ſonum, quem Ariſtophanes κικκαβαῦ nominauit, Ge. Agricola. A ſono quidem κικκαβαῦ ipſam quoq; noctuam Græcis cicabam dici Ariſtophanis Scholiaſtes meminit. Noctua lucifuga cucubat in tenebris, Author Philomelæ. γλαῦκας νύξαι author eſt Pollux. Cum mulier in Menæhmis Plauti, palla è domo ſubrepta, ad Menæhmum quem ſurripuiſſe ſuſpicabatur, ſemel ac iterum diceret tu, tu (ſurripuiſti:) & Peniculus idem diceret, adderetq; amicæ Erotio eam detuliſſe, quærit Menæhmus, Egon' dedi? Tum Peniculus, Tu tu inquam. uin' afferri noctuam, quæ tu tu, uſq; dicat tibi? nam nos iam nos defeſſi ſumus. Hinc & τυτὼ forte nomen noctuæ apud Græcos confictum. Serus & intortus noctuæ cantus eſt, Apuleius. ¶ Noctua & nycticorax magnis & glaucis oculorum pupillis nocturna-

rum tenebrarum non sentit horrorem: & quò fuerit obscurior nox, eò crebrior uolatus exercet in offensos. Die autẽ uidere non potest: quia exorto splendore uisus eius hebetatur, Ambrosius. Noctuæ uisum in tenebris ualere aiunt, interdiu obcæcari, propter nimis siccum & tenuem oculi humorem non ferentem uim luminis, Varinus ex Eustathio. Bubonem quoq; audio per diem nihil ferè uidere, minus quàm noctuam. Noctuæ & cicumæ & reliqua, quæ interdiu nequeũt cernere, noctu uenando cibum sibi acquirunt. Verum nõ tota nocte id faciunt, sed uespertino & matutino. Venantur autem mures, lacertas, uerticillos, & eiusmodi alias quasdã bestiolas, Aristot. Noctua mures & bruchos noctu capit, Albert. De cibo noctuarũ nonnihil adferetur etiam in E. ¶ Noctua & miluus ex unco genere auiũ paucis quibusdã diebus latent, Aristot. & Plin. Noctuas sexagenis diebus hyemis cubare tradit Nigidius, Plin. ¶ Hylas tradit noctuam, bubonem, &c. à cauda de ouo exire: quoniam pondere capitum peruersa oua posteriorem partem corporum fouẽdam matri applicent, Plinius. hoc fieri Alberto nõ probabile uidetur. uide in Bubone C. ¶ Noctuam aiunt solam inter uncungues & carniuoras non parere cæcos, propter igneam eius oculis insitam uim, quæ tenebras etiam penetrat. quare etiam luna silente uidet, (ἀλλὰ τὸ πρὸς σὸν ὀφθαλμὸς πυρῶδες, ἐ τμητικὸν ὂν διαιρεῖ πλὴν θεαν. διὸ καὶ ἐν ταῖς σκοτομίαις ὁρᾷ,) Eustathius & Varinus.

D.

Noctuæ cum formicas à suis pullis abigere cupiunt, uespertilionis cor in nido habent: tanquam formicis sua etiam latibula deserentibus, si quis cor uespertilionis imposuerit, Oppianus. ¶ Noctuæ oues oderunt & infestant, Idem. ¶ Dissident noctuæ & cæteræ minores aues, Plinius. Noctuarum contra aues solers dimicatio. Maiore circundatæ multitudine (auium quæ eas deplumare conantur) resupinæ pedibus repugnant, collectæq; in arctum, rostro & unguibus totæ teguntur. auxiliatur accipiter collegio quodam naturæ, bellumq; partitur, Idem & Albertus. ¶ Cum noctua cornix dissidet, inuicemq; oua furantur, hæc interdiu, illa noctu. plura uide supra in Cornice D. ¶ Passer aliquando dum aucupum uenatione petitur, ad noctuam accurrit tanquam auxilium sperans, à qua mox opprimitur, Orus. ¶ Noctua cum orchilo dissidet, nam is quoq; oua exedit noctuæ. Sed die uel cæteræ auiculæ omnes noctuam nimirum circumuolant, quod mirari uocatur, aduolantesq; percutiunt. Quinetiam qui rex auium appellatur, priuatas cõtra eandem inimicitias gerit, Aristot. Vix ullam auem tam citò noctuam aggredi audio, ac picæ genus quod garrulũ quidam uocant. Quomodo cæteræ aues per noctuam ab aucupibus capiantur leges in E. ¶ Noctua apibus contraria, & uespis, crabronibusq; & sanguisugis, Plinius.

E.

Otus, quem aliqui asionem Latinè uocant, capitur haud difficulter ut noctuæ (quodam genere saltationis,) intenta in aliquo circumeunte alio, Plinius. Fœminæ præferuntur masculis, ut inter omnes aues rapaces. Gimeta optime habetur in aliquo columbario uel simili loco, Crescent. Si bene cicurata fuerit gimeta, optimè capiet mures in domibus, Idem. Gimus & gimeta uiuunt de quibuslibet carnibus, præcipuè de muribus noctu. & cum semel saturatę fuerint, duobus, tribus, uel quatuor diebus postea ieiunant: gimus quidem uel ad nouem dies abstinens non lædítur. Edunt etiam lacertas & ranas, & omnia carnem habentia, Crescent.

¶ Mulieribus ueneficia & cantiones exercentibus similis est noctua, captiosum animal. Hæc enim capta, suos in primis aucupes sic captionibus suis in se elicit, ut eam uelut ludicrum quoddam in humeris circungestent. Noctu quidem uigilat, & uoce quasi quibusdam præstigijs ac illecebris aues allicit, easq; sibi assidere facit. Interdiu uerò alia aucupij inductione utitur, auibus illudit, nimirum in aliam atque aliam speciem uultum conuertens: quibus aues peradolescentes in admirationem raptę, manere apud eam perseuerant, maximo eorũ in quæ se format timore perculsæ, Aelian. Auiculæ omnes noctuam circumuolãt, quod mirari uocatur, aduolantesq; percutiunt. quapropter aucupes ea constituta, auicularum genera multa & uaria capiunt, Aristot. Septembri mense in amitibus apparetur aucupium noctuæ, cæteraq; instrumenta capturæ, ut circa calendas exerceatur Octobris, Palladius. Noctua in apside ærea exposita, auceps funiculum subinde attrahens, & circumpositas undiq; uirgulas uisco illinens, aduolantes ad noctuam capiendam alaudas capit, Oppianus. Noctua ab aucupibus ponitur iuxta retia, ut per eam aues cæteræ capiantur, (alliciantur,) Albertus. Passer maior agrestis maximè capitur noctua, Actuarius. Gimus & gimetta (inquit Crescentiensis 10. 16. quidam Germanicè uertit Eülen vnd Kutzen, malim Kutz vnd Kützle) sunt eiusdem naturæ, animalia scilicet nocturna potiùs quàm diurna. nam earũ oculi noctu melius quàm interdiu uident. Cum igitur deformia sint, & raro ab alijs animalibus uideantur, admirantur eas reliquæ aues & uidere cupiunt, ceu rem nouam ac insolitam. Quamobrem homines uidentes alias uolucres circumuolare gimo & gimetæ, & eas cum auiditate plurima intueri, excogitauerunt nouum aucupij modum: nempe ut his auibus ad spectaculum propositis allectas cæteras uisco aut retibus sibi quærant. Aues capiuntur cum gimetta & capite cattæ (super amite,) Idem.

¶ Noctua in imbre garrula, serenitatem præsagit: at sereno, tempestatem, Plinius & Aelianus. Καὶ νυκτερὶς γλαὺξ ἡσύχου ἀεισθεῖσα μαραινομένῳ χειμῶνος γινέσθω τοι σῆμα. hoc est, Et nocturna noctua quietè canens tempestatis deficientis tibi signũ esto, Aratus inter signa serenitatis. Noctua significat pluuiam, si cecinerit post Solis occasum, Seruius in illud poetæ 1. Georg. Solis & occasum

seruans

ſeruans de culmine ſummo Nequicquam ſeros exercet noctua cantus.

¶ Contra grandinem, noctua pēnis patentibus extenſa ſuffigitur, Palladius. ¶ Ebrioſis oua noctuæ per triduum data in uino tædium eius adducunt, Plinius, uide in G.

F.

Damnantur in lege Moſaica (Leuit. 11.) noctis ac tenebrarum amicæ aues, noctua, ueſpertilio, &c. nam tales mala faciunt, ait enim Chriſtus, omnem qui mala perpetret odiſſe lucem, Procopius. ¶ Noctuæ caro frigida, ſicca & craſſa eſt, Raſis. Carnes pullorum accipitris & noctuæ, ſunt ſaporis boni, quæ corroborant animam, & proſunt melancholicis & mente perturbatis, R. Moſes in Aphoriſmis; ſi rectè translatum eſt.

G.

Contra pituitam gallinarum prodeſt cibus aqua perfuſus, in qua lauerit noctua, Plin. ¶ Noctuæ ſanguinem aliqui orthopnoicis utilem dicunt, quos reprehendit Galenus de medic. ſimplic. 10.27. ut recitaui in Ciconia G. inter remedia è ſimo eius. Cum aduerſus ſpirandi difficultatē multa parabilia pharmaca habeamus, nihil ſanguine noctuæ indigebimus: cuius aliqui ſanguinem propinant, alij coctam ipſam edi iubent in iure ſimplici. Sanguinem uerò aliqui aquæ inſtillāt, alij uino miſcent. Ego cum à quodam hunc ſanguinem mulieri frequenter anheloſæ commendante interrogarem, quamnam ſpirandi difficultatem hoc remedio curatam ſciret, nullam huius affectionis differentiam agnoſcebat. & cum mulier eo uſa eſſet, nihil profecit, Idem cap. 3. eiuſdem libri. Aetius 1. 319. noctuæ ſanguinem numerat inter pſilothra, quæ palpebris poſt euulſos pilos adhibentur. ¶ Noctuæ carnes paralyticos curant, ut quidam è Plinio citant. Vide ſupra in F. ¶ Capitis doloribus remedio eſt noctuæ cerebrum in cibo ſumptum, Plinius. Noctuæ maris cerebrum in collyrio adhibitum, aufert prauitatem uidendi de nocte, (nyctalopiam,) Raſis. Cerebrum eius uel iecur cum oleo infuſum auriculæ aut parotidi utile eſt, Plin. Noctuæ iecur diligenter ſeruatum atq; ex unguento nardino trito auriculis ſubinde infuſum, celeriter parotidum uitiū omne perſanat, Marcellus. Ad parotidas conuenit noctuæ cerebellum butyro mixtum adponi. diſcutit enim ferè eas ſine dolore & moleſtia. oportet autem per aquam marinam feruentem, nouis ſpongijs illic demerſis, & linteo uel ſabano intorto, utrinq; expreſsis, uaporare eas, atq; ita oblinire hoc medicamētum, ſuperq; tegere lana ſulphurata totam maxillam. Anginis ſuccurritur cerebro noctuæ, Plinius. ¶ Fertur cum decollatur noctua, oculum eius alterum apertum manere, alterum claudi: & ſi clauſus ſupponatur capiti non dormientis, dormiturum: ſi uerò apertus, uigilaturum, Raſis. ¶ Iecur uel cerebrum noctuæ, auriculis & parotidi prodeſt. uide in Cerebro. Iecur noctuæ ſiccum in potu ſumptum inducit colicam, & difficultatem ſolutionis, & frigiditatem ſtomachi, Raſis Ariſtotelem citans. ¶ Oua noctuæ diuerſæ ſunt naturæ. nam ex medullio (medio) primi quod peperit, ſi inūgatur pars aliqua, eradicantur pili & nō renaſcuntur. & ex ſecundo ouo ſi ponatur in loco nudo pilis, producit pilos, Raſis. Ebrioſis oua noctuæ per triduum data in uino, tædium eius adducunt, Plin. Philoſtratus de uita Apollonij lib. 3. Cum quidam apud Indorum ſapientes (inquit) conquereretur, filios quidem ſibi naſci, ſed cum primum bibere uinū cœpiſſent, omnes mori: ſic reſpondit Iarchas: Melius cum illis agi quòd moriantur. ſi enim ſuperſtites eſſent, omnes euaſuros inſanos, quòd ex ſemine (ut apparet) minus calido procreati eſſent. Vino igitur abſtinendum eſt filijs ueſtris, ita ut ne cupiditate quidem ipſius moueantur. Si qui igitur poſthac filij naſcētur, obſeruare oportet ubi noctua nidū faciat, & illius oua mediocriter elixata infanti comedenda præbere. ſi enim illa comederit, (priuſquam uinum biberit,) uinum oderit, & modeſtius deget, quia temperatior fiet naturalis calor. Proditum eſt ſi infantes noctuæ oua aſſumpſerint, perpetuò uinū odiſſe: & id non modo non bibere, ſed & temulentos formidare, ut Philoſtratus auctor eſt, Gyraldus.

H.

a. Et coeunt (Bacchæ contra Orpheum) ut aues, ſi quando luce uagantem Noctis auem (noctuam) cernunt, Ouidius X 1. Metam. ¶ γλαῦξ nomen, inquit Euphronius, Attici circunflectunt, Dores acuunt, Ariſtophanis Scholiaſtes. communiter acuitur, Atticè circunflectitur, Varinus & Euſtathius. γλαυξ, νυκτόβιος, auis nocturna, Heſych. Στρίγλ@ auis quæ & νυκτοβόα dicitur: alij nyctícoracem reddunt, Idem. Strix quidem etiam Latinis auis nocturna eſt. Nyctimene puella in noctuam mutata fertur: & pro noctua uſurpatur. uide infra in h. Varia in diuerſis dialectis noctuę nomina retuli ſupra in A.

¶ Epitheta. Noctua lucifuga, Seruius & Author Philomelæ. An mage noctiuolæ tibi traditur alitis uſus, Martianus Capella. Noctis auis, & Palladis ales (apud Ouidium 2. Faſtorum) apud poetas pro noctua uel tanquam epitheta, uel per antonomaſiā uſurpantur. Item apud Textorem, Garrula, ſolicana, noctiuida, improba, fera, prænuncia fati. ¶ Νυκτοφίλη γλαυξ, Aratus.

¶ γλαυξ inter ſaltationum genera nominatur apud Athenæum lib. 14. in qua fortaſsis geſtus & circumactus colli noctuæ aliquis imitabatur. nam & ipſa noctua genere quodā ſaltationis capitur, teſte Plinio. ¶ γλαύκειον ὠὸν, id eſt noctuinum (ut Nic. Perottus & Eraſmus reddunt) ouum, Suidas. ¶ Glaux, γλαυξ, ſtirps quædam, Heſychius: quæ à Dioſcoride deſcribitur. Euſtathius habet γλαξ, quaſi γάλαξ, lactis enim copiam facere dicitur. ¶ Auis quæ glaucium dicitur, γλαυκίον, ab oculorum colore glauco, anati ſimilis eſt, (paulò minor, Athenæus,) Euſtathius. ¶ Eſt & glaucus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 640 sur 825

piscis quidam. & glaucus, γλαυκὸς, adiectiuum coloris nomen. Dionysius Afer beryllum glaucam, ὑγρὰν, id est humidam dixit: quòd corpora glauca nimirum humida esse uideantur propter perspicuitatem, (ut laminæ cornu scilicet:) quin etiam muris epitheton est glaucus, Eustathius. Byssi tinctura ut pulchrior reddatur glauca miscetur crocus, γλαυκὴ κρόκος, secundum Empedoclem, Plutarchus in libro De oraculis defectis. In tragœdijs homines calamitosi, & præcipuè exules, induebantur ἢ λδυκὰ δυσπινῆ, ἢ φαιὰ, ἢ μέλανα, ἢ μέλινα, ἢ γλαύκινα, Pollux. ¶ γλαυκώπης, qui oculos glaucos habet, gen. masc. unde glaucôpis, γλαυκῶπις, fœmininum. sic autem Minerua cognominabatur poetis, quòd ôpas, id est oculos tum colore glaucos, tum insuper terribiles haberet: sic & leones glauci cognominantur, & dracones glaucôpes, Eustathius. Plura reperies apud Gyraldum Syntagmate x i. de dijs. Hinc & glaucopiũ dicta, quæ ei sacra erat arx Athenis, Idem. γλαυκιόων apud Homerum, qui uisu ardente & ueluti igneo intuetur: à uerbo γλαύσσω, à quo etiam γλαυξ, Varinus. γλαυκιᾶν, oculos uertere, & quod in eis glaucum est ostẽdere, (ὑποφαίνειν,) Idem. γλαυκιῶν δὲ βλέμμα, καὶ ὄρασιν ἅμα καὶ ὀργὴν προσβλέπων, Heliodorus lib. 7. ἐγγλαυκῶσαι, ἐμβλέψαι, Hesychius & Varin. γλαυκίζειν, τὸ ἀμβλυώττειν, hallucinari, cæcutire, Idem. Ἐπιλίζειν, oculis conniuere, quod propriè noctuarum est, eò quòd die non cernant, Varinus. Aues quæ noctuam specie & natura referunt, γλαυκίδες Græcè dicuntur, & superiore palpebra conniuent, Vuottonus. ¶ Κίκυμος, λαμπὴρ, ἢ γλαυκὸς, ὁμοίως καὶ κίκυβος, Hesych. & Varinus. Κικυμώσειν, τυφλώσειν, δυσβλέπειν, Idem. Κιτύμανα, (malim Κνύμανα, etsi literarum ordo repugnet,) γλαυκὰ, Hesychius. ¶ Nostri hominem stolidum & improbum plebeio conuicio appellant ein Kutz, id est noctuam. Noctuam in magna Italiæ parte uulgò ciuettam uocant, eodemq; uocabulo hominem nihili & lucifugam. est enim noctua auis omnibus auibus contemptui & ridicula, Lil. Greg. Gyraldus.

¶ Icones. Aegyptij hominem qui ad proprium patronum confugiat, nec eius subleuetur auxilio, monstrare cupientes, passerem & noctuam pingunt. hic enim dum aucupum uenatione petitur, ad noctuam accurrit, à qua mox opprimitur, Orus. Minerua plerunq; cum noctua effingebatur. Vide infra in h. Noctua Mineruæ sacra est: quamobrem in eius honorem (Athenienses) noctuam in numismatis effingebãt, Scholiastes Aristophanis. Et alibi, In nummis tetradrachmis noctuam formabant, & nummos etiam ipsos noctuas nominabant. Vnde Aristophanes in Auibus: γλαῦκες ὑμᾶς ὅπου ὦν λεύσσουσι λαφυσσητικαὶ, ἀλλ' ᾠοικίσουσιν ᾗδ' ᾗ τοῖς βαλλαντίοις ἐννεοττεύσουσι, κἀκλέψουσι μικρὰ κέρματα. hoc est, Noctuæ non uos relinquent Laurioticæ, sed hæ Aedibus aderunt in ipsis, inq; loculis nidulos Sibi parabunt, nummulosq; paruos excudent: Athenienſium scilicet auaritiam notans. Et rursus, Nomisma tum temporis quatuor drachmas appendẽs, noctua dictum est, erat enim eius insigne noctua & facies Mineruæ, cum priores nummi duas tantum appenderent drachmas, & pro insigni bouem haberent. Noctuæ Laurioticæ, statêres erant argentei (ἀργυροστατῆρες.) in Laurio enim (ut Pausanias meminit) metalla erant argentea, Hesychius. appendebat autem etiam stater drachmas quatuor. Diobolis nummis noctuæ signum erat Athenis cum Iouis facie, nam tetrobolum duas habuisse noctuas compertissimum est, Cælius ex Polluce. Apud Suidam & Varinum legimus noctuam in Attico nomismate aureo impressam fuisse. Sunt qui tradunt noctuæ imaginem in nummo triobolo, id est hemidrachmio fuisse, (alij diobolo legunt, sed tres oboli in dimidia drachma sunt,) cum Iouis effigie ab altera parte. Noctuæ Laurioticæ: Hoc uelut ænigmate pecuniarum uim significabant. Laurios enim Atticæ regio est auri uenis frequens, &c. Erasmus. L. G. Gyraldus in Aenigmate: Multæ sub tegulis cubant noctuæ: Athenienses (inquit) numum quem tetradrachmon uocabant, noctua & Mineruæ capite signare solebant, cum antea didrachmos fuisset bouis imagine notatus: qua de re in nono Iul. Pollux. Atque hinc illud frequens apud Græcos emanauit, Bos est in lingua: quod in eum dicitur qui pecunia corruptus uel silet, uel loquitur. A tetradrachmo igitur numo, noctua signato, serui illius ænigma emanauit, qui cum domini furtũ indicaret: Multæ (inquit) sub tegulis cubant noctuæ: hoc est, pecuniæ sub tegulis obtectæ sunt. Historiam scribit Plutarchus in uita Lysandri.

¶ Propria. Eustathius meminit Glauci Anthedonij in dæmonem marinum mutati, & Glauci Potniei ab equis discerpti, & aliorum eiusdẽ nominis: & Glauconis suffocati in dolio mellis. Glaucus Hippolochi filius memoratur Homero Iliad. 8. Fuit & Glaucus quidam Samius uel Libycus, à quo factum est prouerbium Glauci ars. γλαυκέτης, uiri nomen in Pace Aristophanis. De his partim, & alijs eiusdem nominis plura in Onomastico reperies. Glauce nomẽ Nereidis, Eustathius. ¶ Glaucus nomen fluuij Phâsin ingredientis apud Eustathium in Dionysium Afrum. Glaucia, oppidulum Ioniæ, Stephanus.

¶ b. Otus auis similis est noctuæ, sed non nocturna, Athenæus.

¶ c. Aedes emit Aper, sed quas nec noctua uellet Esse suas, adeò nigra uetusq; casa est, Martialis. Cum Archippe meretrix Sophocli iam seni adhæreret, Smicrynes qui illam prius amauerat à quodam interrogatus quid ageret Archippe, respõdit: ὥσπερ αἱ γλαῦκες ἐπὶ τάφου κάθηται. id est, Tanquam noctuæ ad sepulchrum sedet, Athenæus lib. 13. Super hoc extat Emblema Alciati recitatum in Bubone. Cuculus atq; noctua (Hebraicè pro noctua legitur kippod, quod est hericius, ut rectè uertit Hieronymus) pernoctabunt in superliminaribus eius, Sophoniæ 2. ¶ Si homines colant aues, tum uites eorum nullam experientur iniuriam parnopum: ἀλλὰ γλαυκῶν λόγος αὐαὸν καὶ κορυκτίοιων

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 641 sur 825

κερχνίδων ὠνητρίνα, Aristophanes. ¶ Ἐγὼ δ' ὑπὸ τῶν γλαυκῶν γε πάλαι ἀπόλλυμαι ταῖς ἀγρυπνίαισι κακκαβίζουσῶν ἀεί, Idem in Lysistrata.

¶ d. Noctuæ uiuas uolucres etiam eiusdem generis inuadunt atq; interimunt, Plutarchus in uita Romuli.

¶ e. Cõtra formicas, si in horto habent foramẽ, cor noctuæ admoueamus: si foris ueniũt, omne horti spacium cinere aut cretæ candore signemus, Palladius. ¶ Si cor noctuæ magnum ponatur supra sinistram mamillam mulieris dormientis, confitebitur quæ fecerit bona uel mala, Rasis.

¶ h. Τὴν γλαῦκα τωθάζουσι τὴν δὲ, ἀντὶ ταύτης, Suidas ex innominato. ¶ Αἰθ' ὄφελόν θανεῖν ἢ τανύεσθαι ὀρχήσασθαι, ἐπεὶ δὴ τὴν γλαῦκα ὅταν λάβωσι τὰ παιδία πράγουσιν, ἡ δὲ μὴ βλέπουσα δι' ἡμέρας ὥσπερ ὀρχεῖται: ὅταν πληγῇ τελευτῶσα τρέφεται ὥσπερ ὀρχουμένη. Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ λέγει περὶ αὐτῆς, Suidas in Αἴθε.

¶ Leucippe, Aristippe & Alcithoë, sorores dictæ Minyades. mutatæ finguntur, una in cornicem, altera in uespertilionem, tertia in noctuam, Aelianus lib. 3. Variorũ. Vide in Vespertilione h. ¶ Nyctimene postquam cum patre (Nycteo) concubuit, & agnouit facinus, in syluis se abdidit, & lucem refugit, ubi deorum uoluntate cõuersa est in auem quæ tanto scelere omnibus auibus est admirationi, Seruius. Metamorphosin istam describit Ouidius libro 2. Metamor. Vide Nycteus in Onomastico.

¶ Noctua sacra est Mineruæ, quamobrem abundat in Attica, & in honorem deæ noctuam in numis repræsentant, Scholiastes Aristophanis. De numis noctuæ imagine insignibus, leges supra inter Icones. Minerua Græcè Ἀθήνη dicta uidetur ἀπὸ τοῦ ἀθρεῖν, hoc est, à uidendo, ceu quæ præuideat quæ ueluti in tenebris quęq; futura sunt, sic & γλαυκῶπις nomen deriuatur à γλαύσσω, quod est θεωρῶ, uideo, significans id quod subalbum & facile uisu est. Quod si γλαύσσειν & ἀθρεῖν uerba eiusdem significationis sunt, ea etiam quæ ab eis deriuantur nomina cognationem inter se aliquã habebunt. Itaq; uisus glaucus Mineruæ tanquam uisu pollenti conuenit: & ipsa glaux, id est noctua auis ei sacra habetur, non modo quòd noctu uideat, quemadmodum prudentia in rebus obscuris rectè præuidet & consulit: uerum etiam propter similitudinem deriuationis, ut diximus: cum duo illa uerba γλαύσσω & ἀθρῶ, à quibus nomina γλαυξ & Ἀθήνη deriuantur, synonyma sint: quod & in alijs nonnullis auibus, quæ alijs dijs consecrantur, obseruatum animaduertimus, &c. Eustathius. Palladis ales pro noctua, Ouid. 2. Fastorum. Mineruæ sententiam hominibus crex & noctua denunciant, Porphyrius lib. 3. de abstinendo ab anim. Solebant prisci aues unicuiq; deo sacras in capite eius simulachri collocare. Mineruæ uerò Archegetidis simulachrum noctuam manu tenebat, Scholiastes Aristophanis. Minerua plerunq; cum noctua effingebatur, nunc ad pedes, nunc in capite: sed & cum dracone. Quare cum in exilium iret Demosthenes, dixisse fertur, Mineruam tribus immanibus oblectari feris, noctua, dracone, populo, Lilius Gr. Gyraldus. Minerua habuit in sua ægide pictam ad pectus suum noctuam & gorgonem: hanc, ut metuendam prudentię uim: illam, ut consiliorum profunditatem ostenderet. Nihil enim tam abditum, tam obscurum, quod prudentia non percipiat: quemadmodum noctuæ oculi obscurissima nocte uisu non destituuntur, Io. Tzetzes. Videbatur mihi Minerua ex urbe uenire, & noctua ei insidere, Aristophanes Equitibus. ¶ Noctua auis inuisa fuit Bacchо, utpote cui uitem denegârit, solamq; à suis racemis abegerit, quòd mortalibus uinum crimínata sit. Quin & illud proditum est, si infantes noctuæ oua assumpserint, perpetuò uinum odisse, Gyraldus. ¶ Si animantium cruore afficiuntur superi, cur non mactatis illis accipitres, noctuas? Arnobius 7. contra gentes.

¶ Auspicia: Oscines aues Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, ut cornix, noctua, Festus. Oscinum tripudium est quod oris cantu significat quid portendi, cum cecinit cornix, noctua, &c. Idem. Noctua non semper infortunia facit: nanq; uolans insignem de hoste uictoriam quandoq; apportauit, Alexander ab Alexandro. Noctua uolat, γλαυξ ἵπταται siue ἵπταται: prouerbium (apud Zenodotum & Suidam) quod rebus feliciter atq; ex animi sententia succedentibus dici consueuit. Priscis Athenienſibus noctuæ uolatus uictoriæ symbolum existimabatur: propterea quòd auis hæc Mineruæ sacra crederetur, quæ quidem dicta est etiam malè consulta Athenienſium bene fortunare. Non illepide dicetur uolasse noctua, quoties res non uiribus, sed pecuniarum interuentu confecta creditur, quòd Athenienſium nomisma noctuam haberet insculptam. unde & illud, Laureoticæ noctuæ. Plutarchus in uita Periclis tradit illi è superiore nauis tabulato concionanti, noctuam ad dextram aduolasse, ac malo insedisse: quod omen effecit ut omnes irent in illius sententiam, Erasmus. γλαυξ ἔπταται, Noctua uolauit. Ante pugnam in Salamine noctuam præteruolantem aiunt uictoriæ omen fecisse, Hesych. Aiunt reuera noctuam uictorię nunciam per exercitum Athenienſium uolasse, cum bellum eis contra barbaros esset, Aristophanis Scholiastes. Ἂν γλαυξ ἀναπτᾶται, δεδοίκαμεν, Menander. hoc est, Si noctua clamauerit, timemus. Accedenti ad seriam actionem homini occurrentem noctuam inauspicatã significationem dare aiunt. Cui quidẽ rei testimonio fuit Pyrrhus Epirotarũ rex: cum enim in illius Argos proficiscentis hasta quam erectam ferebat, hæc auis sedisset, ei malum auspicium dedit. nam Argos ingressus, ualde ingloria atq; ignobili morte occubuit. Quare mihi Homerus (lib. 10. Iliad.) præclarè intellexisse uidetur, auem hanc mali auspicij esse, cum Diomedi ad castra Troianorum exploranda proficiscenti, Mineruam facit auspicato mittentem erodium, non noctuam, Aelianus. Diuitibus supremus ho-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 642 sur 825

nos, prænuncia fati Noctua præcedit, Archítrenius. Nocte (ut uulgus opinatur) mortes hominum prænunciare uidetur uocibus importunis, Author de nat. rerũ. Noctuas in Creta non nasci, & inuectas etiam mori aiunt. quamobrem Euripides inconsideratè fingere uidetur Polyidum (in hac insula glauce, id est noctua conspecta) coniecturam & auspicium sibi concipere de inueniendo etiam Glauco defuncto Minois filio, Aelianus.

¶ PROVERBIA. Aquilam noctuæ comparas. uide in Aquila h. ¶ Noctuas Athenas, γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, (Erasmus non rectè, Vlulas Athenas,) subaudiendum portas aut mittis. Cõueniet in stultos negociatores, qui merces eò comportant, ubi per se magis abundant: ut si quis in Aegyptum frumentum, in Cilicíam crocum inuectet. Venustius fiet, si metaphora ad res animi transferatur: ut si quis doceat doctiorem, carmina mittat poetæ, consílium det homini consultissimo. Cicero ad Torquatum, Sed rursus γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, qui hæc ad te. Idem ad fratrem, Et tibi uersus quos rogas, hoc est Athenas noctuam mittam. Aristophanes in Auibus, Τίφης, τίς γλαῦκ' Ἀθήναζ' ἤγαγε; id est, Quid ais? quis, oro, uehit Athenas noctuam? Vsurpat idem atq; exponit Lucianus in epistola ad Nigrinum. Porrò paroemia inde fluxit, quòd noctua in Attica plurima est, ei regioni quasi peculiaris. Demon quidem apud Aristophanis interpretem existimat, non ob id solum dici, Noctuas Athenas, quòd Athenis noctuarum sit copia, sed quòd in nummis etiam tum aureis tum argenteis Athenienssium noctua inscalpi soleat una cum facie Mineruæ, (sed probabilius uidetur ab auibus tantum illic abundantibus ortum esse adagium,) Erasmus. Conuenit hoc prouerbium in eos qui potentioribus & nullarum rerum indigis aliquid mittunt, Io. Textor. Hesychius exponit, de illis qui aliquid frustra faciant, &c. Varinus ὡδὶ ἐπὶ τῶν συμβαλλόντων ἐνθα μὴ χρεία συμβολῆς: ἢ ὡδὶ ἐπὶ τῶν θαμιζόντων, ἐνθα πολὺ ποιεῖ τὸν πλῆθος. Οἱ δὲ παλαιοί φασι καὶ ὅτι τὰ γλαῦκας Ἀθήναζε, ἀρμόσῃ ὡδὶ ἐπὶ τῶν ἄλλοθεν μάτην τὰ πλεονάζοντα ἐς ταυτόν τινα ἐμπορευομένων: ὃ καὶ ἔστιν ὅμοιον ᾧ ῥῆξον (Varinus perperam habet ῥυῤῥόν) εἰς Κύπωρον ἤγαγες, ἢ ἰχθὺν εἰς Ἑλλήσποντον, Varinus ex Eustathio: apud quem etiam sic effertur, γλαῦξ εἰς Ἀθήνας: ut apud Aristophanis Scholiasten, Τίς εἰς Ἀθήνας γλαῦκ' ἐνήνοχεν; ¶ γλαῦξ ἐν πόλει, Noctua in ciuitate, παροιμία παρὰ τοῖς ἀληθέσιν. ἀνέκειτο γὰρ ἐν τῷ ἀκροπόλει, Hesychius. mihi quidẽ sensus obscurus est. ¶ Noctua aliud sonat, aliud cornix, in dissidentes & quibus malè inter se conuenit. uide in Cornice D. ¶ Noctua inter cornices, hodie uulgò dicitur, ubi stupidior aliquis in homines petulantes ac dícaces incidit: simile illi apud Græcos, Asinus inter simias, Erasmus. Germanicè effertur, Es ist eine eule vnder einem hauffen krähen. Vocabulum autem eule ululæ potius quàm noctuæ conuenit. ¶ Noctuinum ouum, γλαύκειον ᾠόν, refertur à Nicolao Perotto in Copiæ cornu prouerbij loco, nec explicatur tamen. Fortassis antiquitus abstemium & à uino abhorrentem hoc adagio significabant. Philostratus enim oua noctuæ infantibus data uini odiũ in eis excitare scribit. Sunt qui negent noctuinum ouum inueniri. Prouerbium itaq; quadrabit uel in hominem nihili, nullius frugis, iuxta fabulamentum Aeliani, (sed ex Aeliano quædam hoc in loco transferens Erasmus, nycteridem imperitè noctuam uertit:) uel in rem raram inuentu iuxta horum sententiam, Erasmus. ¶ Noctua uolat: uide supra inter Auspicia. ¶ Noctuæ Laureoticæ, prouerbium iam inter icones explicatum est: & illud, Multæ noctuæ sub tegulis latitant, ibidem. ¶ Noctuæ quid commune cum Minerua: uidetur prouerbialiter dici posse, sicut & illud Mineruæ felem comparas. nihil enim his animalibus cum Minerua commune præter cæsios oculos.

¶ Emblema Alciati, Senex puellam amans inscriptum:

Noctua ut in tumulis, super utq; cadauera bubo, Talis apud Sophoclem nostra puella (Archippe) sedet. Integrum in Bubone scripsimus. uide etiam supra in H. c.

¶ Eiusdem aliud sub lemmate, Prudens magis quàm loquax:

Noctua Cecropijs insignia præstat Athenis, Inter aues sani noctua consilij.
Armiferæ merito obsequijs sacrata Mineruæ est, Garrula quo cornix cesserat ante loco.

¶ CHARADRIVS uidetur species noctuæ, Niphus. sed noctuæ nomen nimium extendere uidetur. non enim omnem nocturnam auem rectè noctuam appellabimus.

¶ ASIO noctuarum genus est maximum, quibus pluma aurium modo emicat, Plin. Græci quandoq; scôpas uocant, aliquando nycticoracas, id est ululas: & quandoq; otos quasi auritas, Hermolaus. Vide supra in Elemento A.

¶ Apud Nigritas reperiunt uespertiliones & noctuę magnitudinis triũ palmorũ, Cadamustus.

DE NYCTICORACE.

NYCTICORAX genus auis solitariæ, Varinus. Νυκτὶ πετόμενον, ὁ νυκτικόραξ, Idem & Hesychius. Obscurus quidam ineptè nocticoracem scribit, & bubonem interpretatur. Eucherius, Isidorus, & Ambrosius noctuam & nycticoracem pro una aue accipiunt. uide in Noctua A. Nycticoracem multi bubonem esse contendunt. sunt etiam qui asserunt esse orientalem auem, quæ nocturnus coruus appelletur, Eucherius. Aduduc est nycticorax, & secundum alios est auis quæ dicitur bubo, Vetus glossographus Auicennæ. uide in Bubone A. γλαῦκες, id est noctuæ & nycticoraces, nominantur ab Aristotele de hist. anim. 9. 34. ubi Albertus, Auis autem quæ hein uocatur, & ea quæ glaux, sunt genera bubonum, & aliæ quædam genera sunt noctuarum.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 643 sur 825



ctuarum. Et alibi (in librum 8. cap. 3. hist. anim.) coruum nocturnum Græcè ait kanen uocari, quæ uox forte Arabica aut Persica est, & ab Auicenna usurpata, nihil minus enim quàm Græca est. Nycticorax dicitur etiam cicuma. Sunt qui otum dicant nycticoraca, Hieronymus noctuam, Cælius. Theodorus apud Aristotelē in oti auis descriptione pro nycticorace uertit ululam, quod non probo, alibi uerò egolión ululam interpretatur, nycticoracem cicumam. Festo cicuma est auis noctua, nisi fortè legendum est nocturna. Græci etiam noctuam cicymida nominant, per onomatopœiam ut uidetur. Vide in Cymindide inter accipitres. Chaldæus Psalmo 102. pro Hebraico nomine kos, uertit kiphupha, קיפופא, (noctuam quidam interpretantur:) quod ad cicumam Latinum accedit: & ad cucupha Aegyptiacum, quod est upupa: nam & kos upupam aliqui reddunt. Asiones noctuarum genus maximum Græci scôpas uocant, aliquando nycticóracas, id est ululas: & quandoq; otos quasi auritas, quoniam plumeas eminentes habent aures, ut inquit Plinius, Hermolaus. Scoppa nycticoracem Italicè barbaiane interpretatur: quæ uox ululatū generis auem significat, ein Schleiereül. Audio & nitoran esse Italicum nomen auis nocturnæ, peregrinæ, & similis ciæ ab Italis dictæ, uidetur sanè nitoran nomen à Græco nycticorax factum. Georgius Agricola Germanicè Nachtrabe, id est coruum nocturnum: cuius iconem hîc posuimus. Στρίγλ auis quæ & νυκτόξ dicitur: alij nycticoracem reddunt, Hesych. Strix quidem etiam Latinis auis nocturna est. γλαὺξ, νυκτόξ est, auis nocturna, Idem. Sunt qui nycticoracem uelint esse uespertilionem, Niphus. ¶ Ego noctuam, bubonem, ululam, & uespertilionem, quatuor diuersa auium genera esse sentio: & quintum ab eis diuersum nycticoracem. ¶ Hebraica nomina kos & tachmas aliqui nycticoracem transferunt: de priore uide in Bubone A. de altera in Noctua. Schalak, Deuteron. 14. in translatione Græca & communi Latina nycticorax uertitur: uide in Mergo in genere. Septuaginta Regum 1. 26. kore uocem Hebraicam faciunt nycticoracem, alibi perdicem, uide in Perdice A.

B.

Cicuma auis est nocturna, unguibus aduncis, carniuora, Aristot. Ad imum intestinum appendices paucas habet, Idem. uulgati quidem codices Latini corruptè ciconiam habent pro cicuma. Nycticorax hoc est coruus nocturnus niger est, ut alterius generis coruus, sed eo plerunq; minor, Ge. Agricola. Nigræ uarietatis est, minor quàm noctua, Albertus. Magnitudine turturis Al-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 644 sur 825

berto, colore niger, Niphus. Caput habet ingens, nec ut aues cæteræ formatũ, rostrum aduncum ut nisus, ungues hamatos & asperos, Author de nat. rerum, à noctua hanc auem non distinguens.

C.

Nyctícorax est auis loca deserta amans & ruinosa, & fugiens habitata, Suidas & Varinus. In domicilijs & parietibus, præcipuè rimosis quæ sine tecto sunt, libenter habitat, & pullos suos fouet. humanis uocibus delectatur, mures & omne genus eorum persequitur, Author de nat. rerũ, hanc auem cum noctua confundens. Auis est uigil, teter coruus noctis, habitans in ruinis, ubi parietes stant sine fundamento: unde scriptum est, Factus sum sicut nyctícorax in domicilio, Author glossæ in Psalterium. Noctuæ & nyctícoraces, (apud Athenæũ mutila est lectio, córaces) & reliqua quæ interdiu nequeunt cernere, noctu uenando cibum sibi acquirunt. Verum nõ tota nocte id faciunt, sed uespertino & matutino. Venãtur aũt mures, lacertos, uertícillos & eiusmodi bestiolas, Aristot. ¶ Nyctícoracis uox est eho, (aliâs choho,) & quum uocat (uolat, legit Niphus) reuoluit se conuertendo in aere, consuetudo ei & uenatio eadem quæ noctuæ, & est similiter lucifuga. Pedes ei debiles sunt, ut omnibus ferè nocturnis auibus, uolatus autem uelocissimus. Rarò uidetur, & plerunq; circa ædificia diruta ac templa apparet, augurijs infausta auis, bis uisa nobis, Albertus. Niphus sibi nunquam uisam ait. Nyctícorax mortem significat. quemadmodum enim hic derepente pullos noctu, sic & mors homines nec opinatò inuadit atq; opprimit, Orus.

E.

Otus auis laudata & saltans capitur, uelut nyctícorax, Aelius Dionysius apud Eustathium.

G.

Albugines oculorum tinges illito nyctícoracis ouo, Archigenes apud Galenum de compos. sec. locos. & Galenus Euporiston 1. 43.

¶ h. Extat facetum Lucillij distichon in citharœdum infœlicem huiusmodi: Νυκτικόραξ ἄιδει θανατηφόρον. ἀλλ' ὅταν ἄσῃ Δημόφιλος, θνήσκει καὶ νυκτικόραξ.

¶ TVRNERVS in literis ad me missis caprimulgum auem se uidisse scribit prope Bonnam, (Germaniæ ciuitatem ad ripam Rheni, supra Coloniam,) ubi à uulgò appelletur Nachtrauen, id est coruus nocturnus. Nos in præcedente pagina effigiem adiecimus auis quæ circa Argentoratum, ut audio Nachtram, alibi Nachtrab nominatur. quæ tamen neq; caprimulgus, neq; nyctícorax mihi uidetur, cum iuxta aquas & inter arundines eam uersari audiam, ubi nocte clamet uoce absona & tanquam uomiturientis. Nidificat in altis arboribus, ouа terna aut quaterna parit, piscibus uescitur.

DE AVIBVS, QVARVM NOMINA O. LITERA INITIALI SCRIBVNTVR.

OCEN aliqui legunt apud Plinium, ubi ita scribunt: Qui negant uolucrem ullam sine pedibus esse, confirmant & apodas habere, & ocen (Hermolaus non ocen sed nycterin legit) & drepanin in eis quæ rarissimè apparent. Sed cum locus translatus sit ex Aristotelis historia animalium 1. 1. ubi oce prorsus (ut nec usquam alibi apud ullos authores) nõ nominatur, sed nycteris tantum, nos cum Hermolao omnino nycterin, id est uespertilionem, legemus: aut potius nycterida uel nycteridem.

DE OENANTHE.

DE Oenanthe aue, quæ Aristoteli statos latebræ dies habet, exoriente Sirio occultata, ab occasu eiusdem prodiens, Gaza uitifloram uertit: scripsimus nonnihil supra in Capite de Columbis feris, è quarum numero est auis etiam quæ œnàs appellatur. Nulla auis in Creta magis abundat, quàm cui Gallicum nomen est piuoine, quæ per humilia fruteta uolat. Ea quoniam parua auis est, capite, cauda & parte corporis nigra, multis uulgò asprocolos nominatur, quasi albicilla à podice albo, contraria significatione, (nam alia quædam auis propriè albicilla (cul blanc, Gallicè) uocatur, œnanthe Græcorum, Latinè uitifloram dixeris.) Sunt qui piuoinam nostram congruentius melanocephalon, hoc est atricapillã nominent, ut ueteres Græci melãcoryphon. est autem auis eadem sycalis, Gallis papafiga uel becafiga, Latinis ficedula, Bellonius in Singularibus obseruationibus. ¶ Italis circa Ferrariam auis quædã chullo (culo) bianco appellatur uulgò, quę uermibus, muscis et alijs insectis uescitur, ut audio: & degit in agris proscisis.



¶ Circa Argentinam auiculã quandam ficedulæ magnitudine, ut pictura ostendit, uulgò Bürstner appellant, quam uuis pinguescere audio. color ei fuscus,

fuſcus, pars ſupina alba, maculis aliquot aſperſa cinereis, partem etiam ſub cauda albere puto, longiores alarum pennæ nigricant. roſtrum longiuſculum modicè inflectitur. Sed cum de occultatione eius nihil cognorim, œnanthen eſſe non aſſero. Speciem eius in præcedente pagina adiecimus.

DE ONOCROTALO.

Icon hæc onocrotali eſt, capti in Heluetia in lacu prope Tugium, quem ipſi inſpeximus.



Onocrotali caput, à pictore quodam olim nobis communicatum.



Onocrotali figura ex tabula Septentrionali Olai Magni.



A.

HANC auem à Latinis truonem appellari Verrius Flaccus ſcripſit: unde Cæcilius Comicus (ut citat Feſtus) irridens quendam ob naſi magnitudinem dixerit: Proh dij immortales, unde hic prorepſit truo? Kaath Hebraicam uocē, קאת, interpretantur alij cuculum, alij onocrotalum, pelecanum, mergulum, upupam; ut diximus ſupra in hiſtoria Mergi in

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 646 sur 825

genere. Esaiæ 34. numeratur inter aues solitudinis, ubi onocrotalum Hieronymus uertit, Septuaginta simpliciter ὄρνεα, id est aues. Leuitici XI. Septuaginta primum, deinceps reliqui interpretes Græci & Latini, onocrotalum transtulerunt: & Deuteron. XIIII. Dum pisces uenatur ingluuie repleta aqua per oris spiramenta illam reuomit, atq; ita præda uescitur. ab hoc aquæ uomitu kaath Hebræis dicta existimari potest. nam uerbum kaah uomere significat. In medio Assur cuculus (kaath, Hieronymus onocrotalum uertit,) atq; noctua (kippod, id est hericius) pernoctabunt, Sophoniæ 2. Similis factus sum pelicano (kaath) deserti, Psalmo 102. Kaath in Thalmud (teste R. Dauid Kimhi) auis esse dicitur solitaria, in locis maritimis degens, quæ alio nomine kik, קיק, appelleturIudæi uulgò kra, id est cornicem interpretantur, Paulus Fagius. Sunt qui chasida etiam Hebraicum auis nomen onocrotalum uertant. uide in Ciconia. ¶ Græcè onocrotalus, ὀνοκρόταλος, appellatur propter absonam uocem, qua rudentem asinum refert: quod nomẽ etiam hodie Græcia seruat. Italicè grotto, & agrotto secundum Matthæolũ Senensem, uel grotto molinaro, uel grotto marino: aliqui ocello d' el ducha, id est auem ducis. Albertus aliquoties hanc auẽ uulgò uolinare dici scribit, nec addit qua lingua. ego nomen Italicæ linguæ molinaro corruptum puto. sic quidem Itali hodie molitorem uocant, cui quid cum hac aue conueniat nescio. Nomen grotto ab onocrotalo corruptum uidetur. ¶ Hispanicè cróto. ¶ Gallicè uel Sabaudicè potius circa Lausannam gouttreuse, quasi gutturosa, ab ingluuie quæ strumæ instar propendet. ¶ Germanicè Schneegans, ut Ge. Agricolę placet: nos anseri fero hoc nomẽ tribuimus. Aliqui, ut audio, Meergans, id est anserem marinum appellant. ferè enim peregrina à mediterraneis marina uocantur. & quanquam in dulcibus etiã aquis reperiatur onocrotalus, magis tamen frequentat marinas. Machliniæ in Germania inferiore, ubi publicè iam supra quinquaginta annos onocrotalus alitur, ficto nomine uulgò nominatur Vogelheine. In Austria, ut audio, ein Ontogel, quasi dicas auem absurdam & à communi auium natura multum diuersam, ut hominem absurdum uocamus ein Vnmensch. Possent etiam fingi nomina, Eselschryer, à uoce asinina: Kropffuogel, ab ingluuie prominente. ¶ Turcicè sackaguisch.

¶ Bellonius onocrotali nomine se intelligere scribit nõ boues tauros, id est ardeas stellares: neque aues Gallicè dictas pales, (plateas interpretor:) sed quas Aristoteles pelecanos nominet. Gaza quidem ubicunq; Aristoteles pelecânas nominat, Plinium imitatus, plateas uertit. Ego quoq; plateas à pelecanis non distinxerim. onocrotalum uerò genus diuersum iudico, licet recentiores quidam confundant, & ex antiquioribus etiam Oppianus. Vide infra quoq; in Pelecano A. Amicus quidam iam senex mihi narrauit, adolescentem se Romæ uidisse onocrotalum à nostro diuersum, rostro anterius lato cochleariꝰ æmulo, sed cauo instar conchæ alicuius, dependente ab eo utre non nudo, sed plumis tecto: multò minorem cygno, paulò maiorem ansere, colore albo & nigro uel fusco distinctum. Quòd si is rectè meminit, hæc onocrotali species propter rostri formam pelecano uel plateæ congener fuerit.

¶ Onocrotalos uocant aues rostro longo, quorum duo sunt genera, Isidorus. Albertus genus unum aquaticum, alterum syluestre facit. ¶ Osina est auis alba, cygno maior uel æqualis, quam nostri quidam uolinarum uocant, Albertus. Matthæolus Senensis non osina, sed ossifraga apud Albertum legit, describens hanc auem in suis in Dioscoridem commentarijs, onocrotalum interim esse nescius. Sed author etiam de nat. rerum osyna habet, adiuncta descriptione quæ omnino onocrotali est.

¶ In prouincia Manzi uel India superiore, præcipua ciuitas est Censcalan. in hac anseres haben tur pulchri, duplo maiores nostris, toti albi, cum osse supra caput unius breui (sic habet codex manuscriptus) quantitate, colore sanguineo. Sub gula pellis per semissem pendet, pinguissimi sunt, Odoricus de foro Iulij. Apparet sanè hanc auem uel onocrotalum ipsum esse, uel alterum eius genus. Sed & Celam auem Aeliano memoratam, cui nomen à cela, id est struma uel utre à gutture prominente, onocrotalum Indicum dixerim. Lege supra in Elemento C. Magnales quoq; Orientis, ut scribit Albertus, maximæ, pedibus magnis (aliâs nigris) & rostro, hominibus innoxiæ, piscibus in fluminibus & stagnis insidiantes: nisi onocrotali fuerint, ut sanè uidentur, quò referã nescio. ¶ Onocrotalum eandem auem cum botauro, quæ ardea stellaris est, arbitrãtium, crassior est error, quàm qui pluribus refelli debeat. nihil enim his auibus præter soni absurditatem, quo hæc mugit, illa rudit, commune.

B.

Onocrotalos Gallia septentrionalis proxima Oceano mittit, Plinius. Circa Lausannã Sabaudiæ, (in lacu Lemano nimirum,) semel tantum anno apparere audio, & peregrinum esse. Martialis Rauennatem onocrotalum cognominat, à ciuitate Italiæ circa quam conspicitur, (in paludibus scilicet,) quanquam Bellonius Galliæ & Italiæ incognitum esse scribit, nisi quòd interdum in lacu Mantuæ uideatur. Reperitur & in Benaco lacu interdum. Sed Matthæolus Senensis, In Hetruriæ maritimis (inquit) uulgaris est omnibus, præsertim his qui circa Argentarium promontorium habitant. nam circa Herculis portum & Vrbecelli stagnum, frequens reperitur, incolæ agrotto nominant. In Heluetia rarissimus est. ego semel tantum captum memini circa finem Februarij, in lacu prope Tugium, omnibus ignotum & facie & nomine. Circa Strymonem fluuium abundat,

Bellonius.

Bellonius. Circa Gazaram Aegypti ciuitatem uidimus greges onocrotalorum uersus mare uolantes, Idem. In flumine Physon inuenimus aues albas, magnis rostris, ut sunt aues Pattauiæ insulæ Danubij, quæ rostra in usu sunt ad aquam è nauibus proijciendã, Innominatus qui Italicè scripsit de Terra sancta. Circa Fortem insulam in Nouo orbe conspectus est onocrotalus ingens, Petrus Martyr. Author de nat. rerum auem esse scribit quæ loca ad Orientem incolat. In Holela lacu Finlandiæ, quæ pars est Scandinauiæ regionis uel insulæ ad Septentrionẽ remotissimæ, (item in lacu albo Biarmiæ regionis in eodem tractu) auis reperitur (inquit Olaus Magnus) magnitudine anseris, saccum sub rostro habens, in quo partem cibi recondit, & magnum clamorem ædit, instar botauri auis. Nos figuram ex tabula Olai depictam supra posuimus, adscribitur autem in tabula illius uox Surpesi, quasi nomen illarum auium eo in loco.

¶ Plinius onocrotalum oloris similitudinem habere scribit: nec distare (inquit) æstimaretur omnino, nisi faucibus inesset alterius uteri genus: nõ solum colore speciecꝫ corporis similem, sed etiam magnitudine parem innuens. Recentiorum aliqui cygno æqualem, uel etiam maiorem esse scripserunt: Ant. Nebrissensis duplo maiorem: Petrus Martyr uulture maiorẽ. Olaus Magnus anseri comparat. ¶ Auis quędam alba est cygno maior, cuius extensio alarum excedit quantitatem extensionis brachiorum hominis in utracꝫ parte, Albertus. ¶ Duos onocrotalos mihi uidere contigit: alterum cominus in foro Bononiensi, (croton uocabãt) ad uulgi spectaculum publicè expositum: alterum eminus ad Anæ fluminis ripam, ad cuius uolantis monstrosam magnitudinem uisendam, multi mortales concurrerunt. æquiparabat sanè mole sua agnum anniculũ, Ant. Nebrissensis. ¶ Onocrotali nihil ab oloribus distare existimarentur, nisi faucibus ipsis inesset alterius uteri genus, miræ capacitatis, Plin. Cygnis aliquo modo persimilis est. Plinius quidem quid per uterum hîc intelligat satis liquet, nec tamen per (hoc) nomen (propriè) significatur quod ipse uult, hoc est ingluuies, quæ à Græcis πρόλοβος dicitur. hæc in onocrotalo mirum in modum est ampla, quippe quę amphoræ mensuram aut non multò minus capiat: de qua Martialis lib. 11. Turpe Rauennatis guttur onocrotali. nam turpe guttur, pro magna ingluuie posuit, Ant. Nebrissensis. Vteri qui huius auis faucibus hæret, tanta est capacitas, ut ipsi uiderimus ingentis staturæ hominem ocreatum pedem usqꝫ ad genu in fauces immittentem, eximentemcꝫ sine læsione, Perottus. Vidi & ego qui bombarda occisæ huius auis siue gulam siue ingluuiem appelles, capiti suo instar euculli imponeret, reliquo corpore à tergo pendente. Rostrum hæc auis magnũ habet, prælongum, & ualidum: & à gutture usqꝫ ad pectus instar sacculi (magni sacci, ante guttur & pectus, ex rostri inferiori parte ante pectus pendens) receptaculum longum & amplum, rubicundum, foras prominens, radici linguæ eius annexum. In hoc cibus receptus primum emollitur: & inde ad stomachum digerendus transmittitur. alia cibi receptacula non habet, & ideo aquis uiuere dicitur, Albertus & partim Author de nat. rerum. Quidam in onocrotalo uiuo ingluuiem illam latere mihi retulit, præterquam cum cibum cepit aut capere parat: ego mortuum tantum uidi. Rursum alius in Italia onocrotali hanc partem albam, non rubicundam uidisse se narrauit: & fit nimirum ut per ætatem mutetur. ¶ Albertus onocrotali genera duo faciens aquaticum & syluestre, utrunꝫ solum inter aues splene carere scribit. ¶ In Rhodo uidimus onocrotalum cicurem, per ciuitatem circumeuntem: paulò minorem cygno, multò maiorem anſere, undiquaꝫ album: cruribus cygno simílem, ut etiam pedibus, sed colore cinereo, dura pelle intectis. Rostrum ei largum & instar canalis est, acutum & recuruum in fine. plumas à uertice retro tendit, ut uanellus suam cristam, Bellonius.

¶ Onocrotalus Machliniensis, quæ Vogelhain à Brabantis uocatur, quinquaginta annis, ut ipsi ferunt, Machliniæ uixit, cygno maior est. penne foris albicant, in fundo uerò rubrum quiddam ostendunt. collum duas spithamas longum est, aut paulò longius. rostrum, quod rubrum habet, dodrantali longitudine est & quatuor uncias longius, & in fine hami propemodum more incuruum, & uersus finem latius latiusꝫ proturbinatur. crura anserinis similia, breuia, nimirum pro magnitudine tanti corporis: in pectore magnum habet ueluti sacculum protuberantem. Alis est longissimis, & ipsis in summa extremitate nigris, Guil. Turnerus in epistola ad me. De eadem aue Io. Culmannus Goppingensis, uir eruditus & mihi amicissimus, in hęc uerba ad me scripsit, icone etiã missa: Auis quam Mechliniæ mihi conspectã Vogelhain appellant, cygno uel anseri simillima est, sed magnitudine superat, colore albo omnino, præter pẽnas quas in alis subtus gerit, nisi quòd præsenectute iam rubescere paulatim incipit. rostrum habet oblongum & latum aliquatenus. sub rostro strumam amplam quæ interdum inflatur. De ea dicunt huius regionis homines fide digni, octogenariam esse, & Cæsaris Maximiliani castra aliquot annis præcessisse, & quasi castris locum signauisse. idem etiam temporibus Philippi huius imperatoris parentis factum autumant. Postea in aula reginæ aliquandiu dum per ætatem uolare potuit, semper ex præparatu aulicorum profectionem adornari cognouisse dicitur. Itaqꝫ quandiu per ætatem licuit, reginam quasi auis cicurata sequuta esse fertur. nunc quod ego uidi impensis regijs à quadam uetula illic alitur, quatuor nummis quos stipheros uocant in singulos dies ei decretis. pascitur nunc piscibus, & cibis liquidioribus ut pane ex iure, &c. Et rursus, Hæc auis ab anu quã dixi, eiusꝫ patre, annis quinquaginta sex nutrita est. De ætate ipsius & unde aduenerit non cõstat. Alarum extensarum spatium quatuor ulnas Brabanticas æquat, hoc est quincꝫ Helueticas ferè. Ante uiginti annos tam sublimi in aerem uolatu quan-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 648 sur 825

doque euehebatur, ut hirundine nihilo maior appareret. Ab eo tempore non nisi rarò ex ædibus ubi asseruatur in aulam Cæsaris, quæ ferè contigua est, uolauit. Iam rostrum & pedes colore cœruleo & quasi subflauo uidentur, cum olim ruberent, propter senectutem. Piscibus tantum uiuis alitur, parcius nunc quàm olim, Hæc ille.

¶ Cæterum onocrotalus quem ipse captum uidi circa finẽ Februarij, in lacu ad Tugium, duobus Tiguro miliaribus nostris distãte, cuius integri iconẽ dedimus, talis erat. Rostrum ad oculos usq; duos dodrãtes longum, circiter tres digitos latum. Rostro diuaricato ab una extremitate ad alteram duo pedes spatij intererant. Margines rostri utrinq; admodum acuti. Longitudo ab initio rostri ad pedes ultimos extensæ auis, hominis proceritatem æquabat. Latitudo inter extrema alarum circiter decem pedes. Color crurum & pedum fuscus ut in cygnis. Totus erat albus, præter maiores alarum pennas fuscas. Pondus totius auis libræ duodecim unciarum, uigintiquatuor. Magnitudo & latitudo supra cygnum. Ingluuies rubicunda ad croceum inclinans, dodrantis longitudine à posteriore rostri parte rectà deorsum: tam ampla ut brachium cum pugno facillimè procul inseretur. Lingua nulla. Arteria aspera in ingluuiẽ ad sex digitos pertingebat. Ingluuies ipsa toti rostro adhæret, angustior ad extremum rostrũ, & paulatim profundior ad trianguli ferè figuram. Plumis munitur densissimis, ut omnes ferè aquaticæ aues. Lien exiguus & subrotundus erat, quanquam huic auilienem Albertus neget. iecur magnum, ut etiam cor. uentriculus angustus & oblongus, in quo succus quidam uiridis continebatur & uermiculi quidam. Vesicam quoq; nescio qua corporis parte (alius enim qui exenteraverat uiscera ad nos misit, puto autem circa uentriculi principium sitam fuisse, collum uersus) continebat, tenui membrana constantem, cylindri forma, diametro ambitus palmari: nescio in quem usum, nisi fortè ut commodius natet ac minori labore.

¶ Bononiæ uisus est mihi onocrotalus (uerba sunt ex epistola Anglicuiusdam amici ad me) plumis cinereis tectus, cygno maior, palmipes, capite mergi, rostro quatuor palmos ferè longo, & in fine adunco, collo deplumi, amplissimo, ut anatem deuorare posset. Captam aiebãt in lacu Benaco.

C.

Onocrotalus auis est aquatica, Albertus. palmipes enim est & aqua ut anser utitur. Fluuios ac piscinas inhabitat, Author de nat. rerum. Pascitur tum in salsa tum in dulci aqua, Bellonius. In Aegypto uidimus uolantes onocrotalos, qui à septentrione uersus meridiem tendebãt: ab ijs autem locis hyeme reuertuntur, (ad mare scilicet,) Bellonius. Ciconiæ quæ æstatẽ in Europa transigunt, circa Antiochiam parte hyemis degunt, sicut etiam in Aegypto, item onocrotali, Idem. ¶ Onocrotalus auis est rapax, longo rostro, quod in aquam uel terræ lutum ponit & infigit: & quasi cornu sonans horribilem uocem emittit, Albertus. instar rugitus, Author de nat. rerum. instar botauri uel ardeæ stellaris, Olaus Magnus. Onocrotalus dicitur quòd collum aqua mergẽs, spiransq;, ueluti ruditum asini ædat, Perottus. ¶ Nunquam hæ aues nisi in aqua diffusiori & piscibus abundanti habitant. paruam enim aquam citissimè, etsi piscibus copiosam, ingluuie sua euacuant, Author de nat. rerum & Albertus. Omnia inexplebile animal in genus illud uteri, quod faucibus ineſt, congerit, mira ut sit capacitas. mox perfecta rapina (postquam omnia ingurgitauit) sensim in os reddita in ueram (aliàs, inferam in) aluum ruminantis modo refert, Plin. Ingluuiem aqua explet, atq; ore aperto piscibus se obiectat. quos cum sentit deprehensos intra ingluuiem, aquã per oris spiramenta euomit, atq; ita præda uescitur. Ab hoc aquæ uomitu, ego suspicor ab Hebræis auem cognominatam, caath, quod uomitum interpretantur, Antonius Nebrissensis. Cicuri si quis piscem libralem aut maiorem (audio enim eos pisces uel trilibres deuorare) in os imponat, ita inuertũt ut rostro præmisso deglutiant. Pisces intra ingluuiem colligit, donec paulatim glutiendo digerat, Albert. In faucibus folliculum (utrem quendam) habet, in quo primum cibum concipit, & post horam in uentrem suum mittit ac digerit, Author de nat. rerum. Amplam piscium copiam in utre faucium reponit, ut scilicet in tanta mole diffusa natura non egeat, paulatimq; digestis in uentre cibis inueniat paratum quod præbeat, Idem. Solis uictitat piscibus, & bis tantum anno bibit, Turnerus. Eum qui Mechliniæ cicur alitur, liquidiore etiam cibo, ut pane è iure, uesci diximus. Cibus ingluuie receptus primum emollitur: & inde ad stomachum digerendus transmittitur. alia cibi receptacula nõ habet, & ideo aquis uiuere dicitur, Albertus. Pisces, præsertim anguillas, auidissimè uorat botaurus auis, Turnerus. idem amicus quidam de onocrotalo ad me scripsit. ego onocrotalum quidem hoc facere non dubito: de botauro dubitari potest, præsertim cum multi etiã non indocti cum onocrotalo eum confundant. Onocrotalus conchas deuorat, quas calore interno apertas reuomit, & carnem ab ostreis seligit, Bellonius. Veteres de pelecano tantum hoc scribunt: quem Bellonius eundem onocrotalo facit. ego distinguo quidem, sed fieri posse conijcio ut auis utraq; hoc faciat. Nam & Oppianus pelecino (sic uocat, non pelecanum) hoc adscribit. constat autem ex uerbis ipsius pelecinum ab eo pro onocrotalo sumi. Pelecini (inquit) non minus quàm lari uoraces, nõ toto tamen corpore merguntur. sed ut solent qui se in caput præcipites uoluunt, colla, quibus ulnæ (ὀχενιὰς) proceritas est, subinde demittunt, dorsis interim supra mare prominentibus. piscem obuium quenque amplissimis faucibus exceptum deuorant. Sinus (κόλπος) quidam ante pectus dependet, in quem cibum omnem tuburcinantes aliquantisper recondunt, & ne testa quidem intectis abstinent, (ὅτι πάχνωρ, fortè πλίνωρ, ὅτι σκληρῶν μυῶν ἀπεχόμενοι:) sed unà cum testis primũ quod se obtulerit deglutiunt;

iunt: deinde mortua in os reuocant, & reiectis testis pulpam uorant. Nam quæ dum uiuerent occlusæ erant conchæ, uita spoliatæ aperiuntur ac dehiscunt. ¶ Cum uolat, sonum alarum ictu ciet instar cygni, Bellonius.

D.

Auis est alacris & animosa, capite recto & sublimi, Bellonius. Facile cicurat, ut in B. diximus.

E.

Pelle gutturis onocrotali, quæ longè amplissima est, (fortè dimidiæ ulnæ amplitudine,) fenestræ alicubi (in Italia, ut audio) integuntur, transparet enim tanquam membrana. Eiusdem detracta pelis cum plumis, substernitur puerorum lectis, non lęditur enim urina. aliqui eandem uestibus subdi & assui curant. ¶ Multi piscatores Nili in nauiculis suis non aliud aquã exhauriendi instrumentum habent, quàm onocrotali ingluuiem rostro suo tanquam ansæ hærentem, ea figura quæ reticulum quo in pilę ludo utuntur refert. nam si rostra posteriore sui parte quæ uersus caput est ligantur, circulum ingluuies repræsentat, humiditate quidem non uitiatur, & longo tempore durat.

F.

Onocrotalus assus in cibo mihi gustanti grauis & ferini odoris, nec grati saporis usus est, etsi prius in aqua & uino pariter mixtis elixus fuerat, conjicio autem annosum fuisse.

H.

a. Prò dij immortales unde hic processit truo? Cæcilius irridens magnitudinem nasi, Perottus. Trua nomen est uasis, quod à transuolando aliqui dictum putant, quòd transuolet ex ea aqua, unde & truo auis dicta est, ob colli magnitudinem, quòd per id aqua transuolet, Perottus. ¶ Rauennatem onocrotalum Martialis dixit. licebit & turpem, rudentem, pisciuorum, uoracem, & longæuum cognominare.

¶ c. Nostri sæculi quidam monachos imperitos non ineptè phalacrocoraces & onocrotalos nominauit.

¶ h. Gurgulione gruis tumida uir pingitur aluo, Qui larum, aut manibus gestet onocrotalum, Alciatus in Emblemate Gula inscripto.

¶ Eiusdem aliud in garrulum & gulosum:

Voce boat torua, prælargo est gutture, rostrum — Instar habet nasi multisoriśq; tubæ.
Deformem rabulam, addictum uentriq; gulæq; — Signabit, uolucer cum truo pictus erit.

OPHIOMACHVS auis est dimicãs in serpentes, unde accepit nomẽ, Io. Rauisius. ego ophiomachum, uel ophiomachen locustarum generis tantum esse inuenio, absq; pennis. Paulus Venetus scribit aues epimachos dictas pulcherrimas in prouincia Abasiæ inueniri.

OPHIVRVS, ὀφίουρος, auis quædam in Aethiopia, Hesychius & Varinus. apparet autem nomen illi à cauda serpentina inditum, qualis nimirum basiliseo, quem uulgus appellat, tribuitur.

OPILO, genus auis, Festus.

ORCHILVS oua noctuę exedit, Aristoteles. Καὶ ὀρχίλος, ἢ καὶ ἐρίθευς δώωμ δὲ κοίλας ὀχεας, Aratus inter signa tempestatis. hoc est, Orchilus & eritheus cum caua terrę foramina subeunt. Scholiastes nihil quàm auium genera esse dicit. Auienus quoq; interpres Latinus nomina Græca reliquit, his uersibus: Orchilos infestus si floricomis hymenæis — Ima petit terræ, si denicq; paruus eritheus. Conjicio autem non alia ratione hymenæis infestam hanc auiculam eum dixisse, quàm quia tempestatem indicat: cum nuptiæ sereno tranquilloq; cœlo gaudeant. Ego orchilum non aliam quàm trochilum auem esse puto. cum utranq; paruam auiculam esse & foramina subire legamus: utranq; noctuæ inimicam. facile aũt uulgus uel negligentia, uel ioco (ad ὄρχεις, id est testes, alludens) trochili nomen in orchilũ mutauit. Alius est trochilus auis quæ iuxta aquas degit, & celeriter currit, inde nomine impositio, multorum generum. ¶ ὅσον τὸ πλῆθος κατέπτησαν τῶν ὀρχίλων; Aristophanes in Vespis de filijs Carcini poetę: quos ceu paruos (ut orchilus auis parua est) & libidinosos (à testibus quos Græci ὄρχεις nominant) traducit: uel tanquam magna habentes genitalia, uel saltationi deditos. nam ὀρχεῖσθαι saltare est, ut Scholiastes admonet. Idẽ in Auibus, Si quis Ioui (inquit) sacrificauerit arietem, rex nunc est orchilus auis, βασιλεὺς ἐς' ὀρχίλος ὄρνις. solebãt autem Ioui κελὸν ϕοῤχεν, id est arietem marem non castratum sacrificare. Ioui quidem orchilus auis facetè adscribitur, tanquam libidinoso & adultero, ἀλλὰ σὺ ὄρχεις, id est à testibus, à quibus poeta hoc nomen confinxit, ut scribit Scholiastes, & repetit ex eo Varinus. Præterea cum trochilus auis Aristotele teste, alijs nominibus rex & senator (βασιλεὺς, πρέσβυς) appelletur, nimirum eandem auiculam non immeritò orchilum faciemus, quæ hîc Ioui regi tanquam & ipsa rex attribuitur. ¶ ὀρχίλος, auicula uilis, quæ ab aliquibus σκαλπιγτὴς dicitur, Hesychius.

IN Hieroglyphicis Orí l. 4. de ORYGE legitur tanquã aue, ὦρυξ μόνον τῶν πλωῶν, sed perperam, & θυρῶν fortè aut κλωῶν legendum. oryx enim quadrupes est, & piscis. orygem uerò auem nemo tradidit, & eo etiam in loco pro quadrupede accipi certum est.

De Auibus

DE OTO.

A.

OTVS & otis aues sunt longè diuersæ. De otide inter gallinas feras scripsimus. otus uerò noctuæ simílis est, sed maior, ut bubone minor, auribus plumeis eminentibus, unde & nomen illi quidam Latinè asionem uocant, teste Plinio. Sed cum Gaza ex Aristotele scôpem Latinè asionem interpretetur, nos quoq; scôpis historiam in Elemento A. sub Asionis nomine posuimus: & obiter quædam de oto tradidimus, hîc non repetenda: præsertim quòd otus Latinè asio uerti debeat, secundum Plinium, qui etiam asionem noctuarum genus maximum esse scribit: scops uerò, qui noctua minor est, Latinum nomen quod sciam non habet. Item quòd authores aliqui otum cum otide cõfundere uideantur, ut Athenæus, Aristoteles, Plinius: nisi ea librariorum alicubi culpa est, de qua re pluribus etiam in Otide scriptum nobis est. ¶ Otus (ὦτος, prima circunflexa: quanquam codices impressi ultimam acuunt) noctuæ simílis est, pinnis circiter aures eminentibus, unde nomen, quasi auritum dicas. nõnulli nycticoracem appellant, (Gaza uertit, nonnulli ululam eum appellãt, alij asionem,) Aristot. Asiones noctuarum genus maximum, quas Græci quandoq; scôpas uocant, aliquando nycticoraces, id est ululas: & quandoq; otos quasi auritas, Hermolaus Barb. in cuius uerbis nos reprehendimus: Primum quòd asionem Græcorum scopem esse dicit: alterum quòd nycticoracem interpretatur ululam, in utroq; secutus Gazam. Asio noctuarum genus maximum est, cui pluma aurium modo emicat, Plin. Quidam otum uocant bubonem, Obscurus. Otum lagodiam uocari (à lepore nimirũ, quòd pedes plumis uillosos habeat,) Alexander Myndius author est apud Athenæum.

¶ Otus Hispanis, ut audio, dicitur mochuélo. Gib. Longolius, item Eberus & Peucerus Germanicè interpretantur **Schleiereül**, ut ante eos Turnerus, qui etiam aliud nomen Germanicum adfert **Ranßeül**: & Anglicum a horn oul: ut Eliota a shryche oule. Sed auis quam nostri uocant **ein Schleiereül**, aurita non est, ululárum generi in V. elemento à nobis adnumerata. Ego potius otum eam auem esse conjício, quam aucupes nostri uulgò uocant **ein Ohrüwel**. ¶ Otus bubonis figuram habet, & ideo à multis bubo uocatur, aures habere uidetur, plumis instar aurium erectis. uox eius est huhu, tanquam hominis frigore nimio affecti, Albertus. Auis est quæ uulgò (Gallis puto) huans dicitur à sono uocis huhu, quam noctu horrificã emittit, impropriè uocem humanam simulans, ita ut hominem contractum frigore clamare credas. sed certæ regiones sunt, in quibus huiusmodi uoces profert, in cæteris ut plurimum muta: bubone minor, noctua maior: rostro ac pedibus uncis, plumis circa aures eminentibus. nocte uolat, præda uiuit, carnibus uescitur, mures persequitur, & ab auibus cæteris odio habetur, Author de nat. rerum, & partim Albertus.

B.

Quod ad partium oti descriptionem, nõnulla iam in A. retulimus. Pinnulæ ei circa aures eminent, unde auritus uocatur: ut & buboni & aluconi minori, & scopi uel noctuæ minimæ. quãquam Plinius scribat buboni tantum & oto plumas uelut aures haberi, cæteris cauernas ad auditum. Athenæus oto magnitudinem columbæ tribuit, & formam humanam (nimirum quod ad faciem,) tanquam ex Aristotele, apud quem nos nihil tale reperimus. Otum uncis unguibus esse apparet ex lib. 8. historiæ animalium cap. 12. prope finẽ. Reddens enim causam quod otus planipes & imitator sit, subdit: Omnes denicp aues uncæ breui sunt collo, & lingua lata, aptæq; ad imitandũ. Quin & noctuæ simílem esse testatur, habet autem noctua uncos ungues.

C.

Otus noctuæ simílis est, non nocturna tamen, Aristoteles citante Athenæo. ego nihil tale apud Aristotelem inuenio, & otum quoq; nocturnam auem esse puto.

D. & E.

Otus est blatero, & hallucinator & planipes, (κώβαλος καὶ μιμητής, uide in Asione, ubi uocem κώβαλον copiosè explicui, &c.) saltãtes enim imitatur, capitur intentus in altero aucupe, altero circumeunte, ut noctua, Aristot. Auis est imitatrix ac parasita, & quodam genere saltatrix. capitur haud difficulter ut noctuæ, intenta in aliquo, circumeunte alio, Plinius. Otus imitatur omnia quæ homines faciunt: quos saltantes cum imitari conatur, capitur, (ἀντοπρχόμενος ἁλίσκεται.) In aucupio illarum, qui saltandi peritissimus fuerit, saltat in conspectu earum, & simul ipsos contra aspicientes ad saltationem inducit, (καὶ τὰ ζῶα βλέποντα εἰς τὸν ὀρχούμενον ἐνθουσιαστικῶς.) Alius à tergo latẽs uoluptate imitandi captas comprehendit. idem & scopes facere aiunt, &c. Athenæus. Otus laudata & è regione saltans capitur, sicut & nycticorax: quamobrem etiam homines stolidos & ambitiosos otos appellabant, Aelius Dionysius apud Eustathium. Orus in Hieroglyphicis turturem quoq; saltatione ac tibia capi scribit. Capiuntur & otides uenatorum imitatione oculos aqua è pelui inungentium, & aquæ loco in altero uase relinquentium uiscum, siue otides uerè id faciant, siue pro otis ab authoribus nominentur: Quære in Otide E.

G.

Glaucomata magi dicunt curari felle recenti asionis, Plinius.

H.

ὦτος uel ὠτίον auricula est, habent autem auriculas solæ quadrupedes uiuiparæ. Sed quoniam in oto auè plumæ utrinq; in capite auricularum instar eminent, Græci otum quasi auritam dixerunt, ut hodie aliqui cornutam hanc auem esse dicunt. ¶ Otus auis laudata & saltans capitur, (ut scripsimus in E.) unde otos item dicimus qui nullo negotio decipiuntur, aut gloriæ uanitatem affectantes, Cælius. χαίνους καὶ κηνοδόξους ὦτους ἐκάλεν, Aelius Dionysius apud Eustathium & Suidas. Qui fraudibus expositi sunt, ac negotio propè nullo insita simplicitate decipiuntur, oti à comicis uocantur, ex auis natura, quæ quum imitatrix sit, inde ab aucupibus facile capitur, Cælius. Qui facile à quouis falluntur, oti dicebantur, aptius quidem illi, qui solo auditu nulla ampliore cura cõsyderatis uerbis decipiuntur, sic dicerentur, Eustathius. Vt cepphus, sic & otus hominem stolidum uel simplicem impostoris expositum indicat. Quare & Comicus traducens Athenienses ceu qui facile dictis quæcunq; audirent fidem habentes deciperentur, εἰ μόνοι ὦτοι ἦσαν ἐλλιώνων, dixit, Idem.

¶ Otum (Ὦτον) & Ephialten Aloei & Iphimediæ filios fuisse aiunt & Martem ligasse: cuius fabulæ expositionem requires apud Eustathium in Iliad. ε. Maximi hi fratres fuisse feruntur, & bellum cœlo ac superis inferre ausi, in quo Apollinis sagittis cõfecti sint: alij in uenatione imprudentes inuicem se iaculis transfixisse aiunt Dianæ consilio, &c. Eosdem primos Musis sacra fecisse aiunt.

¶ Emblema Alciati Fatuitas inscriptum:

Miraris nostro quòd carmine diceris otus,
Aurita est, similes & habet ceu noctua plumas,
Hinc fatuos, captu & faciles, nos dicimus otos,
Sit uetus à proauis cum tibi nomẽ Otho,
Saltantẽq; auceps mancipat aptus auem,
Hoc tibi cõueniens tu quoq; nomẽ habe.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA P. LITERA INCIPIT.

DE PARADISEA, VEL PARADISI AVE.

PARADISEAM uel paradisi auem, uel apodem Indicam appello illam, cuius figura sequens est, à clarissimo uiro & doctissimo I. C. felicis memoriæ Conrado Peutingero nobis communicata: qui & mortuam similem sibi uisam testabatur, ut & alij multi fide digni homines alij alias se uidisse mihi testati sunt. Et nuper charta quædam Norimbergæ excusa, quæ huius auis simillimam nostræ iconem continet, ad nos missa est, his uerbis adiectis: Paradisea uel apus Indica magnitudine est turdelæ, miræ leuitatis, alis prædita oblongis, teneris & uisui peruijs, & pennis (si pennæ dici debent, potius quàm setæ, deplumes enim sunt, in nostra effigie nõ expressæ) duabus longis, angustis, nigris, duritie cornea. pedes nulli, perpetuo uolat, nec usquam quiescit nisi in arbore aliqua (ab altera de longis illis setis ramo implicata pendens.) Nulla nauis tam celeriter in mari pergit, aut tam procul à continente, quam non circumuolet. Callida est, præsertim circa uictum. Magni pretij propter raritatem, primates in militia galeis pro crista inserunt. Ostentatur Norimbergæ apud Io. Kramerum, & numis argenteis octo drachmarum ferè, (quos à ualle Ioachimica denominant,) centenis indicatur.

¶ In Moluchis insulis sub æquinoctio (inquit Hier. Cardanus lib. 10. operis de subtilitate) auis mortua in terra aut mari colligitur, (manucodiatam uocat, uocabulo linguę indigenarũ) quę uiuens nunquam uideri solet, quoniam pedibus careat: tametsi neget Aristoteles auem ullam pedibus carere. Hæc igitur, quam ter uidere iam contigit, sola ut ita dicã ob id pedibus caret, quòd in sublimi aere atq; procul ab omni usu humano habitet. Corpus eius rostrumq; magnitudine & forma simile hirundini; pennæ alarum & caudæ accipitrem magnitudine dum alas extendit superant, æquant uerò fermè aquilam. Pẽnarum crassitudinem excogitare potes, tanta enim est, qualem pro auiculæ parmitate conuenire ratio docet. Sunt igitur tenuissimæ, & persimiles præter tenuitatem pennis pauonum fœminarum ex toto, neq; masculorum pauonum pennis assimilantur, quòd non sint oculatæ, ut quæ in masculi pauonis cauda cernuntur. Masculi dorsum auiculæ huius sinuatur intus, in eamq; cauitatem oua fœmina facere ratio ipsa docet, cum & ipsa fœmina cauum habeat uentrem, ut sic utraq; cauitate possit oua incubare. Masculo hæret in cauda filum longius tribus palmis, coloris nigri, medium inter quadratum rotundúmue, neq; crassum, neq; admodum tenue, uerum ei non absimile quo crepidas cerdones consuere solent. Hoc existimamus dum fœmina oua incubat alligari firmius illam masculo. Neq; mirũ est in aere perpetuò habitare, nam cauda & alis in orbem extensis haud dubium est sponte sustineri. Vicissitudo etiam si quid est lassitudinis illam excutere potest. Cibum nullum esse puto præter cœli rorem, qui simul sit cibus & potus, & ita natura prouidisse diligenter tanto miraculo uidetur, ut in aere habitare posset. Vesci autem aere puro haud uerisimile est, quòd nimis tenuis sit. Vesci animalculis: neque id, quòd ibi non fiat congregatio ad generationem illorum haud dubiè necessaria: neq; in auium uentribus illa cernuntur, qualia in hirundinum, sed tamen hoc non cogit, cum manucodiatas solo senio confici credendum sit, at nec uapore, cum infrà copiosior sit, unde descendentes uiderẽtur, uapor etiam nõnunquam pernicíosus est. rore igitur per noctem uesci uerisimile est, Hæc ille. Et rursus in struthiocameli mentione, Sunt qui ob raritatem nunc manucodiatæ tum alas tum caudam in cristas figant, addita etiam superstitione qui secum habeat in bello non uulnerari.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 652 sur 825



¶ Sunt qui hanc auem Germanicè **Lufftuogel** appellent, hoc est auem aeris: siue quòd in aere semper ferè degat, siue quòd eo etiam uiuere uulgò existimetur. Quidam receptaculum putant sub alis habere fœminam, ubi oua foueat. ¶ Reges Marmin (in Moluccis insulis) paucis antè annis immortales animas esse credere cœpere: haud alio argumento ducti, quàm quòd auiculam quandam pulcherrimam, nunquam terræ aut cuiquã alij rei quæ in terra esset insidere animaduerterent, sed aliquando ex summo æthere exanimem in humum decidere. Et cum Mahumethani qui ad eos cõmercij causa commearent, hanc auiculam in paradiso ortam, paradisum uerò locum animarum quæ uita functę essent, attestarentur, induerunt hi reguli Mahumethi sectam, quòd hæc de hoc animarum loco mira polliceretur. Auiculam uerò mamuco diata, id est auiculã dei appellant: quam adeò sanctè religioseq; habent, ut se ea reges tutos in bello existimẽt, etiamsi suo more in prima acie collocati

collocati fuerint. plebeij autem caphræ, id eſt gentiles ſunt. Reges harum inſularum auiculas numero quinq; ſinguli ſingulas dono ad Carolum V. miſerunt, Maximilianus Tranſſyluanus.

¶ Milites in aula Turcarũ imperatoris quos Geniſſarios appellant, cum multa ſuperbè faciunt, tum pennis ſtruthionum ſe ornant, & rhyntacis auibus, quas Arabes uendunt exiccatas carne adempta, ita ut pellis tantum ſuperſit, à qua pennæ procedunt pulcherrimæ in unum ceu manipulum collectæ, ea craſsitie quæ capi eſt. Hanc aliqui recentiorum apodem uocãt, ego phœnicem ueterum eſſe conijcio, Bellonius. Nos de Phœnice & Rhyntace auibus infra ſuo loco dicemus.

¶ Hæc iam perſcripſeram, cum Melchioris Guilandini Boruſsi (doctiſsimi iuuenis, & incomparabilis circa ſimplicium medicamentorum indagationem doctrinæ ac diligentiæ) literæ Patauio miſſæ ad me peruenerunt, in quibus paradiſeam auem his uerbis deſcribit: Memoriæ ac literis (inquit) proditum eſt, apud eos qui integra de Hiſpanorum nauigationibus in alienum & tot iam ſæculis incognitum orbem, uolumina condidêre, in Moluccis inſulis auiculam quandam pulcherrimam oriri, mole quidem corporis exiguam: uerum pennarum ob cauſam, quæ ei ſunt longiſsimæ inq; orbem digeſtæ, ita ut amplioris circuli deſcribant ambitum, primo aſpectu uideri maximam. Auicula eſt corporis magnitudine & penè forma coturnici ſimilis, pennarũ ambitu diſcolore, uerum uenuſto admodum & decoro, uiſuq; iucundiſsimo undique exornata. Caput quale hirundinis maiuſculum, pro corporis amplitudine. Pennæ ſuperiorem eius partem à prima ceruicis uertebra ad roſtri uſq; initium exornantes, breues ſunt, craſſæ, duræ, ſpiſſæ, coloris lutei inſigniter ſplendentis, & auri puriſsimi modo, radiorũmue ſolarium inſtar fulgentis. Cæteræ quæ mentum contegunt, & molliores, & tenuiores, atq; ex cyaneo mirè equidem uirides deprehenduntur, haud planè colore ijs abſimiles, quas in anatum maſculorum capitibus, dum lucidiſsimo obuertuntur ſyderi, conſpicimus. Roſtrum item quàm ſit hirundini prolixius. Pedes nulli. Pennæ alarum ardeis forma pares, tenuiores tantum longioresq;, colore fuſco, inter ruffum & nigrum, fulgentes. Verum cum omnes, tum quæ alas conſtituunt, tum quæ caudam efformant, in orbem extendantur, rotæ ſimilitudine, etenim cuti animantis ueluti infixa hærent ſpicula, immobiles planè, mirum uideri non debet, ſponte ſuſtineri, neque unquam in terris quoad in uiuis eſt conſpici, quando & pedibus uſus nullius in aere exiſtentibus, prorſus deſtitui, (quod tamen placitis Ariſtotelis ſcholæ Peripatetico-rum ſummi principis refragatur, auem ullam pedibus carere negãtis,) paulò ante dictum ſit. Cęterum exoriuntur iuxta ſingulas maiorum pennarum, alas conſtituentium, origines, aliæ quoq; minores, neq; ſanè paucæ pennulæ, quę ſupra maiorum principia extenſæ, ea obtegunt, dimidio quiſquiliatæ, ruffæ, coccineæ ue, reliqua parte croceæ, & fuluo auri colore ſplendidæ, multum hercule gratiæ ac uenuſtatis auiculæ ob eximiam illam & ſingularem colorum diſparitatem conciliantes. Corporis reliqua moles tota, pennis fuluis in ruffum uergentibus obducitur, ita tamen ut aliquid adhuc inter eas diſcriminis animaduertas. Nam quæ in pectore & uentre collocantur, & frequentiſsimæ ſunt, & pariter latiſsimæ, duorum triũmue digitorum amplitudine, colore fuluo, & eo quidem nitidiſsimo, haud ſanè alio, quã iecur ipſum ſplendentes. Quæ uero dorſo infixæ ſunt, rariores neq; ita frequentes eſſe apertè cognoſcimus: & inſuper amplis diuiſuris hiare, pennarum omnino ardearum tergo adhærentium ſimilitudine, clarè uidemus. Neq; etiam ad tam inſignem latitudinem accedere, aut præſtantem illum hepatis colorẽ adæquare, quin puniceo potius colore, carni æmulo, obſcuriore etiam nunc relucere, pleniſsimè perſpicimus. Porrò pennæ hæ ſimul omnes, tum quæ à uentre ſuam trahunt originem, tum quæ à dorſo enaſcuntur, caudam, cum ſint longiſsimę, conſtituunt, quia ea cæterarum auicularum more minime exornatur. Nec id equidem mirum, quando & alæ ipſæ diuerſa ſint ratione concinnatæ, quippe quæ in arctum contrahi, uel latum diffundi, pro animantis libitu, nequeant, ſed naturaliter uno tantum eodemq; modo perpetuò conſiſtant. Præterea maſculi huius auiculæ dorſum omni ex parte depreſſum inflexumq; eſt, adeo ut ſinum quendam foueamq; efformet. In eam cauitatem oua fœminam deponere ratio ipſa claro eſt argumento, quum & fœmina uentrem cauũ obtineat, ut hoc pacto oua facilius poſsit incubare, ac tandem pullos excludere. Deniq; adnectuntur maris dorſo fila gemina, nigra, cornuum modo utrinque in rectum extenſa, tres & amplius palmos longa, neq; rotunda exactè, neq; etiam perfectè angulata, ſed figura inter quadratum & rotundum media, nec craſſa ualde, nec ſumme tenuia, uerum ſutorio filo haud planè diſsimilia. Horum uſum talem eſſe, cum cæteris ſæculi huius uiris eruditiſsimis exiſtimo, quo nimirum fœmina, dum oua incubat, mari firmius alligetur, copuletúrue. Cibus eis nullus præter cœli rorem, qui ſimul eſt cibus & potus. interiora ſi ſpectes, inane nihil reperias, uerum continua ac perpetua pinguedine auiculam totam expletã uideas. Hæc auiculæ ipſius integra & certa hiſtoria, cui neotericorum peritiſsimi quiq; calculum uno ore omnes adijciunt, præter unum Antonium Pigafetam, roſtro prolixo, & pedibus palmi unius longitudine donari, falſiſsime affirmantem, quum hoc me hercule longe ab omni ueritate ſit alienum, quod ipſe aliter ſe rem habere, iam bis (neq; enim pluries uidere contigit) oculis manibusq; propriis liquidiſsimè deprehẽderim. Hæc Guilandinus ad nos. ſuſpicatur autem hanc eſſe rhyntacen auem, cuius in uita Artoxerxis Plutarchus meminit: de qua nos ſuo loco in R. elemento ſcribemus. ¶ Sunt qui hanc auem, ut iſpidam uulgò dictam ueſtibus apponi ſcribant aduerſus tinearum iniuriam. ¶ Ptereugotyranni auis Indicæ Varinus meminit, quæ fortè paradiſea noſtra eſt, uide infra mox poſt Pſittacos.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 654 sur 825

¶ SVNT & aliæ aues paradiſi dictæ, ut author de nat. rerum ſcribit, (apud Aegyptios, Albertus) non quia ex paradiſo ueniant, ſed ob inſignem pulchritudinem: qua ita excellunt, ut nullus eis color deeſſe uideatur. magnitudo eis anſerũ, uox mirè dulcis & blanda. captę gemere non deſinunt donec in libertatem reſtituantur. Super Nilum habitant, quí de paradiſo profluere perhibetur, rarę aliâs repertu.

¶ Nauigando in flumine Phyſon inuenimus aues quæ aues paradiſi nominantur, mirabili colorum uarietate conſpicuas: ita ut ſi quis propius intueatur, nimio earum ſplendore uiſum propè amittat, Author incertus, qui de Terra ſancta Italicè ſcripſit.

¶ ALIAE præterea in Aegypto aues eodem nomine ueniunt, fuſci coloris & ſubrutili, monedulis minores. aues autem paradiſi uocantur, quia ubi naſcantur, unde ueniant, & quò ſe recipiant, neſcitur. non enim coitus earum uidetur: ſed certis temporibus collectę terras quas habitant tranſituræ relinquunt, Albertus & Author de nat. rerum.

¶ Iſpidam quoq; auem propter pulchritudinem colorum, nonnuſquam in Italia auem paradiſi uocari audio: & ſimiliter upupam Venetijs.

DE PARDALO.

PARDALVS, παρδαλος, etiam auicula (ὄρνεον, auis) quædam perhibetur, quæ magna ex parte gregatim uolat, nec ſingularem hanc uideris. colore tota cinereo eſt, magnitudine proxima mollicipiti, (quí paulò minor turdo eſt, etiam ipſe totus cinereus, pedibus ualens, pennis non item: etſi Gaza pro ὕπτερος, legit ἄπτερος, ut neq; pedibus neq; pennis ualeat) ſed pennis ac pedibus bonis. uocem frequentem (πολλὴν) nec grauem emittit, Ariſtot. Pardalis, παρδαλις, auis quædã, Heſych. Graucalus, γραικαλος, auis cinerea, Idem & Varinus. ſuſpicor autem corruptum eſſe uocabulum pro pardalo, quæ Ariſtoteli colore tota cinereo eſt. quanquam & caucalias auis quædam ijſdem Grammaticis memoratur. ¶ Gyb. Longolius, eumq; ſecutus Turnerus, ut hunc Eberus & Peucerus, pardalum auem uulgò pluuialem dictam interpretãtur, ein Puluer, de qua infra priuatim ſcribemus.

¶ PARONIS auis Feſtus meminit, ni fallor: ut & uaronis & rupicis ex Lucilio.

DE PARRA.

PARRA, uel ut alij ſcribunt para, per ſimplex r. (ut & Hermolaus) auis eſt, quæ oriente Sirio (ipſo) die non apparere, donec occidat, traditur, Plin. Ariſtoteles hæc eadem de œnanthe ſcribit, ut auis una exiſtimanda ſit. Sed alia uidetur inauſpicata illa Horatij parra, cuius meminit Carminum 3. 27. his uerbis: Impios parræ recinentis omen Ducat, & prægnans canis, &c. In capite paucis animalium, nec niſi uolucribus apices: aliſs aliter, phaſianæ corniculis, præterea parræ, Plinius. alij paro legunt, Hermolaus parco: quæ uerò ſit auis parcus fatetur ſe ignorare. uide infra in Vanello. Feſtus duobus in locis parram numerat inter oſciens aues, quæ ore canentes faciant auſpicium. ¶ Author libri de nat. rerum parram cum regulo confundit. Regulus (inquit) qui & parra, quaſi auis parua, dicitur, multa eſt prole & garritu.

DE PARIS DIVERSIS, ET PRIMVM IN GENERE.

A.

AEGITHALVS, αἰγίθαλος, auis Ariſtoteli memorata, cuius tres ſpecies deſcribit, nos plures agnoſcimus, à Gaza uertitur parus, recentioribus eadem parix eſt, Alberto & aliſs. In Campania & aliſs regionibus parula uocatur auicula, cuius uertex nigricat coronæ ſpecie, quæ an parus ueterum ſit nondum perſpexi, Hermolaus Barb. mihi quidem eandem eſſe dubium non eſt. ſed & alia parí ſpecies eſt cœruleo uertice, nigro tres aut plures. Parus, uulgò parízola, ruſticè apud nos pataſcius, Niphus Italus. In aliſs Italiæ locis parruza, in aliſs zin zin, & orbeſina nominatur parus communi pluribus ſpeciebus uocabulo. ¶ Gallicè meſange uel ſparuoczolo, Bellonius. Iacobus Syluius etiam meſangã uocat. Sabaudicè mayenche. ¶ Germanicè ein Meyſe uel Mayß. ¶ Anglicè a tit mouſe. ¶ Illyricè, ni fallor, ſykorã. ¶ Galli & Germani quidam putauerunt meropem eſſe auem, quæ Gallicè meſang appellatur, quod falſum eſt, Bellonius.

B.

In capite paucis animalium, nec niſi uolucribus, apices, aliſs aliter, phaſianæ corniculis, præterea parræ, Plinius. aliâs paro. Hermolaus legit parco. uide infra in Vanello. Paro maximo pectus luteum eſt, &c. cæterorũ corpora albo, nigro, pallido & cyaneo coloribus diſtinguuntur, Turnerus. Parí omnes ferè iuxta oculos maculas albas habent.

C.

Parí gregatim uolitant. ¶ Parus enim quamuis per noctẽ tinniet (aliâs tinninet) omnem, At ſua uox nulli iure placere poteſt, Author Philomelæ: tanquam parus noctu canat, quod forte para uel par-

uel parra facit. ¶ Parus uermiculis uescitur, Aristot. & Albertus. Iniuriam apibus infert, Aristot. & alij. unde apiastram aliqui esse coniecerunt, quæ tamen merops est. Vescuntur pari non solum uermibus: sed & canabino semine & nucibus, quas rostris suis acutioribus solent perforare, sæuo duo priora genera (parus magnus, & montanus) delectantur, Turnerus. ¶ Pari omnes unguibus suis reptare & facile ubi uolunt adhærere possunt: ita ut ad nucem à filo eis suspensam adhærescentes comedant. ¶ Capiuntur apud nos etiam media hyeme. ¶ In cauis arborum nidificant, Albert. Oua plurima ædere feruntur, Aristot.

D.

Parus auis est animosa, & ad se defendendã strenua, pro sua magnitudine: uocalis, clamosa, uolatu impetuosa, præsertim maior. Noctuam odit.

E.

Gregatim uolant: quare sæpe complures capiuntur per noctuam. Gustatu farinæ uino dilutæ primum inebriati capite grauantur, deniq; cadunt, & abiecti uolare non queunt, & facile tolluntur ab apiarijs. nocent enim apibus, Aelianus. Paros & luscinias audio stultas esse aues & facile capi, quòd propter curiositatem mox ad eum locum accedant à quo aucupes abierint.

F.

Veniunt etiam in cibum pari apud nos, etsi non admodum delicati.

G.

Sunt qui paro eandem facultatem tribuant, quam ueteres ictero uel galgulo aui, ut scilicet regium morbum aspectu patientis in se recipiat, ille sanetur.

H.

Αἰγίθαλος, nomen auis, & saltationis genus, Suidas & Varin. Αἰγίθαλος & ἄιγιλος herbæ sunt, Varinus. Aristophani in Auibus ægithallus scribitur l. duplici: ubi Scholiastes, Aegithalus auis est de genere accipitrum, sic dicta quod capram sugat, παρὰ τὸ ἐξ αἰγὸς τεθηλακέναι, ut quidam putant. Sed quæ capram sugere fertur auis nocturna est, αἰγοθήλας Græcis dicta, id est caprimulgus. quæ forsitan para uel parra Latinorum fuerit: ægithalus uerò parus, nõ à capra dictus, quam Græci æga uocant, sed ab impetu fortassis quo utitur uolando. nam & αἰγίδα, qui flatus est impetuosus, à uerbo αἴσσειν deriuari suspicor. Sed uideo Oppianum quoq; lib. 3. de aucupio ægithalum pro caprimulgo accipere: fortè quòd heroicum carmen quo usus est ægothelæ uocabulum respueret. Aegithalum (inquit) capturus capræ papillam uisco circumlinat. Cæterum auis caprinũ lac haustura, cum ultra sæpes in stabulum peruolauerit, & sugere capram inceperit, effuso ei ad pedes usq; uisco deprehenditur. ¶ Pari piscis meminit Bellonius de piscibus lib. 1. cap. 1. item Vuottonus. ¶ Vt Græci struthópoda, hominem cuius crurum tenuitatem notare uoluerint, sic nostri à pari crusculis meisenbeinle nominant.

DE PARO MAIORE.



PARI genus quod maius est fringillago uocatur, αἰγίθαλος σπιζίτης, quippe quod fringillam æquet, Aristot. Genera parorum plura sunt, quamuis Aristoteles tria tantum refert. fringillago, maxima omnium, pulchra, inferius ex luteo uirescens, in uertice nigricans, quem Germani uocãt Spiegelmeiß/ Kolmeiß, Eberus & Peucerus. Longolius etiam & Turnerus parum maiorem Kolmeiß interpretantur, hoc est parum carbonarium, ab atro colore capitis, qui utrinq; etiam à collo descendit per pectus & uentrẽ medium, longiore in maribus, breuiore & angustiore in fœminis spatio: nostri partem hanc nigram bracham appellant, die brůch. Sed nostri aucupes parum alium minorem uertice nigro Kolmeiß appellant: maiorem uerò Spiegelmeiß à colorum pulchritudine quibus distinguitur. eundẽ Germani quidam, Brandtmeiß, similiter ab atro colore: aliqui grosse Meiß, id est parum magnum. Brabanti masenge, ut Galli mesange. Sabaudi maienze. Angli the great titmous, or the great oxei. Itali parisola uel parussola, orbesina, quanquam communia hæc nomina etiam alijs paris uidentur: uel parisola domesticha, & circa alpes tschirnabó. alicubi etiã capo negro, quod nomen ficedulæ potius uel atricapillæ conuenit. Lusitani tintilaum. Turcæ alá. Ex ægithalis alter (quasi duo tantum genera sint à nonnullis ἐλαιὸς uocatur, ab alijs πιρίας (uox uidetur corrupta, Vuottonus legit πυριὰς:) & sycalis, id est ficedula tempore quo ficus maturæ sunt, aliâs melancoryphus, Athenæus. uide in

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 656 sur 825

Ficedula, & in Elea. Sed & alij pari, præter cœruleum, omnes melancoryphi sunt, propriè uerò melancoryphus dicta auicula, id est atricapilla, tempore tantum à ficedula differt, à paris plurimum. ¶ Parus maximus ineunte statim uere cantiunculam quandam breuem, nec admodum iucundam exercet, aliàs mutus, huic pectus luteum est, intercurrante linea nigra maiuscula, Turnerus. Pari magni à quibusdam in ædibus aluntur, & muribus quoq; uescuntur cute tantum detracta obiectis: & cantillant interdum. ¶ Aduersus calculum renũ motacilla seu caudatremula uulgò dicta, furno siccata, efficacissima creditur, item quæ uulgo Gallorum messengua dicitur, Iac. Syluius. Vide in Motacilla. Easdẽ quas ueteres galeritæ auiculæ uires ad colicos & nephriticos cruciatus, easq; probatissimas, tribuunt aliqui pulueri auiculæ quam uulgus mesenguam uocat, Ant. Mizaldus.

DE PARO COERVLEO.

PARVS alter mõticola cognomine est, quoniam in montibus degat, cui cauda longior, tertius magnitudine sui exigui corporis discrepat, quanquam cætera similis est, Aristot. Turnerus parum secundum facit qui Germanicè dicat̃ ein Meelmeisse, (Anglicè the lesse titmous,) sed hæc eadem est, quam nos Blawmeiß uocamus, id est cœruleum parum, qui cæteris minor est, & solus cœruleo insignis capite, quod in alijs omnibus nigrum est uel totum uel ex parte. atqui secundus Aristotelis parus caudam habet longam præ cæteris paris, quamobrem eum nos esse putamus qui à nostris Pfannenstil nuncupatur, cuius iconem infrà dabimus. ¶ Tertium parum (inquit Turnerus) Angli nonnam, à similitudine quam cum uelata monacha habet, nominant. Sabaudi parum cœruleum nostrum moyne uel moyneton hoc est monialem: atq; hoc tertium pari Aristotelis genus esse nobis uidetur, alij in eadem regione, ni fallor, lardera. Gallis marenge. Itali paruſſolin, uel parozolina. Hispani & Lusitani chamaris, ni fallor, uel alionine, uel milheiro. Nostri Blawmeiß: circa Norimbergam Bymeisse, quòd apiculas deuoret. Parus minor uulgò nominatur ein Pimpelmeiß oder Meelmeiß, Gyb. Longolius. ¶ Genus hoc pari ut alijs plerisq; minus, ita etiam mansuetioris ingenij est & minus impetuosum. ¶ Titmous Anglorum oua ferè sedecim parit; unde & paruas mulieres fœcundas eiusdem auiculæ nomine uulgò appellant.



DE PARO ATRO.

PARVM atrum appello, quem plerique Germani Kolmeiß, id est parum carbonarium nominãt, quanquam etiam parum maiorem Saxones & alij quidam similiter appellãt. Alba macula ei infra oculos est, & alia in occipitio, reliquũ caput atrum, uenter luteus, crura fusca. ¶ Nostri non hoc, sed paluſtre genus pari, de quo iam dicetur, carbonarium cognominant.



DE PARO PALVSTRI.

PARVS paluſtris, Germanicè ein Mürmeiß oder Rietmeiß/oder Reitmeiß: nostris Kolmeiß, cum alij genus præcedens sic appellent: capite prorsus nigro est: cum superior in medio per occipitium maculam albam habeat. Pectus & uenter albicant, crura rosea sunt, ut pictura indicat. Dorsum & cauda fusca, aut ferè cinerea: unde etiam Aeschmeißle à quibusdam appellatur: ab alijs Kaatmeißle, fortè quòd circa cœnũ & paludes degat. Habet etiam aliquid ruffi in supremo dorso: ut pictura Argentoratensis præ se fert. Ego cum captum nuper parulum carbonarium siue atricapillum nostrum inspicerem, deprehendi illum paulò minorem esse cœruleo parulo, corpore fusco ad cinereum uergente; macula nigra continua per totum caput medium

dium insignem, utrinq; candicantem: uentre è cinereo albicante, cauda magis quàm uertex nigricante, cruscu lis ad cœruleum inclinantibus. Turnerus hanc auem Aristotelis iunconem (schœniclon) facere uidetur, & à passere harundinario non distinguere.



DE PARO CRIstato.

PARVS cristatus nigro est capite cum paucis punctis albis, crista retrò extensa, corpore prono fusco, pectore albo, cruribus cinereis. Germani à crista uocant Kobelmeiß/Strußmeißlin: uel Hεübelmeiß, & Heidenmeiß, ut Eberus & Peucerus interpretantur. Galli mesange hupée. Minor est paro maiore, montano par magnitudine, Eberus & Peucerus.



DE PARO CAVdato.

PARVM caudatum hanc auẽ uoco, quòd caudæ longitudine paros cæteros excedat. hæc esse uidetur parus alter Aristotelis, monticola cognomine, quoniã in montibus degat, cauda longiore. Caudę longitudo nomen ei apud nos fecit, Schwantzmeißlin oder Pfannenstil: ut loca montana quæ frequentat, Berckmeißle. Parus ἀνώνυμος, minimus quidem omnium in genere parorum, sed longissimam habet caudã, Zagelmeiß/Pfannenstiglitz, Eberus & Peucerus. Niger est parte prona, albus supina, in medijs alis rubet, ut & circa uentrem imum sed dilutius. ¶ Tempore uerno uocem ædit inconditam, guickeg, guickeg. Gregatim ferè uolant, deni aut duodeni. Vescuntur uermibus, araneis, forte & gemmis arborum. Fœcunda est auis: nam octo, decem aut duodecim ferè pullos educat. Rarò inuenitur nisi tempore frigido. Nidum struit duos ferè palmos cum dimidio longum ex musco & filis (araneorum, ut uidetur) compositum, aditu semper angusto, inter frutices, facit autem oblongum, propter caudæ longitudinem. In genere riparíarum Plinio auis est, quæ nidum è musco arido struit, non quidem oblongum, sed pilæ figura tam absolutè ut inueniri non possit aditus.



DE PARO SYLVATICO.

HIC quoq; parus perq; exiguus est, macula per medium uerticem rubente conspicuus, partibus utrinq; nigris, cruscu lis fuscis, alis nigricantibus, & cauda quoq; extrema: reliquo corpore uiridis, dilutius in uẽtre. Nostri à syluis in quibus degit, præsertim circa abietes & iuniperos, uocant Waldmeißle/Thannmeißle: aliqui minus proprie Waldzinßle. alij à uoce Zilzelperle. cantillat em̃ zul zil zalp. Turcę



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 658 sur 825

ut audio, agulgussin. Auceps quidam apud nos aliquandiu aluit, sed mutam.

¶ Audio & mounier apud Gallos nominari quandam pari speciem, exiguam, atro capite, reliquo corpore subcœruleo uel cinereo: quæ nidum rotundum aditu gemino ad arboris alicuius truncum suspendat, & multa oua pariat.

DE PASSERE.



A.

PASSERIS nomen etiamsi ad omnes ferè minores aues extenditur, (uide infra in H.2.) priuatim tamen speciem certam significat, de qua præcipuè hic scribimus. ¶ Zippor Hebraicè, צפור, secundum aliquos est generale uocabulum auium, tametsi translatio nostra sæpe uertat passerem: & inuenitur in utroq; genere. Kimhi dicit quòd aliquando capiatur pro certa auium specie, nempe Psalmo 84. pro aue parua quæ uulgò uocetur passer. Pluralis numerus est ziparim, Esaiæ 31. Secundum Mosen Gerundēsem auis est quæ mane ad ascensum auroræ incipit cantare, Munsterus. Zipor Deuter. 14. dicitur de omnibus auibus mundis. Chaldæus eo in loco habet zipar, Arabs taër, טאיר. Persa gongescheck, גונגשך. Nominātur autem aues omnes ab unguibus (ziparen unguis est) ziparim, ut à uolatu ophim, Leuitici 14. ubi de mundatione leprosi agitur, Chaldæus pro passere habet zepara, צפרא. Arabs, azbur, עצבור. Persa etiam retinet generale uocabulum gongeschek. LXX. ὄρνιθα ponunt, Hieronymus passerem. Agur etiam Hebraicam uocem aliqui passerem interpretātur: uide in Grue supra. Alhassafir, id est passerum, Andr. Bellunensis. Stupion (Struthion legerim) passer, Syluaticus. Lesan alhassafir (aliâs alasafir) id est lingua passerum, de fructu fraxini uel orneoglossi arboris legitur apud Arabicos medicos. Babebot est auis quædam omnium calidissima, Venerem stimulans, mihi ignota, Syluaticus. uidetur autem esse passer.

¶ Στρουθία, omnes auiculæ: sed στρουθὸς propriè qui τρωγλίτης dicitur, Varinus. Στρουθὸς ex Aristolis descriptione auis illa uidetur, quę uulgò τρωγλίτης dicitur, specialiter accipiendo. nam alioqui generale nomen est, Eustathius si bene memini. Xuthros, alijs struthos, uel pyrgites, alij trogliten uocant, Kiranides. Passerculus in Creta uulgò sporguitis appellatur, Bellonius. sunt qui σπούργητας uel ἀσπουργίτης uulgò uocari mihi retulerint. uidētur autem hæc nomina corrupta à prisca uoce πυργίτης: quod hoc genus auium circa turres uersari soleat. Στρουθοὶ πυργῖται, id est passeres turricolæ, Galeno de sanitate tuenda libro 6. cap. 16. dicuntur, qui in turribus quæ in locis excelsis sunt nidulantur. Alaudæ cristatæ aues sunt similes passerculis, ut inquit Galenus, qui pyrgitæ ac troglitæ nominantur in oppidorum muris ac turribus frequentes, extraquàm galero quo illi carent, Hermolaus. nos idem legimus apud Aetium 9.31. Troglitæ quidem dicti mihi uidentur domestici passeres, quòd passim in ædium troglis, id est cauis uersari ac nidulari soleant: (ut & troglodytæ ab his diuersi in cauis terræ circa sæpes præcipuè) & ijdem quoq; pyrgitæ, nisi quòd circa turres & loca excelsiora degunt, quare etiam salubriores habentur. In paruorum passerum (ad differentiam nimirum τῶν μεγάλων στρουθῶν, hoc est struthocamelorum) numero πυργῖται etiam sunt, Galenus lib. 3. de alimentis. Cypselos Psellus in libro de uictus ratione trogletas nuncupat, quia in foraminibus & cauis ferè latitent, Cælius. Laudat quidem Psellus in cibo passeres & troglatas (ut Ge. Valla transfert) quæ hirundinibus similes, pedibus curtis, foraminibus turrium solum se cōmittunt. Ego uerò hæc uerba, hirundinibus similes, pedibus curtis, à Valla imperitè adiecta existimo, ut sic quas ipse aues troglatas esse putaret interpretaretur. illas sanè hirundinibus similes aues apodes & cypselos appellant Græci, quas in cibum admitti nullis equidem hominibus nisi fame coactis existimem. quare Psellum de passeribus troglitis & pyrgitis sensisse dixerim. nam & alibi inter attenuantes cibos cum

perdicibus

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 659 sur 825

perdicibus & auiculis montanis trogletas nominat. Ego non trogletam neq; troglatam, sed troglitam per iôta in penultima scribendum censeo. Vulturem odit τρωγλίτης, Philes. Est & simi τρωγλίτου mentio apud recentiorem quendam Græcum, qui de morbis accipitrum scripsit.

¶ Italicè passara, uel celega, uel passara cazarenga. Passerculum pullatum uulgus cilegam dicit modo, uti coniecto, quasi spicilegã, siue frugilegã: quod genus spermologon nuncupant Græci, Celius ex Hermol. ¶ Hispanicè gorriòn uel paxáro. Gallicè moineau, moucet, passe, passereau, passerat, passeteau. ¶ Germanicè Spar/Spatz/Hußspar. Saxonibus Sperck/Sperlinkg, alijs Lüningk. Germanis inferiorib. Müsche/Spätze. ¶ Anglicè sparrou. ¶ Illyricè wrabecz.

¶ Alexander Myndius duo passerũ genera esse dicit, alterum mansuetum, alterũ ferum, Athenæus. Struthocameli quoq; passeres feri, ἄγρια στρουθοί dicuntur, Eustathio teste. ¶ Passer duorũ est generum, unum griseum (cinereum aut fuscũ,) quod in tectis degit & nidificat: & alterũ minus, rubeum in uertice, in cauis arborum nidificans, Albertus.

B.

Passer est auis parua, cinerea, Albert. Fœminæ ubiq; sunt coloris cinerei, Idem. Color κόραμβος, id est testaceus, passeri est & plerisque pulueratricibus, G. Longolius. Passeris pennæ quoties frigora urgent acriora interdum in albas transeunt, Aristot. qui alibi etiam passerem quandoque album conspectum memorat: audio & nostra memoria eodem colore uisum. Nigrities quæ est in rostro uel mento æstate incipit, cum uêris initio nõdum spectetur: uide infra in C. de uita passerum. Passeri, ut auiculis omnibus, nõ gula nec ingluuies, sed uentriculus longior est, Aristot. Ad imum intestinum appendices paucas habet, sed perexiguè, Idem. Passeribus alijs uentri, alijs intestino fel iungitur, Idem. Mares guttulis nigris & albis distinguuntur, Albertus. Mas nigredinem habet circa os, fœmina uerò albedinem, Obscurus. Alexander Myndius fœminas dicit rostro esse colore magis (quàm in maribus) corneo, facie uerò nec admodum alba neque nigra, Athenæus. ¶ Domestici syluestribus corpore paulò maiores sunt, & capite pro corporis portione satis magno, Longolius.

C.

Passer uocem sibi peculiarem habet, sicut & turtur, Obscurus Aristotelem citans: apud quem nihil eiusmodi extare puto. Pessimus at passer tristia flẽdo pipit, Author Philomelæ. Pipire pullos gallinaceos Columella dixit, pipare gallinas Varro. Sed circunsiliens modò huc, modò illuc, Ad solam dominam usq; pipilabat, Catullus de passere Lesbiæ. πιππίζειν uerbum fictum est ad imitationem uocis auium, Suidas & Varinus. uidetur autem passeribus præcipuè conuenire. Titos palumbes dici interpretor ex passerum salacitate, qui solent πιππίζειν, Cælius. Et rursus, Passerculi creduntur πιππίζειν, id est titissare: ex quo titis corrũpatur, ut scribit Ael. Dionysius, auiculæ species, aut etiam auis quælibet minutior. Draco deuorat passerculos ἐλιεῖνα πτηνιγῶτας, Iliad. B. alioqui τετρίζειν uerbum proprium est uoci uespertilionum. Qui stridunt potius quàm canant, στρυζίζειν Græcè dicuntur, quod Latinè enunciare licet struthissare: ex passerum uoce qui struthi uocantur uerbo deflexo, Cælius. ¶ Passer uermiculis uescitur, Aristoteles & Albert. Muscas uenari fertur, Obscurus. Hordeum præ cæteris in cibo amat, & corticem celeriter à grano separat: & si quando nimium auidè paleam cum grano deuorauerit, suffocatur, Albertus. Vescitur & acinorum quorundam granis, ut sambuci, Tragus. Mox digerit quicquid deuorârit, unde corpus eius cibo non pinguescit, sed sustentatur tantum, Author de nat. rerum. Auicula est naturæ perquam calidæ, (omnibus auibus calidior, Author de nat. rerum.) libidinosa & multi motus, quas ob causas non obesatur, Albertus & alij. ¶ Stercus eius calidissimum est quando emittitur, sed mox refrigeratur, Author de nat. rerum. ¶ Passer tum lauare, tum puluerare solet, Aristot. ¶ Aues quædam saliunt, ut passeres, merulæ, Plin. ¶ Passer gregatim ad pastum uolat, Author de nat. rerum. ¶ In tectis habitat & in altis locis, in petræ foramine nidificat, Obscurus. Pyrgitæ passerculi nominant quòd circa turres uersari soleant. Passeres domestici in ædium & turrium cauernulis, quinetiam capsulis pensilibus nidum collocant, G. Longolius. Passer griseus in tectis degit & nidificat: alterũ uerò genus in cauis arborum nidum struit, Albertus. Conscientia uel suæ infirmitatis, uel sui corpusculi exiguitatis, passeres in ramorum cacuminibus, modò ab ijs sustineri queant, nidos contexunt, sæpeq; numero ea machinatione sibi factas à uenatoribus insidias declinant: eò sanè ij propter rami tenuitatem ascendere non queunt, Aelianus: passerum nomen fortè communiùs pro auiculis quibusuis paruis usurpans. ¶ Passer supra modum libidinosus est, Author de nat. rerum. hinc illud, Passere salacior, Erasmus prouerbij specie usurpari posse ait. Passer animal est libidinosum & fœcundum. quare Terpsicles eos etiam qui passeribus in cibo utuntur, ad res uenereas ait procliuiores fieri. Perdices mares, ut & passeres, genituram emittunt, non solum conspectis fœminis, sed etiam uoce earum audita, Eustathius ex Athenæo. Passer pyrgites immodica ira & copia seminis ductus (ὑπὸ ὀργῆς [forte ὁρμῆς] καὶ πολυσπερμίας ὀχλούμενος) septies in hora fœminam init, copiosum confertimq; semen effundens, Orus. Passer adeò salax est, ut in una hora fortè uigesies coeat, Albertus. Aliqui eum trecenties die coire aiunt, Vrsinus. Sunt qui passerum etiam mares anno diutius durare non posse arbitrentur, argumento quòd ueris initio nulli mentum habere nigrum spectentur, sed postea, tanquam nullus anni superioris seruetur, fœminas uerò hoc in genere esse uiuaciores

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 660 sur 825

uolunt, capi enim has cum nouellis, cognoſciq; labrorũ callo (duritie quadam) aſſeuerant, Ariſtot. de hiſt. anim. Et in libro de longitudine uitæ, Mares (inquit) ſi ſalaces fuerint, breuioris uitæ ſunt quàm fœminæ, ut in genere paſſerum. Paſſeri minimum uitæ, cui ſalacitas par (ut columbis & turturibus) mares negantur anno diutius durare, argumento quia nulla uêris initio appareat nigritudo in roſtro, quæ ab æſtate incipit. fœminis longiuſculũ ſpatium, Plin. Ariſtoteles ſcribit paſſ. marem uno anno tantum uiuere, quod de paſſeribus Orientis credimus. nam & illa nigredo de qua dicit quòd ſit in collo (mento) maſculi, non eſt in eis qui ſunt apud nos, ſcilicet in Europa, Author de nat. rerum. Aetas paſſeris apparet in roſtro, quia iuuenis habet illud cinereũ, & circa fauces croceum, ſenex uerò durum & nigrum, Idem. Mares parum uiuũt propter coitum & nimium motum, quæ exiccant in eis humidum uitale, Albertus. Alexander Myndius ait fœminas maribus infirmiores eſſe, Athenæus. Mares hyeme perire, fœminas uerò durare Ariſtoteles putat, probabiliter ex colore hoc conijciens immutato, Idem. Albertus paſſerum uitam computat à tempore coitus. dicit enim nullum paſſerem uiuere à tempore coitus plus uno anno. Epheſius fortaſſe magis ad uerba Ariſtotelis attendens, computat annum à tempore natiuitatis, aſſerens nullum paſſerem uiuere à tempore ſuæ natiuitatis plus uno anno, Niphus. ¶ Paſſer bis anno uel ter parit, in ſingulas uices ſeptena ut plurimum, ut minimum quaterna oua, Albertus. Parit ad ſummum octona, Athenæus Ariſtotelem citans. Aues nonnullæ imperfectos & cæcos pariunt pullos, uidelicet quæ cum paruæ corpore ſint, multos progenerant, ut paſſer, hirundo, Ariſtot. Cuculi oua paſſeris in nido reperta deuorant & ſua ſubijciunt: hic poſt illa ſuſcepta fouet & nutrit, Iſidorus. ¶ Paſſer comitialem morbum, imò & lepram pati creditur, Iac. Oliuarius abſq; authore: quanquam Author de nat. rerum, In quibuſdam regionibus (inquit) morbum caducum hæc auis patitur: nimirum quia ſemine hyoſcyami paſcitur, ut Ariſtoteles credit. Ego nihil huiuſmodi apud Ariſtotelem. Plinius uerò de coturnice, elleboro eam ueſci, & ſolam præter hominem comitiali obnoxiam eſſe tradit.

D.

Paſſer eſt auicula ualde circunſpecta, Obſcurus. ¶ Paſſeris pulli cum euolare debent, uicini paſſeres cum eorum parentibus conatus ipſorum euolantium comitantur, ut imbecilles ſi neceſſe ſit plurium conſtipatione adiuuentur, Author de nat. rerum. In furorem citò cõcitantur, ſed nulla mora diſcordiæ, Idem. ¶ Paſſer dum aucupum uenatione petitur, ad noctuã accurrit, à qua mox opprimitur, Orus. Apud nos pica aliquando deuorat paſſerem iuuenem, Albertus. Hirundines & paſſeres interimunt ſe mutuò cum cõueniunt in una domo, Auicenna, uide in Capite de Hirundinibus ſylueſtribus. Vulturem timet troglites, Philes.

E.

Paſſeres ſyluestres facilius capiuntur, domeſtici difficulter. ¶ Struthi (id eſt, auiculæ in genere) diuerſi uiſco capiuntur: & ramis duobus myrti collígatis annexo funiculo, &c. ut ſcribit Oppianus de aucupio 3. 3. Capiuntur uiſco paſſeres & cæteræ aues paruæ uel magnæ, ſi uirgulæ inuiſcatæ ponantur in locis ubi paſci uel morari conſueuerunt, Creſcentienſis. Et rurſus, Capiuntur paſſeres præcipuè iuuenes minus ſagaces cum faxa ſeu brechoëllo, quæ eſt quædam cauea ex iuncis conſtructa, de qua exire non poſſunt, cum ad paſſerum pullos impoſitos ingreſsi fuerint. Coturnices, perdices, & paſſeres, quàm ſint libidinoſæ aues, & quomodo libidinis earum tempore ſpeculo propoſito capiantur, recitauimus in Coturnice c. Pantheron retis genus, quo Galli ad paſſeres, ſturnos, & grues utũtur, Budæus deſcribit in Annotationibus in Pandectas. Accipitres capiunt paſſeres, & alias aues diuerſas, Creſcentienſis. E nidis quos in parietibus habent muſtelis aut uiuerris cicuribus immiſsis extrahuntur. Aues etiam quas nos lanios appellauimus pueri cicures alunt, ut paſſeres è nidis captent.

¶ In Media (aliquando) adeò ingens paſſerum inoleuit copia, iacta abſumentium ſemina, ut homines malo acti ad alia migrarint loca, Diodorus Sic. lib. 4. de fabuloſis ant. geſtis. ¶ Paſſer clamans mane tempeſtatem ſignificat, Gratarolus.

F.

Paſſeres & turdi in delicijs habentur præ cæteris cibis, Suidas. Auiculæ (omnes ſcilicet minores, ut præcipuè paſſeres) & cuzardi (alaudæ) improbantur. nam ſi parum de oſsibus eorum deglutiatur, gula & inteſtina aliquando exulcerantur. Quòd ſi de pullis harum auium fiat froſa (edulium) cum ouis & cepis, promouent coitum. Iura earum uentrem ſoluunt, carnes aſtringunt, maximè ſi macræ ſint. Deteriores ex eis ſunt, quæ ſaginantur in domibus, Elluchaſem. Caro paſſerum calida eſt uſq; ad tertium gradum, & ſicca ferè in eodem, difficilis concoctu, corporibus temperatis inſalubris, aliarum quoq; auicularum carnes declinant ad caliditatem, ſed magis ad ſiccitatem. quamobrem de cæteris (auiculis, non paſſeribus) præferuntur pingues. harum enim caro laudabilis eſt, & boni nutrimenti, facilis concoctu, & conualeſcentibus ſalubris, Michael Sauonarola. Paruorum paſſerum, inter quos & pyrgitæ ſunt, caro durior eſt quàm gallinarum, perdicum & ſimilium, Galenus. Pſellus trogletas laudat & attenuare ſcribit. Trallianus tympanicis concedit ex minutis paſſerculis illos qui pingues non fuerint.

¶ Ex auibus laudantur perdices cum montanis omnibus paſſeribus, deinde gallinæ, phaſiani, &c. Galenus de ingenio ſanitatis capite 2. quo in loco Conciliator per paſſeres ſe intelligere ſcribit

aues mi-

aues minutas, & non passeres propriè dictos, qui (inquit) calidissimi sunt, (teste etiam Rasi) & libidinem incitant. Passerum ac palumbiũ caro dura & difficilis concoctionis est, maliq; nutrimenti, sanguinem calidum & siccum generans, Haliabbas S. Theoricæ, cap. 22. Et paulò pòst, Omnino uitandi sunt passeres domi nutriti, procreant enim sanguinem pessimum. Passeres auium calidissimi sunt, & præ cæteris auiculis astringunt, & sanguinem accendunt, Isaac. Et alibi, Calidi & sicci sunt, stomachum corrumpunt, quamobrem rarò sunt admittendi. calfaciunt enim, & facilè in nidorosos uapores & bilem rubeam conuertuntur, præcipuè syluestres & macri. concoctioni sua siccitate obsistunt, & uentrem astringunt. Passeres omnes calidi & sicci sunt in fine caloris, Auerrois. Hæc omnia ex recitatione Antonij Gazij.

¶ Passeres omnes mali sunt, Auicenna. Passeres & ipsi salaces sunt, & uescentes eis procliuiores in Venerem fieri Terpsicles prodidit, Athenæus. Vide etiam in G. & de cerebellis passerum ad eundem usum parandis, ibidem. ¶ Pastillus à passerculis: Cape bubulã aut uitulinam, & adipem uituli incisum minutatim, & caseum optimum, aromata & crocum, Coquus Gallicus.

¶ Omnia quidem oua, sed præcipuè passerum, rem Veneream promouent, Auicenna. Venerem conciliant oua passerum in cibo, Plinius & Marcellus. Passerum oua cęteris calidiora sunt, & sanguinem feruidiorem generant, Ant. Gazius.

G.

Passer assus in cibo sumptus delectationem facit & mouet Venerem, Kiranides. Passeres in cibo Venerem conciliant, Plinius & Marcellus. In libro Secretorũ qui Galeno attribuitur, compositio quædam præscribitur ad coitum promouendum: qua cum (inquit author) passeres quandoque decoquuntur. A salacioribus inuentum est passeres pinguiusculos commanducare, Alexander Benedictus. Vide etiam in F. ¶ Cinis passerum sarmentis crematorum cochlearibus duobus in aqua mulsa (potus) morbo regio resistit, Plinius. Similiter crematorum passeris pullorum cinerem ex aceto aduersus dentium dolorem utiliter infricari tradunt, Idem. ¶ Passeris adeps ponitur in emplastro Nic. Myrepsi ad tofos seu poros, numero 70. ¶ Cibarium factum ex capitibus passerum, & maximè masculorum, adiuuat coitum, R. Moses. Cerebella animalium quomodo reponi debeant, docetur ex Bulcasi in uulgari & barbara æditione Nic. Præpositi lib. 1. cap. 13. Peculiariter uerò cerebella auium (inquit Bulcasis) quorum ad remedia usus est, accipi debent de auiculis quæ nidificant in domibus, tempore autumni aut uêris, quibus decollatis exempta cerebella ponantur in uase mundo, & purgentur à uentriculis (membranis) ambientibus. pro singulis uerò cerebellis decem, uitellum oui recentis nati ex gallina à gallo cõpressa addes: & mixta siccabis in patella super cinere calido: deinde insolabis ut amplius desiccentur, aut iterum ad ignem pones. Sunt qui sine uitellis hoc medicamen faciant, aliqui cerebellis mox recentibus utuntur. alij cerebellis & ouis parum mellis admiscẽt, & ad ignem coagulata reponunt. Cerebella passerum uere occisorum lauantur, purgantur. Ex his decem cum uitello oui subacta, parum igni friguntur, deinde Sole uel igne siccantur: adiecto, si libet, pauco melle, ad Venerem incitandã parantur, alij ut adipes & medullas parant, Syluius. ¶ Passeris fel pondere dauic solutum in zambacelæo pondere aurei, uirgæ testibus & inguinibus inungitur, ut uim ad Venerẽ confirmet, Rasis. ¶ Passeris fimus à lentigine purgat faciem: quod si sputo hominis uarices illinantur, extirpat eas, Hali. Dolorẽ dentium statim abire tradunt fimo passerum cum oleo calefacto, & proximæ auriculæ infuso. pruritum quidem intolerabilem facit, Plinius. Stomacho exoluto & nauseabundo passerum stercus aridum uel ut polentam, siue aquam biberint, siue uinum, inspergito, Archigenes apud Galenum de compos. medic. sec. loc. Passeris stercus cum uino potum erectionem facit magnã: cum adipe uerò porcino inunctum alopeciam sanat & explet, & carbunculos frangit, Kiranides. Remedijs contra accipitrum & falconum lumbricos aliqui passeris (aliâs passeris Indici, uel solitarij: uel, si is desit, communis) stercus admiscent. Troglitæ fimum uel carnem cum uino aut melle accipitri contra morbum quendam dari iubet incertus author Græcus recentior; εἰς συνεχῶς ὀμῦον ἱέρακα. ¶ Oua passerum in cibo sumpta Venerem augent, Hali & alij. uide in F.

H.

a. Passer dubij generis nomen, in masc. gen. usurpari solet, unde diminutiuũ passerculus apud Plautum, Ciceronem, & Varronem. Passeres sunt minuta uolatilia à paruitate uocata. Verbum στρουθὸς non modo passerem aut struthionem significat, sed & aues alias: quod & nos (Latini) quandoque sequimur: ut Cicero cum dixit, omnibus passeribus insitam à natura uoluptatem. hodiéq; aues ipsas in commune passeres uocant Hispaniarum uernaculi, Hermolaus. Passeres dici possunt omnes aues minutæ, Syluaticus. ¶ Στρουθὸς oxytonum est, (secundum canonem Eustathio relatum,) Atticè uerò penanfiectitur Herodiano, ut scribit Aristophanis Scholiastes in Aues. Generis est communis, Eustathius. Στρουθὸς nomen alijs etiam auibus commune est. sed placet magis στρουθὸς uocari ut plurimum aues illas Homericæ struthio (quarum scilicet Iliados secundo ille meminit) congeneres, Idem. Στρουθία dicuntur omnes minimæ auiculæ: στρουθὸς uerò propriè qui (uulgò) πρωγλίτης dicitur, Varin. Reperitur & στρουθάριον pro passerculo. Στρουθὸς dicitur ab eo quòd cum furore quodam in libidinem feratur, παρὰ τὸ μετὰ ὁίστρου θεῖν (πρὸς τὴν ὀχείαν,) Eustathius. Nicander inter remedia contra aconitũ στρουθὸν pro gallina dixit, & contra fungos πύπην στρουθείου καπνιάσθης pro fimo gallinæ.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 662 sur 825

nam & ὄρνις per excellentiam pro gallina ponitur. Κίχλαι, εἶδος στρουθῶν, Varin. Legitur & στρουθὸς pro ſtruthione uel ſtruthiocamelo, ut Ἀφεὶς ἐλεφάντων ἅρματα κ̓ λ̓. σωωείσης πραΰγων, ἐξήνωντα. Βαβαλίων, ιϛ̓. στρουθῶν, ὀκτὼ, citante Euſtathio. Στρουθὸν Attici ſimpliciter pro ſtruthocamelo dicunt, Heſych. Aliàs uerò στρουθοκάμηλοι, μεγάλαι στρουθοί, & ἄγριαι στρουθοὶ dicuntur. Vbi de hiſtoria plantarũ quarto Theophraſtus στρουθῶν πτῆρα dixit, ac Theodorus ſtruthorum alas reddidit, auium transferre maluit Plinius: tanquam ſtruthos Græcis quandoq; de auitio dicatur, ſicuti Latinè paſſer, Cælius. ſed Theophraſtus de ſtruthocamelis ſenſit, non de paſſeribus. nam Indicas quaſdam arbores deſcribens, ſic inquit: Ἕτερον δὲ ἔχει τὸ φύλλον, τῷ μὲν μορφῇ πρόμηκες, τοῖς δὲ στρουθῶν πτέροις ὅμοιον, ἃ παραπίθηνται παρὰ τὰ κράνη. Στρῆς, ὁ στρουθὸς, καὶ ὄαριον, Heſychius. Elei paſſeres uocant λαφείτας, ut Nicander Colophonius ait, Athenæus. Δίγηρος, paſſeres, Heſychius: Varinus penanflectit. Inuenio & λίγηρος, δ̓ηγῆρος, & δίγηρος pro paſſeribus apud eoſdem. item δρῆθος, Macedonum lingua. Ἑλλόποδες & ἐλλοί (Heſychius habet ἐλλοπόδας) paſſeres & hinnuli, ἀπὸ τοῦ ἅλλεσθαι, & catuli ſerpentis, Heſych. & Varin. Κιλίας, paſſer mas, Iidem. Σμαρδίνων, στρουθίον, Iidem. hinc σμαρδινωπῶλαι, qui paſſeres uendunt.

¶ Epitheta. Arguto paſſere uernat ager, Martialis. Leuis paſſerculus, Varro apud Nonium. Paſſer ſaltitans, cantillans, ſoliuagus, apud Textorem. ¶ Ὠκὺς στρουθοί, ταχεῖς, ὑπερπτᾶς, κάφοι, Heſychius & Varinus.

¶ Paſſer ille Catullianus allegoricôs, ut arbitror, obſcœniorem quempiam cælat intellectum, quem ſalua uerecundia nequimus enunciare. Quod ut credam, Martialis epigrammate illo perſuadet, cuius hi ſunt extremi uerſiculi: Da mi baſia, ſed Catulliana, Quæ ſi tot fuerint, quot ille dixit, Donabo tibi paſſerem Catulli, Politianus. Strutheum Latinè, ut eſt apud Feſtum, à ſalacitate paſſeris, membrum uirile ſignificat, præcipuè in mimis: ut qui paſſerem in Martialis & Catulli uerſibus aliter accipiunt, nihil mihi dixiſſe uideantur: ne quis in ea re Politianum, quia ſine authore loquitur, ſomniaſſe cauilletur, Hermolaus in Corollario. Dic igitur me tuum paſſerculũ, gallinam, coturnicem, &c. Plautus in Aſin. ¶ Στρουθὸς, homo ſalax & libidinoſus, Heſych. Στρουθὸν, ὁ λελωβημένος, Suidas. οἴμοι κακοδαίμων, στρουθὸς ἀνὴρ γέγνεται. Ἐκπέπτωκα. τοῦτ̓ ἔστι μοι τὸ δίκτυον; Ariſtophanes in Veſpis, ubi Scholiaſtes ſenẽ, inquit, quia ſaltat, famulus paſſerem fieri ait. Idem in Auibus Philocratem τὸν στρούθιον (inquit) ſi quæ auis occiderit, talentum accipiet. ubi Scholia, Ἄνω ἔπτην ἐκ τῶν ὀρνέων. Στρούθιον δέ ἔπτην ὡς μήλιον. In eadem fabula Cleocritus quidam traducitur ὡς στρουθόπους, τουτέστι μεγαλόπους, (à ſtruthocameli pedibus fortaſsis: uel à paſſerinis per antiphraſin: ἢ ὡς τῶν ὤψιν στρουθώδη, Scholiaſtes. Ego ſtruthópoda eum dixerim cui pedes & crura exigua fuerint, ut noſtri meiſenbeinle: Sic & Plinius: Eudoxus (inquit) author eſt, in meridianis Indiæ uiris plãtas eſſe cubitales: fœminis adeò paruas, ut Struthopodes appellentur. Plautus cruſcula todila dixit, citante Feſto, cui todus eſt genus auis paruæ. Monſtroſi partus in utero fiunt, uel parte aliqua magnitudine excedente, ὡς τὰ μεγαλοκέφαλα (ſcilicet τέρατα:) uel deficiente, ὡς τὰ στρουθοκέφαλα, Author Definitionũ medicinalium quæ Galeno attribuuntur. habet autem & ſtruthiocamelus quoque caput proportione exiguum. Στρουθίζειν uerbum à nomine στρουθὸς, quod eſt paſſer, deriuatur, & cantum uilem ædere ſignificat, τὸ ὠτηλῶς (aliàs βυτηλῶς, quod placet) πως ᾄδειν, Euſtathius. Quæ ſtridunt potius quàm canant, στρουθίζειν Græcè dicuntur, ex paſſerum uoce, Cælius. Στρουθίζειν, τρίζειν, Suidas. Poculum quoddam Perſicum στρούθιον dictum Athenæo, à quibuſnam ſtruthis (paſſeribus) denominatũ ſit non conſtat, Euſtathius. Struthio herbæ folium oleæ eſt, quod à medicis aureum poculũ uocatur. ab hac ſimilitudine potorium quoddam uaſculum fortaſſe ſtruthion appellatũ ſit, Hermolaus. Strutheum, in mimis præcipuè, uocant obſcœnam partem uirilem, à ſalacitate uidelicet paſſeris, (etiamſi anſeris in codicibus pleriſq; ſcriptum eſt, Hermolaus) quæ Græcè στρουθὸς dicitur, Feſtus.

¶ Paſſer marinus, quem uocat uulgus ſtruthiocamelum, Feſtus. Græci στρουθὸν ſimpliciter pro ſtruthiocamelo ponunt, ut ſupra oſtendi: aliquando ἀγρίαν, uel λίβυσσαν, uel μεγάλην cognominant. Eſt & paſſer marinus piſcis, Græcorum ψῆττα.

¶ Stirpes. Struthium à noſtris (ut Plinio) radicula uocatur: ſpinoſa herba, nõ tamen acanacea. Flos ſpectabilis æſtatibus, ſine odore, caule lanuginoſo, ſemen nullum, radix magna, quæ concidi-tur purgandis lanis, mirum quantum conferens candore mollitiaq;, &c. Smyrnæa mulier Galena florem hunc non ſtruthion, ſed ſtrythion uocauit, Hermolaus. Στρουθίον, radix herbæ lanis eluendis apta, Heſychius. Ἐστρουθισμένα Græcis dicuntur ſtruthio herba repurgata (uellera,) Cælius. Dioſcorides ad œſypum laudat lanas ἀστρουθίστους, hoc eſt illotas & radicula non curatas. Medicis hodie & orbi noſtro, in quo prouenire etiam non puto, ſtruthium ignoratur. Serebatur olim paſsim. Sponte uerò naſcitur in Aſia Syriaq;, & trans Euphratem. Hippocrates commendat naſcens in Andri inſulæ littoribus. ¶ Alterum ſylueſtris papaueris genus heraclion uocatur, ab aliis aphron, foliis (ſi procul intuearis) ſpeciem paſſerum præſentantibus, ſemine ſpumeo. Ex hoc lina ſplendorẽ trahunt æſtate, Plinius 20. 19. Dioſcorides huic papaueri folia tribuit σφόδρα μικρὰ, στρουθίῳ ἐοικότα: id eſt, minima uel breuiſsima, ſtruthio ſimilia, herbæ uidelicet, non paſſeribus. tribuunt autem quidam ſtruthio herbæ folium oleæ: ut lapſus uideatur Plinius. nam Theophraſtus quoq; de hiſtoria plant. 9. 13. (unde & Dioſcoridem & Plinium mutuatos apparet,) Papauer Herculanũ (inquit, interprete Gaza) folio conſtat ſtruthi, quo ſplendorem linteis tribuunt. τὸ φύλλον ἔχουσι οἷον στρουθίον, ᾧ τὰ ὀθόνια λευκαίνουσι. ¶ Mala ſtruthia, μῆλα στρούθια, στρουθόμηλα, è cotoneorum genere, minori amplitudine, & ſerotino prouentu,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 663 sur 825

uentu, odoratius uibrat. Aetius uerò struthia uocat, quæ magna sint & suauiora, minoricq placeant acerbitate. Nominat struthium etiam Macrobius inter malorum genera 3. 19. Et Callistruthis, roseo quæ semine ridet, Columella ficuum genera enumerans. codex noster habet Challistruthis. ¶ Errant qui passerinam uulgò dictam florem candidum ferentem, anagallida existiment, Hermolaus. Passarina, inter leucoij nomenclaturas apud Dioscoridem. Ticedillo, id est herba passerina, quam ignoro, Syluaticus. Centumnodia, lingua passerina, Idem. Lingua passerina, ut quidã uocant, genus minus lithospermi, quod in aruis reperitur, radice inutili, Tragus. ¶ Auicenna 2. 435. lasan alasafir, uel lesan alhassafir, (linguam auis interpretantur, Bellunensis linguam passerum) arborem quandam uocat, quæ Græcis recentioribus orneoglosson est. uidetur autem fraxinus uel fraxini species, in cuius siliquis medulla inest linguæ auis similis, &c. Syluaticus cap. 703. usnen herbam interpretatur stercus passerum, uel herbam kali, &c. albam esse aiunt, & pãnos ea lauari ac dealbari. quærent diligentiores struthióne an papaueri spumoso descriptio eius conueniat. mihi ad struthium potius accedere uidetur.

¶ Icones. Aegyptij hominem qui ad proprium patronum confugiat, nec eius subleuetur auxilio, monstrare cupientes, passerem & noctuam pingunt. hic enim dum aucupum uenatione petitur, ad noctuam accurrit, à qua mox opprimitur, Orus. Idem hominem semine abundantem uolentes designare, passerculum pyrgiten pingunt, Idem.

¶ Propria. M. Petronius Passer nominatur apud Varronẽ de re rust. 3. 2. Στρόθας, Struthas, satrapæ regij nomen est apud Xenophontem rerum Græcarum lib. 4. ¶ Passer, nomen loci, cuius meminit Martialis: Non mollis Sinuessa, feruidiq Fluctus Passeris, aut superbus Anxur.

¶ b. Ilia passeris, Horatius 2. Serm. Σπίζαν auiculam passeri similem esse tradunt Hesychius & Varinus: item σπαράσιον. Corydalus passerculus est, similis passerculis quos pyrgitas à turribus, & troglitas ab antris & cauernis appellant, sed maior & cristatus, Aetius. Sirenes supernè specie sunt στρθῶν, id est passerum, Gyraldus. Ὄψιν ἔχεις στρθῷ παρομοίαν, ἢ ῥά σε Κίρκη Ἐς πῆλωὶ μετέθηκε φύσιν κικιῶνα πόντε, Distichon Iuliani. Passerem quadrupedem circa paludes Liberdæ oppidi in Lusatia captum, Ge. Fabricius nobis significauit.

¶ c. Ἐκβλάκδυσιν ὁ συμπίεσις τὸ σόμα ὥσπερ πολεμῶν, ἀλλὰ τοῖσι στρθίοισι χαυνῶσι ὁμοίως, Comicus quidam apud Eustathium. uidetur autem significare quandam alicui assentatam ore non compresso, sed pleno & hiante, ut hiare solent auiculæ. ¶ In Domino confido. quomodo dicitis animæ meæ, auola (de) monte uestro (sicut) passer? Psalmo 10. Et passer quolibet uadens, Prouerb. 26. Factus sum sicut passer solitarius in tecto, Psalmo 102. Aristophanes passerum nubem dixit, (στρθῶν νέφος ἀθρόον ἐκ τῶν ἀγρῶν τὸ σπορὰν αὐτῶν ἀνακάψαι. Illic (in arboribus) passeres (ziparim, aues, Munsterus) nidificabunt, Psalmo 103. in translatione Hieronymi. Passer inuenit sibi domum, Psalmo 83. a.

¶ d. Passer aliquò strepitum magnum faciens uolat, ne laqueo uenantium capiatur: unde inquit, Anima nostra sicut passer, &c. Glossa in Psalm. 124. ¶ Τὸ στρθίον σκελὸν ὄρνεον ὃν νῦν ἀγωνίας ἐλαύνει τὸν ὕπνον, Suidas in Nycticorax.

¶ Passeres duo nónne asse uæneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro? Matthæi 10. Passeres quinq nónne uæneunt dipondio? Lucæ 12. Καὶ γὰρ πόσῳ κέλλιον ἱκετεύω πρὸς φεῦ Ἄνθρωπον ἐς ἄνθρωπον, αὖ ἔχει βίον, Ἢ στρθόν, ἢ πίθηκον; Eubulus apud Athenæum. Pestem à milio atq panico sturnorum passerúmue agmina scio abigi herba, cuius nomen est ignotum, in quatuor angulis segetis defossa: mirum dictu, ut omnino nulla auis intret, Plinius. Multi ad milij remedia, rubetam noctu aruo circumferri iubent, priusquã sarriatur, defodiq in medio inclusam uase fictili: ita nec passerem, nec uermẽ nocere: sed eruendam priusquam metatur, alioqui amarum fieri, Idem.

¶ h. Χρὴν ὁ θεὸς Ἀρισταίῳ τῷ Κυμαίῳ ἱκέτας οὓς στρθὸς αὐτὸν ἔφυ εἶν, Porphyrius lib. 4. de abstinendo ab animatis.

¶ Apollonius cum Ephesios doceret, oportere eos sese mutuò nutrire atq nutriri, passeres fortè in arbore quadam taciti considebant: unus autem ex ipsis tanquam alicuius rei nuncius uocem emisit, qua uisus est aliquid cæteris prædicere. Eo audito cæteri clamorem tollentes post ipsum uolarunt. Tunc aliquandiu tacuit Apollonius, sciens quidem quam ob causam passeres uolitassent, nondum tamen auditoribus id enarrans. Vbi uerò omnes in se conuersos, & quasi portentum aliquod admirantes aspexit, tunc rupto silentio sic est locutus: Puer quidam effusum frumentum in arcam manibus demittens, cum negligenter illud collegisset, abijt, multa grana passim in angiporto sparsa relinquens: quæ cum passer ille inuenisset, cæteris (ut uidistis) nuncians, inuentũ cibum communicauit. His uerbis permulti commoti, ad hoc uisendũ cucurrêre. ipse uerò his qui manserunt, cœptum sermonem de communi societate seruanda prosecutus est. Postquã uerò qui uisum ierant cum clamore atq admiratione summa reuersi sunt: Videtis (inquit Apollonius) quo pacto passeres mutuam de se curam habeant, quantumq communi gaudeant societate, nos autem homines eam colere dedignamur, &c. Philostratus lib. 2. de uita Apoll. Draco quidam terribilis octo pullos passeris unà cum matre deuorat, & mox à Ioue in lapidem conuertitur, Iliados secundo: quod prodigium Calchas interpretatur, fore ut Græci circa Ilium nouem annis pugnent, (ut draco passeres nouem deuorârat,) & decimo demum obtineant. Ex passerum numero belli Troiani annos auguratus est Calchas, Cicero 1. de diuinat. Et rursus, Cur autem de passerculis coniecturam facit, in qui-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 664 sur 825

bus nullum erat monstrum? Sic Apollonius apud Philostratum (lib. 1. de uita Apollonij) ex lexna capta, in cuius uentre cæso octo catuli reperti erant, annuam & mensium octo futurã prædixit, &c. ¶ Σροθὸν κρατῶν φεύγοντα πτοσύνᾳ βλάπτων, Senarius onirocriticus apud Suidam, id est, Passerem fugientem si comprehenderis, damnũ expecta. ¶ Passer auicula parua est, Veneri sacra, tum propter fœcunditatẽ eius in tantillo corpore, tum quod libidinosa sit auicula, Eustathius. Passeribus Venerẽ subuehi Sappho cecinit, Cælius. ¶ Qui purificat, offerat duos passeres uiuos, Leuit. 14.

¶ Prouerbio celebratur apud Italos passerem uetulum non illaqueari. Passaro uecchio non trase in gaio uel gaiola: ut apud Latinos Annosa uulpes non capitur laqueo, & Simia non capitur laqueo, in eum qui longa ætate, multaq; rerũ experientia est callidior q; ut dolis capi possit, Scoppa.

DE PASSERE SYLVESTRI PARVO, SIVE TORQVATO.

PASSERES quidam in arborum truncis, qui longo situ foraminosi sunt, nidificãt, uitæ quàm domestici diuturnioris, corpore q; multò minores, horum colla plumæ candidæ, ueluti torques aliqua, circundant, unde & apud nostrates nomen inuenêre, (Ringelspatz:) qui per hyemem ferè omnes auolare consueuêre, G. Longolius. Passer torquatus non solum torque albo à cõmuni passere differt, sed & uoce & modo nidificandi. Hoc genus in Germania frequens est, sed apud Anglos rarum, Turnerus. atqui Eberus & Peucerus passerem in harundinetis nidificantem, de quo mox priuatim scribemus, torque albo insigniri aiunt. ¶ Hieronymus Tragus passerem quendam syluestrem uocat Waldspatz, id est passerem syluaticum. ¶ Est & alius syluestris passer maior, quem mox describemus.

DE PASSERIBVS DIVERSIS, QVORVM scriptores Græci meminerunt.

ACANTHYLLIS, genus est passeris, Hesychius.

HIPPOCAMPTVS, passerculus quidam, Idem & Varinus.

PITYLVS, πίτυλος, auicula quædam syluestris, ὀρνιθάριόν τι ἄγριον, Iidem.

SPARASION, σπαράσιον, auis passeri similis, ὄρνεον σπίνῳ, Iidem.

SPERGVLVS, σπέργυλος, auicula syluestris, Hesychius & Varin. Ab hac uoce corruptum uidetur πέργολον, quod ijdem interpretantur ὀρνιθάριον ἄγριον λευκόν.

PASSERES pyrgitæ & troglitæ à Græcis cognominati, nihil opinor à passeribus domesticis differunt, solent enim domestici passeres uel circa domos in cauis se abdere & nidificare, unde troglitæ dicuntur: uel altiùs circa turres, unde pyrgitæ dicti. uide supra in Passere A.

PSARIS, ψάρις, genus est passeris, Hesychius & Varinus.

DE PASSERE SYLVESTRI MAGNO.

PASSERIS syluestris (magni, non superioris qui paruus est) caro neq; redundans, neque concoctu difficilis est, sed si quæ alia boni succi. Testatur autem Tragon medicus cerebellum eius proprietate quadam comitialibus auxiliari. Est autem passer (hic) magnus, terrestris: neq; in arboribus neq; domibus habitat: uerùm in summis fruticum surculis desidet, uoce nimis quàm garriens, (κακοζήλως.) pascitur autem in triticum hordeumq; ferentibus agris, & nidum in terra collocat. colore & magnitudine alaudæ similis. hyeme non uisitur. capitur uerò maximè noctua, Actuarius lib. 2. Regalium sermonũ, ut Gyb. Longolius citat enumeratis etiam uerbis Græcis. ¶ Passerem magnum Actuarij uarijs de causis Anglorum buntingam, & Germanorum Gerstkammer esse suspicor, Turnerus in libro de Auibus. in margine etiam adijcit huic passeri mollicipitis apud Aristotelem descriptionẽ magna ex parte conuenire. ¶ Passer magnus solitarius est, paulò minor merula, Germanis Gerstkammer, Eberus & Peucerus.

DE TETRACE PARVA.

TETRACEM auem magnam in Gallinaceo genere descripsi. sed alia tetrax est auicula, passerum generis, ut mihi uidetur, quoniam mentio eius apud authores cum spermologo fit & passere. magnitudo enim his tribus, ni fallor, ferè eadem, & uictus similis, è granis ut plurimum: neq; cantu nobiles sunt, ut eo nomine à passerum uilium auicularum genere eximi debeant. Tetrax auicula est à uoce dicta, quam oua pariens emittit, (ὅτι τηκάλιζα τὴν φωνὴν. ego τηκάλιζα uerbum per onomatopœiam accipio, nec probo illum qui uocem quadruplicem ab hac auẽ cum peperit ædi reddidit.) Plumis color macularum sorde uarius, perpetuisq; (μιγάλαις γραμμαῖς, lineis magnis) lineis, magnitudine spermologi, Hermolaus ex Athenæo: qui colorẽ tetracis κόραμβον esse ait, id est ruffum qualis est lateris uel testæ coctæ, figlinum dixeris. & carpophágon esse addit, id est frugibus uesci, ex Alexandro Myndio. Athenæus ipse auiculam minimam esse ait. Epicharmus apud Athenæum, ἀμβάνοντα γὰρ ὄρτυγας, τρυβὸς τε καὶ κορυδάλους φοινικοθέμονας τέτρακας, ἀτραπελόγες τε; ubi epitheton φοινικοθέμονας

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 665 sur 825

κάμονας ad alaudas an galeritas referri debeat, dubitari potest: & an σπερμολόγος pro aue sui generis accipiendum, an tanquam epitheton tetragum: utrunq; enim fieri potest. Et rursus, πέτραγες τε καὶ σπερμολόγοι. ¶ Τεθραῖον, ὀρνιθάριόν τι, id est auicula quædam, Hesych. & Varinus. ¶ Apud Aristotelem πέτριξ scribitur, Gaza Græcā uocem reliquit. Alauda & tetrix condenso frutice prolem muniunt, Aristot. Niphus hanc auem esse conijcit quæ uulgò calandrella uocetur, cōgenerem alaudæ, magnitudine etiam & colore simílem, absq; apice. Aristoteles quidem alibi genus alaudæ non cristatum describens, nullum ei peculiare nomen tribuit, sed calandrella alterum alaudæ non cristatæ genus est.

DE SPERMOLOGO PARVO.

SPERMOLOGVS nomine auis alia maior est, de genere graculi uel cornicis, de qua superius scripsi inter cornices. alia uerò auicula exigua, quam ad passerum genus referre uolui, propter causas iam proximè in Tetrace paruo assignatas, cui magnitudine confertur ab Alexandro Myndio. Epicharmus pro spermologo spermatologum dixit, ut citaui in Tetrace. Τόπι χὴ σπερθῶν νέφος ἀρθῇ, Καὶ σπερμολόγων ἐκ τῆν ἀγρῶν τὸ σπέρμ' αὐτῶν ἀνακάψαι, Aristophanes in Auibus. Scholiastes spermologos auiculas dictas ait ἀφ' ὧν ὀρύττειν τὰ σπέρματα καὶ ἐσθίειν, (ἀναλέγειν, Suidas) hoc est, ab eo quòd semina in agris eruat & deuoret. Frugilega uermiculos petit, Aristot. Spermologum nos spicilegam siue frugilegam uocare possumus: quanquam frugilega (καρποφάγον nimirū) nomen generis est, ita uictum quærentis apud Aristotelem. Rura (Italiæ) ipsum passerculū uocant spicilegam, detrita modo priore syllaba, Hermolaus. ¶ Nuper quidam spermologum auem specie simili monedulæ esse scripsit, magnitudine tetraci æqualem: sed is aues diuersas pro eadē accepit. ¶ Quærendum an spermologus sit genus illud passeris, quod uulgo nostri emmerizam uocant, cuius iconem paulò pòst ponemus. ¶ Eberus & Peucerus picam glandariam nostram, garrulum ipsi uocant, Græcorum spermologum esse putant, à quibus ego longè dissentio. ¶ Gruem Græci géranon uocant quasi γήρυνον, ab eo quòd terræ semina scrutetur: & aliter σπερμολόγον, id est frugilegam, quòd frugum semina quæ humo non obruta fuerint, ab agricolis depascatur, Varinus. ego spermólogum, potiùs epitheton gruis esse dixerim, quàm ipsam gruem.

¶ Ὀλαπτοί, σπερμολόγοι, καὶ ὀλαπτοί, Hesychius & Varinus. uidetur autem ὀλαπτὸς hæc auis dicta quasi hordearia, (ut miliariam dicimus.) ὀλαὶς enim & ὀλὰς, hordeum interpretantur. quod hac fruge pasci gaudeat. Σαρκῶν, σπερμολόγων, Iidem. Aristophanes in Auibus, auium quædam genera à uictu cognominat κοπινοβάγας, alia κριθοβάγας & σπερμολόγας. ¶ Spermologus auis est quæ frugibus nocet, quæ & σπερμονόμος dicitur. ab ea spermologos uocabant Attici homines (inopes) circa emporia & fora commorantes, & ea quæ de mercibus fortè deciderent (τὰ ἐκ τῆν φορτίων ἀφαπτόμενα) colligentes. Per tropum etiam spermologi dicuntur homines nullius pretij, (nullius solidæ doctrinæ) qui ex collectitia quadam & passim emendicata consutaq; eruditione gloriam sibi aucupantur. unde & uerbum σπερμολογεῖν, ἀντὶ τοῦ ἀμεθόδως ὑπὸ μαθήμασιν ἐκ πάνων παρακεκομμάτων ἀλαζονεύεσθαι, Eustathius. Ἀπειρήδων ὃν καὶ δὲ ἄκρος καὶ τὰ ἀκροάματα βωμολοχίας καὶ σπερμολογίας πολλῆς γέμοντα, Clemens lib. 10. στρωματ.

DE PASSERE TROGLODYTE.



AETIVS libro XI. cap. XI. quod communia remedia aduersus uesicæ & renum calculos continet: Passer troglodytes (inquit) est passerculus minimus, iuxta sæpes & muros uictum quæritās. estq; hoc animalculum omnium auicularum minimum, ea excepta quæ regulus appellatur. simílis est autem regulo in multis, præterquam quòd in fronte auricolores pennas non habet. eodem paulò maior est, & nigrior, caudamq; semper subrectam, & albo colore retro interpunctam habet. magis item garrulus quàm regulus est: & sanè iuxta summū alæ lineamentum cinerei amplius coloris, (ψαρότερον, id est magis uarij coloris, Vuottonus.) breues item uolatus facit. Naturalem autem uim omnino admiratione dignam habet. Itaq; sale conditus & crudus in cibo acceptus, morbum perfectè sanat: & noui adeò quosdam ob eius usum nunquam amplius ab affectione uexatos. Conditur autem optimè pennis euulsis, atq; inde largo sale adobrutus, & posiquam fuerit arefactus comeditur, & affectionem perfectè sedat. Melius autem est etiam aliter ipsos edere si plures contigerint, coctos nimirum, eius præsertim generis quod per hyemem ubiq; apparet. Exhibetur autem & alio modo. Passerculus non deplumis in ollulam conijcitur, ac deinde operculo addito uritur, animaduersione assidua habita, ne

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 666 sur 825

fallaris, quum in cinerem sit redactus, & (ne) in aerem exhalans per exustionem totus consumatur. consueuit enim hoc contingere tum ipsi, tum alijs quæ uruntur. quapropter præstat ollæ operculum non oblinire, ut per interualla quædam operculo adempto ustionis modum intueamur. Exhibendus est autem semel omnis unius passerculi usti cinis per se, aut modico phyllo & pipere admixto (καθ' ἑαυτὸν, καὶ μετὰ πεπέρεως καὶ φύλλου συμμέτρου δ' δύκρατον μέλιτος πινόμενον ἢ πόμα, Aegineta) quò sapo ris iucunditate ori commendetur. Vstus itaq; passerculus peregre proficiscentibus commodus est, licetq; melle cocto exceptum in promptu habere. Melior autem mihi uidetur condiendi modus, atq; adhuc dictis præstantior, si quis præeuulsis pennis uiuum passerculum sale adobruat. quod & ego facio, inquit Philagrius. Arbitror enim & sanguinis naturam quiddam in se complecti, quod minimè uulgariter prosit: cui amplius stercoris efficacia accedit, quam exustione debiliorem reddi planè credo. Proderit etiam eis qui abundant assatos edere integros, ita ut nihil ex eis præter pennas abijciant. ¶ Eadem uerò breuius scribit Paulus Aegineta libro 3. cap. 45. Troglodytes (inquit) paulò maior est regulo, & colore illi similis inter cinereum & uiridem, rostro tenui, &c. mihi hic inter cinereum & uiridem color non troglodytæ, sed regulo tantum conuenire uidetur.

¶ Nihil est in Aetij descriptione quod non ad amussim auiculæ conueniat, quam Angli sepiarium, Colonienses aucupes koelmusshum nominãt. Vocatur apud Anglos an hedge sparrow, hoc est passer sepiarius, & a dike smouler. hoc est, in sepibus delitescens. Vulgus Colonienſe hunc passerem ein Graßmusch (nostri curucam uel atricapillam hoc uocabulo nominant) appellat. uerum peritiores quiq; aucupes ein Koelmusch, (nostri parum minorem capite atro, alij maiorẽ Kolmeiß, uel Kolmusch appellãt,) hoc est passerem in foraminibus uel cauernis degentem, nuncupant. Hic Germanos monitos uolo, quum duæ sint aues, grasmuschi sua lingua uocatæ, illam solam esse troglodyten, quæ per totum annum regulo similis cernitur: & non illam quæ circa fauces plumosa ineunte statim hyeme discedit. Nidum huius passeris semel humi factum inter urticas uidi: & pullos antequam uolare possunt, relicto nido, inter herbas fruticesq; reptitãtes, sæpius obseruaui. Vermibus pascitur, & paulò ante uesperum solet impensiùs strepere, & omnium ferè auium postrema ad somnum se recipit, Turnerus. Currucam in cuius nido cuculus parit, conijcimus esse Anglicè dictum passerem sæpium, an hedge sparowe, Eliota.

¶ Troglodyten esse credo hunc quem Germanorum uulgus regulum uocat, sæpibus obuolantem crebrò, unde & Zaunschlipfflin cognomento appellant. Siquidem huic ipsi descriptio Aetij perbellè congruit: & doctissimus Tanstetterus Collimitius remedium ex troglodyte ad hunc modum, quem Aetius præscripsit, comperit & expertus est in aliquot calculosis, efficacissimum, Io. Agricola Ammonius. Audiui & ipse à fide digno homine, qui nõnullos feliciter remedio ex hac auicula usos mihi asserebat. Quomodo autem quæuis auis aut aliud quoduis animal rectè ad medicinam uri debeat, scripsimus in Alauda G. Recentiores quidam medici, & Arabes, uel eorũ interpretes potius, pro troglodyte passere caudatremulam ineptè interpretãtur, & nomine corrupto tanquam Arabico tragulidunten appellant. Auicenna safarahun, alij safurion: & remedium aduersus calculum ex caudatremula parant, ut copiosius in Motacilla scripsi.

¶ Troglodytes auis, τρωγλοδύτης, nomen habet à subeundis troglis, id est cauernis, ut & Troglodytæ populi. trogites uerò, uulgò apud recẽtiores Græcos dictus, passer communis domesticus est. Et quoniam passer troglodytes auicularũ minima est, ac regulo similis, multi populi regulum appellarunt. Itali reatin, riatino: circa Verbanum lacum aryotin. circa Florentiam fiorrancio, id est flos calendulæ (nisi hic fortè uerus regulus est, qui aurei calendulæ floris colorẽ maculis utrinq; in uertice refert.) Scoppa Grammaticus Italus regaliolum interpretatur reillo, & scricciola, quæ nomina ad troglodytẽ pertinere puto. uide in Regulo. Perchia chagia Siculis est auicula minor passere, sæpes perforans, inde nomen, non alia puto quàm troglodytes. ¶ Gallis roy. alibi beurichon, alibi farfonte. Normannis rebetre, quasi roybetre. Sabaudis roy des oiseaux, roytolat, rezeto, redoyell: & alibi conta fasona, quòd saltitando uideatur numerare fasciculos. ¶ Germanis Zunschlipffle, in Saxonia Thurnkönick/Schnykünig/Zunkünig. circa Rostochium Nesselkünig/Winterküninck. alicubi Heußkönig, & Sumeling, id est pollicaris, à paruitate. Flandricè Kuningsen. ¶ Anglis wren. ¶ Polonis krolik. ¶ Turcis bilbil. ¶ Eberus & Peucerus trochilum interpretantur, ein Zaunköning/Schneeköning, qui troglodytes noster est, (sed trochilus idem qui regulus est, à troglodyte diuersus.) Passerem uerò troglodyten passerculi genus faciunt, qui Germanicè nominetur Baumsperlingk, uel Moßsperlingk, id est passerculus arborum uel palustris. in arborum (inquiunt) cauitatibus nidificat, superne fuscus, sed uarius & transuersis albis lineis distinctus, inferne cæsius, uertice purpureo, sub collo nigris candidisq; maculis eleganter uariatus.

¶ Passerculus troglodytes noster iuxta parietes domuum & sæpes nidulum è musco struit, plumis etiam impositis. Vide infrà in Reguli nidificatione ex Turnero. Araneas uenatur. Mira eius in cantu suauitas, sed ali non potest. Maio præcipuè cantillat, ut ferunt. ¶ Regulus bis anno parit, circiter nouem oua uno tempore, Albertus. uidetur autem reguli nomine passerem troglodytem intelligere.

¶ Antidotus ad difficultatem & stillicidium urinæ mirifica: Passerculum quẽ troglodyten nominant

minant (Græcè σιλιππίδα scribitur, uoce haud dubiè barbara, intelligit autem passerẽ troglodyten, Fuchsius uide an Græcum nomen corruptum sit pro σισυπτύγιδα, quod nomen motacillam significat, quam recentiores ad idem remedium pro troglodyte accipiunt) integrum cremato, & sumpto cinere ac tenuiter contrito bibendum ex mero dato, quantitate cochlearij, (minoris, quod pendet drachmam unam, Fuchsius.) Si autem uolueris admisceto etiam farinæ prædictarum cicadarum quartam cochlearij partẽ, & ieiuno ex uino præbeto, Nicolaus Myrepsus antidoto 60. ¶ Aetius cum præscripsisset remediũ efficax ciendæ Veneri, nempe ut passer troglodytes dictus in cibo acciperetur, subdit: Verum his qui frequentius & supra quàm conuenit inde coëunt, urinam capræ bibendam præbe. Cerebellum passerum in antidotum diasatyrion alteram, numero 66. apud Nic. Myrepsum recipitur: & rursus in aliam numero 68. cerebellum simul & oua, hæc quidem apud Aeginetam lib. 7. etiam in unguentum entaticon immiscentur.

¶ Narrant quidam (ex Italis) de hac auicula, deplumatam quoq; ligno (ueruculo) infixam ad ignem, paulatim aliquoties per se conuerti. Albertus hoc de regulo scribit. ¶ Galli fabulantur troglodyten in festo trium magorum, omnes quos eo anno educauerit pullos congregare, & cum eis cantillare, addunt, regem esse auium, quoniam cum conuenissent inter aues ut rex esset quæ altissimè uolasset, hæc aquilæ tergo clam insidens, cum illa iam defessa altius uolare non posset, paulò sublimius euolârit, regno quod uiribus nequibat arte sibi cõparato. Hoc alij de regulo scribunt, ut infra recitabo. ¶ Τρωγλοδύτην uerbum cauernas subire significat. ¶ Angli hanc auiculam (troglodyten) uulgò aiunt esse fœminã, & marem eius rubeculã esse, quod falsum est. Vtraq; imminentem pluuiam uoce prædicit. ¶ Troglodytæ Herodoto populi sunt Aethiopiæ.

DE PASSERIBVS QVIBVSDAM, ILLIS PRAEsertim quorum nomina Germanica tantum nobis cognita sunt. Et primum de passere harundinario.

SCHOENICLOS auis Aristoteli est, (quam Gaza iunconem uertit,) quæ ad ripas lacuum & fluminum uictitat, & caudam frequenter motitat, turdo minor. Turnerus, Ego (inquit) quum nullam aliam auem nouerim iuncis & harundinibus insidentem, (atqui hoc Aristot. non scribit, sed ex etymologia probabile est,) præter Anglorum passerem harundinarium, (Anglicè a rede sparrow,) illum iunconem esse iudico. Auis est parua, passere paulò minor, cauda lõgiuscula, & capite nigro, cætera fusca, Hæc ille. nominat autem Germanicè etiam alio nomine ein Reydtmüß. quem parum palustrem esse cõijcio, de quo supra priuatim scripsi. De iuncone supra post ispidæ historiam egimus. ¶ Passer aquaticus in harundinetis nidificat domestico cætera similis, nisi quòd collum albus cingit torques, Rhotsperling, Eberus & Peucerus. nos de passere torquato supra priuatim scripsimus. Auis Rotspätzle etiam Hier. Tragus meminit. Vocatur & à nostris Rotspar, minor passere, uentre fusco, torque albo, &c. Circa Argentoratum aliud passeris genus Rotgytz, uel Rotgeutz dicitur, in quo (ut pictura loquitur) uenter albus est, pectus cinereum, mentum nigrum, ut & uertex & pars circa oculos, sed non contigua. hæc enim figlini coloris est, ut alæ etiã, sed nigris maculis uariantibus. longiores earum pennæ prorsus nigræ sunt. dorsum fuscũ, partim cinereum, cauda partim nigricat, partim obscurè testacei coloris est. crura rosea. retro oculos & in parte colli albus est color. nostri aucupes uocant Wydenspatz, id est passerem salicum. autumno in frutetis reperitur. ¶ Calamodyten auem cedri folium perdit, Aelianus. apparet autem ex etymologia hoc quoq; nomen passeris esse uel alterius auis inter arundines degentis.

DE PRVNELLA.

PRVNELLAS aucupes nostri uocant auiculas à colore qui obscurè ruffus est, uel figlinus saturatus. quidam linarijs eas comparant, alij passeribus, quibus minores sint, colore simili ferè. canoras esse audio, & cantillare instar troglodytæ passerculi, nunquam auolare. alij à quibusdam in caueis propter cantum. Crura rosea sunt. color circa collum & pectus ad cœruleum inclinans, in uentre dilutior. retro oculos macula figlina. rostrum nigrum.



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 668 sur 825

DE EMBERIZA FLAVA ET ALBA.

Icon hæc Emberizæ flauæ est.



DE passere spermologo paulò antè scripsi: idē uerò aliquando mihi usum est hoc genus, quod nostri **Embritz**, uel **Emmeritz** appellant, alij **Emmering**, uel **Emmerling**. Circa Rostochiū **Gälgensiken**. In Brabantia **Jaune**, à colore flauo, qui Gallis est iaune. Alibi **Gilbling**, ut in Brisgoia Heluetiæ **Gilberschen**, uel **Gilwertsch**, ab eodem colore. Circa Glaronā **Rotn uogel**, ab eo quòd granis frumenti pascitur. Alicubi **Geelgorst**, (in Germania inferiore puto.) Galgulum aliqui esse putant Germanorū **Emmerling**, (ut Ge. Agricola, qui cum aspiratione scribit **Hemmerling**:) alij **Widewol** uulgò dictam auem (id est oriolū) nos eam esse coniicimus cui uulgare nomen **Geelgorst**, Eberus & Peucerus. Iidem lagopodem interpretantur **Emmerling / Goldammer**. Ego eandem auem ab alijs Germanis **Emmerling**, ab alijs **Geelgorst** appellari existimo. Gyb. Longolius chloreum interpretatur **Geelgörß**. ¶ Turnerus auem **Geelgorst**, Anglicè uocari scribit a yelowham, a yowlring: & eandem Aristotelis chloreum uel luteum luteámue esse suspicatur. ¶ Italica nomina uaria esse audio, nempe cia, megliarina, uerzerot, paierizo: & circa Bellinzonam spaiarda. ¶ Gallica bruyan, uerdun, uerdrier, uerdereule, uerdere. ¶ Illyrij, ni fallor, strnad appellant.

¶ Gelgorsta auicula Turnero passere paulò maior est. maris pectus & uenter lutea sunt. fœminæ uerò pectus luteum, & uenter pallidus est. in capite, dorso, & alis, pēnis fuscis luteæ intermiscentur. Rostrum utrícꝫ firmum & breue, in quo tuberculum quoddam dentē mentiens, reperias, præter uermes, hordeo & auena libenter uescitur. Cauda huius auiculæ longiuscula est, & frequenter motitans, Hæc Turnerus. cōuenit autem hæc descriptio emmerizæ nostræ: quam alij etiam **Goldhammer** uocant, quasi aureolam dicas, à colore. ¶ Hyeme hanc auem in stercoribus equinis alimentū quærere audio. Turmatim uolitant, ut passeres, circa uillas, horrea & stabula. uescitur enim granis, hordei, tritici, pane, &c. Includitur à quibusdam caueis ad cantum. ¶ Apud nos plerunque inueniuntur cuculi in nidis auicularum, grasemuschæ (id est curucæ:) & citrinæ cuiusdam auis quam alij gursam, alij ameringam uocant, Albertus. Hinc natum est prouerbium de homine beneficijs ingrato, **Du lonest mir wie der guckauch dem gorse**, (alij scribunt, **wie dem guckauch die gorse**:) Eam mihi mercedem reddis quam cuculus ameringæ nutrici. Genera uinconum (carduelium) & auis **Gurse** dicta, animal nullum attingunt: edunt uerò semina spinarum albarum & rosarum, & herbarum, & maximè semen papaueris & lappæ, & huiusmodi, Albertus.

¶ Eberus & Peucerus auem Germanicè dictam **Emmerling**, eandem alio nomine **Goldammer** appellāt. alij **Gollammer** scribūt, alij **Gaulammer**, quo nomine missa ad me Argentorato effigies à nostra emmeriza uel emmerlinga differre uidetur. est enim rostro, colore, & reliqua specie dissimili. natura uerò, ut cōijcio, simili. uolat enim cateruatim, auenæ & aliarum frugum seminibus pascitur. nidificat inter fruteta, & terna uel quaterna oua parit. Tota pars supina flauet, superior nigricat, per alas medias & dorsum medium ruffa est.



DE EM

DE EMBERIZA ALBA.



EMBERIZA alba quæ mihi demõstrata est media hyeme apud nos capta, (ein wysse Emberitz.) maior est superiore, rostro breui, latiusculo, flaui nihil habet, colore similis alaudę, alioqui dissimilis, uentre albicante, à quo etiam albam cognominauimus. In superiore rostri parte retro mucronem tuberculum intus conspicitur. Digiti fusci sunt, crura album & puniceum colores mixtos præ se ferunt. ¶ Italis cia montanina uocatur, ut audio. ¶ Quærendum an hic sit passer magnus, de quo supra scripsimus.

DE EMBERIZA PRATENSI.



EMBERIZAM pratensem uoco, quam aucupes nostri Wisemmertz à pratis in quibus uersari solet, appellant. hæc, ut pictura indicat, colore est testaceo seu figlino, cruribus, pectore, uentre, alis, & cauda media: utrinq; enim in ea nigræ sunt pennæ. Dorsum quoque nigricat, & in alis superiùs maculæ nigræ sunt subrotundæ: inferiùs uerò margines pennarum secundum longitudinem nigricant. rostrum fuscum, uertex niger, infra quem utrinq; macula albicans retrorsum tendit: tum rursus aliæ duæ nigræ & albicantes per interualla sequuntur. Hanc autem circa lacum Verbanum ceppa uocant.

DE PASSERE MVSCATO.

INDIA mittit muscatum passerem, quem qui uolantem uiderit, tum ob celeritatẽ, tum ob paruitatem, crabronẽ aut uespam iure existimet. pennis aureis uiridibusq;, alijsq; uersicoloribus ornatur. magnitudo ape paulò maior. rostro uelut acus est tenuissima. totus cum nido grana tritici

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 670 sur 825

XXIIII. uix pondere æquat, hunc è cotto cõficit, audax est, & nidum petentibus oculos inuadit, celeritate & paruitate tutior. Constat itaq; auem hanc tenuissimæ esse substantiæ, calidamq;, ob id & audacem, nam cum rostrum, pedes, linguam, alas, uiscera, plumã, ungulas, cerebrumq; habeat, tum alia multa, subtilem substantiam illius, ac bene elaboratam esse oportuit, atque ut reor hæc est auium omnium minima, Cardanus. Coniecerim ego muscatum dictum, quod instar muscæ ferè sit, paulò maior scilicet ape.

DE PASSERE STVLTO.

AVIVM solertissima in India habitat, quam stultum uocant passerem, contrario sensu. Nigra est auis, intermicantibus pennis albis in collo, turdi magnitudine. quæ aduersus caudatas simias, quarum ibi numerus est incredibilis, hoc modo se munit, ut nec homo tot cõmoda aduersus pericu lum inuenire queat. Eligit primò arborẽ excelsam, ac spinis obsitam, ut metu terreatur ob altitudi nem, & à spinis arceat ob incõmodum. Ramis huius arboris maximè aculeatis suspendit nidũ præ durum, ne frangi ab inimico possit: instruit aditum angustum, ut hostis arceatur, ipsa sola possit in gredi: latum in imo, ut commodè cum pullis degere possit, tum maximè quòd in eodẽ excrementa illorum colligere cogitur, nullo exitu patente alio quàm per quem in suprema parte est ingressus. Verum quia hostem uti nouit manu non secus quàm hominem, nidi longitudinem ad quatuor pal mos extendit, ut cum manum immiserit etiã procul absit ab imo, atq; ea ratione oua uel pullos qui intus latent tueatur, Cardanus.

DE ALIIS PASSERIBVS QVIBVSDAM, præsertim quorum Italica tenemus nomina, de antiquis Latinis aut Græcis dubitamus.

DE passere solitario, supra post merulam scripsimus. Italis uulgò passara solitaria dicitur. Remediis contra lumbricos accipitrum & falconum, aliqui passerum stercus admiscent: alij PASSERIS Indici uel solitarij, uel si is desit, communis.

TYRANNVM auiculam Auicenna & Albertus inter passeres numerant. nos (Itali) uulgò uelsiuillum nuncupamus, Niphus.

PASSARINVM Italicè uocant passerculum capite coloris ruffi uel spadicei. idem fortè est, qui alibi passorono dicitur. Est & passara montanina, id est montanus passer quidam apud Italos dictus: & passara ualina, à uallibus nisi fallor.

BOARINA uel buorino apud Italos auis est æqualis regulo, ut audio, dorso eodem colore quo rubecula.

PAGOLINO apud eosdẽ uocatur auicula mirabilis, magnitudine & colore passeris, nisi quòd caput eius magis inclinat ad colorem quem Itali pauonaceum uocant. & rostrũ eius est instar nerui subtilis, qui tractus extenditur, remissus contrahitur, ut ligulæ è corio subtiles & molles, res fermè incredibilis, cuius etiam Aluigus Pulcius meminit in libro Morgante inscripto Italicè.

DE PAVONE.

A.

PAVO auis etiam pauus dicitur, & fœm. gen. paua. Hebraicè tuk, תוכ, quamuis eam uocem aliqui simiam interpretantur. uide in Cercopitheco. Ranan, רנן, aliâs uerbum est, & cantare ac uociferari significat: aliâs nomẽ, quod pauonem interpretãtur, alij struthionem uel luscíniam. uide in Gallo syluestri. Similiter neelasa, נעלסה, uocem Hebraicam alij pauonem, alij gallum ferum transferunt, alij struthionem: de qua itidẽ plura scripsimus in Gallo syluestri. R. Kimhi Iob 39. neelasa exponit טורס, taos, quod est pauo. Hoben, חובן, uel חבן, Ezech. 27. unde pluralis num. hobanim. D. Kimhi super huius uocis significatione uarias opiniones recenset. Sunt qui animal putant ex cuius ossibus cõficiuntur opera, ut ex ebore. (Munsterus aliquos elephantem interpretari scribit.) Syrus interpres reddit tauasin, טווסין, pauones. Magistri quoq; Thalmudici, טווסא, tauasa, pauonem uocant, ut Arabica lingua, teste Kimhi, tauas, טאוס, nimirũ uoce mutuo accepta à Græca ταὼς. Alij lignum intelligunt quod uocant יבנים, ebenum nimirum. LXX. ἐσαγωμεῖους. Rectius Kimhi in Ezechiele lignum dicit, quod Arabicè uocatur abnus, אבנוס: & Hieronymus ligna ebeni ex India, quæ nigri coloris pretiosissima sint. ¶ Vt pauo uel pauus Latinis, sic Græcis ταὼς uel ταὸς dicitur. uide infra in H. a. Vulgò hodie παγόνι, uel παγόνη. ¶ Italicè pauon, pauone, pagone, fœmina priuatim pauoneſſa. ¶ Hispanicè pauón. ¶ Gallicè paon. ¶ Germanicè Pfaw, fœmina Pfäwin. Flandricè Pauw. Saxonicè Pagelũn. ¶ Anglicè ape cok. ¶ Illyricè paw.

B.

Pauo rara olim auis fuit, ut Antiphanes & Eubulus indicant, nostro uerò tẽpore ita abundant Romæ,



Romæ, ut uel coturnicibus nihilo rariores sint, Athenæus. Theophrastus tradit inuectitios esse in Asia pauones, Plinius. Pauo ex Barbaris ad Græcos exportatus esse dicitur, Aelianus. In India omnium maximi qui ubiq; sunt pauones nascuntur, Aelianus. Pauonum greges agrestes transmarini esse dicuntur in insulis Sami in luco Iunonis, item in Planasia insula M. Pisonis, Varro. Pauus è Samo præstantior est, Gellius lib. 7. Paui Iunoni sacri sunt, ut scribit Menodotus Samius in descriptione templi Samiæ Iunonis: & forte (inquit) in Samo primum & nati & educati sunt, ac inde in alia loca distributi, ut recitat Athenæus. Babylonia pauones plurimos colore uario distinctos nutrit, Diodorus: tanquam illic maior pulchriorq; eorum uarietas sit quàm alibi, ut Cælius accipit. Clemens in Pædagogo homines gulosos pauonẽ Medum celebrare scribit. ¶ Pauo auis uaria est toto genere, Aristot. Colores (uarios) incipit fundere in trimatu, Plinius & Aelian. Pauonis pennæ magnum quidem ornamentum habent, sed is sine corpore existit, Aelian. Auis est pulcherrima, & pulchritudinis studiosa, Author de nat. rerum. Pauoni natura formæ è uolucribus dedit palmam, Varro. ¶ Pauonis apicem crinitæ arbusculæ cõstituunt, Plinius. Auis est paruo capite, & quasi serpentino, & longis pennis coronato, ruffo, Albertus. Pluma ei in capite instar coronæ uel potius cristæ, Author de nat. rerum. Collum longum, sapphiri colore, Idem & Albertus. Pauonum ceruix, quoties aliquò deflectitur, nitet, Seneca lib. 1. nat. quæst. Pectus quoque colore sapphiri est, lucidum. alæ ruffæ: dorsum cinereum, ad ruborem declinans, Albertus. Pedes fissi, Aristot. apud Athen. Aues non uolaces, ut pauones, gallinæ, uropygium (caudam pennis conditam) ineptum habent, (non aptum flecti qua parte cum cute coalescit,) Aristot. Cauda pauoni ad ornatum data est, Cicero 3. de finibus. Cauda mari est longa, pennis plumosis, & in fine pennarum habet orbes ex uiridi quasi chrysolithi splendore, & auri & sapphiri coloribus distinctos, Albertus. Caudaq; pauonis larga cum luce repleta est, Consimili mutat ratione obuersa colores: Qui quoniam quodam gignuntur luminis ictu, Scire licet sine eo fieri non posse putandum, Lucret. lib. 2. Miraris quoties gemmanteis explicat alas? Et potes hunc sæuo tradere dure coco, Martialis. Pauonis caudæ pennarum oculos & gemmantes colores Plinius dixit. uide in D. Nullam auem pulchriorem pauone nostro fingere naturam posse credam, nisi cùm uidero, tot oculis in cauda tam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 672 sur 825

longa atq; denſa plumis, tanta colorum uarietate, tanto nitore, tam ſelectis etiam colorum generibus, ut album ac nigrum, quorum unus per ſe triſtis eſt, alter reliquos alios obſcurat, colores deuitentur, Cardanus.

¶ Gyb. Longolius ſcribit ſe pauones albos aliquando tanquam rem raram admiratum Coloniæ, poſtea uerò frequentiores illos factos eſſe: aduectos primũ à mercatoribus è Nortuuegia. Nam cum ſpectaculi cauſa (inquit) pauones uarij à noſtris eſſent in regionem iſtam inuecti, primò genti fuêre miraculo, numero deinde per ſeminium aucto, cùm penitius in frigidiora loca commearent, iamq; matres in ipſo uêre ouis incubantes niuoſa illa montium iuga perpetuò ob oculos uiderent, ex ouis iam animatis albos pullos excluſerunt. Produnt nonnulli & in animalibus alba naſci, ex genitoribus alba imaginantibus, ſicuti relatum de pauonibus eſt, Cælius. Inueniuntur in locis humidis & frigidis albi pauones, qui dicti (caudæ) colores quaſi per pānum album præferunt, Albertus. In Medera inſula paui quàm plurimi ſyluestres ſunt, colore ad albedinem inclinato, Aloyſius Cadamuſtus. Curiana regio noui orbis pauones habet, ſed non pictos aut uerſicolores, diſcrepat à fœmina parum maſculus, Pet. Martyr.

C.

Pauo etiam, ut pleræq; uolucres, à ſua uoce dictus eſt, Varro. Pupillat pauo, Author Philomelæ. ¶ Pauo cum ad libidinem extimulatur, ſemetipſum uelut mirantem caudæ gemmantibus pinnis protegit: idq; cum facit rotare dicitur, Columella. Gẽmantes ſuas pinnas ipſe miratur, illis ſemetipſum protegens quum rotari dicitur, Cælius. uide infra in D. ¶ Pauo (mas, ut quidam addunt) amittit pennas cum primis arborum frondibus: recipit cum germine earundem, Ariſtoteles. Cauda annuis uicibus amiſſa pudibundus quærit latebram, donec renaſcatur, Plinius. Colores uarios fundere incipit in (à) trimatu, Idem. Ariſtot. & Aelian. ¶ Pauo eſt ποικιλόγ@, hoc eſt gramine uictitat, Ariſtot. apud Athenæum. De pauonum tum adultiorum tum pullorum cibo, leges infrà in E. ¶ Λίνου δὲ πᾶσι τοῖς πτηνοῖς βόσις φορά, Phiſes loquẽs de auibus quibuſdam quæ res diuerſas uel edunt, uel nido imponunt. ¶ Coeunt uêre, Ariſtot. Pauo cum calcat (coit) clamat: & poſtquam coierit, in poſteriora recedit. ſolum autem uêre calcat, Kiranid. Pauones ab idibus Februarijs calere incipiunt, Palladius. Pauonem & alias quaſdam aues quidã falſò concipere ſine coitu putant, Albertus. Mares ſinguli quinis ſufficiunt coniugibus, &c. Plura de partu & incubatione eorum, leges infrà in E. ¶ Partus breui à coitu agitur, Ariſtot. Semel tantummodo anno parit oua duodecim, aut paulò pauciora, nec cõtinuatis diebus, ſed binis ternisue interpoſitis. primiparæ octona maximè ædunt, Idem. Irrita & ſubuentanea oua pauones etiam nonnunquam pariunt ut gallinæ, Idem, Aelian. & Plinius. Pariunt maximè à trimatu, Idem. Pauo primo anno unum aut alterum ouum parit, ſequenti quaterna quináue, cæteris duodena, non amplius: intermittens binos dies ternósue: & ter anno, ſi gallinis ſubijciantur incubanda. ¶ Excludit pauo diebus tricenis, aut paulò tardius, Ariſtot. Partus excluditur diebus ter nouenis, aut tardius triceſimo, Plin. Pauonis & anſeris oua ad uiceſimam nonam diem excluduntur, Florentinus. Ter ſeptenis diebus opus eſt gallinaceo generi, at pauonino & anſerino paulò amplius ter nouenis, quæ ſi quando fuerint ſupponenda gallinis, prius eas incubare decem diebus alienigenis patientur. Tum demum ſui generis quatuor oua, nec plura quàm quinq; fouenda recipient. ſed & hæc quàm maxima. nam ex puſillis aues minutæ naſcuntur, Columella, & partim Varro. Gallinis ſubijciunt incubanda oua pauonia: quoniam mas dum fœmina incubat, aduolans ea frangat, quam ob cauſam & ſyluestres nonnullæ aues pariunt fugientes marem, & incubant. Subijciuntur maximè bina, cum plura ſuo incubitu nequeant aperire, curaq; adhibetur ut cibus aſsit, ne deſiderio eius diſcedẽs gallina, intermittat fouendi operam, Ariſtot. Mares oua frangunt deſiderio incubantium, quapropter noctu & in latebris pariunt, aut in excelſo cubantes: & niſi molli ſtrato excepta franguntur. ¶ Mortui paui caro nec marceſcit, nec fœtet, ſed manet tanquam condita aromatibus, Kiranides. ¶ Pauo uiuit annos uigintiquinq;, Ariſtot. ¶ Pullus paui ſi totus madeſcat & polluatur, aliquando perit, Albertus.

D.

Inter alites (id eſt magnas aues) pauonum genus reliquas præcedit, cum forma, tum intellectu eius & gloria. Gemmantes laudatus expandit (cum iactatione, Platina) colores aduerſo maximè Sole, quia ſic fulgentius radiant. Simul umbræ quoſdam repercuſſus cæteris qui in opaco clariùs micant, conchata quærit cauda: omnesq; in aceruum contrahit pennarum, quos ſpectari gaudet oculos, Plinius. Formam ipſe ſuam pauo miratur, & ſi quis formoſum appellauerit, mox floridas & auricomas pennas expandit, & uelut pratum floribus refertum erigens oſtentat, & oculis ipſe luſtrans in orbem circunducit. Adeò cauda ei tanquam ſtellata nitet: ac ſi quis eum laudauerit de pulchritudine, ambitioſius ſe geret: ſi uerò reprehenderit, cauda recondita quaſi calumniatorem odio ſibi eſſe teſtabitur, Oppianus. Erecto pẽnarum flabello ſeipſum miratur, Textor. Pandentemq; alas caudamq; ad terga rotantem Pauonem ſpectare. Triſtatur ſuis pedibus pauo, cauda gloriatur, Petrus Aponenſis. Caudam laudatus extendit, & ſi pedum deformitatem uiderit, mox deponit. Quòd ſi à tacito ſpectetur, pennas omnes quas ſpectari gaudet, contractis oculis abſcondit. Nocte experrectus, cum ſe in tenebris conſtitutum intueri non poteſt, clamans pauidè, ſuam pulchritudinem amiſiſſe ſe putat, Author de nat. rerum. Sentit pauo pulchritudinem ſuam, exclamatq;

dum

dum pedes intuetur, deformitatem eorum aſpernatus, caudamq; in rotam erigit, exponitq; Soli ut pulchrior uideatur, gaudetq; hominum admiratione qui illam intuentur: ob id uſq; ad laſsitudinem eam continet, Cardanus. Pauo ſe non ignorat ex auibus formoſiſsimum eſſe, uerum etiam ubi formæ ſita ſit pulchritudo, præclarè tenet, atq; ea elatus & ceruiculam iactat: & ex pennis, quæ ei non mediocre ornamentum afferunt, maximos ſpiritus ſumit. his enim ſpectatoribus metum iniſcit, & æſtiuo tempore natiuum & non accerſitum habet tegmentum. Quòd ſi quem uelit exterrere, pennas primum explicat, deinde ad inſciendum terrorem his concrepat, capitisq; elatione ac ſuperbo ſupercilio uelut triplicem criſtam iactat. Cum refrigeratio ei neceſſaria eſt, tum paſsis pennis & in anteriorem partem reflexis, ex ſeſe corpus ſuum opacans, caloris uim frangit & propulſat. Si retro atque à tergo uentus flat, alas paulatim pandit, atq; uentus interſpirans auras & molles & ſuaues ei affiat, unde is refrigeratur. Quòd ſi laudatur, tanquam formoſus puer aut mulier pulchra, corporis præſtantiam belle oſtentat, ſic is ipſe pennas ornatè & ordine erigit, ut uel florido prato, uel uariæ picturæ ſimilis eſſe uideatur. Ac uerò ante pictorum oculos ſe ad imitandum exponens, abunde ſui pingendi poteſtatem facit, & ſpectatorẽ conſpectu ſuo expleri facile patitur: Et quaquauerſus conchatam caudam intorquens, & gemmatiorem & uariam magis quàm ſint Medorum Perſarúmue ueſtes, ſuam ſtolam ambitioſe admodum & elatè oſtentat, Aelianus.

¶ Pauo pulchritudinis (puritatis) ſtudioſus, gradu compoſito incedit ne maculetur: & dum eſt pullus, madidus aliquando totus & pollutus expirat, tanquam impuritatis impatiens, Albertus.

¶ Pauones inuidi, & ornatus ac polituræ ſtudioſi ſunt, Ariſtot. Ab authoribus non glorioſum tantum animal hoc traditur, ſed & maleuolum, ſicut anſer uerecũdum. quoniam has quoq; quidam addiderunt notas in his, haud probatas mihi, Plin. Pauones ſimum ſuum reſorbere traduntur, inuidentes hominum utilitatibus, Idem. Pauo cauda annuis uicibus amiſſa cum foliis arborum, donec renaſcatur iterum cum flore, pudibundus ac mœrens quærit latebram, Plinius.

¶ Pullos ſuos tanquam alienigenas perſequuntur, priuſquam illis criſtarum naſcatur inſigne, Palladius. Retulit mihi quidam ob zelum pauonum oua quandoque frangi. pugnant enim pauo & paua pro incubatione ouorum præ nimio inſobolem amore, Albertus. Clearchus author eſt in Leucadia pauonem tantopere adamaſſe uirginem, ut ea defuncta commoreretur, Athenæus lib. 13. Euſtathius & Cælius. ¶ Amici ſunt pauones & columbæ, Plin. ¶ Phaſiani capti recens ita ferociunt, ut ne pauoni quidem parcant, quin mox ore dilacerent, Gyb. Longolius.

E.

Pauones priſci etiam domi cicures alebant, Athenæus. In hortis Indiæ pauones & phaſiani manſueti aluntur, Aelianus.

¶ Pauo ex Barbaris ad Græcos exportatus eſſe dicitur. Primum autem longo temporis interuallo rarus: deinde ſtudioſis elegantiæ & pulchritudinis, pretio ſpectatus fuit Athenis, & uiros & mulieres admittentes ad huiuſmodi ſpectaculum, ex eo quæſtum fecerunt: atque, ut in oratione contra Eraſiſtratum Antiphon inquit, marem & fœminam mille drachmis æſtimarunt. De pauonibus (inquit Merula apud Varronem) noſtra memoria greges habere cœpit, & uenière magno. ex his M. Aufidius Lurco H S ſexagena millia numûm in anno dicitur capere. Eundem Plinius ſcribit ex hoc quæſtu reditus ſeſtertiûm ſexagena millia habuiſſe. Seius à procuratore ternos pullos exigit: eosq; cum creuerint, quinquagenis denarijs (hoc eſt, libris decem Turonicis, Rob. Cenalis Gallus) uendit, ut nulla ouis hunc æquatur fructum, Varro. Pauonum pretia multi extulerunt ita, ut oua eorum denarijs ueneant quinis, ipſi facile quinquagenis, grex centenarius facile quadragena millia ſeſtertia ut reddat, ut quidam Albutius aiebat, ſi in ſingulos ternos exigeret pullos, perfici ſexagena poſſe, Idem. Hunc locum citans Macrobius in Satur. 3. 13. Ecce res (inquit) non admiranda ſolum, ſed & pudenda, ut oua pauonum quinis denarijs ueneant, quæ hodie non dicam uilius, ſed omnino nec ueneunt.

¶ Numidicarum gallinarum eadem eſt ferè quæ pauonum educatio, Columella.

¶ Pauones nutriri poſſunt in ſeptis uillæ affixis, Varro. Et rurſus, In auiarijs ſtabulãtur turdi ac pauones. Pauones nutrire facillimum eſt, niſi fures, aut animalia inimica formides: qui plerunque per agros uagantes ſponte ſe paſcunt, pullosq; educunt, & altiſsimas ueſpere arbores petunt. Vna uero his cura debetur, ut incubantes per agrum fœminas, quæ hoc paſsim faciunt, à uulpe cuſtodias. Ideo in inſulis breuibus meliori ſorte nutriuntur, Palladius. In inſulis potiſsimum manufactis, multisq; herbis & floribus luxuriantibus, educantur pauones, Didymus. Pauonum educatio magis urbani patriſfamiliæ, quàm tetrici ruſtici curam poſcit. Sed ne hæc tamen aliena eſt agricolæ captantis undiq; uoluptates acquirere, quibus ſolitudines ruris eblandiantur. Harum autem decor auium etiam exteros, nedum dominos oblectat. Itaq; genus alitum nemoroſis, & paruulis inſulis, quales obiacent Italiæ, facilimè cõtinetur. Nam quoniam nec ſublimiter poteſt, nec per longa ſpatia uolitare, tum etiam quia furis ac noxiorum animalium rapinę metus non eſt, ſine cuſtode tutò uagatur: maioremq; pabuli partem ſibi acquirit. fœminæ quidem ſua ſponte tanquam ſeruitio liberatæ ſtudioſius pullos enutriunt. Nec curator aliud facere debet, quàm ut diei certo tempore ſigno dato, iuxta uillam gregem conuocet, & exiguum ordei concurrentibus obijciat, ut nec auis eſuriat, & numerus aduenientium recognoſcatur. Sed huius poſſeſsionis rara conditio eſt, quare

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 674 sur 825

mediterraneis locis maior adhibẽda cura eſt, eaq; ſic adminiſtretur. Herbidus, ſylueſtriſq; ager planus ſublimi clauditur macería, cuius tribus lateribus porticus applicantur: & in quarto duæ cællæ, ut ſit altera cuſtodis habitatio, atq; altera ſtabulum pauonum: ſub porticibus deinde per ordinem fiunt arundinea ſepta in modum cauearum, qualia columbarũ tectis ſuperponuntur. ea ſepta diſtinguuntur uelut clatris intercurrentibus calamis, ita ut ab utroq; latere ſingulos aditus habeant. Stabulum autem carere debet ulígine: cuius in ſolo per ordinem figuntur breues paxílli, eorumq; partes ſummæ ligulas edolatas habent, quæ tranſuerſis foratis perticis inducantur. hæ porrò quadratæ perticæ eſſe debent, quę paxillis ſuperponuntur, ut auem recipiant adſilientem. ſed idcirco ſunt exemptiles, ut, cum res exigit, à paxillis deductæ liberum aditum cõuerrentibus ſtabulum præbeant, Columella. Seius pauonum oua emit, ac ſupponit gallinis, à quibus ex his excuſſos pullos refert in id tectum, in quo pauones habet, quod magnum pro multitudine pauonũ fieri debet: & habere cubilia diſcreta, tectorio læuata, quò neq; ſerpens, neq; beſtia ulla accedere poſsit. Præterea locum habere ante ſe, quo paſtum exeant diebus apricis. Vtrunq; locum purum eſſe uolunt hæ uolucres. Itaq; paſtorem earum cum batillo circumire oportet, ac ſtercus tollere, ac conſeruare, Varro.

¶ Hoc genus auium, cum trimatum expleuit, optime progenerat. ſiquidem tenerior ætas aut ſterilis, aut parum fœcunda eſt, Columella. Fœminæ pariunt trimulæ. iuniores autem uel excludunt uel enutriunt pullos, Didymus. Ad greges conſtituendos parantur bona ætate, & bona forma. Huic enim natura formæ è uolucribus dedit palmam. Ad admiſſuram hæ minores bimis non idoneæ, nec iam maiores natu, Varro. Vegeti & ualidi à languidis ſeparãdi ſunt, quandoquidem hos illi opprimunt maximè, Didymus.

¶ Aliquanto pauciores eſſe debẽt mares, quàm fœminæ, ſi ad fructum ſpectes: ſi ad delectationem, contrà, formoſior enim mas, Varro. Mares ſinguli quinis ſuffiſiunt coniugibus, Plinius & Palladius. cum ſingulę aut binæ fuêre, corrumpitur ſalacitate fœcunditas, Plinius. Maſculus pauo gallinaceam ſalacitatem habet, atq; ideo quinq; fœminas deſyderat. nam ſi unã, uel alteram fœtam ſæpius compreſsit, uixdum concepta in aluo uitiat oua, nec ad partum ſinit perduci, quoniam immatura genitalibus locis excidunt, Columella. Ab idibus Februarijs calere incipiunt, Palladius. Ferè locis aprícis ineundi cupiditas exercet mares, cum Fauonij ſpirare cœperunt, id eſt tempus ab idibus Februarijs ante Martium menſem, Columella. Faba leuiter torrefacta in libidinem prouocantur, ſi eis quinto quoq; die tepida præbeatur. Sex cyathi uni ſufficiunt, Palladius. Signa ſunt extimulatæ libidinis, cum ſemetipſum ueluti mirantem caudæ gemmantibus pinnis protegit: idq; cum facit, rotare dicitur, Columella. Cupidinẽ coeundi maſculus confitetur, quoties circa ſe amictum caudæ gemmantis incuruat, & ſingularum capita occulta pennarum locis ſuis exerit cum ſtridore procurrens, Palladius. ¶ Maſculi oua & pullos ſuos perſequuntur uelut alienígenas, priuſquam illis criſtarum naſcatur inſigne, Idem.

¶ Poſt admiſſuræ tempus confeſtim matrices cuſtodiendæ ſunt, ne alibi quàm in ſtabulo fœtus ædant, ſæpiusq; digitis loca fœminarũ tentanda ſunt. nam in promptu gerunt oua, quibus iam partus appropinquat. itaq; includendæ ſunt enitentes, ne extra clauſum fœtum ædant: maximeq; temporibus ijs, quibus parturiunt, pluribus ſtramentis exaggerandum eſt auiarium, quò tutiùs integri fœtus excipiantur. nam ferè pauones, cum ad nocturnam requiem uenerunt, prædictis pertícis inſiſtentes, enituntur oua, quæ quo propius ac mollius deciderint, illibatam ſeruant integritatem, Columella. Parturientibus per totam manſiunculam fœnum aut ſtramen eſt ſubſternendum, ne confringantur oua cadentia. Stantes ſiquidem pariunt anno ſemel atq; iterum oua emittentes, eaq; omnino duodenum numerum non tranſcendentia, Didymus. Gallinis oua pauonia ſubijciunt incubanda, quoniam mas dum fœmina incubat, aduolans ea frangat. Subijciuntur maximè bina, cum plura ſuo incubitu nequeant aperire: curaq; adhibetur ut cibus adſit, ne deſiderio eius diſcedens gallina, intermittat fouendi operam, Ariſtot. Quotidie diligenter mane temporibus fœturæ ſtabula circumeunda erunt, & iacentia oua colligenda: quæ quanto recentiora gallinis ſubiecta ſunt, tanto commodiùs excluduntur: idq; fieri maximè patrisfamiliâs ratione conducit. nam fœminæ pauones, quæ non incubant, ter anno ferè partus ædunt: at quæ fouent oua, totum tempus fœcunditatis aut excludendis, aut etiam educandis pullis conſumunt. Primus eſt partus quinq; ferè ouorum. Secundus quatuor. Tertius aut trium, aut duorum. Neq; eſt quod committatur ut Rhodiæ aues pauoninis incubent, quæ ne ſuos quídem fœtus commodè nutriunt. ſed ueteres maximè quæq; gallinæ uernaculi generis eligantur: eæq; nouem diebus à primo lunæ incremento nouenis ouis incubent, ſintq; ex his quinq; pauonina, & cætera gallinacei generis. Decimo deinceps die omnia gallinacea ſubtrahantur: & totidem (quot ablata ſunt) recentia eiuſdem generis ſupponantur, ut trigeſima luna (hoc eſt expletis triginta diebus) quæ eſt ferè noua, cum pauoninis excludantur. Sed cuſtodis cura non effugiat obſeruare deſilientem matricem, ſæpiusq; ad cubile peruenire, & pauonina oua, quæ propter magnitudinem difficilius à gallina mouẽtur, uerſare manu: idq; quo diligentius faciat, una pars ouorum notanda eſt atramento, quod ſignum habebit auiarius an à gallina conuerſa ſint. Sed, ut dixi, meminerimus cohortales quammaximas ad hanc rem præparari: quæ ſi mediocris habitus ſunt, non debent amplius quàm terna pauonina, & ſena generis ſui fouere, cum deinde fecerit pullos ad aliam nutricem gallinaceí debebunt transferri, & ſubinde qui nati fuerint pauonini ad unam congregari,

congregari, donec quinque & uiginti capitum grex efficiatur, Columella, Palladius & Didymus. Natos pullos si ad unam transferre à pluribus uelis, dicit Columella uni nutrici uigintiquinq; sufficere. Mihi uerò, ut bene educi possint, uidentur quindecim satis esse, Palladius. Vltima parte hyemis concitantibus libidinem cibis utriusq; sexus accendenda uenus est. maximè facit ad hanc rem, si fauilla leui torreas fabam, tepidamq; des ieiunis quinto quoq; die: nec tamen excedas modum sex cyathorum in singulas aueis. hęc cibaria non omnibus promiscue spargenda sunt, sed in singulis septis, quæ arundinibus intexi oportere præposueram, portione seruata quinq; fœminarum & unius maris ponenda sunt cibaria: nec minus aqua, quæ sit idonea potui. quod ubi factum est, mares sine rixa deducuntur in sua quisq; septa cum fœminis, & æqualiter uniuersus grex pascitur. nam etiam in hoc genere pugnaces inueniuntur masculi, qui & à cibo, & à coitu prohibent minus ualidos, nisi sint hac ratione separati, Columella.

¶ Pascuntur omne genus obiecto frumento, maximè ordeo. Itaq; Seius his dat in menses singulos, ordei singulos modios, ita ut in fœtura detur uberius, & antequam salire incipiant, Varro. Pauonum singulis dare conuenit in nutrimentum, hyeme quidem, fabarum torrefactarum in prunis sex cyathos, idq; ante alium cibū aquamq; purissimam exhibere. Sic enim fœcundiores redduntur, Didymus. Cum erunt editi pulli, similiter ut gallinacei primo die nō amoueantur, postero die cum educatrice transferantur in caueam, primisq; diebus alantur ordeaceo farre uino respersо: nec minus ex quolibet frumento cocta pultícula, & refrigerata: post paucos deinde dies huic cibo adiiciundum erit concisum porrum Tarentinum, & caseus mollis (recens) uehementer expressus. nam serum nocere pullis manifestum est. Locustæ quoq; pedibus ademptis utiles cibandis pullis habentur. atq; ijs (ita) pasci debēt usq; ad sextum mensem. postmodum satis est ordeū de manu præbere (sollenniter.) Possunt aūt post quintū, & trigesimum diem quàm nati sunt, etiā in agro satis tutò educi, sequiturq; grex uelut matrem gallinam singultientem. ea cauea clausa fertur in agrum à pastore, & emissa ligato pede longa linea gallina custoditur, ad quam circumuolāt pulli: qui cum ad satietatem pasti sunt, reducuntur in uillam persequentes, ut dixi, nutricis singultus. satis autem conuenit inter autores non debere alias gallinas, quæ pullos sui generis educant, in eodē loco pasci, nam cum conspexerunt pauoninam prolem, suos pullos diligere desinunt, & immaturos relinquunt, perosæ uidelicet, quod nec magnitudine, nec specie pauoni pares sint, Columella & Palladius. Primis duobus diebus alimenti nihil est offerendum pullis. tertio autem die, hordei farina subacta uino & tritico (πυρῷ πιδώνῃ, ut Cornarius legit, cui assentior) & zea decorticata madefactaq; ex aqua, pascuntur, Didymus.

¶ Pituitas & crudítates ijs remedijs submouebis, quibus gallina curatur. Maximum illis periculum est, cum incipit crista produci. nam patiuntur languores infantū similitudine, cum illis tumentes gingiuas denticuli aperire nituntur, Palladius. Vitia quæ gallinaceo generi nocere solent, eadem has aueis infestant. sed nec remedia traduntur alia, quàm quæ gallinaceis adhibentur. nam & pituita, & cruditas, & si quæ aliæ sunt pestes, ijsdem remedijs, quæ præposuimus, prohibentur. Septimum deinde mensem cum excesserunt, in stabulo cum cæteris ad nocturnam requiem debēt includi, sed erit curandum, ne humi maneant. nam qui sic cubitant, tollendi sunt, & supra pertícas imponendi, ne frígore laborent, Columella.

¶ Pauo clamore suo serpentes deterret, & omnia animalia uenenata depellit: nec facilè propè morari audent, ubi uox illius frequenter auditur, Author de nat. rerum.

¶ Pauo quum altè ascendit, pluuiæ signum est, Author de nat. rerum. Cognito apparatu uenenosi medicamenti, ad locum prodeunt, clamitant, seq; ipsos expandunt, & medicamentum ex uasis dispergunt, aut etiam effodiunt, si quidem sit sub terram defossum, Incertus. Rasis & Auicenna eos qui sibi à uenenosis animalibus timent, pauones & mustelas nutrire iubent. Pauones, ut Theophrastus asserit, cum paucitant, (ultra solitum clamant,) pluuiam indicant, præsertim noctu, Incertus & Gratarolus.

¶ Marium pennæ sunt pulchræ, ideoq; puellis pro sertis & alijs ornamentis aptæ, Crescentiēn. ¶ E caudæ pennis muscaria artificiosa & elegantia conficiuntur, quale describemus in H. e. Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas, Alitis eximiæ cauda superba fuit, Martial. ¶ Stercus pauonum ad agriculturam idoneum est, & ad substramen pullorum, Varro. ¶ Pauonis oua ad aureum colorem faciendum conducunt, sicut & anserina, Kiranides.

F.

Pauones primus Q. Hortensius augurali cœna posuisse dicitur, quod protinus factum tam luxurioſi quàm seuerí boni uiri laudabant, Varro: uel (ut Macrobij quidam codices habent in Satur. 3.13.) quod potius factum tam luxuriosè quàm seuerè. Et crudum pauonem in balnea portas, Iuuenal. Sat. 1. Veniat ante omnes aues ad patinam pauo: & quoniā uiuus gloria delectatur, mortuus quoq; eiusdem sit particeps, Platina. Ditissimorū mensis duntaxat pauones ac phasiani nati sunt, Idem. Samius pauus numeratur inter cibos electiles, Cælius. Heliogabalus exhibuit palatinis ingentes dapes extis illorum refertas, & capitibus fasianorum & pauonum, Lampridius. Heliogabalus sæpe edit ad imitationem Apicij linguas pauonum, &c. Idem. ¶ Pauonis caro cocta non perit, Augustinus de ciuit. Dei. Pauo triginta annos integer incorruptusq; seruatur. calor enim

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 676 sur 825

non facile compactam exiccatamq; naturam potest dissoluere, neq; rursus humorē expellere naturalem, Herm. Barbarus. Extincti pauonis caro nec marcescit, nec fœtorē contrahit, sed manet tanquam condita aromatibus, Kiranides. Pauonis caro tam dura est, ut putredinem uix sentiat, nec facilè coquatur, Isidorus. Olim amicus quidam pauonis carnem per tres menses integram se asseruare mihi significauit: à quo tempore quandiu seruarit nondum rescitui.

¶ Pauo occisus per biduum seruari debet: uel si annum ætatis excesserit ut minimum triduo, ut duritiei carnis eius remittatur, Arnoldus de Villan. æstate per diem relinqui debet, hyeme duobus uel tribus, Isaac. Pauones & alia duræ carnis animalia, postquam interfecta sunt, per duos aut tres dies relinquere oportet suspensa, pedibus ad pedes eorū allígatis, Haliabas. quidam sinunt eos suspensos sine pondere per decem dies, Mich. Sauonarola. Bene decoqui debent, Elluchasem. Pauones ueteres hyeme magis conueniunt, Villanouanus. Pauonem, phasianum, &c. assabis, hæ quoq; aues si elixentur cum pipere & saluia, non insuaues uidebuntur, Platina. ¶ Vt pauo cōctus uiuus uideri possit: Necatur pauo, aut penna superne in cerebrū demissa, aut iugulatur ut hœduli solent quo sanguis exeat. A gutture deinde usq; ad caudam pellis leniter scinditur, sciſſaq; cum proprijs pēnis à toto corpore ad caput trahitur, quo abscisso cum pelle reseruato cruribusq;, pauonem ipsum aromatibus ac odoriferis herbis refertum, ueru assabis, infixis tamen prius per pectus caryophyllis, inuolutoq; collo linteo albo, cōtinuè aqua humectato, ne omnino deficcetur. Cōctum pauonem ex ueru exemptum, propria pelle integes, & ut pedibus stare uideatur, uirgulas ferreas infixas tabulæ ad hoc fabrefactas per crura, ne cernantur, per corpus ad caput & caudam adiges. Sunt qui ad ludum & risum camphoram cum lana ori indant, ignemq; ubi ad mensam fertur, iniciant. Inaurare etiam pauonem assum & aromatibus consperſum, bracteis aureis licet ad uoluptatem & magnificentiam. Idem etiā fieri de phasianis, gruibus, anseribus, capis, ac cæteris auibus potest, Platina. Apicius libro 6. cap. 5. iura quædam describit pro diuersis auibus, turdis, ficedulis, pauone, &c. ut inscriptio habet, quanquam in cōtextu orationis nulla harum auium nominatur. Idem lib. 2. cap. 2. de pauo (inquit) ísicia primum locum habent, ita si cocta fuerint ut callū uincant, secundum locum habent de phasianis.

¶ Caro pauonis incorrupta seruatur, ut diuus Augustinus experiētia comprobauit: nec immeritò quidem, quoniam (Galeno authore) dura & fibrosa caro est, frigida nempe & sicca, & propter duritatem (Galeno teste de alimentis 3. 18. & de dissolutione continui) difficilis concoctionis, sed gustu iucundissima, (satis bona, Crescentien.) Incertus. Pauonum caro fibrosa seu neruosa est, & superuacanea, & difficilis cōcoctionis, & mali etiam succi, (quod & Rasis testatur,) Symeon Sethi. Sunt qui uelint pauonis carnem crassi & modici alimenti esse, ac difficilis concoctionis, atramq; bilem augere: cuius naturæ etiam struthiocameli caro habetur, Platina. Pauonis caro propter duritatem ut putredinem uix sentit, ita non facile coquitur, Isidorus. Hepaticis ac splenēticis nocet, Platina. Omnis grandis auis ualentissimæ materiæ est, & plurimi nutrimenti, ut pauo, anser, Celsus. Auicenna etiam inter aues carnis duræ pauonem numerat. Pauones calidi sunt & humidi circa secundum, iuxta recentiores (Mich. Sauonarolam) & sanguinem melancholicū generant: non admittendi in cibum nisi domi nutriti sint, ut author est Isaac. & quanquam (inquit idem) plus nutriant anatibus, reliquis tamen auibus duriores & grauiores sunt, sicut etiam grues, Ant. Gazius. Est cibus malus eis qui utuntur quiete, & bonus (magis conueniens, Elluchasem) utentibus exercitio. Præparentur ita ut in Grue dictum est, (aromatibus condiantur,) & uinum generosum superbibatur, Mich. Sauonarola. Vino bono uetere superpoto, facilius concoquuntur, Elluchasem. Multum (aliàs, melancholicum, quod placet) sanguinem gignunt, præsertim uetustiores, Idem. qui etiam odoratas eorum carnes esse scribit. Eis quos hæmorrhoides crebrò uexant, diligenter uitandæ sunt grues & pauones, &c. Arnoldus Villanou. ¶ Inter oua principatum tenent pauonina, Athenæus. Pessima omnium sunt pauonis oua, propter horribilem odorem carnis eorum, Ant. Gazius.

G.

Fumum de pennis pauoninis, oculis exceptum, lippis uel rubentibus oculis mederi inuenio in libro Germanico manuscripto. ¶ Fel pauonis similiter ut perdicis, &c. ut indocti quidā è Dioscoride citant, qui nihil tale habet. ¶ Pauonis fimus potus, caducos mirabiliter sanat, Sextus & Kiranides, hinc fortè est quòd fimum suum hominum utilitati inuidens resorbere fertur. Idem ferunt podagræ dicitur mitigare, ut quidam nescio ex quo Hieronymo citant. ¶ Anserina & pauonina oua, idem quod gallinacea præstant, Kiranid. ¶ Ferunt pauonis ius quadam peculiari proprietate pleuriticos sanare, præsertim si pingue sit. Pauonis adeps cū rutæ succo & melle, affectus colicos ex humore frigido factos, optimè tollit. Eius autē ossa adusta, & in aceto trita & illita, lepras & uitiligines emendant, Symeon Sethi.

H.

a. Paua fœmina pauonis ab Ausonio dicitur, tamen Columella semper pauonem fœminam dicit. Iunonis auem pro pauone Iuuenalis & Martialis dixerunt. Explicat atq; suas ales Iunonia pennas, Ouidius Eleg. 2. Gemmata uolucris Iunonia cauda, Statius Sylu. 2. Sydereas Iunonis aues, Idem Sylu. 7. ¶ Ταὼι nominantur apud Pollucem, & à Menodoto ut Athenæus citat. Ταὼς, παρὰ δι-

ταῶ dicitur, & ταὼν, ταῶνος: & Attice ταῶς, ταῶ, circunflexum, Eustathius. ὁ ταὼς Antiphon rhetor in suo de pauonibus sermone, duabus syllabis inflectit. Attici uerò cum dicãt ταῶνι, indicant rectum esse ταὼν, quare & rectus pluralis uariat, in quo numero rari sunt obliqui. Herodianus cum ijs quæ in ων desinentia circunflectuntur, ut Ξενοφῶν, hæc duo etiam, τυφῶν & ταῶν, enumerat, eaq; sola per ντ. declinari negat, quoniam & alteram terminationem habeant, nempe ταὼς & τυφῶς, Idem. Ταὼς (Ταῶς) dicitur à caudæ extensione. aliqui à uoce ταὸς deducunt, ο. breui in longum uerso, & mutato accentu. quod non recipimus. nam ταὸς, ut ait Herodianus per ο. breue non est usitatum Græcis. Sunt qui (si à ταὸς deduceretur) ταὼς potius proferendum fuisse dicant, ut λεὼς à λαός. Nonnulli ταῶς ultima aspirata scribunt, Varinus. Ταῶς ἀπὸ τῆ πάσσω τῶν πτερῶν, id est ab expandendis pennis, Athenæus: apud quem etiam Seleucus hanc uocem (ultimã huius uocis) ait Atticè præter rationem aspirari & circunflecti, ταῶς: cuius scriptionis Tryphonem quoq; testem citat: & sic apud Eupolidem legi ait. item apud Aristophanẽ in Auibus, Τηρεὺς γὰρ εἰς ἔστ' ὄρνεον ποικιλόπτερον, ἃ ταῶς. In datiuo etiam ταῶνι efferunt Attici, ut Aristophanes ibidem. Antiphôn rhetor sermonem condidit περὶ ταὼν, id est de pauonibus inscriptum: in quo tamẽ nulla huius nominis mentio fit, aues uerò uarias (ὄρνεις ποικίλας) sæpe in eo nominat, Athenæus. atqui Eustathius ὁ ταὼς inquit duabus syllabis inflectitur ab Antiphônte, fortè ex libri inscriptione tantum ita sentiens, quæ est περὶ ταὼν. Persicam auem, Περσικὸν ὄρνιν, apud Aristophanem in Auibus, aliqui interpretantur lautissimam quamuis: quoniam pretiosa omnia quibus solus rex utebatur Persica dicerentur. aliqui gallinaceũ, alij pauonem, τὸν ταῶ, Scholiastes. Medica auis, Μηδικὸς ὄρνις, pauo, Suidas. alij gallũ interpretantur. uide in Gallo B. Ex Argi sanguine ortus est pauo, Theocritus Idyll. 20. utitur autẽ periphrasi tali, Ὄρνις ἀγαλλόμενος τῇ ῥινὶ πολυωπέϊ χροΐ, Ταρσὸν ἀναπλώσας, ὡς εἴτέ τις ὠκύαλος νῆυς Χρυσοῖο παλαρὸν πεδίσκεται χείλεα ταρσοῖς. Τοῖος ἦλιος πάλαι ποθεινὸς Εὐρωπείης.

¶ Epitheta. Gemmei pauones, Martialis. Picti, Ouid. 2. Metam. Et apud Textorem, Volucris Saturnia, Laudatus, Iunonius, Auis Iunonis, Pythagoreus, Crinitus, Eximius, Sydereus, Regius, Rotans, Speculosus, Pupillans, Oculeus, Samius, Superbus, Inachius. ¶ Ἥ δ' ἐν Σάμῳ Ἥρα τὸ χρυσοῦν φασὶν ὀρνίθων γένος Τὸς καλλιμόρφους καὶ ποικιλοπτέρους ταὼς ἔχει, Antiphanes apud Athenæũ. Ταὼς ὑπέπλεξ, ὁ Μηδικὸς καὶ χρυσόπτερος, καὶ ἀλαζονικὸς ὄρνις, Suidas. Ὁ δὲ ταὼς ὑπέπλεξ χλωρίδι ἀεὶ βόσκεται χείμαρρον πίλων, Babrius apud eundem.

¶ Pauoninus adiectiuum est, ut pauoninum ouum. Pauonius, idem, Varroni: qui oua pauonia dixit, sed castigatiora exemplaria habent pauonina. Aceris genera plura sunt, quod Gallicum uocatur: & alterum crispo macularum discursu, qui cum excellẽtior sit, dicitur pauonium, à caudarum pauoninarũ similitudine, (uide infra in b. ex Plinio.) Martialis de lecto pauonino, Nomina dat sponda pictis pulcherrima pẽnis Nunc Iunonis auis, sed prius Argus erat. hoc in Istria Rhætiaq; præcipuum est, Perottus. In Belgica prouincia candidum lapidem serra qua lignum, faciliusq; etiam secant ad tegularum & imbricum uicem: ut si libeat ad quæ pauonacea uocant tegendi genera. quo in loco doctiores legunt, pauimentata tegendi genera, hoc est pauimentorum more constructa, cuiusmodi permulta hodie uidemus. ¶ Phœniceus siue puniceus color, flagrat uelut uiola flammea: atq; ita à multis olim purpura uocata fuit uiolacea, hodie penè nomẽ seruat (apud Italos.) nam paonacius, quasi puniceus dicitur: etsi aliqui uocem hanc uernaculam à pauonis colore factam uolunt, Ant. Thylesius. Color pauonis, id est color azurus, Andr. Bellunensis. A pauonis natura Itali uerbum pauoneggiare deduxerunt, pro eo quòd est seipsum mirari. ¶ Ταὼς, id est pauones appellant Græci nitidius cultos & uersicoloribus amictos, (ut attagàs seruos stigmatias,) Erasmus. In uestitu si nimium splendorem & uarietatem affectes, non declinabis scomma quale apud Lucianum lectitatur, Ἔαρ ἤδη, καὶ πόθεν ὁ ταὼς; Iam uer adest, & undenam pauo? Cælius. Ἄχθομαι τοῖς ταὼσι, τοῖς τ' ἀλαζονεύμασιν, Aristophanes, hoc est, Molestè fero pauones & fastum. Pauones interpretantur sinus (uestium) uarios, à uarietate colorum pauonis: ἢ ὅτι ποικίλαις ἐχρῶντο καὶ παρύαις, Suid. in Ἀχθομαι. ¶ In Hyphasi fluuio Indiæ pisces quos pauones appellant oriri perhibent, nec alibi usquã. Vocantur autem eodem quo & aues nomine, quia ipsis etiam cœruleæ sunt cristæ, squamæ autem uersicolores, cauda uerò aurea in quãcunq; uoluerint partẽ uersatilis, Philostratus. Pari piscis mirabilitate Bellonius ab aue dicti lib. 1. de piscibus cap. 1. ubi pauí legendum cõiecissem, nisi pauones etiam pisces seperatim nominaret. ¶ Persicariam uulgò dictam herbam, Germanicè quidam nominant **pfawenkrut**, uel **pfawenspiegel**, id est pauoninam herbam, uel pauonum specula. quod folia eius ita nigris insigniantur maculis, ceu speculis oculisue, ut pauonum caudæ: unde & molybdænam, id est plumbaginem Plinij quidam esse uoluerunt. Fungi seu boleti genus quoddam globosum, sessile, terræ locis syluestribus hærens, quod initio album uegetumq; reperitur, deinde in aridissimum puluerem nigrum redigitur tenui membrana nigricãte inclusum, Galli crepitum lupi, nostri **pfawenfyst**, id est pauonis fimum appellant. puluerem illum chirurgi quidam à uenæ sectione inspergunt ad sistendum sanguinem. uide in Lupo H. a. ¶ Ταὼς gemma pauoni est similis, Plinius. Kiranidi taòs lapis est de capite pauonis.

¶ Icones. Iunonis templum quindecim stadijs ad læuam Mycenis distat: ubi inter cætera donaria pauonem uidi, quem (quia Iunoi sacram hanc auẽ esse credunt) ex auro gemmisq; splendentibus Hadrianus imperator consecrauit, Pausanias in Corinthiacis. In numis etiam pauonis effi-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 678 sur 825

giem sculpebãt Samij, quòd Iuno, cui hæc auis sacra habetur, peculiariter apud eos coleretur, Athenæus. Kiranides in tao, id est pauone lapide, pauonem auem sculpi iubet, tenentem turturem (trygóna) marinum piscem, &c. ad superstitiosos usus.

¶ Fircellius Pauo Reatinus nominatur apud Varronem de re rust. 3. 2.

¶ b. Classis regis Salomonis ibat per mare in Tharsis cum classe Hiram, ferẽs aurum & argentum, dentes elephantinos, simias & pauones, Regum 3. 10. & Paralip. 2. 9. Antiphôn rhetor apud Athenæũ author est pauones (Athenis) aluisse δλῶμον τὸν ποδιλάμπτος, & multos è Lacedæmone etiam ac Thessalia ad hasce aues spectandas confluxisse, & ut oua sibi compararent operam dedisse. Admittebantur autem, inquit, spectaturi in nouilunijs tantum, idq; per annos plus quàm triginta factitatum. Quod uerò ad speciem eorum, sic scribit: Εἴ τις ἐθέλει καταβαλεῖν εἰς πόλιν οὐ ὄρνιθας, οἰκήσουσι μὲν ἀναπτάμενοι. ἐὰν δὲ τὴν πτέρυγων ἀκρώμια, τὸ κάλλος ἀφαιρήσεται. καὶ πτερὰ γὰρ αὐτῶν τὸ κάλλος ἐστὶν, ἀλλ' οὐ τὸ σῶμα. Ego sic uerterim, Quòd si qui (Athenis acceptas) has alites in aliam ciuitatem transferre uelit, pristinum locum uolatu repetent, pennis uerò amputatis, (ne auolare queant,) decor omnis amittitur: qui sanè non in corpore eorum, sed in pennis totus est positus. ¶ Pauonis magnitudine est catreus auis, &c. Aelianus. Otidem auem imperitus aliquis conspectam, pauonem dixerit, Synesius in epistolis. Tuo palato clausus pauo nascitur Plumato amictus aureo Babylonico, (id est tapetum Babylonicorum instar ornato,) Petronius Arbiter.

Οἷον δ' ἁ νυ ταῶνος ἐὸν δέμας (δ' ἔμας) ἀγλαόμορφον
Τῶν ἀλλᾶν μερόπεσσι Διὸς τεχνήσατο μῆτις
Τοῖον ἐπ' ὀρνίθεσσιν ἀριζήλως ἀμαρύσσει
Γναπτὸν ὕλησι κιάυσιν ἀρίπρεπὲς ἀλολύγπτον.
Φαιδρότερον, τερπνοῖσιν ὃν ὄμμασιν εἰσοράασθαι.
Χρυσῷ πορφυρόεντι μεμιγμένον ἀθόμβοιο πύρι,

Oppianus lib. 2. de uenatione. Et rursus lib. 3. Τόσσον δ' ὃν θώρηξι μέγ' ἔξοχον ἔπλετο τίγρις, Ὅσσον γ' ἠὲ εἶδος ταὼς καλὸς οἰωνοῖσι. Melibœaq; fulgens Purpura Thessalico concharum tecta colore Aurea pauonum rident imbuta lepore, Lucret. lib. 2. Solonis dictum de pauonũ pulchritudine, uide in Phasiano b. Anzadarahec, est arbor folia habens lucida, ut penna pauonis, semper uirens, Syluaticus. Theombrotion Democritus scribit trigínta schœnis à Choaspe nasci, pauonis picturis similem, odore eximio, Plin. Corydalus (id est galerita) auicula in uertice cristam habet instar pauonis, Aegineta. Aceris genus alterum crispo macularum discursu, qui cum excellentior fuit, à similitudine caudæ pauonum nomen accepit, in Istria Rhætiaq; præcipuum, Plin. Et alibi, Sunt & undatim crispæ mensæ, maiore gratia, si pauonum caudæ oculos imitentur. Pantheræ maculas ὀπωπὰς uocat Oppianus, Plinius oculos, ut & in pauonis cauda aliqui.

¶ c. Vocat Iunonius ales Consortem thalami, & speculosa uolumina uersat. Cauda micat, medijs fulgent sua sydera pennis. Venit amans, cupidis miscẽt simul oscula rostris. Iungit amor geminos geminataq; gaudia gliscunt, Io. Textor, ex nescio quo poeta. ¶ Homerũ infantem Aegyptijs parentibus ortum, fabulantur cum mel aliquando ex Aegyptiæ nutricis uberibus in os eius manasset, ea nocte nouem uoces diuersas ædidisse, hirundinis, pauonis, &c. ut recitaui in Columba Iuuia ex Eustathio.

¶ d. Ὁ ταὼς ἀγαβρυόμενος ἐφ' ἑαυτῷ κάλλει, τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦ ἀρὰν ὑγιαπλῶν ἀκριβεκνύει, Varinus.

¶ e. Pauonis cerebrum amatorium poculum est, & cor eius gestatum beneuolentiam ac fœlicitatem præstat, Kiranides. ¶ Cum amicus quidam mihi olim musacrium ex pennis pauoninæ caudæ faberrimè concinnatum donasset, ego tum ut illi gratias agerem, tum ut ingenium in elegantissimi muneris descriptione exercerem, hanc ad ipsum epistolam dedi: Accepi pulcherrimum munus tuum muscarium pauoninum, pro quo maximas tibi gratias habeo. Video & admiror in illo summam artem, & manuum tuarum dexteritatem artificiosissima illa pennarum in capulo implexione, nodis & internodijs elegantissimè confectis. Tu uerò non contentus artificio tuo, & natiua pennarum pulchritudine, ornamenta etiam alia addidisti, filis distinxisti aureis, sericisq; discoloribus, & uillos bombycum textorij operis mollissimæ instar fluxæq; comæ puellaris ad basin capuli appendisti. Caput eiusdem instar Gordij nodi pennarum caulibus ita implicasti, ut nec initium ullius neq; finis appareat. Quod idem in cæteris quoq; nodis capuloq; toto mirificè à te præstitũ est. Artificiosissimũ uerò illud est in omni opere, si ars quàm maximè occultetur: neque ex initio aut fine partium operis, ratio eius & constructio prodatur. ea enim quorum modum & rationem uidemus, admirari desinimus. Iam cum caules in nodis crassiusculi sint, per internodia uerò in subtiles & tenuissimas fibras extensi secundum capuli longitudinem, hoc quoq; admirationem auget. Has strias tanquam stamen in tela, transuersis & obliquis filorum è serico auroq; ductibus ueluti subtegmine intertextis, operis Musaici & phrygionum qui acu pingunt æmulatione felici, rhombis alijsq; figuris & labyrinthis distinxisti, cancellasti, totumq; uarium & iucundissimũ usu opus perfecisti. Hoc scilicet non modo conatus, sed assequutus etiam mihi uideris, ut cum ipsa natura cõtenderes, & (si dicere fas est) superares quoq;. Quid enim in ipso pauone, & elegantissima eius parte, quam toties tanquam hinc se laudari intelligens, non sine summa ambitione & ipse in se admiratur, & spectatoribus expandit ostentatq;: quid in hac inquam, tam pulchrum, splendidum, uarium & admirabile est, qui oculi, quæ gemmæ, aut quouis modo appelles, quod nõ in ornatissimo flabro tuo uel par uel superius spectetur? Fila caudæ plumata in opere tuo ut ex pennis minutissimè sectis constant, in multam longitudinem promissa, sic leuissimo etiam impulsu auram copiosam citant, nec

uentilando

uentilando tantum refrigerant, ſed muſcas, culices, & omne uolucrium inſectorum genus abigunt, gratiſsimo per æſtatē beneficio, ut Hercule muſciperda, cui in Olympijs olim Græci ſacrificabant, nihil ad hanc rem opus ſit. Sed deſino tecū certare, hoc eſt uerbis exprimere uelle ſpecioſiſsimum donum tuum, cuius artificium ne Cicero quidem diſertiſsimus, & cum Roſcio mimo contendere ſolitus, ipſene uerbis rem eandē magis uariare poſſet, an Roſcius hiſtrio geſtibus corporis, ſatis pro merito depinxerit. Cedo itaq; tibi tuæq; arti, & me uinci fateor.

¶ f. Num eſuriēs faſtidis omnia præter pauonem rhombumq;, Horatius Serm. 1. 2. citat etiam Seneca ad Lucilium. Vix tamen eripiā poſito pauone, uelis quin Hoc potius, quàm gallina tergere palatum, Corruptus uanis rerum, quia uæneat auro Rara auis, &c. Horat. Serm. 2. 2. Apud Alexidem Comicum quidam negat ſe tantū argenti conſumere potuiſſe, etiamſi pauones eſitaſſet, (ceu longè pretioſiſsimam auem,) ut Athenæus recitat.

¶ g. Sanguis pauonis potus dæmonia expellit, Kiranides. Interiora eius & fimus ſuffitu omne malum abigunt. ipſe dyſentericos ſanat, Idem.

¶ h. Pauo quondam Argus erat, qui conuerſam Io in uaccam, Iunonis ira, cuſtodiebat, à Mercurio demum interfectus: ex cuius cadauere tellus auem protulit, in qua etiamnum ſigna centum quos habuit oculorum apparent, Oppianus. Vide Ouidium Metam. lib. 1. Argum aiunt in pauonem conuerſum eſſe, quamobrem Ariſtophanes ait, πότερον ὄρνις εἶ σὺ ὁ λεγόμενος Τηρεύς; id eſt, Num tu auis illa es quæ Tereus dicitur? à uerbo τηρέω, quod eſt cuſtodire: eò quòd Argus cuſtodiuerit Iò uaccam, Varinus. ¶ Valle Banæ res nota, & uix credenda poetis, Sed quæ de uera proditur hiſtoria Fœmineam in ſpeciem ſe uertit maſculus ales, Pauaq; de pauo conſtitit ante oculos, Auſonius Sectione 1.

¶ Alexander Macedo eiuſmodi aues apud Indos uidens, earum admiratione cōmotus, in eos qui has occiderent, grauem pœnam conſtituit, Aelianus. Pauo ſacer erat in Libya, ita ut quiſquis huius generis auem læſiſſet, non ferret impune, Euſtathius. ¶ Iunoni pauo & anſer dicabantur. De pauone fabula eſt apud Ouidium in Metam. & Athenæum, Gyrald. Ingreditur liquidū pauonibus aera pictis, Ouidius de Iunone Metam. 2. Iunonis uolucrem quæ cauda ſydera portat, Idem 13. Metam. Didicit iam diues auarus Tantum admirari, tantum laudare diſertos, Vt pueri Iunonis auem, Iuuenalis Sat. 7. Iunonis templum quindecim ſtadijs ad læuā Mycenis diſtat: ubi inter cætera donaria pauonem uidi, quem (quia Iunoni ſacram hanc auem eſſe credunt) ex auro gemmiſq; ſplendentibus Hadrianus imperator cōſecrauit, Pauſanias in Corinthiacis. ¶ Μήποτε θρέψῃς παρὰ φορτιφόνῃ τοιόνδε ταὼν, ὃς σὺ ἄδοντας (forte εὐδοντας) ἐγείρει, Eupolis apud Athenæum. ¶ C. Caligula eò uecſaniæ proceſsiſſe traditur, ut ſibi tanquam numini ſacro phaſianos & pauones mactari iuſſerit, Gyraldus.

¶ Prouerbia. Laudant ut pueri pauonem. Prouerbij faciem habet quod ſcripſit Iuuenalis in auaros, qui carmina laudant duntaxat, nihil autem largiuntur poetæ. Didicit laudator auarus Tantum admirari, tantum laudare diſertos, Vt pueri Iunonis auem. Idem alibi, Probitas laudatur & alget. Notior eſt metaphora, quàm ut oporteat explicare. Ouidius alicubi de pauo, Laudatas oſtendit auis Iunonia pennas, Si tacitus ſpectes, illa recondit opes, Eraſmus. ¶ Coquus quidam apud Athenæum lib. 3. uarijs & diuerſis cibis in ſartaginem coniectis ἐποίησεν αὐτὸ (τὸ τάγηνον) ποικιλόταὼν, hoc eſt ſartaginem reddidit pauone magis uariam. Eraſmus in prouerbio, Magis uarius quàm hydra, hunc ſenarium citans non rectè legit αὐτὸν, ad hominem referens. Pauonem cognominabant Græci hominem ueſtitu nimis ſplendido & uario utentem: ut ſupra in H. a. inter deriuata expoſui.

PEGASVS ales eſt Aethiopici cœli: quæ præter aures equinum nihil habet, Solinus. Plura leges in Equo H. h.

DE PELECANO.

A.

Pelecanus ut uulgò à pictoribus effingitur.



PELECANVS auis à nobis nominabit̄, per l. ſimplex, & e. breue in utriſq; prioribus ſyllabis, declinatione ſecunda, quoniam à Græcis quoq; πελεκὰν dicitur, quam recentiores quidam pelicanum dixerunt, ut Eucherius: alij pellicanum (per l. duplex) ut Albertus: & eruditi quidam pelecānem à recto pelecān, imitatione Græcorum ut Hermolaus. Pelicanus ſiue pelicanis, ut ab Ariſtotele in 8. (lib. hiſt. anim. cap. 12. ubi tamen πελεκᾶνδν legimus, ut etiam lib. 9. cap. 10. Gaza plateas uertit Plinium imitatus) appellatur: à Plinio (10. 40.) platea dicitur, à Cicerone in ſecundo de nat. deorum platalea, Volaterran. Cicero non plateam, ſed plataleam tradit hanc uocari, ut in ipſo forte Ciceronis codice ſit error, Hermol. Oppianus de aucupio 2. 7.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 680 sur 825

Pelecani ſeu plateæ noſtræ figura.



non pelecanum, ſed pelecínum (πελεκῖνον) hanc auem nominat. Ariſtophanes uerò in Auibus pelecanum & pelecínum ſimul nominat, tanquam aues diuerſas. Et rurſus in eadem fabula tetracis auis cum porphyríone & pelecíno meminit. ¶ Hebraícum nomen kaath, קאת, Septuagínta Leuit. 11. pelecâna uertunt, & Pſalmo. 102. Dominus ponet Niníuen ſicut deſertum, & pernoctabunt in ſuperlímináribus eius cuculus (kaath) atq; noctua, Sophoníæ 2. Munſtero interprete. qui tamen Eſaiæ 34. kaath interpretatur pelecanum. Pelícanus (inquit propheta) & ululа, noctua, & coruus, habitabunt in ea. loquítur aũt de ſylueſtríbus & ſolitaríjs auibus, ut kaath etiam talis ſit, non aquatica. Plura de nomine kaath ſcripſi in Mergo in genere, & in Onocrotalo. Chaſida quoq; Hebraícam uocem, aliqui pelecanum, alíj onocrotalum, alíj aliter interpretantur. uide in Ciconia. ¶ Alberti

berti ex Aristotele translatio alicubi falakynes, alibi kalakanez pro pelecanes habet. Auicenna autem (inquit) appellat balazub. Ramphius auis est quæ dicitur pelecanus, Kiranides: nimirum à magnitudine rostri, quod Græci rhamphos nominant. Sunt & ϕαλφοι aues quædã Hesychio & Varino. ¶ Pleræq; gentes pelicani nomen tanquam peregrinæ & incognitæ auis, quam pro arbitrio pictores hactenus finxerunt, adunco ut uidetur rostro pectus sauciantem, & effluentẽ sub ea sanguinem hiante ore excipientibus pullis: cum nulla talis, opinor, in rerum natura auis sit, nisi quis Aegyptios de uulture hoc uerè tradere putet, quod Orus literis mandauit, eum ne fame pulli pereant, femori suo uulnus inflígere, & emanantẽ sanguinem ab illis exorberi. Verum pelecanum, cuius iconem posuimus, Itali quidam hodie appellant becquaroueglia. ¶ Galli pale, truble, poche, à palæ uel cochlearis figura, quam rostri latitudine refert. uox poche Burgundis cochlear magnum significat. ¶ Germani Löffler/Löffelganß: hoc est cochleariam, uel anserem cochlearium, circa Coloniam Lefler proferunt. Frisij Lepler. ¶ Angli a schofler, uel shouelard, nostri proferrent Schufler. palam enim uel batillum schufel appellamus. ¶ Sigis. Gelenius pelicanum Germanicè Fauser interpretatur, nomine mihi ignoto: Illyricè bucacz. sed hæc ardea stellaris nostra est, non onocrotalus.

¶ Videtur sanè mihi pelecanus noster ardearum generi adnumerandus, à quo non tam alio insigni quàm rostri latitudine differt, quãquam Aristoteles etiam ardeæ albæ rostrum latum & porrectum tribuit, ego albardeolas in Italia uidi rostro non lato, sed cæteris simili. Albardeolam si non uidissem in Italia, Anglorum shouelardam albardeolã esse iudicassem, Turnerus. Albertus etiam auem quam cochleariam uocamus, ardeam albam esse putauit. hæc ardea (inquit) tota alba est, & figura similis cinereæ, sed melius pẽnata, collo longiore, & rostro anterius rotundo, tanquam circulo uno super alterum imposito.

¶ Aues quas Aristoteles pelecanos, Plinius onocrotalos appellat, Bellonius, uide supra in Onocrotalo A. Duo dicuntur esse pelecanorum genera: unum aquaticum, quod piscibus: alterum terrestre, quod serpentibus & uermibus uiuit, & dicitur delectari lacte crocodilorum, quod crocodilus spargit super lutum paludum: unde fit ut pelecanus crocodilum sequatur, Albertus. Quidam ex D. Hieronymo recitãt pelicani duo esse genera, unum uolatile, alterum aquaticum. Pelicanus auis est parua quæ solitudine delectatur. Est & aliud pelicanorũ genus in Nilo, penè cygnis simile, nisi quòd paulò maiores sunt, quidam ita & onocrotalos uocant, Eucherius. Oppianus quoq; pelecanum (ipse pelecinum appellat) ab onocrotalo nõ uidetur distinguere, cum sinum ei ante pectus dependere scribat, κόλπον ὑπερτῖνδα πρὸ τῆ στέρνῳ. Nos cum de onocrotalo abunde scripserimus supra: in præsentia de illa aue scribemus cuius iconem posuimus, & quam ueterum pelecãa uel platea esse non dubitamus. ¶ Pelecanum aliqui cum porphyrione confundunt, ut in Porphyrione ostendam.

B.

Pelecanus auis secus Nilum & in paludibus Aegypti moratur, Kiranid. Auis est Aegyptiaca, habitans in solitudine Nili fluminis, unde & nomen sumpsit. nam canopos Aegyptus dicitur, Isidorus. In tabulis quibusdam quæ orbis terrarum descriptionem cõtinent, pelicanum auem totam albam in Africa circa Aegyptum degere inuenio. ¶ Rostrum (rhámphos) habet magnum, Scholiastes Aristophanis, hinc scilicet etiam rhamphius à Kiranide nominatur: & à rostri latitudine platea uel platalea à Græcis, à nostris cochlearia, à Gallis pala. ¶ Oppianus pelecino suo collũ ulnæ (orgyiæ) proceritate tribuit, & sinum ante pectus propendentem: quæ ad onocrotalum, non pelecanum nostrum pertinent. Aristoteles pelecanis ingluuiem tribuere uidetur, ὑπὲρ πρὸ τῆ κοιλίας τόπου nominans, hist. anim. 9. 10. ¶ Pellicanus dicitur quasi pellem habens canam, id est plumas albas, (ridicula etymologia, quanquam res uera est.) hæc auis semper macie afficitur: & quicquid glutit, citò digerit, quia uenter eius nullum habet diuerticulum, quo cibum retineat. solum enim uisceris (intestinorum) habet ductum, qui ab introitu oris usq; ad secreta naturę pertingit, Author de nat. rerum. Nos nostræ plateæ intestina multis anfractibus inuoluta reperimus. Rarò apud nos capitur, frequentius (ut audio) in Bohemia, & apud Anglos in littore maris. ¶ Capta apud nos platea prope urbem in ripa lacus, circa finem Septembris, ad me allata est, candida pennis omnibus, præterquam ultimis & maximis alarũ, quæ ex parte inferiore nigricant. pedes & crura nigra sunt, magnitudo parum infra anserem, lingua breuissima, uel signum potius & initium linguæ. collum digitos longum circiter decem. oculi glauci. cauda breuis, quinq; aut sex digitos longa. crurum altitudo paulò infrà duos dodrantes. inter digitos pedum aliquid membranæ est, idq; amplius inter duos maiores. ungues breues, nigri, acuti. Obesa admodũ erat, multa circa cutim pinguedine undiquaq;. intestina admodum inuoluta, præpinguia. fel uiride. In uentriculo herbas quasdam aquaticas uirides reperiebam, & ramenta quædam radicum geniculata, harundinum puto. In aquam immissa natabat, & quærebat aliquid immerso rostro in fundo. Irascens adeuntibus rostro aperto collisoq; sonitum ædebat. Pediculis quibusdam latis infestabatur.

C.

Platea nostra, ut audio, circa mare præcipuè degit, & innatat quoq;: rarò circa dulces aquas, Aristot. tamen historiæ anim. 9. 10. pelecânes fluuiatiles memorat. Capitur in Anglia in littore maris:

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 682 sur 825

& cicurata piſcibus ueſcitur, inteſtinisq; gallinarum & alijs culinæ reiectamentis. Sunt qui ranis quoq; & ſerpentibus eam ueſci referant. Pelicanus lacte crocodili uiuit, quod utiq; beſtia præ nimia mamillarum abundantia in aliquo paluſtri loco copioſè fundit: unde & crocodilum libenter pelicanus ſequitur, Author de nat. rerum, & Albertus. Pelecani fluuiatiles (οἱ πελεκᾶνες οἱ ἐν τοῖς ποτα-μοῖς γινόμενοι) conchas maiuſculas læuesq; fodiendo erutas deuorant: & quũ iam multas ingeſſerint, ingluuieq; ſua coxerint, euomunt, ut hiantibus iam teſtis carnes lectas deuorẽt, Ariſtot. in hiſtoria animalium & in Mirabilibus narrationibus, & Aelianus, & Cicero 2. de nat. deorũ. Platea (aliàs Platalea) nominatur aduolans ad eas quæ ſe in mari mergunt, & capita illarum morſu corripiens, donec capturam extorqueat. Eadem cum deuoratis ſe impleuit conchis, calore uentris coctas euomit, atq; ita ex ijs eſculenta legit teſtas excernens, Plinius & Cicero. Vt conchas pelecanus quas deuorarit, uentris calore diſcuneatas reuomit, & pulpam à teſtis ſeligit: ſic herodius (ardea) oſtrea teſtis obducta uorat, & ingluuie concalefaciens tandiu cuſtodit, quoad calore ſtomachi diſcludantur. poſtquam uerò iam diductas ſenſerit teſtas, eas euomit, & carnem ad ſuſtentandum ſe retinet, Aelianus, Plutarchus & Philes. Oppianus quanquam pelecini nomine onocrotalum, ut dixi, intelligat, eadem tamen de eo ſcribit. Pelecini (inquit) non minus quàm lari uoraces, non toto tamen corpore merguntur, ſed ut ſolent qui ſe in caput præcipites uoluunt (οἱ κυβιστῶντες,) colla quibus ulnæ (ὀργυιὰς) proceritas eſt, ſubinde demittunt, dorſis interim ſupra mare prominentibus, piſcẽ obuium quenq; ampliſsimis faucibus exceptum deuorant. Sinus quidam ante pectus dependet, in quem cibum omnem tuburcinantes aliquantiſper recondunt: & ne teſta quidem intectis abſtinent: ſed unà cum teſtis primum quod ſe obtulerit deglutiunt: deinde mortua in os reuocant, & reiectis teſtis pulpam uorant. Nam quæ dum uiuerent occluſæ erant, uita ſpoliatæ aperiuntur ac dehiſcunt, Hæc ille. ¶ Cum ut aliæ aues in locis à terra altis pelecanus nidum conſtruere poſsit, tamẽ imprudentia quadam in ſcrobe, quem in terra facit oua ex ſeſe parit, Orus. Pelecânes etiam migrant, & de Strymone amne ad Iſtrum aduolant, prolemq; ibi faciunt, abeunt uniuerſę, ac priores expectant poſteriores, propterea quod ubi montem ſuperarint, uideri priores à poſterioribus nequeant, Ariſtot.

D.

In Anglia plateas cicures ali audio: ego Ferrariæ in Italia manſuefactam uidi, quæ culinæ reliquijs ueſcebatur. ¶ Conchas integras à pelecano deuorari, & teſtis calore dehiſcẽtibus reuomi ut pulpam ſeligat, ſuperius in C. perſcripſimus. ¶ Ciconias & pelecanos poſtquam conſenuerunt pulli proprij alunt, & ingreſſum uolatumq; eorum promouent, Io. Tzetzes. Herodios & pelecanos ſimiliter ut ciconias in pullis ſuis enutriendis, ſingulari beneuolentia uti audio: nempe ut cum aliunde cibus non ſuppetit, eſculenta quæ prius ederant, euomant, & in educandos fœtus conuertant: & ad uolandum pullis imperitis duces ſint, Aelianus. Pullos ſuos tantopere amat, ut dum ignem circa nidum ab aucupibus excitatum extinguere alis uentilando conatur, illas ſibi adurat, ut in E. referemus. Pelicani cum ſuos à ſerpente filios occiſos inueniunt, lugent, ſeq; & ſua latera percutiunt, & ſanguine excuſſo, corpora mortuorum ſic reuiuiſcunt, Hieronymus in epiſtolis. Pulli pelecanorum ubi parum adoleuerint, mox parentes ſuos percutiunt in faciem: cuius illi iniuriæ impatientes pullos colaphizant (cędunt ceu colaphis roſtrorum) & interficiunt, deinde miſerti eorum lugent (per triduum, ſecundum aliquos obſcuros.) Eadem (Tertia, ſecundum alios) uerò die mater ſua latera dilanians aperit: & ſanguinem ſuper filiòs ſuos mortuos effundẽs uiuificat eos, reſurgunt autem quodam naturali modo, Kiranides, Iſidorus, Phyſiologus, Author de nat. rerum, & Albert. Poſt ſanguinis uerò effuſionem adeò debilitatur, ut exire de nido non ualeat, & pulli pro ſua ac matris cibatione euolare cogantur. Sed horum quidam propter ignauiam uel impietatem in matrem exire nolunt, (& pereunt. quidam autem ſeipſos quidem paſcunt, ſed matrem penitus negligunt. Mater ubi conualuerit pios filios nutrit: impios uerò abijcit & contemnit, Author de nat. rerum) hos cum uoluerit (ualuerit) abijcit, & prouidentes ſibi ſe ſequi permittit. Sed hęc à quibuſdam literis prodita, nullo affirmari experimento poſſunt, Albertus. Aegyptij etiam uulturem ardentiſsimè ſuos pullos amare aiunt, & per centum ac uiginti dies in terra commorando ita ut nuſquam humo tollatur, ſic in alendam prolem incumbere, ut non ſe ex pullorum loco commoueat: ac ſi quando nutrimenti facultas deſit, ne fame pulli pereant femori ſuo uulnus infligere, & effluentem ſanguinem eis exorbendum dare. ¶ Pelecanus de coturnicis exitio acerbè & crudeliter cogitat. rurſus coturnix ab ea uehementer diſſentit, Aelianus & Philes. Pugnã ciconiarum & pelicanorum aduerſus cornices, coruos, uultures aliaſq; carniuoras aues deſcripſimus in Ciconia C. ex Kiranide.

E.

Pelicanus nidificat in ſcrobe in terra: quod non ignorantes aucupes, bubulo ſtercore locum circumlinunt, ignemq; ſuccendunt. ea uerò fumum aſpiciens, aggreditur ignem alis reſtinguere. ueruntamen ei tantum abeſt ad extinguendum aſtutia, ut magis magisq; ſua tanquam uentilatione incendat, idcircoq; alis exuſtis capiatur, Orus. ¶ Fel pelicani argentum obſcurum ſplendidum reddit, Kiranides.

F.

In Cotyis Thracum regis conuiuio apud Athenæum nominatur inter cæteras aues pelecân. Ibis, porphyrio & pelecân prohibentur menſis (in uetere teſtamento) eò quòd aues ſint uoraces piſcium,

piſcium, quorum rapinæ inhiant, Procopius. Aegyptiorum ſacerdotes pelecanum, quòd prolibertis in diſcrimen ſe conijciat, (dum ignem circa nidum accenſum alis uentilando extinguere conatur, ut in E. retuli) non edunt. Multi tamen ex Aegyptijs eo ueſcuntur, ut qui eum dicant non iudicio ac prudentia quadam ut uulpanſeres, ſed beneuolentia duntaxat & mira in ſobolem pietate certamen hoc ſuſcipere, Orus. ¶ Platea noſtra aliquando mihi guſtanti grata, & anſeri non diſſimilis uiſa eſt. apud Anglos in delicijs haberi audio.

G.

Fel pelecani cum nitro mixtum, nigros alphos ſanat: & cicatrices nigras eiuſdem coloris cum reliqua carne facit: & argentum obſcurum ſplendidum reddit, omnem denique nigredinem pellit & abſtergit, Kiranides.

H.

Πελεκὰν oxytonῦ: πελεκᾶν, penultima in obliquis circunflexa, (etſi Grãmatici quidam acuant, niſi librariorum is error eſt,) lingua communi dicitur, (ut apud Ariſtotelem, Aelianum, Orum.) πελεκάν, πελεκᾶντος Attica (apud Ariſtophanẽ in Auibus:) πελεκᾶς, πελεκᾶ, Dorica, Suidas, Varinus, & Ariſtophanis Scholiaſtes. Idem Scholiaſtes dubitat utrum caſus rectus penultimam potius acuere debeat, ut πελέκας ſcribatur ſicut ἁλίεας. Ὄρνιθων ἅπασῶν τάχιστοι, πελεκᾶντες, οἱ τοῖς ῥύγχεσιν ἀπεπελέκησαν τὰς πύλας, ἰῶ ἰῶ· ὁ κῆρυξ Αὐτῶν πελεκάντων (malim πελεκῖνων participium) ὥσπερ ἐν ναυπηγίῳ, Ariſtoph. in Auibus. Πελεκᾶντες, παρὰ τὸ πελεκᾶν τὰ ξύλα, ut pulchrè iocatus ſit poeta, & uocabuli alluſione, & rerum quoque ſimilitudine, habet enim hæc auis roſtrum magnum latumq; & inſtar πελέκεως ſeu dolabræ aptum dolationi. ¶ Eſt quando pelecàn, non auem de qua ſcribimus, ſed picum ſignificet, iuxta Grammaticos. nam apud authores nuſquam ſic uſurpari puto. Πελεκᾶν ὄρνεον τὸ κολάπτον καὶ τρυπῶν τὰ δένδρα, Suidas & Heſychius. ἀφ' ὃ καὶ δενδροκολάπτης καλεῖται, Varin. ¶ Sunt & ex anatum genere ſylueſtres lato admodum roſtro, quas Galli & Angli pochardas, id eſt cochlearias appellant, quemadmodum ab eadem roſtri figura plateæ nomen & illi & noſtri indiderunt. ¶ Fr. Alunnus Italus pelicanum etiam piſcis nomen facit, ſine authore, & eadem quæ alij pelicano aui attribuit. ¶ Σπέλεκος, pelecàn, Heſych. Βαυβυκᾶν, pelecânes, Idem & Varinus.

¶ Pelecinus apud medicos Græcos genus eſt herbæ, cuius ſemẽ πελέκεως, id eſt ſecuris ſpeciem refert, eſt enim in ſiliquis cornutis latiuſculum è parte altera craſsiore uerſus alteram paulatim tenuius. Inter cepe genus condimentarium Græci gethyon, noſtri pallacanam uocant, Plinius. ¶ Πελικὰν, genus poculi lignei, uel peluis lignea, ἀπὸ τοῦ περιπελεκίσθαι, Heſych. & Varinus: inde dictum quod non torno, ſed dolabra factum ſit. dolare enim Græcis eſt πελεκᾶν, πελεκεῖν, πελεκίζειν. Πέλεκυς, ὁ τοῦ πελέκεως σεσεισός, παρὰ τὸ περιπελεκῆσθαι, Scholia in Iliad. ν. ¶ Pelicanum chirurgi uocãt organum quo dentes apprehenſi extrahuntur: & chymiſtæ genus uaſis utrinq; canalibus in orbem tanquam anſis extenſis. ¶ Πελιγάνοι, οἱ γόητες. παρὰ δὲ Σύροις οἱ βαλανεῖς, Heſychius. ¶ Aegyptij pelecano picto amentem ac imprudentem ſignificant, Orus. non enim in alto nidum ſtruit, ſed in ſcrobe in terra parit: & ignem ab aucupibus circa nidum excitatum dum alis extinguere conatur, ſeipſum amburit. ¶ Atilium Palicanum loquacẽ magis quàm eloquentem fuiſſe legimus, Cælius. Pelecania nomen eſt loci inter Cephiſum & Melanam, Theophraſtus de hiſt. plant. 4. 12. dicti fortè à pelecanis auibus. nam & lacum illic eſſe meminit.

PELORIS, Πελωρὶς, genus eſt auis à magnitudine dictæ. nam πέλωρον Græci magnum uocant, Varinus. Cum uerò aliorum nemo pelorìdem auem memoret, facilè conijcio non ἔνδος ὀρνέου, ſed ἔνδος ὀρνέου legendum: hoc eſt genus conchæ, pelorìdem enim conchã apud bonos authores legimus.

DE PERDICE.

A.

PERDIX eodem nomine Latinis appellatur, & Græcis πέρδιξ. recentiori Græciæ πέρδικη uel πέρδικα. Hebraicè kore, קורא. nam Kimhi Hierem. 17. & 1. Reg. 26. תירדירו, perdiſe, Gallica uoce, id eſt perdicem exponit. Chaldæus 1. Reg. 26. habet korea, קוריא. & Hierem. 17. koriah, קוריאה. R. Salomon alibi perdicẽ interpretatur, alibi uulgari lingua (Gallica) קורקו גלריצנט. coquu Gallicè cuculum uocant. Nicolaus Lyranus auem uulgò dictam coquin, quæ inſequatur muſcas & alias res uiles. Septuaginta Reg. 1. 26. nycticoracem, Hieronymus perdicem, ut & Hierem. 17. ubi Septuaginta quoq; perdicem uerterunt. ¶ Scriptores Arabici uel eorum interpretes ea de aue cubeth ſcribunt, quæ Græci de perdice. In Auicẽnæ translatione hiſtoriæ animalium quæ circumfertur, pro perdice cubes legitur, & alibi cunteg. Cubata Auicennæ perdix eſt, Albertus. Altaiugi uel alteiugi eſt auis quæ dicitur perdix: alij phaſianum interpretantur, alij, ut Ebenbitar, aſſerunt auẽ ſimilẽ eſſe coturnici in omnibus, niſi quòd ſub alis habet quaſdam pennas nigras & albas, Bellunenſis. Vide in Phaſiano A. Theiugi uel teyuz ſunt perdices, Idem. Cubugi (Cabegi, Bellunenſis) auis eſt cui attuiugi communicat in formis ſuis, Auicenna 2. 186. malim altuiugi, cũ al articulo. In capite de ouis, oua alchabegi & altheiugi, id eſt utriuſq; perdicis, comparat ouis gallinæ. Et alibi, Inter aues (inquit) præſtat caro alduragi, (attagenis:) & gallinarum eſt ſubtilior ea: & non ſunt cum nutrimento carnium alchabagi & atheiz, (Bellunenſis pro

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 684 sur 825



atheiz legit altaiaigi.) Altei, uel alteiem, uel alteiei, eſt perdix maſculus, Syluaticus & uetus gloſſographus in Auicennam. Alereze, perdix mas, Syluaticus. Alcubi, perdix uel phaſianus, Idem. Diuerſas barbaras uoces Aduranti, Altinagi, Roſelhageli, Bonion, omnes ab eodem pro perdice exponi reperio. Politicum, id eſt parua ſtarna, Idem.

¶ Perdix, cuius iconem damus, ab Italis quibuſdam perdice dicitur: ab alijs perniſette, (circa Verbanum lacum pernigona) id eſt perdix minor: ut maior perniſe, de qua priuatim poſtea: ab alijs ſtarna. Starna eſt perdix minor, Syluaticus: quanquam aliqui ſtarnæ nomine auem accipiunt magnitudine anſeris, cinereum, ut Ant. Gazius annotat: quæ quidē mihi non ſtarna ſed ſtarda uel tarda potius uulgò dicta uidetur. Sunt qui ſtarnas ueterum attagenas eſſe putarint, quos reprehendit Volaterranus. Starnæ enim potius (inquit) aues externæ uocantur. Hieron. Accorombonus medicus quoq; externas aues eſſe ſcribit, quas uulgus perdices uocet. Aduenerunt bellis Bebriacenſibus ciuilibus in Italiam aues externæ, quæ adhuc nomen retinent, paulum infra columbas magnitudine, turdorum ſpecie, ſapore gratæ, Plinius. ¶ Hiſpanicè, perdiz. Luſitanicè codornix, quod uocabulum tamen ad coturnicē pertinere apparet. ¶ Gallicè perdris ſimpliciter, uel perdris grin gette aut grieſche, uel perdris des champs, uel perdris griſe (à colore) uel perdris goache, teſte Bellonio. Circa Montempeſſulū raſcle per onomatopœiam. ¶ Germanicè Räbhün/Wäldhün. Flandri Gallico nomine utuntur Perrijs. ¶ Anglicè a pertrige. ¶ Illyricè kuroptwa. Polonicè koropathwa. ¶ Turcicè zil.

¶ Ruſticulæ (Plinio dictæ) ſunt noſtrates perdices. etenim propriè perdices ſunt maiores, ut Hiſpanæ, & Chienſes, & Siculæ, Niphus. De perdice non ſatis compertū nobis eſt, quo nomine noſtra ætate indicetur hæc auis: tam multiplex eſt diuerſis locis earum auiū genus & ſeminium, Marcellus Vergilius. ¶ Quas nos perdices uocamus, ſcioli quidā quibus nihil uulgò acceptū placet, perdices eſſe negant. Atqui cū pro regionum uarietate, differentes quoq; nō forma modò, uerùm etiam ſono & moribus aues eiuſdem generis uideantur, id ipſum ſanè in perdicibus animaduertere maximè licet. Athenæus miratur in Italia perdices roſtris non eſſe cinnabarinis, cum in Græcia eo colore quotquot ſunt ſpectabiles ſint. Germania noſtra utrunq; genus habet. Nam & uulgares iſtas nemo eſt qui ignorat, & qui roſtro cinnabari colorato ſunt ſæpe in hac urbe (Colonię) uidentur, Longolius. Intelligit autem perdicem maiorem, cui roſtrum rubet & crura, de qua poſtea ſeorſim agemus. Et alibi, Perdices (inquit) cacabare dicuntur à ueteribus, neq; aliter etiam nunc ſonant. Quæ Ariſtoteles & Ouidius de perdice ſcribunt, omnia noſtræ perdici uulgari conueniunt, nempe uolandi nidulandiq; ratio, aſtutia, circa prolem ſolicitudo, corporis grauitas, & uocis ſtridor, à quo etiam nomen accepiſſe uidetur, Turnerus in epiſtola ad nos. Perdicum in Italia genus alterū eſt, corpore minus, colore obſcurius, (ἀμαυρόν τῇ πτέρωσει, Vuottonus uertit, uolatu incōpoſito, Gillius infirmo uolatu,) roſtro non cinnabarino, (Vuottonus negationem tollendam ſuſpicatur, quod non probo,) Athenæus. Otides perdicum ſimiles ſunt, prę obeſitate autem corporiſq; pondere parum ſe alis attollunt, Volaterranus ex Aeliano. In hydrope aſcite cōueniunt turtures, perdices, & quæ roſtro pedibuſq; rubris, phœniceis alis, frequēti in Creta & Cypro inſula ſobole, domeſtica etiamnum manſuefactis fœtura, perdices ab incolis uocantur, Alex. Benedictus. Ex his facile eſt colligere, perdicum genus duplex eſſe, alterum minus, alterum maius. Nos hic & de minore priuatim, &

tim, & de utroque in genere ſcribimus: de maiore poſtea.

B.

Porus Indorum rex Auguſto dona miſit perdicem uulture maiorem, Strabo lib. 15. Et rurſus, Oneſicritus author eſt perdices in India anſerum magnitudine eſſe. ¶ Cirrhæi (Circa Cirrham, Athenæus) perdices neq; ad certamina ualent, nec ſuauiter cantant: ne uerò cibi gratia capiantur, allia deuorant & carnem planè inſuauem reddunt, Aelianus. Perdices non tranſuolant Bœotiæ fines in Attica, (in Atticam lego,) Plinius. in Bœotia ſui iuris nō ſunt, ſed in ipſo aere quas tranſire non audeant metas habent, inde ultra notatos iam terminos nunquam exeunt, nec in Atticum ſolum tranſmeant, Solinus. Bœotij perdices in Atticam non tranſeunt, uel ſi tranſierint uocis mutatione agnoſcuntur, Athenæus. Cum quidam perdices duas in Anaphen immiſiſſet, tanta perdicum uis illic exorta eſt ut incolæ de inſula relinquenda periclitarentur. Apud Heluetios perdices multæ capiuntur, non quidem in montibus, ſed in uallibus & agris, Stumpfius.

¶ Perdix coloris eſt rufi, nigris interpictis longis maculis, Albert. Otis eſt colore coturnicis, ſecundum alios perdicis, Athenæus. Color teſtaceus cōmunis eſt ferè pulueratricibus, ut alaudæ, perdici, &c. G. Longolius. Perdix uiſa eſt aliquando alba, Ariſtot. in libro de coloribus. Perdici ingluuies præpoſita uentriculo eſt, Idem & Plinius. Perdix ad imum inteſtinum appendices paucas habet, Ariſtot. In Paphlagonia bina perdicibus corda, Plinius. Idem à Theophraſto proditum Athenæus & Gellius teſtantur. Coitus tempore teſtes habent magnitudine inſignes (præ cæteris auibus propter ſalacitatem,) aliâs uerò omnino obſcuros: ita ut hybernis menſibus ne ullos quidem teſtes in his haberi nonnulli arbitrentur, Ariſtot. Perdicis noſtrati color omnino uarius, nec facilis deſcriptu. Roſtrum ſubfuſcum eſt. crura è fuſco albicant. Sinciput, partes circa oculos & prora capitis cum initio colli inferioris, ruffo colore ſimplici inſigniuntur, reliquum caput ſuperius è ruffo fuſcum eſt. ſingulæ autem plumæ per medium maculis diſtinguuntur ruffi coloris diluti. Collum & pectus cinerea ſunt, exiguis maculis nigris quaſi per uerſus criſpos & undantes interſtincta, qualis in ſciuris pontici color apparet. In medio uentre utrinq; pennæ quædā ruffi coloris ad fuſcum tendentis ſunt. Inferiora uentris & crura modicè ſupra genu plumæ albicantes ſubfuſcæ ueſtiunt. Dorſum cauda & alæ, uarios alternis colores oſtendunt. nam in dorſo caudaq; nigricantem, ſubflauum & ruffum ſaturum colores uideas, per tranſuerſum alternatim diſpoſitos. minimū autem nigri eſt, & quaſi per puncta uerſuum undantium. In alis pennæ maiores fuſcę ſunt, maculis ruffis maiuſculis per tranſuerſum aſperſæ. In iiſdem minores ſuperioresq; pennæ magis uariæ & ſplendidæ ſunt, eodem ferè quo per dorſum colore, ſed ſingulas linea media albicans elegantiſsimè diſtinguit. Latera etiam cinereo colore ſunt ut in collo & pectore, ſed maculæ aliquot latiuſculæ ruffæ per tranſuerſum intercipiunt. Longitudo caudæ digiti quatuor, & colli ſimiliter uel paulò minus, &c. Et talis quidem mas erat, ni fallor, mihi hæc condenti inſpectus: fœmina fortè nonnihil differt, uncias appendebat duodecim cum dimidia.

C.

Perdix auis eſt terreſtris, Athenæus. Perpaucæ aues hyeme in agris manent, quarum in numero ſunt perdices, G. Agricola. Perdices multæ capiuntur in Heluetiorum uallibus & agris, non etiam in montibus, Stumpfius. Frequenter eas inter iuniperos degere audio.

¶ Vox. Dicta eſt perdix à ſono uocis, Albertus. Garrula perdix, Serenus. Caccabat hinc perdix, hinc gratitat improbus anſer, Author Philomelæ. Perdicum alij caccabant, alij ſtridunt, Ariſtot. cuius uerba hæc Græca ſunt, οἱ μὲν κακκαβίζουσιν, οἱ δὲ τρίζουσι. Perdicum uox nunquā eadem, ſed uaria & multiplex eſt, alia Athenis ultra uicum Corydalenſium, alia citra. Harum uariarum uocum quæ ſint nomina Theophraſtus explicat. In Bœotia & Eubœa idem ſonant, ac (ut ſic dicam) eiuſdem ſunt linguæ, Aelian. Theophraſtus in eo opere quod cōſcripſit de uaria uoce auium eiuſdem generis, Athenis inquit perdices citra Corydalum uicū uerſus urbē κακκαβίζειν, ultra illum uerò πτιτυβίζειν, Athenæus, negans perdices omnes caccabare. Perdix à ſtrepitu & uoce ſtridente nomen accepiſſe uidetur. quæ enim auis uerius ſtridet, & ſerræ ſtridorem magis imitatur, quàm perdix noſtra? Turnerus in epiſtola ad me. Coturnicibus in pugna uox, perdicibus ante pugnam, Plinius & Ariſtot. Perdices non modo canunt, uerum etiam ſtridunt, & uoces alias quaſdam emittunt, Ariſtot. Perdices uocat caccabas (alij caccabidas) Alcmenes, qui genus cantiunculæ compoſuit Caccabidum, profitens ſe id à perdicibus cantare didiciſſe. Itaq; Chamæleon Ponticus dicit antiquos muſicam excogitaſſe ex auibus in ſolitudine cantantibus, Gillius. Bœotiæ perdices aut non tranſeunt in Atticam: aut ſi trāſierint, uocem mutant, (& caccabant, Gillius,) Athenæus. Τιτυβίζειν (Athenæus τ. duplex habet) de perdicibus quibuſdam dicitur, ut de alijs κακκαβίζειν, (Euſtathius habet κικκαβάζειν, quod non probo. unde, inquit, apud Comicum aduerbium κικκαβῶ habetur.) unde apud Comicum κακκαβᾶν, Cælius. atqui apud Comicum (Ariſtophanem) nuſquam κακκαβᾶν, ſed κικκαβῶ aduerbium de uoce noctuæ legere memini. Apud Pollucem perdices πτηθύζειν (lego πτιτυβίζειν) aut κακκαβύζειν, (lego κακκαβίζειν,) legitur. Varinus uerbum πτυβίζειν etiam de uoce hirundinis uſurpari docet. Κακάβα, & κάκκαβος, perdix, Varinus. Perdices quædam uocis contentione & cantu ualent, Aelianus. Grammatici quidam perdicem dictam putant παρὰ τὸ πτίσεως ἄδειν. Perdici porrum prodeſſe ad uocem ſonoram apud Ariſtot. legitur problematum 11. 39. Plutarchus in

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 686 sur 825

libro aduersus usuram, quendam proscindens, illum dicit ἀφωνότερον περδίκος, id est perdice magis mutum, Cælius. Perdicem uidetur Papinius docilẽ intellexisse, aptumq; sermoni humano enuntiando, cum Syluula quadam libri 2. de psittaco Melioris ita canit: Quiq; refert iungens iterata uocabula perdix. Domitius interpres ingenij longè præcellentis, eius rei rationẽ poetæ ipsi excutiendam reliquit. Id quod reprehendent fortè aliqui, ac referendum putabunt non ad auis docilitatem, sed ad uocis sonum, qui auis eius est genuinus. Est autẽ κακκαβίζειν: indeq; ob syllabæ repetitionem, quæ in eo uerbo est, à poeta dictum uideri, iterata uocabula à perdice referri. Est sanè id uerbũ perdicum uoci peraccommodum, sed non omnium, ut qui loci ratione differant. καὶ οἱ μὲν κακκαβίζουσιν, οἱ δὲ τρίζουσι. Verùm hæc etsi uera sint, nihil tamen ad Papinium, à quo eæ tantum recensentur aues, quæ humani sermonis enunciationi sufficiunt. Sic autem habẽt ipsius carmina: Plangat Phœbeius ales, Auditasq; memor penitus dimittere uoces Sturnus, & Aonio uersę certamine picę, Quiq; refert iungens iterata uocabula perdix, Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili, (luscinìam, nõ hirundinem intelligit.) Ferte simul gemitus. Plutarchus quidem in Symposiacis perdicis loquacitatem non tacuit. quin esse uocalem ac discere comprobat idem alibi. Sed & in Laconia haberi perdices uocales, monstrauit in Dipnosophistis Athenæus, Cælius. Plura ad hunc locum uide suprà in Cornice c. Ῥᾳτῖνας ἀδύφωνον ἰδίως καλεῖ τὴν ὄρτυγα, πλὴν εἰ μή τι παρὰ τοῖς Φλιασίοις ἢ τοῖς Λακωνισφωνάσσης, ὡς καὶ οἱ περδίκες, Athenæus.

¶ Cibus. Perdices comedunt limaces, Aristot. Perdices in Sciatho insula cochleas edunt, Athenæus. Vide in Ardea D. Hexlinen herbam aliqui perdicium uocant, quoniam perdices ea præcipuè uescantur, Plin. Perdices circa Cirrham allia deuorant, ut caro eorum ad cibum ingrata putetur, gnari se cibi duntaxat gratia peti ab aucupibus, non ad cantus neq; certamina, Aelianus. Porrum eis ad uocem sonoram prodest, Aristot. problem. 11. 39.

¶ Aues quædam currunt, ut perdices, rusticulæ, Plinius. ¶ Perdix pulueratrix est. non enim altè uolat, Aristot. Terræ propinqua uolat, spatijsq; breuibus, unde Ouidius: Nec facit in ramis altoq; cacumine nidos, Propter humum uolitat, ponitq; in sepibus oua. Auium quædam breuis uolatus sunt, ut perdix, Xenophonte etiam teste, Athenæus. Καμπτῆρες τὸ ζῶον, καὶ μὴ πόρρω διανεῖσθαι τὸν ἀέρα, δυνάμενον. unde & perdicem uocari quidam coniiciunt παρὰ τὸ πίδυ, id est ab humo. Pennis plausit, Ouidius de perdice 8. Metam.

¶ Libido perdicum, præcipuè marium. Vsque adeò tum perdices tum coturnices copia libidinis gaudent, ut in aucupantes corruãt, & sæpenumero capitibus eorum resident, Aristot. Rabie quidem tanta feruntur, ut in capite aucupantium sæpe cæcæ metu sedeant, Plinius. Quomodo hæ aues libidinis tempore proposito eis speculo capiantur, recitaui in Coturnice c. Ad libidinem Veneris inflammatissimi sunt perdices: idcirco cum fœminis assiduè uersantur, Aelian. Secernuntur uerno tempore de grege per cantum & pugnam, coniugatim mares cum fœminis, quamcunq; sibi quisq; fortè acceperit, Aristoteles. Depugnant inter se propter Venerem, ad quam tempore ueris præcipuè mouentur, & cum gregatim per nemora pascentibus eis fœmina se offert, dissidium pugnamq; cient, cedit autem fœmina uictori. ille protinus tanquam præclarus aliquis bellator auro aut puella, aut alio honorario munere donatus, exclamat, Oppianus. Illum autem qui uiribus uidetur antecelluisse, in posterum sequũtur fœmellæ omnes. Qui quidem superbiens & iactabundus detrectat uictum antagonistam. Qui sanè reliquum temporis in ordine fœminarũ etiam uictorem sequitur, Berytius. Fœminis præsentibus acrius inter se certant, ut in D. referemus, ubi dicetur de pugna perdicum, qua cicures inter se committuntur. Oua mares quæ compererint peruoluunt, (proruunt,) & frangunt præ sua salacitate, ne fœmina incubet, Aristot. incubans enim marem non admittit, Athenæus & Plutarchus. Illæ quidem & maritos suos fallunt: quoniam intemperantia libidinis frangunt earum oua, ne incubando detineantur, Plinius. Oua fœminis incubare non permittunt, eaq; ob nouum Veneris desiderium suffurantur. quanquam & ipsæ matres nonnunquam præ libidine pullitiẽ negligunt, Oppianus. Cum diffugerit fœmina ut incubet, mares tumultuant, clamitant, pugnamq; inter se conserunt, quos cœlibes (uiduos) uocant. qui autem uictus in pugna fuerit, sequitur uictoris Venerẽ patiens, nec ab alio, nisi à suo uictore subigitur. sed si à comite principis, aut quouis uulgari uincatur, clàm à principe ac furtò subigitur. Verum hoc non ita fieri semper, sed certo tempore anni planum est. Hoc idem à coturnicibus quoq; agi animaduertimus, Aristot. ex quo Athenæus etiam citat, & eadẽ ab Alexandro Myndio prodi testatur. Tunc (incubantibus clàm fœminis) inter se dimicant mares desiderio fœminarum. uictum aiunt Venerem pati. id quidem & coturnices Trogus inquit, & gallinaceos aliquando. perdices uerò à domitis feros & nouos, aut uictos, iniri promiscuè, Plinius. Perdices uiduí se inuicem abutuntur, Orus. Perdices mansueti iam & domestici subigunt feros, & spernunt, contumelioseq; tractant, Aristot. Phocylides in animantium brutarum genere masculam Venerẽ reperiri negat. Aelianus quidem ichneumonem quoq; huic turpitudini obnoxium esse scribit. Pulli etiam ipsi subiguntur à mare statim cum procedunt, Aristot. Sæpe & fœmina incubans exurgit, cum marem fœminę uenatrici attendere senserit, occurrensq; seipsa præbet libidini maris, ut satiatus negligat uenatricẽ, Idem. Adeò uincit libido etiam fœtus charitatem, ut fœmina perdix furtim & in occulto incubans, cum sensit fœminam aucupis accedentem ad marem, recanat reuocetq;, & ultrò præbeat se libidini, Plinius.

Vide

Vide plura in E, de aucupio perdicum per allectatores mares aut fœminas eiusdem generis.

¶ Conceptio. Perdix fœmina eo tempore quo libidine incitatur, si cõtra marem steterit, aura ab eo flante fit prægnans, atq; extemplo inutilis aucupijs. olfactũ enim esse exquisitum perdicibus creditur, Aristot. hist. anim. 6. 22. quem locũ Niphus enarrans, Videtur (inquit) Ephesius hoc quod Aristoteles dicit de conceptione facta ex aura flante à mare, intelligere de ouis subuẽtaneis, quibus impleri ait præ nimia libidine. Quam expositionem Albertus probauit, asserens se nõ credere eam conceptionem posse esse fœcundam, nisi fortasse ad ouum, & non ad pullum. quoniam, ut inquit, ad pullum necessaria est receptio seminis corporea. Præterea se obseruasse ait domesticas perdices coire ut cæteræ aues faciunt. Insuper euaporatio seminis non habet præfinitum motum in uuluam fœminæ, cum multiplicetur circulo ab mare perdice, qui est ueluti centrum circularis euaporationis. Sed Alberti & Ephesij sententiæ aduersantur uerba Aristotelis lib. 5. (quæ mox referemus:) ubi apertissimè Aristoteles exposuit, perdices non solum ad oua, sed ad pullos concipere per contrapositionem maris. Si enim Aristot. intelligeret de conceptione ad ouum, & non ad pullum, nõ solum perdix conciperet in contrapositione maris, sed etiam nullo mare inspecto, nec audito. quare cum hæc expresse asserat in perdice, & in nulla aliarum auium, fit, ut perdix sola, ea ratione concipiat & ad ouum & ad pullum. Et quanquam Albertus dicat ad conceptionem quæ est ad pullum, necessariam esse corpoream seminis receptionem: negaret tamen hoc Aristoteles, quoniam in solius perdicis conceptione aliquando, præ nimia libidine, sufficit spiritalis genituræ receptio. Quin nos etiã obseruauimus perdicem bifariã concipere posse, aliquando receptione seminis corporea, cum non nimia libidine agitur: aliquando sola spiritali conceptione, cum furit præ nimio amore. Nec obstat quod affert de circulari euaporatione: tum quia spirante uento à mare, diffunditur uapor seminalis per sphæram conuersam in rectum: tum etiam, quoniam perdix fœmina tunc concipit spiritali receptione seminis, cum nimio amore exardet, & inuenitur intra circulum euaporationis: Hæc ille, pluribus etiam in libris de generatione se hac de re dicturũ pollicitus. Perdices si aduersæ maribus steterint, uentusq; inde afflet, ubi mares stant, concipiunt, & maritantur. plerunq; etiam uoce marium utero ingraueſcunt, si gestiunt, ac libidine turgent. uolatu quoq; superne marium effici idem potest: uidelicet dum mas ipse in fœminam fœtificum spiritũ demittit, Aristoteles: In cuius uerbis Ephesius fœtificum spiritum interpretatur uaporem, qui defert calorem eleuatum à genitali semine maris: quiq; susceptus per meatus perdicis penetrat ad menstrua illius, & sic conceptio euenit, ut Niphus recitat. Perdices fœminæ, & quæ nondum coierunt, & quæ coierunt (quarum usus est in aucupijs) cum olfaciunt marem, (uel cõspiciunt, Athenæus & Eustathius,) uocemq; eius audiunt, alteræ implentur, alteræ statim pariunt. Est hoc auium genus sua natura libidinosum, ut leui egeat motu cum turget, citoq; secernat, ut in ijs quæ non coierint, subuentanea consistant: in ijs quæ coierint, oua breui augeantur & perficiantur, Aristot. & ex eo Athenæus. Aristoteles dicit perdicẽ fœminam, ὅταν ὑπ' ἀνέμου (forte κατ' ἄνεμον) γλύκωνται τὰ ἀῤῥενθ', ἐγκύμονα γίνεσθαι φύσει πνεῦμα ἀῤῥένιον, Aelianus. Si contra mares steterint fœminæ, aura ab his flante prægnantes fiunt, Plin. odore, Solinus. Perdices, ut Archelaus scribit, uoce maris audita concipiunt, Varro. Mares quoq; non solum uisis fœminis, sed etiam uoce earum audita, genituram fundunt, Eustathius. Quòd Auicenna dicit perdicem fœminam concipere ex uento flante à mare, & uoce maris, & commisceri eos per linguas in coitu, nec Aristoteles dixit, neq; uerum est. sed potius hæc tria (uẽtus à mare, uox, & lingua exerta) libidinem ante coitum excitant: & postea coëunt sicut gallus & gallina: ut sæpissimè in Germania uisum est, & nos quoq; in domesticis perdicibus obseruauimus, Albert. Et alibi, Perdices & alias quasdam aues quidam falsò concipere autumant sine coitu, libidinem quidem sentientes ad se inuicem conuertuntur, & confricando mares ad coeundum excitant, sicut & columbæ. coeunt enim & semen inferius sicut aliæ aues recipiunt: & coitus tempore fœtent. Hiantes exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntq; superuolantium afflatu, sæpe uoce tantum audita masculi, Plin. Ore hiante exertaq; lingua & mares & fœminæ coeunt, Aristot. Libidinis tempore hiantes uolant, linguaq; exerta in utroq; sexu, Athenæus ex Alexandro Myndio.

¶ Nidus. Nidificant humi mares & fœminæ, singuli locum sibi peculiarẽ parantes, (οἱ ἄῤῥενες καὶ αἱ θήλειαι, διακόμενοι ἕκαστον [forte διεπόμενοι ἕκαστοι] οἶκον,) Athenæus ex Alexandro Myndio. Bina ouorum receptacula faciunt perdices: in altero fœmina incubat, in altero mas: excluditq; sua uterq; & educat, Aristot. Perdices spina & frutice sic muniunt receptaculum, (receptus suos, Solinus,) ut contra feras abunde uallentur, Plin. Perdix in condensis spinarum nidificat, Albertus. Nec facit in ramis altoq; cacumine nidos, Propter humum uolitat, ponitq; in sepibus oua, Ouidius. Septem diebus nidum contexit, Aelianus. Perdices cum sunt uicinæ ad pariendum, aream (ἅλων, Aristoteles uocat κονίστραν ὑγρὰν λάῳ) molliter puluere substernũt, atq; fruticibus & surculis circumsæpiunt. Contextus areæ cauus est, & ad incubandum accommodatus. cum enim puluerem infixerunt, & molle quiddam uelut cubile effecerunt, in idipsum ingrediuntur: post sese desuper fruticum inuolucris occultantes, contra auium rapacitatem, hominumq; insidias in multa pace incubant, Aelian. Et rursus, Incubantes locum fruticibus & aliter ita muniunt, ut & ipsæ lateant, & rorem ac imbrem humoremq; omnẽ auertant. oua enim humefacta sterilescunt, nisi mox à parente iterũ concalfiant. Perdix nõ nido, sed in condenso fruteto parit, minus eũ uolat, Aristot. Vide suprà in Coturnice C.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 688 sur 825

¶ Perdices in pariendo dies ſeptem conſumunt, Aelianus. Oua plurima pariunt, Plinius & Ariſtot. Pariunt oua non pauciora quàm decẽ, ſed ſæpius ſedecim, (quindecim & ſedecim, Athenæus,) Ariſtot. Ἀθρόα καὶ πυγτεκαίδεκα ὠὰ ἐκτίκτει πέρδιξ, Aelianus. Perdix bis anno parit, quindecim aut quatuordecim oua, uno partu octona, & altero totidem aut paulò minus, Albertus. Cum quidam duas perdices in Anaphen inuexiſſet, tanta perdicum uis enata eſt, ut incolæ de inſula relinquenda periclitarentur, Athenæus. Perdicum oua candida ſunt, Ariſtot. & Plin. Pariunt & hypenemia interdum, Idem.

¶ Incubitus & excluſio. Refouent ſuos pullos ſub ſe ipſæ ducendo more gallinarum, & coturnices, & perdices. nec eodem in loco & pariunt, & incubant, ne quis locum percipiat longioris temporis mora, Ariſtot. Incubat perdix & educat pullos ſicut gallina, Athenæus ex Ariſtotele. Ouis ſtragulum molli puluere contumulant, nec in quo loco peperêre: néue cui frequentior conuerſatio ſit ſuſpecta, transferunt alió, Plin. Clanculo reuertuntur, ne indicium loci conuerſatio frequens faciat. Plerunq; fœminæ transferunt partus, ut mares fallant, qui eos (eas) impatientius affligunt, ſæpiſſimè adulantes, Solinus. Mares oua quæ compererint, peruoluunt, & frangunt præ ſua ſalacitate, ne fœmina incubet, quod ne accidat fœmina emoliens, clanculum diffugiens parit, ſed ſit ſæpius, ut præ turgore parturiendi quolibet loco ædat, & mare preſenti. uerum ut oua ſeruentur, nunquam ex eo quo peperit loco diſcedit. & ſi ab homine uiſa eſt, ita ſe ab ouis aſtutè quemadmodum à pullis ſubtrahit, labans ante hominis pedes, dum dimoueat, (de qua aſtutia plura leges in D.) Ariſtoteles. Non uni loco oua committunt, ſed quaſi migrantes ea in alium locum important. in magno enim timore ſunt, nequando deprehendantur ſi in eodem loco diu commorentur. Itaque alio loco nidificantes, rurſus pullos etiamnunc teneros inuehunt, fouentq;, & ſuis alis tepefaciunt, penisq; tanquam faſciolis quibuſdam inuoluunt: non eos quidem lauant, ſed puluere reſpergentes nitidos efficiunt, Aelian. ¶ Perdix aliena oua tanquam propria fouet, uerùm mox cum pulli nati fuerint, ad proprios genitores reuertuntur, & quæ eos fouerat, deſertam relinquunt, Kiranid. Perdix incubauit oua quæ non peperit, parauit diuitias non iuſtè: in medio dierum ſuorum eas deſerit, & in fine erit inſipiens, Hieremias propheta. quem locum explanans Hieronymus, Perdix (inquit) & aliena oua calefacit, ſi furto propria amiſerit. ſed quum creuerint in nidis pulli, euolant, & ad parentes ſuos redeunt, ementitum omittentes. Huic opinioni aſtipulatur etiã Kimhi, niſi quòd non addit alienæ perdicis oua eam fouere, ſed ſimpliciter auiculæ alterius, (quærendum an curucæ hoc potius conueniat: uel utriq;.) Perdix eſt auis aſtuta, quæ alterius perdicis oua diripẽs, corpore ſuo fouet: ſed fraudis ſuæ fructũ habere nõ poteſt, quia cum pullos ſuos eduxerit, eos amittit. Vbi enim uoces illius audierint, quæ oua generauit, relicta ea ad illam ſe naturali quodam munere & amore conferunt, quam ueram ſibi matrem cognoſcunt, Ambroſius & Albertus. Perdix oua perdit: ſed eius mos eſt ouorum perditorum damna reſarcire, alterius matris oua ſurripiẽdo, Obſcurus. Perdicum fœtus intra ouum etiamnunc circumplicatione teſtarum comprehenſi, à parentibus ſui excluſionem ex ouis minimè expectant, ſed per ſe ipſi tanquã fores pulſantes, oua elidunt, & iam foras eminentes ſeipſos impulſu ſuo impellunt, ouiq; etiamnunc tegumento circumueſtiti, currunt, atque ex dimidia teſtæ parte, ſi adhuc tergo adhæreſcat, ſemet expellẽtes, uelociſſimè ad cibi inquiſitionem proſiliunt, ac poſtquam pedes extra oui teſtam poſuerunt, ſtatim curſu maximè ualent, ut anaticularum pulli, primum ut lucem aſpiciunt, continuò à partu natant, Aelianus. Aues quæ uolaces non ſunt, ut attagen, perdix, & huiuſmodi, mox natæ ingredi poſſunt & plumis ueſtiuntur, Theophraſt. apud Athenæum, & cibũ per ſe capiunt. Perdix ſeptẽ diebus pullos enutrit, Aelian.

¶ Aues quædam ſalaciores generis diuerſi coeunt inter ſe, & ſobolem educunt, ut perdices & gallinæ, Ariſtot. Et alibi, Ex perdice & gallinaceo primi fœtus communi generis utriuſq; ſpecie generantur. ſed tempore procedente diuerſi ex diuerſis prouenientes, demum forma fœminæ (id eſt primæ genitricis ſuæ) inſtituti euadunt.

¶ Noctu conuerſis poſterioribus perdices ſedent, Author de nat. rerum. Tempore quo non coeunt caudas ad ſe inuicem conuertunt, & ſunt multi ſtercoris, Albertus.

¶ Quædam non pinguescunt, ut lepus atq; perdix, Hermolaus. ¶ Perdices lauri folio annuum faſtidium purgant, Plin. ¶ Pro amuleto & cuſtodia pullorum, perdix arundinis gramen (arundinis bulbum, uel φορβὼν, forte φόβων, id eſt iubam, Zoroaſtres) nido imponit, Aelian. Philes arundinis comam à perdice contra faſcinum non nido imponi, ſed edi ſcribit.

¶ Vita. Perdicum uita ad ſedecim annos durare exiſtimatur, Plin. Amplius quàm ad ſedecim annos, Ariſtot. hiſt. anim. 6. 4. quo in loco cum de columbaceo genere agat, ſuſpecta eſt dictio πέρδικοι. & tradunt aliqui, ut Niphus annotauit, in ueterioribus codicibus legi πέλεκαι. Perdix uiuit annos quindecim: fœmina etiam pluribus. nam in auium genere fœminæ maribus uiuaciores ſunt, Athenæus ex Ariſtot. Porrò alibi apud Ariſtot. legimus huic aui uitam ad quinq; & uiginti annos extendi, errore forſitan exemplaris Græci aut ſcriptoris, ut Vuottonus ſuſpicatur.

D.

In regione circa Trapezuntem, quæ Pontus olim dicebatur, uidi hominem ducentem ſecum ſupra quatuor millia perdicum. Is iter faciebat per terram, perdices per aerem uolabant: quas ducebat ad quoddam caſtrum nomine Thanega, quod à Trapezunte diſtat trium dierum itinere. Hæ perdices

perdices, cum duci ipſarũ homini quieſcere aut dormire libebat, omnes quieſcebant circa eum tan quam pulli gallinarum: & ſic ducebat eas Trapezuntem uſq; ad palatium imperatoris. Cum uerò ſic quieſcebant circa eum, capiebat de ipſis quantum uolebat numerum, reliquas ad locum in quo prius erant reducebat, Odoricus de Foro Iulij. ¶ Perdix cum in multis aſtuta ſit, in hoc dicitur eſſe fatua, quod capite alicubi occultato, credat ſe totam latere, & cum neminem uideat, à nemine quoque uideri, Obſcurus. ¶ Dicitur ſicci eſſe cerebri, & ob hoc obliuioſa, & nidi proprij obliuiſcens. ſed hoc falſum eſt, & non philoſophicè dictum. memoria enim in ſicco firmior eſt: & perdix ipſa ad nidum reuertens, oſtendit ſe nidi ſui meminiſſe, Albert. ¶ De perdicis docilitate ad enunciandum ſermonem humanum ſcripſimus ſupra in c. ¶ Perdices aiunt & ciconias & palumbos uulneri accepto origanum imponentes ad ſanitatem redire, Aelianus. ¶ Malitioſa aſtutaq; auis hæc eſt, Ariſtot. Perdicis uafricia in prouerbium abijt. Quàm uafrè quidem & ſibi & pullis contra aucupum inſidias proſpiciat, iam referemus. Qua cura quidem & aſtutia circa incubationem utatur, dictum eſt in c. alio enim loco pariunt & incubant: & ne frequens conuerſatio ſuſpecta ſit, oua alìò transferunt. ſic & mares fallunt qui oua earum frangere ſolent. ¶ In uniuerſum doloſæ ſunt: adeò ut pulli quoq; accedentem aucupem decipere calleant, frondibus aut ramis aut alia materia ſe occultantes: qui dolus etiam polyporum eſt proximæ cuiuſq; petrę colorem ſimulantium, Oppianus. Perdices feſtucas pedibus arripiunt, & ita ſe ſupinas abijciunt, ijſq; tectæ periculum declinant, Ariſtophanis Schol. Pullos, quantiſper fugitare per ætatem non licet, aſſuefaciunt, ut quoties uenator inſtet, ſupini ſternant ſeſe, gleba feſtucisue (συρφετῷ) corpori ueluti integumento ſuperingeſtis. ipſæ uenatorem alia abducunt interim. circumagunt enim ſe, ac impeditè uolant, tantumq; non deficere curſu ſimulant, captarum hoc pacto ſpeciem tantiſper præbentes, dum procul à pullis hominem auellant, Plutarchus in libro Vtra animaliũ, &c. & in libro de amore in ſobolem. Si ad nidum auceps cœperit accedere, procurrit ad pedes eius fœta, prægrauẽ aut delumbem ſeſe ſimulans, ſubitoq; in procurſu aut breui aliquo uolatu cadit (tanquam) fracta aut ala aut pedibus: procurrit iterum iamiam prehenſurum effugiens, ſpemq; fruſtrans, donec in diuerſum abducat à nidis. Eadem in pauore libera, ac materna uacans cura in ſulco reſupina gleba ſe terræ pedibus apprehenſa operit, Plin. Sed Solinus Plinij ſimia aliter poſteriorem partem legit, ut ex uerbis eius coniecto: Si quis hominum (inquit) ubi incubant propinquabit, egreſſæ matres uenientibus ſeſe ſponte offerunt, & ſimulata debilitate uel pedum, uel alarum, quaſi ſtatim capi poſſint, greſſus ſingunt tardiores. hoc mendacio ſolicitant obuios & eludunt, quoad prouecti longius à nidis auocentur. Nec in pullis ſtudium ſegnius ad cauendum. cum enim uiſos ſe perſentiſcunt, reſupinati glebulas pedibus attollunt, quarum obtectu tam callidè proteguntur, ut lateant etiam deprehenſi, Hæc ille. Perdix ſi ab homine uiſa eſt, ita ſe ab ouis aſtutè, quemadmodum à pullis ſubtrahit, labans ante hominis pedes dum dimoueat, Ariſtot. Cum ad nidũ quis uenando acceſſerit, prouoluit ſeſe perdix ante pedes uenantis, quaſi iam poſsit capi, (ὡς ἐπίλκητ@ ὄσα,) atq; ita allicit ad ſe capiendam hominem, eouſq; dum pulli effugiant: tum ipſa auolat, & reuocat prolem, Idem & recitans ex eo Athenæus, Aelianus, & Ariſtophanis Scholiaſtes. Quòd ſi Piſiæ filius portas uult prodere infantibus, πορδὴξ γαμιεῖται τὸ πατρὸς νεόττιον. ὡς παρ' ἡμῖν ὀδὴγὸν ἄυχένιον ὄϐιν ἐκπορδίσαι, Ariſtoph. in Auibus. id eſt, perdix, & uerſutus ſimiliter ut pater, fiat. Decipere enim (uel fugere & exulare) nihil apud nos turpe eſt. Educit pullos in paſcua, quòd ſi hominem uiderit, ſibilo id illis ſignificat: qui confeſtim reſupinos ſe collocant: adeò ut ne ſi palpitando quidẽ periclitêris, aduertas. Mox ubi uenator quadantenus eſt progreſſus, rurſum pater ſibilat. at illi euolant protinus. Hoc igitur eſt ἐκπορδίσαι, Cælius ex Ariſtophanis Scholiaſte. Idem Scholiaſtes, Ἐκπορδίσαι (inquit) pro fugere uel exulare accipi poteſt, ut Piſiæ filius tanquam exilio mulctatus traducatur. nam perdices ſua uafricie facilè ab aucupibus euadunt, ſæpe ſe reſupinantes & feſtucis integentes. Ἐκπορδίσαι, aſtu & dolo effugere, ἀλωπεκάσαι πανούργως, metaphora à perdicum ingenio ſumpta, Suidas, Etymologus & Varinus. Διαπορδίσαι, ἀλαλαλῆσαι (lego ὁλολιδῶσαι ex Apoſtolio) ἀλαφυγεῖν, Heſych. & Varinus. Eraſmus in proverbijs, Ἐκπορδίσαι (inquit) Græci prouerbiali metaphora uocant elabi ac ſuffugere: ab auibus quæ nonnunquam elabuntur è retibus ſeu laqueis. Chenalopex etiam, quam Angli bergandrum uocant, ut Turnerus ſcribit, dum teneri adhuc pulli ſunt, ſi quis eos captare tentet, prouoluit ſeſe ante pedes captantis, quaſi iam capi poſsit, atq; ita allicit ad ſe capiendam hominẽ, donec pulli effugiant, tum deinde reuocat prolem. Idem de uanello refertur. ¶ Perdices ſi ad hoc fuerint ut capiantur, ſimilem ſibi colore lapidem quærunt, & iniſi ſupinos ſe componunt, Cælius.

¶ Pugna. Perdicem uenatorem dux ſylueſtrium primus inuadit, pugnamq; obuiam conſeret, &c. uide in E. hic enim de illa perdicum pugna potius ſcribimus, ad quam ab hominibus utrinq; committuntur. Homines qui perdices ad certamen alunt, cum eos ad pugnam inter ſe incitare uolunt, ſuam cuiq; uxorem præſentem eſſe curant. hac enim machinationis commẽtatione perdicum timiditas repellitur, & mala pugna uitatur. nam male pugnando uictus nunquam in conſpectum, nec ad amatam, nec ad coniugem audet uenire, ac potius morte occumbit, quàm commiſſam pugnam non ſumma cõtentione pugnatam amica uideat, quocirca nequid à ſe turpe commiſſum illa uideat, atq; ut amicæ ſuæ probetur, omnes neruos contendit, Aelianus. Perdicibus uox eſt ante pugnam dum ſuos aduerſarios prouocant, Ariſtot. & Plin. Perdices & coturnices pugnaciores

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 690 sur 825

fieri putant in cibum eorum additis adianti ramulis, Plinius. Palumbes & perdices bene inter se sentiunt, Aelianus. Perdices damarum amore tenentur, Gillius ex Aeliano. Et rursus, In damarum dorso perdices alas explicantes se refrigerant. Perdices amicæ & familiares sunt dorcis, & propè pascuntur, & propè cubant, quare & capiuntur dorcis allectæ: & contrà etiam dorci perdicibus alliciuntur, Oppianus lib. 2. de uenatione. Gillius dorcos uertit damas, malim capreas. Perdices mirificè ceruos amant, & pasci cum eis gestiunt: nec usquam discedere uolunt, sed comitantur, & unà currunt, & dorsis insidentes pilos eorum uellicant, quare etiam facilè capiuntur ab aucupe, qui ceruí imaginem eis ostenderit, Oppianus de aucupio 1. 9. ¶ Perdici hostis testudo est, Aelianus & Philes. ¶ Parui illi homunculi qui cum gruibus belligerãtur, perdicibus inequitant, (πορθμεύειν ὀχήμασι χρῶνται,) ut Basilis scribit: Menecles uerò tam cum perdicibus quàm cum gruibus eis pugnam esse, Athenæus & Aelianus.

E.

Perdices neq; propter fœcunditatem, neq; propter suauitatem saginãtur, sed sic pascendo fiunt pingues, Varro de re rustica, si rectè legitur. De perdicibus nutriendis & saginandis, leges in Phasiano E. & in Turdo. ¶ De pugna perdicum qua inter se cicures cõmittuntur, scriptum est in D.

¶ Aucupium. Vsq; adeò perdices copia libidinis gaudent, ut in aucupantes corruant, & sæpenumero capitibus eorum residant, Aristot. Quàm uafrè perdices aduersus aucupum insidias & ipsæ sese & pullos tueantur, dictum est abundè in D. Ex perdicibus qui uocis contentione & cantu ualent, & linguæ facultati confidunt, quiq; pugnaces & ad certamen habiles sunt, se minimè dignos credunt, qui ad extruendas mensas capiantur: unde fit, quia minus contra uenatores de sua libertate depugnent, ut comprehendantur, sibi præfidentes quòd à cæde studiosè ad cantus & certamina seruabuntur. Reliqui autem perdices, & potissimum qui nuncupantur Cirrhęi, sibi conscij, quòd nec ad certamina ualent, neq; pulchrè cantare sciunt, qui si capiantur, erunt his prandium qui ceperint, itaque naturali quadam machinationis commentatione seipsos macie cõficiunt: nimirum cum ab omni alia esca, quæ ad pinguitudinem eos perducere queat, se sua sponte abstinent, tum ut ne idonei sint ad hominum mensas, cupide allijs uescuntur: cuius rei experientes, his prætéritis, aliò uenationem conuertunt. Qui uerò hoc ipsum ignorant, eos si facultas sit capiunt. quicunq; autem ipsos captos decoxerit, eorumq; insuaues carnes expertus fuerit, se iam & tempus & operam cognoscit in his uenandis perdidisse, Aelianus. Capiuntur perdices pugnacitate libidinis, contra aucupis indicem exeunte in prælium duce totius gregis. Capto eo procedit alter, ac subinde singuli. Rursus circa conceptum fœminæ capiuntur, cõtra aucupum (aliâs aucupem) fœminam exeuntes, (aliâs fœmina exeunte,) ut rixando abigant eam (aliâs abigat eum,) neq; in animali alio par opus libidinis, Plinius. Perdicem uenatorem dux sylueſtrium primus inuadit, pugnamq; obuiam conserit, quo capto compage (ὑπὸ ταῖς πτέρυξιν) alter occurrit, tum alius, atque ita singulis dimicatur, si mas sit, qui uenatur. Sed si fœmina est, quæ uenatur & canit, ubi dux ad eius uocem occurrerit, cæteræ uniuersæ eum inuadunt, feriunt, fugant ab ea fœmina, inuidentes quòd non sibi, sed illi accesserit. hic tacitus ob eam rem sæpe accedit, ne uoce percepta oppugnetur. nonnunquam marem adeuntem efficere, ut fœmina obmutescat, ne re cognita pugnare cum cæteris maribus cogatur, periti referunt, Aristoteles: cuius uerba Græca, Τὸν ἄῤῥενα πτοοῦντα φασὶ τὴν θήλειαν κατασιγᾶν, duobus modis accipi possunt, ut uel mas fœminam silere faciat, uel fœmina marem. posteriorem sensum Athenæus sequitur, qui hæc uerba tanquam Alexandri Myndij recitat: Ἔνιοι δὲ θήλειαν τὸν ἄῤῥενα πτοοῦντα κατασιγᾶν, priorem Gaza interpres, cui & ipse assentior. fœmina enim est, ἡ θηρεύουσα καὶ ἄδουσα, secundum Aristotelem. Producitur perdix uenator in capturam, ad illiciendos feros, & ante retia (τὴν πάγην) propositus, cantum ædit eos lacessentem ad pugnam, eosdemq; ut ex insidijs in laqueos inferat incitantem, contrà cantans. sylueſtrium dux suum gregem præcurrens, obuiam procedit, cum hoc luctaturus. cicur autem per malitiam semper insidias instruens, pedem refert, se timere simulans: alter uerò spe atq; animo inflatus, simul & sibi iam uictoriam spondens, impetum facit, sed mox captiuus compage tenetur. Quòd si uenator perdix, qui ad illecebras uenatorio instrumento assidet, mas sit, cæteri gregales ei ipsi captiuo opem ferre conantur: sin qui positus est in insidijs fœmina est, captiuum ipsum omnes feriunt, ut qui libidine incensus, in seruitutem ceciderit, Aelian. interprete Gillio. cuius uerba Greca posteriùs sic sonant: Καὶ ἐὰν μὲν ἡ ἄῤῥεν ὁ τοῖς θηρατηροις παραμένῃ, πειρῶνται ὑπουργεῖν οἱ συνήθεις ὅλοι ἐκλωπύσῃ, &c. (id est, ut ego interpretor: Quòd si perdix uenator mas fuerit, tum (fero perdici) capto cæteri gregales auxiliari conantur. sin fœmina uenatrix fuerit, perdicem captum omnes feriunt, alius aliunde. Si pugnãs (ὁ παλαίων, malim παλεύων, id est perdix alectatrix & uenatrix) sit fœmina, ne mas incidat, fœminæ quæ sunt extrà, illum ex casu in compagem propinquo seruant, suo cantu tanquam amatorio quodam retractum, Idem. Perdices sibi insidiantur, etsi afferunt illos ad sylуam qui eos habent, uocem emittũt absconsi, sicq; ueniunt cæteri, ac in retia præcipitantur, plusq; pedibus quàm pennis fugiunt aucupantes, Cælius. Aucupes fœminam includunt in cauea quæ maculas habet, per quas à mare fero conspicitur: & habet receptaculum in quod potest intrare in una parte: mas igitur ferus ad eam ingressus capitur, & aliquando plures intrant, duce quidem capto cæteri sequi solent, Albertus.

¶ Aues gregarię gregatim etiam capiuntur, Cardanus. Perdices capiuntur retibus, aut instru-

mento

mento aucupatorio quod πτισσίδας uocant, (Aristoteles πτήσσας nominat, Gaza compagem. uidetur laqueorum uel tendicularum genus esse. nam Aelianus πάγλω dixit:) aut uoce perdicis, aut prouocatæ ad pugnam, aut ceruina pelle. Vehementer enim ceruos amant, & pelle decipiuntur, hoc modo. Si quis pellem cerui indutus cornua capiti imponat, & furtim accedat, illæ uerum ceruum esse ratæ, suspiciunt colunt q; eum: & accedente gaudent adeò, ut discedere ab eo nolint, ac si familiarem aliquem & coætaneum adolescentem à longa peregrinatione reuersum uiderent. Hac beneuolentia & amore nihil quàm laqueos aut plumbata retia lucrantur, ac ut pro ceruo uenatorem detecta fraude aspiciant, Oppianus. Vt ceruis, ita etiã dorcis (capreis) gaudent, eorum q; imagine allectæ capiuntur, ut in D. retuli ex Oppiano. Fictis equis quidam perdices illaqueant, Gyb. Longolius.
10 Robertus Stephanus in Appẽdice dictionarij Gallicolatini bouis imaginem ex linteis fieri scribit, quæ ab aucupe gestetur, ita ut post imaginem lateat: & sic decipi perdices. Et rursus, Quidam (inquit) ad aucupium perdicum (a la tonnelle, ou tomberel Galli uocant) utuntur uacce effigie è ligno, aut equi, coloribus additis, & ita effigiem ceu animal uiuum paulatim admouent, donec perdices tendiculis ante effigiem dispositis implicentur. Perdices citò uenaberis, si farinam illis uino exceptam obieceris, Anatolius. Perdices (Starnæ) irretiendi modos duos Crescentiensis prescribit lib. 10. cap. 18. & rursus alium cap. 24. Quomodo laqueis è pilis caudæ equinæ capiantur, ex eodem scripsi in Coturnice E. Supra etiã in Gallinagine E. modum perdices noctu ad ignẽ capiendi reperies. Perdices, coturnices & passeres, quàm sint libidinosæ aues, & quomodo libidinis tempore speculo proposito capiantur, recitauimus in Coturnice C. Accipitres & falcones capiunt perdi-
20 ces, Crescentiensis. Accipiter mas perdices capit, Tardiuus. Sunt qui nisorum etiã genus, quorum pectus maculis rubris insignitur (rote Sperber) ad perdicum capturam laudant. De perdicothera uel perdicario accipitre leges in capite de accipitribus diuersis. Canes sagaces è longinquo persentiscunt feras, perdices & lepores, aduerso uento eorum odorem captãtes. Equidem ipse sæpe admiratus sum perdicarios & campestres canes, quum cursu præcipiti in longum contendere spatium eos cernerem, non aliter atq; si obiectam prædam oculis sequerentur, quoad uiderem emicantes inde & euolantes perdices quò illi contenderant, Budæus. Quomodo utendum sit accipitre & cane aduersus perdices, pluribus ex Demetrio Constantinopolitano scripsi in Accipitre E.
¶ Propter perdicum & phasianorum aucupium principes aliquando facinorosos quosdam & ob alia scelera mortem commeritos se suspendere fingunt, & harum uolucrum pennis circundari iu-
30 bent, ut ita rusticos ab earum aucupio deterreant, Ant. Brasauolus.

¶ Quum Astypalensis quidam duas perdices inuexisset in Anaphen, tanta perdicũ uis in Anaphe nata est, ut incolæ de insula relinquenda periclitarentur, Athenæus & Eustathius. Samij cum in Sybarin nauigassent, & Siritin regionem occupassent, perdicum euolantium strepitu deterriti fugerunt, & in naues regressi aliò se contulerunt, Hegesander apud Athenæum.

¶ Scribit Ael. Lampridius Heliogabalum non facilè cubuisse in culcitris seu accubitis, nisi quæ leporinum pilum haberent, aut perdicum plumas subalares.

F.

Ponitur Ausonijs auis hæc rarissima mensis: Hanc in lautorum mandere sæpe soles, Martialis de perdice. Homines circa gulam exercitati in perdicibus alas præcipuè laudant. Perdicis pe-
40 ctus cum superioribus perquam sapidum est, inferior pars non æquè, Isidorus. ¶ Perdices Cirrhæi (circa Cirrham) carnem minimè esculentam habent propter pabulum, Athenæus. Perdices aliæ quæruntur cantibus, aliæ certamini: quæ uerò uocantur Cirrhæi, sibi quodãmodo conscij, nulli uirtuti se esse idoneos, degustatis allijs de industria marcescunt, ut ab aucupe ne quidẽ cibo dignentur (propter maciem & odoris uirus,) Volaterranus ex Aeliano.

¶ Perdices ueteres debent ut minimum per diem naturalem adseruari (suspensi) antequã præparentur ad cibum, Arnoldus Villanou. Recens quidem mactatas non esse edendas Galenus etiam scribit in libro de attenuante uictu. Post diem unum aut alterũ comedi debet. sic enim amittit quod durum est, Symeon Sethi. Hyeme magis conuenit in cibo si prouectior ætate fuerit, Arnoldus. Obseruandum est in omni carne assanda, & peculiariter in perdicibus, ne nimium siccen-
50 tur & torreantur, Idem. Phasiani eduntur ut plurimum assi, & aliquando elixi, aspersi aromatibus temperatis: & similiter perdices, Nic. Massa. Præstare mihi uidetur ut perdices elixentur potius quàm ut communiter fit assentur, ut ex humiditate aquæ siccitas earum nonnihil temperetur, nisi corpora sumentium humida fuerint. Eligi autem debent iuuenes & pingues, (atqui Plinius perdicem pingue scere negat,) Ant. Gazius. ¶ In perdice & attagena & turture, ex Apicio. In elixis. Piper, liguslicum, apij semẽ, mentham, myrrham & baccas, uel uuam passam: mel, uinum, acetum, liquamen & oleum: utêris frigido. Perdicem cum pluma sua elixabis, & coctura madefactam depilabis perdicem. concisa perdix potest ex iure coqui dum indurescat, si iterũ ferbuerit, elixa condiri debet. Aliter in perdice & attagena, & in turture. Piper, liguslicum, mentham, rutæ semen: liquamen, merum & oleum calefacies, Hæc Apicius.
60 ¶ Perdicem assabis. elixa etiam cum pipere & saluia non insuauis uidebitur, Platina. Patina Catellonica in perdices: Perdicis assæ ac propè (probè) coctæ alas & pulpam circunquaq; abscindes, indesq; in locum modicum salis, aromatum, caryophyllorum contusorum. Succus citri aut mala-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 692 sur 825

rantij, quò melius simul hæreant, miscerí his debet. Inuoluatur tamẽ citò necesse est, ac calida deuo-
retur oportet. Edulium cum pectore perdicis ab eodem describitur 7. 49. Ex perdice ius con-
sumptum quomodo paretur, in Capo leges. ¶ Artocreas de perdice: Impone perdici lardum mi-
nutatim incisum, & insperge zinziber tritum cum caryophyllis, Coquus Gallicus. ¶ Perdix mi-
nor in cibo minus laudatur maiore. huius enim carnes albicant, illius subfuscæ sunt.

¶ Galenus in libro de cibis boni & mali succi, cibarijs laudatis, & neq; tenuem neq; crassum suc
cum gignentibus, perdices adnumerat. Idem has aues coctu faciles esse, & sanguinem generare
laudatissimum scribit, lib. 3. de alim. facultatib. Boni succi esse, præsertim iuuenes, in libro de reme-
dijs paratu fac. Montanas edendas in uictu attenuante, in libro de uict. atten. Conuenire eas stoma-
chicis, lib. 8. de compos. sec. loc. siccis, sexto de sanitate tuenda & septimo Methodi med. calidis & 10
siccis, octauo Methodi. Idem alicubi lupum piscem perdici comparat. Sanguinem tenuem gig-
nit, & si sanguinem crassum contingat, extenuat, & præsertim alæ, quæ reliquo huius uolucris cor-
pore facilioris sunt concoctionis. Prosunt uerò otiosis inexercitatisq;, ac ijs qui imbecilliores sunt
& inualidi, & qui tenuioris diætæ esse dicuntur, quiq; humido sunt stomacho, Symeon Sethi. Ex
uolucrium genere gallinæ altiles omnibus præstant, Aetius in cura colici affectus phlegmatici.
¶ Ventrem sistit perdicum caro, Symeon Sethi, Rasis & alij: propter siccitatem suam, Isaac. siue
assa, siue elixa, Auerrois. Auicenna idem de cubugi, hoc est perdice maiore scribit. R. Moses de star
na. Aues autem quæ sicci temperamenti sunt, non debent edi nisi altiles & saginatæ fuerint, ut tur-
tures & perdices, Isaac. Caro pullorum perdicis leuis est, ut caro coturnicis, Rasis. Caro perdicis
masculi tenuior (leuior) est carne aliarum auium, & citius concoquitur, Idem. Et rursus, Caro per- 20
dicis maris calida est & humida, inflat, Venerem promouet, obesat, calfacit, & sanguinem multum
auget. conuenit conualescentibus quorum corpus refrigeratum & imminutum fuerit. Auicenna
de cubugi, id est maiore perdice eadem ferè scribit. Auium laudatissimæ perdices declinãt parum
ad frigiditatem & siccitatem: & similes sunt gallinis deserti, Auerrois. Rasis quoq; eas frigidas &
siccas esse alicubi scribit, cum alibi perdicem marem calidum & humidum faciat, ut citat Ant. Ga-
zius. Multum nutriunt perdices. humiditatem stomachi exiccant, & putredinem arcent, maximè
sicum succo pomorum dulcium coquantur. Retinent (astringunt) & roborant uirtutem. Ius etiam
earum temperatũ est, boniq; odoris & saporis, Rasis. Starnæ caro in auium genere leuissima est,
& uictui subtili conueniens. deinde caro coturnicis (uulgò Italis dictæ, id est perdicis maioris:) quæ
parum excrementi relinquit, nec admodum calida est, & probiorem quàm gallinæ sanguinem gig 30
nit, & genituram auget. perdicis uerò caro crassior est, & uentrem constringit, Idem Rasis ut citat
Ant. Gazius, quasi tres diuersæ aues sint, perdix minor, & coturnix Italorum, id est perdix maior,
& perdix simpliciter. ¶ Starnæ, id est perdices minores, naturæ sunt temperatæ, sed ad calidita-
tem declinant. pingues ex eis humidæ sunt. conueniunt conualescentibus. uentriculo frigido no-
cent. noxa earum emendatur si præparentur cum fermento. sanguinem temperatum generant, &
hominibus temperatis conueniunt, Elluchasem. Et rursus, Starnæ phasianis natura proximæ sunt.
Quod ad temperamentum & subtilitatem, primo loco starnæ habẽtur: deinde phasiani, tertio per-
dices (maiores) propter uim exiccandi earum. (in quibus uerbis ego primum locum accipio dejs
quæ minus talia fuerint, ut aliquid primo gradu calidum dicimus.) His cibis sani uti non debent, & 40
maximè qui exercentur. Coturnices eiusdem temperamenti sunt cuius perdices, sed paulò siccio-
ris. probè nutriunt, Nic. Massa coturnices qualeas interpretans. ego hæc non de qualeis, sed de co-
turnicibus Italorum uerè dici asseruerim. Perdix nutrimentum mediocre, sed aliquatenus subtile
præbet, teste Isaac: cuius hæc sunt uerba, Inter aues starna subtilior est, ac pulli perdicũ & pulli gal-
linacei. deinde perdix, phasianus, & gallina. Et in Vniuersalibus, Starnæ (inquit) & perdicis pulli
sunt subtiles in tertio gradu subtilitatis, Hæc ille ut citat Ant. Gazius. Phasiani caro magis nutrit
quàm perdix, minus tamen imbecilles particulas roborat. caro enim phasiani media est inter per-
dicem & pullam gallinaceam, (inter perdicem & capum, Platina) Brudus Lusitanus. Inter aues
perdicis caro parum recrementi, nutrimenti multum in se habet, cerebri uim & genituram auget,
Platina. Carnes temperamento proximæ, ut starni (starnæ) pulli, cito concoquuntur, & facilè ue-
nas penetrant, ac sanguinem generant laudabilem, omniq; ætati & temperamento congruunt: sed 50
quoniam citò dissoluuntur particulas corporis parum corroborant: quare ad tuendã sanitatem po-
tius quàm uires augendas faciunt, Isaac. Sani perdicibus & huiusmodi (delicijs) uesci non debent,
ut superueniente morbo habeant aliquid quod ultra consuetudinem comedant, Mich. Sauonarola.
¶ Pulli perdicum quia solum autumno reperiuntur, eo tempore ad cibũ magis congruere dicendi
sunt, Arnoldus Villanou. ¶ Iure perdicum stomachus recreatur, Plin. Vide in G. ¶ Aretæus
inter cibos elephantiacorum perdices omnes laudat.

¶ Heliogabalus exhibuit palatinis ingentes dapes extis illorũ refertas, & perdicum ouis, Lam-
pridius. Oua, præsertim uitelli, ualde roborant cor: nempe ex gallina, perdice, phasiano, starna.
sunt enim naturæ temperatæ, & uelociter in sanguinem conuertuntur, & parum excrementi relin-
quunt: & sanguinem subtilem clarumq; generant: hoc est conformem sanguini quo nutritur cor, 60
Auicenna in libro de medicinis cordialibus. Oua gallinæ & perdicis sperma augmentant, & ad
coitum incitant, Rasis. Auicenna in capite de ouis, oua alchabegi & altheiugi (id est utriusque
perdicis)

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 693 sur 825

perdicis)comparat ouis gallinaceis. Oua perdicum sunt subtiliora ouis gallinarum, & minoris nutrimenti. Probè autem apparabuntur, si elixentur in aqua bulliente cum sale & aceto, ita ut superficies aquæ æquetur extremæ superficiei ouorum. Nec minus laudatur modus præparationis cum oleo, muri(garo)& modico uino, in uase operto & suspenso in caldario continente aquam calidam. Frixa in oleo, mala sunt. gignunt enim calculos, & fastidiū mouent, & colicam. in aqua uerò cocta, meliora sunt, Elluchasem.

G.

Perdix cocta cum malis cydonijs & esitata, iusq; potum cum uino styptico, cœliacos & stomachicos sanat, Kiranides. Medici quidam pulpas caponum aut perdicum medicamẽtis quibusdam miscent ad restaurandas delectas ægrorum uires, quod nullus ferè eruditorum probat. ¶ Iure perdicum stomachus recreatur, Plin. Ad iecoris dolorem ius perdicis sumitur, Serenus. Ileo resistit ius perdicum, Plinius. item regio morbo, ut quidam citant ex eodem. Perdicis medulla si cum uino hauriatur ictericos sanat, Symeon Sethi. ¶ Perdicum, columbarũ, turturum, palumbium sanguis, oculis cruore suffusis eximiè prodest, Plinius. Vide plura in Columba G. inter remedia ex sanguine columbino. Earundem auium sanguis nyctalopas sanat, Plinius. ¶ Cerebrum perdicis è uini cyathis tribus potũ, morbo resistit regio, Plinius, Sextus, & Constantinus. ¶ Ventriculus perdicum per se contritus, ex uino nigro resistit ileo, Plin. ¶ Perdicis iecur aridum tritumq; potum, comitiali morbo laborantibus confert, Haly & Symeon Sethi.

¶ Si singulis mensibus felle perdicum tempora perungantur, memoriam facit, Symeon Sethi. ¶ Fel inter aues præstantissimum perdicis, aquilæ & gallinæ albæ, Dioscorid. Gallinarum & perdicum fella, ad medicinæ usum præstant, Galenus: præcipuè ad remedia aduersus hebetudinem ui sus, & incipientes suffusiones. Fel perdicis recipitur in compositiones quasdam ad omnem uisus hebetudinem, & cicatrices & incipientes suffusiones, apud Galenum de compos. sec. locos 4. 7. & apud Aetium 7. 111. Compositioni cuidam Asclepiadæ exacuenti uisum & ad glaucedinem apud Galenum de comp. sec. loc. miscetur fel perdicis syluestris, (id est non altilis,) sed aliàs legitur succi herbæ perdicij. Fel perd. suffusionibus oculorum à principio ualde prodest. facit & ad ipsorum hebetudinem, Symeon Sethi. Fel perdicum cum mellis æquo pondere ad claritatem oculorum laudatur, Plinius: ut quidam citant, & placet, quanquam apud ipsum Plinium ita refertur, ac si contusis oculis medeatur, & sic Vuottonus quoq; recitat. Perd. fel cum æquali melle Attico caliginem tollit, si oculis adsiduè infundatur, Marcellus. Ad albugines sæpe comprobatum remedium: Perdicis masculi felle ex melle illinito, Galenus Euporiston 3. 14. Fel perd. cum melle & opobalsamo & succo marathri uisum acuit, Kiranides. Ad caliginem, incipientem suffusionem & leucomata, (glaucomata, Marcellus:) Hæc est cõpositio uera, uehemens, quod frequentius ipsi experti sumus. Perdicis fellis uesicula quicquid habuerit, ad hæc commiscens opobalsamum cyatho uno, cyprum Sydoniæ (cyperi Sidonij, Marcel.) cyatho dimidio, in se commixtum contere diligenter, (ad summam leuitatem, Marcel.) & repone in pyxide stannea siue argentea, (plumbea, Marcel.) & inde inunges, miraberis. Et licet quòd prorsus nõ uideat, sed tamen si pupillam integram habet, sine difficultate curabitur. Hoc nos ipsi frequenter tentauimus., Sextus. Eadem descriptio apud Constantinum Africanum legitur, sed deprauatior. ¶ Ad difficilem auditum & surditatem, perdicis fel calidum instillato, Nic. Myrepsus.

¶ Ad apoplexiæ periculum cauendum, remedium inuenio traditum in libro quodam manuscripto Germanicè, si fiat suffitus è cumini syluestri genere, quod consolidam regiam uocant, pennis perdicis, & thure albo. Sunt qui aduersus uteri strangulationem crematas perdicum pennas in linteolo ad olfaciendum porrigant.

¶ Oua perd. soluta cum melle, uisum acuunt, partum quoq; accelerant, Kiranid. In uase æreo decocta cum melle, ulceribus oculorũ & glaucomatis medentur, Plin. Oua perd. in cibo sumpta, Venerem incitant. sunt autem amatorius potus, Kiranid. Aetius etiam eis qui re Venerea uti nõ possunt, inter cætera ut perdicum ouis uescantur, consulit. Oua perd. si forbeantur, fœcunditatem facere putant, & lactis copiam, Plin. Cum adipe anserino soluta, mammisq; nutricum inuncta, copiam lactis educunt, Kiranides. Vt castigentur (constringantur) papillæ: Aut ouum illitum tulerit quod garrula perdix, Serenus 20. Ouorum perd. putaminum cinis, cadmiæ mixtus & ceræ, stantes mammas seruat, Plin. & Kiranides. Putant & ter circunductas ouo perdicis mammas non inclinari, Plinius.

H.

a. Perdix & masc. genere dici potest. Varro Admirandis, Perdicas Bœotios, Nonius. Perdix dicta est à sono uocis, Albertus. ¶ Πέρδιξ παρὰ τὸ πέδιόσδε ἄδειν, ἢ παρὰ τὸ πανταχῆ ἀεὶ πέτεσθαι εἰς πόπους ἢ ὁ πέδιόσδε διωκόμενος καὶ φεύγων. ἢ παρὰ τὸ πέρδειν, ὃ σημαίνει τὸ κεμάδι, πάλιν γλῶ. κεμαπιπτὴς γὰρ τὸ ζῶον, καὶ μὴ σφόδρα εἰς ὕψος ἀειρόμενον, μηδὲ πέδιόθεν εἰδότα ἐν ἀέρι διωκόμενον, Etymologus & Varinus. ὁ πέρδιξ masculino genere, frequens est apud probatos authores. Aliqui corripiunt ĭota in casibus obliquis, ut Archilochus, Πέρδικος ὥστε πέρδικα: ut ὄρτυγα, κόρινθα. Attici plerunq; producunt, ut Sophocles, ὄρνιθος πλὴν ἐπώνυμος πέρδικος ἦν Κλεινοῖς ἐβδομάσιν πάγοις. & Pherecrates, ἔξεσιν ἄκρων ὀλοὸν πέρδικος πρόπον. & Phrynichus, τὸν Κλεόμβροτον τὸν τοῦ πέρδικος υἱόν, Athenæus. Perdix à uoce per onomatopœiam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 694 sur 825

κακκάβα (κακκάβα potius) etiam & κάκκαβος dicitur, ut Varinus habet. Vocantur perdices à nõnullis κακκάβαι: ut ab Alcmane sic dicente: Ἐπῆγε δὲ καὶ μέλος Ἀλκμᾶν, εὑρὲ π γλωσσαλμον (forte γλωσσόκομον) κακκαβίδων ὄνομα σωθὲμλν, σαφῶς ἐμφανίζων ὅτι παρὰ τὴν πέρδικα ᾄδειν ἐμάνθανε, Athenæus. Carthago etiam aliquando κακκάβη dicta est, Eustathius in Dionysium. Πηξ, perdix apud Cretenses, Hesychius & Varin. Σισίλαρος, perdix Pergæis, Idem. Κύπριδος σκέλος, τὸ πέρδικος, Hesych. & Varin.

¶ Epitheta. Garrula perdix, Serenus. Aprica, Idem. Picta, cacabans, apud Textorem. Sodomitica, Grapaldo. ¶ πέρδικος θῆρες, πυρώδεις, ἀεολόσκεροι, Oppianus.

¶ Athenæus (lib. 3.) Aristomenem Atheniensem, Adriani libertum, dici à patrono solitum (scribit) Atticoperdica, quum esset comœdiæ ueteris histrio, Cælius. ¶ πέρδικιον pro perdice parua dixerunt Menippus Cynicus, Anaxandrides & Antiphanes, apud Athenæum. πέρδικίδες, pulli perdicum, Eustathius. à recto singulari πέρδικίδης, Varinus in λαγώς. forma est patronymica. πέρδικεος (πέρδικειον) καρὰ, καὶ πέρδικειος ὡὸς, Suidas. Perdicotheras, πέρδικοθήρας, accipiter perdicarius. Οἰκίσκος πέρδικικὸς nominatur apud Aristophanem, & πέρδικοτροφεῖον apud Hyperidem, Pollux.

¶ Helxinen aliqui perdicium uocant, quoniam perdices ea præcipuè uescantur, Plinius. Et alibi, Perdicium & aliæ gentes quàm Aegyptij edunt. nomen dedit auis, id maximè eruens. crassas plurimasq; habet radices, Plinius. Herbaceorum pleraque radices habent grandes & carnosas, ut spalax, crocum, perdicium, sic dictũ quòd perdices se ad id uolutent, Theophrastus historiæ plant. 1. 11. Apud Apuleium perdicalis inter helxinæ nomenclaturas est. ¶ Perdicitin siue perdicitin lapidem ad omnes durities pollentem, requiri inuenio in compositionem illam quę pamplethes & diacinnabareos uocatur ab Aegineta Paulo, (lib. 7.) Hermolaus in Corollario. In tractu Hildesheimio quà itur uersus occasum à fossa mœniorum urbis septentriones spectante, reperitur lapis qui exprimit strijs & colore perdicum pennas quas in pectore habent, Georg. Agricola.

¶ Icones. In Rhodo Iouis Colossus unum ex septem miraculis fuit. iuxta columnam Protogenis picturæ erant Ialysus ac Satyrus: super columna perdix, ad quam ita homines hiabant, cum nuper tabula esset posita, ut illam solam admirarentur, Satyrum uerò contemnerent, quanquã perfectissimum opus. Augebant admirationem perdices mansuetæ, quæ à nutritoribus allatæ, & contra pictas appositæ, canebant ad picturam & congredi gestiebant. Protogenes uidens rem præter opinionem euenisse, ædituos rogat, ut se delere permittant, quod & ita factum est, Strabo lib. 14. In Rhodo erat pulcher ille perdix, celebre illud Protogenis parergon, Eustathius in Dionysium. Perdices in Aegyptiorum literis contumelioſos monstrare uidentur: quoniã istiusmodi aues senio confectæ (uidetur pro χηρεύωσιν ineptè legisse γηρεύωσιν apud Orum, cuius uerba iam recitabo) contumelia se afficiant, Cælius. Perdix auis ad libidinis denotationem symbolicè usurpatur. Aegyptij obscœnum puerorum amorem designantes, geminos perdices pingunt: qui cum uiduí sunt se inuicem abuntur, Orus 2. 96.

¶ Propria. πέρδιξ μὲν ἐκ πάππλος ὠνομάζετο, Aristoph. in Auibus: ubi Scholiastes: Prius dictum est Perdicem illum claudum fuisse: à quo etiam factum aiunt prouerbium, Perdicis crus, in ualde leptópodas, id est pedum prætenuium. Et rursus, Perdicis (uiri) claudi etiam in Anagyro meminit, & alij multi. πέρδικος καππλεῖον. Perdix uir quidam erat claudus & mutilus, à quo etiam natum aiunt prouerbium, Hesychius: apud quem πηρὸς lego, non πηλὸς. Erasmus Rot. hoc prouerbium à Perdice caupone claudo ortum scribit, & conuenire in crura gracilia distortaq;. Refertur (inquit) à Suida πέρδικος ὡὸς, id est, Perdicis pes. In loripedes quadrat. Κύπριδος σκέλος παροιμιώδες λῦ, τὸ πέρδικος σκέλος, Hesych. & Varinus. ¶ Perdicis templum (Athenis) iuxta Acropolin erat. Eupalamo enim liberi fuerunt Dædalus & Perdix, (ἡ πέρδιξ.) Perdicis filius Calos, (Κάλως:) quẽ Dædalus propter inuidiam artis ab Acropoli deiecit. propter quod Perdix seipsam suspendit. Athenienses uerò ei honores decreuerunt. Cæterum Sophocles in Comicis, Perdicem (non Cálon) illum quem Dædalus occiderit uocatum fuisse scribit. Proditum à mythicis est, Perdicem fuisse uenatorem, qui sit matris infando amore correptus. dum uerò utrinq; immodesta libido ferueret, & noui facinoris uerecundia reluctaretur, consumptus, atq; ad extremam labẽ (tabem) perductus memoratur. Hunc primum inuenisse serram scribunt nonnulli. nam primi cuneis scindebant fissile lignum. Feneſtella Martialis scriptum reliquit, hunc Perdica fuisse initio uenatorem, cui quum cruentum institutum & solitudinis studiosa meditatio displicere cœpisset, eo studio desito agriculturæ se totum mancipasse: quo nomine terram, quasi matrem omnium genitricem fertur adamasse. quo labore consumptus, ad maciem prolapsus dicitur. Quòd uerò cunctis uenatoribus detraheret, serram, ueluti linguæ uirulentiam dicitur excogitasse. Matri eius indidêre nomen Polycaste, quod interpretantur Polycarpem, à fructuum numerositate quos humanis usibus terra parens producit, Cælius. Vide infra in h. de metamorphosi perdicis.

¶ b. Perdices ἀεολόσκεροι, Oppianus. Inter aues aquila ἀεροφωνότερος est, perdix uerò θηλύμορφος, Adamantius. Cleanthes Tarentinus nihil non inter pocula uersibus efferebat, ut: Ἔγχει πεῖν μοι, καὶ τὸ πέρδικος σκέλος, Ἀμέλει δότω τις, ἢ πλακοῦντα τὶς δότω, Athenæus.

¶ c. Homerum infantẽ Aegyptijs parentibus ortum, fabulantur cum mel aliquando ex Aegyptiæ nutricis uberibus in os eius manasset, ea nocte nouem uoces diuersas ædidisse, hirundinis, paſuonis, columbæ, cornicis, perdicis, &c. ut recitaui in Columba liuia ex Eustathio.

¶ d. Nos

¶ d. Nos aliquando Carthagine perdicem cicurẽ quæ aduolauerat aluimus, & temporis progressu adeò familiarem effecimus, ut non modò adulari, colere nos & colludere uideretur, sed nostræ etiam uoci occurrere, & quantum fieri poterat, respondere alio quodam tenore, quàm quo se inuicem perdices uocare solent, Porphyrius lib. 3. de abstinentia à carnibus. Perdices uolunt uincere, Galenus lib. 5. de decretis Hippocratis. Flet uiduus perdix, Politianus in Rustico. οἰνωγυὶς ἄλλος ἐμὲ τὸν πέρδικα φαγέσται, Ζώειν ἡμετέροις ἔλπεται ἐν μεγάροις, Suidas in οἰνωγυὶς.

¶ e. Aristippum aiunt iussisse aliquando perdicem 50. drachmis emi. & tantum luxuriæ grauiter ferenti cuidam respondisse, Tu istam obolo non emeres? & cum annuisset ille, Mihi uerò, inquit, 50. drachmę tantum ualent, Laertius. Ἀφροδισίαν ἄγραν apud Sophoclem aliqui perdices interpretantur, qui ăpti sint ad expiationem, perdice fœmina cicure exposita capti. (τῇ δὲ θηλείᾳ πάλιν τοὺς ἄρσενας αὐτῶν.) Sed hos alij reprehendunt, porcum dictẽes & agnum expiationibus adhiberi, non perdicem, Hesychius in Ἀφροδισία.

¶ f. Lautorũ dubijs perdix Sodomitica cœnis Aptior, ægrotis iusculà sæpe dedit, Grapald.

¶ h. Talus (Κάλως fortè secundũ Græcos. uide suprà inter Propria) puer serræ circiniq; inuentor in perdicem mutatur apud Ouidium Metam. 8.

¶ Οὐκέτ' ἀν' ὕλην ὄρνις (ut legit Suidas in Δεί, quod est τόπος σωίζωσθαι. aliàs ὕλην ὄρνις) δύσκιον ἀγρόται πέρδικ' ἤχησεν ἀνιεὶς γῆρυν ἀπὸ στόματος Θηρῶν ἀγρίως σωμηλικας ἐν νομῷ ὕλης. Εἶχεν γὰρ τυμβάτην εἰς Ἀχέροντος ὁδόν, Simmias Anthologij lib. 3. sectione 24. Ibidem leguntur epitaphia duo Agathiæ Scholiastici, & unum Damocratis Grammatici, in perdicem à fele occisum.

¶ Perdix sacra est Ioui & Latonæ, Aelianus. ἄθυρμα τοῦ Διὸς καὶ Λητοῦς.

¶ PROVERBIA. Perdicis crura, suprà inter Propria: & Ἐκπερδικίσαι, suprà in D. exposita sunt. Ἀφωνότερος πέρδικος, id est, Magis mutus quàm perdix, Plutarchus in libro aduersus usuram. Perdicis uafricia in prouerbium abijt, Cælius. quàm uafrè autem & sibi & pullis contra aucupum insidias prospiciat, dictum est suprà in D. Perdicis libidinem usurpari posse adagio scimus, pro efferata, turpi atq; infami, demumq; pernicioſa, Cælius.

DE PERDICE MAIORE, QVAM ITALI uulgò Coturnicem uocant.

A.



PERDICEM maiorẽ uoco auem cuius hæc delineatio est, quòd plerunq; perdice nostra uulgari, de qua superius scriptum, maior sit, quanquam Bellunensis magnitudine parẽ faciat. Athenæus miratur in Italia perdices cinnabarinis rostris non haberi, cũ in Græcia omnes eo colore spectabiles sint. quamobrem Gybertus Longolius perdicẽ hanc Græcam nominat. In Creta & Cypro uulgò simpliciter perdices dicuntur, Alex. Benedictus. Vide plura de eis in præcedenti capite de perdice simpliciter inscripto, in A. præsertim: quanquam & alia pleraq; de perdice simpliciter scripta & huic (id est maiori) & illi communia esse uidentur. Coturnix Italis dicta (uulgò hodie, aliqui scribunt chotroniſſe) in Creta etiam coturno uocatur. nam perdices nostræ uulgò Gallis grises uel goaches cognominatæ in Creta non sunt, Belloniꝰ. Coturnix uulgò dicta est species perdicis maior, Antonius Gazius. Flet uiduus perdix, queritur peregrina coturnix Inclusi caueis, Politianus in Rustico. Circa alpes & in Longobardia perniſo uel perniſa dicitur. ¶ Sabaudis perdris gaye uel gaille, uel ut aliqui scribunt gaule, id est diuersorum colorum. quidam circumloquuntur, perdris aux pieds rouges. Perniſſe apud Sedunos tum illos qui Sabaudicè, tũ qui Germanicè loquuntur. ¶ Germanicè, ein Pernijſen/ oder Parnijſſe. Ein Weltſch Rábhũn. Ein Rot hũn, circa Coloniam. Ein rot Rábhũn. ¶ Arabicè ut perdix minor cubeth dicitur, sic hæc maior cubugi, uel cubegi, cabegi, uel cabagi, aliqui primæ literæ c. aspirant: plerunq; etiam articulus al præponitur. Alchabegi seu alchubugi sunt coturnices, quarum rostra & pedes rubent, magnitudo par est perdici: & uulgò à Venetis coturnices appellantur, Bellunensis. Vetus Auicennę glossographus alcubigi malè interpretatur alaudam cristatam.

¶ Perdices, sunt perdices magnæ cum pedibus rubeis, Syluaticus. atqui idem alibi attagẽnem interpretatur coturnicem, uulgò dictam, (quæ scilicet perdix illa est pedibus rubeis.) Vide suprà in

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 696 sur 825

Attagẽne A. ¶ Porphyrionem esse crediderim eam auẽ, quam Siculi & Romani uernacula lingua coturnicem appellant. nam aliam esse à phœnicoptero, ex pennis rubentibus nomen adepto, certo certatis est, Grapaldus: cuius ego sententiam priorem laudo, posteriorem minimè. ¶ Coturnicem quæ uulgò appellatur, nõ esset fortè admodum absurdum gallinaginis aliquam speciem esse putare, siue auis Numidicæ, quam quidam deserti gallinam uocant, Aloisius Mundella. Nos quid de gallinagine, quid de aue siue gallina Numidica sentiamus, suprà suo loco docuimus.

B.

Perdix maior reperitur in alpibus Sedunorum, Rhætorum, & uersus Longobardiam, & Sabaudorum. Nõ tam altis nec tam syluestribus locis ut lagopodes, Stumpfius. In uinetis montanis circa Coloniam Agrippinã, Gyb. Longolius. Coturnix uulgò (Italis) dicta, perdice maior est, eiusdem ferè coloris, pedibus & rostro rubens, Arnoldus Villano. Genæ, rostrũ & pedes rubent, reliqua pennarum facies ad leucophæum uergit, magnitudo aliquantulum supra perdicem, Aloisius Mundella. Rostrum in hac aue (ut ipse manibus tractans obseruaui) coccí colore, pedes minus rubent. color cinereus per dorsum, pectus & caput. Ab oculis linea nigra retrò per collum tendit: inde reflexa per pectoris partem supremam semicirculum facit. quod intra eam est albicat. Oculorum quoq; palpebræ marginibus rubent. Venter subruffus est. Vtrinq; ad latera pennæ uarijs coloribus distinguuntur, albo, subruffo, & nigro splẽdente. Magnitudo & rostri figura quæ columbæ. ¶ Corporis species, breuitas & crassities ad perdicem accedit, magnitudo par uel paulò plenior, Stumpfius. ¶ In India liuiæ columbæ sunt uirides, quarum labra & crura colore Græciæ perdicibus sunt similia, Aelianus.

C.

Perdices cinnabarini rostri sæpe etiam circa Coloniam uisuntur. In uinetis ferè uictitant, sed ijs, quæ in montibus sita sunt, & arbustum aliquod densum sibi uicinum habent. Ego illos primùm propè arcem nobilem, quam à speciositate situs Chorostephanon (Landzkron) uocant, haud ita multùm à Regiomago distantem, conspexi. Nulla dies erat, qua non ad excelsissima usque mœnia gregatim scandebant. gaudebant enim elutabulo, quo sordes culinariæ profluebant, Gyb. Longolius. ¶ Indigena & stataria auis est, (non aduena & peregrina ut ueterum coturnix,) & in alpibus nobis uicinis moratur, Aloisius Mundella Brixiensis. Granis seu frugibus & seminibus, ut & perdix minor, uescitur.

D. & E.

In Creta & Cypro insula frequentes sunt, domestica etiamnum manſuefactis fœtura, Alex. Benedictus. Cum in Burmijs (Rhætorum) medicum agerem, nostratium coturnicum marem & fœminam in domo altiles habui: quæ adeò cicures & manſuefactæ reddítæ sunt, ut postea cum domesticarum gallinarum corte promiscuè habitarent, simulq; uescerentur, Aloisius Mundella. Si à prima ætate ab homine alantur, planè cicures & amabiles aues redduntur, Stumpfius. Alui & ipse olim è Sedunis allatam huius generis auem, quam feles domestica præsente aliquo homine non lædebat: sed se morderi etiam & abigi ab illa patiebatur. mordax enim & pugnax auis est. tandẽ uerò nemine præsente dilaniauit.

F.

Cabegi caro est de subtilioribus carnibus. impinguat, abstergit cor (stomachum, Bellunensis:) leuis est, uentrem astringit, & Venerem promouet, Auicenna 2. 186. Et rursus cap. 221. scribit carnem auis duraz præferendam esse carni auis cubugi & alfuachat, (quod est genus turturis Bellunensi.) Vide etiam supra in Perdice minore F. Coturnix uulgò dicta grati est saporis, quod intelligens Rasis carnes eius post carnes starnæ (perdicis minoris) præfert, Arnoldus Villanou. Nostri ferè primum locum attageni siue gallo corylorum nostro tribuunt, secundum perdici maiori, tertium minori, quartum gallinagini, has quatuor scilicet aues inter se conferendo. Perdicis rubente rostro carnes in hydrope ascite conueniunt, Alex. Benedictus. Arabes quidem siccandi astringendiq; uim in perdice maiore efficaciorem esse aiũt, quàm in minore. ¶ Coturnicem nostram, quantum iudico ex gustu, & odoratu & loci natura, in quo continuè commoratur, & ex ijs quibus pascitur (nam illa grati admodum sunt odoris) si probè à nobis cõficiatur, boni & laudabilis esse alimenti existimo, & propterea in cibis meritò expetendam esse. Verum utile esse ducerem, si postquam interempta fuerit, sub dio per aliquot dies ad gelu relinquatur (quemadmodum narrat Galenus de multis uolucribus, quæ alas fibrosas, & uniuersam carnem huiusmodi habent) priusquam eam aqua coquas aut asses, ut magis tenera & friabilis reddatur illius caro, quæ paulum quidem solida est. accidet enim ut facilius deinde à uentriculo concoquatur, Aloisius Mundella.

¶ Oua alchabegi & altheiugi (id est utriusq; perdicis) gallinarum ouis comparat Auicenna in Capite de ouis.

G.

Inter fella auium laudatur fel galli, duragi & cubugi, (id est, attagæ & perdicis maioris,) Auicenna. ¶ Perdicis maioris caro magis siccare, magisq; astringere uentrem traditur quàm minoris, ut supra in Perdice simpliciter annotauimus.

DE PER-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 697 sur 825

DE PERDICIBVS DIVERSIS.

SYROPERDIX (Συροπέρδιξ) in Antiochia Pisidiæ lapides exest & conficit, (καὶ σιτεῖται καὶ λίθους:) perdice minor est, niger item est, excepto rostro, quod ruffum spectatur: non mansuescit ut perdix communis: sed semper perseuerat ferus esse. eius carnes & densiores sunt quàm cæterorum, & suauiorem cibi usum præstant, Aelianus. Volaterranus non rectè transtulit cibo inutilem esse.

¶ SCOLOPAX auis memoratur ab Herodiano, syluestrem perdicem interpretante: ut docti plerique hodie rusticã perdicem. Rustica sum perdix, quid refert, si sapor idem est? Carior est perdix, sic sapit illa magis, Martialis sub lemmate Rusticula.

¶ LAGOPODES aliqui hodie perdices albas uocant. Sunt qui perdices nostras uulgares hyeme in altis montibus, ut & lepores albescere scribant: & alias esse quàm lagopodes uel aues niuium à Rhætis dictas, ut pluribus scripsi in Lagopode. Bellonius lagopodem, perdicem albam Sabaudiæ interpretatur: Itali quidam perdicem alpinam uocitant, ut Galli uel Sabaudi quidam perdicem montanam.

¶ COTVRNICES Theophrastus fortè perdices nanos dicet, sic enim per omnia perdicem imitantur, ut præter exiguitatem & presitudinem corporis planè nihil distent, Gyb. Longolius.

DE PHALACROCORACE.

QVAEDAM animaliũ naturaliter caluent, sicut struthiocameli, & corui aquatici, quibus apud Græcos nomẽ est inde, Plinius. Vnde apparet Plinium phalacrocoracem Latinè uoluisse coruum aquaticum nominare. an uerò idem sit coruus aquaticus Aristotelis, dubitari potest. Vide suprà mox post Corui historiam in Capite de Coruis aquaticis. Phalacrocoraces aues per alpes etiam capiuntur, Balearium insularum peculiares, Plinius. Hispani hanc auem, ut audio, coruum caluum appellant, cueruo caluo, Græci uocabuli significatione expressa. Galli, ut Rob. Stephanus interpretatur, ung corbeau d' eaue, ung cormorant, corbeau pescheret. Angli cormerant. Eliota Anglus eam esse auem coniecit quæ Anglis dicitur a water crowe (id est, cornix aquatica,) uel illa quæ uulgò a coote nominatur. Germani inferiores Schwemmergenß, hoc est anserem natantem, si rectè interpretor. huic maculam (caluitium) esse aiunt in medio capite. Nuper Gallus quidam nobis narrauit cormorants uulgò dictas aues esse latiusculo rostro, instar anatum rostri: magnitudine inter anatem & anserem ferè. Eodem nomine apud Anglos auis, anguillas edit (ut audio) quas integras deuorat. Illæ mox per intestina rursus elabuntur, ita ut uel nouies aliquando auis una eandem anguillam deuoret priusquam retineat. ¶ Nostri sæculi facetus quidam monachos imperitos non inepte phalacrocoraces & onocrotalos nominauit.

DE PHASIANO.

A.

PHASIANVS auis à Phasi uel Phaside amne apud Colchos dictus est, quod illic abũdet: uel ab Argonautis inde in Græciam primum aduecta sit, teste Martiali. Φασιανικὸς ὄρνις ab Aristophane nominatur: qui & ὄρνις φασιανὸς dixit: alij ferè φασιανὸς absolutè, ut Aristoteles & Speusippus apud Athenæum. ὄρνιθοι φασιανικοί, Pollux. Phasianum Epænetus tatyran, Ptolemæus tétarton & tetráona uocari dixit. Vt autem phasianus tetraon, sic etiam tetraones nostri præsertim minores, à quibusdam uulgò phasiani montani uocantur. Sunt quidem utrique gallinacei generis, & per onomatopœiam sic dicti, ut coniicio, ἀπὸ τοῦ πετράζειν τῇ φωνῇ. Vide suprà in Tetrace. Phasianus auis uocatur alicubi πετύρας, ut Pamphilus scribit, (sic & Hesychius & Varinus habent:) & alibi πέταρτος (fortè πετράων) ut Ptolemæus Euergetes, Athenæus. Lampridius fasianum scribit per f. ab initio. Plinius phasianam fœminino genere. ¶ Hebraicum nomen schelaui aliqui phasianum interpretantur: alij coturnicem, quod magis probo, uide in Coturnice A. Munsterus in Lexico trilingui piseon, פסיון, habet pro phasiano.

¶ Atedenim & aditrigi barbaras uoces Syluaticus phasianum interpretatur: item adrungi. Altedarigi sunt phasiani aues, Bellunenses. Adempto quidem al articulo relíqua uox ad tetarton uel tetraonem nonnihil accedit. Alibi alderariz apud Auicennam legitur, ubi Bellunensis reponit altedarigi, ut alibi pro atederaz: & alibi atadrogi, ubi Bellunensis, altedarugi. ¶ Altaiugi, uel alteiugi, est auis quæ dicitur perdix: alijs phasianus: alijs, ut Ebenbitar, auis similis coturnici in omnibus, nisi quòd sub alis habet quasdam pennas nigras & albas, Bellunensis. Altamegi, uel altahiegi, id est fasiani, Syluaticus. Tueiugi, id est fasianus, Idẽ. Ego his uocibus altaiugi & similibus, solam perdicem accipio. Alcubi, id est perdix, secundũ alios phasianus, Syluaticus. nos supra non cubi, sed cubeth pro perdice scribi ostendimus. ¶ Foradòr, quem nos phasianum dicimus, Albertus in Aristot. de hist. anim. 6. 16. ubi Græcè κόρυδος, id est alauda legitur. Alibi etiam foraydec, phasianum interpretatur.

¶ Phasianus utpote peregrina auis in plerisque linguis nomen unum retinuit. Italicè fasan, fa-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 698 sur 825



sano, fagiano. Hiſpanicè faiſan. Gallicè ung faiſant. Germanicè **Faſan**, uel ut alij ſcribunt **Faſian**: & apud Flandros **Faſant**. Anglicè ſimiliter a feſan, uel feſant. Illyricè baziant. Polonis baſant. Turcis ſuglún.

B. Pha-

B.

Phasianus auis dicta est, quòd apud Phasianos populos abundet, Eustathius. Accersebatur olim è Media, Athenæus. Phasianos circiter ducentos Fridericus Saxoniæ dux in Saxoniam immisit, & uetuit capi. itaq; hoc tempore nunc multiplicati dicuntur. Phasianos siue gallos syluestres in quibusdam Scandinauiæ locis ad plures menses sine cibo sub niue latitare, Olaus Magnus prodidit. Helueticí montes phasianos quàm plurímos alunt, Stumpfius. Mihi hactenus nullos usquã apud Helueticos uidere contigit, quamuis plurima loca montana inuiserim. In regnis Ergimul & Cerguth Magno Cham tributarijs, maximi fasiani reperiuntur, qui caudas habent longitudinis decem aut octo palmorum, Paulus Venetus.

¶ Phasianæ in capite cornicula sunt, Plinius. Et alibi, Phasianæ in Colchis geminas ex plumis aures submittunt subriguntq;. Fel renibus & parte tantum altera iungitur inteitino in coruis, phasianis, Idem. Phasianis nunquam quicquam speciosius contemplatus sum. Valeant pictores omnes. ipse Apelles si rediuiuus foret, uarietatem & splendorem pennarum plumarumq; imitari non posset, Gyb. Longolius. Phasianus est gallus syluaticus, auis perpulchra, pennis coruscis instar ignis. Cœruleus interdum ac uiridis, (forte, Cœruleis interdum ac uiridibus) rubeisq; pennis interscribitur nitor, Author de nat. rerum. Igneis & rubentibus pẽnis, & interdum uiridibus in capite decoratur, Albert. Aures geminas uidetur habere in capite plumis extantibus, quas subrigit cum libet atq; submittit. Cristis in capite, & spiculis in cruribus caret, Author de nat. rerum, & Albertus. Azurini (Cœrulei) coloris est in collo, & in corpore: & aliquando cœrulei coloris ad terreum inclinantis, Albertus. Non citò rubricatas habent barbas, uel in pedibus calcaria sicut galli domestici, sed tractu temporis, Obscurus Aristotelẽ citans. Gallina in hoc genere minus speciosa est, Alber.

C.

Fasiana pulueratrix est. haud enim altè uolat, Aristot. Auium illæ quæ breuis uolatus sunt, ut gallus, perdix, fasianus, mox ab ouis excusæ & ingredí possunt, & plumis uestiũtur, Theophrastus apud Athenæum. ¶ Seminibus & granis uescitur hæc auis. Auena delectatur, Albert. ¶ Ptolemæus eam tetarton & tetraona uocari dixit, per onomatopœiam ut conijcio. Cœlo pluuio tristatur, & in rubetis ac syluis se abdit. Pennas præ pinguedine mutat, iterumq; sæpe renouat, Obscurus Aristotelẽ citans. ¶ Phasianus solus inuenitur in prima parte hyemis loca mutare & de sylua ad syluam. At non mutat regionem apud nos, sed instabilis est, per syluas distantes discurrens: & in illo discursu aliquando quiescit in hortis hominum, in uillis & ciuitatibus. Et iam quidem sæpius in horto nostro Coloniæ inter saluiam & rutam quiescens est inuentus; lassus ex uolatu, Albertus in Aristotelem de hist. anim. 8. 12. ubi Aristoteles nihil tale habet. ¶ Phasiani tantum libidinis tempore simul degunt, cæteris uerò temporibus separatim, Obscurus Aristotelẽ citans. Oua quædam punctis distincta sunt, ut meleagridum & phasianarum: rubrũ tinnunculi est, Aristot. de hist. anim. 6. 2. interprete Gaza: & sic etiam Græcus contextus habet: ut non rectè uerterit Plinius, si ita uertit ut in codicibus nostris legitur, nempe: Quorum alia punctis distincta sunt, ut meleagridum: alia ruà rubri coloris, ut phasiani, cenchridis. Phasiani semel in anno fœtus creãt. uiginti ferè ouis pariendi ordo concluditur, Palladius. Trigesimus (fortè Vicesimus) dies maturos pullos in lumen emittit, Idem. Phasiani oua non aliter quàm gallinarum ad uicesimam primã diem excluduntur, Florentinus. Phasiani cicures ad gallinas gallinaceas admitti possunt, uide in Gallina E. ¶ Pediculis intereunt, nisi se puluerent, Plin. & Aristot.

D.

Phasianus rostrum in terra figens, abscondit se, & se totum latere putat, Obscurus tanquam ex Aristotele. Struthiocamelum aiunt cum delitescendum habet, caput solum planè totum in cõdensum abscondere, reliquam se in aperto relinquere: ita dum in capite secura est, nuda qua maior ẽst capitur tota cum capite, Tertullianus. Et idẽ, At nos phasianas aues hoc facere uidemus. ¶ Quanquam & in capite crista, & in cruribus spiculis careat, animosa tamen & audax auis est, Author de nat. rerum. Phasiani capti recens ita ferociunt, ut gallinis nõ parcant, sed ne pauoni quidem, quin mox ore dilacerent, Gyb. Longolius.

E.

In hortis Indiæ pauones & fasiani mansueti aluntur, Aelianus. In phasianis nutriendis hoc seruandum est, ut nouelli ad creandos fœtus parẽtur, id est qui anno superiore sunt editi. ueteres enim fœcundi esse non possunt. Ineunt fœminas mense Martio, uel Aprili. Duabus unus masculus sufficit, quia cæteras aues salacitate non æquat. Semel in anno fœtus creant. Viginti ferè ouis pariendi ordo concluditur. Gallinę his melius incubabunt, ita ut quindecim phasianina oua nutrix una cooperiat, & cætera sui generis supponantur. In supponendo, de luna & diebus quæ sunt in alijs dicta seruentur. Trigesimus (fortè, Vicesimus, uide suprà in C.) dies maturos pullos in lumẽ emittet. Sed per quindecim dies discocto ac refrigerato leuiter ordei farre pascentur, cui uini imber aspergitur. Post triticum fractum præbebis, & locustas, & oua formicæ. Sanè ab aquę prohibeantur accessu, ne eos pituita cõcludat. Quod si pituitam patientur phasiani, allio cum pice liquida trito rostra eorum debebis assiduus perfricare, uel uitium, sicut gallinis fieri consueuit, auferre. Saginandi hæc ratio est, unius modij triticea farina in breuissimas offulas redacta clauso phasiano per x x x. dies mini-

ſtrata ſufficiat: uel, ſi ordeaceam farinam præbere uoluerís, unius & ſemiſsis modij farina per prædictos dies ſaginam replebit. Obſeruandum ſanè eſt, ut offulę ipſæ oleo leuigentur aſperſo, & ita inſerantur faucibus, ne ſub infima linguæ parte mergantur: quod ſi euenerit, ſtatim pereunt. Illud quoque magnopere curemus ne præbeantur noua alimenta, niſi digeſtis alijs, quia eos facillime onus cibi hærentis extinguit, Palladius.

¶ Quomodo educentur phaſiani, Numidicæ, perdices & attagenæ, uerba Varronis, ut in Geoponicis Græcis recitantur: Hæ aues (inquit) ſunt educãdæ, quemadmodum & pauones educandos eſſe docuimus. Saginantur enim optimè incluſæ, ſic ut prima die nihil accipiant pabuli. At ſecunda hydromel, aut uinum eſt offerendum. Cibus porrò ſit farina hordei aquæ infuſione ſubacta. Quæ quidem offeratur non ſimul, ſed uiciſſatim, adijciendumq; illi paulatim eſt. Dein uerò lomentum faba ceum, hordeum, & milium minimè infectum, (κέγχρου ὑγιῦ,) ac denicq; linoſpermon elixans, polentæq; hordeaceę permiſcens, adijciensq; oleum, atq; ex omnibus tandẽ faciens pulticulas, (μάζας, id eſt offas,) eas ipſis ut expleantur in alimentum apponito. Sunt qui ad quinq; dies aut ſex, porrigant fœnogræcum, euacuare aues purgareq; ſtudentes. Pingueſcunt autem ut plurimum diebus ſexaginta. Genera harum auium curantur remedijs dictis illic ubi de gallinis domeſticis mentionem fecimus.

¶ E phaſiano mare & gallinis gallinaceis quomodo phaſianis ſimiles gallinæ procreentur: quæ deinde ad patrem admiſſæ fœtum parenti omnino ſimilem ædant, copioſè ſcripſi in Gallina E.

¶ Phaſiani quomodo capiantur laqueis ex pilis caudæ equinæ, item quomodo retibus, uerba Creſcentienſis leges in Coturnice E. Circa ueſperam uel auroram phaſianus de ſylua egreditur, & facile capitur, Obſcurus tanquam ex Ariſtotele. Et rurſus, Phaſianus ſic capitur: Aliquando auceps panno in quo hæc auis depingitur coopertus, phaſiano ſe oſtẽdit: qui ſequens coopertum, nec fugientem, nec retrocedentem, tandem à ſocio aucupis in inſidijs latitante reti inuoluitur. Auis ſatua eſt, & facilè decipit. Si enim pannus albus quadrangulus inter quatuor uirgas uel baculos inde flexibiliter diſtenſus pictum in ſe phaſianum rubei coloris præferat, adeò phaſianus miratur picturam, ut non aduertens uenatorẽm retrorſum in rete contrudatur. Adhuc longè præparatum rete etiam per modum dictum quadrangulum erigitur, & baculo ſuſtentatur, ita quòd leui motu cadere poteſt: & in baculo ſuſtentante chorda eſt ſub niue uel folijs ad latibulũ protenſa aucupis: & ſub illo reti cibus auenæ, qui eſt pabulum faſiani poſitus, & ſuper congregatos ibi faſianos rete deijcitur. Capitur autem etiam laqueis in uijs per quas de ſylua uadit ad aquam diſtenſis, Albertus. Quo pacto accipitris aucupio aduerſus phaſianos utendũ ſit Demetrij Conſtantinop. uerba retuli in Accip. E.

¶ Phaſianorum pennis piſcatores aliqui neſcio quod genus muſcarum certis anni temporibus repræſentant, quibus hamo infixis piſces decipiant.

F.

Ditiſsimorum menſis duntaxat pauones ac phaſiani nati ſunt, Platina. Faſianus ponebatur Alexandro Seuero in maioribus tantum feſtis, Lampridius. Pertinax imperator nimium illiberalis, faſianum nunquã priuato conuiuio comedit, aut alicui miſit, Iulius Capitolinus. Ptolemæus rex lib. 12. operis de palatijs regijs Alexandriæ & animalibus quæ in eis nutriuntur, fatetur ſe phaſianum nunquam guſtaſſe: ſed tanquam κειμήλιον (rem pretioſam. ἐχρῶντο γὰρ οἱ παλαιοὶ αὐτοῖς ὡς ἀγάλμασι) quoddam aues has reſeruaſſe. Noſtrũ uerò ſingulis (inquit Athenęus dipnoſophiſta) apud Laurentium Romæ conuiuantibus ſinguli appoſiti erant phaſiani.

¶ Phaſiani occiſi, æſtate biduo, hyeme triduo ſeruari (ſuſpendi) debent, priuſquam parentur ad cibum, Arnoldus Villanou. Phaſianum aſſabis: quòd ſi etiam elixetur cum pipere & ſaluia, nõ inſuauis uidebitur, Platina. Editur ut plurimum aſſus: & aliquando elixus, aſperſus aromatibus temperatis, Nicolaus Maſſa. Eſitium ex carne abdominis porcini aut uitulini cocta ac conciſa, cum caſei ueteris parte dimidia ad carnem, pauco pingui, herbis odoriferis & aromatibus, paratur. ſunt qui etiam pectus capi tunſi, uel phaſiani, non incõmodè addant, Platina. Ex eodem in Capo ſcripſimus, ius conſumptum quomodo ex capo aut phaſiano fiat. Phaſiani coctura, uide in Pauone. Apicius lib. 6. cap. 5. iura pro diuerſis auibus deſcribit, ut inſcriptio quidem habet, pro pauo, phaſiano, &c. ſed harum auium nulla priuatim in contextu deſcriptionum nominatur. De pauo iſicia primum locum habent, ita ſi cocta fuerint ut callum uincant: ſecundum de phaſianis, Apicius 2. 2.

¶ Phaſianum auem omnium libri decantant, quam primam ferè in mẽſis eſſe iudicant propter carnis bonitatem, à qua medicinæ profeſſores ueluti à ſcopo de temperamentis ciborum iudicia auſpicantur, Gyb. Longolius. Huius auis caro, quod ad concoctionem & nutrimentum attinet, gallinarum carni ſimilis eſt, ſuauitate uerò in edendo ſuperior, Galenus & Sethi. Idem Galenus phaſianum adnumerat cibarijs laudatis, & quæ neq; tenuem neq; craſſum ſuccum gignunt. Phaſiani probè concoquuntur & facilè, boniq; ſucci ſunt, & bonum ſanguinem gignunt, Sethi. Phaſianos non pingues purulentis in cibo Trallianus concedit. Phaſiani caro magis nutrit quàm perdix, minus tamen imbecilles particulas roborat. media enim eſt inter perdicem & pullã gallinaceam, Brudus Luſitanus. Medium inter perdicem & capum obtinet: licet Auerrois hanc auem in cibo cæteris anteferat, Platina. ¶ Inter aues excellit caro alduragi (attagenis:) & gallinarum eſt ſubtilior ea: & non ſunt cum nutrimento carnium alchabegi & altaiaigi & altedarigi, (id eſt perdicis maioris & mino-

& minoris & phasiani, Auicenna. Inter aues starna (perdix minor) est subtilior, (leuior,) pullicp perdicis & pulli gallinacei: deinde perdix, fasianus & gallina, Isaac. Elluchasem quocp phasianos minus subtiles facit, minuscp temperatæ naturæ quàm perdices. Inter aues syluestres (inquit Conciliator) phasiani præferuntur ad sanitatem pariter & robur: & fortè etiam domesticis, cum gallinis proximę sint, & eiusdem speciei ferè: sintcp illis siccioris aeris ac alimenti, & exercitij amplioris. Sequuntur eos perdices, starnæ, &c. Phasianus cibus est salubris, subtilis, pullis (gallinis) affinis: corroborat hecticos (extenuatos,) & eos qui à morbis consumpti sunt: & ui quadam singulari cõfirmat facultatem concoquendi, & corruptos in uentriculo humores præparat, (emendat,) Rasis. Phasiani caro temperata est, (tenera, ualde alba, & temperata, Albertus,) & multũ nutrit, nocet autem his qui ualidè exercentur. eligendus est iuuenis & pinguis, Mich. Sauonarola. Starnæ, phasiani, perdices, proxima inter se natura sunt: & consequenter se habent quod ad temperamentum & subtilitatem. nam starnæ primo loco sunt, phasiani secundo, tertio perdices, propter siccitatem earum. His quidem sani uti non debent, ut superueniente morbo aliquid ultra consuetudinem comedant, Elluchasem ut Sauonarola citat. Gallus syluestris, id est fasianus, siccior est altili, Syluaticus. Fasiani magis conueniunt hyeme, Arnoldus de Villanoua.

¶ Oua gallinarum & phasianorum præstantiora sunt, Galenus 3. de alim. Oua gallinæ sequuntur oua auium quæ cursu eius procedunt, ut altedarigi, (id est phasiani,) &c. Auicẽna. Vide supra in Perdice F. circa finem. In Gallina quidem quæcunq; de ouis, quod ad alimenti rationem, dici possunt, exposuimus: quæ omnia gallinaceis & similis naturæ auium, ut perdicum fasianorumcp ouis communia sunt.

G.

Medulla arietis non castrati inter uenena numeratur, humanæ naturæ adeò contraria, ut memoriæ functionem aboleat. resistunt ei carnes phasiani, Arnoldus in libro de dosib. theriacal. Leonellus Fauentinus medicamento cuidam ad phthisicos restaurandos adijci iubet carnes testudinis, aut phasiani, aut cancrorum fluuialium. Remedium ad tortiones: Phasianum uiuum in uino necabis, dabiscp ex eo uino bibere ei qui patitur tortiones, confestim remediabitur, Marcellus. ¶ Phasiani sanguis antidotum est contra uenenũ: adeps, tetanicis prodest & matricis passioni: fel, uisum acuit: stercus inunctum uel potum, erectionem facit, Kiranid. Adeps anseris & phasiani miscẽtur discutienti emplastro diapyranu apud Paulum Aeginetam.

H.

a. Phâsis, penultima longa, fluuius est dictus à Phasíde patre Colchi: cui ciuitas eiusdem nominis adiacet, & Phasiana regio. inde & phasiani aues dictę uidentur, ceu quæ illic abundarint, Eustathius in Dionysium. Argoa primum sum transportata carina: Antè mihi notum nil nisi Phâsis erat, Martialis sub lemmate Phasianus uel potius Phasiana. γλῶθ᾽ δὲ ὀρνίθων τῶν καλαμιώων φασιανῶν φοιτᾷ τροφῆς χάριν πρὸς τὰς ἐμβολὰς τῶν σωμάτων, Agatharchides Cnidius de Phasi fluuio scribens. Aues ultra Phasidem amnẽ peti Plinius uituperat. Philostratus lib. 8. de uita Apollonij, à Phasíde Mæoniáue aduectas aues inter delicias numerat. Iam Phasidis unda Orbata est auibus, Petronius in Satyris. Homines gulæ ac uẽtri dediti non desinunt celebrare ὄρνεις οὓς ἀπὸ Φάσιδος, Clemens in Pædagogo. Phasidis ales, id est phasianus, Statius libro 4. Sylu. Si Libycæ nobis uolucres & phasides essent, Acciperes: at nunc accipe cortis aues, Martialis. Ἀλεκτρυόνων τε νεοσοί, πόρδικων φάσιών τε χύδαι, Philoxenus apud Athenæum. Non magni corporis ingens Phasiacis robur profuit alitibus (contra impetum accipitris,) T. Vespasianus Stroza. Gallus syluestris, phasianus uocatur, Albertus. In Theriacæ ratione gallum syluestrem nominat Galenus: id interpretatus Auicenna fasianum marem eo nomine intelligendum prodit, Cælius. Vide supra in Gallo syluestri in genere. Φασιανοί, ἀλεκτρυόνες, καὶ ὄρνεις τινὲς, Suidas & Varinus. Malim ego, Φασιανοὶ ἀλεκτρυόνες, ὄρνεις τινὲς. id est, Phasiani galli, aues quædam. Licebit enim in phasiani genere marem, phasianũ gallum nominare: & fœminam, phasianam gallinam. Itys etiam pro phasiano ponitur, ut recentior quidam scribit, quoniam Itys puer in hanc alitem mutatus fertur.

¶ Epitheta. Phasianus Scythicus, Phasiacus, Phasius, apud Textorem. Sed dicẽdum potius Phasiacam auem, aut Phasiam aut Phasidem, per periphrasin dici pro phasiano. Scythicum uerò epitheton esse posse concedimus. Sed Iuuenalis Satyra 5. Scythicas uolucres periphrasticè pro phasianis dixit.

¶ Φασιανὸς, Phasianos, apud Aristophanem, alij aues interpretantur: alij equos habentes insigne (χάραγμα) phasiani (in femore, Suid. inustum, Cælius:) uel à Phasíde fluuio Scythiæ, ubi egregij equi nascebantur, Varinus. Phasianus quidem adiectiuum & gentile nomen est. nam & Phasiana regio dicitur. quare & phasianum alitem, & phasianam auem, ita canem equumcp phasianum dicere possumus. Apud Stephanum gentilia sunt Φασιάτης, Φασιανικὸς (fortè Φασιανικὸς) & Φασιανὸς, unde fœminínum Φασιανὴ, apud T. Vespasianum Strozam Phasias pro Medea ponitur. Idem Phasiacas alites dixit. Fortè & Phasis aliquando adiectiuè accipitur, Φασὶς scribendum cum acuto in ultima: ut differat à proprio fluuij & ciuitatis Φᾶσις quod penan flexum est: ut si quis Phasidẽ auem, id est Phasianam auem dicat. Phasiani, aues quædam, alij Ponticos (populos scilicet in Ponto ad Phasidem amnem) interpretantur, Hesychius. ¶ Phasianum (Φασιανικὸν) Aristophanes in Auibus quendam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 702 sur 825

appellat, nimirum quasi sycophantã traducens, παρὰ τὸ φαίνειν. Et in Acharnensibus, Μήτ' ἄλλος εἰς φασιανὸς ἐς' ἀνὴρ. Scholiastes exponit sycophantam, παρὰ τὸ φάσιν, ὅ ὅτι φαίνειν. ¶ Phasianarius, qui phasianos pascit. Paulus iureconsultus, Phasianarij autem & pastores anserum non continentur. ¶ Vrogallum minorem nostrum, genus galli montani, Italicè quidam alpium accolæ fasanellam, alij montanum phasianũ, aut nigrum appellant. In Scotia auis est phasiano carne ac magnitudine simillima: sed nigra pluma, rubẽtibus admodum palpebris, syluestrem agri gallum Scoti uocitant, uictitat autem frumento, Hector Boethius.

¶ b. Profectò nunquam ego credidissem, naturam rerum parentem eam pulchritudinem excogitare potuisse. Neq; mihi admiratione dignus posthac Solon est, quem de Græciæ sapientibus maximum fuisse ad regem Crœsum in regali solio diademate & purpura auroq; superbum, interrogantemq;, nunquid speciosius quidquam spectasset, dixisse ferunt, phasianos & pauones uenustiores sibi uideri: quoniam naturali ornamento decoratæ, non ascititio fuco spectabiles essent, Gyb. Longolius.

¶ f. Heliogabalus habuit istam cõsuetudinem, ut una die non nisi de fasianis tantum ederet: item alia die de pullis, &c. Lampridius. Et rursus de eodem, Psittacis atq; fasianis leones pauit & alia animalia. Καὶ φασιανὸς ἀκροτηλεύτου καλοῦς, Mnesimachus apud Athenæum.

¶ h. De phasi (phaside) aue T. Vespasiani Strozæ carmen legitur, lib. 4. Eroticôn. Ityx, ἴτυξ, auis est, Varinus, quærendum an Itys potius legendum, ut phasianus auis intelligatur: in quam Itys (qui & Itylus secundum aliquos) puer Procnes uel Philomelæ ex Tereo filius, mutatus fertur, ut Seruius & Perottus scribunt. Nos fabulam integrã prolixè in Hirundine h. expositimus. I modo uenare leporem, nunc itym tenes, prouerbium in Lepore nobis declaratum. Alij Itylum scribunt filium fuisse Zethi ex Aedone coniuge, quem mater noctu per errorem interfecerit, putans eum esse Amalea Amphionis filium. inuidebat enim Amphionis uxori, eò quòd illi sex essent filij masculi. Hanc errore cognito cum mori optaret, deorum commiseratione in carduelẽ uersam Itylum deflere aiunt. ¶ Caius Caligula eò uesaniæ processisse traditur, ut sibi tanquã numini sacro phasianos, phœnicopteros & pauones mactari iusserit, Gyraldus. ¶ Εἰ οὖν γέ μοι τὸς φασιανὸς δὸς πρίαμε λωγέρας, Aristophanes. Hoc est, Non si mihi phasianos dederis quos alit Leogoras. Scholiastes tanquam prouerbialiter dictum interpretatur, in eos qui quouis pretio aliquid se facturos negarint, ὡς τῶν εἴς τι πρᾶγμα ἀπαγορευόντων. interpretantur autem hîc phasianos, ut suprà quoq; monui, alij equos, alij aues.

PHLEXIS, Φλέξις, auis quædam nominatur in Auibus Aristophanis. Ea quæ sit, inquit Scholiastes ignorantiam suam confessus, ex animalium historia quærendum.

DE PHOENICOPTERO.

PHOENICOPTERVS, Φοινικόπτερος, auis est palustris à puniceo colore dicta in Auibus Aristophanis. Auis quam Galli uulgo picã marinã uocant, corporis mole similis est aui ab eisdem uocatæ aigrette, alas habet ut larus, & corpulentiam auis quam Galli uocant un flambant, Latini phœnicopterum, Belloníus in Obseruationibus Gallicis 1. 11. Audio auem flambant (uel flamman) uulgò dictam in mediterraneo mari Gallico non procul à litore gregatim natare, magnitudine ciconię uel paulò maiorem, rostro sesquialtera ferè longitudine ad ciconiæ rostrum, colore rubro instar sanguinis, superius crasso & tuberculis quibusdam aspero, cruribus rubris, ea proceritate qua in ciconia sunt, uel procerioribus: palmipedem. pennis albis parte prona: rubentibus per collum, pectus, uentrem, & alas. piscium esse, in cibum uenire. Hæc mihi amicus quidam, quãtum meminisse poterat, narrauit. Ego Gallicũ nomen à rubro & flammeo rostri, crurum, pẽnarumq; in aliquibus partibus colore inditum coniecerim: uel potius quoniam ex Flandria hyeme ad Narbonensis prouinciæ maritima uolat. nam Flandrum Galli Flammain appellant. Rursus alius quidam retulit auem (un flamming) non procul à Monte Pessulano capi, simílem ciconiæ, sed rostro recuruo, breuiore dimidio: totam albam, præter illas inalis partes rubras quæ nigræ sunt in ciconijs. ¶ Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis Nostra sapit. quid si garrula lingua foret? Martialis. Phœnicopteri linguam præcipui saporis esse Apicius docuit nepotum omniũ altissimus gurges, Plinius. Nomenq; dedit quæ rubẽtibus pennis, Martialis lib. 3. Solis animal est phœnicopteros, habens alas puniceas, Kiranides 1. 7. Auis est Nili, Heliodorus lib. 6. Phœnicopterum ingẽtem Iuuenalis nominat Sat. 11. inter cibos lautiores. Auem quam Itali uulgò coturnicẽ appellant, aliam esse à phœnicoptero ex pennis rubentibus nomen adepto, certo certius est, Grapaldus.

¶ f. Philostratus in uita Apollonij lib. 8. phœniceam auem (φοινίκεον ὄρνιθα) (uidetur autẽ phœnicopterum intelligere) inter delicias numerat. Heliogabalus exhibuit palatinis ingentes dapes extis illorum referras, & cerebellis phœnicopterorum, &c. Lampridius. ¶ Phœnicopterum elixas, lauas, ornas: includis in cacabum. adijcies aquam, salem, anethum, & aceti modicum, dimidia coctura alligas fasciculum porri & coriãdri ut coquatur: prope coctura defrutum mittis, coloras: adijcies in mortarium piper, cuminum, coriandrum, laseris radicem, menthã, rutam, fricabis: suffundis acetum: adijcies caryotam: ius de suo sibi perfundis: reexinanies in eundem cacabum, amylo obligas,

obligas, ius perfundis, & inferes. Idem facies & in pſittaco. Aliter. Aſſas auem: teres piper, liguſticum, apij ſemen, ſeſamum defrictum, petroſelinum, mentham, cepam ſiccam, caryotam: melle, uino, liquamine, aceto, oleo & defruto temperabis, Apicius.

¶ Ὄρνιθα φοινικόπτερον Cratinus nominat. ¶ Phœnicopteron inter phœnicis herbæ nomenclaturas apud Dioſcoridem legimus. ¶ C. Caligula eò ueſaniæ proceſsiſſe traditur, ut ſibi tanquam numini ſacro phaſianos, phœnicopteros, & pauones, mactari iuſſerit, Gyrald. Idem pridie quàm periret ſacrificans, reſperſus eſt phœnicopteri ſanguine, Suetonius. ¶ Phœnicopterus auis circa lacus & paludes uictitat, uiſu pulchra, & colore decora purpureo. Videtur autem inſigni eſſe magnitudine, ex Suetonio in Caligula. Hoſtiæ erant (inquit) phœnicopteri, pauones, erythrotaones, non tamen inter maximas aues numerandus, ſed inter mediocres magnitudine potius uidetur ex Cor. Celſo, Vuottonus. Omnis grandis auis ualentis materiæ eſt, & plurimi alimenti, Celſus. Et mox, Aues omnes à minimis ad phœnicopterum, mediæ materiæ ſeu mediocris alimenti ſunt.

¶ PHRYGILVS, Φρυγίλος, genus eſt auis Scholiaſtæ Ariſtophanis. Comicus quidē Bacchum ioco ſic uocat, quòd à Phrygibus coleretur.

DE PHOENICE.

AETHIOPES atq; Indi diſcolores maximè & inerrabiles ferunt aues, & ante omnes nobilem Arabia phœnicem, haud ſcio an fabuloſe, unum in toto orbe, nec uiſum magnopere. Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa collum, cætera purpureus, cœruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus, criſtis faciem (fauces, Solinus: quod nō placet) caputq; plumeo apice cohoneſtante, (cohoneſtata.) Primus atq; diligentiſsimus togatorum de eo prodidit Manilius, nemínem extitiſſe qui uiderit ueſcentem: ſacrum in Arabia Soli eſſe: uiuere annis ſexcentis ſexaginta, (quadraginta & quingentis, Solin.) ſeneſcentem caſia thuriſq; ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſu peremori. Ex oſsibus deinde è medullis naſci primo ceu uermiculum, inde fieri pullū. Principioq; iuſta funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis urbem, & in ara ibi deponere. Cum huius alitis uita magni conuerſionem anni fieri prodit idem Manilius, iterumq; ſignificationes tempeſtatum & ſyderum eaſdem reuerti. hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum Arietis Sol intrauerit. Et fuiſſe eius conuerſionis annū prodente ſe P. Licinio, M. Cornelio COSS. CCXV. Plinius. Cum phœnicis uita magni anni fieri conuerſionem, rara fides eſt inter autores: quamuis plurimi eorum magnum annum, non quingentis & quadraginta, ſed duodecim millibus noningentis quinquagintaquatuor annis conſtare dicant, Solinus. Cor. Valerianus phœnicē deuolauiſſe in Aegyptum tradit Q. Plautio, Sex. Papinio COSS. Allatus eſt & in urbem Claudij principis cenſura, anno urbis DCCC. & in comitio propoſitus, quod actis teſtatum eſt, ſed quæ falſa (aliàs, quem falſum) eſſe nemo dubitârit, Plin. Anno octingenteſimo urbis conditæ iuſſu Claudij principis in comitijs publicatus eſt: quod geſtum, præter cenſuram quæ manet, actis etiam urbis continetur, Solinus. Phœnicem aiunt ſub Claudio Cæſare Aegyptijs comparuiſſe, ὡς παραφῶν κατὰ νύχ ἐτῶν, Suidas. Claudij Tiberij temporibus uiſus eſt apud Aegyptum phœnix, quam ferunt uolucrem anno quingenteſimo ex Arabia memoratos locos aduolare, S. Aurelius Victor.

¶ Eſt in Aegypto uolucris ſacra, nomine phœnix, quam equidem nunquā uidi, niſi in pictura. Etenim perrara ad eos commeat, quingenteſimo quoq; (ut aiunt) Heliopolitani anno, & tunc demum, & cum pater eius deceſsit. Is ſi picturæ aſsimilis eſt, talis tantusq; eſt: Pennæ coloris partim rubidi, maxima ex parte cū habitu tum magnitudine ſimillimus aquilæ. Eum aiunt (quod mihi non fit ueriſimile) hoc excogitare: Ex Arabia proficiſcentem in templum Solis, geſtare patrem myrrha obuolutum, & in eo templo humare: Sic autem geſtare: Primum ex myrrha ouum cōponere, quantum ipſe ferre poſsit: deinde ferendo illud experiri. Hoc expertum, ita demum ouum exenterare, atq; in illud parentem inferre: & qua parte ouum exinaniuit, patremq; intulit, eam partem alia myrrha inducere. Et cum tantundem ponderis impoſito parēte effectum ſit, obſtructo rurſus foramine baiulare illud in templum Solis. Hæc facere hanc auem commemorant, Herodotus lib. 2. ¶ Vna eſt quæ reparet, ſeq; ipſa reſeminet ales, Aſſyrij phœnica uocant. nec fruge, nec herbis, Sed thuris lachrymis & ſucco uiuit amomi. Hæc ubi quinq; ſuæ compleuit ſæcula uitæ, Ilicis in ramis, tremulæq; cacumine palmæ Vnguibus & duro (aliàs puro) nidū ſibi conſtruit ore: Quò ſimulac caſias & nardi lenis ariſtas, Quaſſaq; cum fulua ſubſtrauit cinnama myrrha, Se ſuperimponit, finitq; in odoribus æuum. Inde ferunt totidem qui uiuere debeat annos, Corpore de patrio parauum phœnica renaſci. Cum dedit huic ætas uires, onericq; ferendo eſt, Ponderibus nidi (per appoſitionem) ramos leuat arboris altæ, Fertq; pius cunasq; ſuas, patriumq; ſepulchrum: Perq; leues auras Hyperionis urbe potitus, Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit, Ouid. Metam. 15. ¶ Auem phœnicem eſſe percredimus, quæ quingenteſimo quoq; anno in Aegyptū ueniens hanc ipſam Indiam ſuperuolat. Aiunt autem unicam tantum hanc auem eſſe, & ex ſe radios emittere, atq; auri colore fulgere. Magnitudine uerò formaq; aquilæ in nido conſidere, quem prope Nili fontes ex aromatibus ipſamet ſibi conſtruxit. Hæc uerò quæ de ipſa decantant Aegyptij, quo pacto in Aegyptum deferatur, ipſi etiam Indi teſtificantur, ſermoni conſentientes, quo dicunt, phœnici in

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 704 sur 825

nido liqueſcenti propemptícos hymnos decantari oportere, Iarchas Indus apud Philoſtratum in uita Apollonij lib.3. Sed aliter Io. Tzetzes Variorum 5.6. Philoſtratus (inquit) in uita Apollonij, phœnícem auem per omnem uitam unicã eſſe ſcribit, quæ pauone formoſior ſit, & maior citra collationem, & auri colore ſplendidior, nidum ex aromatibus compingere in arboribus. Ex hoc mortuo uermem gigni, qui Sole calfactus, rurſum in phœnícem excreſcat, migrare eum in Aegyptum, mori in Aethiopía, Hæc ille. Volaterranus etiam eundem Philoſtrati librũ citans, phœnícem ſcribit annos uiuere ſexcentos. ¶ E cinere phœnícis in ſuo nído combuſti uermem enaſci, & ex eo phœnícem alterum fieri, qui in Aegyptũ è regione incognita deuolet, Suidas quoq; tradit authore non nominato. ¶ Phœnici apud Indos (ut perhíbent) longiſsima & ſecura uita contigit, cum nullís hominum inſidijs petatur, non ſagittis, non lapidibus, non calamis, non deniq; laqueis. Mors ei initium uitæ. Nam ubi iam per ætatem ad uolatum debiliorem ſe, aut aciem oculorum obtuſam ſenſerit, collectis in excelſa rupe cremijs & feſtucis, rogum ſibi mortalem, uitalem autem nouę proli nidum conſtruit: qui à ſolaribus radijs, inſidente aue, incenſus conflagrat. Sic illa conſumpta, altera noua phœnix è cinere ſurgit, & pro more patrio ijſdem in locis uitam degit. Res mira, ſine genitore, ſine genitrice, ſolo ſplendore Phœbæo auem hanc procreari, Oppianus. ¶ Aegyptij inſtaurationem diuturnam, & quæ poſt multa fiat ſæcula, uolentes indicare, phœnícem auem pingunt. Hic enim dum naſcitur, rerum uiciſsitudo fit & innouatio. Gignitur autem hunc in modum: Iam iam moriturus phœnix, in terrã ſeſe ſummo impetu proijcit, unde & uulnus accipit. Ex ſanie uerò defluente alius gignitur: qui ſimulac pennæ ei natæ ſunt, cum patre Heliopolim, quæ in Aegypto eſt, proficiſcitur: quò cum peruenerit, pater illic, ſimulac Sol ortus eſt, moritur: poſt cuius mortem pullus in propriam redit patriam. At phœnícem hunc defunctum Aegyptij ſacerdotes ſepulturæ mandant, Orus. Et rurſus, Quin & eum innuentes qui longo tempore peregrinatus, tandem in ſolum natale remeet, phœnícem pingunt. Hæc enim in Aegyptũ, cum tempus mortis inſtat, quingenteſimo demum anno regreditur. ubi ſi naturæ debitum perſoluerit, magna ſolennitate ac ritu ſuneratur. Quæcunq; enim in cæteris ſacris animantibus religioſè obſeruant Aegyptij, & ea phœnici tribui debent. fertur ſiquidem Sole magis apud Aegyptios gaudere, quàm apud cæteras gentes: ideoq; Nilum ipſis ex huius dei calore inundare. Animam quoq; quæ diutiſsimè in hac uita moram traxerit, aut inundationem commonſtrare uolẽtes, eandem auem pingunt. Animam quidem, quòd omnium quæ toto orbe ſunt animantiũ, hoc maximè diuturnæ uitæ eſt. Inundationem uerò, quòd uelut ſignum Solis ſit phœnix: quo nihil in orbe maius, cũ omnia ſubeat, omnia ſcrutetur & diſquirat, Hæc omnia Orus. ¶ Phœnix uiuit ſex annis & ſeptẽ milibus, & moritur in Aegypto, ut ſcribit Chæremon Aegyptius ſacrarum literarum ſcriba, Io. Tzetzes. ¶ Phœnícem aiunt trecentis quadraginta annis uiuere ſolitariam. Caput ei tribuitur pauonis. Cum ſe grauem ætate ſenſerit, cõſtruit nidum in alta & abdita ſuper limpidum fontem ſita arbore, ex uarijs aromatibus, in hoc radijs feruentibus Solis ſe obijcit, quos etiam reſplendentibus pennis ſuis multiplicat, donec ignis elicitur: cuius mox ui in cinerem uertitur. Die altero uermem aiunt in cinere naſci, qui alis die tertia aſſumptis, intra paucos dies in auem priſtinæ figurę commutatur, & auolat, Albertus. Conuerſus ad Solis radios alarum plauſu uoluntarium ſibi incendium nutrit, Iſidorus. ¶ In terra mea eſt phœnix auis, cuius anni uitæ ſunt trecenti. hæc prope finem uitæ tam altè uerſus cœlum euolat, ut accendatur à Sole. tum deſcendens & nido ſuo ſe ingerẽs, totus comburitur. è cinere uerò ſubnatus uermis, in aliam eiuſdem generis auem excreſcit, Rex Aethiopiæ in epiſtola ad Pontificẽ Romanum, quam Coſmographię ſuæ Munſterus inſeruit. ¶ Et Tyrio pinguntur crura ueneno, Vuotonus de phœnice, neſcio ex quo poeta.

¶ Ex Lactantij etiam poemate, quod Phœnicẽ inſcripſit, ea quæ præcipuè ad hanc auem pertinent, excerpta ſubiungemus. Primum igitur locum deſcribit, paradiſum ut uidetur, ad Oriẽtem ſitum, in quo cœlum ſit clementiſsimũ, nec ulla caloris frigoriſq; intemperie, nec alijs tempeſtatum mutationibus noxium, nullis corporum morbis, nullis fortunæ luctibus, nullis deniq; animorũ uitijs aut peccatis infamem. Illic planities tractus diffundit apertos, Nec tumulus creſcit, nec caua uallis hiat. Sed noſtros montes quorum iuga celſa putantur, Per bis ſex ulnas eminet ille locus. Hîc Solis nemus eſt, & conſitus arbore multa Lucus, perpetuæ frondis honore uiret. In medio fons eſt, quem uiuum nomine dicunt, Perſpicuus, lenis, dulcibus uber aquis. Hunc lucũ incolit auis unica phœnix Soli ſacra. Cum primum enim aurora ſurgit, Ter quater illa pias immergit corpus in undas, Ter quater è uiuo gurgite libat aquam. Tum in altiſsimam arborem euolans Solis ortum expectat: qui cũ apparere incœperit, Incipit illa ſacri modulamina fundere cantus, Et mira lucem uoce ciẽre nouam. Cum uerò iam totus apparet, Illa ter alarum repetito uerbere plaudit, Non errabilibus nocte dieq; ſonis. Atq; eadem celeres etiam diſcriminat horas: Igniferumq; caput ter uenerata, ſilet. Quæ poſtquam uitæ iam mille peregerit annos, locis ſanctis relictis, Dirigit in Syriam celeres longæua uolatus, Phœnices nomen cui dedit ipſa uetus. Tum legit aerio ſublimem uertice palmam, Quæ gratum phœnix ex aue nomen habet: ſuper qua in ſumma aeris tranquillitate nidum ex omni genere aromatum conſtruit, in eo eſtuans corpus & aereo de lumine concipiens ignem Flagrat, & ambuſtum ſoluitur in cinerem. E cinere naſcitur uermis colore lacteo. Creuit in immenſum ſubitò cum tempore certo, Seq; oui teretis collígit in ſpeciem. Inde

reforma-

reformatur, qualis fuit ante figura: Et phœnix ruptis pullulat exuuijs. Nullo noſtri orbis cibo ueſcitur. Ambroſios libat cœleſti nectare rores, Donec maturam proferat effigiem. Aſt ubi prima cœpit florere iuuenta, Euolat ad primas iam reditura domos. Ante tamen, proprio quicquid de corpore reſtat, Oſſaq́, uel cineres, exuuiasq́ ſuas, Vnguine balſameo, myrrhaq́, & thure ſoluto Condit, & in formam conglobat ore pio. Quam pedibus geſtans contendit Solis ad ortus, Inq́ ara reſidens ponit in æde ſacra. Et mox de forma eius: Principio color eſt, qualis ſub ſydere cœli, Mitia quẽ croceo punica grana legunt. Qualis ineſt folijs quæ fert agreſte papauer, Cum pendens ueſtit Sole rubente polus. Hoc humeri pectusq́ decens uelamine fulgent: Hoc caput, hoc ceruix ſummaq́ terga nitẽt, Caudaq́ porrigitur fuluo diſtincta metallo, In cuius maculis purpura miſta rubet. Clarum inter pennas inſigne eſt deſuper, iris Pingere ceu nubem deſuper alta ſolet. Albicat inſignis miſto uiridante ſmaragdo, Et puro cornu gemmea cuſpis hiat. Ingentes oculos credas, geminosq́ hyacinthos: Quorũ de medio lucida flamma micat. Aequatur toto capiti radiata corona, Phœbei referens uerticis alta decus. Crura tegunt ſquamæ flauo diſtincta metallo: Aſt ungues roſeus pingit honore color. Effigies inter pauonis miſta figuram Cernitur, & miſtam phaſidis inter auem. Magnicies, terris Arabum quæ gignitur ales, Vix æquare poteſt, ſeu fera, ſeu ſit auis. Non tamen tarda eſt, ut aues magni corporis: ſed leuis & uelox. Ad huius ſpectaculum Aegyptus conuenit. Protinus inſcalpunt ſacrato in marmore formam, Et ſignant titulo remq́ diemq́ nouo. Contrahit in cœtum ſeſe genus omne uolantum, Nec prædæ memor eſt ulla, nec ulla metus. Alituum ſtipata choro uolat illa per altum: Turbaq́ proſequitur munere læta pio. Fœmina uel mas hæc, uel neutrum ſit mage, felix, Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit. Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres, Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi, Hucuſque Lactantius. ¶ Extat & Claudiani de phœnice carmen in Epigrammatis. Phœnix decantatiſsima illa uolucris ſub æquinoctiali ad orientem & meridiem reperitur, Nicephorus Calliſtus.

H.

a. φοῖνιξ in recto ῖ ota uocalem breuem habet, poſitione quidẽ longam, in obliquis uerò natura, Euſtathius. De palma arbore (quam Græci phœnicem uocant) mirum accepimus, cum phœnice aue, quæ putatur ex huius arboris argumento nomen accepiſſe, iterum mori ac renaſci ex ſeipſa, Plinius: & partim Lactantius, ut ſuprà recitaui. Phœnix auis dicta eſt eò quòd colorem phœniceum habeat: uel quòd ſit in toto orbe ſingularis & unica. nam Arabes ſingularem & unicam phœnicem uocant, Iſidorus. Claudianus in Epigrammatis Titanium alitem pro phœnice dixit: & rurſus alitem longæuam lib. 2. de raptu Proſerpinæ. Quòd ſemper caſiaq́ cinnamoq́, Et nido niger alitis ſuperbæ Fragras, Martialis lib. 6.

¶ Epitheta eius apud Textorem ſunt, Reparabilis, Viuax, Nobilis, Pharius, Longæuus, Vnicus, Auis Solis, Gangeticus, Rarus, Aſſyrius, Soligena.

¶ φοῖνιξ arborem quoq; palmam ſignificat, (uide ſupra in a.) & fructũ eius. item colore ruffum, unde φοῖνιξ ἵππος in Iliade: & tinctura genus, & populum, & organum quoddam Muſicum apud Athenæum, Euſtathius. Phœnix collyrium Apollonij, deſcribitur apud Galenũ de compoſ. ſec. locos 4. 7. ¶ Eſt & phœnix herba apud Dioſcoridem, à colore opinor dicta. ¶ Hygrophœnix, ὑγρὸς φοῖνιξ, piſcis quidam maris rubri eſt Aeliano, ac ſi humidũ phœnicem dicas, ad aerei & uoluceris nimirum differentiam. Conijcio autem phœnicis nomen ei communicatum, quòd coloribus ſimiliter ferè ut auis diſtinguatur uarijs & elegantibus.

¶ Phœnix apud Homerum nomen proprium eſt pædagogi Achillis: & eiuſdem nominis ſtatuarius Plinio: & fluuius quidam Herodoto. Et nomen unius ex equis Cleoſthenis Epidamnij Pauſaniæ.

¶ c. Cinamomum & caſias fabuloſa narrauit antiquitas, princépsue Herodotus, auium nidis & præcipuè phœnicis, in quo ſitu Liber pater educatus eſſet, ex inuijs rupibus arboribusq́ decuti, carnis quam ipſæ inferrent pondere, aut plumbatis ſagittis, Plin. Cinamomum quidem Hebraicę uel Arabicæ originis uocabulum mihi uideri, à uoce קִנָּמוֹן, ken, quæ nidũ ſignificat, quòd è nidis auis uel phœnicis uel cinamomi decuti à quibuſdam traditum ſit, expoſui ſupra in Cinamomi auis hiſtoria. Quæ ſibi præſternat uiuax altaria phœnix, Statius 5. Sylu. in propemptico Metij Celeris. Martialis libro quinto Erotio puellæ comparatum facit inamabilem ſciurum, & frequentem phœnicem. Et uiuax phœnix unica ſemper auis, Ouidius 2. Amor. Eleg. 6. De ætate phœnicis, cornicis, cerui & corui, uerſus Heſiodi Græcos, & innominati ueteris Latini recitaui in Cornice c. Phœnix ſemel anno quingenteſimo naſcitur, Seneca alicubi. ¶ Inter prima proditæ ſunt etiam (à magis) ex cinere phœnicis nidoq́ medicinæ: ceu uerò id certũ eſſet, atq́ non fabuloſum. Irridere eſt uitæ remedia poſt milleſimum annum reditura monſtrare, Plinius.

¶ h. Heliogabalus fertur promiſiſſe phœnicem cõuiuijs: uel pro ea libras auri mille, ut in prætorio eas dimitteret, Lampridius. Fertur iam aliquando in Heliopoli Aegypti ciuitate accidiſſe, ut phœnix ſuper lignis ad ſacrificia compoſitis aromata congerens ſe incenderet: unde in conſpectu ſacerdotis primum uermis natus ſit, deinde auis ex illo facta auolârit. Plato quidem author eſt non decere nos calumniari ea quæ libris ſacrorum delubrorum conſcripta referuntur, Albertus. Doceat nos phœnix exemplo ſuo reſurrectionem credere, quæ ſine exemplo & ſine rationis præ-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 706 sur 825

ceptione ſibi inſignia reſurrectionis inſtaurat, Ambroſius.

¶ Phœnice uiuacior. Ἢ μὰ φοίνικος ἔτη βιώσῃ, Lucianus in Sectis. id eſt, Ni phœnicis annos uixeris, ut citat Eraſmus inter prouerbia. Phœnicis etiam raritas (inquit) prouerbio fecit locum, Phœnice rarior. quale eſt illud, Coruo quoq; rarior albo. Negãt enim phœnicem eſſe niſi unicam, ſi quaſi fides ſcriptoribus. Idem alibi, Phœnice rarior, φοίνικος ἀπανιώτερος, prouerbio (inquit) dicitur, de rebus aut etiam hominibus inuentu perquam raris.

DE PHOICE.

PHOIX, φοῖξ, (uel potius φῶϊξ penultima circunflexa,) inimica harpæ eſt: quoniam uictus ſimilis eſt. peculiare ei præ cæteris, ut oculos auium deuorare potiſsimum appetat, Vuottonus ex Ariſtotele. ſed Ariſtot. de hiſt. animalium 9. 18. de phoice ſcribit, μάλιστα ἕνεκα ὀφθαλμοβόρου τῶν ὀρνίθων: hoc eſt, præ cæteris auibus oculos eam appetere uel deuorare. quid ſi ὀφθαλμοβόλον legas? Videtur ſanè ardearum generis, cum ſtatim poſt ardeas illic ab Ariſtotele nominetur; & piſcibus uictitare. nam & harpe cibum à mari petit. Harpa auis montana impetens oculos effodit, Plinius. ſed deceptus uidetur, cum Ariſtoteles (ex quo trãsfert) de phoice, cui inimica eſt harpe, hoc ſcribat. Sunt qui phoicem uocent phoicum, ruſticè quoq; aliqui dicunt fraudium, Niphus. φῶϊξ auis eſt quædam Ariſtoteli in hiſtoria animalium, Heſych. & Varin. ſed in codicibus noſtris phoix tãtum eſt, poyx nullus.

DE PICA IN GENERE, PRAECIPVE VERO de illa quæ uaria & caudata, à caudæ longitudine cognominatur, cuius iconem ſequens pagina continet.

A.

PICA auis ueteribus Græcis κίσσα dicta, hodie quoq; nomen retinet in Græcia. Hebraicum nomen raham, רחם, uel rahamah, רחמה, auem eſſe docent dictam ab eo quòd pia & benigna ſit in pullos ſuos. Leuitici cap. 11. translatio uulgaris porphyrionem habet, Munſterus picam uertit. ſic enim Iudæi noſtrates interpretantur. Deuteronomij 14. Septuaginta upupam. Vide ſuprà in Oſſifraga inter Aquilas, & in Gypæeto. Ego planè nec picã nec porphyrionem hoc uocabulo ſignificari aſſeruerim, ſed aquilæ genus aliquod aut uulturis. Eiuſdem linguæ dictionem agur, עגור, uariè exponunt, hirundinem, picam, gruem, ciconiã, paſſerem, Eſaiæ 38. uide in Grue. Item aiah uocem, alij picam, alij uulturem aut miluum, ut leges in Miluo. Munſterus in Lexico trilinguí pro pica ponit neſcio cuius dialecti uocabulum ſerakrak, שרקרק. Auicennæ interpres barbarus pro κίτταξ habet cacha, obſcuri quidam kiches: & Albertus aſchytahez, qui uidetur numerus pluralis à ſingulari aſchyta, corrupto nimirum à Græco uocabulo, ut prima litera abundet, uel articuli loco ſit. ¶ Italicè gazzuola uel gazzara dicitur. item gazza, regazza, putta, & picha apud Alunnum: qui & ghiandaica Italicum auis nomen, alibi Latinè auem glandarem, alibi picam interpretatur. Sed pica glandaria alterum picæ genus eſt, quod glande ueſcatur dictum: ad cuius differentiam ea de qua hic ſcribimus, uaria uel caudata à caudæ longitudine cognominatur. quanquam glandaria etiam uaria eſt, præcipuè in alis, quam ob cauſam aliqui confundere uidentur. Apud Creſcentienſem alicubi gaza auis nominatur, alibi aregaza uel aregata, niſi corrupti ſunt codices noſtri ut ſuſpicor: alibi gaza auis cauda longa. Kiranidæ interpres Cremonẽſis cittan uertit gaiam uel gazam uel glandariam. ſed gaia & glandaria, alterius tantum picæ nomina ſunt, de qua poſtea priuatim agemus. gaza uerò cõmune nomen ad utranq;. ¶ Hiſpanicè pigáza. ¶ Gallicè, pie, iaquette, dame, & agaſſe: quod poſtremum Sabaudiæ uſitatius eſt. ¶ Germanicè à noſtris **Aegerſt**, ab alijs **Aglaſter/ Agelaſter/ Algaſter**, (quod ad Sabaudicum agaſſe accedit: id uerò ab Italico gazza deriuatũ uidetur. Gelenius **Agerluſter** ſcribit Germanicè quaſi agriluſtram, cui non aſſentior.) ab alijs **Elſter/Atzel**. Flandricè **Aexter**. ¶ Anglicè a pie, a py, or a piot. ¶ Illyricè ſtrakauel, krziſtela.

¶ Nuper & adhuc tamen rara ab Apennino ad urbem uerſus cerni cœpere picarũ genera quæ longa inſignes cauda uariæ appellantur, Plinius. Idem facilius ait ſermonẽ humanum addiſcere picas quæ glande ueſcuntur, & quinos habent digitos in pedibus: eas nunc Itali glandarias uocant. Picam quæ prægnantium faſtidio & appetitioni abſurdæ nomẽ fecit, credimus eam eſſe quæ à Plinio longa inſignis cauda deſcribitur, & uaria, id eſt non ſibi concolor, ſed quæ alias plumas & pennas candido, alias nigro colore oſtendat. Nulla enim in picarum genere longiore cauda eſt. Quæ enim uerſicolores ſunt, glandariæ ab eodem Plinio & ab alijs manifeſtè dicuntur, ſcribentesq; Græcorum medici in prægnantibus ciſſan uocari ἀπὸ τοῦ ποικίλου τοῦ χρώτος, id eſt ob uarietatẽ auis, facilè perſuaſerunt eam eſſe quam Plinius, ut diximus, uariam appellat: gens noſtra priuatim gazã nunc uocat: Marcellus Vergilius, aliam picam uariam, aliam uerſicolorem & glandariam faciens, quo cum etiam Perottus Sipontinus ſentit. Pica (inquit) auis eſt alis uario colore, & præſertim cœruleo depictis, uerba proferens ad ſimilitudinem humanæ linguæ. Eſt & alia pica ſub uentre alba, ſuperius nigra,



nigra, quæ uaria appellatur, rara olim (circa urbem,) nunc frequentissima per omnẽ Italiam. Plinius duo picarum genera facere uidetur: posterius hoc genus Plinij, picarum genus esse uidetur, quod passim in Germania & Anglia longa cauda prẽditum, oua & pullos gallinarum populatur. Aliud genus picæ, tam longa cauda ornatum, quàm hoc est, non noui. nostra quoque pica uulgaris calescere quotannis solet. Alterum autem picæ genus diu sanè dubitaui quódnã esset, & adhuc non satis teneo. Cùm essem in Italia ad ripam Padi, ambulantibus mihi, & itineris mei comitibus, auis quædam picæ similis, lingua Britannica iaia, & Germanica mercolphus appellata, conspiciendam sese commodùm obtulit, cuius nomen Italicum quum à monacho quodã, qui tum fortè aderat, percontarer, picã granatam (fortè, glandariam) dici respondit. Quare cùm apud Italicum etiam uulgus non solùm pristinæ linguæ Romanæ, sed & rerum scientiæ, non obscura uestigia adhuc superesse deprehenderem, suborta est mihi hinc suspicio, auem hanc è generibus picarum esse: & quòd scirem eandem, altera uulgari pica, multò expressius humanas uoces imitari, ita suspicionem meam auxit, ut parùm absit, quin credam hanc esse alterius generis picã. nam & glandibus uescitur magis omnibus aliis auibus, Turnerus, eiusdẽ opinionis Perottum quoq; authorem citans. ¶ Eberus & Peucerus picę genera duo faciunt, unum urbanum, garrulum, cæcos pariens, uocẽ subinde mutans, calescens quotannis: alterum syluestre, toto corpore uarium, pennis candidis, cinereis, cœruleisq; mixtis, alis uerò nigris, quas Plinij uarias esse putant: & Germanicè interpretãtur Heidenelster/ Krigelster. (Quærendũ an hæc sit cornix illa cærulea, cuius figuram in Paralipomenis dabimus.) Picam uerò glandariam nostram, quam cum recentioribus garrulum appellant, Græcorum spermologum esse putant, quod minimè probo. ¶ Achani est auis omnibus nota, & uocatur pica achani, Syluaticus. Sunt qui picam Latinos à Græco ποικιλὶς deriuasse coniectent: cum & nomen conueniat, & res ipsa, uidelicet ἡ ποικίλη, hoc est coloris uarietas. Hesychio & Varino simpliciter ποικιλὶς auis quędam est. Aristoteles semel tantum pœcilidum auiũ meminit (uarias Gaza reddit) ab alaudis eas dissidere scribens. Theocriti Scholiastes in Idyllion 7. acanthidem auiculam esse docet canoram & uario colore, ideoq; ποικιλίδα etiã dictam. Gelenius noster picam uariam Græcis ποικιλίδα dictam arbitrabatur, eandemq; ἀιγάσραν apud Græcos recentiores (uocabulo nusquam mihi reperto) cui Germanicum nomen Aglaster accederet.

B.

Picis forma non uulgaris est, quamuis non spectanda, Plinius. Aristoteles turdum maximum uisciuorum, picæ æqualẽ facit. Pica auis (ut quidam scribunt) magnitudine est columbæ, alis uario colore, & præsertim cœruleo depictis. Auis est uaria ex albo & nigro colore, sed in cauda niger color splendescit in uiridem cum sapphirino permixtum, Albertus. Latior est ipsi lingua: omnibusq; in suo cuiq; genere quæ sermonem imitantur humanum, Plinius & Suidas in Psittaco. Auium

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 708 sur 825

quæcunq; ſimilem habẽt linguam & maxillarum poſitionem (διάθεσιν,) humanum aptæ ſunt imitari ſermonem, ut picæ, pſittaci, & ſimilia, Suidas & Varinus. Nuper, & adhuc tamen rara, ab Apennino ad urbem uerſus cerni cœpere picarum genera, quæ longa inſignes cauda uariæ appellantur, Plinius. Quædam aues os ſtomachi non habent amplum, & ingluuiem tamen nõ habent, ut pica & graculus, Albertus 2.2.2. Pica garrula breuitatem alarum cauda longiore recompenſat, Obſcurus. ¶ Picas albas in Septentrionalibus terris reperiri quidam tradit. Picarum genus quod glande ueſcitur, & in eo magis illæ quibus digiti quini in pedibus, ſermonem exprimunt humanum Plinio. Solinus & Apuleius eum ſecutus, pſittacis quinos digitos tribuũt, cum Plinius, quẽ imitantur, omnino hoc de pica non de pſittaco ſcribat. Fertur & porphyrio pentadactylus, nec alia auis, quod ſciam.

C.

Picam uariam, de qua ſcribimus, Eberus & Peucerus urbanam faciunt.

¶ Vox. Pica uoces plurimas commutat. ſingulis enim ferè diebus diuerſam emittit uocem, Ariſtot. imò, ut nos obſeruauimus, eadem die ac eadem hora uocem uariat. Albertus addit picam huiuſmodi uocum mutationẽ facere potiſsimùm tempore coitus. nos uerò obſeruauimus hanc mutationem uocum eam facere omni tempore. immò aliquando per hyemem ita fingit uocem uenatoris, ut canes moueat ad ſe, Niphus. Pice in uocis imitatione ſingularem naturam, & quàm diuerſa animalia repræſentet, quis facile dixerit? Ego aliquando garrientem picam audiens hœdi uocem arbitrabar, qui à matre ſeparatus iuxta arborem eam requireret, cui clamans pica inſidebat. Et iterum ædito mugitu, uitulum referebat. deinde ouis inſtar balabat. poſtremò fiſtulam ſiue ſibilum paſtoris imitabatur, quo ille poſt paſcua oues ad potum ducit. Vix uerò tandẽ pica per ramos ſaliente cõſpecta miratus ſum tanta cum in cæteris rebus, tum in auibus, diuinę largitatis dona ſplendere, Oppianus. Κίτταις κιτταβίζειν legimus apud Pollucem. Scimus picas loquaces eſſe, Aelian. Pica loquax uarias modulatur gutture uoces, Scurrili ſtrepitu quicquid & audit, ait, Author Philomelæ. Pica cum alias uoces, tum maximè humanam imitatur, Aelianus. Statius etiam picas inter aues humani ſermonis imitatrices nominat. Picæ minor quàm pſittaco nobilitas, quia non ex longinquo uenit, ſed expreſsior loquacitas certo generi picarum eſt. Adamant uerba quæ loquuntur. Nec diſcunt tantum, ſed diligunt: meditantesq; intra ſemet, cura atq; cogitatione intentionem non occultant. Conſtat emori uictas difficultate uerbi, ac niſi ſubinde eadem audiant, memoria falli: quærentes mirum in modum hilarari, ſi interim audierint id uerbum. Nec uulgaris iſs forma, quamuis nõ ſpectanda. ſatis illis decoris in ſpecie ſermonis humani eſt. Verũ addiſcere alias negãt poſſe, quàm quæ ex genere earum ſunt, quæ glande ueſcuntur. & inter eas facilius quibus quini ſunt digiti in pedibus, ac ne eas quidẽ ipſas niſi primis duobus uitæ annis, Plinius. Pica loquax certa dominum te uoce ſaluto. Si me non uideas, eſſe negabis auem, Martialis. Auguſtus Cæſar picam, à qua ſalutatus erat, emi iuſsit, Macrobius Sat. 2. 4. Ραῦτα δὲ τὰ τῶν ζώων διγλωττία καὶ διαθρεμμία ὅτι τῶν φωνῶν, καὶ μιμεῖται οὐ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ἄλλων ὀρνίθων ἤχος, ὥσπερ ψιτταικὸς καὶ κίττα, Athenæus. quid ſi legas? Ραῦτα δὲ τὰ πλατύγλωττα τῶν ζώων, διγλωττα, &c. nam & Plinius ſic habet: Latior picis eſt lingua: omnibusq;, in ſuo cuiq; genere, quæ ſermonem imitantur humanum: quanquã id penè in omnibus contingit. Τῶν πτηνῶν ὅσα παραπλησίαν ἔχει τὴν γλῶτταν, καὶ τῶν τῶν γραφύων διάθεσιν, τῶν τῶν ἀνθρώπων διάστασιν μεῖσαι διάλεκτον, οἷον κίτται, καὶ ψιτταικοὶ, καὶ τὰ ὅμοια, Suidas. Tonſor quidam (inquit Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. ex multis Græcis Romanisq; hominibus, iiſq; qui interfuere memorabilem hanc hiſtoriam ſe accepiſſe præfatus) officinam Romæ habens ex aduerſo templi quod forum Græcum uocant, picam prodigioſe ſtreperam & loquacem, humana uerba, ferarum ſonos reddere, inſtrumentorum omnium garritus & ſtrepitus effingere, idq; nullo cogente, ſed ſponte ſua aſſuefacientem ſeſe, ac nihil indictum inimitatumq; relinquere geſtientem, habebat. Accidit autem ut hàc diues quiſpiam ingenti tibicinum ſtrepitu efferretur. hi quia nobilitati fama erant, & canere iuſsi fuerant, moram iſtic forte, ut fit, diutius hominum ſtudijs ſe dando canendoq; traxerunt. pica poſtridie muta elinguisq; fuit, adeò, ut nec quam inter quotidianas neceſsitates uocem ſolita fuerat, mitteret. Præbuit his qui norant antea, ſilentium ſubitum admirationem ingentem, tum illis ipſis qui adire hæc loca conſueuerant, muta ac perturbata omnia cernentibus, triſtitiam incuſsit. Venenum alij per eiuſdem opificis homines datum, pleriq; tubarum uoce auditũ obſtupefactum, unaq; uocem extinctam ſuſpicabantur. Sed neutrum fuit, apparabat. quippe omni ingenij ſtudio intrò reuocato, uocem ſic quemadmodum organum aptabat inſtruebatq;. Subitò enim rediit illuxitq; ſpectatoribus ſuis, non conſueta illa ueteraq; imitamenta, ſed tubarum cantum iiſdem prorſus periodis ſonans, tranſitus omnes inſuper, omnes numeros eodem planè pacto ſeruans.

¶ Cibus. Pica & aliæ quædam aues glandes reponentes obruunt terra, Theophraſt. de cauſis plant. 2. 23. Glandes cum deficiunt colligit, & in repoſitorio abditas reſeruat, Ariſtot. De glandibus maturis cibum ſibi ſufficientem colligit, Author de nat. rerum. E ſuum alueis interdum ueſcitur. Sermonem humanum addiſcere picas alias negant poſſe, quàm quæ ex genere earum ſunt, quæ glande ueſcantur, Plinius: tanquam non omnes picæ hoc fructu ueſcantur. priuatim quidem glandarias hodie Itali appellant genus alterũ, de quo dicemus proximè. Pica fructibus (acrodryis) gaudet, ſed mox faſtidit quos guſtârit, & alios quærit in diuerſas ſubinde arbores tranſuolãs, Varin.

Auis

Auis est gulosa (ὄρνιον λιχνότατον) & ad libidinem maximè procliuis, Idem. Vorax est, & uaria curiosè deguſtat, Idem. Audio picas etiam teneris gallinarum pullis insidiari. Viscum satum nullo modo nascitur, nec nisi per aluum auium redditum, maximè palumbis & turdi, Plinius 16. 44. Theophrastus non turdos sed picas, id est cittas ponit, atq; ita Theodorus interpretatur. forteq; deprauatum id in Theophrasto fuerit, ut pro cichla, quod turdum significat, cittã librarius asscripserit, Hermolaus.

¶ Nidum in arboribus facit ex pilis & lana, Aristot. Nidum cum duobus foraminibus construit, per quorum unum intrat, per alterum caudam emittit, Obscurus. Nidum extrinsecus spino sum facit & tegit. & duo foramina in oppositis lateribus in nido ad intrandum & exeundum construit, & frequenter duos habet nidos, ut aspicientes decipiat, & dubitari faciat in utro sint oua, Albertus. Nidum inter loca spinosa constituit, eumq; terra interius, & spinis exterius in circuitu subtus ac desuper diligentissimè sæpit ac munit. arctissimum enim tantum foramẽ per quod ingrediatur in latere relinquit: & hoc eo loco, quo nidus inaccessibilior est: quem cum ab homine uisum senserit, oua transfert aliò, commoditate digitorum iuuante, Author de nat. rerum. ¶ Pica parit nouenos, Plinius. circiter nouem numero, Aristot. Auium nonnullæ imperfectos & cæcos pariunt pullos, uidelicet quæ cum paruæ corpore sint, multos progenerant, ut cornix, pica, passer, Idem. ¶ Pica pennas paulatim exuit, non uno tempore simul ut accipiter, Albertus. ¶ Picis uarijs, longa insignibus cauda, proprium caluescere omnibus annis cum seritur rapa, Plinius. Rapa quidem duas habet sationes. seritur enim & uêre ante calẽdas Martias, & Augusto, ex Plinio, Columella & Palladio. Plinius de secunda satione, quæ mẽse fit Augusto, intelligere uidetur, Vuotton. Nostra quoque pica uulgaris caluescere quotannis solet, Turnerus. Picas epilepsiã quoq; sentire ferunt, Aloisius Mundella.

D.

Picæ pulli educati & ad uolatum roborati, pascunt parentes suos in senectute, faciuntq; eos manere in nidis absq; ullo labore, Author de nat. rerum. ¶ Pica est auis calidissima, Author de nat. rerum. derisiua, Albertus. Picæ cum diligentius uisum ab homine nidum sensêre, oua transferunt aliò, Plinius: commoditate digitorum iuuante, Author de nat. rerum. Ferunt picam oua sub digitis pedum aliquando de nido ad nidum ducere, Albertus. De calliditate eius circa nidum, leges supra in C. Institerant ramis imitantes omnia picæ, Ouidius 5. Metam. Pica auis est sagax, imitans uocem hominis, Kiranides. Picasq; docuit nostra uerba conari, Persius. ¶ Apud nos pica aliquando comedit passerem iuuenem, Albertus. Apud nos pugnant cum aquila cornix, pica, monedula, & huiusmodi aues. quoniam aquila deuorat eas, Albertus. uide suprà in Aquila D. Picas aluco & ulula uenantur, Aristot. ¶ Vidi aliquando picam aduolantẽ ad auem basie in quodam loco ligatam: & cum illa frustula carnis comedere uellet, pica sua cauda ea remouit: unde picam auem esse aliarum auium derisiuam cognoui, Auicenna in nonum Aristot. hist. anim.

E.

Pica quomodo capiatur una ab altera, scriptũ est nobis in Cornice. Reti quomodo capiantur, Crescentiensis docet 10. 20. & quomodo oliuæ fructu illectæ laqueo intricentur, in Graculo ex Oppiano. Accipitres capiunt regazas, (id est picas) & glanderas siue gazas, Crescentiensis. Picarios accipitres Budæus nominat, qui picas captant. Speruerij generosi etiam picas captant. ¶ Picæ gallinarum pullis insidiantur. ¶ In hoc laudantur, quòd horto uel loco in quo nidificant, prospiciunt. multo enim clamore fures produnt, & sæpe illos à proposito auertunt, Obscurus. ¶ Pica auis, quæ & pluuiæ auis ueteribus dicta est, amplius solito stridẽs, certò imbrẽ indicat, Gratarolus.

F.

Picæ in cibum non ueniunt, sed pulli earum interdum nidis exempti, à pauperibus eduntur. Esus pullorum picæ assiduus, uisum auget, Plinius. sed nisi excoriati prius fuerint, non facilè concoquuntur, Author de nat. rerum & Albertus. Picæ caro est calida, ualde abominabilis: & est in ea subtilitas, Rasis. Accipitribus picæ omnis caro utilissima est, Demetrius Constantinop.

G.

Picam uiuam dissectam aliqui imponunt articulis laborantibus. Auis pica (picus, apud Kiranidem) assa elixáue comesta, citò sanitatem restituit ægrotis, & incantatione ligatos soluit & sanat, & prosperitatem tribuit, Gilbertus apud Arnoldum. Liquor stillatitius è pullis picarum chymico uase collectus, uisum infirmum & hebetem roborat & acuit, Io. Gœurotus. Ryffius (ex Brunsuicensi nimirum) liquorem ita exceptum è picis minutatim incisis, oculis rubentibus & obscuris prodesse scribit: & oculorum leucomata uel pterygia tollere: ignem sacrum (quem S. Antonij uocant) restinguere, linteolis ex eo madẽtibus sæpe impositis. Esus pullorum picæ assiduus, uisum auget, Plinius. recentiores quidam excoriari iubent, ut facilius concoquantur. Pica combusta in olla sigillata quocunq; modo data contra noctilupam, & cardiacam, & melancholiam de causa frigida, & cancrum in uirga uirili curat locum cum licio, Author Additionũ ad Breuiarium Arnoldi. Pica cocta & esitata reparat spiritus uisiuos. Item pica deplumetur & exẽterata decoquatur in uino albo usq; ad uini consumptionem, & separationem carnis ab ossibus. & tunc simul cum iure teratur, ac Soli per triduum exponatur. & cum opus est cum carpia uel linteo subtili oculis imponatur, ocu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 710 sur 825

lorum enim aſperitatem, obſcuritatẽ, ruborem & dolorem tollit, & ſpiritus temperat, Idem. Picã unam uel plures integram pones in olla noua uitreata, luto diligenter obducta clauſaq; : & in furno torrebis, ut facile in puluerem uertatur, nec aduratur tamen. hic puluis oculis immittatur, aut fiat ex eo collyrium, aut ſumatur per ſe. hæc enim peculiaris picæ uis eſt, ut quocunq; modo ſumpta uel adhibita uiſui conferat, Gordonius in capite de imbecillitate uiſus. Io. Gœurotus oculis caligino-ſis hunc pollinem cum aqua fœniculi inſtillari iubet. ¶ Picæ fel utile eſt immiſſum oculis ambu-lantium per niuem, Raſis. ¶ Oua eius ſicca trita oculis immiſſa cõtra albugínem medentur, Idem.

H.

a. Picumnus eſt auis Martí dicata, quam picum uel picam uocant, Nonius. ſed authores qui extant omnes, quod ſciam, picum duntaxat Martí ſacrum faciunt, & à pica diuerſum. Pica dicitur quaſi poetica, eò quòd uerba in diſcrimine uocis ut homo exprimat, Iſidorus. Sunt qui uocabulũ Græcæ originis rentur, παρὰ τὸ ποικίλον, id eſt à colorum uarietate. ¶ Κίσσα commune eſt, κίτ͂τα Atticum. Κισσα ἐτυμολογεῖται παρὰ τὸ κίειν, καὶ μετὰ σφοδρότητος σώζεσθαι πρὸς σωτηρίαν, Varin. Apud Lacones κέσσα, dicitur, Heſychius & Varinus. Iiſdem βάσκιλλος picam ſignificat: item κραγγών. Σίτ͂ην aliqui noctuam, alij picam uel accipitrem interpretantur, Iidem.

¶ Epitheta. Pica loquax, Martialis & Author Philomelæ. Improba, Martialis. Et apud Tex torem, Garrula, ſalutatrix, diſerta.

¶ Olim multis hominibus nomina imponebantur auium, ut Chærephonti Veſpertilio, Syra-cuſano Pica, Ariſtoph. in Auibus. Scholiaſtes Syracuſanum iſtum in foro uerſari ſolitum ſcribit, & ab Eupolide eum tanquam loquacem traduci. Argò nauim Lycophron uocat λαλιθρον κίσσαν. eſt enim pica auis loquax, & carinam Argûs loquutam aliquãdo ferunt. ¶ Κιτ͂αι, πρόγονοι, Heſych. & Varinus. ¶ Noſtri picæ oculum uocant (ein Ägerſtenaug) uerrucæ genus, quod Latini clauum appellant, ni fallor. cuius generis gemurſa etiam Feſto dicta uideri poteſt. tuberculum eſt (inquit) ſub minimo digito pedis, dictum quod gemere faciat eum qui gerit. ¶ Picarios accipitres à ca-piendis picis Budæus dixit. ¶ Cittoſin dicunt Græci, quum ab racemis dilapſi acini pereunt, Cę lius. ¶ Gallis uerbum gazouiller eſt cornicari, ineptè garrire: nimirum à pica aue, quam Itali ga-zam uocant.

¶ Citta, id eſt pica morbus prægnantium. Malacia prægnãtium (inquit Cælius) Plinio (lib. 33.) eſt mollities quædam & defectio, quum languẽtes modo hoc, modo illud appetunt, adeò ut terram quoq; uorare appetant nõnullæ, carbones etiam extinctos, aut cimoliam, inquit Paulus Medicinæ primo: quæ res nuncupatur κίτ͂η (κίτ͂α) id eſt pica. Nam & gethyllidas (gethyum uel porrum capita-tum interpretantur) Latonæ ſacras ſcribit Athenæus, quoniam prægnans id cibi expetiſſet genus. Prouenit incommodum id ab conceptu menſe potiſsimum tertio, nequeunte fœtu interim delata in uuluam omnia ratione alimenti abſumere, inſita imbecillitate, proindeq; in ſtomacho multorum facta redundantia. ex qua etiam abſurdorũ ſeſe promit appetentia. Indidem quoq; nomẽ nacta affe-ctio eſt, ἀπὸ τὸ ποικίλον τοῦ ζώου ἢ κίτ͂ης: id eſt ex auis uarietate. Vel, ut ſcribit Paulus Aegineta, quòd malo id genus (pica auis) corripiatur frequentius, Hæc Cælius. Et rurſus alibi, Galenus (inquit) in libro De dignoſcendis locis affectis, affectionem illam ſcribit qua malos affectant cibos mulieres, κιτ͂αν aut κιτ͂ησιν, id eſt picam & picationem uocari. contingere uerò hæc ſecundo aut tertio à conce ptu menſe, quòd appetentiæ organum (id uerò os uentriculi eſt) ſit obleſum, infanti non ſuppetente ui ad alimenti conſumptionem. Κίτ͂α, id eſt pica, in prægnantibus dicitur. quoniã auis illius uariæ modo ſolent uaria appetere. nam & cruſtas (ut cætera taceam) ex fluminibus in eſcam petunt non-nullæ, Grapaldus. Κιτ͂ᾶν, id eſt picare, quidam denominant à pica aue, ut Gaza ſuppleuit: quod prouerbium demonſtrat, quod de eo qui uaria cupit, dicitur, uidelicet (ueluti) pica prægnans, Ni-phus. Citta in prægnantibus circa ſecundum aut tertium menſem fit, à prauis humoribus uteri ad ſtomachum euectis, unde abſurda quædam appetunt, teſtas, lapides, carbones, labruſcas, Varinus. Sunt qui definiãt languorem & mollitiem diſſoluti & cuncta faſtidiẽtis ſtomachi in gratidis: quòd picæ aues quoque uaria appetere ſoleant cum ſunt prægnantes. Οἱ κιτ͂ῶντες ἢ ἀρλιώσης, Ariſtoph. in Pace. id eſt, auidè deſyderãtes pacem. eſt enim pica (inquit Scholiaſtes, & ex eo Suidas) auis uorax, omniuora, & curioſè uaria deguſtans. unde & de mulieribus prægnantibus, ciborum abſurdorum appetentia laborantibus, & de alijs hominibus auidè aliquid deſiderantibus, κιτ͂ᾶν uerbum uſurpa-mus. Οὕτω κιτ͂ῶ ἀλλ' ἢ σανίδων μετὰ χοιρίνης πόδα λιθεῖν, Ariſtoph. in Veſpis. ubi Scholiaſtes, Κιτ͂ῶ, ὠθῶ, ὠθίζω, μῶ, γλίχομαι, ἀπὸ τῆς ἀρτίως πικδυσῶν (fortè ἀρτίως κυσῶν) γυναικῶν, καὶ ὠθουμένων πινῶν. nam pica auis fru ctus arborum (acrodrya) appetens, mox faſtidit quos guſtauerit, & diuerſos ſubinde appetens, in alias atq; alias arbores tranſuolat. Polemon apud Athenæum ſcribit, Latonam in utero gerentem appetiſſe gethyllidem, κιτ͂ῆσαι γηθυλλίδος. Hanc in mulieribus grauidis affectionẽ Arabicè uocari inuenio alguaham, uel (ut alij ſcribunt) alguama, uel algaham. Acidam citri partem Dioſcorides à mulieribus edi dicit πρὸς τὰ κίσσαν, id eſt aduerſus faſtidia quæ ipſis prẽgnãtibus ſuperueniunt: quo-rum Ariſtoteles quoq; meminit, libro de animalium hiſt. ſeptimo, Manardus. Potus è uitium foliis expreſſus ſuccus iuuat κισσώσας, Dioſcorid. id eſt abſurda in cibo appetentes mulieres. Vbi Marcel-lus Vergilius, Κίσσα (inquit) & κισσᾶν uerbum, uehemẽtiores & impetus magis quàm appetitus pro-poſitarum rerum in gerentibus uterum ſignificant, quæ quotidianos cibos faſtidientes, abſurda & inſueta

infureta homini comediſſe tunc cupiunt: carbones, terram, cæmenta, & aſperrimi acerbíq; ſaporis cibos. Deinde Hermolaum reprehendit, qui hoc in loco, à conceptu mulierum defectiones reddiderit: & Ruellium etiam, qui malaciam ſtomachi. ſed Ruellius Plinium imitatus rectè excuſatur. Et mox, Credimus picam quæ huic malo nomen fecerit, non glandariam eſſe, ſed illam quæ à Plinio longa inſignis cauda & uaria deſcribitur. Plura de hoc affectu leges apud Aetium 16. 10. ubi admonet quoſdam ab hederæ ſimilitudine, quam Græci cittòn uocant, cittan hoc morbi genus appellatum ſenſiſſe. nam ſicut illa diuerſis plantis quæcunq; occurrerint, uariè implicari ſolet, ita mulieres pica laborãtes diuerſiſsima edulia appetũt, præſertim oppoſita, quæ tum uoluptatem tum triſtitiam guſtantibus afferunt. Memini ego in muliere quadam hoc malum in grauiditate ortum, à partu etiam ultra annũ duraſſe, nec ſcio quouſq; pallida erat, phlegmatica, macra, menſes ferè detinebantur. fluore albo infeſtabatur. infans breui interijt. Grammatici (Suidas, Varinus) uerbum κισσᾶν interpretantur etiam cum uoluptate concipere, à pica aue, quæ guloſa admodum ſit, & ad libidinem procliuis. ſed hoc ſenſu in ſacris tantum literis hoc uerbũ reperiri puto. Ἐν ἁμαρτίαις ἐκύησέ με (poterat etiam legi, ἐκύησέ με) ἡ μήτηρ μου, Dauid. Κισσός, id eſt hedera, circumuoluí ſolet proximis quibuſq;, arboribus, ædificijs, alijs. hinc factum uerbum κισσᾶν de muliere, pro eo quod eſt cum uoluptate concipere, Varinus. Ἐγκισσήσωσι, συλλαβῶσιν, ὥσθυμήσωσιν, ἐγκίσησις, ἠδονῆς, Suidas.

¶ Κίσσα, auis & piſcis, Heſychius. ¶ Itali quidam auem, cui nos lanij nomen finximus, gazam marinam, id eſt picam marinam uocant, quòd coloris uarietate & caudæ longitudine ferè picam referat: alij gazam ſperueriam, quòd prædandi natura accipitrem minorem imitetur: alij regeſtolam, quod nomen fortè diminutiuum à regazza eſt, ſed detortum. alij paſſera gazéra, hoc eſt paſſerem picarium. Sabaudi matagaſſe: eſt autem agaſſe eiſdem pica. alij pie griayche, quaſi picam Græcam. Galli quidam pie ancrouelle, quòd unguibus ſuis paſsim adhæreat arborum truncis. In Paleſtina uidi aues ſimiles illis quas picas Græcas (pies grieſches) nominamus, quæ deuorant mures ſicut tinnunculi, Belloníus. Pica marina alia eſt Gallicè uulgò dicta, ſimiliter (ut arbitror à coloris diſtinctione,) roſtro quatuor digitos longo ut gallinago, unde gallinaginem (beccaſſam) marinam aliqui nominant, Belloníus. uide in Hæmatopode. Eadem an diuerſa ſit pica marina Anglorum (a ſepy) auis miluí quantitate, ut audio, nõdum comperi. Noſtri genus pici picarium cognominant (ägerſtenſpecht) albo nigroq; colore ut pica ferè diſtinctum.

¶ Minutius Pica nominatur Varroni de re ruſt. 3. 2. ¶ Dicunt Macedones Caranum Macedoniæ regem pugna ſuperaſſe Ciſſeum, qui in uicina regione principatum obtinebat, Pauſanias in Bœoticis. Cum Alcimedontis heroís filia Phillò, Herculem Phigalij aiunt concubuiſſe. Vt uerò peperiſſe eam ſenſit Alcimedon, in montem expoſuit, ut unà cum puero interiret, quem Aechmagoram appellant Arcades. Puerum itaq; expoſititium pica auis & plorantem audiuit, & ploratum eſt imitata. Cæterùm Hercules, cum fortè illac tranſiret, audita pica, uocem non uolucris, ſed infantis ploratum eſſe ratus, rectà ad uocem deflexit. Re itaq; cognita, ipſam uinculis ſoluit, & puerum ſeruauit. Ex eo fons uicinus Ciſſa, id eſt Pica dicitur, Pauſanias in Arcadicis. ¶ Ciſſa eſt fluuius Ponti Cappadocij, authore Ptolemæo.

¶ b. Aues quæ ut plurimum mergi uocantur, uariæ ſunt ut picæ, Albertus.

¶ d. Inde ſalutatus picæ reſpondet arator, Martialis. Coruí & picę homines (uoce) imitãtur, & eorum quæ audierint meminerunt, Porphyrius lib. 3. de abſtinendo ab animatis. ¶ Iacobi Micylli epigramma de mirabili hiſtoria quadam duorum falconum & picæ, recitaui in Falcone d.

¶ f. Cotyis Thracum regis conuiuium deſcribens Athenæus, inter cæteras appoſitas aues, picas quoq; nominat.

¶ g. Picæ cor geſtatum cum radice ciſſi, id eſt hederæ, contractas mulieres ſanat: ſimiliter & dyſuriam curat, Kiranides.

¶ h. Picæ epitaphium, authore Archia, legitur Anthologij Græci libro 3. ſectione 24.

Audio picam etiam cancris ueſci: & contigiſſe aliquando ut cancer à pica in arborem ſublatus, collo eius ſuis forcipibus cõpreſſo eam interemerit. Pieri filiæ nouem cum Muſis auſæ cantu decertare, in id genus auis mutatæ ſunt, unde Statius: Et Aonio uerſæ certamine picæ. Ouidius lib. 5. Metam. hanc fabulam proſequitur: Pierus has genuit Pellæis diues in oris, Pæonis Anippe (inde Anipides, per ſyſtolen, cognominantur ab Ouidio in eodẽ libro) mater fuit, &c. Et circa finem lib. 5. Plangere dumq; uolunt per brachia mota leuatæ, Aere pendebant nemorum cõuicia picæ. Nunc quoq; in alitibus facundia priſca remanſit, Raucaq; garrulitas, ſtudiũq; immane loquendi. ¶ Improba Cecropias oſtendit pica querelas, Martialis. ¶ Baccho loquacitatis ratione picam eſſe ſacram prodidêre, Cælius. Picã auem nugacẽ huic deo cõſecrarunt, ut Phurnutus prodit, Gyrald.

¶ PROVERBIA. Pica cum luſcinia certat: uide in Cygno H. c. ubi de Cygnea cantione ſcripſimus. Οὐ θεμιτὸν λαθκῳ ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσθειν, Οὐδ' ἔποπας κύκνοισι, Theocritus Idyl. 5. ¶ Κισσᾶν uerbi uſus prouerbialis eſſe uidetur, de iſs qui magna auiditate quædam ita deſiderant, ut niſi potiantur de aliquo animi corporisue deteriore ſtatu periclitentur. uide ſupra in H. a. Sic noſtri deſiderium huiuſmodi ſignificantes, abortiendi periculo aliquid appeti dicunt, etiam de uiris, (Das er nit vmb das kind komme,) metaphora à grauidis ſumpta mulieribus. ¶ Germanis (inferiori-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 712 sur 825

bus) uſitatum eſt illud, Sie egſter kan er hüppen nicht lathen, Pica ſuos ſaltus (ſaltationes per interualla) relinquere non poteſt: de iſs qui nunquam mutaturi ſunt ingenium. quicquid enim natiuum, id haud facilè mutatur, ut Aethiops non dealbeſcit, Tappius. ¶ Nihil temere uulgò dictitari, & aliqua ſaltem ex parte uerba aut ſermones rebus conuenire iſdem innuentes, nullam eſſe picam dicunt, quæ non aliqua macula aut uarietate ſit inſignis: Es iſt kein atzel/ ſy hab dann etwas bundtes.

DE PICA GLANDARIA, VEL GARRVLO AVE.



A.

PICAS negant ſermonem humanum addiſcere alias poſſe, quàm quæ ex genere earum ſunt quæ glande ueſcantur. & inter eas facilius, quibus quini ſunt digiti in pedibus: ac ne eas quidem ipſas, niſi primis duobus uitæ annis. latior iis eſt lingua, Plinius. Mihi quidem Plinius picas ſimpliciter uocare uidetur illas quæ glandibus ueſcuntur, quas Itali glandarias hodie uocant, de quibus in præſentia ſcribimus: uarias uerò, & longa inſignes cauda cognominare, de quibus ſuprà ſcriptũ eſt nobis: has ſuo tempore raras circa urbẽ, illas uulgares. Omnia ſanè quæ de picis ueteres ſcripſerũt, glandariis nõ minus quàm uariis attribui poſſunt, ni fallor quædam

quædam etiam magis, ut uariarum uocũ & ſermonis humani imitatio. Plura lege ſuprà in Pica. A.
¶ Italicè gaza uocatur, etſi id nomen potius utriq; picæ commune eſſe iudico. & à glandibus alibi ghiandaia, uel ghiandara, Creſcentienſi glandera uel glandara. alibi gaza uerla, ad differentiam alterius. alibi berta. ¶ Gallicè gay. Sabaudicè gaion. ¶ Germanicè apud nos Häher. alibi Häzel uel Häzler: quod nomen accedit ad alterius picæ nomen Atzel, ut id quoq; ad Italicũ gazza. alibi Baumhätzel. circa Friburgum Heluetiorum, Herrenuogel. alibi Här per ſyncopen, pro Häher. In Sueuia ein Jäck. Alibi denicq; Margraff: item Marcolfus/ Holtzſchreier, ut Eberus & Peucerus interpretãtur. Brabantis Giray uel Richau. ¶ Anglis a iay. ¶ Illyricè ſoyka.
¶ Græcis hodie uulgò καρακάξα dicitur, ut audio, pica uarijs diſtincta coloribus, caudam aſſiduè quatiens. ¶ Bellonius auem Gallicè dictam vn gay, graculum interpretatur, cuius ego opinioni non aſſentior.

¶ Garrulus auis eſt à garrulitate dicta, quam Germani Heher uocant, Albertus. Hanc nonnulli falsò opinantur eandẽ eſſe cum graculo. ſed graculus alia auis eſt unius coloris: garrulus uerò colore diſtinguitur ex diuerſis plumis, dictus à garriendo, Author de nat. rerum.

B.

Garrulus tanta plumarum uarietate diſtinguitur, ut nullus ei cæterarum auium color deeſſe dicatur. in alis quidẽ uerſus inferiorem partẽ colore nitet pulcherrimo cœruleo, Albertus & Author de nat. rerum. Garruli dorſum ad cœruleum colorem tendit: alæ cœruleo & plurimis alijs uenuſtiſsimè coloratæ ſunt. uenter purpuraſcit, & uelut ὑακινθίζει, (hyacinthi colorem repræſentat,) Eberus & Peucerus. ¶ Ego aliquando manibus tractans hanc auem, deſcriptionem reliqui huiuſmodi: Magnitudine eſt columbæ, (palumbæ, Perottus,) colores per totum corpus uarios habet. roſtrum breue, nigrum, robuſtum. pedes ſine colore certo, ex albo ferè, fuſco ruffoq; æquali menſura mixtis. digiti pedum multis articulis flectuntur. criſtam in capite ex plumis erigit, anterius partim albidam, partim nigrã: retrorſum uerſus mixtus eſt ex rufo cæſioq; color. ſimiliter per totã partem pronam, niſi quòd in dorſo minus ruffi, plus cinerei admiſcetur. Pennæ ab orrhopygio ad caudam candidæ extenduntur. Cauda pennis conſtat nigris, tam longa ab orrhopygio retrorſum, quanta ab orrhopygio ad caput longitudo eſt. Alarum pennæ oblongæ & ualidæ ſunt, partim prorſus nigræ, partim candidæ, partim ex nigro albicante, & cœruleo coloribus ordine diſtinctis uariantes. Supina pars eiuſdem ferè coloris eſt cum prona, ſed remiſsioris: & quo propius caudam fuerit, eò magis ad album uergit. A roſtro plumæ aliquot atræ retrorſum ſubtus oculos tendunt.

C.

Garrulus dicitur à garriendo, non enim eum quiſquam tranſire poteſt, cõtra quem non garriat. Cæterarum quidem auium uoces uel modulos non ad delectamenta lætitiæ, ſed tantum ad garriendum dicitur imitari. Captus in iuuentute claudítur, ut articulata uerba loqui uideatur: quæ etiã ubi didicerit, magis garrire geſtit. & quandoq; dum garrulitati intendens ſibi non proſpicit, à niſo inopinatè rapitur, Author de nat. rerum. Omnes inclamat, & omnium uoces imitatur, (utpote auis deriſiua, & ueluti illudens aliarum auium uocibus, ut noſtri aucupes aiunt,) propter quod etiam à quibuſdam marcolfus uocatur. In caueis autem detenta etiam articulatas uoces hominum nonnunquam imitatur, Albertus. Vide etiam ſuprà in A. ab initio, & in Pica. (nam quæ de picæ uoce tum aliâs, tum circa ſermonis humani imitationẽ ueteres tradiderunt, glandariæ aut æquè aut etiam magis conuenire uidentur. ¶ Garrulus fructibus arborum ut glandibus ueſcitur, Eberus & Peucerus. carnes & glandes amat, Tragus. Audio etiam paſſeres & alias auiculas ab eo deuorari.
¶ Frequenter inſanire (præ iracundia adeò furere) dicitur, ita ut plerunque inter furcatos arborum ramos ſe ſuſpendens perimat, Albertus & author de nat. rerum. Sunt qui epilepſia eum corripi aſſerant.

D. E.

Noctuæ infeſtus eſt, & ad eius clamorem ſtatim aduolat, & adoritur præ cæteris ferè auibus.
¶ Accipitres capiunt aregazas, & glanderas ſiue gazas, Creſcentienſis. Idem libro 10. cap. 20. de his auibus ſcribit quomodo reti capiantur.

F.

Garruli à pauperibus tantum eduntur.

H.

h. In hiſtorijs quibuſdam Germanicis legitur anno à nato Domino 1482. picarum & garrulorum examina copioſa apparuiſſe uolantia in aere, & per ſpatium miliarium aliquot inter ſe uehementer depugnaſſe, ſecuti cuiuſdam prælij præſagium.
¶ GARRVLORVM tria genera eſſe noſtri aucupes narrant: ex quibus unum Nuſſzhäher, id eſt garrulos nucum (iuglandium) appellitant, ſturni ferè inſtar maculoſum, &c. Hos nos ſuprà Caryocatacten nominauimus, & gracculis potius quàm garrulis ſiue picis adnumerandum oſtendimus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 714 sur 825

DE GARRVLO QVI CIRCA ARGENTORATUM Roller appellatur.



AVIS hæc cuius figuram ponimus, circa Argentoratum **Roller** uocatur per onomatopœiam, ut audio, in aere perquam altè uolat: multis & uarijs ornata coloribus, ut pictura repræsentat. alis præcipuè uaria, in summo cœruleis, circa medium ad uiridem colorem uergentibus, pennis maioribus posteriori parte nigris: est & quod albicet in ijsdem, sed modicè & punctis tantum. dorsum & cauda ruffi ferè coloris sunt, rostrũ nigricat, &c. Hanc auem memini me uidere aliquando Bononiæ in Italia, gazæ nomine quod cõmune est generi picarum. Erat illa, ut tunc annotaui, coloribus distincta pulcherrimis. alis in summo splendẽtibus colore cœruleo ad puniceum inclinante: circa medium subuiridibus, parte postrema nigricante ab uno latere, ab altero ad puniceum è nigro tendente colore. erat & albi nonnihil in medio cum modico partim uiridi partim cœruleo colore mixtum. In dorso & posteriore alarũ parte ruffus è fusco. in principio dorsi color idem qui in summis alis, hoc est cœruleus ad puniceum inclinans. Reliquæ partes omnes subuirides.

DE GARRVLO BOHEMICO.

GARRVLVM Bohemicum appello auem hanc, cuius picturã ab Argentoratensi pictore accepi, qui nomen eius ignorabat, sed ab alijs postea didici hac specie auem circa Norimbergam uocari **Behemle**, id est Bohemicam, (quanquam & turdi genus minus aliqui similiter nominant.) Corporis quidem forma & colores fermè ad garrulũ communem nostrum accedere mihi uidentur. Alij alio Germanico nomine **Zinzerelle** uocitant, haud scio an à uocis imitatione. Rari sunt plerisq; in locis, & cum apparent pestilens aeris mutatio expectatur. Plumeus in capite apex retrò spectat, ruffi coloris, cum pennis aliquot cinereis. Collũ anterius nigrum est, ut etiam posterius, latera colli ruffa. In pectore & uentre roseus ferè color est, dilutus, fuscis quibusdam & cinereis intermixtis pennis. Alæ superius è ruffo nigricant, tum color cinereus sequitur, tertiò candidus, quartò maculæ quinæ egregiè rubentes, quas natura corneas esse quidam mihi retulit. longiores alarum pennæ nigræ sunt, maculis aliquot è uiridi subflauis distinctæ. Cauda nigra est, extremitas uerò in ruffo flauescit. Rostrum nigricat. crurum color fuscus ad cœruleum accedit. Hæ fortè aues fuerint quæ in Hercynia sylua noctu ignium modo collucẽt, si uerè ueteres quidam prodiderunt. Hæc dum scriberem, Germanus quidam mihi asseruit, se in patriæ suæ Votlandiæ Bohemis uicinæ syluis, auem quandam uidisse turdi minoris magnitudine, colore partim cœruleo, partim aureo siue croceo, quam noctibus lucere fama esset: se tamen neque lucentem uidisse, neque nomen nosse aiebat. Addebat aliam auem, non maiorem carduele, alaudæ ferè colore, & canoram; circa Norimbergam uulgò **Behemle** uel **Beemerle** nominari: & earum aduentum pestilentiam ferè subsequi. ¶ Garruli Bohemici anno Salutis M. D. LII. inter Moguntiam & Bingam iuxta Rhenum maximis examinibus apparuerunt in tanta copia, ut subito qua transuolabant, ex umbra earum ueluti nox appareret: & in plurimis circa Moguntiam locis capti, in cibum uenerunt.



nerunt. Hoc ueluti prodigium annotatum, & excusa auis icone (absq; nomine tanquam ignotæ) à typographis publicatum est. Magnitudo eis ferè quæ merulæ attribuitur.

DE PICIS MARTIIS ET PICORVM GEnere in uniuersum.

A.

DRYOCOLAPTEN (Δρυοκολάπτην) ex Aristotele picum Martium conuertit Theodorus Gaza. genera eius plura sunt, ut dicemus: & in uictu quidem conueniunt omnia, à quo & nomen apud Græcos habent. rostro enim arbores feriunt (τὰς δρῦς κολάπτουσι) dum uermiculos & formicas quæritant. pleraq; etiam specie corporis. rostrum omnibus rectum ualidum: ungues plerisq; bini antè, & totidem retró. Dicuntur autem uel pici simpliciter, uel pici Martij, tum quia sacri sunt Marti, tum fortè ut à pica diuersa aue discernantur, & à gryphe, quem ueteres Latini picum nominabant. ¶ Dryocolaptæ tria genera sunt, unum minus quàm merula, cui rubidæ aliquid plumæ inest. alterum maius quàm merula. tertium non multo minus quàm gallina, Aristot. Obserua ubi Aristot. duo tantum picorum genera facit, (ut ubi pipram maiorem & minorem describit, & utranq; dryocolapten appellari ait,) ibidem eum galgulum (κολιὸν) describere: & ubi tria facit eundem omittere, Turnerus. Δρυκόποι nominantur Aristoteli in opere de partibus animalium, huius generis aues: Gaza roboriseci generis aues transtulit. ¶ Hebraicum nomen anapha aliqui picum interpretantur: Vide in Ardea A. Auicennæ interpres in hist. animaliũ pro pico alicubi habet belschiat. Inuenitur genus unum dura siue pici, quod uocatur koduron Græcè: quod quidam uocant kafraheos cyboleth: sub quo etiam comprehenditur aliud genus quod uocatur ruboz, quod maximè perforat ligna, Albertus in Aristotelis hist. anim. 9. 9. Καλοτύπος, δρυοκολάπτης, Hesych. & Varinus: quod cálon, id est lignum & arbores rostro tundat ac feriat. Scribitur & drymocólaps apud Hesychium, cuius hæc sunt uerba, Ἵππα, ὁ δρυμοκόλαψ ἑνικῶς, καὶ Ἥρα. Aristoteles lib. 9. cap. 21. cyanũ auem inquit crura habere breuia τῇ ἵππῳ παρόμοια: Gaza hippon piponem uertit. Lutea & pipra (πίπρα) dissident, oua enim inuicem exedunt, Aristot. hist. anim. 9. 1. Gaza piponem uertit, ut alibi quoq; ubi Aristot. pipram maiorem minoremq; facit: quorum uterq; dryocolaptes uocetur. Pipo (ἵππος) inimica ardeolæ est. oua enim & pulli ardeolæ uiolantur à pipone, Aristot. Πιπὼ, ὄρνεον πολεμικὸν, ὥς τινες, σβωδιὸς, (lego σβωδιῷ,) Hesych. Alia est ibos auis Alberto & Authori de nat. rerum, anthus scilicet Aristotelis uocem equi imitans: unde illi etiam hippon, id est equum dicere uoluisse uidentur, ut pluribus in Antho scripsi. Est & πιπὼ auis quædam marina, pulchra & decora, ut Lycophronis interpres & Varinus accipiunt. Lycophron quidem Hesionem sic appellat, quòd pulchra esset uirgo & in littore maris belluæ exposita. est sanè anthus quoq; Aristoteli auis pulchri coloris, & circa aquas & paludes degens.

¶ Picus Græcis hodie κουρκουνιστὴς uocat. ¶ Italis pico, picchio. ¶ Hispanis bequebó, ni fallor. ¶ Gallis un pic, uel pimar (aliâs pieu mart) uel besche bos, à pungendis arboribus. ¶ Germanis Specht. In Carinthia Baũhecker. Flãdris Spicht. ¶ Anglis aspecht, uel a Vuodpecker, uel raynbyrde. ¶ Polonis dzieziol. ¶ Turcis sægarieck. ¶ Sunt qui iyngẽ cum pico confundant.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 716 sur 825

B.

Picus Martius in Tarentino agro negatur esse, Plin. ¶ Pici Martij paruæ sunt aues, Idem. ¶ Cirros (Antias, Perottus) in capite gerit, Idem. ¶ Roborisecí generis auibus robustum & prę-durum rostrum est, Aristot. Pico rostrum est ualidissimum, Kiranides. aptum ad perforandas arbo-res, Albertus. Aelianus tribuit ei ῥάμφος ἐπίκυρτον lib. 1. cap. 44. Gillius uertit incuruatū & adun-cum. nos picis omnibus rostrum rectum esse obseruauimus. Duro fera robora rostro Figit, & iratus longis dat uulnera ramis. Purpuream chlamydis (Pici, qui in sui nominis auem mutatus est) pennæ traxere colorem: Fibula quod fuerat, uestemq; momorderat aurum, Pluma fit: & fuluo ceruix præcingitur auro, Ouidius 14. Metam. ¶ Picus linguam maiusculam & latiusculam ha-bet, (πλατεῖαν καὶ μεγάλην,) Aristot. uetus quidem interpres uertit, longam & latam, ut Vuottonus annotat. Nos longam & acutam linguam in genere picorum animaduertimus, & per occiput uer-ticem uersus extensam, ita ut cum exeritur in longum inde reuoluta extendatur, sicut etiam in tor-quilla. Vide infra in Picis uarijs circa finem. Aues quædam compositam linguam habent, poste-rius è carne, antè ex cornu acutissimo, sicut picus niger, qui infigit linguam in lignum, & pungēdo extrahit uermes, Albertus. ¶ Cyanus auis crura habet breuia τῇ ἵππῳ παρόμοια, (similiter ut pipo, Gaza,) Aristot. ¶ Picus Martius ungues habet uncos, Plinius. commodiores quàm monedula, ad tutiorem arborum reptationem. his enim affixis ascēdit, Aristot. ¶ Pauca genera auium duos tantum digitos habent anterius in pede, & duos posterius, ut & apud nos bubo tantum & genera picorum, Albertus. (picus tamen cinereus, ein Chlān, & oriolus qui nidum ab arbore suspendit, digitos anteriores ternos habet, pro calce unum.) Hæc enim dispositio digitorum apta est scansioni arborum: & habent digitos ualde cōiunctos, ut firmius apprehēdant arborē quam scandunt, Idem.

C.

Picus auis aliquando perfectè loquitur: Albertus, citans illud Martialis, Parua loquax uolucris, &c. quod tamen ad picam pertinet, non ad picum. Minor in genere picorum est altioris uocis quàm maior: & sunt isti pici cinerei coloris, Albertus. sed Aristoteles, Dryocolaptes (inquit) maior & minor similes inter se sunt, uocemq; similem ædunt, sed maiorem qui maior est. Pulli picorum in syluis clamantes longè audiuntur, & immaturi adhuc existimantur quandiu clamant.

¶ Picus rostro quercus (δρῦς, id est quasuis arbores) tundit, unde à Græcis dryocolaptes appel-latur, Aelian. Pascitur formicis & cossis, (uermibus, σκώληξι.) cum cossos uenatur, tam uehemen-ter excauare ut sternat arbores dicitur. Iam uerò mitescens quidam amygdalum, quod rimæ inse-ruerat ligni, ut fixum constanter ictum reciperet, tertio ictu pertudit, & nucleum edit, Aristoteles. Picus omnis capit formicas & uermes, qui sunt in lignis & corticibus arborum; & in capiēdo per-forat arbores fortiter: ita quòd exiccat ramos earum: & Auicenna quidem dicit picum nigrum ali-quando uno ictu exiccare ramum arboris, Albertus. Picus rostro tam duro est, ut amygdalum in foramine arboris positum perforet, & comedat nucleum. Et hoc sæpius experti sumus, ponendo amygdalum in foramine quod picus fecerat. rediens enim perforauit illud nobis uidentibus, & fra-cto osse comedit nucleum, non quòd illum in cibum apperat: sed foramine quod fecerat obstructo, præ auiditate quærendi uermes, deuorat nucleum amygdali & uermes sub eo quærit, Idem. Ver-mes lingua sua ferè cornea & acuta transfixos extrahit, Symp. Campegius. Picus uermium & cu-licum causa quercus tundit, ut exeant. recipit enim egressos lingua sua, Aristoteles: è quo Gaza σκώ-πας culices uertit. Vide suprà in Cnipologo aue. Omne genus picorum uictitat uermibus qui in cortice lignorum nascuntur, Albert. Percussi corticis sono pabulum subesse intelligunt, Plinius: è sono nimirum coniectura de soliditate facta. ferè enim partibus non solidis uermes insunt. ¶ Mar-tius picus humi nunquam consistere patitur, Aristot. In saxis non considet ne aciem unguium re-tundat, Albert. Scandit per arborem omnibus modis: nam uel resupinus more stellionum (καθά-περ οἱ ἀσκαλαβῶται) ingreditur, Aristot. ut Gaza & Hermolaus interpretantur. Plinius ascalabotas hic feles reddidit: Pici (inquit) arborum cauatores scandunt in subrectum felium modo, illi uerò & supini. Vide in Stellione A. Picum in arboribus ingredi aiunt ascalabotarū instar, etiam supinum, & in uentrem, (καὶ ὕπτιον καὶ ἐπὶ τὴν γαστέρα,) Aristot. in Mirabilibus: nimirum non modo sursum per arborem reptando, sed etiam deorsum, & sub ipsis ramis pedibus & uentre sursum, tergo deorsum si uersus terram cōuerso: id quod ὕπτιον dicere uidetur, & per epexegesin etiam in uentrem. Niphus uerò aliter pici ingressum accipiens, Resupinus (inquit) ascendit arborem, id est humeris iuxta po-sitis ad arborem, & pedibus (similiter) uersis ad arborem: rostro uero & pectore conuersis ad contra-rium arboris. Vngues etiam habet commodiores quàm monedula, ad tutiorem arborum repta-tionem. his enim affixis ascendit, Aristot. ¶ Nidulatur picus in arboribus cum alijs tum oleis, Aristot. Pici genus nigrum apud nos, cæteris maius, paulò infra gallinā, semper nidificat super ar-bores, & præcipuè oliuas in regionibus ubi illæ proueniunt: apud nos uerò omnia picorum genera in arborum cauis nidificant, Albertus. Pullos in cauis (arborum) educant auium soli, Plinius & Ki-ranides. (Aristoteli etiam upupa stipites arborum subiēs in cauis parit.) In arbore locum excauant, in quem tanquam nidū pullos imponunt: ad nidi instructionem non ferulis inter se cōnexis egent, nec; ædificatiunculis, Aelianus. Alcyonis nidus non facilè ferro secatur propter artificiosam ma-teriæ constructionem: ut nec; pici nidus, qui construitur è lignis inter se consertis & innexis: quin

potius

potius nidi huiusmodi & ligna è quibus constant manibus separantur: ut & nux pinea è lignis inuicem ualidè consertis constat, quæ facilius manu auferuntur quàm ferro scindantur, Albert. Picum audio pullos septem uel octo educare. Hyeme in cauis arboribus latet, Ge. Agricola.

D.

Picum etiam mitescere apud Aristotelem legimus. ¶ Adacto cauernis eorum à pastore cuneo, admota quadam herba ab his, elabi creditur uulgò. Trebius auctor est clauum cuneúmue adactum quanta libeat ui arbori, in qua nidum habeat, statim exilire cum crepitu arboris, cum insederit clauo aut cuneo, Plinius. Si quis lapide (aut ligno) immisso ei foramen nidi obstruxerit, ille ex his coniectura assecutus insidias sibi oppositas esse, herbam lapidi contrariam affert, eamq; contra lapidē ponit. lapis uelut offensus, & non facilè ferens uim herbæ, exilit, atq; rursus foramen pico aperitur, Aelianus & Oppianus. Hanc herbam qui nôrit, nullo negotio ianuarum etiam seras resoluet, Oppianus & Kiranides. ¶ Lutea & pipo (pipra) dissident. oua enim inuicem exedunt, Aristoteles. Et rursus, Pipo (ἴππος) inimica ardeolæ est. oua enim & pulli ardeolæ uiolantur à pipone, ubi Albertus haber, Auis hyckyppo pugnat cum aue arodycam, (erodio.) Ριπὼ, ὄρνεον πολεμικὸν, ὡς πυθ. ῥωσὸς (lego ῥωσὶν,) Hesychius.

E.

Pici sono suo (de quo nostri uerbum rollen usurpant) prognosticon pluuiæ faciunt.

G.

Ad eminentias intrinsecas & extrinsecas ani, Picum Martium torrefactum cum sale applicato, Aetius.

H.

a. Picum Martium ideo appellatum constat, quia Marti sacer est, Perottus. Quærendum an picus à rostro dici potuerit. Tolosani enim olim rostrū uocabant beccum. unde beccassæ, id est gallinagini apud Gallos nomen. Picum Plinius non solet simpliciter nominare; sed uel arborarium, uel arbores cauantem cognominare. Aliqui picum aiunt dictum à Pico rege quem in hanc auem fabulantur cōuersum: de quo plura scribemus infrà. Picumnus est auis Marti dicata, quam picum uel picam uocant: & deus qui sacris Romanis adhibetur. Higinius, Picumnus est parua ueste picus Martis. Fabius Pictor rerum gestarum libro primo, Et simul uidebant picum Martium, Nonius. Δρυοκολάπτης auis quæ rostro δρῦς, id est quercus & quasuis arbores κολάπτει, id est ferit: quæ & dryocolaptes à Comico tribus syllabis dicitur, Eustathius. Δρῦς apud ueteres non modo quercum, sed arborem quamuis significabat, Scholiast. Aristophanis. (unde δρυτόμος, &c.) apud quem & δρυκολάπτης scribitur, per υ. in secunda, perperam ut iudico. Colaphus dicitur ἀπὸ τοῦ κολάψαι τὸ μορίον τὸ πληγόμενον, id est à quatiendo illud quod percutitur. unde ξυλοδρυοκόλαφος, id est picus Martius, quia rostro arbores quatiat, Meletius de natura hominis. Pelecàn non modò plateam auem lato rostro insignem, sed etiam picum significat Varino. uide in Pelecano H. a. Σπέλικος, πελικὰν, Hesychius. Germanicum sanè nomen spechт, ad Græcum spélectos accedit.

¶ Epitheta pici apud Textorem, Martius, Mauortius, Rostricauus. nam læuus non epitheton est, sed differentia in uolatu auspicibus obseruata.

¶ Dixit Democritus, credidit Theophrastus esse herbam, cuius contactu illatæ ab alite, quam retulimus, (à pico) exiliret cuneus à pastoribus arbori adactus. Quæ etiam si fide carent, admirationem tamen implent: coguntq; confiteri multum esse, quod uero superest, Plinius. Hanc herbā qui nôrit nullo negotio ianuarum etiam seras resoluet, Oppianus. Omne genus pici foramē nidi obstructum herba quadam aperit: quam adhuc sibi cognitam nullus, quod sciam, professus est, Albert. Plura leges suprà in D. Ferunt aliqui picum excutere quicquid nido eius infixum fuerit, admota herba quam putant Lunariam maiorem dici, foliis sampsuchi, cœruleis: crescētem & decrescentem cum Luna. sunt qui addant, radices eius & flores quoq; coloris flaui esse. Sed hæc & nobis incomperta sunt, & nullo certo authore nituntur. Plinius Aethiopidem herbam uocat, cuius tactu, ut quidam (magi) scripserunt, clausa omnia aperiantur. Aelianus upupam quoq; cauum parietis in quo uersatur luto obstructum herba quadam admota aperire author est. Nos plura de lunarijs diuersis aliquando in Stirpium historia docebimus.

¶ Picos ueteres esse uoluerunt quos Græci γήνπας appellant. Plautus Aululariа, Picos diuitijs qui aureos montes colunt Ego solus supero, Nonius.

¶ Picus Canentis nymphæ filiæ Iani maritus, cum Circen ipsum amantem audire nollet, in sui nominis auem ab ea conuersus est, ut describit Ouidius lib. 14. Metam. Picum (auem) quidam dictum putant à Pico rege Aborigínum, quo dissolutus sit, Festus. Huic aui nomen dedit Picus, quem Saturni filium fuisse finxerūt. Ouidius, Picus in Ausonijs proles Saturnia terris. Vergilius, Fauno Picus pater, isq; parentem Te Saturne refert. Fertur Pomonā deperisse pomorum deam: propter quod à Circe, quæ amore eius ardebat, in picum auem esse cōuersum. cuius figmenti ratio est, quia Picus rex Latinorum, Fauni pater, & Latini regis auus, augurìorum peritissimus fuit, & in primis hac aue usus est in auspicijs, eiq; nomen dedit, Perottus. Picus equūm domitor, quem capta cupidine coniunx Aurea percussum uirga, uersumq; uenenis Fecit auem Circe, sparsitq; coloribus alas, Verg. 7. Aeneid. Picus (πῶνος) qui & Iupiter dicebatur, cum Occidentis imperium

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 718 sur 825

filio Mercurio tradidisset, obijt post uitam annorum centum & uiginti: & corpus in Creta insula humari iussit, cum inscriptione, Hic conditur defunctus Picus Iupiter. Meminerunt autem sepulchri huius plurimi in suis libris, Suidas. Vide plura apud Gyraldum de dijs. ¶ Picumnus dicebatur deus, qui in sacris Romanis adhibebatur. Aemilius Macer in Theogonia, Et nũc agrestes inter Picumnus habetur. Fabius Pictor Iuris pontificij libro tertio, Pilumno & Picumno, ut Nonius citat. Vide Pilumnus in Onomastico nostro, & Gyraldum de dijs. Est & Martius Picus nomen uiri uel dei apud Antiatem in secundo historiarum, cuius uerba recitat Arnobius in quinto: Numam, inquit, regem, cum procurandi fulminis scientiam ei noscendi cupido esset, Aegeriæ monitu castos XII. iuuenes apud aquam cælasse cum uinculis, ut cum Faunus & Martius picus ad id locorum uenissent hausturn, inuaderent, colligarent, sed quo res fieri expeditius posset, regem pocula nõ parui numeri uino mulsoq; complesse, circaq; accessus fontis insidiosam uenturis oppositisse fallaciã, &c. ¶ Picena regio, in qua est Asculum, dicta quòd cum Sabini Asculum proficiscerentur, in uexillo eorum picus consederit, Festus.

¶ b. Linguæ penè similitudinem habet ea glossopetra nigricans, quam Germani natricis linguam uocant, cui similis non est, sed magis linguæ pici, Ge. Agricola.

¶ c. Hylas qui de augurijs scripsit, tradit picum arbores cauantem à cauda de ouo exire: quoniam pondere capitum peruersa oua posteriorem partem corporum fouendam matri applicent, Plinius. uide in Bubone c.

¶ e. Pici Martij rostrum secum habentes non feriuntur ab apibus, Plinius. Et alibi, Eos qui arborarij pici rostrum habeant, & mella eximant, ab apibus non attingi quidã scripserunt. ¶ Glycysidam noctu effodiendam præcipiunt. nam interdiu, à pico Martio uisus quispiam, fructum quidem legens, oculis periclitabitur: radicem autem secans sedem procidet, Theophrast. de hist. 9. 9. Glycysidas tradunt noctu effodiendas, quoniam pico Martio impetum in oculos faciente, interdiu periculosum sit, Plinius. Et alibi, Pæoniam præcipiunt eruere noctu: quoniam si picus Martius uideat, ruendo in oculos impetum faciat.

¶ g. Picus auis assata uel elixa & comesta, sanitatem ægris celeriter reddit: & incantatione (& incarceratione, aliàs additur) ligatos soluit & sanat, & prosperitatem tribuit, Kiranides. idem aliqui recentiores de pica scribunt, suo scilicet uel librariorum lapsu, quibus facilè fuit picam pro pico legere. Pici oculi gestati usum acuunt, Kiranides. Rostrum eius ad collũ suspensum, omnem dentium dolorem & uuulæ & anchiadæ (lego antiadum, id est tonsillarum) & synanches curat, Idem.

¶ h. Romulo & Remo infantibus expositis lupam ferunt præbuisse ubera: ad hæc picum accessisse, qui simul pueros nutriret custodiretq;. Putantur uerò ea animalia Marti sacra esse. picus quidem semper à Latinis summo cultu & honore est habitus, Plutarchus in uita Romuli. Quid est quòd Latini picum colunt, & omnes ab hac aue mirum in modum abstinent? An quia Picum (τὸν Πίκον) dicunt pharmacis mulieris in sui nominis auem mutatum oracula reddere & uaticinari interrogantibus? An hoc fabulosum & fide indignũ est: ueriſimilior uerò fabula, quæ Romulum & Remum infantes expositos narrat non à lupa solum lactatos esse, sed etiam à pico aduolante pastos? nam nunc quoq; in locis nemorosis & circa montes (ἐν ἀπωρείοις καὶ δρυμώδεσι) ubicunq; picus apparet, ibi etiam lupus, ut Nigidius scribit. Siue potius quòd ut aliæ auium alijs dijs, ita hæc Marti sit sacra. est enim fortis & animosa, (εὐθαρσὴς καὶ γαῦρον,) & rostri robore tanto, ut arbores etiam subuertat, quarum tundendo medullã attigerit, Plutarchus in rerum Romanarũ quæstionibus cap. 21. ¶ οὐκ ἀεροδάσει ταχέως ὁ Ζεὺς ὃν σκῆπτρον ἔχει δρυκολάπτης; Aristophanes in Auibus, ubi Scholiastes, Iocatus est (inquit) Comicus circa quercus nomen, quæ arbor Ioui sacra est. uel quoniam sceptrum è ligno fit. drys uerò apud ueteres quoduis lignũ significabat. & drycolaptes auis in quercubus (arboribus) reperitur. Hæc si feceris, aquila in nubibus fies: Si uerò non dederis, οὐκ ἔσῃ ὄρνεον, οὐδὲ ἀετός, ὃ δρυκολάπτης, In eadem fabula in oraculo Bacidis.

¶ De Pici mutatione in auem, lege suprà inter Propria nomina in a.

¶ Pici Martio cognomine insignes in auspicijs magni sunt, Plinius. Et rursus, Ipsi principales Latio sunt in augurijs, à rege qui nomen huic aui dedit. Oscines aues Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, ut coruus, &c. alites autem quæ alis ac uolatu, ut buteo, &c. Pica aut Martius (lego, Picus autem Martius) Feroniusq;, & parra, & in oscinibus & in alitibus habentur, Festus. ego picum feronium nusquam legi. Feronia quidem dea est quæ in Italia colebatur. Idem Festus alibi quoq; picum inter oscines numerat. Picus rex Latinorum (de quo supra scripsimus) augurioru peritissimus fuit: & in primis hac aue usus est in auspicijs, Perottus. Picus rex ideo fertur in picum Martium mutatus, quia augur fuit, & domi habuit picum, per quem futura noscebat, quod pontificales indicant libri, Seruius. Martium ideo cognominatum constat, quia Marti sacer est. siquidem proficiscentes in bellũ non nisi auspicatò urbem egrediebantur, Perottus. A dextra coruus, & à sinistra cornix uel picus, spem non ambiguam & ratum auspicium fecêre, Alexander ab Alex. Picus & cornix est ab læua, coruus porrò ab dextera, Plautus Asin. Tecp nec læuus uetet ire picus, Nec uaga cornix, Horatius Carm. 3. 27. Picus Martius & luscinia efficaci auspicio habentur, prosperaq; semper & felicia decreuerunt, Alexander ab Alex. In uexillis Sabinorum insidẽs felix augurium fecit, Idem. Picena regio dicta est, quòd cum Sabini Asculum proficisce-

proficiſcerentur, in uexillo eorum picus conſederit, Feſtus. In capite prætoris urbani L. Tuberonis, in foro iura pro tribunali reddentis, ſedit ita placidè, ut manu apprehenderetur. Reſpondere uates, exitium imperio portendi ſi dimitteretur: at, ſi exanimaretur, prætori. Et ille auē protinus concerpſit: nec multo poſt impleuit prodigium, Plinius. Pedius Pætus cum eſſet prætor urbanus, & ſedēs in ſella curuli ius diceret populo, picus Martius aduolauit, atq; in capite eius aſſedit, Nonius.

DE PICO MAXIMO VEL NIGRO.



ARISTOTELES pici Martij tria genera faciens, tertium ex illis nō multò minus quàm gallinam eſſe ait. Hoc genus (inquit Turnerus) Anglia non nouit: Germani autem craſpechtam (Kräſpecht) id eſt cornicinum picum appellant, quòd cornicem plumarum colore & magnitudine etiam penè æquet. Pici quidam nigri ſunt, ualde magni, Albertus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 720 sur 825

Picus quidam niger est, magnitudine cornicis, & rostro intra cortices siccarum & putrescentium arborum infixo sonum terribilem instar tubæ ædit, Idem. Et rursus, Pici genus nigrum apud nos est, maius cæteris, paulò infra gallinã, hoc semper nidificat in arboribus, & præcipuè in oliuis, (Aristoteles hoc de picis simpliciter scribit,) si regio ferat: in nostris uerò terris omnia picorum genera in arborum cauis nidificant. ¶ Plumas habet hic picus (ut nos inspicientes annotauimus) in uertice coccino uel flammeo colore resplendentes: cætera niger, paruæ gallinæ magnitudine, rostro parui digiti longitudine, ualido: cuius superior pars eminet, & binas utrinq; striãs habet, ut folium cyperi ferè. superior eiusdem iuxta caput pars lata est & ualde crassa. lingua ut in picorum genere oblonga, dura & aspera extremitate. Crura plumis induta multis ad digitos usq; pedum dependentia. Vngues unci. Vocatur à nostris Holtzkrãe, uel melius Holtzkrae, id est cornix syluatica. ab aliis nõ rectè Holtzhũn, id est gallina syluatica: & per periphrasin, ein grosser schwartzer Specht, hoc est, picus magnus niger. Ab Italis, ut audio, una sgaia. Ab Hispanis bequebó. etsi id cõmune picorum nomen esse coniicio. ¶ Eberus & Peucerus Holtrae cornicem feram interpretantur, est autem non alia auis quàm picus maximus. Ge. Agricola scribit Holtrahe, & coruum interpretatur cuius caput rubra macula sit insigne, qui propterea pyrrhocorax à Græcis nominetur. nos de pyrrhocorace, qui in alpibus nostris gregatim uolat, aliter sentimus. Hanc etiã auem, ut picum, hyeme in cauis arboribus latêre idem Agricola tradit.

DE PICORVM GENERE VARIO ex albo & nigro.



SVNT pici Martij tria genera, unum minus quàm merula, cui rubidæ aliquid plumæ inest. alterum maius quàm merula. tertium non multò minus quàm gallina, Aristot. Primum pici genus Angli spechtam, & wodspechtam, Germani Elsterspecht (id est picarium uel picæ instar albo nigroq; distinctum picum. nostri proferunt Aegerstspecht) nominant: Secundum genus Germani picum uiridẽ nuncupant, Turnerus. Sed forte & primum & secundum genus ab Aristotele memoratum ad picos uarios pertinet. nam picus uiridis etsi de picorum genere ac merula maior sit, priuatim tamen coliòs ab Aristotele nominari mihi uidetur, ut & ipsi Turnero alibi. Picorum minimus qui pipo dicitur, (atqui pipo uel pipra potius Aristoteli, idem quod dryocolaptes est: hoc est, nomen & paruo & magno pico commune,) corpore merula inferior, uarius, ex nigro alboq; commixtas pẽnas habet, Germanis Bunterspecht / Elsterspecht, à colore. Est & alius minor, Graßspecht Germanicè, id est picus graminis dictus, Eberus & Peucerus. Pici genus aliquod est paruulum, uarium, Albertus. Et alibi, Sunt apud nos tria genera picorum uariorum, maiora & minora. & aliud genus pici maius isto, (istis, fortè,) quod apud nos Motol (uidetur uox corrupta, arbitror autem hunc picum esse maximũ, de quo supra scripsimus) uocatur. & hoc robustius est in perforando: cuius garritum & uolatum obseruant augures. Picos uarios nostri, ut dixi, uocant Aegerstenspecht: aliqui Wyßspecht, id est picos albos: uel periphrastice gesprẽggelte Specht oder Spechtle, hoc est uarios picos. & uel duo uel tria eorum genera faciunt, magnitudine tantum diuersa: quorum minimũ paro conferunt magnitudine, rarius magnis.

¶ Mino-

¶ Minores pici uarij circa arbores inferius uolitant, ut audio, & auellanis uescuntur. memini ego huius generis auem in fine Nouembris apud nos captam, quæ obiectos iuglandium nucleos edebat. In dissecta aliquando obseruaui linguam per occipitium extensam uersus sinciput reuolui bipartitam. nam in faucibus statim bifurcatur: & per caluam, quam proximè nudam attingunt, reuolutæ antrorsum utræq; partes in medio oculorum spatio rursus in idem coeunt, & fermè os caluæ illic subire uidentur. Lingua attracta partes illæ bifurcatæ sequuntur. Existimo aũt in cæteris etiam picis linguam similiter sitam diuisamq; esse.

¶ Epops, id est upupa, nominatur Aristoteli historiæ anim. 6. 1. ubi Albertus picum marinũ nominat. & est (inquit) picus uarius, qui impropriè marinus cognominatur. Idẽ alibi cum de alcyone scripsisset, mox subiungit: Alia autem auis est quæ uocatur Græcè fauorath, quæ est picus marinus & agrestis, maior aliquantulum passere, &c. Sed hæc quoq; non alia quàm alcyon est, ut facilè ex illis quæ subijcit apparet. Fieri quidem potest ut epopem existimauerit meropem Albertus, aut quem sequitur Auicennæ interpres. merops autem non ineptè (puto) picus marinus appellabitur, rostri præsertim ratione. ¶ Hier. Tragus picum uarium Germanicè nominat Atzelspecht inter aues quæ edendo sint.

DE PICO VIRIDI.



ARISTOTELES aues lignipetas, hoc est quæ pabuli gratia rostro arbores tundunt feriuntq;, ut uermiculis potiantur, enumerans, primum picos nominat: deinde κολιόν, quam auem totam uiridem esse ait, (χλωρὸν enim hîc uiride potius quàm luteum, ut Gaza, interpretor,) lignipetam admodum, magnaq; ex parte more picorũ ad ligna (arbores) uiuere, magnitudine turturis, uoce magna. incolã maxime Peloponnesi esse. Quòd si hæc auis picus uiridis à nobis dictus non est, quæ sit ignoro. Gaza galgulum uertit pro Græco nomine κολιός, ut alibi etiam pro nomine κολιός, quæ tamen diuersa est auis, ut suprà ostendi in Celeo in Elemento C. Galgulum crex impugnat, lib. 9. historiæ anim. cap. 1. Græcè est κολιῷ κρὲξ πολέμαθ', ubi κολιὸς per ι. in penultima scribitur. Galgulus quidem mihi icterus auis potius uidetur, de quo suo loco scripsimus. Omnia quæ Aristoteles hactenus colio siue galgulo tribuit, Anglorum huholo, & Germanorum grunspechto, si incolam maximè esse Peloponnesi exceperis, (mihi hoc quoq; nihil impedire uidetur,) conueniunt. nam turturem ferè magnitudine æquat, lignipeta est, maceriem (materiem potius id est ligna) cõtundit, & uocem grandem emittit. Sed nihil hîc definio, inquiro tantum, Turnerus. Vidi in alpibus abieti insidentẽ auem, magnitudine turturis, uiridibus ueluti maculis in luteo distinctam, quæ tota corporis effigie picũ Martiũ retulit. sed caput reliquo corpori (secus atq; in pico fit) colore fuit simile. rostrum longiusculum. An hæc galguli species fuerit, nihil statuo, sed fuisse suspicor, Idem.

¶ Apud Germanos Grammatici non indocti sunt, qui grunspechtum suum meropem esse doceant, sed Aristotele & Plinio reclamãtibus, Turnerus. Auis quæ Græcè darharcaria, Latinè merolí (merops) uocatur, picus uiridis est, cuius uocem & uolatum multũ obseruant augures, similiter

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 722 sur 825

autem auis quam obarcham Græci uocant, oua parit in foramine terræ quòd roſtro ſuo conſtruit, Albertus exponens uerba Ariſtotelis de hiſt. anim. 6. 1. ubi apud Ariſtotelem ſolũ meropis nomen legitur, quem ut cum pico uiridi cõfundit, ſic Græca quæ citat nomina nulla ſunt. Omnes pici ex uermibus qui in cortice arborum naſcũtur, uiuunt: ut is etiam qui Latinè merops dicitur (Ariſtot. nihil hîc de merope) Græcè kaloz (κολιὸς) cui magnitudo eſt auis taringen (turturis,) Albertus in Ariſtot. de anim. hiſt. 8. 3. ¶ Auis quædam fraudius (Græcè eſt σίττη, Gaza ſittam legit) nomen habet, quòd fraudulenta & callida ſit, ingenij tamen manſueti & bonorum morum. pullos multos educat: & ab aliquibus putatur eſſe merops. eſt enim auis pulchra, uiridis, numeroſæ ſobolis, de abſciſsione arborum (ὑλοτομοῦσα) uiuens: quam ualde ſequuntur necromantici & augures, eo quòd de multis rebus certiores eos facit magis quàm cæterę aues, Albert. in Ariſtot. de hiſt. anim. 9. 17. Nos de ſitta aue picorum generis, ut uidetur, alia tamẽ quàm uiridi pico, in Pico cinereo mox dicemus.

¶ Picum uiridem Hiſpani nominant pico uerde. Galli un piuert. ſed iſpidam etiam aliqui in Gallia per imperitiam eodem nomine uocitant, à coloris nimirum & roſtri aliqua ſimilitudine. Noſtri Grünſpecht. Angli huhola. Poloni zotna. Itali pigozo.

B.

Picus uiridis capite ruffo eſt, croceo pectore, collo dorſoq; uiridi, alis cœruleis, merula maior, Eberus & Peucerus. Pennæ eius ſuperiores uirides ſunt, inferioresq; (niſi malè memini) luteæ aut ſaltem pallidę, Turnerus. Ex genere picorum pulchriores (ac maiores, Author de nat. rerum) ſunt in uertice ruffi, in pectore croceí, circa collum uirides, in alis cœrulei, in cauda coruſci, Albertus.

C.

Picus uiridis nidum ſibi roſtro ſuo in arboribus facit. ubi enim picus arborem tundens, illam ex ſono ſubcauam eſſe deprehendit, inſtante tempore partus, eam in qua poſtea nidulaturus eſt, roſtro perforat, Turnerus. Apud nos nidum aliquando facit in cauernis ueterum arborum putrefactarum, Albertus ubi meropem picũ uiridem interpretatur, qui in cauernis terræ nidificat. ¶ Nulla uſpiã arbor tam alta eſt, quã impediẽte ulla corporis grauitate nõ uolatũ traijcere poſsit, Turnerus.

E.

Nuper quidam cum Aprili huius auis clamores apud nos audiuiſſet, niuem adhuc metuẽdam prædixit. æſtate enim eam ferè ſilere aiunt.

G.

Ad calculum renum remedium huiuſmodi in libro quodam Germanico manuſcripto reperi: Oſſa pici uiridis in pollinem redacta (toſta nimirum prius uel uſta) poculo ſuo è quo uinum album bibat ægrotus immittito.

¶ Pici Martij genus alterum maius quàm merula eſt, Ariſtot. Hoc genus (inquit Turnerus) Angli huholam, hoc eſt foraminum dolatorem, Germani grunſpechtum nuncupãt, (id eſt uiridem picum.) Ego uerò uiridem picum κολιὸν Ariſtotelis eſſe conijcio, ut dixi. alterum uerò picorũ genus eiuſdem, non aliter quàm magnitudine à primo differre, & utrunq; ad picos uarios pertinere, quanquam Eberus etiam & Peucerus cum Turnero ſentiant: quibus ut hoc concedatur, picum uiridem tamen propriè picum Martium Latinorum eſſe, abſq; authore aſſerunt.

DE PICO CINEREO VEL SITTA.



MINOR in genere picorũ eſt altioris uocis quàm maior, (atqui Ariſtoteles dryocolaptæ maioris uocem quoque maiorem eſſe ait:) & ſunt iſti pici cinerei coloris, Albertus. uidetur autem de aue illa picorum generis ſentire, quæ à noſtris Chlãn appellatur, pleriſq; enim huius generis auibus minor eſt, & cinerei fere parte ſupina coloris, uel cœrulei diluti. Turnerus hanc ſittam Ariſtotelis eſſe conijcit. Sunt aui quæ ſitta dicitur (σίττη. Gaza legit σίτης. Albertus habet fraudius auis, quòd callida et fraudulenta ſit. hanc, inquit, multi putant eſſe meropem, [picum uiridem,] eſt enim uiridis de abſciſsione arborum uiuens) mores pugnaces, ſed animus hilaris, concinnus, compos uitæ facilioris. rem maleficam ei tribuunt, quia rerum callet cognitione. prolem hæc numeroſam, felicemq; progignit. uiuit materiem contundens, (ὑλοτομοῦσα,) Ariſtot. Sitta & trochilus cum aquila diſsident. ſitta enim oua aquilæ frangit. aquila tum ob eam rem, tum etiam quòd carniuora eſt, aduerſatur, Idem. Apud Nigidium ſubis appellatur auis, quę aquilarum oua frangat, Plinius. hæc an eadem quæ ſitta ſit dubitari poteſt. Vbi ſittæ meminit Ariſtoteles

ſtoteles lib. 9. cap. 1. ibi Albertus, Camulgum (inquit) Latinè dicunt uocari, pſittacum Græcè: ſed im peritius quàm ut refelli ſit opus. Auicula, inquit Turnerus, quam Angli nucipetam uocant (a nut iobber) & Germani meiſpechtum (ein Meyſpecht, id eſt picũ Maij: alij ein Nuſſzhäcker, à tundendis nucibus) paro maximo paulò maior eſt, pẽnis cyaneis, roſtro longiuſculo, & per arbores eodem modo quo picus aſcendit, & eaſdem uictus gratia cõtundit. nuces roſtro etiam perforat, & nucleos comedit. nidulatur in cauis arboribus more pici. uoce ualde acuta & ſonora eſt. Eberus etiam & Peucerus ſittam uel ſippam auem interpretantur Germanicè ein Nuſſzhacker uel Nuſſzhaer. Sitta (ὁ σίττης) & aliæ quædam aues, dextræ (à dextra uolãtes,) fœlix amoris auſpicium faciunt, Didymus Ariſtophanis Scholiaſtes: qui & hæc uerba citat ex authore innomínato, Ἐγὼ μὲν ὡς λοδικίππην δεξιὰ σίττης. uidetur autem aliquid in eis corruptũ aut mutilum. Σίττας, auis quædam, aliqui pſittacum interpretantur, Heſych. Σίττης, auis quædam, picus ſecundum aliquos, Idem. ¶ Auis apud nos dicta Chlãn, ab alijs (ut audio) uocatur ein Tottler, uel Rottler in Sueuia, circa Argentoratum & alibi ein Nuſſzbicker. (Auis quidem Germanicè dicta Nuſſzbickel, à Trago numeratur inter aues menſis non improbatas.) alijs periphraſticè Blawſpechtle, id eſt picus paruus cœruleus, præſertim in Carinthia: in Saxonia Baumhecker: circa Norimbergam Kläber. Ab accolis Verbani Italicè generali nomine pic, & circa Bellizonam ziollo, à Turcis agaſcakán.

B.

Picus cinereus noſter magnitudine fringillam uel parum maiorem paulò excedit. roſtrum ei nigrum, directum, & longiuſculum ut in picis. Color in ore & lingua albicat. lingua anterius fiſſa eſt, & ſimiliter ut in alijs picis per occipitium uerſus ſinciput reuoluitur, non tamen ad uerticem uſque peruenit (niſi fallor, fieri enim poteſt ut inter ſecandum linguam in ore nimis attraxerim) cum in cæteris ultra uerticem extendatur ad medium inter oculos ſpacium. In capite, dorſo, initio alarum & cauda color cinereus ad cœruleum inclinat. A roſtro maculæ nigræ retrò tendunt. In cauda præter ſubcœruleas pennas quædam nigræ ſunt, maculis anterius albis. Supinæ partis color ſubflauus eſt, ex albo ruſſo flauoq; ferè permixtus: pedum uerò ex glauco nigricante & modico flauo.

¶ Roſtro ualidè ferit, & ſpecularia uitrea aliquando, & caueas ligneas quibus includitur, frangit. Muſcas perſequitur. Arbores ſcandit ut cæteri pici, etſi digitos non ut cæteri binos antè, ſed ternos habeat: retrò unum. hyeme etiam hortis ciuitatum apparet. In arbore ſi foramen amplum inuenerit, quod incolere libeat, terra & limo obſtruit ſolidiſsimè, anguſto tantum aditu ſibi relicto.

AVDIO etiam Blindchlãn, quaſi chlanium cæcum (chlanium enim picum cinereũ appellant) nominari auem picorum naturæ quæ per arbores tanquam cæcæ reptare ſoleat, idem an diuerſum genus haud ſcio. quærendum an hæc ſit certhius Turneri, Baumkletterlin.

DE PICO MVRALI.



PICVM muralem nomino hanc auem, quòd muris ita adhæreat, turrium præcipuè, ut pici propriè dicti arboribus. unde à noſtris appellatur Murſpecht, & Klättenſpecht. Per hyemem, ut audio, maximè apud nos inuenitur, ſemper circa muros in ciuitatibus, ubi uermiculos & fortè araneas quærit. alas ſemper motitat: magnitudine infra merulam, unguibus acutis. Pitſchat Sabaudicè circa Neocomum uocatur. Italis communi nomine pico, id eſt picus. Roſtrum eſt oblongũ & tenue, pectus candidum: dorſo color cinereus: ut & alis partim, quæ uerſus uentrem rubent, longiores in eiſdem pennæ nigræ ſunt, ut & dorſum inferius, cauda, uenter, crura & roſtrum ferè, ut ex pictura notaui, quanquam & auem ipſam aliquoties uidi & habui.

DE PICIS DIVERSIS.

CRAVGVS, Κραυγὸς, genus pici, Heſych. & Varinus. Κραυγὸν, auis quædam, Idem.

DE CNIPOLOGO, quæ auicula minima eſt, & picorum uideri generis poteſt, ſcripſimus in Elemento C.

DRYOPS, Δρύοψ, auis quædam eſt à dryocolapte diuerſa, Heſychius & Varinus. nominatur in Auibus Ariſtophanis, nec explicatur à Scholiaſte quæ ſit. ¶ Dryopes populi ſunt circa Pythonem, Suidas.

GENVS auium piſcoſum, (picoſum lego,) roſtri magnitudine & corporis celebre in occidentali India eſt ALCATRAZ dictum, cinerea croceaq; pluma diſtinctum, roſtro duorũ palmorum in acutum tendente, cum tamen parum ab hac magnitudine abſit roſtrum tum ciconiæ tum gruis. Sed PICVTO roſtrum maius eſt toto corpore: corpus aũt coturnice paulò maius. Roſtrum igitur

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 724 sur 825

longius, latum ubi capiti iungitur tribus digitis, adūcum, quo terebrat arbores: atq; ibi à caudatis si-
milis arte ac roſtro, quanquam puſillus, ſe tuetur pulchrè. Illud in eo mirum, quòd pennam habeat
loco linguæ, unde à natura aliarum auium multum diſsidet. Sibilat uehemēter. Hunc etiam eadem
terra alit quæ alcatraz, Cardanus.

¶ GLOTTIS auis Ariſtoteli linguam prælongam exerit. Hæc (inquit Albertus) apud nos pi-
cus linguoſus uocatur, quòd linguam habeat cæteris picis lōgiorem: & raro inuenitur niſi in receſ-
ſibus magnarum & ueterum ſyluarum. Ego neq; picum hoc cognomine agnoſco ullum, neq; om
nino glottidem picorum generi adnumero, ſed auium uel gallinularum paluſtrium potius. Glot-
tis uel lingulaca eſt, qui uulgò picus tocciulus dicitur, lingua oblonga extrahens uermes & formi-
cas, Niphus Italus.

¶ PICVS alius eſt marinus, alius ſylueſtris: uterq; cauat cortices arborū, pabulum ſubeſſe ſpe-
rans, Albertus. ſed uideo picum marinum eius, uel interpretis Auicennæ, non aliam eſſe quàm al-
cyonem, ut ſcripſi in Alcyone A.

¶ TETRIX, quam Athenienſes uraga uocent, nominatur Ariſtoteli de hiſt. anim. 6. 1. Vbi
Albertus ſic habet: Radoryz (inquit) ſpecies quędam picorū eſt, ferè ſimilis turdo, &c. quod appro-
bari neutiquam poteſt.

¶ SVNT qui lingua uernacula noſtra alios etiam picos mihi ignotos nominent: ut picum ru-
brum, ein Rotſpecht: & picum paruum nigrum pectore rubro, Ein ſchwartz ſpechtlin mit roter
bruſt: & picū paruum aquaticū coloris mixti è cœruleo & uiridi, Ein grūn blaw waſſerſpechtli.

DE ORIOLO, VEL PICO NIDVM SVSPENDENTE.



A.

GALLI auem cuius hæc effigies eſt, uulgò nominant orio uel loriot, Author de nat. rerum
& Albertus oriolum, ſiue à ſono uocis, ut ipſi aiunt: ſiue ab aureo colore quem ijdem ei tri
buunt. Quòd ſi chlorion hæc auis eſſet, ut quidam coniiciunt, orioli uocabulum originis
Græcæ eſſe ſuſpicari quis poſſet. Guil. Budæus quidem chlorionem eſſe putat, quæ Gal-
licè lorion (loriot potius) dicatur. eius deinde ſententiam ſecutus eſt Turnerus, ut Turneri Eberus
& Peucerus. Nos de Chlorione ſuprà ſcripſimus. Orioli ſunt de picorū generibus, & apud Ger
manos Vuidewali uocantur, Albertus. Picorum aliquis nidum ſuſpendit in ſurculo primis in ra-
mis cyathi modo, ut nulla quadrupes poſsit accedere, Plin. Turnerus nullā aliam auem præter ui-
reonem (chlorionē, quem Vuidewalum noſtrū interpretatur) ita nidulari in Europa ſe noſſe ſcribit.

¶ Germanicum huius auis nomen alij aliter ſcribunt uel efferunt: nēpe Witwol/Weidwail, ut Turnerus habet: Widwol, ut Eberus & Peucerus. Widwal, ut Tragus. Widdewal, ut Al-
bertus Magnus. Wedewāl ut Longolius, chlorionem interpretans. Noſtri ferè Wittewalch.
Sunt & alia eius nomina, ut circa Francfordiam ad Mœnum Bierolff/Brūder berolff. In Heſsia
Gerolff. In Saxonia Byrolt, & Tyrolt, Ebero & Peucero authoribus. Circa Coloniā ein Ker-
ſenrife, à maturitate ceraſorum, quo tempore apparent frequentiores. iſs enim ueſcuntur. In Ger-
mania inferiore Goldmerle, id eſt merula aurea. ſunt enim merulis ferè pares, uel paulò maiores,
colore aureo. In Brabantia Blimerle. Species quædā meropis braacya dicitur, & uocatur à qui-
buſdam Widdewal: quæ non eſt merops, ſed ſpecies quædam eius, Albertus. Anglis quoque, ut
Germanis uocatur a witwol, Turnero teſte. ¶ Galgulum (uel galbulam) quidam auem Germa-
nicè dictam Widwol eſſe putant, Eberus & Peucerus. Hiſpanus quidā galbulam ſua lingua mihi
interpretatus eſt Oroyéndola, hoc eſt oriolum ut mihi uidetur. Oriolus circa Vincentiam & Ve-
netias becquafiga & bruſola uocatur: in Longobardia galbedro. huius enim nominis auem rotam

flauam

flauam esse aiunt præter alas.& iuniores magis subuirides esse,annuas omnino flauas. Ego galbulam auem diuersam arbitror: propter magnitudinis uerò & colorum similitudinem, cum oriolo à nonnullis confundi:& becquefigam quoq; utranq; nominari,quòd ficubus delectentur. Vocatur & garbella alicubi in Italia,nimirum quasi galbula.eam enim auem merula paulò maiorẽ esse aiunt. alas(saltem maribus)esse nigras,corpus reliquum fuluum,rostrum rubrum.ficos & cerasa edere:nidum instar corbis suspendere.

B.

Vide quædam superius in A. Oriolus coloris est aurei per totum, excepto quòd in alis habet pennas quasdam cœrulei(crocea,Albertus)uarietate distinctas,Author de nat.rerum. Digiti pedum(non ut in cæteris picis)terni antè,& singuli retrò sunt.

C.

Oriolus dictus est à sono uocis,Author de nat.rerum.sic enim ferè cantillat orio,loriot. Sed uariat uocem,& aliquando instar fistulæ canit,præsertim imminente pluuia. ¶ Venit ad nos plerunque Maio mense, uel circa decimum Aprilis: in calidioribus locis prius apparet, ut in quibusdam Galliæ Martio. ¶ Nidum in ramis arborum minutissimis mira subtilitate suspendit,ita ut in aere solo pendere uideatur de terra cernẽtibus. Ipsum quoq; nidum aduersus imbrem camerat ac densa fronde protegit,Author de nat.rerum. De lanugine nidum tanto artificio constituit, ut bureti(bireti fortè,id est pilei:uel biretarij qui pileos facit. Plinius nidum ab eo suspendi scribit primis in ramis cyathi modo,ut nulla quadrupes accedere possit:ego ita humilem aliquando uidi, ut ferè attingerem, inter duos arboris ramos) artem uideatur imitari:& chordis (funiculis) suspendit ad extremos surculos ramorum arborum,ita ut in aere uideatur pendere:& per omnia nidus speciem refert testiculorum arietis: & relinquit in eo canalem, in quo est porta introitus sui, Albertus. Sunt qui dicant in nido orioli sericum reperiri:nidificare eum plerunq; non procul ab aqua:nidum è musco, & quibus eum suspendat funiculos è pilis equinis cõtexere.Ego nidum eius è fœno & culmis contextum uidi instar calathi uel corbis ficarij è iuncis intexti: culmis & filis quibusdam surculis toto circuitu annexum,ita ut fila non dependerent,sed surculis planè annexa essent. Vincula autem illa non seligere eum puto,sed obuia quæq; arripere,ut culmos,iuncos, fila è lino aut serico,pilos equinos. Psittaci & in India occidentali passer stultus nidos suos suspendunt à ramis arborum, oriolus allígat potius quàm suspendit. ¶ Orioli fructibus arborũ uescuntur, nempe cerasis,ficubus.

D.

Oriolus circa nidi sui locum aues omnes abigit. Fabulantur aliqui pullos eius in quatuor partes diuisos nasci,easq; à parente herbæ Iuliæ dictæ ui consolidari.

E.

Capitur noctua. ¶ Cum ad nos aduenerit, quod fit aliquando circa decimum Aprilis, bona spes est pruinas non amplius futuras. Imminentem pluuiam præsagit quum uoce fistulam refert: item quum ad domos propius aduolârit.

F.

Hieronymus Tragus oriolum inter aues numerat quæ in cibum hominis ueniunt.

G.

Vuideuuallus curat icterum, & ipse flauescit Hildegardis. hoc ueteres de ictero aue uel galgulo scribunt.

¶ h. Viteualli uocem & uolatũ præ omnibus auibus non rapacibus obseruãt augures, Albert.

¶ PIPHALLIS,πιφαλλὶς,πίφιγξ,Hesychius & Varinus. Piphinx,πίφιγξ,alauda,lidem. Piphix, πίφιξ, auis, à uerbo πίφω,gaudet enim aquis, Varinus & Etymologus. Pisex,harpa & miluus amici sunt,Aristot.scribitur autem Græcè πίφηξ per η.in ultima.

¶ PLOAS,πλωὰς, genus auis magnæ, Varinus. apud quem etiam πλώας paroxytonum legitur pro aue:sed magis placet oxytonum.

DE PLVVIALI.

HVIVS auis figurã Guil.Rondeletius uir doctissimus (quod uel libri eius de piscibus nuper æditi egregiè testantur)è Gallia ad nos misit. Gallicum eius nomen est un pluuier. Gibertus Longolius Germanicè uocat ein Puluier. Turnerus ein Puluer. Eberus & Peucerus ein Puluier uel Pulroß. Heluetijs incognita aut certè rarissima hæc auis est. appellari autem potest ein grawer Gyfitz.hoc est uanellus fuscus. nam Angli etiam, ut audio, uanellum auem subuiridem,nominant pluuialem uiridem,a grene pluuer.

¶ Longolius & Turnerus hanc auem Aristotelis pardalum esse suspicantur.ego nõdum assentior.neq; enim pluuialis colore tota cinereo est, ut pardalus.

¶ Viuit plurimũ circa lacus, quanquã & in agris quoq; sæpe capiatur, præclara ista auis quam Romano nomine à puluere forte Germani appellant.est enim pulueratrix. Coloris est cinerei,magnitudine paulò turture minor.gregatim uolat, neq; temere à quoquam singularis conspicitur.uocem emittit frequentem & minimè grauem;sed eo ferè modo quo illa nostratibus appellatur.quam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 726 sur 825



quam autem cinerei coloris sit, pennas tamen luteis ijsq; obscuris maculis consperſas habet, unde à Græcis pardalus appellatur, (tanquam pardi instar sit maculosus,) quanquam Aristoteles minimè aduenam hanc auem, sed semper cõspicuam ut coruos & cornices esse testatur: id quod fortè uerum est in Græcia, regione longè feruentiore quàm nostra, nam apud nos nulla propè auis est, quæ per hyemem aut locum non mutet, aut non lateat, Gib. Longolius.

¶ Si auis illa pardalus sit, quam esse suspicor, celerrimè currit: & sibilum, quem pastores & aurigarum pueri labijs porrectis ædunt, uoce imitatur. Pennas habet ad cinereum colorem proximè uergentes, quarum singulæ singulis flauis maculis sunt respersæ: & ea auicula, quam mollicipitem (auis illius quam nos lanium appellauimus genus unum mollicipitem esse conijcit Turnerus) esse conijcio, multò maior est. Fieri potest ut eius auis plures sint species, Turnerus. ¶ Pluuialis auis est propè ad magnitudinem perdicis, uarijs pennis ornata, croceo & albo nigroq; distincta. Aere solo uiuere dicitur, huius argumentum est, quòd licet pinguescat, nihil tamẽ unquam in eius uisceribus inueniri potest, Author de nat. rerum. Pluuiales aues quanquã præpingues aliqui solo aere uiuere putant, quoniam in uentribus earum nihil inuenitur. Sed eius rei causa est, quia intestinum ieiunum solum habent, in quo nunquam aliquid inuenitur. & hoc in multa animalia cadit, ut alibi ostendimus. Aer certe purum elementum nutriendo corpori accedere non potest, Albertus. Ex auibus omnibus mihi notis, nullam uidi quæ non quatuor digitos haberet, excepta pluuiali, & pica marina ut uulgò uocant: & alijs duabus quarũ altera Gallis uulgò Guillemot dicitur, altera Canne petiere, quæ de genere lagopodum est, Bellonius. Ego pluuialem uanello congenerem existimo, nam & nomen commune ambabus tribuitur apud Anglos, adiecta tantum coloris differentia, sed differunt etiam quòd uanellus cristam habet, pluuialis non habet: & digitis pedum. Pluuialis enim posteriorem nullum habet, uanellus breuissimum.

¶ Sunt qui excrementa lumbricorum ab his auibus edi asserant.

E.

Hæ aues dicuntur capi dum plumbatæ sagittæ (baculi plumbati) ultra eas (altius) in aere proijciuntur. sic enim territæ humilius uolant, & in retia iuxta terrã expansa incidunt, Albertus & Author de nat. rerum. capiuntur autem gregatim.

F.

Lautæ sunt in cibo & in magnis delicijs: & uiridibus, quos aliqui priuatim uanellos uocant, lon gè præferuntur. In hominem delicati cibi nimium appetentem, ne pluuiali quidem apposita cõtentum fore, alicubi tanquam prouerbio dicitur. Sunt è uulgo qui negẽt eam cibo solido uesci, & proinde ne exenterandam quidem existimant, ut & alias quasdam lautas & opimas aues.

¶ An hæc Plutarchi rhyntace esse possit, & an eadem sit quam Itali quidam piuier nominãt (per onomatopœiam, in pratis paluſtribus degentem auem, corpore fusco, pectore albo, ut audio,) diligentiores inquirant.

DE POR-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 727 sur 825

DE PORPHYRIONE.

A.

PORPHYRIO auis hactenus nobis ignota est: cuius picturam à præstantissimo medico Guil. Rondeletio ex Montepessulano mittendam expectamus. Quid sit porphyrio non constat, Niphus. Porphyriones à nobis uisi sunt in agro Patauino allati ex Hispania, quos ibi telamones uocant, siue quia statuæ uiriles, quibus mutili & coronæ sustinentur, ita nominantur: siue quasi thalamorum & pudicitiæ custodes. etenim scribit Athenæus uolucrem hanc sensum adulterij habere, &c. nisi quis telamones quasi nutriculas esse dictos putet. ita enim Græci altrices uocant, Hermolaus in Corollario. ego telamonum uocem de his auibus potius barbaram quàm Græcæ originis existimârim. Quod uerò telamonem Græcis nutriculam significare scribit, non probo, nisi thelamòn cum aspiratione scribat, nimirum ἀπὸ τοῦ θηλάζειν. nam & θηλάσρια, τροφὸς exponitur. Θηλαμὼν, πάφος, ἡ τροφὸς, παρὰ τὸ μὴ θύσω μέλλοντα, ὃς σπλῆσι τὸ θηλάσω. τὸ γὰρ θῶ ſic legendum, non θύσω. Vide in Θῶ & in Θῆδυς) δύσσιμαίνει, τὸ ποιῶ, καὶ τὸ θηλάζω, Varin. Hesychius nihil habet, quàm Θηλαμὼν, πάφος. suspicor autem librariorum culpa pro τροφὸς scriptum fuisse πάφος.

¶ Hebraicum nomen dukiphat Septuaginta Deut. 14. porphyrionem interpretantur: Leuitici 11. epopem, id est upupam, quod magis placet. uide suprà in Gallo syluestri in genere. ¶ Sic & racham uel racham Deuter. 14. uulgaris translatio porphyrionẽ uertit, Septuaginta upupam. neutrum probo. omnino enim aquilæ aut uulturis aliquod genus hac uoce significatur. Lege suprà in Gypæto, Ossifraga & Cygno. Sunt qui porphyrionem cum Pelecano cõfundant, eandem auem arbitrati, eò quòd Septuaginta alicubi pelecanum reddiderint, ubi Hieronymi translatio porphyrionem habet. Munsterus in Lexico trilinguí porphyrionẽ Hebraicè nominat racham & ierakreka. ¶ Tinschemet quoq; Hebraicum uocabulum uariè interpretãtur, uespertilionem, porphyrionem, talpam, cygnum, noctuam, ibin. Vide in Talpa & Cygno. Iudæi doctiores ferè uespertilionem accipiunt. ¶ Chasida Hebraicè auis est, quam translator noster uocat miluum & porphyrionem, Munsterus. uide suprà in Ciconia.

¶ Grapaldus nõ rectè porphyrionem credit esse auem quam Itali uulgò coturnicem appellant, quum ea perdix maior sit.

B.

Porphyriones laudatissimi in Comagene, Plinius lib. 10, cap. 43. Et rursus cap. 49. Nobiliorem etiam supradicto (è Comagene scilicet misso) porphyrionem Baleares insulæ mittunt. Vltima Syriæ fert porphyriones, Diodorus Siculus. Alexãder Myndius Libycam auem esse ait, Athenæus. ¶ Porphyrionem Aristoteles scribit colore cœruleo esse, (uel cœruleum imitante,) pedes habere fissos, crura longa, rostrum puniceum, (ξύγχος περιμήκης ἐπὶ κεφαλῆς φοινικοῦς,) magnitudine esse gallinaceí: quinis pedum digitis, quorum maximus sit medius, Athenæus. Porphyrio animal est quod tum formæ pulchritudine excellit, tum nomini suo maximè respondet, Aelianus. ὡραιότατον τὰ ἄκρα καὶ φθογγωνυμώτατον ὧν ζῴων. Tetrax auis magna porphyrionis speciẽ similitudinemq; gerit, Laurentius apud Athenæum. Porphyrio uocatur à puniceo rostri colore, Eustathius. Porphyrio, cui à colore nomen, rostrum habet rubicundum: & in capite ueluti cristam, qualẽ faciunt & gestãt sagittarij Persæ: par magnitudine gallinis altilibus, sed crura ei longiora, Oppianus. Rostra ijs & prælonga crura rubent, Plinius. Hæmatopus multò minor est quàm porphyrio, quanquã eadem crurum altitudine, Vuottonus. Guttur (ingluuiem) quo merguntur recentia aues quædam habent, ut gallinæ: aliæ carent, sed gula patentiore utuntur, ut gracculi, corui. quædã neutro modo, sed uentrem proximum habent, quibus prælonga colla & angusta, ut porphyrioni, Plinius. Porphyrio, ut & reliquæ aues longi angustiq; colli, ingluuiei gulæq; amplitudine caret: longitudine autem admodum prolixa utitur, Aristot. Ardeolæ & porphyriones uropygium (caudam) parum aptum receperunt, Aristot. in libro de com. anim. gressu. ¶ Fortè & horion Indica auis porphyrioni cognata fuerit, cum herodio similis & rubris cruribus describatur, sed distinguitur cantus suauitate qua mire celebratur.

¶ Recentiores porphyrioni quędam præter ueterum authoritatem attribuunt, ut Isidorus: Porphyrio (inquit) est auis, cui hoc peculiare quòd pedem unum habet latũ ad natandum, alterum uerò fissum ad ambulandum. In quo notatur quòd utroq; elemento gaudet, & in aqua natans ut anates, & in terra ambulans ut perdices. Idem Albertus scribit, sed tanquã de aue sibi ignota, & ipse etiam fidem non adhibens. Alij recentiores huiusmodi pedes auriphrygio suo uel haliæeto adscribunt. Meliores in hoc auium genere sunt quæ rostrum habent magnum & crura prælonga: Albertus & Isidorus, ex male intellectis, ut apparet, Plinij uerbis.

C.

Porphyrio est auis fluuialis, quia in fluminibus abundat, Kiranides. ¶ Puluerulentis uolutationibus non mediocriter gaudet: in locis ubi columbarum lauatio esse solet lauatur, Aelianus interprete Gillio. Græcè legitur, χαίρει κονιόμενος, ἥδηται δὲ καὶ λύεται τὸ τῶν περιστερῶν λουτρόν. Non prius tamen se uel in puluerem uel lauationem dat, quàm in ambulationem ueniens certa spatia cõfecerit, Idem interprete Gillio. Sed aliter Athenæus ex Polemone: Non prius (inquit) cibum capit, quàm

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 728 sur 825

locum aliquem sibi commodum inuenerit in quo deambulet: peracta deambulatione (μιβ' ὀψ, lego μιθ' ὁ) pulueratur, tum lauat, postremò cibum sumit. Solus auium morsu bibit, Aristot. & Plinius. Σκάπτων δὲ πίνει, Athenæus: lego λακκων. Idem est (edit) proprio genere, (suo quodam & peculiari modo,) omnem cibum aqua subinde tingens, deinde pede ad rostrum ueluti manu afferens, Plin. Hic solus præter psittacum pede suo instar manus aquam suscipiens (hauriens) ad rostrum defert & potat: sec̃ humano modo pascit, quia cum omni cibo bibat oportet & cũ solo morsu, aliter enim cibus ei propter appetitus debilitatem non descenderet, Isidorus & Albert. Sed uideo eos Plinij sensum nõ satis assecutos. nec̃ enim cum omni cibo uel bolo, ut Albertus habet, bibit porphyrio iuxta Plinium: sed cibum omnem in aquam intingit, intinctum pede rostro admouet; aliàs uerò cum bibit, morsu bibit. Cum digitos quinc̃ habeat hæc auis, commodius pede loco manus uti potest. διὸ ἂν λαμβανομένων εἰς τὸν πόδα ταμιεύεται μικρὰς τὰς ψωμίδας, Polemon apud Athenæũ. hoc est, De cibo autem quem pede apprehenderit paruas buccellas decerpit, quanquam ταμιεύεσθαι an hoc sensu accipiatur, dubito. Leonicenus in uaria hist. ex hoc loco scribit, eum pedibus comminuta frusta ad futurum usum seruare, quod nõ placet. Ταμιεύεσθαι τῷ τύχῳ, quidam interpretatur, pecunijs parcè uti, hoc est non uno tempore multum uel omnia consumere. ita & hæc auis nimirum non uorax, sed parca, exiguas subinde buccellas sibi decerpit. Cum pascitur, se testes sui prandij habere dolet, itac̃ secedit, & latens in occulto comedit, Aelianus & Eustathius. Callimachus in libro de auibus porphyrionem ait cibum ita capere, ut ab hominibus non uideatur, odio enim haberi ab eo illos qui ad cibum eius accesserint. Pisces deuorat, Procopius Gazæus. ¶ Alui excrementum, ut & reliquę aues longi angustic̃ colli, humidius quàm cæteræ solent, reijcit, Aristot. ¶ Ardeola & porphyrio uropygium (caudam) parum aptam habent, & ad uolatum dirigendum loco uropygij pedes protendunt, Idem. Volans non sublime fertur, Aelianus.

D.

In hominum conspectu nunquam coniugi suæ miscetur. natura enim adeò castus est, ut ne maritum quidem uxori concumbentem uidere sustineat: & si adulterium deprehẽderit, nimio dolore contabescit, Oppianus. Acerrima riualitate ardet (porphyrio qui in domo alitur,) & mulieres quę sunt sine uiro obseruat, (πὰς ἀνάνδρους ἂν γυναικῶν, ut codices nostri habent, & Gillius quoque legit: fortè quòd illæ ad concubitum cum uiris procliuiores & magis expositæ uideantur, sed malim ἑταίρους, hoc est uirorum libidini se supponentes, ex Athenæo.) Adulteria sensu quodam naturæ deprehendit: & si de ijs suspicetur, uita laqueo finita crimen domino præmonstrat, (si cum matrefamilias stuprum fieri cognouerit,) Aelianus. Auis tam studiosa est castitatis, ut conspectio tantũ scorto moriatur, Io. Tzetzes. Quemadmodum adulteris obtrectet & inuideat porphyrio animal etiam prudentissimum, non modo moderatissimum, alibi (ut iam recitauimus) me dicere memini, Aelianus. ¶ Porphyrio præterquam quòd & riualis est, & obtrectator, ea sanè etiam naturæ indole prædítus est, ut eorum, quibuscum usu coniunctus est, amãtissimus esse dicatur. Eum ipsum & gallum in eodem uersari domicilio percepi, easdemc̃ ambulationes & æqualia spacia conficere solitos, eisdem uesci cibis, communiter puluerulentis uti uolutationibus, mirificumc̃ ex his rebus amorem inter se mutuum contraxisse. At enim cum utriusc̃ dominus festo quodam die cum sodalibus, ut epulare sacrificium faceret, gallum occidisset, porphyrio conuictore priuatus, tantum doloris accepit, sibi ut inedia mortem conscisceret, Aelianus. ¶ In obscuro loco cibum capit, & accedentes ad cibum ipsius odit, Eustathius.

E.

Porphyrioni capiendo nec̃ uiscum nec̃ retia adhiberi opus est: sed ubinam solus consideat obseruare, & saltando paulatim accedere. Saltationis enim spectaculo tantopere delectatur, ut licet accedentem magis magisc̃ hominem uiderit, non tamen auolet: sed ipse etiam se moueat & ad saltandum membra componat, donec capiatur, Oppianus. ¶ Porphyrio gratus est hominibus, quamobrem caute & studiosè ipsum alunt. itac̃ magnificis ædibus pro ludicra delectatione est: uel in templo aliquo sacro nutritur, & liberè oberrat, & sacer intra claustra circumit: Aelianus, ut nos conuertimus, quòd Gillij translatio non placeret.

F.

Porphyrio Iudæorum mẽsis interdictus est, quòd auis sit uorax piscium quorum rapinæ inhiat, Procopius. Pro tinschemet Hebraica uoce Septuaginta porphyrionem uerterunt, qui inter immundas aues reputatur quòd luxuria (libidine) insignis sit, ut quidam scribũt, Paulus Fagius. Porphyrionem cibi gratia in cœnis apposuisse hominem scio nemínem, nec Calliam, nec Ctesippum uiros Athenienses, nec Hortensium Romanum, quos è multis lurconibus paucos mihi commemorasse satis fuerit, Aelianus. Quòd si in cibum non ueniunt, miror cur Plinius laudatissimos è Comagene, nobiliores è Balearibus insulis mitti scripserit.

H.

a. Aristophanes in Auibus mentionem fecit tetracis auis (magnæ) cum porphyrione & pelecino. ¶ Porphyrion & auis & piscis cuiusdam nomen est, Hesychius.

¶ Alcyoneus gigas Purpurei (aliâs Porphyrionis) frater ab Hercule telis est cõfossus. Nomen habet magni uolucris tam parua gigantis: Et nomẽ Prasini Porphyrionis habet, Martialis lib. 13.

Constat

Constat inter gigantes principatum obtinuisse Porphyrionem & Alcyoneum. Prasinus quoq; auriga, cuius in Nerone Tranquillus mentionem facit, Prasinus Purpurio dictus est, Perottus. Ὦ κεβριόνα καὶ Πορφυρίων, exclamat quidam in Auibus Aristophanis: scitè autem Cebrionæ & Porphyrionis gigantum nomina coniunxit, præsertim cum eadem duo etiam auium nomina sint. conuenit & argumento. nam ut gigantes illi deos olim impugnauerunt, ita & aues in hac fabula eos impugnare moliuntur. Porphyrion quidem gigas à Venere uictus fertur. Scholiastes & Varinus in Cebrione. Γέμψω δὲ πορφυρίωνας ἐν τὸν οὐρανὸν Ὄρνις ἐπ' αὐτὸν παρδαλᾶς ἐνημμένους, Aristoph. in eadem fabula. Minatur autem quidam se aduersus Iouem cœlo immissurum porphyriones, siue aues siue gigãtes accipias. Typhòs & Porphyrion gigantes in Pythijs Pindari Carmine 8. memorãtur, tanquam utrique fulmine icti. Scholiastes monet Typhòn tantum fulminatum, Porphyrionem uerò Apollinis sagittis occisum. Eundem ait Herculis boues per uim abducere conatum fuisse.

¶ c. Homerum infantem Aegyptijs parentibus ortũ fabulantur, cum mel aliquando ex Aegyptiæ nutricis uberibus in os eius manasset, ea nocte nouem auium uoces diuersas ædidisse, & inter cæteras porphyrionis, ut recitaui in Columba liuia ex Eustathio.

¶ e. Multos pueros quos amabant muneribus deceperunt amatores, donata alius coturnice, alius porphyrione, Aristoph. in Auibus.

¶ POYX, Πῶϋξ, auis quędam Aristoteli de animalibus, Hesychius & Varinus. Ego hoc nomen apud Aristotelem legisse non memini. Phoix quidem (Φῶϊξ) apud eum inimica harpæ est, & ardearum generis mihi uidetur, ut suprà scripsi. Sunt & πώϋγγες mergi, aliâs búnges dicti, à uoce & clamore, παρὰ τὴν βοὴν καὶ τὴν ἰυγήν, Varinus.

¶ PORPHYRIS, Πορφυρὶς, auis nominatur apud Aristophanem in choro Auium. Est autẽ alia quàm porphyrio, ut Callimachus in libro de Auibus testatur. Ibycus aues quasdam λαθιπόρφυρας nominat, cuius hæc uerba apud Athenæum legimus: Τοῦ μὲν πετάλοισιν ἐπ' ἀκροτάτοισι ξανθοῖσι ποικίλαι πανέλοπες ἀιολόδειροι, πορφυρίδες, καὶ ἀλκυόνες τανυσίπτεροι. quasi ut alcyones & penelopes, ita etiam porphyrides marinæ quædam uel maritimæ aues sint. Et rursus, Αἰεί μ' ὦ Φίλε οὐ με τανύπτερος ὡς ὁ καπορφυρίς. locus uidetur corruptus, & legendum fortè, ὡς λαθιπορφυρίς. Porphyrides ex auium sunt genere, à porphyrionibus diuersæ: sicut ab utroq; latiporphyrides, siue adiporphyrides & latiporphyræ, Hermolaus in Corollario. apparet aũt ipsum ex Athenęo hęc mutuatũ, & de lectione dubitasse.

PSIPHAEON, Ψιφαῖον, uelum uel stoream significat: uel auiculam paruam, Hesych. & Varin.

DE PSITTACO.

Psittaci genus cætera sequenti simile coloribus, nisi quòd per medium alarum plurimum flaui coloris habet, nonnihil etiam in cauda; quare ERYTROXANTHVM *nominabimus. nam cœrulei multò minus habet quàm sequens.*



A.

PSITACVS auis humanam uocẽ reddit. hanc mittit India, & sitacem uocat, uiridem toto corpore, &c. Plinius. Hermolaus legendum conijcit hoc in loco psitacen, ex Aristotele, ut ait. qui item non masculino (inquit) sed fœminino genere pronunciat hanc alitem. Cæterum in Indica historia, quam Arriano sunt qui tribuant, sittacen per σ. non per ψ. legimus initio uocatã. Est Aristoteli auis sitta, sed omnino alia, Hæc Hermolaus. Ego psittace (ψιττάκη) apud Aristotelẽ in nostris codicibus per t. duplex scribi inuenio, ut & apud alios Græcos authores

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 730 sur 825

Aliud genus Psittaci parte supina rubet, alis superius in flauo uiridibus, cætero cœrulei, cauda partim rubra partim cœrulea, ut pictura ad nos missa indicat, in qua pars prona non apparet, caput etiam cum collo undiq; rubet, nisi quòd color candidus circa oculos est. Nos eum à præcipuis coloribus ERYTHROCYANVM *cognominabimus.*



omnes semper t, duplex, siue psittacus, siue psittace, siue sittacus ab illis scribatur. Arrianus quidem in Indicis (ut nostri codices habent) σιτ̃ακὸν scribit, sittacum, non ut Hermolaus citat sittacen. Ψιττακὸς & σιτ̃ακὸς oxytona sunt & masculina: Ψιττάκη fœmininum paroxytonum. Latini quidam, præsertim recentiores (Gaza, Volaterranus, Grapaldus) psitacum per t. simplex scribunt, quod nõ placet. poetæ primam semper producunt. Sittas, Σίττας, auis quædam, aliqui psittacum interpretantur, Hesychius & Varin. Sitta auis gen. fœm. suprà inter picos nobis descripta est. Sittas masculinum fuerit, sed pro eadem, ut conjscio, aue accipiendum. ¶ Hastaialga (uocabulum ut conjscio Persicum, quanquam Albertus Græcum esse ait, uir Græcæ linguæ imperitus) est auis parua de genere psittaci, &c. Albertus in Aristotelis de hist. anim. 8. 12. ubi Aristoteles psittaci simpliciter meminit. ¶ Græcè uulgò παπαγὰς hodie uocatur. ¶ Italicè papagallo. ¶ Hispanicè papagáio. ¶ Gallicè papegay: uel perroquet. Sed aliqui genus quoddã maius & cœrulei coloris priuatim perroquet nominant.

minant. ¶ Germanicè Pappengeij/Sittich/Sickust. ¶ Anglicè a popiniay, uel a popingey. ¶ Illyricè pappaussek. Polonicè papuga. Turcicè dudi. ¶ Plurimis quidem linguis papagalli nomen commune est. Psittacus, qui uulgò papiagabio, id est principalis seu nobilis gabio dicitur, Obscurus.

¶ Vltima Syriæ fert psittacos, Diodorus. Apportantur ad nos ex regionibus sub æquinoctiali ad Orientem & Meridiem sitis, Nicephorus Callistus. Inueniuntur in Thebaide Aegypti, & in India, Kiranides. Plinius ait insulam esse Gagaudem in Aethiopia, inde primum uisos esse psittacos à Neronis exploratoribus. Sola India mittit psittacũ, Plinius & Pausanias. Regio quædam Lusitanis in Indiam nauigantibus reperta, abundat psittacis multijugi coloris, tantæq; proceritatis, ut cum gallinis magnitudine contendant, Aloisius Cadamustus. Est uarietas psittacorum in coloribus magna, unde pulcherrimi etiam apud Indos existimantur. nam præter colorum aptam uarietatem illam, splendor etiam quidam affulget, Cardanus. Circa Pego urbem Indiæ psittacos uocaliores habent quàm usquam alibi offenderim, eosdemq; pulchriores, Ludouicus Romanus. In regione circa Tarnasari Indiæ urbem, psitaci omnium pulcherrimi spectantur, albicantes septeno colore præsertim distincti, Ludouicus Patricius. Hispanæ insulæ psittaci, alij coloris prasini, alij fului sunt, alij uerò Indis non absimiles, id est torque miniato, Christophorus Columbus. Hispani (ex Hispaniola insula & uicinis) psittacos, quorum alij uirides erant, alij flaui toto corpore, alij similes Indicis torquati minio, uti Plinius ait, quadraginta tulerunt, coloribus uiuacissimis & lætis maximopere, Pet. Martyr. In regno Senegæ apud Nigritas tota regio scatet psittacis, qui triplici colore distinguuntur, subcinericeo, uiridi ac ueneto, Aloisius Cadamustus. In Calechut reperiuntur alij prasini coloris, alij scutulati, alij purpurei, Ludouicus Romanus. Supra Caput Bonæ Spei Lebegio uecti uento Lusitani, nacti sunt nouam tellurem quam appellarunt Psittacorum. quoniam ibi inueniuntur alites huiusmodi incredibilis proceritatis, utpote qui brachium & dimidium longitudine excedant, multijugi coloris, ut scribit quidã in Noui orbis historia. Psittacos nunc ex Lusitania insulisq; uicinis Aethiopicis prestantissimos adduci uidemus, uarioq; colore discriminatos, Volaterranus. Gracchana Noui orbis insula fert psittacos phasianis multò maiores, nec alijs similes. nam alas habent uersicolores, cætera rubei, Christophorus Columbus. Prouincia Abasiæ psittacos habet, Paulus Venetus. Psittacorũ genus peculiare audio à Gallis parroquet uel perroquet uocari, uiridibus maius, rostro magis adunco, uocalius, maiorisq; pretij. ¶ Psittacis è Brasilia, quem pictum habeo, collum, alæ & dorsum uiridis ferè coloris sunt: sed dorsum ad cœruleum inclinat, cauda similiter, in qua longiores pennæ rubent: longiores in alis nigræ sunt. in uiridibus earundem maculæ quædam uel puncta rubent. caput cinereum est, uenter coloris flaui. ¶ Cinereum quoq; uel subcœruleum toto corpore, pictum habeo, in cauda tantum rubẽtibus pennis, parte circa oculos candida. hunc ex Mina ciuitate diui Georgij adferri aiunt.

B.

Quibus in regionibus reperiantur iam suprà dictum est. ¶ India (sola, Solinus) mittit psittacum auem, uiridem toto corpore, torque tãtum miniato, (puniceo, Solinus,) in ceruice distincta. Magnitudine & coloribus diuersi reperiuntur, ut in A. ostendimus: prisci uiride genus tantũ agnouisse uidentur. In India liuiæ columbæ uirides pennas habent, ut is primo aspectu, qui sit rudis in scientia auium, psittacum non columbam dicat, Aelianus. Psitacus Indiæ auis est. instar illi minimo minus quàm columbarum, sed ne colorum (non colores) columbarum. Non enim lacteus ille, uel liuidus, uel utrunq; (utcunq;) subluteus, aut sparsus est: sed color psitaco uiridis, & intimis plumulis & extimis palmulis, nisi quòd sola ceruice distinguitur. Enimuero ceruicula eius circulo mineo, (minij colore,) uelut aurea torqui, pari fulgoris circumactu cingitur & coronatur, Apuleius Florid. 2. Viredo in toto corpore psittaci lutea, præter collum miniato distinctum torque, Eberus & Peucerus. Auis est tota uiridis, sed rostro & pedibus rubet, Kiranides. Similis est aliquantulum obelo (uox uidetur corrupta) & falconi: uirides habet plumas, pectus rotundum, rostrum aduncum, tantæ fortitudinis ut caueæ suæ uirgas ferreas ui frangat, Obscurus. Rostro uel ferrum rumpit, Kiranides. Capitis ossa durissima psittacis, Plinius. Capiti psittaci duritia eadem quæ rostro, Idem. quare cum discit sermonem hominis, radio uerberatur ferreo: & cum deuolat, rostro se excipit, propter pedum infirmitatem, ut in C. dicetur. ¶ Omnes aues uncæ breui sunt collo, & lingua lata, aptæq; ad imitandum. nam & psittaca auis Indica talis est, Aristot. Lingua ei lata, multoq; latior quàm cæteris auibus: unde perficitur ut articulata uerba penitus eloquatur, Solinus & Apuleius. Hinc est quòd ἀνθρωποφωνότατον dicunt, quasi humanam linguam referentem, Vuottonus. ¶ Inter nobiles & plebeios discretionem digitorum facit numerus. qui prestant, quinos in pede habent digitos: cæteri ternos, Solinus & Apuleius. Sed Plinius lib. 10. cap. 42. de picarum genere hoc scribit, nõ de psittacis, nempe facilius discere sermonem humanum illas quibus quini sunt digiti in pedibus. Habent psittaci digitos binos ante, & totidem retro, ut picorum genera.

C.

Cnici uel cneci, ut uocant, semine uescuntur psittaci: & saccharo delectãtur. In Calechut tanta harum auium copia est, ut exhibendi sint custodes seruandæ oryzæ in aruis, ne eam depascantur, Ludouicus Romanus. Pede seipsos pascunt & ori admouent escas, ut manu homo, Author de

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 732 sur 825

nat.rerum. ¶ Dum bibit,pedibus ſuſpenſus caudam in altum, & caput deorſum ad aquam extendit,caudam enim diligenter cuſtodit, & ſæpe roſtro componit, Albert. ¶ Quemadmodũ pueri eruditur,ſic pſittaci ex tribus Indiæ generibus omnes humanæ uocis uſum addiſcunt. In ſyluis inconditam uocem,cuiuſmodi aues indoctæ edere ſolent,mittunt: non autem expreſſum os & explanatum habent,Aelianus. Vox eius naturalis eſt ualde ſonora,Albertus. Imitatur uoces hominum omniumq; animalium,Kiranides. Auium quæcunq; linguam cõſimilem (humanæ)habent, & maxillarum diſpoſitionem(auibus pro maxillis roſtrum eſt) humanum aptæ ſunt imitari ſermonem, ut pſittaci, picæ, & ſimiles, Suidas. Pſittacen auem ἀνθρωπόγλωττον dicunt, quaſi humanam linguam referentem, Vuottonus.De lingua eius uide ſuprà in B. Pſittacus à uobis aliorum nomina diſcam: Hoc didici per me dicere,Cæſar aue,Martialis. Pſittacus humanas depromit uoce loquelas, Atq; ſuo domino χαῖρε ualeq; ſonat,Author Philomelæ. Articulata uerba penitus eloquitur.quod ingenium ita Romanæ deliciæ miratæ ſunt, ut barbari pſittacos mercẽ fecerint, Solinus. Omnes aues uncæ breui ſunt collo,& lingua lata,aptæq; ad imitãdum. nam & Indica auis pſittace, quam loqui aiunt,talis eſt,& loquacior (ἀνθρωπόγλωττον) cum biberit uinum redditur,Ariſtot. Plinius uocem ἀνθρωπόγλωττον uertit laſciuior.recẽtiores quidam ad libidinem referunt. mihi quidem Ariſteles hoc uocabulo intemperantiam linguæ maximè ſignificaſſe uidetur. Super omnia humanas uoces reddit pſittacus,& quidem ſermocinatur.imperatores ſalutat, & quæ accipit uerba pronunciat,in uino præcipuè laſciua. Capiti eius durities eadem quæ roſtro. Hæc cum loqui diſcit, ferreo uerberatur radio,(ferrea clauicula Solinus & Apuleius,)non ſentit aliter ictus,Plinius. Dum pullus eſt atq; adeò intra alterum ætatis ſuæ annum,quæ monſtrata ſunt & citius diſcit,& tenacius retinet.Maior paulò ſegnior eſt,& obliuioſus & indocilis, Solinus & Apuleius. ſed Plinius hoc de pica,non de pſittaco ſcribit lib.10.cap.42. Ad diſciplinã humani ſermonis facilior eſt pſittacus, glande qui ueſcitur:& cuius in pedibus, ut hominis, quini digituli numerantur. non enim omnibus id inſigne, Apuleius. ſed hoc quoq; apud Plinium eodem in loco ad picas non ad pſittacos pertinet. Id quod dicit pſittacus,ita ſimiliter nobis canit uel potius eloquitur,ut uocem ſi audias,hominẽ putes.Nam quidem ſi uideas idem conari non eloqui. Verùm enimuero & coruus & pſitacus nihil aliud quàm quod didicerunt pronunciant.Si conuitia docueris, conuiciabitur, diebus ac noctibus perſtrepens maledictis,Apuleius. Auguſtus Cæſar picam à qua ſalutatus erat,item pſittacum emi iuſsit,Macrobius Satur. 2. 4. Non ſilebo parte hac miraculum inſigne noſtris uiſum temporibus: Pſittacus hic fuit Aſcanij Cardinalis Romæ,aureis centum comparatus nummis, qui articulatiſsimè continuatis perpetuò uerbis Chriſtianæ ueritatis ſymbolum integrè pronunciabat, perinde ac uir peritus enunciaret,Cælius. Sturni coruiq; & pſittaci,quoniam loqui diſcunt,& uocis ſpiritum tam ſequacem,tam æmulum,penſandũ formandumq; docentibus præbent,ea ipſa docilitate adeſſe patrocinariq; cæteris animalibus uidentur,& tantum non uoce teſtari,etiam cæteris omnibus proferendi ſermonis,& uocis articulandæ uim natura conceſſam,Plutarchus. ¶ Cum deuolat,roſtro ſe excipit,illi innititur,leuioremq; ſe ita pedum infirmitati facit, Plinius. Roſtri tanta durities eſt, ut cum è ſublimi præcipitatur(præcipitat,Apuleius) in ſaxũ, niſu ſe oris excipiat, & quodam quaſi præſidio utatur extraordinariæ firmitatis, Solinus. roſtro ſe uelut anchora excipit, Apuleius. Qui memoria noſtra terras antiquis ignotas peragrarunt, (ut Aloiſius Cadamuſtus, apud quem hæc ſimiliter leguntur) mirifica animi ſolertia in conſtruendo nido pſittacos eſſe affirmant. Etenim proceriſsimam inueſtigant arborem,tenuibus ramis,& intolerabilibus ad quiduis graue ſuſtinendum: ad quorum cacumina penſilem ſurculum alligant,ex quo nidum affabre & callidiſsimo artificio factum ſuſpendunt,pilæ modo rotundum, ſanequàm exiguo ad aditum & exitum relicto foramine. Quod quidem ipſum eos moliri aſſerunt, ut ſerpentium inſidijs uiam obſtruant. non enim ex tam ſubtilibus ramis penſilem nidum ſerpentium natio corpore grauis inuadere audet, Gillius. Eſt & oriolus dictus picorum generis, qui nidum à ramis ſuſpendit, (uel potius alligat,) & paſſer ſtultus in India occidentali. ¶ Pſittacus aquas alias quocunq; modo patitur, ſed pluuia moritur. idcirco in montibus Gelboe nidificare fertur,in quibus raro uel nunquã pluit, Albert. Multa humiditate in cuti eius abundante moritur, Obſcurus.

D.

Pſittacus inter aues ingenio ſagacitateq; præſtat,quòd grãdi ſit capite,atq; in India cœlo ſyncero naſcatur:unde etiam didicit nõ ſolum loqui,ſed meditari.meditantur ob ſtudium gloriæ.participes enim ſunt & huius & amoris: unde memoria non uulgaris illis, Cardanus. Amat hæc auis loqui cum pueris,à quibus etiam cæteræ aues facilius loqui addiſcunt, Albertus. Caudam ſuam ſummo ſtudio cuſtodit,pennasq; roſtro ſuo frequentius extergit,Author de nat. rerum. Miræ etiam calliditatis eſt in excitando riſum. Homines quoque oſculari domeſticos conſueuit. Admoto ſpeculo propria forma deluditur,& nunc gaudẽti nunc dolenti ſimilis efficitur. Aſpectu uirgineo multum delectatur,& uino inebriatur, Obſcurus. In uino præcipuè laſciuus eſt, Plinius. Vidi ego pſittacum mirè amantem pueros imberbes. Gaudent ſanè hæ aues conuerſatione puerorum, & ſermonem humanum coram eis exprimere. Nuper etiam quidam fide dignus mihi aſſeruit,nouiſſe ſe hominem adeò amatum à pſittaco,ut ob diſceſſum eius ſemper lugeret auis, & æmulatione erga alios pſittacos duceretur,Auicenna. ¶ Pſittacus & lupus ſimul paſcuntur, ſemper enim uiridem hanc

auem

auem amant lupi, Oppianus 2. de uenat. Turturibus amici sunt, Plinius & Ouidius. uide in Turture D.

E.

Caueis inclusi aluntur psittaci, ut tum aspectu suo coloríscp gratia & formę raritate, tũ sermonis humani imitatione oblectent. Gallinæ rusticæ in ornatibus publicis solent poni cum psittacis ac merulis albis, Varro. Seruare eos non in ligneis sed ferreis caueis (κλωβοῖς) oportet, Oppianus. ¶ In regno Senegæ apud Nigritas tota regio scatet psittacis, quos Nigritæ plurimũ oderunt: quoniam totam plagam ferè circunuolitantes, fruges & præsertim legumina deuastant, Aloisius Cadamustus. In Calechut tanta eorum copia est, ut collocandi sint custodes seruandæ oryzæ in aruis, ne eam depascantur. Vocales sunt admodum, ac uili pretio, utpote gemino denario, id est media solidi parte singuli uæneunt, Ludouicus Romanus.

F.

Gracchana insula psittacis mirè abundat. incolæ eos saginant & in cibatu gratissimos habent, Christophorus Columbus. ¶ Phœnicopteri apparatum ex Apicio suprà scripsimus. idem autem facies (inquit) & in psittaco.

G.

Psittacus potest quæcunque & anser, Kiranides. In cibo iuuat quosuis ictericos, & phthisicos sanat, Idem.

H.

a. Sittacum & psittacum ueteres dixerunt, nam σ. & ψ. inter se permutantur quandoque. sic & σίτ̃α & ψίτ̃α effertur, quæ acclamatio pastorum est ad boues, capras aut sues. Sitta auis diuersa memoratur Aristoteli 9. 1. ubi Albertus, Camulgum (inquit) Latinè dicunt uocari, psittacum Græcè, sed & psittacus auis alia est, (licet apud Hesychium legatur, Σίτ̃ας auis est, quam nonnulli psittacum faciunt,) & camulgus Latina uox non est. ¶ Viridis auis, id est psittacus, per antonomasiam uel periphrasin, Semper & à uiridi turtur amatur aue, Ouidius. Et si qua loquendi Gnara, coloratis uiridis defertur ab Indis, Claudianus in Eutropium.

¶ Epitheta. Psittaci epitheta apud Textorem sunt, Ales, Canorus, Dux uolucrum, Garrulus, Imitator, Loquax, Viridis. Psittacum ἀνθρωπόγλωττον dicunt, quasi humanam linguam referẽtem, Vuottonus. Βροτόγηρων, Philippo in Epigrammate.

¶ Ψιτ̃ακία, genus calciamenti muliebris, Hesych. & Varinus. Psittacion emplastrum numero 24. describitur apud Nicolaum Myrepsum.

¶ Propria. Psittacum Alcęus γαστριον, id est uentri deditum uocat, Pollux ut nostri codices habent, sed Pittacum legendum conijcio. ¶ Terra psittacorũ alicubi in Nouo orbe nominatur, ubi maximi psittaci uariorum colorum reperiuntur. ¶ Psittacene, Ψιτ̃ακλωνὴ, regio Persidis, Aristoteli in Mirabilibus. ¶ Psittace, Ψιτ̃ακὴ, urbs est iuxta Tigrin, ubi Psittacia fructus (quos alij pistacia uocant) nascuntur. hinc Psittacius & Psittacenus, Stephanus. Psittaces Persicæ Aelianus alicubi meminit in Historia animalium.

¶ b. Tu poteras uirides pennis hebetare smaragdos, Tincta gerens rubro punica rostra croco, Ouidius in psittacum.

¶ c. Vide quædam in h. Πάντα τὰ τ̃ῶν ζώων ὀὐγλωττ̃α, καὶ διαῤῥωμένα ὀὐ τ̃ὸν φωνὴν, καὶ μιμεῖται οὐδὲ τ̃ῶν ἀνθρώπων καὶ τ̃ῶν ἄλλων ὀρνίθων ἤχας, ὥσπερ Ψιτ̃ακὸς καὶ κίττ̃α, Athenęus. malim, Πάντα δὲ τὰ πλατύγλωττ̃α τ̃ῶν ὀρνέων, ὀὐγλωττ̃α, &c. Apsephàs rex Libyæ fertur instruxisse psittacos, ut per aerem uolantes sonarent Ἀψεφᾶς θεὸς ὀὐκ ἔστιν: ut quidam annotauit in margine ad orationẽ Dionis Chrysostomi de regno: ubi Dion scribit hominem improbum non posse esse uerum regem & dominum, neq; sui nec aliorum, etiamsi non solum homines eum admirentur, eiq; obediant: sed etiam aues uolantes & feræ in montibus. Nuper amicus quidam recitauit nobis iucundam de psittaco historiam: quem aiebat Londini in Anglia è palatio regis Henrici octaui in præterlabentem fluuium Thamesin decidisse, & uoce consueta ijs qui quantocunq; pretio (ut in periculo aliquo constituti, aut alij etiam ioco) portitorem ex opposita ripa uocant, a bott a bott for twentye pownd: quod est, Cymba cymba uel pro uiginti libris, quam sæpissimè enunciari audierat, & tum commodissimè meminerat, exclamasse. Ea excitatum portitorem quendam, propere adnauigasse & sustulisse auem, & regi (ad quem pertinere agnoscebat) reddidisse, tantum mercedis sperantem, quantum auis promiserat. Rex pactus est ut quam auis interrogata denuò mercedem dixisset, acciperet. Placuit. Respondit auis, Gibe the knabe a grott: id est, Da nebuloni solidum.

¶ e. At tibi quanta domus rutila testudine fulgens? Connexusq; ebori uirgarum argenteus ordo? Argutumq; tuo stridentia limina cornu? Et querulæ iam sponte fores? uacat ille beatus Carcer, & angusti nusquam conuitia tecti, Statius 2. Syluarum de cauea psittaci mortui. ¶ Rostrum psittaci gestatum dæmones abigit, Kiranides.

¶ f. Heliogabalus exhibuit palatinis ingentes dapes refertas capitibus psittacorum & fasianorum, &c. Lampridius. Psittacis atq; fasianis leones pauit & alia animalia, Idem. In hortis Indiæ regijs psittaci aluntur, & sursum deorsum ultro citroq; circum regem uersantur: nec psittacum idcirco Indorum quisquam, etsi eorũ magna illic multitudo sit, edit, quòd eos sacros putent, & Brach-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 734 sur 825

mânes quidem ex auibus plurimi hunc existiment: ut qui solus humana uerba uocis cõformatione consequatur, Aelianus.

¶ g. Rostrum psittaci gestatum, omnem rigorem febrium curat, Kiranides.

¶ h. Anthologij lib. 1. elegans Philippi in psittacum epigramma legimus, quod recitare libuit.

Ψιτ̃ακὸς ὁ βροτόγηρ☉, ἀφῆς λυγοστόμχεα πύργου
Αἰὲὶ δ' ἐκμελετῶν ἀσπασμοσι καίσαρα κλεινόν,
Ἕδραμε δ' ὠκυδάκτως ἅπας οἰωνὸς, ἐλίσσων
Ἦλυθον εἰς δουμὸς ἀνθοφυεῖ πτόρυγι.
Οὐδ' ἂν ὄρν λίθιμ ἤγαγμ ἐνόματ☉.
Τίς φθιμένου δώσεται λαίμονι χαῖρ' ψιττιν.

¶ Ouidius Elegiarum 2. 6. in mortem psittaci his carminibus lusit:

Psittacus eois ales mihi missus ab Indis
Occidit, exequias ferte frequenter aues
Omnes, quæ liquido libratis in aere cursus,
Tu tamen ante alias turtur amice dole.
Plena fuit uobis omni concordia uita,
Et stetit ad finem longa tenaxq; fides.
Non fuit in terris uocum simulantior ales,
Reddebas blæso tam bene uerba sono.
Plenus eras minimo, nec præ sermonis amore
In multos poteras ora uocare cibos.
Nux erat esca tibi, causæq; papauera somni,
Pellebatq; sitim simplicis humor aquæ, &c.

¶ Extat & Statij Epicedion in psittacum Melioris Atedij Sylu. 2.

Psittace lux uolucrũ, domini facunda uoluptas,
Humanæ solers imitator psittace linguæ, &c.
Occidit aeriæ celeberrima gloria gentis,
Psittacus ille plagæ uiridis regnator eoæ:
Quem non gemmata uolucris Iunonia cauda
Vinceret aspectu: gelidi non phasidis ales.
Ille salutator regum, nomenq; loquutus
Cæsareum, & queruli quondam uice functus amici, &c.

Legimus etiam in psittacum uocalem carmen T. Vespasiani Strozæ lib. 6. Eroticõn.

¶ Psittacos in India sacros existimari, & idcirco non uenire in mensas, paulò ante in f. ex Aeliano recitaui.

¶ PROVERBIA. Alia uoce psittacus, alia coturnix loquitur. uide suprà in Coturnice h.

¶ Erasmus Rot. in adagio Senis mutare linguam: Ne hoc quidem (inquit) prætermittendum, quan quam uulgò iactatum: Senex psittacus negligit ferulam. Et mox recẽset Apuleij uerba ex secundo Floridorum de psittaco, cui sermonem nostrum addiscenti ferrea clauicula (loco ferulæ) caput à magistro tundatur. Discit autem (inquit Apuleius) statim pullus usq; ad duos ætatis suæ annos, senex autem captus & indocilis est & obliuiosus. Quæ posteriora uerba (quòd pullus usq; ad biennium facilè discat, senex indocilis sit) Apuleius, ut uideo, à Solino mutuatus est: hic à Plinio. & quãquam Plinius hæc de pica non de psittaco scribat, possunt tamen fortasis huic etiam cõuenire, sin minus, ratio saltem prouerbij non impeditur. ¶ Vsitatum est apud Germanos quosdam prouerbium, Arbitrium (libertas) auro præferendum est, aiebat psittacus caueæ inclusus. Wille gehet für gold/ sprach der papegeye/ da saß er im kotbe. Tale est & illud, In cauea minus bene canit luscinia.

¶ PTEREVGOTYRANNVS, πτερυγοτύραννος, (malim Pterygotyrannus, ut ordo etiam literarum scribi postulat apud Hesychium,) auis est quædam in India Alexandro data, Varinus. Quærendum an hæc esse possit auis paradisi dicta, uel apus Indica: quæ cum pedibus careat, & alis pennisq; suis perpetuò in sublimi uehatur, non immerito Pterygotyrannus appellabitur; tanquam principatum inter aues obtinens quod ad remigium alarum.

DE PYRALIDE.

PYRALIS, πυραλὶς, auis nominatur apud Aristot. historiæ anim. 9. 1. ubi Gaza ignariam uertit. Pyralidem (inquit) turtur impugnat. locus enim pascendi uictusq; idem eorum est. nec alibi usquam eius meminit. Turtur & pyralis dissident, Plinius. Quòd si Callimacho fides est adhibenda, palumbus, pyrallis, (πυραλλὶς per duplex λ.) columba & turtur, nihil habent inter se simile, Aelianus in Varijs. πυῤῥαλὶς (per duplex rho & lambda simplex) auis quædam, Hesychius & Varinus. Pyralis auis est quædam, quæ etiam rusticè sic uocatur, Niphus Italus. ¶ Est & pyrrhulas auis, Gaza rubicillam uertit, de qua in R. elemento scribemus. Item PYRIS, πυρὶς, secundum aliquos apud Aristophanem. uide suprà in Ceblepyri.

¶ Oppianus de aucupio lib. 3. cap. 10. cum merularum capturam præscripsisset, subdit: Eodem etiam modo capiuntur PYRRHIAE aues, αἱ (forte οἱ) πυῤῥίαι. Pyrrhiæ uocabantur serui qui in comœdijs introducebantur, Eustathius.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA INCIPIT R. LITERA.

DE REGVLO VEL TROCHILO EX VETERIBVS.

A.

TROCHILVS uocatur alijs nominibus senator & rex, Aristot. Gaza interprete. Græca nomina sunt, τροχίλος, πρέσβυς, βασιλεύς. Trochilus rex appellatur auium, Plin. ¶ Eadem etiam orchilus dicitur, ut docui suprà in O. elemento. ¶ Trochilos in Aegypto uocatur, rex auium in Italia, parua auis, quę crocodili in somno hiantis os & dentes repurgat, Plinius.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 735 sur 825

Plinius, sed trochilus ille Niliacus & crocodilo familiaris longè alia auis mihi uidetur, gallinularum aquaticarum generis, sub quo species diuersæ continentur, ut in T. elemento dicemus. ¶ Regulus Græcè tum Βασιλίς uocatur, tum uoce diminutiua Βασιλίσκος Aetio, Aegineteę & Aristophani in Auibus. ¶ Regaliolus quoq; non alius quàm regulus uidetur: etsi quidam pro galgulo accipiant, uide in Galgulo. Pridie easdem idus (antequam Cæsar interficeretur) auem regaliolū cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, uolucres uarij generis proximo nemore prosequutæ ibidem discerpserunt, Suetonius in Iulio Cæsare.

B.

Passerculus troglodytes auicula omnium minima est regulo excepto: quo paulò maior est & nigrior, similis est autem ei in multis, præterquam quòd in fronte auricolores pennas non habet, &c. & iuxta summum alæ lineamentum cinerei amplius coloris, (Græcè legitur ψαρόπορ, id est magis uarij, Vuottonus,) Aetius. Troglodytes paulò maior est regulo, & colore illi similis, inter cinereū & uiridem, (μεταξὺ πυῤῥοῦ καὶ χλωροῦ, mihi hic color non troglodytæ, sed regulo tantum conuenire uidetur. Vuottonus suspicatur legendum μεταξὺ πυῤῥοῦ καὶ ὠχροῦ,) rostro tenui, Aegineta.

C.

Trochilus frūteta incolit & foramina, Aristoteles. ¶ Passerculus troglodytes magis garrulus quàm regulus est, Aetius. Regulus atq; merops & rubro pectore Progne Consimili modulo zinzilulare sciunt, Author Philomelæ. ¶ Regulus uermiculos edit, Aristot.

D.

Trochilus fugax atq; infirmis moribus est, sed uictus probitate & ingenij solertia præditus, uocatur idem & senator & rex. quamobrem aquilam cum eo pugnare referunt, Aristot. Idem historiæ anim. 9. 1. trochilū cum aquila pugnare scribit. Aquilæ & trochilus, si credimus, dissident. quoniam rex appellatur auium, Plin. ¶ Rex auium priuatas cōtra noctuam inimicitias gerit, Aristot. Alibi etiam orchilum noctuæ infensum tradit: quem nos eundem trochilo esse ostendimus.

E.

Capi difficile potest, Aristoteles. ¶ Orchilus subiens caua terræ signum facit futuræ tempestatis, Aratus.

H.

Immusculus auis genus, quam alij regulum, alij ossifragum dicunt, Festus. Plura de immusculo leges in capite de aquilis diuersis. In Auibus Aristophanis cum auis quædā seruus Epopis, quænam esset non diceret, sed tantum ad domini sui mandata subinde se τρέχειν, id est currere: subjecit quidam: Es igitur τροχίλος auis, alludens ad uerbum τρέχειν. ubi Scholiastes, Trochilus, inquit, fertur esse auis acris, (ὄρνιον ὀξύμυ.) uolūt autem aliqui mediam syllabam acui debere: quasi in textu τρόχιλος scribatur. sed codices nostri τροχίλος paroxytonum habent. Et rursus cum quidam dixisse se currere ὡσεὶ πορώλω: alius subdit: Hic auis est trochilus. abi igitur ô Trochile & dominum nobis accerse. ¶ Κόρθιλος, auis quam aliqui Βασιλίνην uocāt, Hesychius & Varin. ¶ Ῥόβιλος, basiliscus auis, Iidem. ¶ Τείκιος, auicula quædam, & rex apud Eleos, Iidem. ¶ Acalanthis, nobilissimi canis nomen: quidam tamen eo nomine aues intelligunt, quas nonnulli basilicas nuncupant, Cælius. ¶ Ῥεόβυς apud Aristot. historiæ anim. 9. 1. ubi Albertus basit habet, quod ex Græco corruptum uidetur ut pleraq; apud ipsum. basit (inquit) Arabicè, apud nos autem senecta uocatur. ¶ Hesychius orchilum auiculam uilem ab aliquibus σαλπιγκτὴν dici refert, nimirum à uoce qua forsitan tubæ imitatur sonitum.

DE EADEM AVE QVID PRODIDERINT ALbertus, & eiusdem sæculi scriptores.

REGVLVS, qui & parra, quasi auis parua dicitur, multa est prole & garritu, Author de nat. rerum. Trochilus est auis minima omnium, quam regulum uocant: quæ licet paruo sit corpore, ausu tamen magno contra aquilam pugnare conatur. Solitaria uolat, pullis fœcunda est. nam plurimos uno fœtu producit, uno specu uel antro in hyeme multi conduntur, ut ad calorem turba conferente calor qui paruus est in tam minimis corporibus augeatur, Albertus & Author de nat. rerū. Vermibus & araneis uescitur, Author de nat. rerum. Est etiam auis musica, & præcipuè cantat tempore magni & sicci frigoris in hyeme, Albertus. Auis minima est, sed quanto minor, tanto uelocior, adeoq; animosa, ut etiam cōtra aquilam aliquid conari audeat. Homines quoq; deludit. nam cum se proximè quasi manu capiēdam obtulerit, casso hominis conatu & labore impigra profugit, Author de nat. rerum. ¶ Conuenerant aliquando aues inter se, sicut fabula refert, ut illa pro rege haberetur, quæ sublimi uolatu omnes alias uinceret: cumq; aquila omnes alias aues transcenderet, exiliens parra quæ sub ala eius latuerat, insedit aquilæ capiti, & inde se esse uictricem asseruit, Author de nat. rerū. Si deplumatus regulus in ueru paruo exponatur igni, uoluit seipsum, ut nos experti sumus, Albertus. ¶ Hæc illi de regulo: an uerò aliquid ad passerem troglodytē potius pertinens, (quem uulgò in plerisq; uulgaribus linguis regem auium nominant, & recētiores etiam aliqui cum regulo cōfundunt) regulo adscripserint, ut mihi quidem uidēt, considerandum relinquo.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 736 sur 825

ADHVC DE EADEM AVE EX SCRIPTORIbus noſtræ memoriæ, & obſeruationibus propriis.

A.



REGVLVS omnino ea auis mihi uidet, cuius hîc figurã poſui, id quod primum ex doctiſsimi medici Io. Agricolæ Ammonij ſcriptis me cognouiſſe profiteor. Reguli (inquit) in Bauaria pleriſq; locis turmatim uolant, auricoloribus pennis, quibus in capitibus loco aurearum coronarũ inſigniuntur: appellantq; Germanicè eam ob rem Goldhendlin. hi cum bruma eſt gelidiſsima in urbibus, reliquo uerò tẽpore in ſyluis conſpiciuntur. & ubi nidificant ſex aut ſeptem oua tam parua quàm eſt piſum ædunt. Fœmellas inter eos percipimus pallidioribus capitis pennis, loco coloris aurei cõſpicuas eſſe, Hæc ille. ¶ Italicè fior rancio, id eſt flos calendulæ appellatur, à macula uerticis nimirum aurea. ab aliis ochio bouino, id eſt oculus bouinus, à magnitudine, ni fallor: ut etiam Germanis Ochſeneugle, id eſt ocellus bouinus: quanquam alij (in Bauaria, & circa Argentoratum & Francfordiam ad Mœnum) Goldhendlin nominant. circa Bernam in Heluetia, Strüßle. aliqui Thammeißle, id eſt parum uel parulum abietum, ſed impropriè. ¶ Anglice wren. ¶ Turcæ Sercè.

¶ Auis regia eſt quam nos uocamus regillum, Syluaticus Italus. Trochilus, Io reillo, Scoppa Italus. Regaliolus auis, reillo, ſcricciola, Idem. Quidam Italicè regulum rectino interpretantur. ¶ Gallicè aliqui rottolet, roytolat, petit roy. ¶ Flandricè Kóningkin. Polonicè krolik. Sed omnia hæc nomina in diuerſis linguis à rege denominata paſſerem troglodyten ſignificant, quem cum regulo multi confundunt.

¶ Trochilus (Turnero) eſt auium omniũ minima, cauda longa & ſemper erecta, roſtro longiuſculo, ſed tenuiſsimo, colore ferè fuluo, nidũ facit foris ex muſco, intus ex plumis aut lana, aut floccis, ſed plurimum ex plumis. Oui erecti & in altero ſuo fine conſiſtentis, formam nidus habet, in medio ueluti latere hoſtiolum eſt, per quod ingreditur & egreditur. In poſticis ædibus & ſtabulis ſtramine tectis, interdum nidum conſtruit, ſed ſæpius in ſyluis. auis eſt etiam ſoliuaga, & gregatim nunquam uolat, imò quoties alium ſui generis offendit, mox illi bellum indicit, & confligatur. Quare aues illæ, quæ in Bauaria pẽnis auricoloribus, quas in capitibus ceu coronas aureas ferunt, in ſyluis æſtate degentes, & gregatim ad urbes hyeme aduolantes, reguli non ſunt ſed tyranni Ariſtotelis, Hæc ille. mihi quidem hæc quæ ſcribit omnia paſſeri troglodytæ conuenire uidentur, corporis forma, cauda ſemper erecta, nidificatio, uolatus ſolitarius. Quòd autẽ regulus Agricolæ Ammonij & noſter gregatim uolat, hoc non obſtat, ut ipſe putat, quò minus ſit regulus. neq; enim uetum aliquis regulos ſolitarios eſſe prodidit, ſed Albertus Germanus, qui paſſerculum troglodyten, ut Germani uulgò, pro regulo accepiſſe uidetur. Aucupes quidam noſtri auiculas Goldhendle, non gregatim, ſed paucas ſimul uolitare mihi retulerunt. Turneri de trochilo ſententiam Eberus & Peucerus comprobant: & inter Gallos Bellonius, qui in libro Gallico Singularium Obſeruationum ſuarum, Auis (inquit) quam nos roitelet uocamus Græci (in Creta) uulgo trilato uocitãt, uoce accedente ad ueterem Græcam trochilus. Atqui Gallorum roitelet paſſer troglodytes eſt, ut dixi: & trilato uox Græca à troglodyte per ſyncopen mihi facta uideꝛ. Hac uerò minor auis (mox ſubdit) tettigon ab iiſdem uulgò uocatur, (à magnitudine puto, qua cicadam uix excedit:) à Latinis (ab Ariſtotele) tyrannus: Gallis un poul uel ſoucie uel ſourcicle, (à ſupercilijs.) habet enim plumas in capite flauas utrinq; inſtar criſtæ, quæ oculos eius inumbrãt ut ſupercilia in nobis: nec multò maior eſt locuſta, Hæc ille. ego omnino regulum eſſe puto, quam ipſe tyrannum, in regulo autem noſtro non utrinq; plumæ illæ capitis aureæ habentur, ſed in medio tantum. Mihi ſoucie Gallis dici uidetur non tanquam ſourcicle à ſupercilijs (quo forte nomine corrupto uulgus utitur) ſed à ſimili in uertice colore floris calendulæ, quam Galli uulgò ſoucie, quaſi ſolſiam uel ſolſequiam appellant; præſertim cum Italicè quoq; hæc auicula alicubi fior rancio, id eſt flos calendulæ appelletur. Tyrannus minutiſsima auium, paulò ſuprà locuſtam, criſtam gerit rutilam, color corporis ex citrino rubeſcit ſupernè, infernè cæſius eſt: τύραννος ὄρνις κεφαλὴν ἔχει κατὰ ἀρχὰς ἐρυθρὰν, ein goldhenli, Eberus & Peucerus. Noſtram de regulo & paſſere troglodyte ſententiam nuper etiam Melchior Guilandinus Boruſſus iuuenis doctiſsimus & in longinquis regionibus peregrinatus, in ſua ad me epiſtola confirmauit.

¶ Reguli noſtri autumno ferè capiuntur: auiculæ colore ſubuiridi, uerticis colore partim luteo partim flammeo, pallidiore in fœminis. muſcis, uermiculis & coſsis ueſcũtur. Sunt qui eos muſcis adeò

adeò ingurgitari dicant, ut aliquando de uita periclitentur. ¶ Regulus qui & bitriſcus dicitur, Io. Saresb. in Polycrat. Gerardus Cremoneñ. pro charadrio apud Kiranidē uertit regulum, uide in Charadrio A. ¶ Inter iuniperos degit regulus noſter, ut audio. Niphus tamē regulum rubrum eſſe ſcribit, præparuum, & in ripis riuorum agere. Minima auium apud nos eſt regulus, qui per dumeta uolitat, paſſerculo dimidio minor, Cardanus. ¶ Aucupum noſtrorum alij regulos perennare apud nos aiunt: alij hyeme auolare, poſt omnes alias aues quæ migrare ſolent. ¶ Regulus bis anno parit, oua circiter nouem uno tempore, Albertus. uidetur autem is reguli nomine paſſerem troglod. intelligere.

¶ Baltaſar Stendel, qui de arte coquinaria Germanicè ſcripſit, lib. 6. cibarium quoddam (ex butyro, ouis, farina) deſcribit, quod eodem quo regulum Germani nomine Goldhänlde nominat.

¶ Nos deum putamus ardeis, trochilis & coruis uti, ut harum auiū uoce aliquid ſignificet, Plutarchus in libro De eo quòd Pythia non amplius carmine reſpondeat, an uerò trochilos intelligat regulos, uel eiuſdem nominis aquaticas aues, non habeo quòd aſſeram.

¶ RHAPHI, Ῥάφοι, aues quædam ſunt, Heſychius & Varin. Kiranides pellicanum ramphon uocat, nimirum propter roſtri (quod Græci ramphos appellant) magnitudinem.

¶ RHINOCEROS, Ῥινόκερως, fera quadrupes, & auis quædā in Aethiopia, Heſych. & Varin.

¶ RHYNTACES, Ῥυντάκης, parua auicula (μικρὸν ὀρνίθιον) in Perſis naſcitur, cui excrementi nihil eſt, ſed totum corpus interius pinguedine plenum: quamobrem uento & rore eam ali exiſtimant. Hanc Cteſias prodidit cultello altero latere ueneno illito Paryſatim (Artoxerxis matrem) diuiſiſſe, dimidiam partem ueneno infeciſſe, & quæ ueneno intacta atq; incorrupta erat, ipſam in os iniectam exediſſe, Statiræ (uxori Artoxerxis) autē uenenatam partē porrexiſſe. Sed Dinon ab hoc parumper diſſentiens, ait non Paryſatin, uerum Melantam partitum cultello Statiræ infectam partem appoſuiſſe, Plutarchus in uita Artoxerxis. ¶ Rhyndace, Ῥυνδάκη, auicula æqualis columbæ, ὀρνίθιον πλίνθῳ πόδισφαὲ, Heſych. & Varin. Pluuialis quidem auis lautiſsima, de qua in P. ſcripſimus, cibo ſolido ueſci negatur à nonnullis, quoniam nihil in ea reperiatur. itaq; non exenteratur. magnitudine eſt columbæ. ſed rhyntacem eſſe non aſſero. Bernicla quoq; auis, (de qua inter anates egimus,) quæ ex arbore aut ligno naſci uulgò creditur in Britanniæ & Flandriæ quibuſdam locis, ſuperfluí aliquid non habet, ut neq; arbores, Obſcurus. Sed rhyntacen aliqui eam eſſe auem coniiciunt, quæ auis Paradiſi appellatur, ut in Elemento P. ſcriptum à nobis eſt.

¶ RVBETRA uermiculis alitur, Ariſtot. hiſtoriæ anim. 8. 3. nec alibi huius auis meminit. Legitur aūt Græcè βατὶς oxytonum, fœminino genere, Gaza rubetram uertit. Niphus ait eſſe auem quæ uulgò ab Italis barada dicatur. ¶ Rubetra Ariſtotelis quænam auis ſit, prorſus diuinare non poſſum. Gybertus Longolius linariam ſiue miliariam eſſe rubetram putabat, quòd rubis crebrò inſideat. Sed quum Anglorum buntinga (ea eſt auis quam Germani uocant Gerſthammer, uide in Paſſere maiore & in Linaria) in rubis tam frequens ſit, quid uetat quò minus & ipſa quoq; batis dici poſsit? Nihil igitur certi habemus, quod nomen Britannicum aut Germanicum ſit huic auí imponendum. Sed quum auium ſupra commemoratarū, altera (miliaria) ſeminibus herbarum ueſcatur, altera (buntinga) hordeo & tritico, & batis Ariſtotelis uermiuora ſit, deligēda eſt auicula quæpiam quæ ſolis uermibus paſcitur: qualis eſt auicula Anglis ſtonchattera, aut mortettera dicta, & Germanorum Klein Brachuogelchen. hæc ſi batis non ſit, mihi prorſus ignota eſt, Turnerus. ¶ Ebero & Peucero rubetra minima eſt turdorum generis, rubi fructu & ſambuci uictitans. Atqui Ariſtoteles nihil quàm uermiuoram eſſe ſcribit. ¶ Eſt & βατὶς uel βατία, piſcis lati genus à bato diuerſi.

DE RVBECVLA ET RVTICILLA, VEL ERIthaco & Phœnicuro ex ueteribus.

A.

ERITHACVS, Ἐρίθακος, auis pro qua Gaza rubeculam reddit, nimirum à rubro colore pectoris: alibi uerò ſyluiam, (fortè quòd in ſyluis degere ſoleat per æſtatem:) hyeme cum propius ad domos accedit phœnicūrus dicitur, ut Ariſtot. ſcribit. Rubeculæ (inquit) & quæ rutticillæ (phœnicuri) appellantur, inuicem tranſeunt. eſtq; rubecula hyberni temporis, rutticilla æſtiui. nec alio ferè inter ſe differunt, niſi pectoris colore & caudæ. Erithacus hyeme, idem phœnicurus æſtate, Plinius. Quædam certis temporibus transformari uidētur, ut erithacus, & qui uocantur phœnicuri æſtiui, Conſtantinus in Geoponicis 15. 1. Phœnicurus, φοινίκουρος, proparoxyt. Erithacus auis quæ & ἐριθεὺς dicitur, Heſych. & Varin. Erithacus auis à pleriſq; dicta, à nonnullis ἐριθεὺς, ab alijs ἐρίθυλλος uocatur, Scholiaſtes in Veſpas Ariſtophanis.

C. & D.

Erithacus auis eſt ſolitaria, (ὄρνεον μονήρες καὶ μονότροπον, Varinus,) quæ nunquam ferè in eodem ſaltu niſi una reperitur. uide infra in prouerbio Vnicum arbuſtū, &c. Rubecula uermiculis ueſcitur, Ariſtot. ¶ Corui, picæ & erithaci, homines imitantur (ſcilicet uoce,) & meminerunt eorum quæ audierint, Porphyrius lib. 3. de abſtinentia ab animatis.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 738 sur 825

E.

Orchilus aut eritheus, (ἐριθεὺς, prima breui, sequentibus longis,) caua terrę subiens, signum facit tempestatis futuræ, Aratus. ab Auieno conuertitur, paruus eritheus. Rubecula auis stabula circumiens, & habitata loca lustrans, ex aduentu tempestatis se fugere declarat, Gillius.

H.

Αἴσακος, erithacus auis, Camers. Idem & Hesychius æsacum interpretātur ramum lauri, quem manu tenentes hymnos deorum dicebant. Δάνδαλος, erithacus auis, Hesych. & Varinus. scribitur autem ab illis ἐριθακὸς oxytonum, (ut & à Varino in Αἴσακος. in Erithaco uerò proparoxytonū, quod placet) nisi librariorum erratū sit. ¶ Ἐριθακὶς, mulier pro mercede laborans, Eustathius. Proprium hoc nomen puellæ uidetur apud Theocritum Idyl. 3. ¶ Ἔριθοι agricolæ, quòd éran, id est terram colant: abusiuè uerò etiam ἐριουργοὶ, id est qui circa lanam laborant, uel mercenarij, Hesych.

¶ Vnicum arbustum haud alit duos erithacos. Zenodotus author est hoc adagio notatos illos, qui ex rebus minutis festinant ditescere. Mihi uidetur non intempestiuiter dici posse in eos, quibus parum conuenit, nec in eodem munere concorditer uersari queunt. Est autem erithacus auis quædam solitaria, ut eodem in saltu non temere nisi unam inuenias. Thomas Magister ait à quibusdam ἐριθέα uocari, ab alijs ἐρίθυλον, à plerisq; ἐρίθακον. Aristophanes elegāter ad hoc allusit adagium in Vespis, οὐ γὰρ ἄν ποτε Τρέφειν δύναιτ' ἂν μία λόχμη κλέπτα δύο. Non enim fieri potest Fures ut unquam saltus alat unus duos. Non omnino dissimile est huic quod dixisse fertur Alexander Magnus: Mundum nō capere duos Soles, Erasmus Rot. Eiusdem sententiæ est illud Germanis quibusdam usitatum, ut Tappius scribit, Duobus gallis in uno sterquilinio, duobus stultis in una domo non conuenire. **Zween hanen auff einem mist vertragen sich nit.** Item, **Zween narren tügen nit in einem hauß.**

¶ Emblema Alciati inscriptum, Paruam culinam duobus ganeonibus non sufficere: In modicis nihil est quod quis lucretur, & unum Arbustum geminos non alit erithacos. Aliud. In tenui spes nulla lucri est: unoq; residunt Arbusto geminæ non bene ficedulæ.

DE RVBECVLA, HOC EST AVE QVAM plerique à rubicundo pectoris colore denominant, scripta recentiorum.

A.



CVM Aristoteles tum Plinius (inquit Turnerus) de erithaco & phœnicuro scripserunt, transire uidelicet has aues in se inuicē, hanc hyberni, illam æstiui temporis esse. Qua in re uterq; aucupum relatibus magis quàm sua experientia nixus, à ueritatis tramite longissimè aberrauit. nam utraq; auis simul conspicitur, & rubeculæ domitæ & in caueis alitæ (idem nostri aucupes affirmāt) eandem perpetuò formam retinent. quin & eodem tempore nidulantes, sed modis longè diuersis, sæpissimè in Anglia uidi. Rubecula, quæ non secus æstate quàm hyeme rubrū habet pectus, quàm possit longissimè ab oppidis & urbibus in densissimis uepretis, & fruticetis ad hunc modum nidulatur. Vbi multa querna reperit folia, aut quernis similia, ad radices ueprium, aut densiorum fruticum, inter ipsa folia nidum construit: & iam constructum, opere ueluti topiario folijs contegit. Nec ad nidum ubiq; patet aditus, sed una tantùm uia ad nidum itur. ea quoq; parte, qua nidum ingreditur, longum struit ex folijs ante hostium nidi uestibulum, cuius extremam partem pastum exiens, folijs claudit. Hæc, quæ nunc scribo, admodum puer obseruaui, non tamen inficias iuerim quin aliter nidulari possit. Si qui alium nidulandi modum obseruauerint, ædant, & huiusmodi rerum studiosis, & mihi cum primis nō parùm gratificabuntur. Ego, quod uidi, alijs candidè sum impertitus. Phœnicurus, quem ruticillā uocat, in excauatis arboribus & (quod sæpe expertus sum) in rimis & fissuris murorum, posticarum ædium, in medijs urbibus, sed ubi hominum minor frequentia cōcursat, nidulatur. Phœnicurus mas nigro est capite, & cauda rubra, cætera fœminæ, nisi quòd subinde cantillat, similis. (Rubeculam æstate cantantem nunquam audiui.) Caudam semper motitat uterque. Phœnicuri fœmina, & proles adeo rubeculæ pullis similes sunt, ut uix ab oculatissimo discerni possint. Verùm motu caudæ dignoscuntur. Rubeculę licet caudam moueant, postquam tamen submiserint, statim erigunt, nec tremūt bis aut ter more ruticillarum. Ruticillæ enim simul atq; caudā mouere cœperint, non cessant donec ter aut quater simul leuiter mouerint, ut alas, iuniores auiculæ cibum à matribus efflagitantes, motitant. Rubeculæ in æstate, ubi in syluis satis superq; alimenti suppetit, nec ullo infestantur frigore, (quæ res cogit illas in hyeme ad urbes, oppida & pagos cōfugere)

cum

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 739 sur 825

cum prole ad deſertiſsima quæq; loca ſecedunt. Quare minus mirandū eſt, rubeculas in æſtate non paſsim occurrere. Ruticillas quid miri eſt in hyeme non eſſe obuias, quum per totam hyemem deliteſcant? Adhæc cum rubeculæ pulli, in fine autumni perfectam ferè in pectoribus rubedinē nacti, ad pagos & oppida propiùs accedunt; ruticillæ, quæ antea per totam æſtatem cernebantur, diſparent, nec amplius in proximum uſq; uer cernuntur. Quæ quum ita ſe habeant, quid Ariſtoteli aut illi hoc referentibus erroris anſam præbuerit, facilè quiuis poteſt colligere, Hucuſq; Turnerus.

¶ Erithacus hyeme, phœnicûrus æſtate, auis eſt quam uulgò pectus rubeum uocant, Perottus. Vulgò ab Italis petto roſſo dici inuenio, ab alijs per ſyncopen petuſſo pro pettoruſſo. Ab alijs peccietto, (quæ uox pectuſculum ſignificat,) uel pechietto, uel ut nos proferremus petſchétto. alibi ferbott. ¶ Luſitanis pitiroxo. ¶ Gallicè, ut Bellonius ſcribit, rubeline uel gorge rouge nominatur. Ab alijs rouge gorge uel berée. Eadem fortè fuerit Sabaudis dicta rouge bourſe. ¶ Germanicè Rötele/ Winterrötele/ Rotbrüſtle/ Waldrötele/ Rotkropff/ Rotkröpfflin, & apud Saxones Rotkelchyn, ut Eberus & Peucerus annotant. ¶ Anglicè a robin, a redbreſte, Turnerus & Eliota. (Sed Eliota alibi frigillam interpretatur a ruddocke, or robin, redbreſt:) alibi a robbyn rock. Paſſerem troglodyten Angli uulgò fœminam tantum eſſe aiunt, & marem eius a robbyn rock. ¶ Illyricè czierwenka.

B.

Rubeculæ rubro ſunt pectore, unde & in pleriſquis linguis nomen ſortiuntur, dorſo & capite fuſco. Veteres colorem eius hyeme mutari putarunt, & ruborem è pectore in caudam tranſire, unde & nomen mutetur in phœnicurum, qui rurſus æſtate in erithacum, id eſt rubeculam tranſeat: ſed aues has eſſe ſemper diuerſas, nec ex alterius mutatione alteram fieri, in A. iam ſcripſimus ex Turnero.

C.

De rubeculæ nido, & quomodo caudam moueat aliter quàm phœnicurus: & quòd æſtate in ſyluis ac locis deſertis degat, in fine autumni ad oppida & pagos propius accedat, Turneri uerba recitauimus in A. ¶ Rubecula ueſcitur apibus, Bellonius. Domi captiua muſcis, micis panis & nucleis iuglandium conciſis alitur, & per hyemem quoq; cantillat, phœnicûrus non ante uernum tempus. ¶ Comitiali interdum corripitur, qui morbus in alijs etiam auiculis incluſis quandoque obſeruatur.

D.

Domi ſi duæ aut plures ſimul alantur, pugnare inuicem ſolent, unde in ſyluis etiam eas eſſe pugnaces ueriſimile eſt, & ut prouerbium habet, Arbuſtum (Frutetum) unum non alere duos erithacos. ¶ Rubecula, ut audio, merulā amat, eāq; ſequitur, & noctu ferè in proxima arbore quieſcit.

E.

Noctuæ infenſa eſt. ¶ Imminentem pluuiam uoce prædicit.

DE RVTICILLA SEV PHOENICVRO ITERUM COPIOSIUS, EX RECENTIORIBUS.

A.



ERITHACI & phœnicuri inuicem tranſeunt, eſtq; erithacus hyberni tēporis, phœnicûrus æſtiui. nec alio ferè inter ſe differūt, niſi pectoris colore & caudæ, Ariſtot. Nos aues eſſe diuerſas, nec inuicem tranſire ſuprà oſtendimus. ¶ φοινικαξ & proparoxytonū Græcè ſcripſerim, Latinè phœnicûrus penanflexum. φοινικουρὸς alicubi apud Ariſtotelem non rectè legitur. ¶ Italicè nominatur reuezôl, quaſi rubicellus uel rubicilla, alibi coroſſolo à cauda ruffa. ¶ Galli rouſsignol uocant tum luſciniā, tum phœnicurum, qui circa muros ſeu parietes degit, Bellonius. Ego phœnicurum non ſimpliciter rouſsignol à Gallis appellari audio, ſed rouſsignol de mur, hoc eſt luſciniā murorum. ¶ Germani, ut noſtri, Hußrötele, quod eſt rubecula domorum, nam circa domos & hortos uolitat, uel Summerrötele, id eſt rubecula æſtiua, quòd hyeme appetente auolet uel lateat. Alibi Rotſchwentzel, à cauda rubra, ut circa Francfordiam ad Mœnum Rotzägel. Eberus & Peucerus interpretantur Rotſtertz. Murmellius Rotſtert. Audio etiam Wynnögele alicubi nominari, quaſi ampelidem à uineis: quum tamen uuis non ueſcatur. ¶ Angli a redetale.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 740 sur 825

¶ Circa Argentoratum alía quædam auis Rotſchwentzel à cauda rubente, minus tamẽ & obſcurius quàm ſuperiori, nominatur, cuius iconem adiungimus. Tranſuerſa etiã per alas macula obſcurè rubet. Fuſcus color capitis & dorſi eſt, maiores alarũ pennæ nigricant, ut in dorſo quædam, & roſtrum. Crura fuſca. ſuperior alarum pars ſubruffi coloris ſordidi eſt. Pectus & uenter albent. Pars circa oculos in fuſco albicat, ut pictura demonſtrat, nam auem ipſam nondum uidi.



B.

Phœnicurus mas nigro eſt capite, & cauda rubra, cætera fœminæ ſimilis, Turnerus. Differt à ficedula, (ficedulam Germanicè interpretantur Schnäpffli/Wüſtling,) quæ cinereo tota & obſcuro colore conſtat, Eberus & Peucerus. ¶ Phœnicurus (ut aliquando conſiderauí captum in fine Iunij) macula alba rotunda inſigne habet ſinciput, pennæ ſub roſtro nigræ ſunt, caput cum dorſo cinerei uel fuſci coloris. Alarũ pennæ fuſcæ modicè ad ruffum inclinant. Ruffus color eſt in pectore uentre & cauda. ſed uenter imus magis albicat. cauda pennis octonis conſtat. Magnitudo totius infra parum (maiorem) eſt, rubeculæ æqualis. Roſtrum nigricat, tenue, oblongum, rectum. (Rectitudo & tenuitas in icone noſtra non bene expreſſæ mihi uidentur.) Crura nigricant.

C.

In fine autumni auolat, ut noſtri aucupes aiunt, aut ſe abſcondit, uerno tempore ad nos redit. ¶ Quòd ſi domi alantur, per hyemem non cantillant ut erithaci, ſed uêre primum. aluntur autem difficilius, & ſæpius pereunt. ueſcuntur iiſdem quibus rubeculæ, nempe muſcis, micis panis, & nucleis iuglandium conciſis: item ouis formicarum, & (ni fallor) araneis quoq;. Auceps quidam non imperitus phœnicurum uictu eodem, quo curruca (ein Graßmugg) uti mihi retulit: & natura ferè illi cognatam eſſe, niſi quòd non inter harundines nidificat. ¶ Mas ſubinde cantillat, Turnerus. Canit ferè in ſublimi aliquo ædificio, ut pinnaculis, ſummis caminis. Primo diluculo præcipuè ſuauiter cantillat. Pullis iam excluſis, ut & philomela, non canit: ſed inter incubandum. Prætereunte aliquo clamitat. ¶ Caudam ſubinde motitat, ſed aliter quàm rubecula, ut ſuprà ex Turnero ſcripſi. ¶ Nidificat, ut audio, in muris uel parietibus, uel iuxta domorum tecta, uel in foraminibus arborum. Plura de eius nido leges ſuprà, ab initio Hiſtoriæ de rubecula ex recentioribus, uerbis Turneri. Oua bina aut terna parit. Nutrit & cuculi pullũ aliquando: quem nuper in phœnicuri nido in ripa riui cuiuſdam conſtructo quidam ſibi deprehenſum retulit.

E.

Noctuæ infenſus eſt, ut erithacus quoq;.

H.

a. Pyrrhulas eadem uidetur quæ phœnicurus: quanquam Theodorus rubicillam interpretatur, cum phœnicurum ruticillam uocet: ſi cui ſecus uideatur, non contendo, Vuottonus. ¶ Sigiſmundus Gelenius noſter pſittaci etiam genus quoddam cauda rubente phœnicurũ uocabat. Encelius Salueldenſis phœnicurum uidetur xanthiurum appellare, luſciniã quandoq; cum xanthiuro coire ſcribens.

DE AVIBVS DIVERSIS RVBECVLAE AVT Phœnicuro cognatis.

PHOENICVRVM curruca (graſsmuſcho noſtro, uel atricapillę) cognatũ eſſe ſuperius ſcripſi.

¶ AVCVPES noſtri genus quoddã rubeculæ Rätſchtötele nominant, (per onomatopœiam, ut puto,) colore fuſcum, quæ primæ auium aduenìant uerno tempore, & ſub hyemem primæ recedant. Hyeme in altis montibus latêre aiunt.

¶ EBERVS & Peucerus ficedulam Germanicè interpretantur Schnäpffli uel Wüſtling. huic (aiunt) Latinum nomen inde factum eſt, quòd cum ficus matureſcunt, tum primum ferè prodit & conſpicitur: cognata phœnicuro uero, adeò ſimilis, ut niſi cauda differrẽt, quæ illi rubea, huic cinerea eſt, uix poſſent dignoſci. Schnäpffli uerò inde nominatur, quòd auidiſsimè hiantibus faucibus muſcas captat & culices, Hæc illi.

RVBECVLARVM generi cognatæ fuerint forſan etiam aues duæ, quarũ alterum Büſchner Germani uocant, alteram Wegfleckli. hanc in Appendice deſcribemus, illam iam ſuprà cum Oenanthe deſcripſimus.

DE RV-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 741 sur 825

DE RVBECVLA SAXATILI.

CYANVM Aristotelis Bellonius à Græcis hodie petrocossyphum appellari scribit, de eo copiosè suprà in C. elemento scripsimus. Rhæti circa Curiam (ubi interdum capitur hæc auis, sed rarò: & magno uenditur, uterq; sexus drachmis octonis, aut pluris) **Steintrótele**, id est rubeculam saxatilem, uel **Steintróstel**, id est turdum uel turdelam saxatilem appellant. Nec alia, ut puto, est auis quæ circa Augustam **Blawuogel**, id est cœrulea nominatur. Hanc circa Clauennam Rhætorum captam, uir doctissimus & poeta insignis Franciscus Niger olim ad me misit, & Italicè corossolo appellauit, quod nomen haud scio an rutícillæ potius conueniat. circa Bellizonam crosseron uocãt. Nidulatur in rupibus. Natura & specie ferè & canendi suauitate merularum generi, imprimis quidem passeri solitario, cognata uidetur. ¶ Auis est toto corpore uarij coloris, maximè nigro, russo & albicante distincta, plurimum albi in uentre, plurimum russi circa orrhopygium & in cauda. circa collum cinereus color est, ad cœruleum inclinans. Ventris plumæ russum & album notis in medio nigris distinguentibus eleganter pinguntur. Rostrũ est merulæ, corpus paulò minus.



DE RVBICILLA SIVE Pyrrhula.

A.

RVBICILLA uermiculos edit, Aristoteles semel in hist. anim. nec alibi eius meminit usquam. Græcè πυῤῥούλας scribitur, Gaza rubicíllam uertit. Hæc auis (inquit Niphus) rusticè à nostris (Italis) rubeccius uocatur: licet rubicilla & rubecula iuxta uersionẽ Gazę non sint idem. ¶ Pyrrhulas eadem uidetur quæ phœnicurus: quanquam Theodorus rubicillam interpretatur. si cui secus uideatur, non cõtendo, Vuottonus. ¶ Pyralis etiam semel tantum nominatur ab Aristotele, quæ cum turture pugnet, eo quòd locus pascendi uictusq; idem eorũ sit. Gaza uertit ignariam. Hanc à pyrrhula diuersam esse apparet ex eo quòd uictus est diuersus.

¶ Pyrrhulam Turnerus esse conijcit, auem quæ à Germanis **Blůtfinck** nominatur, ab Anglis bulfinche, cuius hæc est figura. Rubicillã (inquit Turnerus) Aristoteles inter eas aues cõnumerat, quæ uermibus uescuntur: sed pluribus uerbis eã non describit. Ego nominis etymologiam sequutus rubicíllam, Anglorum bulfincam esse conijcio. Nam omnium quas unquam uidi auium mas in hoc genere pectore est longè rubidissimo: fœmina uerò pectore toto est cinereo, cætera mari similis. Sed ut facilius omnes intelligant, de qua aue scribam. Magnitudine passeris est, rostro breuissimo, latissimo & nigerrimo. lingua latiore multò quàm pro corporis magnitudine. Pars ea linguæ, quæ cibi sapores dijudicans, oris cœlum tangit, carnea & nuda est, reliquæ partes cornea pellicula obducuntur. Supremam auis partem plumæ cyaneæ contegunt. cauda nigra est, & capite etiam nigro. Vescitur libentissimè primis illis gemmis ex arboribus ante folia & flores erumpentibus, & semine canabino. auis est imprimis docilis, & fistulam uoce sua proximè imitatur. nidulatur in sæpibus, & oua quatuor excludit, ut pluríma quinq;. eundem colorem per totum annum seruat, nec locum mutat. Quæ quum ita se habeant, non potest hæc atricapilla esse, ut quidam uolunt, (Gyb. Longolius melancoryphum hanc auem esse putabat) utcunq; extremo linguæ acumine carere uideatur, Hæc Turnerus.



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 742 sur 825

¶ Auis cuius icõnẽ in præcedenti pagina dedimus, Italicè nominatur ſuffuleno, uel franguellõ montano, id eſt fringilla montana: quamuis & aliæ quædam aues fringillæ montanæ uocentur. & alibi circa alpes franguel inuernengk, id eſt fringilla hyberna. ¶ Gallicè pinoine, quanquam & ficedulæ uel atricapillæ idem nomen attribuit Belloníus. Lotharingis pion. ¶ Germanicè Gügger apud nos per onomatopœiam: alibi Blütfinck, id eſt fringilla ſanguínea, à rubro colli, pectoris & uentris ſuperioris colore. alibi Gütfinck/ Brommeiß/ Bollenbyſſer/ Rotuogel/ Hail/ Goll: in Auſtria Gympel, in Brabantia Pilart: Roſtochij Thumherr. Eberus & Peucerus hanc Ariſtotelis chryſomitrin, id eſt auriuittem eſſe putant, quod non probârim. inuitauit illos nimirũ Germanicum nomen Goldfinck (id eſt fringilla aurea) alicubi uſitatum. adferunt & alia nomina, Lobfinck, (quaſi fringilla frondium, fortè quòd frondium gemmas deuoret,) Thumpfaff, (quod neſcio quomodo ſacerdotis canonici habitũ præ ſe ferat,) & Gumpel. Fœmina (inquiũt) priuatim Quetſch uocatur à uoce quam ædit. Iidem rubicillam uel Pyrrhulam Germanicè interpretantur Büchfinck, (nos fringillam ſimpliciter ita nominamus,) Quecker/ Blütfinck, ex quibus penultimum nomen mihi ignotum eſt: ultimum quidem non fringillæ, ſed auí de qua hîc ſcribimus conuenit & attribui ſolet. itaq; cum hac aue fringillam confudiſſe uidentur quod ad nomina. Eandem auem eſſe puto quæ circa Francfordiam ad Mœnum Pfäfflin dicitur. aiunt enim auem eſſe fuſcam, pectore rubro, uertice nigro. hinc nimirum etiam Thumpfaff dicitur, quòd nigrũ habeat circa caput quaſi cucullum. ¶ Illyricum ei nomen eſt dlask.

¶ Quídam apud nos non indoctus hanc auem Plinij taurum eſſe cõijciebat, à uoce dictam, ſed taurum cum Bellonio potius ſenſerim botaurum uulgò dictum ſiue ardeam ſtellarem eſſe.

B.

Auis eſt magnitudine ferè alaudæ, colore fuſco, uel cinereo in alis ſuperioribus & dorſo, capite, alarum parte inferiore & cauda nigris. poſt oculos, collo & pectore rubra, qui color uentrẽ uerſus dilutior eſt, imo uentre albicat, nigro circa caput ueluti cucullo inſignis. roſtro breui, craſſo, nigro, & fermè triangulo, quo ſe etiam excípere ſolet. Vide ſuprà in A. deſcriptionem ex Turnero recitatam. ¶ Fœmella in hoc genere tota cinerea eſt, (pectore non rubro ut mas, ſed cinereo,) uertice tamen nigro ut mas, Eberus & Peucerus.

C.

Veſcitur ſemine cannabis, & primis arborum gemmis, Turnerus. Gemmas præcipuè florum mali aut pirí priuſquam ſe aperiunt, deuorat: ad quod aptum & bene comparatum habet roſtrum, unde & nomen ei apud Germanorum aliquos Bollenbyſſer: inde & aliam auem (coccothrauſten noſtrum, den Steinbyſſer) aliqui Bollebick nominant, hoc eſt nymphocopon. nymphas enim appello flores priuſquam dehiſcant. Nuces etiam edit: & acinos quorundam fruticum, rubentibus præcipuè, ut ſambuci aquaticæ, & ſolani perpetui cognominati, ſiue aliàs etiam, ſiue per hyemem tantum, cum cibos alios nõ inuenerit. ¶ Auis perquam docilis eſt, & fiſtulam uoce ſua proximè imitatur, Turnerus. Fœminam audio nõ minus quàm marem canere, quod in alio auium genere non fit. Eruditus quídam apud nos hanc auem taurũ Plinij eſſe ſuſpicabatur ex uoce. nos taurum potius ardeam ſtellarem facimus. Docetur exprimere omnes cantus auium, ut audio, ſibilando & quaſi canendo: interdum etiam, ſed rarò, humanum quoq; ſermonem. Lingua enim ei lata eſt. Fœmina priuatim Germanicè Quetſch appellatur à uoce quam ædit, Eberus & Peucerus. Mas quoque per onomatopœiam uocatur à noſtris Gügger. ¶ De nido eius & ouis, leges ſuprà in A. in uerbis Turneri.

D. & E.

Hyeme ad domos aduolant & capiuntur facilè. Ego in decipula lignea aliquoties non paucos cepi in circuitu ſparſis rubentibus ſolani perpetui acinis. ¶ Cicures admodum euadunt, ita ut domi etiam pariant & educent interdum.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA INCIPIT S. LITERA.

SALPINX auis, Σάλπιγξ, tubæ ſonitum imitatur, Aelianus. ¶ Heſychius orchilum auiculam uilem ab aliquibus σαλπιγκτὼ dici meminit. ¶ ὁ δὲ ἀηδὼν ἄλος, ὅτ' ἐσάλπιγξ, Callimachus apud Scholiaſten Ariſtophanis in Aues. Ἡσυάλπιγξ, auis quædam, Varinus. ¶ Picus quídam niger eſt, magnitudine cornicis, qui infixo roſtro intra cortices ſiccarum ac putreſcentium arborum ſonum edit terribilem, ſono tubæ non diſsimilem, Albert. Sic & ardea ſtellaris roſtro in cœnum aut foramen aliquod iuxta paludẽ inſerto, tubã uoce repræſentat, à qua diuerſa ei nomina Germani poſuerunt.

DE SALO SIVE AEGITHO AVE.

AEGINTHVS nomen eſt auis apud Ariſtotelẽ, Gaza ſalum conuertit, Plinius habet ægithus ſine n. litera, ut & Ariſtot. hiſt. anim. 9. 1. Αἴγινθος ὁ, & ἀηγίνθιος ὁ, legimus in Ixeuticis Oppiani 1. 10. & rurſus ἀηγινθος ὁ. 3. 11. ¶ Salus (Græcè legitur ἀηγίοθος, malim ἀηγινθος) uitæ commoditate & partus numero commendatur: ſed alterius pedis claudicate cedit, Ariſtot. hiſtoriæ anim. 9. 15. Græcè legitur, Τὸν δὲ πόδ' ἀχωλὸς ὄν. Alberti translatio habet, ægithum habere pedes citrinos, ut interpres ali-

quis

quis pro χωλὸς legerit ὠχρός. Plinius non hanc autem, sed circum scribit claudum esse altero pede. est autem circus de genere accipitrum: sicut æsalon quoq; & sanè recentiores quidam, ut Albertus & alij salum auiculam cum æsalone accipitre confundunt. Ego Aristotelem hanc auiculam pedibus infirmis esse sensisse arbitror, non altero tantum, sed utroq;. nam & cyano pedem magnum esse scribit, per synecdochem scilicet. Salo prælij cum asino est, propterea quod asinus spinetis sua ulcera scabendi causa atterat, (scabendi causa atterens nidos eius dissipat, Plin.) tum igitur ob eam rem, tum etiam quod si uocem rudentis audierit, oua abigat per abortum, pulli etiam metu labantur in terram. itaq; ob eam iniuriam aduolans, ulcera eius rostro excauat, Aristot. & Oppianus in Ixeuticis 1. 10. Acanthis in spinis uiuit, idcirco asinos & ipsa (ut ægithus) odit flores spinæ deuorantes, Plinius. ¶ Aegithus, florus (anthus) & spinus, odium inter se exercent: & nimirũ sanguinem ægithi & flori misceri nõ posse dicitur, Aristot. Aegithum anthus odit intantũ, ut sanguinem eorum non credant coire, multisq; ob id ueneficijs infament, Plin. Spini & sali sanguis in eodem uase nõ possunt misceri, ut Aristoteles ait. hunc sacrum esse aiunt genijs qui præsunt hominibus itinera ingredientibus, Aelianus. uide in Acanthide D. ¶ Aeginthus capitur cauea, (κλωβῷ,) cui alius pridem captus ad alliciendum uoce includitur. Fores utrinq; binæ. esca nux ponitur, aut uermiculus, aut aliquid aliud, cui uoce illecta auis aduolet. Has quidẽ fores laqueus (ὕφαλκης) ambiat, ne ingressus ægithus iterum euolet, Oppianus in Ixeuticis.

¶ Pro ægitho Alberti translatio aliâs simpliciter passerem habet, aliâs uoces à Græca corruptas, argicus, agyrthus, habynoz.

¶ Salus auis parua est, ut quidam aiunt, magnitudine passeris, aliquantulum ruboris habens supra caput. hæc enim est quæ asino est hostis: quoniam eius rudore abortit oua, & pulli è nido excutiuntur, Niphus. Eberus & Peucerus salum interpretantur Germanicè **Zörscherlin**, colore cinereo, magnitudine luteolæ, uertice miniato. Hæc nimirum est auicula superius nobis descripta Linariæ rubræ nomine, quam nos **Schörserle** nominamus. Gyb. Longolius ægithũ auiculam eandem curucæ facit, Germanis dictam *ein* **Graßmusch**.

¶ IN VRBE Calechut sunt quædam alites sarau nomine, psittacis nonnihil inferiores, si proceritatem respicias, concentu tamen longè suauiores amœnioresq;, Ludouicus Romanus.

¶ SARIN, Σαεὶν, genus auis simile sturno, Hesychius & Varinus.

¶ IN SCYLLAE auis uentre chloriten gemmam herbacei coloris magi inueniri dicunt, Plin. De Scylla Nisi filia in auem, quam aliqui cirin uocant, mutata, abunde scripsimus suprà in Accipitrum historia, mox post circum accipitrem.

¶ SCIPS, Σκὶψ, uidetur auis esse nomen. nam apud Varinum legitur sparasion auis esse passeri similis: secundũ aliquos scips. Scnipes quidem uel cnipes, insecta quædã uolucria sunt, ut culices.

¶ SELEVCIDES aues uocantur, quarum aduentum ab Ioue precibus impetrant Casij montis incolæ, fruges eorum locustis uastantibus. Nec unde ueniant, quóue abeant, compertum, nunquam conspectis (conspectæ) nisi cum præsidio earum indigetur, Plinius lib. 10. Seleucis, Σελεύκις, auis est locustis uescens, Hesych. & Varinus. Auis est uentriculi multum & facile concoquentis, insatiabilis, maligna uel astuta, (ὄρνεον σὺπεπτον καὶ ἀκόρεστον καὶ πανοῦργον) & locustis deuorandis maximè inhians, Suidas. accipit autem σὺπεπτον actiuè præter consuetudinem. ¶ Voracissima auis est Seleucis, & agricolis maximè exoptata, cũ fruges locustis infestantur. Has enim partim deuorant, partim uel umbra sui enecant. Ingestas nullo negotio per aluum excernũt. Aduentum sanè ipsarum peregrinorum militum subsidio rectè comparauerit aliquis, nisi tamen gratitudinis aliquod specimen in ipsas mutuò referatur, cõseruatas à se fruges populantur. Iam si quis mentis parum compos Seleucidem interfecerit, reliquæ ad defendendas à locustarum iniuria fruges in regionem non reuertuntur. Auiculæ quas nostrates in Asia Seleucidas uocant, iugiter locustas edunt, easq; celeriter excernunt, Galenus lib. 6. cap. 3. de locis affectis.

¶ Seleucis genus est poculi à rege Seleuco dicti, Athenæus, Hesychius & Varinus. item calciamentum muliebre, Hesych. & Varinus. Pocula quædam unicum fundum habent: alia duplex, ut oöscyphia, cantharia, Seleucides, &c. illorum fundum uasis corpori continuum fabricatum est: in his præterea alterum, quod è figura angustiore in ampliorem extenditur, cui poculum insistit, Athenæus. Seleucia ciuitas est prima Syriæ, uel Ciliciæ Tracheæ, quam Seleucus Nicanor condidit. item aliæ urbes eiusdem nominis. Mesopotamia quoque aliâs Seleucia dicta est. uide Onomasticon nostrum.

¶ SIALENDRIS, Σιαλενδρὶς, auis quædam est apud Callimachum, Hesych. & Varinus.

¶ SIALIS, Σιαλὶς, auis nomen Athenæo. Is enim lib. 9. cum de uoce coturnicis scripsisset, subdit: Sialis quoq; forsan à uoce, ut Didymo placet, nominata fuerit, ut auium pleræque. Est & σιαλὶς piscis idem qui blennus apud Grammaticos.

¶ TARTARIAE regio Camandu habet aues, quæ sincolinæ dicuntur, permisti coloris, albi scilicet & nigri, quarum pedes & rostra rubescunt, Paulus Venetus 1. 22.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 744 sur 825

DE SIRENIBVS, QVAS ALATAS ET SEMIuolucres fingunt plerique ueterum.

SIRENES ab aliquibus etiam inter nymphas connumerantur, (inquit Gyraldus,) quæ & à patre Acheloides cognominatę fuerunt, de quibus Homerus in Odyſſ. 12. & Orpheus in Arg. itemq; Apollonius in quarto, (ne Latinos commemorem,) in commentarijs Tzetzes in Heſiodum, quod & ipſe in Muſis retuli. Filiæ dicuntur Terpſichores ſeu Melpomenes & Acheloi, (uel Acheloi & Steropes Amythaonis filiæ, Euſtathius.) Seruius tamē Calliopes ait. Quidam tres commemorant, Parthenopen, Leucoſiam, & Ligiam. (Παρθενόπη, Λίγεια καὶ Λευκωσία apud Stephanum,) Alij duas tantum, & ſine nomine, ut Euſtathius notat. alij quatuor: nec qui quinq; ſcripſerint defuere. Græci tradunt Grammatici Sirēnas à pectore habuiſſe ad ſuperiora στρουθῶν, id eſt paſſerum, ſpeciem: inferiora uerò mulierum. De his ita propemodum Seruius: Sirēnes ſecundum fabulam tres, in parte uirgines fuerunt, & in parte uolucres, Acheloi fluminis & Calliopes Muſæ filiæ. harum una uoce, altera tibijs, alia lyra canebat. & primò iuxta Pelorum, pòſt in Capreis inſula habitauerunt: quæ illectos ſuo cantu in naufragia deducebāt. Secundum ueritatem, meretrices fuerunt, quæ tranſeuntes quoniam ducebant ad egeſtatem, his fictæ ſunt inferre naufragia. has Vlyſſes contemnendo deduxit ad mortem. Buccatius ex Albrio ignobili ſcriptore, eis uirgineum corpus umbilicotenus attribuit, & gallinaceos pedes. Quidam eas in pratis, ubi multa eſſent mortuorum corpora ſtatuerunt: uel, ut Vergilius cecinit (Aeneid. 5.) Iamq; adeò ſcopulos Sirenum aduecta ſubibat, Difficiles quondam, multorumq; oſſibus albos. In Bœoticis eſt à Pauſania proditum, Sirenas ab Iunone impulſas, ut cum Muſis canendo certarent: quas cum cantu facile Muſæ uicíſſent, eis pennas euulſerunt, ſertaq; ex ijs ſibi effecēre. Stephanus & Apteram (Ἄπτερα potius neutro genere, numero plurali) urbem in Creta ex re appellatā ſcribit, quo loco certamen fuit. Strabo de Sirenis libro primo agit, deq; earum ſacello, & Sirenuſis inſulis, quæ ue loca ipſæ incoluerint. Prætermitto quæ traduntur à Palæphato, & à Fulgentio, ne nimius ſim: ſi uacat, eos legito, Hæc omnia Gyraldus.

¶ Lycophron Harpyias (Sirenes lege ex Iſacio Tzetze) uocat ἁρπυιογόνους, quaſi ὀρνιθογόνους. erant enim alatæ, & partes inferiores ſicut aues habebant: quas cum Muſæ cantu uicíſſent, pennis earum coronatæ ſunt, excepta Terpſichore quæ mater erat Sirenum, hæc circa Cretam geſta aiunt, unde & Ἄπτερα dicta eſt Cretæ urbs, quòd illic uictæ Sirenes pennas amiſerint. Erant autem Sirenes (ut diximus) infra aues; ſuperius homines, & circa Tyrrheniam habitabant, Varinus in Harpe. ¶ Nec Sirēnes impetrauerint fidem, licet affirmet Dino, Clitarchi celebrati autoris pater, in India eſſe, mulceriq; earum cantu, quos grauatos ſomno lacerent, Plinius. ¶ Monſtra maris Sirēnes erant, quæ uoce canora Quaslibet admiſſas detinuēre rates, Ouidius. ¶ Sirenuſſæ, Σειρηνοῦσαι, memorantur inſulæ in Italia iuxta fretum Siculum, in ipſo promontorio loci auulſi ſitæ: qui locus intra ſinus ſuos continet Cymen & Poſidoniam, ubi etiam templum Sirenęum eſt in magna ueneratione. Meminit Stephanus. & Strabo lib. 5. Athenæum ſiue Prænuſſum promontorium iuxta ſinum Poſidoniaten, in quo templum Mineruæ eſt ab Vlyſſe conditum, circunflectenti, exiguæ tres (inquit) occurrunt inſulæ, ſaxoſæ atq; deſertæ, quas Sirenas appellant, &c. ¶ Surrentum, Συρρέντιον, Campaniæ oppidum à Græcis conditum, quod alio nomine dicitur Petræ Sirenum. Meminit Plinius lib. 3. cap. 5. his uerbis, Surrentum cum promontorio Mineruæ, Sirenum quondam ſedes. De hoc & Vergilius Aeneid. 5. Iamq; adeò ſcopulos Sirenum aduecta ſubibat.

¶ Euſtathius in commētarijs ſuis in Odyſſeæ 12. de Sirenibus ſcribit ex Heſiodo, uentos etiam ab eis demulceri in fabulis tradi, ita ut mare tranquilletur. (Et alibi, unā ex eis Ligeiam dictam παρὰ τὸ λιγαίνειν,) Et quòd cum uitam uirgineam ſibi delegiſſent, per iram Veneris in aues conuerſæ (ὀρνιθωθεῖσαι) in Tyrrheniam auolarint, & Anthemuſam quādam inſulam incoluerint in mari Tyrrheno. Homerum Σειρήνοιν protuliſſe in duali numero tanquam duę tantū Sirenes fuerint, quarum aliqui nomina dicunt Aglaophēme & Thelxiepeia. alios tres facere, Parthenopen, Ligeam & Leucoſiam, ut Lycophron: & Parthenopes tumulum apud Neapolitanos eſſe. ijdem (inquit) alatas faciunt, non item Homerus, facturus eas alioqui ſequentes & aduolantes ad fugientem Vlyſsis nauem. Addunt aliqui ueterum, eas præ dolore quòd ſolus Vlyſſes cantu earum inuictus præteruectus eſſet, in mari ſe præcipitaſſe, & undis eiectas eſſe in loca ab eis denominata. Sunt qui natas eas dicant è ſanguine qui manārit è cornu Acheloi cum lucta ab Hercule uictus eſſet. Sirenum & ceræ Plutarchus etiam in Sympoſiacis meminit. Sirēnes etiam aſtra dicuntur, ut ſcribit author Lexici Rhetorici, à uerbo σειαίνω, quod eſt fulgere, lucere, inflammare, unde & Sirius (canis ſydus) priuatim & per excellentiā ita dictus. Eſt qui σειρὰζειν uerbum interpretetur, σφίγειν, πνίγειν, (quod factum coniectio à nomine σειρὰ catenam ſignificante.) Eſt & apud Ariſtotelem animalculum inſectum quod ſiren maſc. genere uocatur, uidetur autem illud quoq; ædere uocem quandam σημαίνουσαν, (id eſt futurum aliquid ſignificantem.) Κηλιδόνας quædam à Pindaro memorantur, quæ ſuauitate cantus ſui ita demulceant (κηλεῖν Græcis demulcere eſt) auditores, ut alendi corporis obliti contabeſcant: quò ille nomine Sirēnásne an alia quædam dæmonia canora ſignificārit, incertum. ¶ Sirenum fabulam uariè interpretantur, allegoricè, hiſtoricè, phyſicè. Per allegoriam enim ſignificare uidentur illam philoſophiæ partem quæ contemplationi rerum incumbit, cum aliarum tum naturalium,

ralium, & hiſtoriæ & matheſeos cognitioni, quieta & ab actionibus remota. Itaq; canunt apud Homerum omnia ſe noſſe, & hiſtoriam belli Troiani & quæcunq; in terra euenerint, ut quiſquis ipſas audierit, illum tum lætiorem ex uoluptate percepta, tum cognitione ſapientiorẽ abire. Quanquam autem hæc philoſophiæ pars & uoluptatis & eruditionis multum habeat, ita ut hominem uix à ſe dimittat, & ad officia actionesq; humanæ uitæ neceſſarias, ut circa res in familia aut repub. gerendas, progredi uix patiatur, (unde etiam ligatus fingitur Vlyſſes, tanquam ad omnem actionem impeditus,) philoſophum tamen qui per Vlyſſem indicatur, non nimium his ſtudijs immorari decet, ſed contentum hanc uoluptatem ſe deguſtaſſe, nec omnino taliũ rerum cognitionis ſe expertem eſſe, ad ea quæ in hominum utilitatem adminiſtranda & prudenter gerenda ſunt pergere, uinculis quibus agere prohibebatur ſolutis, ut non ſibi tantũ ſed alijs quoq; natus uideri poſsit, & perfectus eſſe philoſophus cum parte illa quæ cõtemplatur, tum altera quæ agit & mores ac uirtutes officiaq; exercet. ¶ Sunt qui Sirẽnas pſaltrias quaſdam & meretriculas fuiſſe coniciant, quæ tranſeuntes uiatoris priuatos, non mori quidem (hæc enim fabuloſa hyperbole eſt) ſed miſerè in poſterum uiuere effecerint. ¶ Alij ſenſerunt fuiſſe loca caua, è quibus continuus quidam ſpiritus emitteretur, qui per fiſtulas quaſdam ab incolis appoſitas ſonum tam ſuauem reddiderit, ut prætereuntes ad ſe alliceret & in admirationem aliquandiu immorantes traheret. Et ſanè cõſtat huiuſmodi ueluti cantum ſponte naturæ multis in locis ędi, non modo cauis ore anguſto (ὃ μόνον ὦδι συσόμων τόπων:) ſed in littoribus etiam modicè cauis, ad quæ undæ per motus diuerſos alliſæ ſonum non ingratum eliciunt. ¶ Athenæus coqui cuiuſdam facetè per Sirenum fabulam iocantis hæc ferè uerba recitat: Si ſemel culinam meam arte inſtituero, id planè futurum uidebis, quod olim circa Sirenes contigit. Præ ſuauitate enim nidoris nullus per proximum uicum tranſire poterit: ſed accedens quiuis hians ad fores tanquam affixus ſtabit, donec alius quiſpiam naribus obturatis adcurrẽs eum abſtraxerit, Hæc omnia Euſtathius in duodecimum Odyſſeæ, ex tempore à nobis conuerſa.

¶ Sirenes exiſtimare conuenit illecebroſas & fraudulentas eſſe uoluptates: quæ delicatis, blandis mellitisq; præſtigijs omnes homines grauiter irretiant, quicunque præſentem uitam tanquam mare quoddam nauigant. Has uoluptates ille ſuperabit, qui exemplum Vlyſsis imitatus, animæ facultates & ſenſuum inſtrumenta connata, diuinis rationibus actionibusq; ueluti cera referſerit, ita ut inani nullo relicto ſpatio, illæ fruſtra occinentes admitti experiantur: corporeos autem impetus robuſtiſsimo philoſophiæ uinculo cõpeſcuerit, externisq; machinis inexpugnabiles effecerit. Hoc enim pacto licet ſentiens non ſentire uidebitur, & audiens obaudire. Etenim uoluptates ſimpliciter expertum eſſe, non ſtatim animam corrumpit, ſed per omnem uitam ipſis adhærere uelle temperantiæ optimarum actionum immemorem, hoc uerò eſt quod præſentem animæ internecionem affert, Author incertus qui morales interpretationes errorum Vlyſsis condidit, quas nos aliquando è Græcis Latinas fecimus.

¶ Apollonius Argonautas ſcribit mare nauigantes uidiſſe inſulam Anthemoëſſam (ſic & Heſiodus uocat,) in qua Sirenes fuerint. Ἔνθα λίγειαι Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες ἠδ' ἑκάτερθε Θέλγουσαι μολπῇσιν, ὅς τις παρὰ πείσματα βάλοιτο. Addit eas Acheloi & Terpſichores filias eſſe, & comitatas aliquando Proſerpinam adhuc uirginem, aliàs auibus, aliàs uirginibus ſimiles aſpectu. Nomina earum à Scholiaſte annotantur hæc, Thelxiópe uel Thelxinóë, Molpè, & Aglaóphonos.

¶ Siren uel ſirena, ut recentiores quidam Grammatici ſcribunt, monſtrum maris eſt ſic dictum ἀπὸ τοῦ εἴρειν, quod cõnectere uel retinere ſignificat. Vel à σειρὰ quod eſt catena, eò quòd libidinis uinculum Sirenes fuerint. uel à σύρω quod eſt traho, unde quidam per ypſilon ſcribunt, ſed perperam. Vel à uerbo σέω. Sed friuolæ iſtæ Grammaticorum coniecturæ ſunt, quarum una ſi mihi recipienda foret, παρὰ τὴν σειρὰν, id eſt à funè uel catena Sirenes fuiſſe dictas præ cæteris probarim: quòd audientes ſcilicet uoce illarum capti ab ea tanquam fune penderent, & tanquam alligati traherentur, ut ab Herculis Gallici ore procedẽte catena uincti quidam illum ſequuntur apud Lucianum, quod ad demonſtrandam eloquentiæ uim confictum eſt. Nec diſplicuerit ſi quis à ſar Hebraico uerbo deriuet, quod canere & pſallere ſignificat. Eiſdem zar ligare eſt, unde σειρὰ forte dicitur, quod eſt funis & uinculum. ¶ Σειρῆνες, αἱ ἢ ψυχῆς ἁρμόνιοι καὶ μουσικαὶ δυνάμεις, Suidas: apud quem etiam Σειρῆνιον μέλος legimus. Sirenes fabulantur fuiſſe ſpecie muliebri à thorace & ſuprà, inferiùs uerò auitia, Idem. Et rurſus, Σειρῆνας φασὶ θηλυπρόσωπα ὀρνίδια εἶναι, &c. hoc eſt, Sirenes aiunt aues quaſdam facie muliebri fuiſſe, quæ præternauigãtes uocis dulcedine demulſos meretricio cantu deceperint, & tandem mori compulerint. Rei autem ueritas eſt, eſſe locos quoſdam marinos (τόπους θαλαττίους, in ipſo ſcilicet mari uoragines, non in littore) in anguſtum redactos inter colles quoſdam eminentiores, (ὀρεσί πῃ ἐσφιγμένους, quales nimirum circa Syrtes ſunt, ubi colles ſeu tumuli arenarum ſub ipſo mari ſunt, niſi quis malit anguſtias maris inter ſcopulos aliquos montium inſtar utrinq; extra mare eminentes intelligere) in quibus undæ marinæ compreſſæ & conflictantes argutum quendam ſonum ædunt, quo percepto pręternauigantes, & fluctibus ſe credentes, unà cum nauibus intereunt. Cæterum Sirẽnes & Onocentauri apud Eſaiam dæmones quidam ſunt, certa quadam corporis figura aſſumpta, ad deſolationem ciuitatis alicuius, ira numinis. Syri uerò cygnos interpretantur. Hi enim loti ex aqua ſurſum in aerem uolant, & ſuauem quendam cantum ædunt. Vnde Iob. 30. Frater factus ſum Sirenum (לְתַנִּים, letannim, draconũ, Hieronymus & Munſterus) & ſocius paſſerum,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 746 sur 825

(στρθῶν, ſtruthocamelorum, ut hoc in loco Suidas accipit.) Hoc eſt, calamitates meas cano, quemadmodum Sirenes, Hucuſq; Suidas: qui illud etiam ex Græco quodam epigrammate citat: Καὶ τὸ λάλημα κεῖνο τῶν σειρήνων γλυκύτερον. Habitabũtq; ibi filiæ ſtruthionis (iaana) & piloſi (dæmones, ſeirim, ſatyri,) Eſaiæ 13. Vox quidem ſeirim accedit ad ſirenes. Sed Septuaginta pro ieanim uertunt ſirenes, uide in Struthione A. Σειρήνων, οἱ μὲν ἔξω γυναῖκας φασὶ μελῳδίσας, ὁ δὲ Ἀκύλας στρθοκάμηλον, Heſych.

¶ Vobis Acheloides unde Pluma, pedesq; auium, cum uirginis ora geratis:
An quia cum legeret flores Proſerpina uernos,
Quam poſtquàm toto fruſtra quæſiſtis in orbe,
Poſſe ſuper fluctus alarum inſiſtere remis
Vidiſtis ueſtros ſubitis flaueſcere pennis.
Tantaq; dos oris linguæ deperderet uſum,
In comitum numero mixtæ Sirẽnes eratis?
Protinus ut ueſtram ſentirent æquora curã,
Optaſtis, facilesq; deos habuiſtis, & artus
Ne tamẽ ille canor mulcẽdas natus ad aures,
Virgineí uultus, & uox humana remanſit,

Ouidius lib. 5. Metam. unde apparet malè quoſdam ſcripſiſſe poſtremã Sirenum corporis partem in piſcem deſinere, authoritate Ouidij: cum hoc neq; Ouidius, neq; alius quiſquam ueterum ſcripſerit: etiamſi pictores aliqui noſtri temporis Sirẽnas inferiùs piſces faciant, decepti nimirum uocabulo uulgi, quod huiuſmodi mõſtra marina uirgines marinas uocitat, itaq; ſuperius uirgines pingunt, & inferiùs piſces, quoniam in ipſo mari eas degere putant atq; natare: ad quod piſcium non auium forma requiritur. Sed hæc forma Nereidum potius quàm Sirenum fuerit, de quibus inter Aquatilia nobis ſcribendum eſt. ¶ Siren, Σειρὼ, dicitur etiam genus tunicæ tenuis & perſpicuæ, qualem ſcilicet ſub Sirio (id eſt in magno æſtu) geſtari cõuenit, Suidas. uideri autem poteſt talis tunica ſerica eſſe cum & res & nomen conueniant. ¶ Neſcio quis in Lexicon Græcolatinum retulit, ſirenem etiam auiculam quandam eſſe, quod ego apud nullum hactenus probatum authorem legiſſe memini. Galli quidem uulgò canoram quandam auiculam & ſuauiſsimè argutam ſua lingua ſerin appellant, fortè quaſi ſirenem. eſt autem ea ueterum acanthis. ¶ Βίᾳ δὲ ὥσπερ ἀπὸ τῶν Σειρήνων ὑπηχούμενοι τὰ ὦτα, οἴχομαι φεύγων, Plato in Symposio. Οἱ πέλαγος ἐὰν ἰδωσιν ἡμᾶς σμαλεγομένους, καὶ παραπλέοντας σφᾶς ὥσπερ Σειρήνας ἀκηλήτους, ὁ γόητας ἔχοντας παρὰ θεῶν ἀνθρώπους ἀδύναι, πάχ' ἂν δεῖν ἀγαθόν, Idem in Phædro.

SITARIS, Σιτάρις, auis, Varinus. De ſitta aue inter picos diximus.

SMERINTHVS, Σμέρινθος, auis quædam, & funiculus, Heſych. & Varinus.

SODES, (Σῶδες, ός,) uiſco decipiuntur, Oppianus Ixeut. 3.

SPARASION, Σπαράσιον, auis paſſeri ſimilis, ſecundum aliquos ſcips, Varinus.

SPERGVLVS, Σπέργυλος, auicula agreſtis, Heſych. & Varinus.

SPHICAS, Σφίκας, genus auis, ut quidam in Lexicon Græcolat. retulit, ſine authore.

SPYNGAS, Σπύγγας, auis, Heſychius. dicta nimirum à uocis ſono.

SPINTVRNIX eſt auis genus turpis figuræ, occurſatrix, unde artificum perditas. Spinturnix ea Græcè dicitur, ut ait Santra, σπίνθαρις, Feſtus. eſt autem locus obſcurus & mutilus. Eandem incendiariam uocant. Vide ſuprà in Elemento 1. Græci σπινθῆρα & σπινθάρυγα ſcintillam uocant. Incendiaria autem auis dicenda putatur quæcunque ex aris uel altaribus carbonem (ardentem nimirum & ſcintillantem) rapuerit.

STETHIAS, Στηθίας, auis quædam, Heſych. & Varinus. nomen ei à pectore factum apparet, quod fortè inſigni aliquo colore in ea conſpicuum eſt: ut à ruffo pectoris colore rubeculam Itali pechietto quaſi pectorinum uocitant.

DE STRIGE.

VOLVCRVM ueſpertilio tantũ mammas habet, fabuloſum enim arbitror de ſtrigibus, ubera eas infantiũ labris immulgere. Eſſe in maledictis iam antiquis ſtrigem conuenit: ſed quæ ſit auium, conſtare non arbitror, Plin. ¶ Ouidius libro ſexto Faſtorum tradit Ianum cum Crane nympha concubuiſſe, & pro concubitu ius cardinis ei donauiſſe, ut à cardinibus ſcilicet & foribus noxia & infauſta omnia depellere poſſet: & eo munere illam ſtriges nocturnas aues, quæ Procam infantem infeſtabant, & corpore unguibus laniato ſanguinem eius exorbebant, adhibitis precibus, ceremonijs, ſacrificijs & uirga de ſpina alba, abegiſſe. Ipſas autem ſtriges his uerſibus deſcribit,

Sunt auidæ uolucres, non quæ Phineia menſis
Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ,
Nocte uolant, puerosq; petunt nutricis egentes,
Carpere dicuntur lactentia uiſcera roſtris,
Eſt illis ſtrigibus nomen, ſed nominis huius
Siue igitur naſcuntur aues, ſeu carmine fiunt,
Guttura fraudabãt, ſed genus inde trahunt.
Canicies pennis, unguibus hamus ineſt.
Et uitiant cunis corpora rapta ſuis.
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Cauſa, quòd horrenda ſtridere nocte ſolent.
Nenia (ſic habet codex noſter. nænia quidem gen. fœ. carmen eſt lugubre.) in uolucres falſa figurat anus, In thalamos uenère Procæ, &c.

Eſt igitur, aut fingitur, ſtrix auis nocturna, inauſpicata, à ſtridore dicta, uel, ut Feſtus ait, à ſtringendo: fortaſsis quòd noctu pueros conſtringere exiſtimentur. Quod trepidus bubo, quod ſtrix nocturna queruntur, Lucanus lib. 6. Plumamq; nocturnæ ſtrigis, Horatius. Infauſtæ ſtrigis omen triſte, Seneca Herc. fur. Semper & è tectis ſtrix uiolenta canat, Tibul. lib. 1. Eleg. Strix nocturna ſonans,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 747 sur 825

ſonans, & ueſpertilio ſtridunt, Author Philomelæ. Lamias puerorum eſſe terriculamenta uel ex Apuleio ſatis conſtat, ſunt qui ſtriges putant, quæ infantium in cunis ſanguinem ſugunt, Gyraldus. Sed de lamijs abunde ſcriptum nobis eſt in Quadrupedum uiuip. hiſtoria.

¶ C. Titinius poeta fabulas togatas ſcripſit, ex huius ſententia Q. Serenus puero qui ſit à ſtrige faſcinatus, allium præcepit annecti, quòd eo præſidio & amuleto ſeruetur, his carminibus: Præterea ſi fortè premit ſtrix atra puellos, Viroſa immulgens exertis ubera labris, Allia præcepit Titini ſententia necti, (noſtri codices non rectè habent, Vecti, tanquam nomen proprium, ut Gyraldus monet:) Qui ueteri claras expreſsit more togatas. ¶ Si utrunq; oculum uiuentis hyænæ extraxeris, & alligaueris utriq; brachio in purpureo panno, abiges omnem timorem nocturnum, & ſtrix quæ necat infantes & partubus inſidiatur, & omnis dæmon fugiet, Kiranides.

¶ Striges dicuntur inauſpicatæ aues quæ ſyrnia Græcè nuncupantur, à quibus nomē inditum maleficis mulieribus, quas (ut ait Feſtus) uolaticas etiam dicebant. Itaq; ſolent (inquit) eas auertere ijs uerbis: Σύρνια πομπδύναμ νυκτίνομα, σρίγγα δ' τ' ὀλεθρ ὄρνιν ἀώνυμον, ὠκυπόρον τε πνίκα, (codex noſter impreſſus, πνύκα per υ. habet, non probo.) Hæc ideo appoſui, quòd erant in Feſto deprauatiſsima: nec ante diem hunc quiſquam ea uerba legit, nedum ut intelligere potuerit, literis mutilatis & malè conſequentibus. Eſt autem ſenſus, Vti ſyrnia noctiuaga, ſtrigesq; deteſtabiles inauſpicati nominis, & uelocis offocationis alites abigātur, Hermolaus. Ego tres aues diuerſas, omnes inauſpicatas, in uerbis iſtis Græcis nominari dixerim, cum ſuis ſingulas epithetis: nempe ſyrnia νυκτίνομα, (ſic enim potius legerim quàm νυκτίκομα,) & ſtrigem pernicioſam abominabilem auem, & pnica (uel pniga) ὠκυπόρον, id eſt uelocem uel celerem. Et fortè pnix auis quædam credita fuerit, quæ noctu πνίγειν, id eſt ſuffocare dormientes conaretur: quemadmodū & incubus, pnigalion Græcis uel ephialtes dictus, (item ἀπέλλης uel ἀπόλλης,) eiuſdem maleficij monſtrum ſiue ſpectrum nocturnum uulgò creditur, noſtri uocāt das Schrättele: alij Schretzlin/ Jochimcken/ Nachtmänle. Angli mare, id eſt equā. Niſi quis ſyrnium tantum & ſtrigem pro auibus accipiat, πνίκα uerò pro incubo ſpectro. Medicis pnix hyſterica, ſuffocationem ex utero ſignificat.

¶ Στρίγξ pro ſtrige apud Vuottonū reperio, ex Feſto nimirū, qui σρίγγα nominat in accuſatiuo. Στρίγλες, τὰς ὠτὸς τῦ κρέατος, νυκτίφυτον, (legendum uidetur ὄρνιν νυκτίφοιτον:) καλεῖται δὲ καὶ νυκτόβοα, οἱ δὲ νυκτικόρακα, Heſych. & Varinus. De nycticorace plura diximus ſuo loco. Noctua etiam à nonnullis νυκτόβας dicitur, quaſi νυκτόβοα nimirum. Strix auis Græcè σίαργος dicitur, ſi rectè neſcio quis hoc uocabulum Ambr. Calepini dictionario adiecit: quod ego apud authorem nullum reperio, ut neq; ſimile aliud præter σύρνιον apud Feſtum. A ſtrige aue nocturna ſtriges appellamus mulieres puellos faſcinantes ſuo contactu, & lactis munerumq; oblatione, Calepinus. Striges non à ſtringendis infantium corporibus, ut quidam falſo exiſtimant, (atqui Feſtus eas à ſtringendo dictas ait,) ſed à ſtridore nomen habent, Perottus.

¶ Striges aues ſunt nocturnæ, ſic etiam uulgo appellatæ, Volaterranus. Italicum uulgus ſtrígas uel magas uocat uetulas, quæ transformentur in feles & alias formas animalium diuerſas, & ſanguinem infantium ſugant, Fr. Alunnus. Scoppa Italus Grammaticus ſtrigem interpretatur la ianara, fattureia, la ſtrea, ſtria. Et alibi lamiam quoq; la ianara, ſtrea, la magara. Nomen quidē ſtrea uidetur accedere ad Germanicum Schrettele, quo incubum ſignificamus. ¶ Gryphes & ſtriges an extent Ang. Decembrius quærit parte 68. ſed certi nihil adfert. ¶ Strix à uulgo ama (amma, Albertus per m. duplex. ſic autem Germanicè uocatur nutrix quæ lactat infantem,) uocatur eò quòd pullos amat. & (uel) ſic dicitur, quòd ſola inter aues pullis humorem lacteum inſtillat, Author de nat. rerum & Albertus. atqui ueteres ſtrigem non ſuis pullis, ſed pueris & infantibus noctu lac inſtillare ex uulgi opinione tradunt.

¶ Strygis, Στρύγις, ή, frumenti genus apud Hippocratem, quod tritico leuius eſt, & uentrem magis ſoluit: ſunt qui dubitent an pro trago accipiant. Grammatici quidam recentiores, ſtriges interpretantur olera uilia apud Plautum, cuius hæc in Pſeudolo uerba ſunt: Et homines cœnas ſibi coquunt: quum condiunt, Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus. Sed quærendum an hîc etiam ſtriges genus illud frumenti indicetur, quod ſtrygis Hippocrati dicitur, uilius nimirū cæteris. ¶ In columna ſtriata pars eminula dicitur ſtria, pars caua ſtrix, Vitruuius lib. 10. Striæ in columnis partes, & (ut ita dicam) femora ſunt quæ prominent, exochas Græci uocant: ſicut ipſa caua, hoc eſt canaliculi ſtrigles (ſtriges forte) ab eodem Vitruuio dicuntur lib. 4. Circa ſtriglium (ſtrigum) inquit caua & angulos ſtriarum. item lib. 7. canaliculus earum qui ſtriglix (forte ſtrix) appellatur: Hæc ita citat Hermolaus in gloſſematis ſuis in Plinium. Hinc nimirum ſtrigiles dicūtur canaliculi è ligno aut ferro dentati, quibus pellis animalium perſtringitur & abſtergitur. ¶ Striga eſt ordo rerum inter ſe continuatè collocatarum, ut ait Feſtus, quòd unà ſint conſtrictæ. Similia & Germanis uocabula ſunt, ein ſtrich/ ein ſtrym: hoc eſt ductus rectus, oblongus, latitudinis nullius uel modicæ plerunq;. Strigoſa animalium corpora dicimus (præſertim in pecore & equo) malè habita & gracilia, hæc enim ſtrijs & rugis deformantur. Sunt qui ſtrigoſum dictum putent, quaſi à ſtrige exhauſtum, Perottus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 748 sur 825

DE STRVTHOCAMELO.



A.

STRVTHOCAMELVS nomen Græcum eſt, quod etiam Latini receperunt, Plinius & alij: etſi quidam ſtruthiocamelum ſex ſyllabis ſcribant, quod non probo. Recentiores Latini ſtruthionem dicunt, ut Hieronymus & eo poſteriores: (apud Iul. Capitolinū ſtruthiones Mauros legimus: ſexcentorum ſtruthionum apud Lampridiū) quos etiam docti quidam imitantur, Gaza & alij. Et quoniam Græci στρθὸν μεγάλω uel λιβυκὸν, hanc auem uocant, plerunq; fœminino genere (Ariſtoteles tamē στρθὸς ὁ ὴν λιβύη, maſc. gen. Gaza ſtruthionem Africam dixit, & alibi ſtruthionem Libycum,) recentiorum quoq; nōnulli fœm. gen. ſtruthionem magnam uel Li-

uel Libycam dicunt. Nō desunt etiam ex recentioribus qui struthium efferant, ut Valla in translatione Herodoti lib. 4. ut & apud Philostratum in uita Apollonij στρουθοὶ πολλαὶ. Gaza ex Theophrasto de hist. plant. 4. 4. struthum inquit generari in parte Africæ qua non pluit, ubi etiam Græcè στρουθὸν simpliciter legimus κατ' ἐξοχήν. Struthionem magnam Sextus Pompeius & Ausonius passerem marinum appellant, Gillius. Passer marinus quem uocat uulgus struthiocamelum, Festus. Sipontinus stritomellum legit, & auis genus esse dicit, quod non probo. Est & passer marinus inter pisces Plinio. Persa apud Plautum curriculo uolare iussus, respondet: Istuc marinus passer per circum (facere) solet. quod ego de struthocamelo acceperim, non de pisce. ¶ Στρουθὸς μεγάλη Aristophani in Auibus nominatur. Struthocameli nomen ueteribus inusitatum est, qui has aues στρουθὸς μεγάλας appellant, Galenus lib. 3. de alimentis, cap. 19. Aelianus quoq; passim στρουθὸν μεγάλην uocare solet. Λίβυσσα ὄρνις, id est Libyca auis, eadem struthocamelo, ut in hoc carmine: ἀλλὰ λίβυσσα Στρουθὸς ἁλισκομένη πλάζεται ἀμφοτέρους, Varinus. Afra auis, struthio, Acron in Horatium. Græcè hodie uulgò στρουθοκάμηλος dicitur.

¶ Azida iuxta physiologum, auis eadem est quæ struthio, Obscurus. Asida à quibusdā Græcè uocatur, ab alijs cameleon, Albertus. sed pro cameleon, scribendum struthocamelus. Asida uerò Hebraicum nomen (non Græcum) esse uidetur, non tamen asida sed chasida ab Hebræis profertur, (uide in Ciconia A.) & nominatur Iob. 39. unà cum neelasa aue, quam Kimhi pauonem, Chaldæus gallum syluestrē interpretatur. R. Abraham putat esse סטרוצא, struza, id est struthionē. בת יענה, bath iaana, Dauid Kimhi ponit in themate ain, עין, & exponit aues degentes in solitudine, quæ uocem lugubrem emittant. Idem ait bath, בת, minorem esse: ieanim, יענים, maiores. Esaiæ 13. Septuaginta sirenes transferunt. Hieronymus struthiones. Animal esse aiunt semper solitudinis appetens: quod cum pennas habere uideatur, tamen de terra altius non eleuetur, & hoc struthioni conuenit, ut & Scripturæ loci omnes, in quibus huius animantis fit mētio. Deuteronomij 14. (& Leuitici 11.) Chaldæus interpres habet בת נעמיתא, bath naamitha. Arabs נעאמה, neamah. Persa prætermisit, nimirum eandem uocem positurus, ut per uersum totū fecit. Septuaginta interpretes στρουθὸς, Hieronymus struthio. Struthio auis est deserti, Hebraicè iaenah, ab ululatu sic dicta. ianah enim ululare est aliquando Hebræis: unde est quòd quidam ululam interpretantur. Dicitur bath iaenah, id est filia struthionis, eo quòd homines fœmella ferè uesci solent, & cum adhuc parua est, teste R. Dauid Kimhi in libro Michlol, P. Fagius. Iaanah Iob 39. secundum Abraham est struthio. uide in Noctua A. Iob inquit se factum esse fratrem sirenum, & socium στρουθῶν. στρουθὸς autem dicit quos nos struthocamelos uocamus, Suidas in Sirenibus. Sirenes ethnici (οἱ ἔξω) interpretantur mulieres quasdam musicas, (μελῳδοὺς,) Aquila uerò struthocamelum, Hesych. Habitabuntq; ibi filiæ struthionis, (iaanah,) Esaiæ 13. interprete Munstero. Esaiæ etiam cap. 34. iaanah. Sunt qui ranan quoq; Hebraicam uocem, struthionem transferant. uide in Gallo syluestri. Thalim, id est struthio mas, Syluaticus. Vetus glossographus Auicennæ legit Thaliz. codices nostri Auicennæ 2. 719. Thalium habent. Thalium (inquit) explicauimus in capite de struthione. Vox fortè Persica fuerit. Naam, id est struthio auis, Syluaticus. Codex noster Auicennæ 2. 523. habet nahā: Bellunensis legit Nham: & est (inquit) auis struthius. alia lectio, nacham, quæ est auis magna palustris. ¶ Græcum nomen ut Latina, sic linguæ aliæ pleræq; seruant, utpote auis peregrinæ. ¶ Italicè nominatur struzzo, uel sturzo apud Scoppam. ¶ Hispanicè auestrúz. Lusitanicè ema di gei. ema enim simpliciter gruem eis designat. ¶ Gallicè autruche uel austruche. ¶ Germanicè Strauß/Struuß. ¶ Anglicè an oistris uel ostrige. ¶ Illyricè pstros. Polonicè strus.

B.

Apud Afros pastorales ad orientem reperiuntur struthij subterranei, (στρουθοὶ καταγαῖοι,) Herodotus lib. 4. interprete Valla. Parte Africæ qua nunquam pluit struthum gigni aiunt, Theophrastus de hist. plant. 4. 4. Struthiocamelos Africos & Aethiopicos Plinius nominat. Struthi magni in Arabia non pauci sunt, Xenophon lib. 1. Anabas. Diodorus Siculus etiam in Arabia has alites gigni scribit. Apollonius dextra Gangen, sinistra uerò Hyphasin fluuios habens ad mare descendit: in quo itinere struthiones multi ei occurrerunt, Philostratus lib. 3. de uita Apoll. Prouincia Abasię struthiones grandes habet, asinis haud minores, Paulus Venetus 3. 45. In nostras terras rarò aduehuntur, Venetias aliquando & Antuerpiam.

¶ Struthio Africus eodem modo (ut uespertilio) partim auem, partem quadrupedem refert: quippe qui ut non quadrupes pennas habeat: ut non auis, sublimis non uolet, nec pennas ad uolandum commodas gerit, sed pilis similes, (πτερὰ τριχώδη.) item quasi quadrupes sit, pilos habet palpebræ superioris: & glaber capite & parte colli superiore est, itaque cilia habet piliosiora. sed quasi auis sit, infrà pennis integitur. Bipes etiam tanquam auis, bisulcus tanquā quadrupes est. non enim digitos habet, sed ungulam bipartitam: quarum rerum causa, quòd magnitudine non auis, sed quadrupedis est. Magnitudinem enim auium minimā esse, propè dixerim, necesse est. corporis enim molem sublimem moueri nequaquā facile est, Aristot. in fine lib. 4. de partib. anim. Auium grandissimi sunt & penè bestiarū generis struthiocameli Africi uel Aethiopici, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritate uincunt: ad hoc demum datis pennis ut currentē adiuuent. Ungulæ ijs ceruinis similes, (instar ungularum arietis, Obscurus,) comprehendendis lapidibus utiles,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 750 sur 825

quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus, Plinius. Struthiocamelus alitum sola, ut homo, utrinq; palpebras habet, Idem. Tetraonum genus alterum, uulturum magnitudinem excedit: nec ulla auis, excepto struthiocamelo, maius corpore implet pondus, Idem.

¶ Hæc tria ex minimis euadunt maxima animalia: ex aquatilibus, crocodilus: ex uolucribus, magna struthio: ex quadrupedibus, elephantus. τῆς ἄπτοι μεγεθ῀ μὲν ὑπερβάλλον, ὅσον ὑπερθε῀ νώτοις θύρεα πάπτοισι φορέειν νεοθηλέα κῶρον, &c. Oppianus. hoc est, Magnitudo ei eximia, dorsum tam latum, ut puerum lactentem sustinere possit, (uel, ut quidam Italicè scripsit etiam hominem adultum insidentem,) Crura alta, similia cruribus camelorum, crebris corticibus ceu squammis intecta, usq; ad geminos duros poplites. In altum porrigit, caput quidem exiguum, ceruicem uerò magnam & proceram. Collum (inquit Gillius) longum & cyanei coloris est, oculi magni, rostrum breue acutumq;: molles plumæ, ungula fissa. ¶ Arabia fert animalia quædam naturæ duplicis, ut struthiocamelos, qui è struthione camelisq; constant, magnitudine ad cameli nascentis modum, capite sunt pilis minutis, oculis crassioribus nigrisq;, non dissimili forma & colore camelis, collo oblongo, rostro breui atq; acuto, elati, mollibus pennis, duobus cruribus, ungulis bifidis, ut terrestre simul uolatileq; animal uideatur, Diodorus Siculus lib. 3. de fabulosis antiquorũ gestis. Struthocamelus auis quidem est, sed pedes & collum asini habet, Suidas in Sirenes, nescio quàm rectè. quod ad pedes quidẽ asinus solipes, struthocamelus bisulcus est. Struthiocamelus præ cæteris auibus pennas alarum undiquaque æquales habet, Orus in Hierog.

¶ Struthiocamelus à terra non discedit unquam, ut auem dicere non possis, nisi ad formam respicias. Nomen, ut reor, sumpsit, quòd colli & crurium longitudine camelum imitetur. est enim homine ipso paulò procerioris staturæ. Struthio autem passerculus dicitur Græcè, (στρθίον,) quasi per ironiam nomine composito, uelut si quis pygmæum gigantem diceret simul, uel homunculum giganteum. E passeris genere est struthiocamelus, sed cameli magnitudine: collum, rostrum, oculi, caput, anseri, sed pro magnitudine propria respondent. alæ & cauda pennis uersicoloribus, cœruleis, candidis, rubris, nigris, uiridibus: nec ullí auium in pennis tanta iucunditas aut pulchritudo, ob id galeas milites non alijs ornant. Corpus igitur raris plumis, rarioribus crura teguntur, adeò ut humana crura non auis uideantur, nam magnitudine rotunditateq;, ac quòd in angustum, nec admodum, sed sensim iuxta genu finiantur, humanum femur, quodq; plumis careant, cãdida carne, imitantur. Pedes bifidi ut bobus, cũ ungulis, crus ut anseri, sed pro magnitudine, Cardanus lib. 10. operis de subtilitate. Alibi etiam pilos hanc auem habere scribit in superiore palpebra. Alitum sola utrinq; genas habet & palpebras, Perottus. Et rursus, Præter hominem & struthiocamelum nulli animali sunt palpebræ, nisi quibus & in reliquo corpore pili.

¶ Struthio ingens est corpore, rara in plumis, Author de nat. rerum. ¶ Struthio alta est à pedibus ad dorsum circiter quinq; uel sex pedes. collum habet longissimum, caput anserinum, & rostrum respectu sui corporis ualde paruum, iuuenis (primo anno) cinerea est, & tota bene pennata, sed pennis mollibus inualidis. secundo anno & deinceps paulatim in coxis, collo & capite pennas prorsus amittit (naturaliter caluet, Plinius) denudato corpore, sed duritie pellis cõtra frigus munitur. Pennæ dorsi nigerrimæ & instar lanæ redduntur. coxas habet prægrandes, crura carnosa pelle alba, & digitos in pede sicut camelus. item spicula quædam in cubitis interioribus alarum, quibus ferit eos quibus insilit, Albertus. Osiculum paruum sub alis habet, quo se in latere purgat (pungit) & agitat, quum prouocatur ad iram, Author de nat. rerum. In extremis alis, ut audio, ossei quidam mucrones extant, quibus ceu calcaribus inter currendum se incitat, infligendo eos coxis ubi deplumis est, ut in plerisq; alijs partibus corporis. Caput ei exiguũ, cerebrum ferè nullum. ¶ Corpus habet ferè ad magnitudinem asini staturæ mediocris. in pectore magnum os & latum, ad protectionem tanti corporis, Author de nat. rerum. Scriptor quidam Italicus hanc alitem equi grandis altitudinem æquare tradit. ¶ Bestia quædam magis quàm auis, licet pennata, breui capite, protracta ceruice, cætera altegradia, Tertullianus. ¶ Multæ huius auis partes anserinis conferuntur, nisi quòd magnitudine excedunt: ut collum, rostrũ, oculi, caput, crus: nulla alteri alicui auium, sed quædam quadrupedum partibus, præcipuè cameli. quare chenocamelum (ut chenalopeca) potius quàm struthocamelum curiosus aliquis dixerit. ¶ Quidam pictura nostra inspecta, rostrum aiebat latius debuisse exprimi, anserinum ferè: & pedes magis bisulcos ut uituli, eosdemq; breuiores & latiores. Iudicent testes oculati, mihi enim hanc auem nondum uidere contigit.

C.

Vocem eius nunquam audiui, Cardanus. ¶ In struthionis uentre inciso, expurgatis sordibus, lapides inueniuntur, quos hæc posteaquàm deuorauit, in omaso prope reticulũ diu asseruatos concoquit, Aelianus. Ferrum deuoratum concoquit, quia calidissimæ naturæ est, Author de nat. rerum. Ferrum concoquere aiunt: quod ob caliditatem uehementem, & uentriculi contingit crassitudinem, Cardanus. Struthiocamelis mira natura coquendi quæ sine delectu deuorârint, Plinius: ut ferrum & ossa ueruecum integra, Syluius. Struthiocamelum uolunt aliqui (non proprietate ulla, sed) ui sui caloris ferrum concoquere, quod absurdum penitus. Leo enim qui longè quàm struthiocamelus calidior est, ferrum concoquere non potest: Aphrodiseus in præfatione sua in primum librum problematum, ex quo etiam Cælius Rhodig. repetijt. Struthocamelum ferunt ferrũ edere

& con-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 751 sur 825

& concoquere, quod egò non sum expertus. nam ferrum à me pluribus huius generis auibus obiectum est, quod illæ deuorare noluerunt: ossa tamẽ magna in breues partes truncata, & lapides, auidè comederunt, Albertus. Caput huic aliti exiguum, cerebrum ferè nullum. hinc absque delectu quicquid tetigerit uorat, lintea, ferrum, lapides. Verum hæc inconcocta & integra in eius uentriculo manent: & si nimia fuerint, tandem animal ad mortem uel ad tabem deducunt, ut in dissectis apparuit. ¶ Non bene uolat propter corporis molem, Obscurus quidam Aristotelem citans. Struthiocameli Africi uel Aethiopici altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritate uincunt: ad hoc demum datis pennis, ut currentem adiuuent: cætero non sunt uolucres, nec à terra tolluntur, Plinius. Propter grauitatem neq; altius extolli, neq; uolare potest, sed uelociter terra gradi tur, Diodorus Siculus. Non uolat, sed alis erectis currit ut equus, adeò celeriter, Cardanus. Lentè incedit, Idem: nimirum cum non libet festinare, nec est quod urgeat. Auis est densa pennis, (multis pennis, Oppianus,) sed in altum uolare non potest: currit tamen celerrimè, & utrinq; in alas ingruens uentus, tanquam uela eas extendit & sinuat, Aelianus. Adeò uelox est, ut uel cum alite uolante contendere possit, Oppianus. ¶ Pedibus pugnat quibus hominem quoq; prosternit, Grapaldus. uide in E. ¶ Ferunt eam oculo altero cœlum intueri, altero terram, Obscurus. ¶ Non cocunt struthiocameli ut aues, sed auersi ut cameli Bactrianæ, Oppianus. Multum cocunt & multum excrementi habent, sicut gallina & perdix, Obscurus quidam tanquam ex Aristotele citans. Pedibus nidum ex sabulo architectans, in solo humilem nidum fingit, & constituit, cuius medium concauum efficit: labra ambientia alte exaggerat, ac tanquam muro circummunit, ut munitio eminens pluuiam in nidum influere, & pullos etiamnũ teneros alluere prohibeat. Amplius octoginta oua ex sese parit: non tamen uno eodemq; tempore ex ouis pullos excludit, sed ex his partim iam in lucem proferuntur, partim intra oua informantur & cõglutinantur, partim etiam fouentur, Aelianus. Et rursus, Etsi permulta oua parit, non tamen omnia ad frugem perducit. sed fœcunda ab infœcundis secernit, tãtumq; frugiferis incubat, simul & ex ijs pullos excludit, & sterilitate affecta, eis ipsis æditis pullis alimẽta præbet. Plurima ædit oua struthio Africa, post ipsam attricapilla, Aristot. Et alibi, Multiparæ sunt quædam quæ sæpe pariunt sed non multa, ut gallinæ, perdices, struthio Libycus. Plurima pariunt struthiocameli, gallinæ, &c. Plinius. Ouum parit maximum, durissima & quasi lapidea crusta munitum, Oppianus. Oua eius tanta sunt, ut ex transuerso secta, uasa potoria fiant. uide in E. Propter duritiem & spissitudinem testæ non facile franguntur, Albertus. Caput infantis magnitudine referunt, rotunda, cum senescunt ebur effingunt, Cardanus. ¶ Struthio solo uisu ita fouet oua sua in arena recondita, ut ex eis pulli egrediantur in lucem, Obscurus & Cælius Rhod. Variorum 20.5. Oua mense Iulio parit, & in sabulo abscondit, quæ calore Solis excuduntur, ut alia multa oua animalium: & ideo ad ea non reuertitur, quòd nudo corpore ea fouere non possit: & (subinde) respicit ad locum in quo condita sunt, unde falsò aliqui crediderunt quòd uisu ea foueat, Albertus de animalibus lib. 23. Et rursus lib. 6. Struthionis (inquit) oua sub arena calore Solis uiuificantur & exeunt. & ideo prouerbium est (uulgò fertur) quòd ducatur (afficiatur) ad oua tanquam non sua. Exeuntes enim pullos non pascit, qui nati per se statim comedunt. Inutiliter quidem incubaret mater, neq; calore profutura ferè deplumis, & pondere suo grauatura. Iam quòd ea uisu fouere perhibetur, falsum est. nullum enim animal hoc facit. & fortè rarò ea intuetur propter custodiam: unde uulgus imperitum uidendo eam sua oua fouere putat. Non oculis fouet oua, uerùm obseruat. calore enim Solis pulli educuntur, Cardanus. ¶ Struthiocameli naturaliter caluent, Plinius.

D.

Struthio fœtus suos tanto amore prosequitur, ut peracutas etiam ferreas cuspides circa nidum suum à uenatoribus defixas, negligat, atq; ita transfixa morte afficiatur, ut referetur in E. Fertur de natura huius auis quòd matres semper uolent, ac pullos suos relinquant, qui ob inopiam cibi flent atq; ululant. ad quod sæpe alludit Scriptura, ut Micheæ 1. Faciam planctũ sicut dracones, & luctum sicut filiæ iaenah, id est ululæ siue struthionis. item Threnorum 4. Filia populi mei crudelis caiecnim, id est sicut ululæ uel struthiones, P. Fagius. Struthio relinquit oua sua, Iob. 39. ¶ Illa quam uidi mitis erat, reliquarum mores ignoro, Cardanus. ¶ Mira huius auis soliditas in tanta reliqui corporis altitudine, cum colla frutice occultauerit, latère sese existimantis, Plinius. Idem aliqui de perdice ferunt, & inter quadrupedes de bubalo ueterũ seu bubalide, inter pisces de sciæna. Quum effugere uenatores non potest, inter arbusta sæpius aut umbrosa loca caput abscondit, non naturæ desidia, ne uideatur aut conspiciatur ab alijs ut quidam putant, sed quia corporis pars cæteris debilior umbram sibi pro tutela parat, Diodorus Siculus. ¶ Struthio equum naturaliter odit, & miro modo persequitur. equus etiam illam in tantum odit ac retinet (timet,) ut eam intueri non sustineat, Author de nat. rerum.

E.

Struthum Arabicum nemo capere potuit: & equites qui persequebantur mox desistebant. aufugiens enim procul abducebat, pedibus scilicet ad cursum, & alis simul erectis instar ueli utens, Xenophon Anabas. 1. Capitur non ut cæteræ aues uisco aut calamis: sed equis, canibus & retibus, Oppianus. In cursu deficiens lassitudine comprehenditur ab equitibus. etenim in orbem currit,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 752 sur 825

uerùm equites ei orbem præcidentes, currendo defessam assequuntur, Aelianus interprete Gillio. Græcè sic legitur. Θεῖ μὲν γὰρ εἰς κύκλῳ, ἀλλ' ἐξωτέρω περιιόντα, οἱ δὲ ἱππεῖς ὡς ἐνδοτέρω ὑποτέμνονται κύκλῳ, καὶ ἔλαττον περιόντες ἀπαντῶσιν ὡς ἐρόμῳ ἀγρόσιν αὐτὴν χρόνῳ. Quæ uerba hoc sonare uidentur: Currit enim in orbem, sed patentiorem & extrinsecum: equites uerò persequẽtes interiùs & breuiore uia (ὑποτέμνονται pro ὑπολείπονται fortè) circumeunt, donec defessam demum comprehendant. Hanc aiunt cum delitescendum habet, caput solum planè totum incondensum abscondere, reliquam se in aperto relinquere: ita dum in capite secura est, nuda qua maior est capitur tota cum capite, Tertullianus. uide suprà in D. Quòd si quis eam insectetur, propter corporis grauitatem uolando effugere nequit, sed duntaxat explicatis alis, gressu ipso effugere aggredit: sin propior facta est, ut capiatur, obuios lapides sic pedibus retro ad hostes uersus tanquã funda iaculatur, Aelian. & Diod. Sic. Vngulæ ijs ceruinis similes, quibus dimicant, bisulcæ, comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus, Plin. Pedibus pugnat, quibus hominem quoq; prosternit, Grapaldus. Elephanti cum uenatores inuadunt, aures patulas intendunt & pandunt, more magnarum struthionum, quæ uel dum fugiunt, uel dum inuadunt, explicatis alis feruntur, Aelianus. Capitur struthio (inquit idem) ad hunc quoque modum: Cum ipsam sic incubantem (ut in C. relatum est) uir eius uenationis bene peritus animaduerterit, peracutas ex ferro cuspides spiculorum more rectas circum nidum defigit, & alicubi prope in occulto latens, ex insidijs rei euentum acerrimè expectat. Struthio uerò quoniam amore, quem erga fœtus suos acerrimũ habet, flagrans sitienter cum eis uersari cupiat, ex inquisitione pastus reuertitur, ac nimirum priusquam in nidum introcat, huc illuc uersans oculos, circũspectat, quòd metuat ne quis sese speculetur. Deinde ardentissimo pullorum studio uicta, etsi ferrum splendescit, ita tamen alis passis (tanquam uelis contento fune explicatis) intra nidum mirabiliter ingreditur. nam cuspidato ferro trãsfixa, acerba morte afficitur. Venator uero repentinus eò accedit, & simul cum matre pullos capit.

¶ Supra Elephantophagos in Arabia sunt Struthophagi, gens non admodum magna: apud quos aues dicuntur esse, ceruorũ magnitudine, quę uolare non possunt, sed celeriter currunt quem admodum struthocameli. Nonnulli eas arcu uenãtur, nonnulli pellibus struthorum tecti. nam dextram manum pelle colli operiunt, atq; eam sic mouent, quemadmodum animalia collum. sinistra uerò semen spargunt è suspensa pera eductum, eo auem allicientes, in conualles detrudunt, ubi uiri animal circumsistentes obtruncant. Atque hi huiusmodi auium pelles induunt & substernunt, Strabo lib. 16. Mihi quidem aues istæ ceruinæ nõ aliæ quàm struthocameli uidentur, quum in tota descriptione conueniant omnia, nihil aduersetur: & ipsi scilicet struthophagi dicti sunt, quod struthis siue struthionibus quas capiunt, non alijs quibusdã auibus uescantur. adde allici eas à uenatore struthionis pelle induto. conuenit autem aues easdem ab ijsdem allici. Ea etiam quæ de hisce auibus ceruinis Diodorus Siculus scribit, cum struthocamelis per omnia congruunt. Sic autem ille lib. 4. de fabulosis antiquorum gestis Pogio Florẽtino interprete. Populi (inquit) qui partes Aethiopię supra Aegyptum ad hesperum pertinentes habitant, Aethiopes simi: ad meridiem spectantes Struthophagi cognominantur. Est apud eos auium species natura terrestribus animantibus mixta, unde & aues ceruinæ nominatæ sunt. Hæ magnitudine sunt magni cerui, collo oblongo, rotundis lateribus atq; alatis, capite tenui oblongoq;, cruribus ac iuncturis firmissimis, fixo pede. Altè uolare propter grauitatem nequeunt: uerùm ocyssimè summis pedibus terram tangentes, præsertim quum flans uentus alas ueluti nauem extentis uelis impellit, currunt. Venatores feriunt lapidibus, fermè lateris magnitudine, pede iactis. Cessante uento, alarum præsidio destitutæ, cursuq; uictæ, prehenduntur. Harum quum magna sit multitudo, uarijs artibus plurimas barbari facileq; capiunt: & carnes quidem edunt, pellibus uerò pro uestibus utuntur ac lectis. Ab ijs uerò quos simos Aethiopes dicunt, sæpius uenatione lacessitæ, rostris se tuentur: quæ quum magna sint & ad incidendum apta, magno sunt incolis usui, quum haud parua habeatur horum animantium copia, Hæc ille.

¶ Arabes struthocamelorum (στρθῶν) pellibus loco thoracum & scutorum muniebãtur, Pollux. Aethiopes captos à se struthiones excoriant, & carnem in cibo absumunt, pelles uerò cum plumis suis reseruant ut mercatoribus uendant, qui eas in magna copia Alexandriam uenales aduehunt: inde per alia loca distribuuntur. Nam Turcæ etiam pileos suos uel galeas his pennis ornant, Bellonius in Singularibus. Cristas galearũ ex olorinis pennis colligere moris fuit apud antiquos, quom hodie ex struthiocamelo plurimum petantur, Nic. Erythræus. Componebantur olim etiam ex equinis setis hæ cristæ, unde galea hippuris cognominata Grecis. In Gallia audio esse artifices qui non alia quàm huius alitis pennas adornãdi arte uictitent. Præmia, ex struthiocamelis conos bellicos & galeas adornantes pennæ, Plinius. ¶ Oua propter amplitudinem pro quibusdam habentur uasis, Plin. Ex transuerso secta uasa fiunt potoria, Author de nat. rerum. Caput infantis magnitudine referunt, rotunda, cum senescunt ebur effingunt. Suspendi solent in templis, diu enim manent, quòd durissima sint, humoreq; exempto quasi ossea redduntur, Cardanus. ¶ Vrina struthionis atramenti lituras abluit, Hermolaus: tanquam ulla sit auis urina præterquam uespertilionis.

F.

Struthio tanquam auis immunda cibo interdicitur Leuit. 11. & Deuter. 14. ¶ Bath iaenah, id est filia struthionis Hebraicè dicitur, eo quòd homines fœmella ferè uesci solẽt, & cum adhuc parua est, teste

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 753 sur 825

eſt, teſte R. Dauid Kimhi in libro Michlol, P. Fagius. Struthophagi Arabiæ populi ſunt, uide infrà in H.a. Aethiopes captis à ſe ſtruthionibus ueſcuntur, Bellonius.

¶ In ſtruthione elixo: Piper, mentham, cuminum aſſum, apij ſemen, dactylos uel caryotas: mel, acetum, paſſum, liquamen & oleum modicè: & in cacabo facies ut bulliat, amylo obligas, & ſic partes ſtruthionis in lance perfundis, & deſuper piper aſpergis. Si autem condituram coquere uoluerís, alicam addís, Apicius 6.1. Aliter in ſtruthione elixo: Piper, liguſticum, thymum aut ſatureiam, mel, ſinape, acetum, liquamen & oleum, Idem.

¶ Tetracis magnæ carom agnorum ſtruthionum carni (quam & ipſam ſæpe guſtauimus) non diſsimilis eſt, Athenæus. Sunt qui uelint pauonis carnē craſsi & modici alimenti, ac difficilis concoctionis eſſe, melancholiamq; augere. eiuſdemq; naturæ ſtruthij caro habetur, quem Africa peculiariter nutrit, Platina. Caro ſtruthionis omnium craſsiſsima iudicatur, eam ob cauſam uitanda, Raſis. Ex grandibus ſtruthis membra omnia dura, excrementoſa & concoctu difficilia ſunt, Galenus de cibis boni & mali ſucci, & lib. 3. de aliment. facult. Alæ eorum non ſunt deteriores cæterarum auium alis, Idem. Carnem nham quidam medici magnificè laudauerūt: quam ſcribunt eſſe calidam, pinguem, appetitum excitare, confirmare corpus, & laudabilem eſſe quando cōcoquitur, ſed eſt mali ſaporis &(Vetus translatio, eſt debilis & uacua) craſſa, & (non facilè) concoquitur. coitum promouet, Auicenna 2. 523. ¶ Heliogabalus ſtruthiones & camelos exhibuit in cœnis aliquoties, dicens præceptum Iudæis ut ederent, Lampridius. Et rurſus de eodem, Sexcentorū ſtruthionum capita una cœna multis exhibuit ad edenda cerebella. ¶ Oua ſtruthionum in Arabia ſe non inſuauiter comediſſe Aloyſius Cadamuſtus ſcribit. Oua ſtruthocameli comedens, guſtū quendam ſapidum habere inueni, Braſauolus. Gallinarum & phaſianorum oua præſtantiora ſunt, deteriora uerò anſerum & ſtruthocamelorum, Galenus 3. de alim. Inter oua ſiccíora ſunt oua anſeris & ſtruthij, Auicenna. Oua ſtruthionum craſſa ſunt & difficilia concoctu; qui eis ueſci uoluerit, uitellis tantum utatur, Tacuinus.

G.

In ſtruthionis uentre inciſo lapides inueniuntur, quos hæc deuoratos tandem concoquit, ij ſanè ad efficiendam oculorum medicinam ſalutares ſunt, Aelianus. Græcè legitur, ὅσῳ δ' ἂν ὅτι καὶ ἀνθρώπῳ ὄψεως ἀγαθόν. ubi καὶ coniunctio ſimilitudinem aliquā cum præcedentibus inſinuat, & rei ipſius natura ψεως potius quàm ὄψεως legendum dictat: ut lapides in uentriculo animalis omnia concoquentis in homine etiam concoquendi uim promoueant & confirment: (Hæc ſcripſeram cum Kiranidem quoq; lapidem è uentriculo ſtruthionis collo ſuſpenſum bonam facere concoctionem ſcribere legi.) Qua ratione etiam echinus ſiue interior membrana gallinarum in cibo ſumpta, tanquam illi etiam uis cōcoquendi lapillos inſit: & exteriores pelles animalium quorundam uoracium foris applicatæ, cum ſuis plumis aut pilis, mergi, cygni, lupi, bonam facere concoctionem exiſtimantur. quod ſi faciunt, calori forſan per illas aucto adſcribendum fuerit, non occultæ cuipiam proprietati. poterat autem ſimiliter alijs quoq; calidis aut calfacientibus impoſitis augeri. Struthocameli uentriculus falsò laudatur ceu medicamentum quod iuuat coctionem, Galenus 3. de alim. facultatibus. Struthiocamelis mira natura coquēdi quæ ſine delectu deuorarint, ut ferrum, & oſſa ueruecum integra. unde & pelles eorum cum plumis mollioribus concinnatas ſtomachicis applicant, Syluius. Struthiocameli uentriculus, & aliarum auium ſimiliter, cochleariorum duūm menſura ex uino potus febri abſente, præſente uerò ex aqua, uentris profluuio medetur, Galenus Euporiſton 2. 46. Cortex interior uentris ſtruthionis ſumptus confert ſtomachicis & calculum diſſoluit, R. Moſes. eadem uis echino ſeu interiori membranę uentriculi gallinarum attribuitur. ¶ Struthionis adeps & neruí auxilium & ſalutem neruis hominum afferunt, Aelianus. ¶ Cum auctio regia per Catonem Vticenſem fieret, ſeuum ſtruthiocamelinum ſeſtertijs LXXX. uænijt, efficacioris ad omnia uſus quàm eſt adeps anſerinus, Plinius. Nicolaus Myrepſus adipem ſtruthiocameli miſcet acopo ex uulpe in oleo decocta, itē unguento 12. ad arthriticos. Eundē Paulus Aegineta inijcit in emplaſtrum diacinnabareos ad tofos aliosq; tumores induratos. ¶ Vrina puerorū impubium Salpe illinit Sole uſta, cum oui albumine, efficacius ſtruthiocameli, binis horis, Plinius. Struthocameli oua podagricis inuncta proſunt, Kiranides.

H.

a. Struthius auis eſt grandi corpore & graui, fœmina uocatur ſtruthio, Textor Rauiſius: ſed abſque authoritate. Vaſta ales pro ſtruthocamelo, Claudianus in Eutropium lib. 1. Afra auis pro ſtruthione, uide infra in h. Aues ceruinas dictas, eaſdē ſtruthocamelis eſſe, in E. docuimus ſuprà. ¶ Μεγάλαι στρουθοί dicebantur etiam λιβυκαὶ στρουθοί, & στρουθοί ſeparatim, ut Ἀφάβη ἐλεφάντων ἅρματα καὶ στιγωτοὺς στρούθους ἄγων, ἐξήκοντα. στρουθῶν, ὀκτώ, Euſtathius (ex Athenæo.) Στρουθοὶ οἱ Ἀράβιοι, Heraclides. Στρουθὸς, ὁ καταφορὰς καὶ λαγὼς. Ἀττικοὶ δὲ τὰς στρουθοκαμήλους, Heſychius. Ἀγρίας, στρουθοκάμηλος, Idem & Varinus. ſed locus uidetur mutilus, & legendum, Ἄγριαι στρουθοί, αἱ στρουθοκάμηλοι, ut Aelius Dionyſius habet citante Euſtathio. Λιβύης πῆχυν βοτὸν ἀγκυλόδειρον, Oppianus lib. 4. de piſcat. Μετὰ στρουθοῖο κάμηλος, Idem. Vespertilionem in gripho auem non auem uocant, uidetur autem ſtruthio quoq; auis non auis poſſe appellari, cum licet auis non uolet, & multis partibus ad quadrupedes accedat.

¶ Epitheta. Ἀγκυλόδειρος, Oppianus. Quòd ſi Græcè στρουθὸν per excellentiam pro ſtruthocamelo

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 754 sur 825

melo accipias, epitheta fuerint, λιβυκὴ, μεγάλη, ἀγρία.

¶ Seuum ſtruthiocamelinum Plinius dixit. Noſtri hanc auem uocãt ein Struß. & quoniam pennis eis pileí & galeæ ornantur, deducitur inde nomen ein ſtrüßle pro quauis criſta, & uerbum ſtrüſſen, pro eo quod eſt ſuperbè ſe erigere.

¶ Icones. In libro Notitiarum Orientis & Occidentis, qui inſignia diuerſarum Romani imperij prouinciarum continet, animalia quædam pinguntur inter Arabiæ inſignia, ſerpentes, ſtruthio, & aquila aut phœnix. Aegyptiorum ſapientes cum eum qui ius æqualiter omnibus impertiatur ſignificare uolunt, ſtruthiocameli pennam pingunt. hoc enim animal præter cætera pennas alarum undiquaq; æquales habet, Orus in Hieroglyph. Eſt in Helicône Arſinoæ imago, quam frater eius Ptolemæus duxit. Arſinoën geſtat ſtruthio (σρουθὸς) ænea, de genere magnarum illarum auium quæ propter magnitudinem & grauitatem uolare non poſſunt, Pauſanias in Bœoticis. Extat Gordiani ſylua memorabilis, picta in domo roſtrata Cn. Pompeij: in qua pictura etiã nunc continentur, ſtruthiones Mauri miniati trecenti, onagri triginta, &c. Iulius Capitolinus.

¶ Struthocamelus inter ſtruthij herbæ nomenclaturas legitur apud Dioſcorid.

¶ Albertus in opere de animalibus ex Auicẽna nominat chychelinches aues ex anſere & ſtruthione compoſitas, ubi chenalopeces, id eſt uulpanſeres legendum, ut monui in Anſere C.

¶ De Struthophagis populis diximus ſuprà in E.

¶ b. In India gignitur arbor quædam cui folium ſpecie prælongũ, ſimile pennis ſtruthiorum, quæ ſuper galeis imponuntur, longitudine duorum cubitorũ, Theophraſt. de hiſt. plant. 4. 5. Struthionis penna ſimilis eſt pennis herodij & accipitris, Iob 39.

¶ c. Habitabuntq; ibi filiæ ſtruthionis, Eſaiæ 13. & Hierem. 50. Et ſocius ſtruthionum, Iob 3. Erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum, Eſaiæ 34. Filia populi mei fidelis quaſi ſtruthio in deſerto, Hierem. Thren. 4. Faciam planctum meum uelut draconum, & luctũ quaſi ſtruthionum, Micheæ 1. Struthio quãdo oua ſua derelinquit in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea, Iob 39. Struthio cum tempus fuerit, in altum alas erigit, Ibidem.

¶ d. Struthio dura eſt in ſuos pullos, quaſi nõ ſint ſui, fruſtra laborauit nullo timore cogente, Iob 39. Struthionem deus priuauit ſapientia, non dedit illi intelligentiam, Ibid.

¶ e. Struthiorum pennę ſuper galeis imponuntur, Theophraſt. ¶ Struthiocamelus habet in uentriculo echinum, quod dicitur ſuſſuchium, (nomen uidetur corruptum,) aridum hoc tritum & datum in potu occultè, amorem & libidinem excitat, Kiranides.

¶ f. Heliogabalus habuit iſtam conſuetudinem, ut una die nõ niſi de phaſianis tantum ederet, item alia die de pullis, alia de porcis, alia de ſtruthionibus, Lampridius. Regi Perſarum inter cæteras animantes quotidie etiam ſtruthi Arabici mactabantur, Heraclides.

¶ g. Lapis de echino, id eſt uẽtriculo ſtruthiocameli, cum grano (pondere grani) ſatyrij tritus, & datus in cibo uel potu latenter, magnam facit intentionem, maximè frigidis & impotentibus ad concubitum. Ipſe etiam lapis ſolus ad collum ſuſpenſus, bonam concoctionẽ facit, (uide ſuprà in G. ex Aeliano,) & intentionem ad concubitum, Kiranides.

¶ h. Glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones, Eſaiæ 43. Ariſtophanes in Auibus Rheæ matri deorum ſtruthocamelum comparat propter eius magnitudinem.

¶ PROVERBIVM Afra uel Libyca auis, λιβυκὸν ὄρνεον, refertur à Suida de prægrandibus, quòd ex ea regione deportentur aues immani magnitudine. Horatius de prælauta uſurpauit. Non Afra auis (Meleagridem hîc uel Numidicam gallinam, non ſtruthionem acceperim) deſcendat in uentrem meum Iucundior, quàm lecta de pinguiſſimis Oliua ramis arborũ. Nam gallinas prægrandes olim mittebat Africa, quas eaſdem Numidicas aues appellãt. Acron uidetur de ſtruthione ſentire, quæ & ipſa auis mira mole corporis eſſe fertur. Mea quidem ſententia non ineptè iacietur & in hominem peregrino cultu notabilem. Et Plautus alicubi Pœnum auẽ uocat, ob manicas alarum inſtar utrinq; penſiles. Prouerbium extat in Auibus Ariſtophanis. Interpres indicat cõuenire in barbaros ac meticuloſos. Sunt enim homines prægrandes ferè timidiores. Terentius, Hic nebulo magnus eſt, Eraſmus.

DE STVRNO.

A.

STVRNVS auis, à quibuſdam parum Latinè ſturnellus dicitur, ut Italis uulgò ſturnello. Græcè ψὰρ: uel ψαρὸς, ut bis habet Ariſtoteles: item Galenus & Varinus. Ἐρωδιὸν (alij alíter interpretantur, nos omnino ardeam,) Ambroſius ſturnum transfert, quẽ tamen Græci non erodiõn, ſed pſãra dicunt, Cælius. ¶ Sarſir Hebraicam uocem nonnulli aſtarem uel ſturnum aiunt ſignificare, alij aliud animal: uide in Aquila A. Alzarazir ſunt aues apud Arabes, turdorum ferè magnitudine, ſed colore diuerſo. habent enim plumas & pennas nigras aliqua inſignes albedine, & apud Venetos dicuntur ſtornelli, And. Belluneñ. Auicenna meminit ſimi alzarazir oryzam edentium: ubi uetus interpres non rectè turdos trãſtulit. Serapio de remedio ex eodem ſimo citans Galeni uerba, pro ſturno zezir habet: & eadẽ ex Dioſcoride transferens ineptè

turturem

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 755 sur 825



turturem pro ſturno poſuit. Napellus (Cicuta) uenenũ (imò cibus) eſt zaratro, id eſt ſturno, Auerrois interpres. Sturnelli qui dicuntur azuri, Interpres Auerrois. Alſeudeni eſt auis nigra, roſtro luteo: ſecundum aliquos ſturnus, And. Bellunenſis, ſed uidetur potius merula. ¶ Sturni Italicum uulgare nomen eſt ſtorno, ſtornello uel ſturnello. ¶ Luſitanicum ſturnino. ¶ Gallicum eſtourneau. ¶ Germanicum **Staar**, quod nomen à Latino effictũ eſt: **Rinderſtaar**, quòd circa boum armenta uerſari ſoleat. Alij ſcribunt **Stär/Stör/Starn**. Circa Argentoratum & Francfordiam **ein Sprehe**. Flandris **Spreuwe**, Brabantis **Sprue**. ¶ Anglicum a ſterlyng, a ſtarll, a ſtare. ¶ Illyricum & Polonicum ſſpacziek, uel ſpatzek.

B.

Sturnus uarius eſt, (Gaza uertit: niger eſt, albis diſtinctus maculis,) magnitudine merulæ, Ariſtot. de hiſt. anim. 8. 16. Auis eſt uarij coloris, omnibus nota, Kiranides. Nigra eſt, aliquantulum in cinereo palleſcens (cinereis maculis pallidis) reſperſa, Albertus. Linguam habet latam, Idem. Auis parua eſt, fuſco nitens colore, Author de nat. rerum.

C.

Dum turdus trutilat, ſturnus tunc piſitat ore, Sed quod mane canunt, ueſpere non recolunt, Author Philomelæ. Sturnus piſiſtrat & iſitat uoce, F. Alunnus, neſcio quàm rectè. Sturni ut & graculi aues clamoſæ & gregariæ ſunt, Euſtath. Τῶν δ' ὥστε ψαρῶν νέφος ἔρχεται, ἠὲ κολοιῶν, Οὖλον κεκλήγοντες (ὀξὺ βοῶντες ἢ πυκνὸν) ὅτε πεοΐδωσιν ἰόντα Κίρκον, ὅστε σμικρῇσι φόνον φέρει ὀρνίθεσσιν, Homerus in fine Iliados ρ. Dicit autem Troianos turmatim Hectorem & Aeneam ducem ſecutos eſſe perſequendo Gręcos: & in hoc quidem ſimile eſt, quòd turmatim feruntur: diſsimile uerò quòd Troiani Græcos fugant, ſturni circo accipitre conſpecto fugiunt. Audio ſturnos qui ab homine aluntur ualde canoros eſſe, & aliarum quarumuis auium uoces imitari. Sturnus linguæ eſt latæ, & perfectiſsimè loquitur, Albert. Cæſares iuuenes (Druſus & Britannicus Claudij filij) habebant turdum imitantem ſermones hominum, item ſturnum, luſcinias Græco atq; Latino ſermone dociles, Plin. Sturni loqui diſcunt, uide ſuprà in Pſittacis ex Plutarcho. Papinius etiam ſturnum inter humani ſermonis imitatrices nominat. ¶ Sturni in arenis & paludibus (& pratis aquoſis) aſsiduè uerſantur, & cum armentis uaccarum etiam propter paſcua quæ de ſtercoribus colligunt, Albertus. unde & nomen eis noſtri à bobus indunt, **Rinderſtaren**. In agros milio & panico conſitos agminatim inuolant, Plin. Sunt qui ſturnos captos oryza tantum paſcunt, ut eorum fimo crocodileam adulterent, Idem. Magno impendentis uindemiæ damno ueniunt, Volaterr. Sambuci acinis grana inſunt ſeſamacea non ingrata turdis ſturnisq́; , Ruellius. Cicuta ſturnis alimentum eſt, ut elleborus coturnicibus, utrunq; homini uenenum, Galenus in opere de temperam. & in libro de theriaca ad Piſonem: item Kiranides. Elleborus uenenum (imò cibus) eſt coturnicibus, & napellus (cicuta) zaratro, id eſt ſturnello, Auerrois uel eius interpres potius. Aduerſus napelli uenenum (inquit Ant. Gainerius) darem puluerem muſconum (muſcarum uel culicum) napellum depaſcentium, uel puluerem coturnicis ſeu turdi. Sed apparet illum deceptum ab Arabibus uel eorum interpretibus, qui coturnices napello uel aconito paſci ſcripſerunt, cum ſturnos (non turdos) conio, id eſt cicuta non aconito paſci ſcribendum fuiſſet, ut copioſè in Philologia de lupo expoſui, de aconito ſcribens. Cicuta quidem pingueſcunt etiam ſues Aeliano teſte. ¶ Sturnorum generi propriũ (cum abeunt è noſtra regione) cateruatim uolare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 756 sur 825

tendentibus, Plinius. Gregatim uolant & compresse quasi ad aciei centrum, propter timorem accipitris, hunc enim superne uel à latere accedentem alis euentant, (uento alarum coniunctarum repellunt:) & subtus uolantem stercoribus opprimunt, Albertus. Sturni aues se inuicem amant & gregatim degunt, sed mutuo se iuuare (propter infirmitatẽ, contra aues rapaces) non facile possunt, Eustathius. Maxime gregatim uolant, modò in aciẽ directi, modò globatim condensati, tanta multitudine atq; impetu, ut nubẽ facere & tempestatis more sonare primo uolatu uideantur: & pulchrè Homerus ψαφὼ νέφος, id est sturnorum nubem dixit. Vespere aggregantur & immensis turmis commurmurant, nocte silent, aurora rubente murmur excitant. demum uero diuisi per turmas ad cibum uolant, Author de nat. rerum. ¶ Ter anno pariunt, ut audio: uno tempore septem uel octo oua. ¶ Sturnus hyeme latet, Arist. Abeũt & merulæ turdiq; et sturnisi mili modo in uicina, sed hi plumam non amittunt, nec occultantur, uisi sæpe ibi, quo (alias, nisi spe cibi quo) hybernum pabulũ petunt, Plinius. Aliter legit Platina: Abeunt merulę (inquit) et turdi, similiter ac sturni, sed in uicina loca. occultantur hæc animalia sępibus, ibiq; hyberno tempore pabulum quærunt. Aues quædam cum æstate æuum degant in syluis, hyeme demigrant in finitimos locos apricos, montium recessus secutæ, ut sturni, turdi, &c. Ge. Agricola. Et rursus, In angustis montiũ locis latere aliquando consueuerunt turdi, sturni, &c. ¶ Sturno allij semen mortiferum est, Aelianus.

D.

Animalia quædam imitantur ciuilitatem in habitatione congregata & defensione communi, ut grus, sturnus, anas, Albertus. Sturni quidem natura φιλάλληλοι & σωαγελασποὶ sunt, ut Eustathius & Io. Tzetzes scribunt. uide supra in C. ubi hoc etiam annotauimus, sturnos accipitrem fugere, & quomodo aduersus eum se tueantur: & quod humano etiam sermone dociles sint. Ad quemlibet impetum accipitris comprimuntur in aere, & uento alarum coniunctarũ repellunt accipitrem: qui si infra eos uolet, stercoribus eorum inquinatur ita ut appropinquare non possit, Albertus. ¶ Hoc experientia deprehensum est, sturnum sibi ipsi medicinam facere. Cum enim quidam luscinias simul & sturnum aleret, & huic pes luxatus esset, oua formicarũ, quibus uescuntur luscinię, sturnus rostro minuit: & deposita sub alis atq; calefacta, rostro ad pedem attriuit. Qua ratione intra paucos dies integer, ut antea, incessit, ut Ge. Fabricius suis ad nos literis testatus est. ¶ Canem à sturno abhorrere fertur, Blondus.

E.

Animalia quæ gregatim degunt, facilius decipiuntur ab aucupibus. positis enim quibusdam sue speciei auibus, uel imaginibus auium iuxta retia, statim accedunt & capiuntur, ut anates, sturni, Albertus. Sturni ad quemlibet impetum accipitris comprimuntur in aere, & uento suis alis excitato repellunt eum, &c. uide in D. Pantheron retis genus quo utũtur Galli ad passeres, sturnos, &c. Budæus describit in Annotationibus in Pandectas. Funiculis longis inuiscatis capiuntur sturni, qui ualde gregatim uolant, cum habetur aliquis sturnus ad cuius pedem ligatur funiculus inuiscatus, & manu tenetur. dimittitur autem cum grex sturnorum propè uidetur. tũc enim cum funiculo dimissus ad gregem accedit, & cum ipso strictè (quàm proximè & contiguè) uolitat: multiq; tangentes funiculum inuiscantur, & ad terram simul cum eo ruunt, Crescentien. In quibusdam Italiæ locis, mustelis domesticis (ut audio) utuntur, ut aues è nidis extrahant, passeres, sturnos, &c. Capiuntur in uolatu, Eberus & Peucerus. Facile eos aiunt capi hyeme laqueis quibusdam (in böglinen) in pratis aquosis. ¶ Sturnus domi ut parasitus educatur, Volaterr. Est apud nos qui sturnum octauo iam anno domi alit: & auceps qui septimo: ait autem is ualde canorum esse, & aliarum quarumuis auium uoces (quas scilicet in eadem domo subinde audit) imitari. ¶ Magno impendentis uindemiæ damno ueniunt, Volaterranus. Pestem à milio atq; panico sturnorum, passerúmue agmina scio abigi herba, cuius nomen est ignotum, in quatuor angulis segeris defossa, mirum dictu, ut omnino nulla auis intret, Plin. ¶ Starnes (Sturni conjicio legendum) si mane uolauerint congregatæ, mane erit tempestas: si autem tardè, tardè & multo tempore erit tempestas: & si reuertantur uolantes, tempestatem significant, Gratarolus ex authore barbaro.

F.

Sturni carnes habent siccas & sapidas, Albertus. Sunt quibus uideãtur ferinum quid resipere, quod nostri dicunt wiltelen. Non laudantur in cibo, Nic. Massa. Sturni, quos uulgò diabolicam carnem habere dicimus, omnino ab obsonijs lautorũ reijciantur, Platina. Galenus lib. 6. de tuenda ualetud. inter perdices, turdos, merulas, & huiusmodi, quæ quidem boni succi esse ab omnibus existimantur, ψαρὸς, hoc est sturnos, etiam commemorat, qui à multis illaudabilis esse nutrimenti iudicantur. Cui obiectioni sic occurri posse arbitror: Galenum in eo libro in calculi renum uitio sturnos tanquam tenuis alimenti approbasse, similiter & palumbes turritósue passerculos, quos Græci πυργίτας appellant: uel sturnos non ita fortasse improbi succi esse, præsertim iuuenculos, ut uulgus putat. quædam nanq; animalia in tenella adhuc ætate boni succi sunt, ut uituli & hœdi: si uerò annosa fiant, praui. hæc enim (ut ait Galenus in tertio de alim. facult.) carent & concoctionis & boni succi, & nutritionis laude, Aloisius Mundella epistola 6. Medicinalium. Et paulò pòst, Nec obstiterit (inquit) quò minus boni succi sint quòd cicuta interdum pascantur, ut neq; coturnicibus quòd elleboro. Et rursus dialogo 4. Medicinalium, Galenus (inquit) lib. 6. de tuenda ualetud. sturnos inter

attenuan-

attenuantis optimíq; alimenti cíbos connumerat, quí tamen ab omnibus ferè quí de íllís tradídere, & praui ſucci & ſaporis ingrati habiti ſunt. Et fieri quidem poteſt ut uox illa pſaros, id eſt ſturnus, ab alio Galeni contextui, non ab ipſo authore addita fuerit. Vel Galenum ibi de ſturnis iuuenculis locutum fuiſſe dicemus, quí nimirum tenelli adhuc ſucci laudabílioris fuerint quàm adulti, &c. Vel potius exiſtimabimus illum intellexiſſe de ſturnis quí in montibus degunt, non autem quí circa paludes & loca campeſtria uerſantur: quos ſanè ſi comedas, cum præſertim nouellæ ſunt ætatis, adeò miram cibi illíus ſuauitatem ſenties, ut uix illos à turdis diſcernere poſsis, Hæc ille. Sturni ſunt calídi, Galeno lib. 3. de alim. facult. accommodi ſiccis, libro ſexto de ſanit. tuenda. non aduerſantur renibus, Ibidem. Sturnos tanquam melancholicum & uitioſum generantes humorem reícimus; quum & cicuta illi nutriantur, Amatus Luſitanus in Curatione ulceris cancroſi. Sturni caro craſſior eſt quàm pulli (gallinæ) uel coturnicis. uentrem aſtringit, & multum nutrit, Raſis ut quídam cítat. Sturni phaſianis natura proximi ſunt, Elluchaſem: ſed titulus habet, Perdices paruæ ſeu ſturnæ: lego ſtarnæ. ſic autem Itali uulgò uocant perdices minores. Sturni & alchata (ſpecies palumbium) habent in ſe ſuperfluitates, & ſunt malæ concoctionis, malíq; nutrimenti: & ſanguis ex eis generatus eſt calídus & ſiccus, Elluchaſem. Sturnelli ſunt calidi & ſicci, difficiles concoctu, craſsi ſucci, Auerrois. Eis quos hæmorrhoides crebò uexant, & maximè pulſantes, expedit ut diligenter euitent grues, ſturnellos, &c. Arnoldus de conſ. ſanit.

G.

Sturnus in cíbo ſumptus iuuat omnes quí mortíferum alíquid bíberunt: & ſi quís præguſtauerit, omnino non lædetur, Kiranides. ¶ Crocodileã adulterant amylo aut címolía, ſed maximè (ſturnorum ſimo) quí captos oryza tantum paſcunt, Plínius. Plura de huius ſimi uſu ad faciem ornandam ex Dioſcoride, Plínio, & Galeno, attulí in Scinco G. Ad alphos conuenit crocodílea & ſimus ſturnorum cum oryzam comederint, Aegineta. Stercus turdorum (alzarazir, id eſt ſturnorum) edentium rízi, confert ad pannum & morpheam, Auicenna. Stercus zezir (ſturni) oryza paſti, impetigines efficaciter abſtergit, Serapio citans Galenum. atquí Galenus lib. 10. de medic. ſimplic. ſimum crocodíli terreſtris cutim abſtergere & ſiccare ſcribit, ut & ſturnorum oryza paſtorum, quí tamen multò imbecíllior ſit: crocodíli uerò terreſtris tam efficax, ut ephelides etiam & alphos, & líchenes tollat. Eiuſdem Serapionis interpres ex Dioſcoride transferens, pro ſimo ſturní, imperitè poſuit turturis.

H.

¶ a. Pſaros, id eſt ſturnus auis, Syluat. quí & paros alíbi habet pro ſturno, ſed mutilã dictionem. Græce in recto ſingulari ψαρ῀ effertur, ut λόγ῀: uel ψὰρ, ut καρ, inde obliqui ψαρός, ψαεὶ, oxytoni: etſi non meminerim illos apud authores legere. pluralis quídem numerus ψαρ῀ uoce paroxytona, & ψαρῶν circunflexa, non infrequens eſt. ψῆρ῀ poeticũ eſt, Euſtathio teſte: quod cum penaflectatur, miror ψαρ῀ etiam non penanflecti præſertim cum primam producat Homero, ut in hoc uerſu: Τῶν δ' ὥστε ψαρῶν νέφ῀ ὀρχηστὰι ἠὲ κολοιῶν, Ψαρ῀ dicuntur παρὰ τὸ ψαίρειν. σμικύνθει γὰρ τὰ παραπίπτοντα οἱ ψαρ῀ ὡς τοῦ σμαχάσκειν (fortè σμαχαράσσειν) καὶ ζητεῖν τροφὴν τινα κάτωθεν, Euſtath. hoc eſt, ab eo quòd terram pedibus mouent & radunt, & obuia quæque uerrunt dum alimentum ſibi quærunt. Ψαρ῀, genus auis. ſunt quí dicant hanc uocem apud nullum authorem reperíri, Heſych. & Varin. Ψαρὶς genus auis, (γρύ῀ ſpecies,) uel tríremis, Iidem. Ὄρνις θήλεια, ψαρ῀, Antiphanes apud Athenæum. Ψῆρ῀, genus auium, Heſychius & Varinus. Suidas interpretatur ψαρὲς, id eſt ſturnos, & cítat illud Homeri, Κολοιὸς τε ψῆρας τε. ὁ τοιῦ ἐγὼ καὶ ψῆρα, καὶ ἁρπάκτειραν ὄρνιν. Σπέρματ῀ ὑπὸ πτερῶν Βιστονίαν γοργῶπιν, Suidas ex Epigrammatis. Ἀσφαλὸς, ὁ ψαρὸς, (malim ὁ ψαρ῀, oxytonum,) Theſſali, Heſych. & Varinus: inde forſan quòd punctis ceu ſtellis quibuſdam inſigniatur. Βύνθα, ſturnus, Iidem. Γόλμος, ſturnus, Iidem. Targula barbaris ſcriptoribus quibuſdã turtur eſt: aliquí (inquit Albertus) ſturnum interpretantur. ſed locus qui ex Ariſtotele transfertur, turturem eſſe oſtendit.

¶ Epítheta. Sturnus edax, piſitans, Textor.

¶ Sturní propríum habent cateruatim uolare: unde ſturnatim, ſicut graculatím, Grapaldus.

¶ Ψαρὸν ἵππον, Ariſtoph. in Nubibus. Scholiaſtes & Suidas interpretãtur celerem, ἀπὸ τοῦ ψαίρειν, unde & ἀετψρὸς deducatur. uel quí colore talí ſit. Scribitur autem ψαρὸς adiectiuũ oxytonum, pro aue paroxytonum. A ſturno aue uaría, quæ dicitur ψὰρ, in genitiuo ψαρὸς, equus ſimíliter uarius, καὶ ὡς εἰπεῖν βαλιὸς, ψαρὸς cognominatur, Euſtathius. Ψαροὶ ποικίλοι, καὶ εἶδος χρώματ῀, Varinus. Ψαρὸν de turdí in collo colore Gaza apud Ariſtot. hiſt. anim. 9. 49. uertit murinum, Plínius concolorem, neutrum probo. malim enim uarium uel maculoſum. Paſſerculus troglodytes ſimílis eſt regulo, ſed iuxta ſummum alæ lineamentum ψαρόστρ῀, Aetius, id eſt magis uarius. quidam uertit, cinerei amplíus coloris. Lapis hic quem ex Plínio à maculis ſturní pſaroniũ, uel (quod ex lapidícinis Thebanis excidatur) Thebaícum nomíno, ſupra omnes lapides duríori corporis callo cõſtat, Bellonius de operíbus antiquís cap. 8. ¶ Sunt & pſari piſces, à uarietate coloris nimirum dicti, ſicut & equi pſari, quòd ſturnorum inſtar maculoſi ſint. ¶ Sturníni, Italiæ populi, Plínius 3. 11.

¶ b. Ψαεὶψ, auis genus ſturno ſimile, Heſych. & Varin. Frigelli aues ſturnis ſimíles in uineis reperiuntur & uuis inebríantur, Arnoldus de Víllanoua.

¶ c. Homerum infantem fabulantur, cum mel alíquando ex Aegyptiæ nutrícis uberibus in

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 758 sur 825

os eius manasset, ea nocte nouem auium uoces diuersas ædidisse, hirundinis, pauonis, sturni, &c. ut recitaui in Columba Liuia ex Eustathio.

¶ d. Ἴθυσεν δὲ διὰ πωμάχων ἵππει ἐοικὼς ὠκείῃ, ὅστ' ἐφόβησε κολοιὸς πτῆνας π. Homerus Iliad. π.

¶ f. Sturne peregrinas mendices aridus uuas, Socratici cœna nolumus esse tua, Bapt. Fiera. Nunc sturnos inopes, fringillarumq; querelas, Martialis lib. 9.

DE STYMPHALI AVIBVS SEV STYMPHALIDIBVS.

A D aquam Stymphali fama inualuit aues quondam fuisse enutritas, quæ humanis carnibus uescebantur. Has sagittis confecisse Hercules dicitur. Pisander uerò Camirensis aues ab Hercule occisas negat, sed crotalorum strepitu fuisse abactas. Arabia quidē deserta feras exhibet tum alias, tum aues Stymphalides nomine, quæ nō minus in homines grassantur quàm leones aut pantheræ. Ad has capiendas si qui proficiscantur, in eos uolatu feruntur, rostrisq; uulneratos occidūt. Si quæ homines gerant ex ære facta aut ferro, ea aues perforant. sin autem uestem phloinam crassam contexant, rostra Stymphalidum ea ueste non aliter quàm minorum auium alæ uisco detinentur. Magnitudine grues æquant, sed ibibus sunt similes. rostra tamen habent firmiora, & non ut ibes obliqua. Vtrum autem mea etiam ætate Arabicis auibus, idem cum illis quæ in Arcadia olim fuerunt, nomen, forma uerò sit diuersa, exploratum non habeo. Quòd si omni tempore similes miluijs sint Stymphalides atq; aquilis, (ut Loescherus uertit. Græcè legitur, Εἰ δὲ χρὴ πάντα ἀῶνα ἴσχει τὰ αὐτὰ ἰσάζει καὶ ἀετοῖς καὶ Στυμφαλίδες εἰσὶν ὄρνιθοι, &c. hoc est, ut ego uertérim, Quòd si Stymphalides aues semper in rerum natura sunt, ut aliæ auium species, accipitres uidelicet & aquilæ,) aues mihi uidentur Arabicæ. Et fieri potest ut pars quædam ex illis in Arcadiam Stymphalum transuolárit: Arabes autem alio eas nomine principiò, non Stymphalidas appellauerint. Sed Herculis gloria, & qui Barbaris semper fuerunt prælati Græci, in causa fuerunt ut & illæ in Arabia deserta, Stymphalides nostra ætate uocarentur, Pausanias in Arcadicis. ex quo transferentes Gillius & Loescherus ἐσθῆτα φλοίνην corticeam uestem uerterunt, Nicolaus Lonicerus in Variis multiplicem pannosamq; tunicam. sed phlûs uel phleos genus est stirpis Theophrasto, ex qua phloinæ uestes confíciebantur, quarum & Pollux meminit. Stymphalides aues innumeras ex Stymphalide palude Hercules abegit, Diodorus Siculus. ¶ Stymphalides aues Herculem negant abigere potuisse, nisi crotali (crepitaculi) ærei sonitu perterrefactas, quod à Vulcano fabrefactum Minerua acceperit & donauerit Herculi. Stymphelus quidem (Στύμφηλος) Arcadiæ oppidum est, & Stymphalis lacus, Στυμφαλὶς λίμνη: circa quem Stymphalides aues fuerunt ploides etiam dictæ (πλωΐδες) Apollonio in Argonaut. Seleuco & Charoni, eo quòd in lacu isto natarent. Priuatim Mnaseas author est Stymphali cuiusdam heroís & Ornithos mulieris filias fuisse Stymphalides, quas Hercules occiderit, quòd ipsi hospitium negassent, & Molionas suscepissent. Pherecydes uerò non mulieres sed aues fuisse ait, ab Hercule interfectas. Similiter & Hellanicus: qui addit Stymphalidem lacū per uoragines quasdam (διὰ βαράθρων) emissum exaruisse. Has aues scribit Apollonius circa Aretiadem insulam fuisse, quam primum ab Otrera Martis filia habitā ferunt. sunt autem his alitibus pēnæ ferreæ. Meminit earum Timagetus, & Pisander in Scythiam eas auolasse tradens, unde etiam primò uenerint, Scholiastes Apollonij. Canit autem Apollonius Argonauticorum secundo, missiles earum pēnas fuisse, quibus tanquam sagittis homines uulnerarint. ¶ In capite paucis animalium, nec nisi uolucribus apices: phasianæ corniculis, stymphalidæ cirro, Plinius 11. 37. Equidem quæ de harpyis & stymphalidibus traduntur ficta esse arbitror, ut de pleriscq; alijs auibus, Perottus. ¶ In Stymphalide palude aues quædam fuerunt tantæ magnitudinis ut Solis radios obumbrare dicerētur, omnem Arcadiam deuastantes. has Hercules nō sagittis, ut quidam putant, sed sonitu ahenei crepitaculi fugauit, & usq; ad insulam Aretiada propulit, Grammatici quidam. Stymphalides pepulit uolucres discrimine quinto, Vergilius de laboribus Herculis. ¶ Author obscurus qui de naturis rerum scripsit, uanellum auem uulgò dictam stymphalidem Plinij esse arbitratus est, non alio ut apparet argumento persuasus, quàm quòd stymphalidi Plinius cirrhum tribuit, & uanellus quoq; cirrhatus est: sed eadem ratione felem Mineruam feceris, quòd cæsij utriq; oculi.

SVBIS appellatur auis apud Nigidium quæ aquilarum oua frangit, Plin. Aristoteli sitta quoque aquilarum oua frangit.

HISTORIAE AVIVM, QVARVM INITIALIS LITERA T. EST.

TAVTASVS & TENGYRVS, Ταύτασος, Τεγγύρος, auiū esse nomina apud Hesychium & Varinum legimus. uidentur autem per onomatopœiam facta.

TELEAS, Τελέας, uiri nomen in Auibus Aristophanis, qui traducitur tanquam incōstans, auis instar. Symmachus tamen auis nomen esse putauit, citans alium poetæ locum, Τελέᾳ, καὶ πτηνῷ, καὶ ταῶνι, καὶ βασιλίσκῳ, Scholiastes. Est & elèas auis, de qua in Elemento E. iam scripsimus.

THOVS, Θωὸς, auis quædam, Hesychius & Varinus.

THRACES, Θρᾷκοι οἱ, aues mergorum generis sunt marinæ, de quibus in A. Elemento Oppiani uerba retulimus.

THRAT-

THRATTA, Θρᾶτται, mulierem in Thracia natam significat, est etiam piscis & auis nomen, Stephanus Grammaticus in Θράκη.

TIPHIA, Τίφιαι, aues quædam palustres, ὄρνια τὰ ἐν τοῖς ἕλεσι γινόμενα, Hesychius & Varin. Τίφη idem est quod ἕλος, id est palus.

TITYS, parua est auicula à sono uocis dicta, ἐκ τοῦ πιπίζειν, (aliâs πιτύζειν.) aut fortè quælibet parua auicula à ueteribus ita uocatur. quidam per onomatopœiam uel mimesin dictam scribit, Varin. Seruius in Bucolico ludicro titos scribit dici columbos, non Latinè quidem, sed multorum auctoritate tanquam Latinè. Titos uerò palumbes dici arbitror ex passerum salacitate, qui solent πιπίζειν, id est titissare. hinc fortè titis deriuatur, ut scribit Dionysius, auiculæ species, aut etiam auis quælibet minutior, Cælius. TITII sodales sacerdotes extra urbem habitabant, & in tugurijs certa auguria seruabant, quoniam ad id deputati à Pont. erant. Nomen inditum est ab auibus, ut Varro ait, quas in augurijs certis obseruare solebāt. horum meminit & Lucanus, Septemuirq; epulis festus, Titijq; sodales, Gyraldus. Sunt qui hos sacerdotes Apollinis fuisse scribant.

TITYRVS, Τίτυρος, Satyrus, calamus, uel auis quædam, Hesychius & Varinus. pro aue quidem & calamo siue harundine, cuius pro fistula usus erat, nomen ad soni imitationem factum uidetur. cum fistulis autem etiam Satyri pingebantur. Vergilio pastoris nomen est.

TITYRAS, Τιτύρας, auis quædam, ὄρνις τοιὰς, ἣ πτυρῴδης, Idem. Athenæus phasianum à nonnullis πατύζαν nominari scribit. uide in Tetrace inter Gallinas.

Equidem & TRAGOPANADEM, quam plures affirmant maiorem aquila, cornua in temporibus curuata habentem, ferrugineí coloris, tantum capite phœniceo, fabulosam reor, Plin. Videtur tragopanadem dicere à recto tragopanas, quod Græcè scripserim τραγοπανὰς genere fœminino, ut παλμὰς: nimirum quòd cornuta sit hirci instar uel Panòs dei pastorum. apud Solinum tamen tragopa legitur: Aethiopica (inquit) auis est tragopa, maior aquilis, cornibus arietinis proferens armatum caput. ¶ Auis certè cornuta alia nulla legitur. nam Claudianus lib. 1. in Eutropium, Profert iam cornua uultur, de re minimè uerisimili dixit.

TODI genus auium paruarũ. Plautus, Cum extortis talis, cum todilis crusculis, Festus. Græci struthopodem dicunt cui cruscula sint gracilia, ut nostri Meisenbeinle.

TRICCVS, Τρίκκος, auicula quædam, & rex apud Elienses, Hesychius & Varin. Fieri potest ut regulum auiculam hoc nomine aliqui uocarint.

DE TROCHILIS AQVATICIS.

TROCHILVS (Τροχίλος) aquas adamat, Aristot. Crocodilis hiantibus trochili aues inuolantes depurgant dẽtes, (inhærentes hirudines rostro in fauces inserto extrahunt, Aelianus,) quo munere & ipsi aluntur, & crocodilus sentiens commodè secum agi, nihil nocet. sed cum egredi auem uult, ceruicem mouet, ne comprimat, Idem. Plura leges in Crocodilo D. Alius est trochilus, qui regulus uel rex auium alio & frequentiore nomine appellatur: cuius historiam in R. Elemento absoluimus. Trochilus auis est è genere palustrium, & iuxta ripas fluuiorum oberrat, ubi obuia quæque legens depascitur: nutritur uerò etiam à crocodilo, hoc est hirudinibus quæ faucibus eius inhærent, cui etiam se gratum ostendit. nam dormienti crocodilo ichneumon insidiatur, & sæpe ceruicẽ eius (mordicus) inhærens strangulat. Trochilus clamat, & crocodili nasum ferit, & excitatum aduersus hostem irritat, Aelianus. Iam tametsi non pauca sint trochilorum genera, & nomina, quæ sanè quidem quoniam dura sunt, & ab aure religiosa & terete auersa, prætereo: haud quaquam cum ijs omnibus fœdere deuincitur, amicitiamq; colit crocodilus, sed cum solo nuncupato cladoryncho societatem, atque amicitiam facit. Enimuero nulla hic offensione hirudines ei legere potest, Idem interprete Gillio. Hermolaus in castigationibus in Plinium cladarorynchum legit. Κλαδληρόρυγχος, προχίλος εἶδος, Hesych. & Varin. Videtur autem sic dictus à motu & concussione rostri. nam κλαδάζω exponunt σείω, id est concutere, pro κραδάζω nimirum. Sic & κλαδαρόμματοι, οἱ σύσεισοι τὰ ὄμματα.

¶ Sunt etiam ex amphibijs auibus trochili dicti, hi per littora discurrũt, tanta sæpius celeritate, ut cursus eorum uolatu etiam pernicior sit: atq; hinc nomen eis apud Græcos meritò impositum. Pisces magnos non aggrediuntur: cancellis, etsi quæ fluctibus ad littora propelluntur, contenti. Mares seorsim à fœminis, fœminæ à maribus pascuntur. Ineunte uere, priores fœminæ solicitant mares ad coitum. sequuntur enim, & prope eos peculiari quodam cantu strident: quo uix tandem allecti mares accedunt. mox iterum fœtu procreato separantur, & ad sua sexus uterq; pascua seorsim reuertitur. Tunc mares omnem fœturæ & Veneris curam relinquunt: fœminis labor solis incumbit: eumq; illæ inter se partiuntur. Iam aliæ oua in nidis fouent, aliæ fouentibus cibum congerunt, & sic alternis oua suis plumis concalfacere pergunt. Pullos iam adultos ad littus producunt, ubi mares uersari solent: ibi fœmellæ etiam ex pullis cum suo sexu remanent, masculi ultrò separantur. sic oues inter pascendum mixtæ à pastoribus secernuntur, Oppianus lib. 2. de aucupio. Helorius, trochilus, & carulus mari tranquillo littoribus aduolant, uictum ex piscibus quærentes, Athenæus. Τροχίλος auis à currendo dicta est, Varinus: cui paroxytonum hoc nomẽ est, ut & Athenæo, Aeliano, & alijs plerisq; apud Herodotum penanflectitur; properoxytonum est Hesychio in Nu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 760 sur 825

menio. Aristophanes in Pace inter lautitias ciborum enumerat, χλῶρας, νῆττας, φαλῆρας, πτοχίλους. Et in Acharnensibus inter Bœotorum delicias, φαλαρίδας, πτοχίλους, κολύμβους, &c. ¶ Albertus authoritate Auicennę asserit trochilum esse auem similem picæ, sed aquaticam & uariam, cuius rostrum simile sit rostro anatis, Niphus. nos huius anatis, uel potius mergi genus uocamus ein Rynent oder wysse Merch. Ego uerò trochilos non anatum aut mergorum generis, quibus uelocitas in cursu nõ conuenit, sed gallinularum aquaticarum esse dixerim, quas in ripis & arenis celeriter currere notum est, cũ cursu magis quàm uolatu ualeant, eoq; cruribus sint oblongis, caudis uerò perbreuibus.

¶ Trochilorum genera non pauca esse testatur Aelianus, & inter alia cladarorynchum, crocodilo familiare, ut suprà retuli. Sisophelos etiam, Σεσόφιλος, trochilorũ generis est apud Hesychium & Varinum. Corythus, Κόρυθος, unus de trochilis, Hesychius. hæc fortè cirrhata aut cristata est, & inde Græcum nomen sortita auis. Numenius, Νεμήνιος, ὁ καὶ πτόχιλος, idem qui trochilus, Hesych. Vide suprà in Arquata A.

HYLAS autor est trogonem, cornicem & alias quasdam aues, à cauda de ouo exire: quoniam pondere capitum peruersa oua posteriorem partem corporum fouendam matri applicent, Plinius. hoc cum in bubone non probabile uideatur Alberto, ne in cæteris quidem uidebitur.

DE TVRDIS IN GENERE: ET PRIVATIM de illo quem pilarem Gaza nominat, Aristot. trichádа, cuius figuram sequens pagina continet.

A.

TVRDORVM Aristoteles tria genera facit: unum uiscivorum, magnitudine picæ, quod à nostris etiam à uisco denominatur ein Mistler: alterũ trichádа uocat, pilare Gaza uertit, quod (inquit) sonat acutè, & magnitudine merulæ est. hoc nostri auem iuniperorũ nominant, quòd earum baccis pascatur: tertium quod iliacum quidam uocant, minimum inter hæc, minusq; maculis distinctum. hoc esse coniicio auem quæ Germanis Winsel uel Beemerle nuncupatur. Est insuper eiusdem generis quam aliqui turdelam tanquam Latinè nominant, Germani ein Tröstel, præ cæteris musica. Sed de alijs infrà suo loco priuatim agetur: hîc uerò partim de turdis in genere, partim etiam de turdo trichade, ubi id exprimetur, ne quid confudisse uideamur. hoc quidem genus cæteris ferè in cibo præfertur; & magis peregrinum est, ut Varro per aduentitios turdos hoc maximè genus intellexisse uideatur.

¶ Præfertur turdorum genus quoddam reliquis maiusculum, pectore albo, nigrantibus maculis uariegato, quod merulæ magnitudine per hyemem iuniperi baccis enutritum, præsertim montana mittere sub pillaris nomine consueuerunt, Grapaldus. Ego pillaris nomen non uulgare esse puto, sed Latinum à Gaza confictum, ut Græcum πτιχὰς exprimeret. πτίχα enim Græci pilum dicunt. scribit autem Gaza pilarem per l. simplex. qua ratione autem à pilis hoc turdi genus dicatur non uideo: & fortè non inde sed per onomatopœiam inditum illi hoc nomen est à Græcis. Porrò an illam auem, quam nos hic pro pilari delineatam dedimus, pro pilari Grapaldus quoq; accipiat, dubito. neq; enim pectore albo est. Veteres quidem hoc ei non attribuunt. ¶ Turdi Græcè κίχλαι dicuntur: & uulgo schinopoulli, id est aues lentisci uocantur: ab alijs myrtopoulli, quòd harum stirpium fructibus pascantur, Bellonius. Sunt qui turdi nomen Græcis hodie uulgare mihi esse affirmarint κύχλα, alij τζίχλα, alij πίσσο. ¶ Alchamari, id est turdus auis, Syluaticus. Cichlæ leguntur apud Aristotelem historiæ animalium 6. 1. ubi Alberti translatio habet triangel & aulones. Alzarazir Auicennæ interpres turdos conuertit, cum sturnos debuisset.

¶ Turdus pilaris quia corpus & rostrum acutum habet, rusticè apud nos dicitur schiron, Niphus Italus. In alijs Italiæ locis, ut Lombardia, uiscada uocatur: quamuis alius sit à turdo uiscivoro Aristotelis, quem ipsi dresso appellant. utrunq; genus uisco pabulũ quærere audio. Scoppa Grammaticus nescio quomodo Dauliam auem interpretatur Italicè maluizo, tordo. sed tordo est quæ à nobis Tröstel uocatur: maluiccius uerò, ut Nipho placet, Iliacus, hoc est minimus turdorum. ¶ Hispanicè tórdo uel zorzól. ¶ Gallicè une griue, un tourd, ou oiseau de nerte, Rober. Stephanus. Bellonius turdos Gallicè exponit griues, mauuiz, trasles & touretz. sed turdũ maiorem propriè griue dici ait, minorem mauuis: & pilarẽ, mediæ magnitudinis litorne. ¶ Germani turdum pilarem appellant Krametuogel, uel (ut alij scribunt) Krameßuogel/ Kranwituogel, nostri Reckolteruogel: alij Wachholteruogel/ Wecholterziemer. nam Ziemer nomẽ commune turdorum est. ¶ Angli a feldefare, uel a feldfare, uel a filfar. ¶ Illyrij kwicziela, (ut Dores κιχίλα.) Poloni gluch, iemioluchá.

¶ Turnerus, & secuti eum Eberus ac Peucerus, turdi genus minus & canorum, quod nostri Tröstel appellant, turdum pilarem esse putarunt: quibus nõ assentior. Verùm Turnerus post æditum de auibus librum in suis ad me literis, non hanc amplius auem, sed Germanorum Krametuogel, mediæ magnitudinis turdum, (quem prius collurionem esse putârat,) turdum pilarem se existimare scripsit. ¶ Turdones pro turdi, apud Arnoldum Villanou.

B. Aduc-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 761 sur 825



B.

Aduenerunt bellis Bebriacensibus ciuilibus in Italiã aues externæ, quæ adhuc nomen retinent, paulum infra columbas magnitudine, turdorum specie, sapore gratæ, Plin. ¶ Turdus pilaris magnitudine merulæ est, Aristot. & citans ex eo Athenæus. ¶ Mutat & turdus colorem: quippe qui collo æstate uarius, (ποικίλος,) hyeme murino distinctus, (ψαρὸς,) spectetur, Aristoteles interprete Gaza: quem Gillius etiam in transferendo Aeliano sequitur: cuius hæc uerba Græca sunt: Κίχλη χειμῶνος δὲ ψαλωτέρα (lego ψαροτέρα ex Aristotele) ἰδεῖν, θέρους δὲ τὸν αὐχένα ποικίλον ἐπιδείκνυσι. Turdis color æstate circa collum uarius, hyeme concolor, Plinius. De uocis ψαρὸς significatione scripsimus in Sturno A. ¶ In Germania hyeme turdi maximè cernuntur, Plinius. In Italia temporibus quidem diuersis, sed aliâs alijs locis, uide in C. Apud nos in Heluetia per hyemes abundãt plerunq; præsertim circa Tigurum nostrum.

¶ Turdus auis est cinerei coloris, non magno corpore, Albertus. Turdus trichas nigris quibusdam in cinere maculis distinguitur, Gyb. Longolius. Auis quam collurionem esse puto, (de turdo nostro pilari loquitur,) turdum (uidetur turdum uisciuorum uel maiorem intelligere) magni-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 762 sur 825

tudine æquat, sed caudam habet longiorem, & magis mobilem, & pectus maculosum, Turnerus. ¶ In regionibus ad Septentrionem remotis turdi albi reperiuntur, teste Olao Magno. ¶ Turdus pilaris corpus & rostrum acutum habet, Niphus.

¶ Turdum pilarem nostrum curiosiùs olim inspectum his uerbis descripsi: Rostrum ei subflauum in extremo nigricat, tota ferè magnitudine & figura est merulæ, os etiã intrinsecus & linguam flauus color, sed dilutior quàm in merulis pingit. collum pronum cinereum est, ut etiam caput, sed nigris maculis aspersum. dorsum charopum seu ruffum obscurè, & per medias pennulas nigricans. Pars circa orrhopygium rursus cinereis plumis obtegitur. caudam pẽnæ nigræ cõstituunt. Collum supinũ & pectus uaria sunt. nam flauescentes in eis plumas nigræ distinguunt maculæ. Alæ interiores albæ sunt. Latera etiam intra alas (sub alis) in extremitate plumarum albicant, inde lineis rufis distinguuntur: intima parte latius nigrescunt. Plumæ uentris albę. Vngues digitiq; pedum nigricant. Pennæ alarum partim nigricant, partim rufo colore, ut dorsi, minores præsertim & breuiores, apparent. Sexus in hoc genere non facile distinguitur. Intestinum eius appendices non habet: nec gula uersus stomachum dilatatur, nec ingluuiem (ni fallor) superius habet.

C.

Turdi à tarditate uocati sunt. hyemis enim confinio se referunt, Isidorus. In Germania hyeme turdi maximè, æstate in nostris montanis locis: autumno, in plano & collibus inueniuntur. Hyeme præterea loca maritima, & iuniperis ac myrtis abundantia, etiam apud nos frequentant, Platina Italus. In æstate apud nos aut rarò aut nunquam uidetur turdus pilaris. in hyeme uerò tanta copia est, ut nullius auis maior sit, Turnerus Anglus. Turdi & turtures trimestres sunt, Plinius. id est tribus tantùm mensibus manent. Turdus hyeme latet, Aristot. Merulæ, turdi & sturni, in uicina abeunt. sed hi plumam non amittunt, nec occultantur, nisi spe cibi, quo (aliàs, uisi sæpe ibi, quo) hybernum pabulum petunt. (Platina aliter, Occultantur hæ aues sæpibus, ibiq; hyberno tempore pabulum quærunt.) Itaq; in Germania hyeme maximè turdi cernuntur, Plin. Quædam cum æstate æuum degant in syluis, hyeme demigrant in finitimos locos apricos, montium recessus secutæ, ut sturni, turdi, &c. Ge. Agricola. Et rursus, In angustis montium locis conditi aliquando turdi reperiuntur. Turdi sunt de genere auiũ aduentitio, ac quotannis trans mare in Italiam aduolãt circiter æquinoctium autumnale, & eodem reuolant ad æquinoctium uernum. & alio tempore turtures & coturnices immani numero. Hoc ita fieri apparet in insulis propinquis, Pontia, Palmaria, Pandataria, ibi enim in prima uolatura cum ueniunt, morantur dies paucos requiescendi causa. idemq; faciunt cum ex Italia trans mare remeant, Varro. Pilares apud nos postremi aduenium. Versantur turdi in glebis agrorum quiescentium, Albert. ¶ Turdus pilaris sonat acutè, Aristot. Alius ei hyeme color, alius æstate: uoce tamen eadem est, Idem. Dum turdus trutilat, sturnus tunc pisitat ore, Sed quod mane canunt, uespere nõ recolunt, Author Philomelæ. Turdus quidem per onomatopœiam dictus uideri potest. Turdus pilaris gregatim uolat, & inter uolandum obstreperus est, Turnerus. Turdi loquacissimi sunt, Erasmus Rot. sunt tamen qui mutum, item qui surdum faciant turdum, ut paulò post dicetur. Agrippina coniunx Claudij Cæsaris turdũ habuit (quod nunquam antè) imitantem sermones hominum, cum hæc proderẽ. habebant & Cæsares iuuenes, (Drusus & Britannicus Claudij filij,) item sturnum, luscinias Græco atq; Latino sermone dociles, Plin.

¶ Turdum audio uermiculis & muscis uesci. Ab transenna hic turdus lumbricum petit, Plautus Bacch. de amatore loquens. Si homines colãt aues inter alia ab eis commoda hoc etiam lucrabuntur, ὅτι οἱ κνῖπες τὴν ψλῶδη ἀεὶ τὰς συκᾶς ἐσθίουσι, Ἀλλ' ἀναλίσκει πάντας καθαρῶς αὐτὸς ἀγέλη μία κιχλῶν: hoc est, Ficos eorum non semper deuorabunt culicum genera, sed omnes illos uel unus turdorum grex absumet, Aristoph. in Auibus. Turdus pilaris baccis aquifoliæ arboris, sorbi minimæ & similium arborum uescitur, Turnerus. Pascuntur apud nos cum alijs arborum fructibus, tum sorbi alpinæ, & orni, (ornum appello arborem quam nostri Wielãschen, alij groß Mãlbaum,) nucleos nimirum excerpentes. Fagi glans turdis expetitur, Plin. Turdi pilares præcipuè iuniperi baccis delectantur, unde & nominantur à Germanis, & in uulgari ænigmate quæritur quæ sit auis quæ pabulo trimo pascatur, iuniperi enim baccæ tertio demum anno matuescere creduntur. Ego in pilaris turdi uentriculo dissecto reperi baccas iuniperi, & ossa spinæ albæ fruticis, (quam oxyacantham interpretãtur,) & berberi uulgò dicti granorum semina. Non sic destructa macrescit turdus oliua, Vt Lycidas domina sine Phyllide turbidus erro, T. Calphurnius. In sambuci fructu grana insunt sesamacea, non ingrata turdis sturnisq;, Ruellius. Turdi Græcis uulgò schinopoulli dicuntur, ab alijs myrtopoulli, id est lentisci uel myrti aues, quòd baccis earum pascantur, Bellonius. Turunda turdis esca solis cognita, M. Ant. Flaminius. De turdis saginãdis leges infrà in E. Lõbardi turdum pilarem uiscadam appellant à uisco: nostri uerò turdum maiorem à uisco denominant ein Miſtler. utrunq; genus uisco pabulum quærere audio. Aristoteles maiorem duntaxat turdũ, uisciuorum cognominat, quod non nisi uisco ac resina uescatur. Turdela quasi maior turdus dicitur, cuius stercore uiscum generari putatur, Isidorus. Viscum satum nullo modo nascitur, nec nisi per aluum auium redditum, maximè palumbis, (οἰνανθδς Athenæus,) & turdi. Hæc est natura, ut nisi maturatum in uentre auium non proueniat, Plinius 16. 44. Theophrastus non turdos, sed picas, id est cittas (aues) nominat, quarũ simo gignatur uiscum, atq; ita Theodorus interpretatur, forteq; depra-

uatum

uatum id in Theophrasto fuerit, ut pro cichla quod turdum significat, cittam librarius asscripserit, Hermolaus. Viscum non putredine aliqua nascitur, nec prouenit nisi semine, ubi aues quæ fructum deuorauerint, excremẽtum in arbore egesserunt, Theophrastus de causis plant. 2. 23. Oenadem ferũt si deuorato uisci semine aluum exonerârit, uiscum nasci, Athenæus lib. 9. Vnius plantę ramus sæpe innascitur & succrescit alienæ arbori. Causam cur id fiat Theophrastus, abstrusas rerũ naturas perscrutatus, affert: Aues enim arborum fructum comedentes, posteaq; in arboribus considentes, excrementa egerere, semenq; in cauernas delapsum pluuia irrigatum enasci & pullulare, itaq; in oliua ficum, in alijsq; alias ingenerari, Aelianus. Turdus ipse sibi malum cacat, κίχλαι (κίχλη melius) χέζει αὐτῇ κακόν: prouerbium (inquit Erasmus) in eos dici solitũ, qui sibijpsis ministrarent exitij causam. Siquidem uiscum non prouenit nisi redditum per auium aluũ: cuius rei meminit & Seruius in sextum Aeneid. Quoniam autem uisco capiuntur aues, ipsæ sibi malum cacant uidelicet. Plautus paulò diuersius extulit: Ipsa (inquiens) sibi auis mortem creat, quanquam equidem non dubitem affirmare à Plauto cacat, non creat fuisse scriptum: deinde locum à quopiam Græcanico prouerbij ignaro deprauatum. In hos igitur quadrabit parœmia: aut in eos, qui potentes sibi generos asciscunt, à quibus postea per uim opprimantur, Hæc ille. ¶ Surdior turdo, Κωφότερος κίχλης. Zenodotus ex Eubuli Dionysio citat, adscribẽs surditatem huic auí peculiarem, cum sit loquacissima, uel prouerbio teste. (Ego non de turdi, sed trygonis, id est turturis loquacitate prouerbium legisse memini.) Vnde concinnè dicetur in eos, qui perpetuò blaterantes ipsi nõ auscultant quid uicissim ab alijs dicatur, quod uicium in multis licet deprehendere, Erasmus. Κωφότερος κίχλης: παρ' Εὐβέλῳ ἐν Διονυσίῳ λέγεται ἀφωνότερος κίχλης, Suidas & Varinus. hoc est, apud Eubulum in Dionysio legitur, non surdior sed magis mutus quàm turdus. Nos de uoce & loquacitate turdi diximus suprà. ¶ Turdi oua decem à conceptu diebus pariunt & fouent, Albertus. ¶ Turdi nidos ex luto, ut hirundines, faciunt in excelsis arboribus, ita deinceps continuato opere, ut quasi catena quædam nidorum contexta uideatur, Aristot. In cacuminibus arborum luto nidificantes, penè contextim, in secessu generant, Plinius.

D.

Turdos aliquando sermones hominum imitari, scriptum est suprà in C. ¶ Palumbes laurum edit contra fascinationis noxam, turdus myrti comam, Philes. Zoroastres in Geoponicis turdum hoc facere scribit contra blattarum iniuriam. ¶ Merula turturem amat, Aristot. Merulæ & turdi amicæ sunt aues, Plinius. forte autem turdi non rectè scriptum est pro turtures.

E.

Tempore hoc per humiles syluas, & baccis fœcunda uirgulta ad turdos, & cæteras aues capiendas, laqueos expedire conueniet. Hoc usq; in Martium mensem tendetur aucupium, Palladius in Decembri mense. Tenus est laqueus dictus à tendicula. Plautus Bacchidibus, Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit: Pendebit hodie pulchrè, ita intendi tenus, Nonius. Dum turdos uisco, pedica dum fallit alaudas, Alciatus in Emblematis. Pellaci cãtu deceptus ab aucupe turdus, Politianus in Rustico. Accipitres cum alias aues tum turdos capiunt, Crescentiensis. Μανδύιον, retis genus quod turdis tenditur, ἠφέλη à quibusdam dictum, Hesychius & Varin. Turdis regio Heluetiorum quibusdam annis abundat, ut circa Tigurum: ubi aucupes sunt periti, qui fundis in sublimi aere longo spacio (ad iter horę interdũ aut amplius) has aues persequuntur, donec ad descensum coactos retibus non supra hominis staturam erectis cateruatim implicent, Stumpfius. Oppianus lib. 3. de aucupio cap. 10. modum quendam merulas capiendi præscribit, eodemq; turdos etiam capi ait. Vide in Merula E.

¶ Lucullum turdos æstate in auiarijs alere solitum scribit Plutarchus, Volaterranus. Cor. Nepos, qui diui Augusti principatu obijt, turdos scribit paulò antè cœptos saginari, Plinius. In auiarijs stabulantur turdi ac pauones, Varro. In prima parte ornithônis sint aues terra modo contentæ, ut sunt pauones, turtures, turdi, Idem. ¶ In uilla materteræ meæ in Sabinis, ad quartum & uicesimum lapidẽ uia salaria à Roma, ornithon est, ex quo uno quinq; millia scio uæniisse turdorum denarijs ternis, ut H S sexaginta millia ea pars uillę reddiderit eo anno, bis tantũ quàm tuus (Axium alloquitur) fundus ducentorum iugerum Reate reddit, Varro de re rust. 3. 2. Et rursus sequenti capite, Non dissimulabo, quod uolo de ornithône primum, quòd lucri fecerunt hoc nomen turdi. H S enim sexaginta millia fircellina excandêre me fecerunt cupiditate. Et mox, Ornithônis alterũ genus fructus causa est, quo genere macellarij, & in urbe quidam habent loca clausa, & rure maximè conducta in Sabinis, quòd ibi propter agri naturam frequentes apparent turdi. Impensa curaq; (ut par est) adhibita, M. Terẽtius ternis sæpe denarijs turdos singulos emptitatos esse significat auorum temporibus, quibus qui triumphabant populo dabant epulum. At nunc ætatis nostræ luxuries quotidiana fecit hæc pretia, propter quæ ne rusticis quidẽ cõtemnendus sit hic reditus, Columella. Turdi si alieno tempore saginentur, (id est eo tempore quo non reperiuntur ut capi possint) & uoluptatem cibi & reditum maximum præstant, parcitati beneficium ministrante luxuria, Palladius. Turdis maior opera & impensa præbetur, qui omni quidem rure, sed salubriùs in eo pascuntur, in quo capti sunt. Nam difficulter in aliam regionem transferuntur, quia caueis clausi plurimi despondent, quod faciunt etiam cum eodem momento temporis à rete in auiaria coniecti sunt, itaq; ne id

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 764 sur 825

accidat, uetèrani debent intermiſceri, qui ab aucupibus in hunc uſum nutriti, quaſi allectores ſint captiuorum, mœſtitiamq; eorum mitigent interuolando. Sic enim conſueſcent & aquam & cibos appetere feri, ſi manſuetos id facere uiderint, Columella. Claudantur illæſi, & recenter capti miſtis aliquibus antè nutritis, quorum ſocietate ad capiendos cibos pauidam nouæ captiuitatis mœſtitudinem cõſolentur, Palladius. Dicam, quod te malle arbitror Axi, de hoc ornithône, quod (quem) fructus cauſa faciunt: unde nonnulli ſumuntur pingues turdi. Igitur teſtudo (ut periſtylum tectum tegulis, aut rete) fit magna, in qua millia aliquot turdorum, ac merularum includere poſsint. Quidam cum eo adijciunt præter eas aues, alias quoq;, quæ pingues uæneunt care, ut miliariæ ac coturnices. In hoc tectum aquam uenire oportet per fiſtulã, & eam potius per canales anguſtas ſerpere, quæ facile extergeri poſsint. Si enim latè ibi aqua diffuſa, & inquinatur facilius, & bibitur inutilius, & ex eis caduca quæ abundat & exit per fiſtulam, facit ut luto aues laborẽt. Oſtium habere humile, & anguſtum, & potiſsimum eius generis, quòd cochleã appellant, ut ſolet eſſe in cauea, in qua tauri pugnare ſolent. Feneſtras raras, per quas non uideantur extrinſecus arbores, aut aues, quòd earum aſpectus ac deſyderium macreſcere facit uolucres incluſas. Tãtum luminis habere oportet, ut aues uidere poſsint, ubi aſsidant, ubi cibus, ubi aqua ſit. Tectorio tecta eſſe leui circum oſtia, ac feneſtras, ne qua intrare mus, aliáue quæ beſtia poſsit. Circum huius ædificij parietes intrinſecus multos eſſe palos, ubi aues aſsidere poſsint. Præterea & perticas inclinatas ex humo ad parietẽ, & in eis tranſuerſas alias gradatim modicis interuallis annexas, ad ſpeciem cancellorum ſcenicorum ac theatri. Deorſum in terram eſſe aquã, quam bibere poſsint. Cibatui oſſas poſitas: eæ maximè glomerantur ex ficis & farre miſto. Diebus uiginti ante quàm quis tollere uelit turdos, largius dat cibũ, & aquæ plus ponit, & farre ſubtiliore incipit alere. In hoc tecto, caueaq; tabulata habeant aliquot ad perticæ ſupplementum. Contra hoc auiarium eſt aliud minus, in quo quæ mortuæ ibi ſunt aues, ut domino numerum reddat, curator ſeruare ſolet. Cum opus ſunt ex hoc auiario, ut ſumantur idoneæ, excluduntur in minuſculum auiarium, quod eſt coniunctũ cum maiore oſtio, & lumine illuſtriore, quod ſecluſorium appellant. Ibi cum eum numerum habet excluſum, quem ſumere uult, omnes occidit. Hoc ideo in ſecluſorio clam, ne reliqui, ſi uideant, deſpondeant animum, atq; alieno tempore uenditori moriantur. Non enim ut aduenæ uolucres faciunt pullos, ut in agro ciconiæ, in tecto hirundines, ſic aut hic, aut illic turdi, Varro de re ruſt. 3. 5. Turdi locum æque munitum, & apricum, quàm columbi deſyderant, ſed in eo tranſuerſæ perticę perforatis parietibus aduerſis aptantur, quibus inſidant, cum ſatiati cibo requieſcere uolunt. eæ perticæ non altius à terra debent ſubleuari, quàm hominis ſtatura patiatur, ut à ſtante contingi poſsint, Columella. Sub columbario cubicula duo ſubijciantur, unum quo turtures claudantur, &c. aliud uerò cubiculum turdos nutriat. Sit autem locus mundus & lucidus, & undiq; læuigatus. Tranſuerſæ in hoc perticæ figuntur, quibus poſſint poſt incluſum uolatum ſedere. Rami etiam uirides ſæpe mutentur, Palladius. Turdi in calida domo uictitant. ipſius autem muris domunculæ, perticæ inſerendæ ſunt, ac lauri ſurculi, alteriúsue cuiuſpiam circa angulos collocandi, Didymus in Geoponicis. Cibi ponuntur ferè partibus his ornithonis, quæ ſuper ſe pertícas non habent, quo mundiores permaneant. ſemper autem arida ficus diligẽter pinſita, & permiſta polline, præberi debet, tam largè quidem, ut ſuperſit. hanc quidam mandunt, & ita obijciunt. Sed iſtud in maiore numero facere uix expedit. quia nec paruo conducuntur qui mandant, & ab ijs ipſis aliquantum propter iucunditatem cõſumitur. Multi uarietatem ciborum, ne unum faſtidiant, præbendam putant. ea eſt cum obijciuntur myrti & lentiſci ſemina: item oleaſtri, & ederaceæ baccæ, nec minus arbuti. Ferè enim etiã in agris ab eiuſmodi uolucribus hæc appetuntur: quæ in auiarijs quoq; deſidentium detergent faſtidia, faciuntq; auidiorem uolaturam, quod maximè expedit. nam largiore cibo celerius pingueſcit. Semper tamen etiam canaliculi milio repleti apponuntur, quæ eſt firmiſsima eſca. nam illa, quæ ſuprà diximus, pulmentariorum uice dantur. Vaſa quibus recens & munda præbeaẽ aqua, non diſsimilia ſint gallinarijs, Columella & Palladius. Caricæ tunſæ miſtis pollinibus largiſsimè præbeantur, Palladius. Pabulum in loco pauimenti mundiori ponitur: hoc eſt, arida ficus perfuſa aqua, maceratáq;, immò etiam minutim ſciſſa farinæq; miſta, aut etiam polentæ hordeaceæ. Baccæ præterea myrti, lentiſci, fructus hederæ, (item lauri & oleæ, Cornarius,) atq; omnia id genus turdis paſcendis ſunt. Pinguiores tamen eos reddit milium atq; panicum, nec non limpidiſsima aqua, Didymus in Geoponicis Andrea Lacuna interprete.

¶ Ad agrum ſtercorãdum præſtare arbitror ſtercus ex auiarijs turdorum ac merularum, quod non ſolum ad agrum utile, ſed etiam ad cibum ita bubus & ſuibus, ut fiant pingues. itaq; qui auiaria conducunt, ſi caueat dominus ſtercus ut in fundo maneat, minoris conducunt, quàm ij quibus id accedit, Varro. M. Varro principatum dat ad agros lætificandos turdorum (& merularum) fimo ex auiarijs: quod etiã pabulo boum ſuumq; magnificat, neq; alio cibo celerius pingueſcere aſſueuerat. De noſtris moribus bene ſperare licet, ſi tanta apud maiores fuêre auiaria, ut ex his agri ſtercorarentur, Plinius.

¶ Turdorum greges qui non rari & ſparſi, ſed turmatim uolitent, aliqui imminentis peſtilentię præſagium faciunt.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 765 sur 825

F.

Turdus boni & præcipui saporis est, Albertus & alij. Præ cæteris auibus inter lautitias habetur, Aristophanis Scholiastes. Nil melius turdo, Horatius 1. Epist. Inter aues turdus, si quis me iudice certet, Inter quadrupedes gloria prima lepus, Martialis. Texta rosis fortasse tibi, uel diuite nardo, At mihi de turdis facta corona placet, Idem. Et alibi, Illic coronam pinguibus grauem turdis uideres.

¶ Galenus in libro de cibis boni & mali succi, cibarijs laudatis, & neq; tenuem neq; crassum succum gignentibus turdos adnumerat. Ex auibus quæ uolatu fidunt firmioris sunt nutrimenti quæ grandiores quàm quæ minutæ, ut ficedula & turdus, Celsus 2. 18. Bapt. Fiera pinguem merulam turdo præfert: ambo (inquit) sistunt, sed turdus calidior est, & grauius redolet, ab aucupe tamen laqueo uel reti captum non minus quàm merulam probat. Vide suprà in Merula F. Tympanicis, ex auibus præponi debent ferè mansuetis, ut palumbus, turdus, Trallianus. Eis quos hæmorrhoides crebrò uexant, & maximè pulsantes, expedit ut diligenter euitent turdos, grues, Arnoldus de conseru. sanit.

¶ Turdos, merulas, &c. assabis. hæ quoq; aues, si elixentur cum pipere & saluia, non insuaues uidebuntur, Platina. In turdo: Vbi turdum assaueris eo modo quo conuenit, amygdalas bene tusas, saleq; insperses, cum agresta & iusculo miscebis, modicumq; gingiberis & cinnami insperges. Mixta hæc omnia per cribrum setaceum in cacabum transmittes. Vbi modicū ebullierint, in ollam in quam turdos assos reposueris, infundes. Sunt item qui satius dicūt in assos turdos uel malarancia exprimere, uel aromata dulcia inspergere, Idem. Apicius lib. 6. cap. 5. titulum habet, Iura in diuersis auibus, turdis, ficedulis, pauo, phasiano, ansere: sed in contextu nullius harum auium priuatim mentio fit præterquam anseris. Ab Alexandro Benedicto laudatur tempore pestilentiæ in cibo turdus biduo maceratus aceto. Pectora turdorum in patinam Apicianam conijciuntur libro 4. cap. 2. Apicij Magiricæ. Heliogabalus exhibuit Palatinis ingentes dapes extis illorum refertas, & cerebellis turdorum, &c. Lampridius. Porcellus dimidia parte assus & dimidia elixus, apud Athenæum lib. 9. fartus erat turdis & uentriculis gallinaceis, &c. Item lib. 4. porcus assus apponebatur, turdis & ficedulis fartus. Turdi quomodo parētur cum iecore ouillo, uide in Oue F. De pastillis è pullastris in Gallo F. Baltasaris Stendelij uerba recitauimus: similiter autem inquit pastillos etiam è turdis fieri, quos non ultra horam coqui iubet.

G.

Turdos edisse cum baccis myrti prodest urinæ, Plin. Et rursus, Turdus inassatus cum myrti baccis dysentericis medetur. ¶ Puluerē coturnicis uel turdi Ant. Gainerius aduersus napellum commendat, deceptus nimirum ab interpretibus Arabum, & ijs qui napellum, aconitum, & cicutam ferè confundunt: cum sturnos nō turdos conio, id est cicuta pasci ueteres testentur. ¶ Stercus turdorum (alzarazir, id est sturnorum) edentiū oryzam cōfert ad pannum & morpheā, Auicenna.

H.

a. Turdi à tarditate uocati sunt. hyemis enim consinio se referunt, Isidorus. mihi per onomatopœiam potius dicti uidentur. Turdi cum sint nomine mares, re uera fœminæ quoq; sunt, Varro de re rust. Turdi masc. sunt generis, ut plerunq; lectum est: fœmininī apud Varronem Quinquatribus, Nonius. ¶ Albertus turdorum species enumerans ex Aristotele, turturem pro turdo imperitè ponit: ut & Auicennæ interpres alicubi, ut testis est Aggregator. ¶ Κίχλα aliqui & τριγλα efferunt, non rectè. nam fœminina in λα. omnia debent habere λ. duplex (secundum Atticos,) ut κώλλα, σκίλλα, βδέλλα, &c. quæ uerò λ. simplex habent per κ. scribuntur, ut ψύλη, ὀμίχλη, &c. Varinus, qui Herodiano etiam hunc canonem placere ait. Κιχῆλαι, turdi, Hesychius & Varin. Κιχήλας pro κίχλας Doricum esse aiunt, apud Comicum & Epicharmum. Syracusani quoq; κιχήλας uocant, tanquam & ipsi δωριζοντες, Athenæus & Varinus. Κιχήλας per pleonasmum pro κίχλας. Κρεατοφαγίδια (lego, Κρέα τ' ὀρνίθεια) κιχηλῶν, Varinus. Ἴχλα, ἡ κίχλα, Suidas & Hesychius. Ἰχκίλη piscis quidam uel turdus auis, Hesych. & Varin. Ἴσκλαι, turdi, & melotæ (pelles) caprinæ, Iidem. Cicla & clice uoces à Græca κίχλη corruptas Syluaticus turdum interpretatur. Κίλλα, animal uolucre, Varinus non suo loco, sed ubi κίχλα scribi deberet.

¶ Epitheta. Turdos pingues & crassos Martialis dixit. Obesus turdus, Horat. 1. epist. Apud Textorem turdi epitheta sunt, Edax, Auidus, Vagus, Trutilans (ex authore Philomelæ,) Aduena, Raucus. ¶ Epicharmus ἑλαιοφιλοφάγος κιχήλας dixit, Varinus: quanquam apud Athenæum ἐλαιοφυλλοφάγος perperam legitur.

¶ Deriuata. Turdarium, locus in quo turdi saginantur. Verba ex uerbis ita declinari scribunt, ut uerba literas alia assumant, alia mutent, alia commutent, (fortè amittant,) ut fit in turdo, & turdario, turdelitio, M. T. Varro. ¶ Turdus piscis est Columellæ, Plinio & Quintiliano. Piscem asellum nō à corporis similitudine, sed à colore dicimus, ut umbram atq; turdum, author M. Varro. Sic & apud Græcos κίχλη tum auem turdum, tum piscem marinum significat, Hesychio & Varino. Κίχλη auis est, & piscis similiter uarietate punctorum insignis, ὥσπερ ὁ πόσυφος μελανόστικτος, Varin. ¶ Κιχλισμὸν risum interpretantur, non quemuis, sed tenuem, (id est tenui uoce emissum,) exiguum, (alij contrà uehementem, immoderatum,) muliebrem, meretricium, sed quoniam alij aliter & in-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 766 sur 825

terpretantur & ſcribunt, ſingulorum uerba enumerabo. Κιχλισμὸς, ὁ λιπὴς καὶ ἀκόλαστος γέλως, Suidas. Varinus ſimiliter ſcribens exponit μικρὸν γέλωτα, ἢ πολὺν καὶ ἄτακτον: & rurſus, muliebrem riſum. Apud eundem & Heſychium κιχλισμὸς per γ. in penultima, riſus uehemens eſt. item κικλισμὸς, riſus ſimpliciter, Iiſdem. Κιχλιασμὸς, riſus muliebris & meretricius, Clemens in Pædagogo. Κιγγλισμὸς, riſus turpis & immoderatus uel laſciuus, ἀκρατὴς γέλως μετὰ ἀταξίας, Heſych. & Varinus. Γιγγλισμὸς, uel γιγλισμὸς, uel γιγγλισμὸς, γαργαλισμὸς ἀπὸ χειρῶν, κιχλισμὸς γέλως, Iidem. Ego ex diuerſis iſtis ſcribendi modis nullum probârim, præter unum κιχλισμός. Homerus Odyſſeæ antepenultimo ancillas turdis cichlis & columbis comparat: illud fortè propter riſum immodeſtum (διὰ τὸν κιχλισμὸν [lego κιχλισμὸν] τῶν γελώντων:) hoc uerò propter libidinem ad quam columbarum genus procliue eſt. Κιχλίζειν prouerbio dicebantur qui pinguibus coturnicibus aut turdis ueſcerentur: aut qui riderent laſciuè parumq; decore. Proinde & κιχλισμὸν riſum mollem & impudicum appellant. Quadrabit igitur uel in liguritores & cupediis addictos, uel in laſciuius ludentes, Eraſmus: qui uocē κιχλίζειν coturniſſare uertit. nam Ariſtophanis interpres in Nubibus idem uerbū interpretatur pro eo quod eſt pingues coturnices aut turdos eſitare, aut indecorè & immoderatè ridere, ex quo Suidas etiam & Varinus repetunt. Sed cum cichla turdum non coturnicem ſignificet, turdari potius uertendum fuerat. Comicus ipſe in Nubibus ſimul nominat ὀψοφαγεῖν, κιχλίζειν, (Athenæus lib. 8. legit κιχλάζειν,) καὶ ἔχειν τὼ πόδ' ὑγιαλάξ. Multæ puellæ iubēt me ſibi colludere noctu, Κιχλίζοντι δὲ πᾶσαι, ἐπὶ σὺ κ' αὐτοῖς ὑποκύσῃ, Cyclops apud Theocritum. Κιχλίζειν χειμέτιμα γάμα πολιελόβιον ἔσσαι, Suidas ex epigrammate. Varinus κιχλίζειν uerbum interpretatur etiā pro eo quod eſt moueri & agitari, σαλεύεσθαι, κινεῖσθαι: in qua ſignificatione ego κιγκλίζειν ſcripſerim. id enim Heſychio eſt κινεῖν, σαλεύειν, μοχλεύειν, πειράζειν. quanquam & κιγλίζειν & κιγχλίζειν apud illum ſcribitur, corruptè ut arbitror. Idem à cinclo aue, quæ caudam ſubinde mouet, κιγκλίζειν uerbum factum ait, pro eo quod eſt σαλεύεσθαι, concuti. Videntur & κιγκλίδες θύραι ab hoc uerbo dictæ, quod circa cardines ſuos moueātur. Et fortè κιγκλισμὸς (ſic enim ſcribere malim quàm κιγχλισμὸς uel γιγγλισμὸς) riſus tam uehemens fuerit, qui totum agitet & concutiat corpus: ſed κιχλισμὸν potius dixerim à turdis: quòd homines ſaturi cibis præſertim delicatioribus, ad riſus laſciuos diſſolutiores ſint. Habent Germani uerbum **Kitzeren** non diſſimile Græco, & eiuſdem ferè ſignificationis. Κιχλίζειν, quod & καχλάζειν, affatim ridere, ἀθρόως γελᾶν, per translationem ab undis & fluctibus cum attolluntur & æſtuant, Varinus. Κιχλίσκειν, γελᾶν, μειδιᾶν, ridere, Heſych. & Varinus. Ταγατίζειν, κιχλίζειν, Iidem. Epicichlides carmen dictum quod in Homerum refertur authorem à quibuſdam, quoniam dum id pueris præcineret, turdis donabatur, Athenæus & Cælius. ¶ Κιχλιδῶπις, portulaca herba, Heſychius & Varin. Onocichle herba compoſito nomine ab aſino & turdo, quæ particulatim floreat, memoratur Theophraſto hiſtorię plant. 7. 10. (Gaza turdariam uertit) & Plinio 17. 16.

¶ Turdetani & Ficedulenſes nominantur in Captiuis Plauti. Turdetania regio quæ uulgò Andelucia dicitur, Scoppa.

¶ c. Si mihi Picena turdus palleret oliua, Martialis 9. 55. paſcitur enim oleæ & oleaſtri baccis turdus, ac inde pinguior & præ pinguí pallidior, id eſt magis cereus euadit. hinc turdos ἐλαιοφιλοφάγους Epicharmus dixit, ut rectè legit Varinus. nam Athenæi codices impreſsi non rectè habent ἐλαιοφυλλοφάγους. ¶ Pœciliæ piſces turdi uolucris uocem ædere dicuntur, Pauſanias. Herbæ quas ſatyria & orches appellant, uidentur naſci è genitura turdorum & merularum, Hieron. Tragus.

¶ e. Subdola tendūtur craſsis modo retia turdis, Martialis. Archiæ epigramma in merulam quæ è reti euaſit turdis detētis, retuli in Merula H. e. ¶ Philocrates ὁ Στρόβιλος φυσῶν τὰς κίχλας δ' ἐκίνυσι καὶ λυμαίνεται, in Auibus Ariſtophanis. uenditurus ſcilicet inflabat ut pingues apparerent.

¶ f. Turdus, Siue aliud priuū dabitur tibi, deuolet illuc, Res ubi magna nitet domino ſene, Horatius Serm. 2. 5. Tiberius Cæſar Aſellio Sabino H S. ducēta donauit pro dialogo, in quo boleti & ficedulæ & oſtreæ & turdi certamen induxerat, Suetonius. Ariſtophanes in Pace inter lautiſsima cibaria nominat amylos placētas & turdos aues. Τίλλειν τε φαλήρας καὶ κίχλας ὁμοῦ πτίνοις, Ephippus apud Athenæum. Philoxenus cum mentio incidiſſet quòd turdi eſſent pretioſi, & fortè adeſſet Corydus, qui ſe adoleſcentem proſtituerat: At ego memini (inquit) Corydum (corydus Græcis alaudam quoq; ſonat) obolo uæniſſe, Athenæus. Gulæ dediti quidam turdos Daphnios laudauerunt, Clemens in Pædagogo. Ὀπταὶ δὲ κίχλαι μετ' ἀμπτίσκων εἰς τὸν φάρυγγ' εἰσωθέοντο, Teleclides de ueteri beata uita. hoc eſt, Turdi aſsi unà cum placentis in fauces eis inuolabant. Κίχλαι ἐκκαίδεκ' ὁλόκληροι μὲν λιπὼ σφαιμιγμέναι, Plato Phaone apud Athenæum. Ὀπταὶ κίχλαι ἀναβρᾶς' ἀρτυμέναι, Pherecrates. Et rurſus, Κίχλαις τ' ἀναβάστροις, melius ἀναβράστοις.

¶ DE PROVERBIIS, Turdo ſurdior, & Turdus malum cacat ſibi, leges ſuprà in C. Κιχλίζειν, uide ſuprà in H. 2.

DE TVR-

DE TVRDO VISCIVORO PRIVATIM.



A.

DE Turdis in genere multa ſcripſimus, inter quæ multa etiã uiſciuoro priuatim dicto conuenitunt, quem Ariſtoteles ἱξοβόρον, Athenæus ἱξοφάγον nominat. Hic magnitudine picæ eſt Ariſtoteli, nec niſi uiſco atq; reſina ueſcitur. uide ſuprà in C. in Turdis in genere: ubi turdum pilarem quoque uiſco paſci ſcripſimus: unde ab Italis uulgò uiſcada uocatur uel uiſcardo: hic uerò, de quo nunc agimus, dreſſo: quem & ipſum non uiſco ſolum, ſed etiam baccis iuniperi ueſci aiunt. Turdella turdi genus alterum eſt, (nõ alterum Ariſtotelis, ſed ſimpliciter diuerſum,) quod in Venetia prouincia drexanos uulgò nominant, in Liguria priſcum nomen retinent: maiores turdo ſunt, penna ſubtus uaria, Hermolaus in Corollario. Turdela maior eſt turdo, Monachi in Meſuen Itali. Turdela quaſi maior turdus dicitur, cuius ſtercore uiſcũ generari putatur, Iſidorus. ¶ Turdus uiſciuorus maior aliis, une griue Gallicè, Belloníus. Griue ſiſalle apud Sabaudos (ut amicus quidã ad me ſcripſit) turdus maior eſt, colore columbino, roſtro merulæ, nidum facit ex muſco in pariete, oua quaterna parit. Turdum uerò pilarẽ ijdem ſimpliciter (ni fallor) griue

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 768 sur 825

nuncupant. ¶ Germanicè Miſtler & Miſtelfinck in Heluetia, à uiſco: alibi Zieringk. Carinthijs Zerrer. Bauaris Schnerrer. Gyb. Longolius, qui circa Coloniã in Germania uixit, Primum (inquit) turdi genus, quod picæ magnitudine eſt, nondum, quod ſciam, in noſtra regione conſpexi. ¶ Anglicè a poluer. ¶ Illyricè prskawecz. ¶ Turcicè garatauk.

B.

Turdus uiſciuorus noſter maior eſt cæteris turdis, paulò infra columbam: capite alis & uentre fuſcus, plumis tamen iuxta caudam aliquid flaui admixtum apparet, cutim intra roſtrum pallidus & ſubruber color mixti tingunt. Pedes digitiq; flaueſcunt, præſertim poſteriore neruo tibiarũ. Vngues & roſtrum nigricãt. Collum parte prona uenterq; totus nigris punctis in albicantibus plumis & alicubi flauis uariant. Plumæ ſub alis candidæ ſunt.

C.

Veſcitur turdus uiſciuorus noſter non uiſco tantum & reſina, ut Ariſtot. ſcripſit, ſed uuis quoq;, & iuniperi liguſtriq; baccis. Cicuratur etiam, & paſcitur omni genere ciborum, pane, caſeo, &c. Aeſtate (ut audio) in ſyluis ſe abdit. Nidificat in noſtris regionibus.

D. E.

Noctuam odit, (ut & iliacus turdus,) & ea clamante aduolat: ſed non proximè ipſam, niſi arbor aliqua prope ſit. Turdos huius generis ſingulos ſingulas uiſci feraces arbores occupare aiunt, & ſemper proximè eas uerſari, neq; admittere alias, ſed perſequi & depellere, quod eorum ingenium etiam in cauſa eſt ut facilè capiantur. Aucupes enim caueam cui auis una huius generis ſit incluſa, & reti obtecta ut conſpici poſsit è ſublimi, cum decipula ſuperſtructa, ad arborem aliquam uiſcum ferentem unco ligneo prælongo ſuſpendunt. mox turdus ferus conſpecto incluſo, impetu in illum delapſus, ut de arbore ſua depellat, decipulæ operculo cadente capitur. & ſic deinceps ad arbores multas caueam eandem ſuſpendunt. ¶ Vtuntur hoc turdo etiam aucupes ad accipitres capiendos in attegia, amiti impoſito. nam cum accipitrem uiderit, clamat. ¶ A ruſticis quibuſdam accepi, ſi turdus uiſciuorus circa finem hyemis in cacumine alicuius arboris inſidens, & ſupra arborem eminens cantillet, hyemis diutius duraturæ ſignum eſſe: ſi uerò in medio arboris conſidat, ita ut non appareat, aut ægrè, æſtatem propinquam ſignificari.

F.

Viſciuorus turdus minoris apud nos pretij eſt, minusq; in cibo lautus habetur quàm pilaris.

DE TVRDO MINORE, QVEM ILLADEM uel tyladem cognominant.



TVRDI genus tertium eſt, quod iliacum (ἰλιάδα quidam uocant) minimum inter cætera (minus pilari & uiſciuoro) minusq; maculis diſtinctum, Ariſtot. Turdi genus tertium & minimum illas uocatur: uel, ut Alexãder Myndius ſcribendũ arbitratur, tylas, (τυλᾶς.) proinde Theodorus qui non illáda, ſed iliáda (Athenæus etiam ἰλιάδα habet) legerat, iliacum turdum conuertit. ſed erat commodius illadicum, Hermolaus. Alexander Myndius apud Athenæum dicit hoc genus gregale eſſe, & nidificare ut hirundines. Cleomenes apud eundem nominat τυλάδας ὠχρὰς μυείας, χρῶτα πτερυγῶν μύαι. ἴλλας etiam genus uinculi eſt Euſtathio, ex loris &

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 769 sur 825

toris & uiminibus, à uerbo εἰλῶ uel ἴλλω, quod est contorqueo.

¶ Turdus iliacus (id est minimus) Italicè uulgò dicitur maluiccius, (maluízo,) Niphus. Alibi (ut audio) cion uel cipper, ut circa lacum Verbanum. ¶ Gallicè un mauuis, minor alijs, magnitudine sturni, in uentre & sub flexu alarum magis flauus, Bellonius. Sabaudice griuette, id est turdulus. ¶ Germanicè **Winsel** uel **Wintze** apud nos à uoce sua. Claronæ in Heluetia **Bergtrostel**, alibi **Boemerle/Bömerlin/Beemerziemar**, uel **Behemle**, quasi Bohemica auis, uel turdulus Bohemicus, in Bohemia enim nidificare fertur. (sed alia quoq; auis est Bohemica uulgò à quibusdã dicta, cui nihil cum turdis cõmune, cuius icon in Appendice dabitur.) Alibi **Wyntrostel**, id est turdus uinearũ, fortè quòd uuis pascat: & **Rottrostel**, id est turdus ruber, ad differentiã alterius turdi minoris, quem nostri **Trostel** simpliciter, alij **Wyßtrostel**, id est turdum album uocitant. Turdus iliacus qui reliquis minor est, & gregatim plerunq; uiciitat, in dumetis & inter humiliores syluas, iuniperos & aquifolias degit: cui uulgus Germanicum (circa Coloniam) ab amaritudine nomen indidit, (**ein Bitter**,) Gyb. Longolius. Circa Basileam nomen habet **Giverle**, per onomatopœiam, ut conijcio. Iliacus turdus cinereus est ad fuscedinem uergẽs, sed minus uarius, Germanis (Saxonibus) **Weindzuschel/Weingartuogel**, Eberus & Peucerus. ¶ Anglicè a filfar, uel feldfare, quod nomen turdis omnibus commune in Anglia esse puto. ¶ Illyricè gikawecz.

¶ Uuinsela nostra per totum dorsum fusca est. pectus ei uarij coloris, medius uenter albicat, rũbet utrinq;, ut etiam pars sub alis. Interiora oris penitus flauescũt. Denicq; similis est tum specie tum magnitudine illi quam **Trostel** nominamus. ¶ In uentriculo dissectæ Uuinselæ Nouẽbri mense reperi baccas spinæ albæ, quam oxyacantham interpretantur. Peregrinæ sunt aues, necq; apud nos nidificant, sed in Bohemia (ut audio) uel Vngaria. Aduolant ad nos initio hyemis per xiij. ferè dies ante turdos pilares: circa Pascha recedũt. Laqueis capiuntur (**in böglinen**) sed difficilius quàm pilares. nam si laqueus sit albus, remouent, ut transgrediantur.

¶ Tertium turdi genus ab Anglis a wyngthrushe, & à Germanis **ein Weyngaerdsuogel** nuncupatur. Hic turdus utrinq; iuxta oculos, & in pectore & in ipso alæ flexu, intus & foris maculas habet latiusculas rubras. Huius nidum nunquam uidi: nec mirum, quum per æstatem apud nos nusquam uideatur. primum genus non nisi hyeme in Anglia cernitur, aut si uideatur, rarum est.

¶ Auceps quidam apud nos auem dictam **Beehemle**, id est turdulum Bohemicum, aliam à Uuinsela nostra esse mihi asseruit, sed similem: quam ipse aliquando in cauea cerasis aridis aluerit, quorum ossibus integris ab aue redditis aluo in subiectam caueam delapsis, coccothraustes (**ein Steinbysser**) illi inclusus nutritus sit.

DE TVRDO MINORE ALTERO, QVEM Itali turdum simpliciter, nostri **Trostel** uocitant.

A.

TVRDELA auis est quæ uulgò **Stoschele** uocatur. Sed Itali quidam hodie, ut in Liguria, turdelam appellant turdum maiorem uisciuorum, ut suprà docuimus. Author Philomelæ hanc auem, nescio qua lingua, palâram appellat: cuius hoc carmen est, Dulce palâra sonat, quam dicunt nomine drostam. ¶ Itali simpliciter turdum appellant, turdo, tordo, tuordo. ¶ Galli, ni fallor, trasle. ¶ Germani **Trostel**, quod nomen ab Italico turdela factum uideri potest. Alij aliter scribunt & efferunt: Gyb. Longolius, qui Coloniæ scripsit **Stoessel**: Turnerus qui ibidem, **Stossel** uel **Surstel**. Hieron. Tragus **Trossel**. Murmellius **Trusel**. Eberus & Peucerus **Sangdzuschel**, id est turdũ musicum, ad differẽtiam turdi iliaci superioris, (quem aliqui **Rottrostel**, id est turdum rubrum appellant: hunc uerò, de quo scribimus, **Wyßtrostel**, id est turdum album: quòd non admodum nisi colore quarundam partium differant.) Iidem trostelam nostram, Aristotelis turdum pilarem faciunt, quod nõ probo. ¶ Angli a trossel, aut a mauis, Turnerus. (sed Itali maluiccium uocant turdum minorem rubrum, de quo suprà egimus: & Galli eundem mauuis.) alij a thrushe, quod nomẽ tamen primo & maximo turdorum generi Turnerus Anglus adscribit. ¶ Illyrij & Poloni drozd.

B.

Magnitudine & ferè colore turdum refert: & est coloris cinerei, declinans in pectore ad uarietatem croceam, Albertus. Pectore est ualde maculoso, Turnerus. Auis est uaria & maculosa, magnitudine merulæ, Eberus & Peucerus. ¶ Magnitudo & species huic generi (ex inspectione nostra) eadem ferè quæ turdo minori proximè descripto. crura ei albicant. pectus, uentrem, & latera puncta nigra insigniunt. Venter alioqui candidus est, ut caudæ etiã pars supina in minoribus pennis. pectus subflauo & ruffo colore in unum mixtis. idem sub alis color merus & absq; maculis in minoribus pennis est. Tota pars prona uno ferè & simplici colore, nempe fusco. Alæ fusco ruffum miscuerunt, & maculas subflauas habent. Sexus, ut audio, non facile discernitur, nisi cantu.

C.

Per totum annum apparet, & cantus sui gratia à multis in caueis alitur, Turnerus. Probè ad-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 770 sur 825

modum cicuratur, Albertus. Auis est musica, canens uêre, uocis multiplicis, Idem. Dulce palâra sonat, quam dicunt nomine drostam, Sed fugiente die nempe quieta silet, Author Philomelæ. Vocem ædit acutam cum obscura quadam fuscedine, Eberus & Peucerus. Nidum intus exluto aut lignorum carie liquore mixta, & artificiosè læuigata, foris ex musco in ramis arborum aut fruticum facit, Turnerus. superficies nidi intus solida, læuis & dura est. Martio mense apud nos uel Aprili ouis incubant.

D.

Turdus hic, ut etiam uisciuorus, noctuam odio habet.

F.

Caro eius bona est, & ad cibum expetitur, Albertus.

¶ Turdus Iliacus, quem nostri **Winsel** appellãt, alibi uocatur, **Bergtrostel**, id est turdela montana: alibi **Wintrostel**, quod uuis uescatur, ni fallor.

¶ Apud Carinthios auis dicta **Leymtrostel**, cognata est turdis minoribus, sed pedibus albis.

¶ Auis ex turdorum genere minima est, quæ Germanicè (Saxonicè) **Ziepdzuschel** uocatur, figura alioqui & colore iliaco turdo (Vuinselæ nostris dictæ) similis. circa rubos uiuit & uersatur. delectatur enim fructibus eorum & sambuci baccis, Eberus & Peucerus: qui hãc Aristotelis batin esse coniiciunt. quoniam bátos Græcis rubus est. ¶ Apud nos turdi genus exiguum, tertia ferè parte turdelis uel iliacis minus, **Waldtrostel** uel **Kleintrostel**: hoc est turdelam syluaticam uel minorem uocant. Eberus & Peucerus turdum quendam paruum, minorem merula, maiorem fringilla, acuto rostro, breuibus pedibus, Germanicè **Klein zimmer**, id est turdũ paruum nuncupant: & Aristotelis cyanum, id est cœruleum esse conijciunt. Nos de cœruleo opinionem nostram in c. elemento protulimus.

¶ In Heluetia alicubi, ut circa Claronam, **Steintrostlen**, id est turdelas rupiũ nominant aues, quæ ab alijs **Steinrötele** dicuntur, ab alijs (ni fallor) **Blawuögel**, id est cœruleæ aues: de quibus copiosè in Cœruleo scriptum à nobis est. Ibidem (circa Claronam) **Wassertrostlen**, id est turdelæ aquaticæ uocantur, aues quædam cruribus oblongis, breuibus rostris, fidipedes, quæ iuxta aquas degunt: eædem fortè merulis aquaticis. ¶ In multis Germaniæ regionibus, ut Misnia, Turingia, Hassia, merulam torquatam nostram audio nominari **ein Meertzischedzuessel**, id est turdum Martium, quòd mense Martio canere incipiat.

¶ Sabaudis griue turdus pilaris est: & alia turdi species paulò nigrior, une tortue.

¶ Circa Francfordiam (si bene memini) **Halbuogel**, id est dimidia auis nominatur, quam inter turdos uendi aiunt, cum tamen non sit turdus. Hinc uulgò apud aucupes hoc dictum celebratur Germaniam quinq; aues habere cum dimidia, **ein Krametuogel/ ein Enntuogel/ ein Yßuogel/ ein Brachuogel/ ein Speiuogel der flügt über sy all/ vnd ein Halbuogel.**

¶ Ex turdorum genere est auis Germanicè (Saxonicè) dicta **Brachuogel**: quæ capitur sub hyemem maximè, nec figura nec magnitudine multũ dissimilis merulæ: colore fusco, terreo, obscuro, ut humi sedens uix agnosci & à terræ colore discerni possit, Eberus & Peucerus: qui hanc Aristotelis collyrionem faciunt. Turnerus quidem cum in libro suo de auibus turdum pilarem nostrum, collyrionem esse coniecisset, postea in epistola ad me missa turdelam nostram (**ein Trostel**) iam potius collyrionem sibi uideri scripsit. Porrò Germanicum nomẽ **Brachuogel**, uagum & incertum est. nam & arquatæ & generi cuidam gallinaginis tribuitur: quòd hæ aues in noualibus & quiescentibus agris immorari soleant.

¶ Venêre in Italiam Debriacensibus bellis ciuilibus trans Padum externæ aues (ita enim adhuc uocantur) turdorum specie, paulum infra columbas magnitudine, sapore gratæ, Plinius.

¶ TYMPANVS (Τύμπανος) à cornice occidítur, Aristot. historiæ anim. 9. 1. nec alibi quod sciã eius meminit. ¶ Tympanus est de genere paruorum miluorum, in nõnullis codicibus πίπανος, qui etiam rustícè sic appellatur. Sed ex sola nominis similitudine argumentum idoneum nullum est: neque ullum miluí genus à cornice occidí ueri símile. Apparet autem Niphum secutum esse translationem Alberti, in qua pro tympano legítur, miluus qui dicatur Græcè cochyno.

DE TYRANNO.

TYRANNO auiculæ corpus non multò amplius est, quàm locustæ, crista rutila ex pluma elatiuscula. est & cætera elegans cantuq; suauis hæc auicula. Vescitur uermiculis, Aristoteles. ¶ Tyrannum auiculam Auicenna & Albertus inter passeres numerant. nos rustícè uesiuillum nuncupamus, Niphus. ¶ Turnerus eumq; secuti Eberus & Peucerus tyrannum auiculam Germanicè interpretantur **Goldhendlin**. Sed Turnerus etiam aliud Germanicum nomen adfert **ein Mimmürder**, quod conuenit generi auium quas lanios appellaui, quod in cæteras aues etiam se multò maiores laniando & cædibus sæuiant. est autem inter illos quoq; species quædam minima, uertice rutilo insignis. ¶ Trochílo (uel passere troglodyte potius) minor est auis (inquit Bellonius) quæ à Græcis uulgò tettigon uocatur, (nimirum à magnitudine, qua cicadam uix excedit: à Latinis, (ab Aristotele,) tyrannus: Gallis un poul, uel soucie uel sourcicle, (à supercilijs,) habet enim plumas in capite

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 771 sur 825

capite flauas utrinq; instar cristæ, quæ oculos eius inumbrant, ut supercilia in nobis: nec multò maior est locusta, Bellonius in Gallico libro Singularium. ego omnino regulum esse puto quam ipse tyrannum: nec utrinq; plumas illas capitis aureas haberi, sed in medio tantum.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA AB V. LITERA INCIPIVNT.

DE VANELLO.



A.

VANELLVM hanc auem nominant author de nat. rerum & Albertus, Gallici (ut apparet) nominis imitatione un uanneau. quanquam per n. simplex. Iidem hanc auem ueterum Stymphalidem esse putant, nimium leuiter hoc uno, quantum uideo, decepti argumento, quoniam uanellus cirrhatus est: tribuit autem cirrhos etiam Stymphalidi Plinius.

Vannellus(pèr n.duplex)à barbaris dicitur auis, eo quòd inter uolãdum magnum ſtrepitum ædat, Turnerus:fortè quòd alis inſtar uanni aut uentilabri commotis ſtrepitũ excitet. Auis quæ in compluribus Gallię locis uocatur dixhuict, (per onomatopœiam. ſic etiam uocant numerũ octodecim, ſimiliter Cretenſes cuculum auem uulgò nominant decocto, quòd ſuo cantu tale quid ſonare uideatur,)& Pariſijs un uanneau(& circa Montempeſſulanum:)quamcp Romani ueteres parcum uocarunt,Itali hodie paoncello, Græcis uulgò æx (ἀὶξ) dicitur antiquo nomine, id eſt capra: eo quòd ſubinde uocem caprinæ ſimilem ædit.ab aliis παὼς ἄγριος, hoc eſt pauo ſylueſtris,eo quòd criſtam in capite erigat inſtar pauonis uel alaudæ criſtatæ, Bellonius. Ariſtoteles quidem nihil aliud de capra aue ſcribit, quàm circa lacus & amnes eam uerſari. In capite paucis animalium, nec niſi uolucribus,apices:aliis aliter,phaſianæ corniculis, præterea parræ, (aliàs paro,) Plinius 11.37. Hermolaus pro parræ,habet parco.quod quidem nomen nondũ hactenus ſe legiſſe fatetur,ut mirer Bellonium ſcribere nomen parci apud Romanos ueteres extitiſſe. ſed ut parcum legas, non tamen uanellum auem eo nomine accipi licebit,cum cornicula illi non conueniant.non enim inſtar phaſianæ cornicula habet uanellus noſter,ſed apicem ſimpliciter,uel ex plumis criſtam ſimplicem à medio uertice retrò extenſam. cornicula uerò utrinq eminẽt, ut in bubone, & aliis quibuſdam nocturnis auibus. quamobrem parræ potius legerim, ut codices noſtri habent, (uel paræ per ſimplex r.) quæ & nocturna auis eſt, & aliis quoq authoribus memorata. Impoſuit fortè Bellonio, quod in Corollario Hermolaus ſcribit,his uerbis:Differt ab alauda & parcus,etiamſi quidam negant.(cõfuderunt fortè aliqui eo quòd utriq apex tribuatur.ſed Plinius ipſe ſiue parcum ſiue parram legas,loco iam citato, à galerita liquidò ſecernit.)Eſt autem parcus auicula palumbo minor aliquanto,ſubtus candida,cætero pauoni ſimilis,& criſta quoq. Vanellum quidem his uerbis ab eo ſignificari non eſt dubium. ¶ Vanellus circa Patauiũ in Italia pauonzino nominatur,quaſi paruus pauo,à colore & criſta. Venetijs paon,id eſt pauo. ¶ Luſitanis a bybe. ¶ Germanicè apud nos ein Gyfitz,ab imitatione uocis.alibi Gyuitt,uel Gybytz,Murmellius ſcribit ein Kyuitz. alibi ein Zweiel. Ein grũner oder blawgrũner Gyfitz,ad differentiam pluuialis. ¶ Anglicè a lapuuing,ab implicatione alarum frequenti,ut audio.nam uuing illis eſt ala,lap implicare. ¶ Illyricè czieyka. ¶ Turcicè gulgurúk.

¶ Literatores plericq omnes Britãnici,upupam eam nominant auem, quam barbari ab alarum ſtrepitu uannellum nuncupant,& ipſi ſua lingua lapuuingam uocãt, Turnerus. Sunt etiam(inquit idem)in inferiore Germania literatores aliqui,qui fulicam kyuittam ſuam eſſe uolunt, ex eo forſan opinionem ſuam adſtruentes,quòd apud Plinium fulicæ cirrũ tribui legerint. ſed cum kyuitta nec auis marina ſit(Vergilius enim marinam facit)nec aquatica,ſatis liquet eam non eſſe fulicam. Sunt quidem uanelli larorũ & magnitudine & leuitate,& ſimiliter clamoſi,unde & per onomatopœiam utriſq inditum nomen.nam à Germanis Oceani accolis lari etiam Gyfitz appellantur: qui tamen aliis multis & corpore & natura à uanellis differũt,è larorum autem genere etiam fulica ueterũ eſt.

B.

Vanellus auis eſt ſatis pulchra,columbina magnitudine, criſtato capite ut pauo, in collo uiridi colore & lucenti,reliquo corpore uaria,Author de nat.rerum & Albertus. Cornice minor eſt,plumis ferè uiridibus & nigris per totũ dorſum & caput & collum:uentre albo:longa & ſemper erecta in capite criſta plumea,alis obtuſioribus,Turnerus. ¶ Ego ex præſenti inſpectione olim deſcriptionem huius auis reliqui huiuſmodi:Coloribus eſt elegantiſsimis, per totum dorſum uiridi, maculis quibuſdam purpureis utrinq.alæ partim uirides, partim cœruleæ ſunt. extremæ uerò & longiores earum pennæ nigræ,quæ inuerſæ præ atro colore ſplendent. Venter & alarum interior pars plumas habẽt albas.cirrhi à capite retrorſum tendunt ex plumis nigris oblongis conditi. Roſtrum nigrum ſeſquidigiti longitudine. Sunt etiam plumæ ſubruffæ circa caput & ceruicem. ſub roſtro & prona colli parte albicant. In pectore color ex uiridi nigro cœruleoq mixtus uidetur in plumis,ſed earum quoq extremitates per quoſdam ordines albicant. Totius auis longitudo eſt circiter dodrantem & palmum manus mediocris, qui ſunt digiti XVI.

C.

Germanicum nomen Gyfitz uel Kyuuitt,& Gallicum dixuuict,per onomatopœiam huic aui indita ſunt. Bellonio uocem caprinę æmulam ædit,inde æx,id eſt capra Ariſtoteli,& hodie uulgò Græcis dicta. ¶ Circa nidum ſuum ſubinde circunuolitare ſolet. Lapuuinga Anglis dicitur ab implicatione alarum frequenti. Alis eſt obtuſioribus,& inter uolãdum magnum ſtrepitum ædentibus:undę & uanellus à barbaris dicitur. Aquis uermiũ gratia,quibus ſolis uictitat, appropinquat, ſed ipſas non ingreditur. In planis & in locis erica conſitis plurimum degit,Turnerus.

D.

Cum hominem etiam à longè nido ſuo appropinquare ſenſerit, egreſſa ſtatim de nido cum clamore occurrit.ſicq ſtulta dum hominem à nido ſuo repulſuram ſe ſperat, ipſo clamoris indicio nidum prodit,quem progreſſus homo ſpoliare contendit, Author de nat.rerum & Albertus. Sunt qui dicant hanc auem dum pullos fouet, ad hominem à quo nidum inquiri ſuſpicatur proximè accedere,& ueluti deditionem ſimulare,donec paulatim à nido abducat:quod idem de perdicibus & chenalopece fertur.

E. Capiun-

E.

Capiuntur uanelli gregatim, ut audio. ¶ Ad depopulandum uermes Angli eos sæpe in hortis alunt, Turnerus.

F.

In cibo commendantur, sed minus quàm pluuiales quibus cognati sunt. Mihi aliquando gustanti & boni saporis, & alimenti probi, sed leuis ac tenuis (propter assiduum uolandi exercitium ni mirum,) huius auis caro uisa est.

H.

a. Hieronymus Tragus inter aues quę in Germania edantur nominat Higitzen, haud scio an uanellos intelligens. ¶ Ἴβυξ (apud Hesychium ultima per ypsilon scribitur ἴβυξ & ἴβυς.) genus est auis clamosæ, unde & Ibycus nomen proprium, & ἰβυκλωίσαι· ὅπερ ἴσως μεταφορὰν λέγεται βοκλωίσαι, Etymologus, legendum suspicor, ὅπερ κατ' ἀφαίρεσιν λέγεται βικλωίσαι: aut si legendum est per metaphoram, βοκλωίσαι in fine abundabit. Vide ἰβυκινήσαντες apud Hesychium, quanquam nihil est quod ad ibyn aut ibycem auē pertineat. Hæc sanè auis per onomatopœiam dicta uidetur: & cum clamosa sit, ac uocis similitudo accedat, de genere uanelli forsitan fuerit. ¶ Mulieres per contumeliam aliqui in Gallia uanneauz, id est uanellos uocāt, uagabundas puto & inconstantes: aut fortè clamosas.

DE AVIBVS VANELLO COGNATIS.

VANELLOS etiam candidos reperiri audio, (kyuittas candidas:) nisi fortè de laris candidis id accipiendum est. Item uanellos sine crista: quales aliquando colore fusco & maculis uarios Brugis in Heluetia uidi: nec satis memini an eadem sit pluuialis Gallorum, de qua in P. elemento egimus. nam & illa de genere uanelli est, sine crista, colore quo diximus. quamobrem utrunque aliqui Germanicè kyuittam appellant: sed uanellum, uiridem: pluuialem uerò, fuscam. Itali puto piuier pro pluuiali efferunt. ¶ Quærendum an eiusdem generis sit auis TREMVLVS dicta in Regimine Salernitano, quæ inter aues salubres numeratur. Hęc ut plurimum propè mare uersatur, (inquit Arnoldus in suis Annotationibus,) minor gallina, coloris fusci, altè clamās & uelocissimè uolans: quæ cum super terra incedit, semper tremit cauda, unde ei nomen.

¶ VARIAE aues, (ut Gaza uertit ex Aristotele de hist. anim. 9. 1. pro Græco ποικιλίδες,) cū alaudis pugnant. nec alibi earum meminit. Sunt & uariæ picarū generis, de quibus suo loco diximus. ποικιλίδα Theocriti interpres acanthidem interpretatur, auem uariam & argutam.

¶ VARONVM ac rupicū squarosa incondita rostra, Lucilius apud Festū in dictione Squarosi. quænam uerò hæ aues sint nusquam explicatum inuenio. Petrones rustici ferè dicuntur propter uetustatem, & quòd deterrima quæq; ac prærupti iam agri petræ uocantur: ut rupices ijdem à rupinis, (à rupibus,) aliter à petrarum asperitate & duritia dicti, Festus. sed locus uidetur corruptus. Gaza charadrium alicubi rupicem uertit.

DE VESPERTILIONE.



A.

VESPERTILIO nomē habet quod uespere & noctu uolare soleat: & Græcis etiā νυκτερὶς à nocte dicitur. Græca uoce Plinius quoq; alicubi utitur: quamobrem à Leoniceno notatur, quasi auem à uespertilione diuersam putârit. Vulgò Græcè νυκτερίδα dicitur. Nuper quidam uespertilionem in Græcia hodie γλαύκην & κακοβάγια nominari scripsit: quæ tamen nomina alibi rectius noctuæ attribuit.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 774 sur 825

¶ Tinſchæmæth Hebraicam uocem uariè reddunt, ueſpertilionem, cygnum, talpam, uide in Cygno & in Talpa. Ataleph, עטלף, ueſpertilio, reptile alatum, Leuit. 11. unde pluralis numerus atelaphim Iſaiæ 2. & capitur pro imaginibus ueſpertilionum, Munſterus. accedit ſanè hæc uox ad Græcam attelabus, quod reptile eſt alatũ. D. Kimhi interpretatur ataleph murẽ alatũ nocte uolantem, id eſt ueſpertilionẽ. Chaldæus Deut. 14. habet atalæpha, אטלפא. Arabs baphas, בפאש. Perſa an ſeb perak, אן שב פרך. Septuagínta νυκτερίς. Hieronymus, ut & Leuítici x 1. hic & illi. Sunt qui upupam interpretantur nomen Hebraicum ataleph, quod non laudo. In die illa proiȝciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi, ut adoraret talpas & ueſpertiliones, Eſaiæ 2. in translatione uulgari. Munſterus ſic reddit, In die illa proiȝcientur aurei & argentei dei in foſſuras talparum & ueſpertilionum. Hebraicè pro talpis legitur peros, pro ueſpertilionibus laatalephim. Abraham Eſra Eſaiæ 2. cheporperot legit, quam uocem alij diſiungunt, & aues noctu uolantes exponunt, uide in Talpa A. Auicenna lib. 2. cap. 739. ueſpertilionem chafas nominauit, inde puto corrupta eſſe uocabula cafeſci apud ueterem Auicennæ gloſſographum, & apud Syluaticum caſekſo, utrunqȝ pro ueſpertilione. Sizarach eſt lac ueſpertilionis, uel ſecundum alios urina ueſpertilionis, And. Bellunenſis. quam ego uocem reor eſſe Perſicam: quanquã Perſa Deuter. 14. pro Hebraica ataleph, id eſt ueſpertilione, uerterit ſeb perak, uoce non admodum differente. Hinc corruptæ uidentur uoces Scetazirach pro ueſpertilione apud Syluaticum. Secranrach apud eundem, & Sceirazirai apud ueterem Auicennæ gloſſographum, utrunqȝ pro lacte uel urina ueſpertilionis. Alcionetus, id eſt ueſpertilio, Syluaticus neſcio qua lingua.

¶ Verſpertilio Italicè dicitur notula, uel nottola, quam uocem aliqui noctuam non rectè interpretantur. Alibi ſportegliono, ut Scoppa ſcribit. alibi ratto penugo (in Lombardia ratto penago, id eſt mus pennatus) uel barbaſtello: item pipiſtrello, uipiſtrello, uilpiſtrello. ¶ Luſitanicè morcego, uel murziégalo, id eſt mus cæcus. ¶ Gallicè chauue ſouriz, uel ſouris chaulue, ſi rectè ſcribo, quaſi mus caluus & glaber: uel ratte uolage, uel ratte ſauuage. ¶ Germanicè Fledermauß. Hieronymo Trago Speckmauß, quòd laridum corrodat. ¶ Anglicè a bal, a reare mous. ¶ Polonicè nietoperſz. Illyricè netopyrz. ¶ Sunt qui nycticoracem uelint eſſe ueſpertilionẽ, Niphus.

B.

Veſpertilio animal eſt mediæ cuiuſdam inter auem & murem ſpeciei, ut mus alatus dici poſsit. Animal eſt uolucre, biforme, de quo Varro in Agathone: Quid multa? factus ſum ueſpertilio, neqȝ in muribus planè, neqȝ in uolucribus ſum, Nonius. Vituli marini & ueſpertiliones, quoniam ambigunt, illi cum aquatilibus & terreſtribus, hi cũ uolucribus & pedeſtribus, ideo participes & utrorunqȝ & neutrorum ſunt. Veſpertiliones quidem pedes ut uolucres habent, ſed ut quadrupedes nõ habent, cauda etiam tam quadrupedis quàm uolucris carẽt, nam quia uolucres ſunt, cauda quadrupedis uacant: quia pedeſtres, uolucris: quod ijs neceſſariò accidit, habent enim cuteas pennas, nullũ autem uolatile caudam habet, niſi penna ſciſſa uolatile ſit. genus enim id caudæ ex penna eiuſmodi conſtat, cauda uerò quadrupedis generi uolatili adiuncta, uel impedimento eius pennis proculdubio eſſet, Ariſtot. de partib. anim. lib. 4. in fine capitis penultimi. Veſpertilio eſt quaſi mus uolucris, caput enim habet muris, ſed canini etiam capitis ſpeciem refert, & inuenitur aliquando cum auribus quaternis. Dentes habet ſerratos (in utraqȝ maxilla) nõ ut mus, in quo duo anteriores oblongi ſunt, ſed potius ut canis, qui caninos dẽtes longos habet. Voce etiam canis potius gannitum quàm ſibilum muris imitatur. Corpus habet piloſum ſuluo pilo. alas membraneas: & in cubitis (flexibus) alarum digitos ſingulos cum unguibus acutis, quibus ſe retinet quũ parietibus adhæret, Albertus. Volucrum nulli dentes, præter ueſpertilionem, Plinius. Volucrum animal parit ueſpertilio tantum, eadem ſola uolucrum lacte nutrit ubera admouẽs, geminos uolitat amplexa infantes ſecumqȝ deportat, Idem. Parit ut quadrupes, & lactat pullos, Kiranid. Formatos pullos parit & nutrit lacte quos generat, Macrobius. Sola uolucrum & lac in mamillis habet, & mox æditum fœtum lactat, Suidas. Animalium ſola mamillas in pectore habent, homo, ueſpertilio, & elephas, Pollux. Veſpertilio in pectore mamillas habere deprehendi per anatomen earum in magna pyramide Aegypti, & intra labyrinthum Cretæ facta: ubi etiam matres uidi lactare ſuos fœtus admotis uberibus, Bellonius. Mulierem lactantem ac bene nutrientem ubi pictura exprimere uolebant Aegyptij turturem pingebant. Sola enim inter omnes uolucres hæc dentes ac mammas habet, Orus in Hieroglyphicis 2. 53. Legitur autem Græcè etiam τρυγόνα, id eſt turturem. ſed omnino apparet legendum νυκτερίδα, id eſt ueſpertilionem. Veſpertilionis uulua dum partum gerit acetabula habet, Ariſtot. eſt enim uiuipara. ¶ Veſpertilio non habet aures, (lego pennas uel plumas,) ſed eſt piloſa, Alber. Et rurſus, Et quia accedit ad naturam quadrupedis, ideo habet aures (auriculas) ſicut quadrupes in ſuperiori parte laterum capitis ſui: cum homo & cætera bipeda aures uel earum meatus habeant in inferiori parte lateris capitum ſuorum retro articulum maxillæ. ¶ Veſpertilio uolat quidem pellitis alis, ſed inter uolantia non habendus eſt, Macrobius. Pennis (Alis) cuteis uolat, Ariſtot. Pinnæ (Alæ) membranaceæ huic uni (uolucrum,) Plinius. uni, aliàs non legitur, quod placet. non enim hæc ſola cute uolat, ſed etiam alópex, id eſt uulpecula, Ariſtoteli. quamobrẽ ὄρνεα δερμόπτερα dicuntur. Veſpertilio etſi pennas (πτερὰ. quidam non rectè uertunt alas) non habet, uolat tamen, Orus. ¶ Animal quod uolucre tantum ſit, nullũ nouimus, nam & quæ alis cuteis uolant, ingredi poſſunt.

unde

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 775 sur 825

unde ueſpertilioni etiam pedes ſunt, Ariſtot. hiſt. anim. 1. 1. unde etiam Plinius transferens: Qui negant (inquit) uolucrē ullam ſine pedibus eſſe, cōfirmant & apodas habere & nycterin. ubi quidam legunt & ocen & nycterin, quod non probamus. ego ocen omiſerim, aut legerim & alopecem & nycterin. Veſpertilio eſt animal quadrupes, Kiranides. Quatuor pedibus graditur, Macrobius. mihi nullis ingredi pedibus uidetur, ne poſterioribus quidem qui perfectiores ſunt. ſemper enim aut uolat alis, aut toto corpore iacet, aut digitis alarum (quos digitos potius quàm pedes dixerim, quòd imperfecti & ſinguli ſint, ueluti uncí alarum) adhæret & affigitur ædificijs, ſaxis, arboribus. Veſpertilio licet non habeat niſi duos pedes in membrana ſuæ caudæ, habet tamen duos pedum digitos in cubitis alarum, quibus utitur loco duorum pedum. quare cum cadit excipit ſe alis, Albert.

¶ Coxendix huic aui una traditur, Plinius.

c.

In monaſterio quodam deſerto Miſnię, tantam ueſpertilionum copiam uidi, ut de excrementorum aceruis carrhi aliquot onerari potuiſſent, Amicus quidam in epiſtola ad nos.

¶ Vox. Strix nocturna ſonans & ueſpertilio ſtridunt, Author Philomelæ. Veſpertilio non tam uoce reſonat quàm ſtridore, Iſidorus. Minimam pro corpore uocem Emittunt, peraguntq; leui ſtridore querelas, Ouidius. Veſpertilio imitatur uoce exili grunnitum (gannitū) & latratum canum potius quàm ſibilum murium, Albertus. ¶ Τείζειν (uerbum ὀνοματοποιικὸν) eſt tenui uoce inſtrepere, qualis eſt ueſpertilionum ſonus, τρύζειν uerò per ypſilon de turturum uoce (aſperiuſcula, Cælius) dicitur, Euſtathius & Varinus. inde nomen τρισμὸς, ſtridor ueſpertilionum uel murium, Euſtath. Νυκτερίδας πτερυγίαι author eſt Pollux.

Ὡς δ' ὅτε νυκτερίδες μυχῷ ἄντρου θεσπεσίοιο — Τείζωσαι ποτέονται, ἐπεὶ κέ τις ἀρπάσησιν
Ὁρμηθὲν ἐκ πέτρης, ἀνὰ τ' ἀλλήλῃσιν ἔχωσι· — Ὣς αἱ (αἰὲν δὲ μνηστῆρσιν ψυχαὶ) τετρίγυῖαι ἅμ' ἤϊσαν,

Homerus Odyſſeæ ultimo. Vbi Euſtathius, Conuenit (inquit) τεισμὸς, id eſt ſtridor & tumultuatio quædam animis articulato ſermone iam priuatis: & animas in nocturnum abeuntes locum νυκτερίσιν, id eſt nocturnis auibus ueſpertilionibus poeta conferre uoluit. Troglodytæ Aethiopes lingua nulli alteri ſimili utuntur, ſed ueſpertilionum more ſtridēt, πτερύγασιν, Herodotus. Τείζειν etiam eſt ſtridere uel frendere dentibus præ iracundia. & nix cum calcatur, τείζειν dicitur. Quin & iugum bilancis aliquando τείζει, de quo poeta aliàs κείγει, Euſtathius. Τετρίγυῖαι dicuntur auium pulli, & ueſpertiliones & nix, cum pedis latitudine calcatur, Idem. Inuenitur etiam de elephanti uoce uerbum τείζειν.

¶ Cibus, &c. Veſpertilioni in cibatu culices gratiſsimi, Plinius. Cibus eius ſunt muſcæ & culices: quem nocte uolans inquirit. ueſcitur etiam carnibus, & lardum uel ſuccidiam ſuſpenſam, corrodit, Albertus. quamobrem à quibuſdam Germanicè Speckmuß appellatur. Cum capti clauis affiguntur parietibus, ſine cibo multos dies uiuunt. ¶ Vrinam quoq; reddit ſola auiū. Andreas Belluneñ. ſizarach (Perſicam puto uocem) lac uel urinam ueſpertilionis interpretatur. ¶ Noctu uidet, interdiu ferè nihil, Aphrodiſienſis problematum 1. 66. Ab Hiſpanis morcego uel murziégalo, id eſt mus cæcus appellatur. ¶ Ferunt hanc auem ſtrepitum quærere, Iſidorus. ¶ Paraſitus adulandi ſtudio uigilans ueſpertilioni apud Athenæum cōparatur. Si frigus (inquit paraſitus) ſub dio, merula ſum: ſi ne minimum quidem dormiendum, ueſpertilio aut lepus, &c. ¶ Veſpertilio etſi pennas non habet, uolat tamē, Orus. Cute (alis cuteis) uolat: uide in B. Volat ut hirundo, Kiranides. Noctu uagatur, Ariſtot. Nomen ei, quòd ueſpere ſe ad uolatum præparat noctis, Nonius. Veſpertilio dicitur, eo quòd lucē fugiens ueſpertino crepuſculo circunuolet præcipiti motu acta, Iſidorus. Tectaq; non ſyluas celebrant, lucemq; peroſæ Nocte uolāt, ſeroq; tenent à ueſpere nomen, Ouidius. De uolatu huius auis, greſſu & affixione, leges quædam ſuperius in B. Non ſtat neq; ſedet ſicuti alia animalia: ſed cum nō uolat, aut ſuſpenditur in parietibus & rimis obſcuris, aut latet in cauernis, Albertus. Vlyſſes Odyſſeæ M. fingitur ramis arboris adhæreſcere inſtar ueſpertilionis, ſiue (ut inquit Euſtathius) ad oſtendendum robur ramorum arboris, à quibus Vlyſſes non tanquam grauis corpore heros, ſed tanquā leuis ueſpertilio adhæreſceret: ſiue quòd hæc auis ſuper ramis ingredi non ſolet, ſed ab eis pendere. Τῷ (ἐεινῷ) πῶσφὺς ἐχέμυλον, ὡς νυκτερὶς, ὅδ' ἐπὶ ἔχον, οὔτε κελεύξαι ποσὶν ἔμπεδον, ὅτ' ἄωτα. Proprium ueſpertilionum eſt, ut Homerus etiam canit (uide ſuprà ab initio huius capitis C.) continuata quadam ſerie (ὁμαδηδὸν) inter ſe cohærere, Euſtathius. ¶ Volucrum animal parit ueſpertilio tantum, Plinius. Volantia uniuerſa de ouis prodeunt, excepto ueſpertilione, qui incertæ naturæ eſt: qui formatos pullos parit, & nutrit lacte quos generat, Macrobius. Volucrum ueſpertilio tantum mammas & lac habet, Plinius. Veſpertilionem pullos ſuos lactare, gripho Germanico celebramus, Ein vogel on zungen/ Der ander ſaugt ſeine jungen. De lacte huius auis, quodq; eo pullos alat, leges ſupra quoq; in B. Nidum non conſtruunt, ſed in aere ſuſpenſi uncis alarum (digitis) pullos ſimiliter pendentes ad fornicem (uel parietem) lactant, Belloniuſ. ¶ Salamandra & ueſpertilio fœtus ſuos ædunt uiuos, ſed nulla inuolutos tunica, (nullis ſecundis. eò nimirum quòd oua in eis concipiantur initio:) & ſimiliter ueſpertilio, quod nō fit in muribus, talpis, & huiuſmodi animalibus quibus illa ſimilis eſt, Idem. ¶ Vpupa dormit hyeme, ſicut & ueſpertilio, Alber. ¶ Veſpertiliones hederæ ſuffitu moriūtur, Zoroaſtres in Geoponicis.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 776 sur 825

D. & E.

Hederæ ſuffitus (exuſtæ odor) perimit ueſpertiliones, Africanus & Zoroaſtres in Geoponicis. Platani aduerſantur ueſpertilionibus, Plinius. Ne ueſpertiliones ingrediantur, (inuolent,) Ad ingreſſus omnes platani folia ſuſpẽdito, Africanus. Ciconia & ueſpertilio inimicæ ſunt. hic quidem ciconiæ oua ſolo contactu ſterilia efficit, ni cauerit illa impoſitis in nidum platani foliis, quæ accedentibus ueſpertilionibus torporem inferunt, Aelianus, Philes, & Zoroaſtres in Geoponicis. Eſt & formicarum genus uenenatum, non ferè in Italia. ſolipugas Cicero appellat, ſalpugas Bætica. Iis cor ueſpertilionis contrarium, omnibuſq; formicis, Plin. Noctuæ cum formicas à ſuis pullis abigere cupiunt, ueſpertilionis cor in nido habent: tanquam formicis ſua etiam latibula deſerentibus, ſi quis cor ueſpertilionis impoſuerit, Oppianus. Veſpertilionum pennis (Græcè πτερὰ legitur, id eſt alæ: quas tamen non habet hæc auis, ſed alas) ad formicarum nidos admotis nulla ex ipſis egreditur, Orus. ¶ Crepuſculo ueſpertino ſi quis gladium nudum & micantem in ſublime porrigat, ueſpertiliones ad illum aduolare, & offenſi interdum decidere ſolent. ¶ Locuſtæ tractũ aliquem infeſtantes locum ſubiectum tranſuolabunt, ſi quis ueſpertiliones uenatus, elatioribus ipſius regionis arboribus eos alligauerit, Democritus in Geoponicis. ¶ Perſeuerabunt columbæ ſi caput ueſpertilionis poſueris in columbarij faſtigio, Didymus in Geoponicis. ¶ Veſpertiliones ſi ueſperi citius & plures ſolito uolarint, ſignum eſt calorem & ſerenitatem poſtridie fore, Gratarolus.

F.

Auis eſt impura, non ſolum lege Iudaica, ſed uel aſpectu abominabilis.

G.

Veſpertilionem decola (decolla) & arefactũ tere, inde propina (cum ſyrupo & aceto) quantum tribus digitis cõprehenditur. Aut ſeptem ueſpertiliones pingues decollatos repurga, & in uaſe uitreato acetum forte eis ſuperinfunde: & uas luto obſtructum in furnum impone ut decoquantur. Tum uaſe extracto & refrigerato, ueſpertiliones in aceto digitis diſſolue, inde propinabis quotidie pondus drachmarum duarum. Remedium enim hoc experimento conſtat, Auicenna de curatione ſcirrhi lienis. ¶ Pſilothrum: Veſpertiliones plures uiuos pone in bitumine, & dimitte ut putrefiant, & unge quencunq; uis locum, Galenus Euporiſton 2. 85. ¶ Ad podagram: Veſpertiliones tres aquæ pluuialis incoquito, deinde hæc adijcito: lini ſeminis triti unc. iiij. oua cruda tria. olei cyathum j. bubuli ſtercoris, ceræ, utriuſq; unc. iiſ. Omnia in unum corpus redacta ſubigito, & cubitum eunti ſemel atq; iterum applicato, Idem Euporiſt. 3. 248. ¶ Arthriticis doloribus utile eſt oleum ueſpertilionũ, quod ita paratur. Accipe ueſpertiliones duodecim: ſucci almarmacor (marmacor uel marmauzi eſt herba quam Veneti uulgò appellant herbam S. Ioannis, cuius ſemen eſt ſemẽ maru, Bellunenſis. Monachi qui Meſuæ compoſitiones interpretantur, marmacor ab aliis aliter exponi docent, ipſi meliſſophyllon eſſe potiſsimum approbant. negant autem eſſe herbam quæ herba S. Ioannis dicatur in ditione pontificis Rom. quam ipſi eupatorium Meſuæ faciunt. à uulgò quidem in diuerſis regionibus diuerſæ herbæ S. Ioannis appellantur) & olei ueteris (ana) librã ſ. Ariſtolochiæ, caſtorei, ana drach. iiij. Coſti drach. iij. Decoquantur ſimul ut conſumatur aqua (ſuccus herbæ) & remaneat oleum, Auicenna 3. 22. 2. 11.

¶ Iumentorum urinæ tormina ueſpertilione adalligato finiuntur, Plinius. ¶ Ad epilepſiam accipitris, Veſpertiliones captos coque, & in cibo præbe, curabitur, Demetrius Cõſtantinop. Accipitri flenti & querulo obijce ueſpertilionem edendum, qui tria ſtaphiſagriæ grana deuorârit, & conto eum alligato. quod ſi non ſtatim concoxerit, flebit per biduum, poſtea uerò deſinet, Idem.

¶ Attritis medetur cinis ueſpertilionis, Plinius. De ueſpertilionibus ad medicinam urendis, ſcribit Bulcaſis tractatu 3. Cinis ueſpertilionis acuit uiſum, Auicenna.

¶ Sanguis. Magi ſanguinem ueſpertilionis cum carduo contra ſerpentium ictus inter præcipua laudant, Plinius. Sanguis ex ueſpertilionibus ſic extrahitur, decollatur ſub aure: & ſanguis calidus, ut fluit, illinitur, ut auferat pilos ad tempus: uel in perpetuum, ſi illinatur ſæpius fricando, Arnoldus in libro de ornatu mulierum. Sanguinem ueſpertilionis ſcribunt quidam, ſi uirginum ubera illinatur, plurimo ea tempore ab extuberatione tueri, quod falſum eſt: ueluti & quòd enaſci ſub alis pilos prohibeat, id quod rectè Xenocrates tanquam mendacium calumniatus eſt. Verum ipſe cenſet poſt illius uſum aut chalcanthon inſpergendum, aut ſemen cicutæ, aitq; ubi hoc factum erit, aut prorſum pilos non prodituros, aut certè lanugineſos: ceu leue atq; exile medicamentũ adderet cicutæ ſemen, ac nõ per ſeſe ſufficiat ſtrenuè refrigerare partes quibus fuerit impoſitum. Sunt qui & puerorum pudendis ſanguinem ueſpertilionis illinunt, credentes ita diutiſsimè eas partes à pube ſeruari poſſe immunes, atqui non oportebat putare diutiſsimè, uerum perpetuò fore tales, ue lut exiſtimant & alas. Sanè ex refrigeratione partis uehementi, eiuſmodi quippiam poſſe contingere, non eſt à ratione alienum. non tamen adeò frigidæ facultatis eſt ueſpertilionis ſanguis. Nam in totum nullus ſanguis frigidus eſt, Galenus de ſimplic. medic. 10. 4. In Auicennæ translatione legitur unguentum ueſpertilionum prohibere ortum pilorum, quod falſum ſit: & incrementum mamillarum in puellis. ſed legendum eſt ſanguinem ueſpert. inunctum uel illitum hoc præſtare perhiberi. Tribuuntur etiam ſimiles effectus falſò, ſanguini alharbe, id eſt chamæleonis, & ranunculi uiridis, uide in Ranunculo uiridi in Hiſtoria quadrup. ouiparorum. Veſpert. ſanguis pſilothri uim habet;

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 777 sur 825

habet:ſed malis puerorum illitus non ſatis proficit,niſi erucæ uel cicutæ ſemen (erucæ ſemẽ nihil ad pſilothra.quare hoc uel omiſerim,uel legerim:chalcanthum uel cicutæ ſemẽ,ut Galenus habet)poſtea inducatur.Sic enim aut in totum tolluntur pili,aut non excedunt lanuginem. Idem & cerebro eorum proficí putant.eſt autem duplex,rubens utiq; & candidum. Aliqui ſanguinem & iecur eius admiſcent,Plinius. Ad uitiligines ueſpertilionum ſanguinem illini iubent, Idem. ¶ Pilos oculis moleſtos diligentiſsime uelles, atq; eorum loca ueſpertilionis ſanguine recenti inlines,Marcellus:& non renaſcentur alij pili,Kiranides. Si oculi infeſtentur pilis palpebrarum,Ergo locum crinis uulſi continge cruore, Quem dat auis,tremulis ſimulat quæ pellibus alas,Serenus. Ad idem incommodum,trichiaſin uocant,Archigenes apud Galenum de compoſ.medic.ſec.locos 4.8. ueſpertilionis ſanguinem alijs quibuſdam miſcet,ut & Ant. Muſa præcedẽti ibidem capite. Sanguis nycteridum cum ſucco rhamni & melle illitus,uiſum acuit,& curat ſuffuſionem, Kiranides. Magi ueſpertilionis ſanguine contacto uentre in totum annum caueri dolorem tradunt, Plinius. Graueiſsimum uitium ileos appellatur.huic reſiſti aiunt diſcerpti ueſpertilionis ſanguine, etiã illito uentre ſubuenire,Idem & Marcellus. Quotiens dolor & contractio inteſtinorum uentris orietur,ueſpertilionis ſanguine uentrem manu perfricato,& ad prẹſens ſubuenies,& in totum annum medebere,Marcellus. Si ueſpertilionis ſanguine uẽtrem oblinas torminoſi, in omne tempus dolore releuabis,Idem. ¶ Pſilothrum:Cerebrum ueſpert. miſce cum lacte mulieris, & unge, Galenus Euporiſt.2.85. Fel herinacei pſilothrum eſt, utiq; mixto cerebro ueſpertil. & lacte capríno, (canino fortè,)Plinius. Marcellus idem hoc remediũ renibus impoſitum prodeſſe ſcribit. uide in Echino terreſtri G. Cerebrum ueſp.duplex eſt, rubens utiq; & candidum: & uim pſilothri habet ſimiliter ut ſanguis,Plin. uide ſuperius inter remedia è ſanguine. Cerebrum hirundinis aut ueſpertilionis cum melle ferunt mederi principio aquæ deſcendentis in oculum,(ſuffuſionis,)Auicenna. ¶ Si mus araneus iumenta momorderit,fel ueſpertil. cum aceto imponitur, Plinius. ¶ Veſp.ſanguis pſilothri uim habet,aliqui & iecur admiſcent,Plinius. ¶ Stercus ueſp.aliquando excæcat oculos, Arnoldus Villanou. ¶ Sceirazirac (Bellunenſis legit Sizarach) eſt lac uel urina ueſpertilionis: quod abſtergit,ualde calefacit,& curat ungulam & albuginem, Auicenna.

¶ Caput ueſpertilionũ ſcilicet tertiarũ necat ſtatim quod bemaſar & uerificat de lactante.Ex totum continens,qui comederit linguam uel cor ipſius,morietur hydrophobicus niſi curetur, Arnoldus Villanou.in libro de uenenis. ſunt autem omnia planè corrupta. nos ita recitauimus ut codex impreſſus habet. Alibi etiam,ſi bene memini,morſum eius uenenatum facit,nos de letifero morſu ueſpertilionũ Indiæ ſcribemus infra. ¶ Vrina ueſpertilionis uulgò apud nos uenenoſam quandam & ſeptícam uim habere exiſtimatur.ego aliquos ea ſine noxa aſperſos fuiſſe audio.

H.

a. Veſpertilio animal biforme,dictum quòd ueſpere ſe ad uolatum præparat noctis, Nonius. Dicta eſt quaſi ueſpere alis utens, Albertus. Plinius, Macrobius & alij eruditi maſc. genere efferunt:recentiores quidam,ut Albertus, fœmínino. Victorinus ueſpertilionem ſoricis nomine appellat.uide infra in h. Auis,tremulis ſimulat quæ pellibus alas, periphraſis ueſpertilionis apud Serenum. ¶ Nycterin & drepanin Plinius dixit:nycteridem malim & drepanidem,quoniã rectus eorum oxytonus eſt. φάλαγξ, ſqualor comæ, & ueſpertilio, Heſychius & Varinus. Romphæa eſt auis nycteris,id eſt ueſpertilio(quamuis interpres noctuam reddit) omnibus nota, Kiranides 1. 17. νυκτάλωψ & φιλόσοφος pro ueſpertilione leguntur apud Philen. Griphus ſtudio ac cura componitur,ænigma luſum potius habet. Griphum alio uocabulo ænum dicunt, quod ex Euſtathio eſt: uti apud Clearchum, Vir non uir,auis nec tamen auis,lignum non lignum,lapis non lapis. Significantur uerò hæc,eunuchus,ueſpertilio,ferula,pumex.Qui de his plura noſſe cupit Athenæũ adeat Dipnoſophiſtarum decimo,Cælius. Verba Athenæi hæc ſunt: Καὶ τὸ παναρκὲς δ' ἐ ὅτι τοιοῦτον, ὡς φησι Κλέαρχος ἐν τῷ δ' περὶ γρίφων, ὅτι βακλοι ξύλῳ τινὶ καὶ ὑξύλῳ, καθημένῳ ὄρνιθι καὶ ὀρνίθι, ἀνὴρ τις καὶ ὀκ ἀνὴρ, λίθῳ καὶ ὐ λίθῳ. Suidas etiã in Αἰνος ſic habet, Αἶνος· τὶς ὅτιμ, ὡς ἀνὴρ τις οὐκ ἀνὴρ, ὄρνιθα κ' ὀκ ὄρνιθα * (fortè πετομένῳ, aut tale quid) δ' ὅμως, Ἐπὶ ξύλῳ τινὶ κ' ὐξύλῳ καθημένῳ, λίθῳ τινὶ κ' ὐ λίθῳ βακλὼν δώλισεν. In his non probo quod nycterida καθημένῳ,id eſt ſedentem legimus:neq; enim ſedere aut ſtare inſtar aliarum auium ſolet: ſed uolare tantum aut adhærere. Νυκτερίδος αἶνος· ἀνιγματωδῶς δηλοῖ περὶ νυκτερίδος, Suidas. Struthocamelus etiam auis non auis dici poſſet.

¶ Epitheta ueſpertilionis nulla occurrunt apud Latinos, eſſe tamen poſſunt, biformis, ambíguus,&c.Græcum eſſe poteſt αἱρμόπτερος, ab alis cuteis.

¶ Olim multis nomina erant auium,ut νυκτερὶς Charephonti,Ariſtoph.in Auibus. Scholiaſtes Charephontem Socraticum magno (procero) & tenui corporis habitu fuiſſe ſcribit: & apud alios quoq; nycteridem uocari.Et rurſus, Charephon non inepte ueſpertilio uocatur.quoniam neq; hoc animal interdiu apparet,ut neq; philoſophi. latent enim & philoſophantur. Charephontem lego Socratis perfamiliarem fuiſſe ἰσχνόφωνον:& quia ſimul nigricantis erat coloris, interfuſo pallore,nycteridá cognominatum:atq; item pyxinon,id eſt buxeum,Cælius. Nihil natura (corporis habitu) à Charephonte differes,οὐδὲν διοίσεις χαιρεφῶντος τὴν φύσιν, in homines pallidos & graciles.talis enim corporis ſpecie erat Charephon,utiq; philoſophiæ ſtudijs exhauſtus, unde & nycteris nominabatur, Suidas in Διοίσειν. Veſpertiliones quinam dici poſsint prouerbialiter, uide infrà in h. ¶ Ny-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 778 sur 825

cteridem herbam, quam unguẽtum Helenes appellant, oleo decoquito, & per diem unam in oleo manere finito, percolatoq; & illinito, Aetius 12.1. in curatione ischiadis. Idem lib. 7. cap. 39. remedia quædam ad cicatrices oculorum & albugines subigi iubet cum succo herbę nycteridis & melle. Ruellius anagallidem hoc nomine intelligendam coniecit, quoniam hæc eius appellatio inter cæteras apud Dioscoridem legatur. Codices nostri Dioscoridis inter anagallidis nomenclaturas nycteritin ponunt, tanquam ita à magis appelletur. Est & nyctegreton Plinio herba coloris ignei, foliis spinæ, nec à terra se extollens, eruitur post æquinoctium uernum radicitus, siccaturq; ad lunam triginta diebus, ita lucens noctibus. ¶ Hamerocœta siue callionymus piscis, supra caput habet oculos: interdiu in arenis semper iacet, noctu tantum excitatur & errat, ex quo nomen traxit ut uespertilio uocetur, Gillius ex Oppiano. Niphus uespertilionem marinum facit, qui non solum natare, sed etiam uolare queat, uidetur autem piscem alias hirundinem dictum intelligere. habet enim pinnas grandes, oblongas, & ferè cuteas ut uespertilio.

¶ Icones. Mulierem lactantem ac bene nutrientem significaturi Aegyptij, turturem (τρυγόνα, uidetur omnino legendum νυκτερίδα, id est uespertilionem) pingebant. sola enim inter omnes uolucres hæc dentes ac mammas habet, Orus in Hieroglyphicis 2. 53. Idem imbecillem hominem & temere audacem monstrare uolentes, uespertilionem pingunt. hæc enim etsi pennas (πτερὰ. melius πτέρυγας, id est alas) non habet, uolat tamen, Idem.

¶ b. Vespertilionum alis similes processus quosdam in hominis cranio apud medicos legun-tur. ¶ Dumq; petunt tenebras paruos membrana per artus
Porrigitur, tenuesq; includunt brachia pennæ, Ouidius 4. Metam. Non illas pluma leuauit,
Sustinuêre tamen se perlucentibus alis, Ibidem.

¶ c. Volucrum solus uespertilio (σαρκοπίκτα) carnem parit, id est uiuiparus est, cæteræ ouiparæ, Suidas. In lapidicinam seu Pseudolabyrinthum Cretæ inter Gnosum & Cortynam, cum candelis ingredi opus est ducibus incolis. sed in eo tot uespertiliones stabulantur, ut nisi quispiam sibi ab eis caueat, dum obuolant, suis alis faces extinguant. In lapidicinæ aũt centro magni reperiuntur stercorum uespertilionum acerui, tenellicq; adhuc eorum catuli pendentes. Patres cum uolare desierint, se nec parieti affigunt, nec in pedes stant, sed illic in trabe pendent, quod nostri in lignorum rimis faciunt, Bellonius in libro de Operibus antiquis.

¶ e. Sculpatur nycteris in rhinocerote lapide (qui est in extremo cornu rhinocerotis) & ad pedes eius raphis, id est acus piscis, & sub lapide radix herbæ immittatur. Hoc gestatum dæmonia fugat. & si posueris ad caput alicuius nescientis, non dormiet, Kiranides. Similiter & caput nycteridis uiuentis abscissum si ligaueris in pelle nigra, & appositeris læuo brachio alicuius, nunquam dormiet donec auferatur, Idem. Vespertilionis caput aridum adalligatum, somnum arcet, Plin. Cor etiam eius gestatum, magnam uigiliam præstat, Kiranid. ¶ Huius generis (id est magicæ uanitatis, qualia proximè de bubone dixerat) propè uideri possunt quæ tradunt & de uespertilione: quòd si ter circunlatus domui uiuus per fenestram inuerso capite infigatur, amuletũ esse: priuatimq; ouilibus circunlatum toties, & pedibus suspensum sursum in superliminari, Plin. Tarchon ut fulmina prohiberet, suas sedes percinxit uitibus albis. Hinc, Amythaonius docuit quæ plurima Chiron,
Nocturnas crucibus uolucres (uespertiliones, ut coniicio, quas nycterides Græci, id est nocturnas appellant) suspendit, & altis Culminibus metuit (uetuit) feralia carmina flere, Columella. ¶ Maleficia quædam fiunt de characteribus scriptis sanguine uespertilionis, Arnoldus Villanou. Vespertilionis corde, sanguine, alijsq; membris ad ueneficia uti dicuntur mulieres maleficæ.

¶ g. Magi tradunt uespertilionis sanguinem collectum flocco, suppositumq; capiti mulierum, libidinem mouere, Plin. Si sanguinẽ eius quis susceperit in panno, & fœmina nesciente posuerit sub capite, & concubuerit cum ea, mox concipiet. Habet & alios usus, quos non oportet publicare, Kiranid. Magi perungi iubent febrientes, crematis tritisq; cum oleo cristis & auribus & unguib. gallinaceorum, cum geminos Sol transit: si Luna, radijs barbisq; eorum. Si sagittarium alteruter, uespertilionis alis, Plinius.

¶ h. Mineides uel Mineiades, Alcithoë & duæ sorores, quòd Bacchum eiusq; orgia contempsissent, in uespertiliones mutantur apud Ouidium Metam. 4. At non Alcithoë Mineias orgia
censet Accipienda dei, &c. Finis erat dictis, & adhuc Mineia proles Vrget opus, spernitq; deũ, &c. Et triplices operire nouis Mineidas alis. Aelianus in Varijs lib. 3. Minyades scribit (per ypsilon in antepenultima) tres sorores fuisse, Leucippen, Aristippen, & Alcithoen: quarum una in cornicem mutata sit, altera in uespertilionẽ, tertia in noctuam. ¶ Auibus cunctis exulare aliquando iussis edicto, uespertilio dixit se murem esse: rursus alio super exilio murium promulgato, auem se esse dixit. ¶ Victorinus in libro de Orthographia uespertilionẽ soricis nomine appellat, propter stridorem uocis forsitan. ait enim soricem auem ab auguribus Saturno attributam: quia tarditati & uetustati & senectuti cõuenit, quòd & in ueteranis uersetur locis, & noctium sit, & maximè noctis primæ: quod Ge. Fabricius nos admonuit.

¶ PROVERB. Vespertiliones uidentur appellari, (inquit Erasmus,) qui grauati ære alieno, luce domi se continent, ne à creditoribus appellentur, noctu prodeunt. Vlpianus lib. Pandect. 21. tit. De Euictionibus, Si quis ita stipulanti spondeat, sanum esse, furem nõ esse, uespertilionem non esse, &c.

eſſe, &c. Quidam hoc loco pro ueſpertilione legunt ueſpillonem, aut uerſipellem. Alciatus inter iu reconſultos undequaq; doctiſsimus, in Commẽtarijs ſuis de rerum ſignificationibus, putat ueſpertilionem dictum, quemadmodum modo diximus, qui metu creditorum interdiu latitat, noctu prodit. Adagium eſſe ſumptum uidetur ex apologo quopiam, ſiue Aeſopi, ſiue alterius illum imitati, (nam Aeſopo uidetur indignus,) qui narrat ueſpertilionem mergum & rubum iniſſe ſocietatem, ut conflatis ſortibus pariter negociarentur. Veſpertilionem contuliſſe pecuniam à fœneratoribus mutuò ſumptam, mergum aliud quippiam, rubum ueſtem. Quum omnes è naufragio nudi enataſſent, ueſpertilionem metu creditorum interdiu latitare, noctu uolare tantum: mergum obſidere littora, ac ſubinde collum demittere in fundũ, ſicubi reperiat merces ſuas, uel eiectas in littus, uel in fundo hærentes: rubum prætereuntium adhærere ueſtibus, ſi quam fortè ſuam reperiat. Poterat uideri parum quadrare, ſeruum ære alieno grauatum eſſe: quis enim credat ſeruo? niſi legeremus apud Terentium, Dauum Getæ quod debebat reddidiſſe. Mihi tamen uidetur ueſpertilionis nomẽ & in fugitiuum ſeruum cõpetere, qui noctu ab hero ſolitus ſit ſubducere ſeſe, latitatq; ubi periculum eſt ne agnoſcatur. Nam inibi mox proximo capite pro ueſpertilione ponit erronem ac fugitiuum: Quum quis, inquit, ſtipulatur furem non eſſe, fugitiuum non eſſe, erronem non eſſe. Priſci tamen ea uoce ſecus uſi ſunt, uidelicet pro homine ancipitis fidei, qui nec huius ordinis ſit, nec illius, cum utroque tamen colludat: eo quòd ueſpertilio ſic eſt utrunq;, ut nec inter uolucres, nec inter mures habeat locum. Vnde Varro in Agathone, Factus ſum ueſpertilio, neq; in muribus planè, neq; in uolucribus ſum. Veſpertilionis conuicium torqueri poterit & in amantes, qui noctu uolitant: quos Plautus in Trinummo uocat tenebricolas. Elegans, inquit, deſpoliator, latebricolarum hominum corruptor, Hæc omnia Eraſmus. ¶ Chærephõn Socraticus philoſophus cur ueſpertilio cognominatus ſit, leges ſuprà in a.

¶ ALBERTVS lib. 1. de animalibus, ex Auicenna abaſic interpretatur genus ueſpertilionis: ſed perperam. nam Ariſtoteles eo in loco apodis tantum & hirundinũ meminit. Vide in Apode A.

¶ IN ampliſsima Aegypti pyramide multos offendimus ueſpertiliones, noſtris in hoc diſſimiles quòd caudam habent ut mures oblongam, multum (quatuor digitis: cum in noſtris cauda non excedat alas, ut in Gallico libro Singularium ſcribit) extra alas prominentem: qui cum unicum, interdum binos pepererint catulos, hamis, quos in alis habent, de lapidibus ſuſpendunt: eos deinde uberibus lactant, quæ in pectore hominũ more poſita habent, Bellonius in lib. de Operib. antiquis.

¶ BORSIPPA urbs eſt Babyloniæ, quæ Meſopotamiæ coniuncta eſt, inter Euphratis conueriones, in qua maximum lanificium eſt, & maxima ueſpertilionum multitudo, qui longè maiores ſunt, quàm qui in cæteris locis capiuntur, & in eſum condiuntur, ex Straboniis lib. 16.

¶ VESPERTILIONIBVS ſimiles feræ alatæ, ſtridore diro, & uiribus prævalẽtibus in Arabia degunt in palude & circa paludem in qua caſia (bitumen, uetus Perſij interpres) naſcitur: quam qui collecturi ſunt, cum reliquum corpus, tum faciem præter oculos corijs obligãt, alijsq; pellibus, & feras ab oculis arcentes ſic caſiam metunt, Herodotus lib. 3. Caſiam fabuloſa narrauit antiquitas, princepsue Herodotus (colligi) circa paludes, propugnante unguibus diro ueſpertilionum genere, aligerisq; ſerpentibus, his commentis augentes rerum pretia, Plinius.

¶ VESPERTILIO in calidis regionibus maior eſt quàm in frigidis. nam in India, ut in epiſtola Alexandri legitur, magnitudine columbæ ſunt, & inuadunt facies hominum percutiendo & uulnerando, ita ut interdum partes aliquas (nares, aures, & alias) mutilent, Albertus & Iſidorus.

¶ APVD Nigritas reperiuntur ueſpertiliones & noctuæ magnitudinis trium palmorũ, Cadamuſtus. In Dariene Noui orbis regione Hiſpani noctu ueſpertilionum morſibus torquebantur, quæ ſi dormientem fortè momorderint quempiam, exhauſto ſanguine trahunt in uitæ diſcrimen: & mortuos fuiſſe nonnullos ea tabe compertum eſt. Si gallum aut gallinam ſub dio noctu ueſpertiliones deprehenderint, in criſtã aculeo fixo, interimunt, Pet. Martyr Oceaneæ decadis tertiæ lib. 6.

IN Pariæ ſiue Indiæ pleriſque locis Hiſpani inuenerunt ueſpertiliones, turturibus nõ minores: quæ ad ipſos acri furore, primo noctis crepuſculo, uolitabant: & uenenato morſu ad rabiẽ uſq; læſos trahebant, ita ut aufugere inde, uelut ab harpyis fuerint coacti, Idem Oceaneæ Decadis 1. lib. 10.

IN Vraba Noui orbis ampliſsima inſula maximus eſt fluuius, ex cuius paludibus ueſpertilioneſ inquiunt prodire noctu, turturibus non minores, morſu lethali noſtros (Hiſpanos) infeſtantes. Id aliqui ex ijs qui morſus experti ſunt, teſtantur. Anciſus prætor eiectus, interroganti mihi de ueſpertilionum uenenato morſu, retulit ſe fuiſſe inter dormiendum à ueſpertilione demorſum in talo pedis æſtate ob calorem detecti: nec magis nocuiſſe, quàm ſi alterius animalis non uenenoſi dentibus læſus fuiſſet. Dicunt alij uenenoſum eſſe morſum, ſed aqua marina illico lotum curari, Idem Oceaneæ decadis ſecundæ lib. 4.

¶ VVLPECVLA (Ἀλώπηξ) & ueſpertilio uolant cute, Ariſtoteles. unde apparet hanc auem ueſpertilioni cognatam eſſe, & ſimiliter non pennis, ſed cuteis alis uolare. Niphus aliquos non auem ſed uulpem marinam accipere ait, quæ cuteis alis uolet. ego Ariſtotelẽ omnino de aue ſenſiſſe conijcio. Arnoldus Villanouanus harbe animal uulpam interpretatur, ueſpertilionem (ni fallor) intelligens. nam & Itali quidam uilpiſtrello nominant, etſi id nomen corruptũ uideri poteſt à ueſpertilione, & ab alijs aliter effertur. Sed harbe uox Arabica chamæleontem propriè ſignificat.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 780 sur 825

DE VLVLA.



A.

THEODORVS ἀεγωλιὸν ex Aristotele ululam interpretatur: in oti uerò descriptione, dicente Aristotele otum à nõnullis nycticoracem uocari, ipse nycticoracem uertit ululam, cum nycticoracem alibi cicumam transferat. uide in Nycticorace in Elemento N. Aetolius alicubi apud Aristotelem scribitur perperam ut iudico pro ἀεγωλιὸς, ut dicam in C. Ἐπολιὸς, genus auis nocturnæ, Suidas: apud quem hoc nomen similiter scribitur in uocabulo ἡμερωπὸς. ego utrobiq; ἀεγωλιὸς legerim.

¶ Iim, אירם, Hebraicũ nomen, uariè transferunt, onocentauros, ululas, bubones: uide in Quadrupedum uiuip. historia in Onocentauro. Vlulæ Esaiæ 13. ab omni translatione nomine ipso Hebræo Iim appellantur. Septuaginta tantum interpretes pro his onocentauros in translatione posuerunt. Sunt qui ululas putent aues esse nocturnas, ab ululatu uocis, quas uulgò cauãnos dicunt, Eucherius. Lilith interpretantur lamiam, onocentaurum, noctuam, ut annotaui in Onocentauro: & fortè ululã significat alludente uocabulo. Struthio Hebraicè iaenah dicitur ab ululatu: ianah enim ululare est aliquando Hebræis: unde est quòd quidam ululam interpretantur, Paul. Fagius. lege in Struthocamelo & in Noctua. Kipod nõ ulula, nec aliud animal est, ut quidam suspicantur, sed omnino erinaceus, quod in historia eius demonstraui.

¶ Vlula apud Italos aliquos nomen seruat, ut audio, ab alijs uulgò barbaiano dicitur. Scoppa nycticoracem barbaiano interpretatur. alludit nonnihil hoc nomen ad Hebraicum iaenah, & bath iaenah. ¶ Lusitanis coruſa dicitur, nomine forsan à coruo deducto, ut sit idẽ nycticoraci. ¶ Gallis cheueche, uel hibou secundum alios, Robertus Stephanus. alij scribunt hybou (sed hybou, alijs bubo est) uel grimauld, uel machette, ut Auinione. ¶ Germanis Owel / ül / Eul / Nachteul / Stockeul. quanquam aliqui hæc nomina etiam noctuæ tribuunt, sed impropriè. nam siue per onomatopœiam, siue à Latino nomine facta sunt, ululam non noctuã (cuius uox est diuersa) significant.

Ge. Agri-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 781 sur 825

Ge. Agricola ululam Germanicè interpretatur Huhu. ¶ Anglis an owl, an howlet: uel, ut alij scribunt, an owese, an howlet, an oull. ¶ Illyrijs sowa. Polonis Puszzyk.

B.

Aluco maior gallinaceo est, ulula compar, (id est æqualis gallinaceo,) Aristot. Vuottonus uocem παραπλήσιον nō ad magnitudinis comparationem refert: sed ad formæ similitudinem, ueterem in hoc interpretem secutus. ego quanquam aluconem & ululam aues specie non dissimiles esse fateor, Aristotelem tamen hoc in loco magnitudinem utriusq; ad gallinaceum comparasse (cui æqualis sit ulula, aluco maior) non dubitarim. Vlula, asio, aluco simili specie constant, Idem alibi. Vngues habet aduncos, Idem & Plinius.

¶ Vlulæ (Nachtülen) apud Heluetios abundant, Stumpfius. ¶ Vlulæ genus quod aliquando inspexi, huiusmodi erat: Magnitudo gallinæ uel supra, color ruffus nigro consperfus. rostrum albicans, breue, ut in genere nocturnarū, aduncum, ita ut superior pars multò longior sit. oculi magni, nigri, pupilla obscurè ruffa. margines palpebrarum rubicundi. membrana nictanti supernè obducebatur. Pinnulæ inter oculos & rostrum multæ, denſæ, cinereo ferè colore. Collum agile multum retrò. Crura albicantia, punctis cōsperſa liuidis, hirſuta ad pedes usq;. Pedum digiti bini ante, totidem retrò, quod in illo genere cuius picturam in præcedenti pagina dedimus, non contingit: sed in altero, cuius historia proximè sequetur.

C.

Vlula auis est lucifuga, Albert. Nocturna est, carniuora, picas uenatur ut etiam aluco, Aristot. Nocte uagatur ac pascitur, die rarò apparet. colit hæc etiam saxa & speluncas. uictus enim gemini est. pollet ingenio ac industria in uitæ muneribus, Idem. ¶ Oculi earum interdiu hebetes, ut & aliarum nocturnarum auium, Plinius. ¶ Vlulam Varro à sua uoce dictam scribit. Ast ululant ululæ lugubri uoce canentes, Author Philomelæ. Seruius nominatam ait ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, quod est ululare ac flere. Auis luctisona est & funebris, Textor. A planctu & luctu nominatur. clamans enim aut fletum imitatur aut gemitum, Isidorus. Quibusdam auibus breuem & temporarium natura cantum commodauit, hirūdinibus matutinum, noctuis serum, ululis uespertinum, buboni bus nocturnum, Apuleius 2. Floridorum. ubi etiam querulum ululæ carmen appellat. Noctuæ cum bubone & ulula cognationem habent: sed differunt uoce. nec enim ululant, uerùm ædunt sonum quem Aristophanes κικκαβᾶυ nominat, Ge. Agricola. ¶ Qui ægolius uocatur, quaternos ferè parit, Plinius 10. 60. ex Aristotelis historiæ anim. 6. 6. ubi ἀετώλιον τ. pro γ. perperā legitur, quod Gaza non animaduertit.

D.

Vlula colarem rapit, cæteriq; aduncī, unde his oritur bellum, Aristoteles: qui alibi ululam & aluconem cittas, id est picas uenari scribit, ut suspicer nomen colarem fortè corruptum esse, præsertim cum nec ipse Aristoteles alibi, nec alius quisquam eius meminerit: cittan aut κολιὸν malim, aut collurionem.

G.

Vlula auis cocta in oleo, cui liquato miscetur butyrum ouillum & mel, ad ulcera sananda ualet, Plin. Vlulæ fel prædicatur ad albugines, suffusiones, caligines: adeps similiter ad claritatē, Idem.

H.

¶ a. Onocrotalus est auis illa quę fixo in palude rostro horrendè clamat, & uulgò butorius dicitur, (hæc ardea stellaris est, nō onocrotalus,) quę etiam in Esaia uocatur ulula, Obscurus, tres aues longè diuersas in unam confundens.

¶ c. Certent & cygnis ululæ, sit Tityrus Orpheus, Vergilius Aegl. 8.

¶ d. Est sine lætitia uolucris, altera sine sanguine, ut fertur in ænigmate quodam Germanico: ululam & apiculam interpretantur.

¶ h. Auis est luctisona & funebris, Textor. Apud augures, si lamentetur, tristitiam: si taceat, ostendere fertur prosperitatem, Isidorus. Vlula clamans, tristitiam: tacens autem & cōtra dextram sedens altè, uel ad dexteram uolans & tacens, prosperitatem denunciat, Albertus.

¶ PROVERBIA. Noctuas Athenas uertendum fuerat ab Erasmo Rot. ubi conuertit, Vlulas Athenas. Vide in Noctua. ¶ Inuenio Germanica quædam prouerbia apud Eberhardum Tappium: Ein Eule hecket keinen blawfüß. Ein Eule hecket kein falcken. Ein yeden dunckt das sein Eul ein falck sey. Ein Eul vnder einem hauffen krähen. Primis duobus Latinum illud opponit, E squilla non nascitur rosa, tanquam eiusdem sententiæ. Tertio illud, Suus rex reginæ placet. Quarto illud, Asinus inter simias, ubi stolidus aliquis incidit in homines nasutos & contumelioſos.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 782 sur 825

DE ALTERO GENERE VLVLAE, QVOD quidam flammeatum cognominant.



FIGVRA hæc eſt generis cuiuſdam ululæ, quod Germani circa Argentoratum uocant Schleyeriil, id eſt ululam flammeatam, quod neſcio quomodo plumis circa faciem mulieris peplo ſeu flammeo obuolutæ caput & faciem referat. Flandri Kirchüil, id eſt ululam templorum. Hollandi Ranſulle, neſcio quam ob cauſam. ¶ Facies & tota ferè pars ſupina ei albicat, ut pictura oſtendit, quam à pictore & eodem aucupe Argentoratenſi accepi. nam ipſam auem nondum uidi. Prona pars omnis ad cinereum inclinat, maculis & lineis aſperſa nigris paſsim: per alas etiã ruffis maculis, quarum una per tranſuerſum oblonga eſt. Frontem tranſuerſam linea plumis cõdita flauis inſignit. Crura fuſci uel cinerei coloris, binos ante digitos & totidem retrò habent. ¶ Turnerus & ſecuti ipſum Eberus ac Peucerus otum interpretantur Germanicè, Schleieriil / Ranßül: Anglicè Turnerus etiam a hornoul. Ego otum diuerſum facio, ut in eius hiſtoria oſtendi. Primus omnium Gyb. Longolius otum noctuam flammeatam interpretatus eſt, ſed diuerſam ab ea quam nos ſic nominamus, auem intelligẽs. nam plumas eam circa aures erigere ſcribit, auriculasq; ueras imitari. & de eadem fortè etiam Turnerus intellexit, quoniam Anglicè nominari tradit a hornoul, id eſt ululam uel noctuam cornutam. ¶ Nuper amicus quidam eruditus hanc auem, cuius figuram poſuimus, à Gallis ciſalpinis uulgò damam, id eſt matronam nominari mihi retulit, eandem ob cauſam propter quam noſtri flammeatam appellant. noctuæ ſimilem eſſe aiebat, ſed maiorem: cuius etiam digitum demonſtrabat ungue magno & nigro munitum, pilis obtectum ſubruffis uſq; ad unguem, quod in eo genere quod pictum nos damus non apparet: ut duæ forſan eiuſdem generis ſpecies ſint.

VOISGRA auis quæ ſe uellit, augures fecilitram appellant, Feſtus.

DE VPV-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 783 sur 825

DE VPVPA.



A.

EPOPS, ἔποψ, Græcè dicitur auis quæ Latinis upupa, utroq; per onomatopœiam nomine facto: quanquam Latinum à Græco deriuari potuit. ¶ Kaath, קאת, Hebraicum nomen Munsterus alicubi upupam exponit, ut & Iudæi recentiores ferè. alij aliter, onocrotalum, pelicanum, cuculum, uide in Mergo in genere, & in Onocrotalo. Cos etiam, כוס, uariè interpretantur, noctuam, upupam, &c. lege in Bubone. Item ataleph, עטלף, aliqui upupam, quod non probo, alij uespertilionem, ut in Vespertilione scripsimus. Racham, רחם, omnino genus aliquod aquilæ aut uulturis genus est, quanquam Septuaginta upupã transtulerint. uide in Gypæeto & Ossifraga inter aquilas. Anapha etiam & chasida Hebraicas uoces nõ desunt qui upupam uer-

tant, de hac plura leges in Ciconia, de illa in Ardea. Dukiphat, דוכיפת, Leuit. 11. R. Salomon expo nit gallum ſyluestrem duplicata criſta, unde etiam nomen ſit quaſi du cephot, id eſt duas criſtas habens. Septuagínta upupam transferunt, & Deuteronomij 14. porphyrionem. uocatur ſanè etiam upupa à quibuſdam Græcè alectryòn agrios, id eſt gallus ſyluestris, ut ab Italis quibuſdam gallus paradiſi. Lege ſuprà in Gallo ſyluestri in genere. Huic finitimum eſt uocabulum cucupha, quod Aegyptiacum uidetur. Kiranides ſanè lib. 1. cap. 7. cucuſam pro upupa interpretatur. Orus in Hieroglyphicis 1. 55. Cucupha, Κοκοφά, (inquit) parentibus ſenio confectis nidum extruit, pennis eorum euulſis, &c. hoc alij de upupa referunt, pietate eius in parẽtes celebrata. Sed uidetur Orus, aut eius interpres potius aliquis Græcus cucupham ab upupa auem diuerſam exiſtimaſſe, cum hîc cucupham, alibi uerò libro 2. epopem nominet. ¶ Alhudud ſeu alhedud eſt auis quæ dicitur upupa, uulgò apud Patauinos gallus paradiſi, Bellunẽ. Fitomos, id eſt upupa auis, Syluaticus. Gareſol, id eſt upupa, Idem. Hakocoz apud Albertum inuenio pro upupa. ¶ Vpupæ à uoce ſua uulgò apud Italos buba nomen indítum: alij ad upupam antiquam alludentes upega uocant, (ut circa Vincentiã:) & à criſta, qua inſignis ſpectatur tertio nomine gallo de paradiſo dicitur, (circa Venetias,) Erythræus in Indice Vergiliano. Alicubi in Italia galleto de magio, Bellizonæ puppula. Siculis (ni fallor) criſtella. ¶ Hiſpanis abubilla. Luſitanis pópa. ¶ Gallis huppe, uel hupe. Et in quibuſdam locis putput, à fœtore. Circa Montempeſſulanum lupege. Sabaudis etpie, ni fallor. In ualle Auguſta, putta. ¶ Germanis Wydhopff/ Widehopffe/ Kathaan, id eſt gallus ſtercorarius: circa Roſtochium Wedehoppe. Flandris Hupetup. Brabantis Huberon. ¶ Anglis a howpe. ¶ Illyrijs dedek. Polonis dudek. Turcis ibík.

¶ Literatores plerique omnes Britannici, upupam eam nominãt auem, quam barbari ab alarum ſtrepitu uannellum, & ipſi ſua lingua lapuuingam, Turnerus.

B.

Vpupa mutat faciem tempore æſtatis & hyemis, ſicut cæterarum quoque agreſtium plurimæ, Ariſtot. Et rurſus, Vpupa cum colore, tum uerò ſpecie immutatur, ut Aeſchylus poeta ſatis carmine ſuo expoſuit.

Τέρην δ' ἐπόπτην ἔποπα τὸν αὐτὸ κακῶν
Θρασὺ πετραῖον ὄρνιν ὧν πωποτ' ὐχία.
Κίρκη δ' ἐπ' ἄγρᾳ. λίνο γὰρ ὃν μορφὰς φαίνει,
Νέας δ' ὀπώρας ἡνίκ' αὖ ξανθὴ στάχυς,
Ποικιλωκὲς, καὶ ἀκροκιλώσας ἔχει
Ὃς ἦρε μὲν φαίνοντι δαπάλλει πτερόν,
Ῥαιδίως τε αὐτὸ νηδὺς μᾶς ἔπο.
Τίκτει νιν αὖθις κἀμφινομίσιν πτερύξ.

Hos uerſus Theodorus ita tranſtulit: Quin fert ſui ſpectantem, & epopem mali, Colore ſpeciem multímodo pingens ſuam. Saxícolam & improbum arma geſtantem alítem. Adulti infantis forma hîc ſeſe refert. Nam uere candicãs ubi extitit nouo, Aeſtate tum deínde, ut recanduit ſeges, Alas repente uarius maculatas quatit. Nos Græcè nonnihil quàm in impreſsis codícibus noſtris habẽtur, melius deſcripſimus: prorſus quidem reſtituere abſque codicis melioris authoritate nec líbet nec licet. Apparet ſanè Aeſchylum mentionem facere Terei in upupam mutati, & in hac facie ſuam ipſius calamitatem inſpicere, ubi ludit in uocabulis ἔποψ & ἐπόπτης. tanquam ita díceret, Iupiter (aut quiſquis Tereum mutauit in auem) effecit eum ſuorum ſpectatorem malorum, & pennis inſigniuit uarijs, & ferocem illum antea in ſua panoplia, auem cum eadem (nam roſtrum lon gum pro enſe eſt, criſta pro galea) reddidit timidam. Conijcio enim legendum ἀκροδαλώσας per α, non per η. ut ἀκροδηλῆν uerbum ſignificet δηλὸν ποιεῖν, ſicut ποικιλῆν ποικίλον ποιεῖν. Pro uerbo φαίνει fortè φύει legendum, ut carmen conſtet, ſenſu eodem. pro κἀμφινομίσιν, fortè κἀμφιγήννυσιν, hoc eſt, & ueſtit uel induit: ut ſenſus ſit, eam tempore uéris plumas amittere, meſſe denuò ijſdem ueſtiri. De cæteris obſcuris non habeo nunc quod dicam. Quædam temporis ratione mutari uidentur, ut accipiter, upupa, & ſimiles uolucres, Theophraſtus hiſtoriæ plant. 2. 6. Mutat & upupa colorem, ut tradit Aeſchylus poeta, auis criſta uiſenda plicatili, cõtrahens eam ſubrigenſque per longitudínem capitis, Plínius. Vpupa auis eſt magnitudíne paulò ſupra coturnicẽ: in capite uerò ei plumæ inſtar criſtæ ſubriguntur, ὄν λόφα χῆμα, Pauſanias. Vertitur in uolucrem, cui ſtant in uertice criſtæ, Prominet immodicum pro longa cuſpide roſtrum. Nomen epops uolucri, facies armata uidetur, Ouidius 6. Metam. Diximus & cui plicatilem criſtã dediſſet natura, per medium caput à roſtro reſidentem, Plínius. Vpupa eſt ſepticolor, regimen (criſtam) habens in capite altitudíne digitorum duorum, quod aperitur & contrahitur: eſtque quatuor colorum, conueniens ad quatuor tempora anni, Kiranides. Auis eſt criſtis extantibus galeata, Iſidorus. Galeam de pelle (lego, de plumis uel pennis) habet in capite, toto reliquo corpore uaria & pulchra, Albertus. Auis eſt perpulchra, Author de nat. rerum. ¶ Nuſquam in tota Britannia upupa (quod ego ſcio) reperiri poteſt, apud Germanos tamen frequentiſsima. Ea eſt magnitudíne turdi, alis per interualla fuſcis, albis & nigris pennis diſtinctis, criſta in capite ab ea parte roſtri, qua capiti committitur, ad extremum uſque occíput in longitudínem porrígitur, quam pro adfectibus ſuis aut contrahit, aut dilatat, ut equus aures arrígit aut demittit. tibijs eſt ualde breuibus, alis obtuſioribus, Turnerus. Color in upupa reperitur cinereus, albus & nigricans. Roſtrum ei nigrum, oblongum, pennę albis & nigris maculis alternatim diſtinctæ, Criſta ruffa, in ſummo tamen nigra.

C. Vpu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 785 sur 825

C.

Vpupa à ſua uoce dicta eſt, Varro. Pollux ἔποπας ποπίζειν ſcribit. Vpupę uocem quidam eſſe aiunt pû pû, quod Græcis ſonat, Vbi, ubi: quod Tereus qui in hanc auem mutatus eſt, dum Procnen & Philomelam iugulaturus quæreret, hac uoce ſit uſus, ut in Hirundine h. recitauimus. Torotinx in Auibus Ariſtophanis alij upupæ, quod non placet: alij alterius cuiuſdam auis innominatæ uocem eſſe aiunt. Vpupa una tantum uoce, ſicut & cuculus, importuna eſt, Author de nat. rerum. Hyeme latet muta: & uêre unius eſt uocis, clamoſa, Albert. Quidam dicunt upupam alia uoce per æſtatem ſonare, alia per hyemem. Auicenna tamẽ (ut Ariſtot. quoq;) colorem potius quàm uocem his temporibus ab ea mutari ait, Albertus. Vpupa ſi ante uitium tempus cecinerit, bonitatem & copiam uini promittit, Orus. ¶ Auis eſt paſtu obſcœna, Plin. Semper in ſepulchris & humano ſtercore commorans, fœtenti paſcitur fimo, Iſidorus. Ariſtophanes in Auibus upupam myrti baccas & ſerphos (uermes quoſdam, uel formicis ſimilia animalcula) deuorare facit. Apiculas deuorant, Philes. Audio eas formicis ueſci inter cætera. Vpupa ſi uuæ paſtu læſa fuerit, adiantum ori inſerens circumambulat, Orus. ¶ Lentè admodum uolat, Turnerus. ¶ Montes incolit & ſyluas, Ariſtot. Vagatur hæc ſemper faſtidiens locos. Deſerta quærit nemorum & inuias plagas, Aeſchylus apud eundẽ Gaza interprete. Græca uerba ſic habent, Ἀεὶ δὲ μισεῖ πόνδε ἀπ' ἄλλων εἰς τόπον ὄρυμας ὀρήμας ἀπάγων' ἀκρικίσει. Quæ quoniam corrupta ſunt, nec ullum genuinum ſenſum exprimunt, ſic fortè legere poterimus, Ἀεὶ δὲ μισεῖ τὸ γυναικεῖον γένος ὄρυμας ὀρήμας ἀπάγει (uel ἀπάγει, etſi neutrum carminis ratio admittat) ἀκρικίσων. hoc eſt, Semper autẽ propter odium muliebris generis, in ſyluas ſolitarias confert ſe habitatura. Nam & Aelianus ſic ſcribit: Δοκοῦσί μοι οἱ ἔποπες τὸν πθτρῶν τὸν ἀνθρωπικῶν ὠν μνήμην: καὶ μάλιστα καὶ μνήμη τὸ γένος τὸν γυναικῶν ὑποπλέκειν τὰς καλιὰς ὠν ταῖς ὀρήμοις, καὶ τοῖς πλαγίοις (lego πάγοις. nam & Volaterranus uertit in deſertis altiſq; montibus: & Aeſchylus auem hanc petræam, id eſt rupicolam nominat. págos autem rupes eſt, uel mons ſaxoſus) τοῖς ὑψηλοῖς. ¶ Vpupa nidum potiſsimè è ſtercore hominis facit, Ariſtot. inde apud Germanos Kaathane, id eſt gallus ſtercorarius appellatur. Nidũ luti loco hominis ſtercore circumlinit, ut intolerabili odoris fœditate homines à nido & pullis depellat, Aelianus. Humano ſtercore nidum ſtruit, & ideo iuuenis fœtet, Albertus. Induſtria quadam naturali materiam nido ſuo conuenientem colligit ſtercus hominis. quia id uim quandam uenenis aduerſam habet, quod & leopardus & leo agnoſcunt, Idem. Auis eſt ſpurciſsima, ſemper in ſepulchris & humano ſtercore cõmorans, Iſidorus. Vpupa una ſuo in genere (τῶν καθ' ἑαυτῶν νεοττοδυόντων) non nidificat, ſed ſtipites arborum ſubiens, parit ſine ullo ſtramento in cauis, Ariſtot. non in ipſis puto ſtipitibus, ſed ſubtus. nam picus Martius ſolus, Plinio teſte, in cauis arborum nidificat. Terna ferè oua parit, ut audio. ¶ Poſtquam pullos compleuit, in eodem nido plumas commutans exuit: & interim à pullis alitur, Albertus. uide infrà in D. Hyeme latet & nuda eſt, uêre prodit, Author de nat. rerum. οἱ ἔποπες εἰσὶν ὀρνίθων ἀπτιλωίστατοι, Aelianus. Gillius uertit upupam auium inimiciſsimã eſſe, (legerat fortè ἀπτιλωίστατον:) malim, maximè nudam. hoc eſt, præ cæteris auibus plumis ac pennis eam nudari. aut ſi quis mauult, minimè uolacem. eſt enim alis obtuſioribus, & lentè admodum uolat, authore Turnero. Dicuntur autem propriè ἀπτίλωθρα auiũ pulli inuolucres adhuc. ut à poſitiuo ἀπτίλω, ſuperlatiuus fiat ἀπτιλωίστατος, ſicut à σώφρων fit σωφρονίστατος. Hyeme latet muta, Albert. Dormit hyeme, ſicut & ueſpertilio, Idem. Vpupæ, ſturni, &c. in anguſtiis montium locis latêre conſueuerunt, Ge. Agricola. Et rurſus, Vpupæ quædam hyeme latent in cauis arboribus. Siue autem in arboribus, ſiue in montibus latuerint (quæcunque in eis latêre ſolent aues) ea de cauſa uerno tempore deplumes ſolent conſpici. Quædam cum æſtate ætuum degant in ſyluis, hyeme demigrant in finitimos locos apricos, montium receſſus ſecutæ, ſicuti palumbes, upupæ, &c. Idem. Aues quædam trimeſtres ſunt, (id eſt tribus menſibus no biſcum degunt,) ut turdi & turtures: & quæ cum fœtum eduxêre abeunt, ut galguli, upupę, Plinius. ¶ Procopius Gazæus upupam inter aues noctis ac tenebrarum amicas numerat cum erodio, noctua & charadrio: neſcio quàm rectè. Iſidorus eam ſemper in ſepulchris & humano ſtercore commorari ſcribit. ¶ Dorcadis adeps upupam interficit, Aelianus & Philes.

D.

Vpupæ aduerſus parentes exiſtimantur piæ, Aelianus. Aegyptij gratum indicantes animum, cucuphan pingunt: propterea quòd ſolum hoc ex mutis animantibus, poſteaquam à parentibus educatum fuerit, iiſdem ſenio confectis parem refert gratiam. Quo enim loco ab ipſis enutrita eſt, eodem nidum ipſis extruit, pennis eorum euulſis: cibumq; ſubminiſtrat, donec renatis pullis parentes ſibi ipſis opem ferre queant. unde & diuinorum ſceptrorum cucupha inſigne atq; ornamentum apud eos eſſe ſolet, Orus. Vpupæ parentes ſeneſcentes inter pullos iam adultos in nido plumas exuunt, & interim à pullis paſcuntur, donec uires plumasq; recuperẽt. Cum enim ſenio uiſum amiſerint, pulli notam naturaliter herbam colligunt, & excæcatis oculis illitu uiſum reſtituunt, Author de nat. rerum & Albertus. Vpupæ pulli cum parentes ſenuiſſe uiderint, ita ut neq; uolare neq; uidere queant, uetuſtiſsimas eorum plumas euellunt, & oculos eorum illinunt, fouẽtq; ipſos ſub alis, donec pennę eis renaſcantur, & oculorum renouetur acies: ſicq; mutuã uicem parentibus reddunt, Obſcurus. Parentes ſuos fouentes anhelant ſuper oculos ipſorum, ut uiſum recuperent, Iorath. ¶ Vpupa gramen edit aduerſus βασκανίαν, (id eſt faſcinationem, uel neſcio quas iniurias,) Philes.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 786 sur 825

Aelianus adianton, id est capillum Veneris, upupam contra fascinationes nido suo imponere scribit. In Geoponicis Græcis 15.1. authore Zoroastre hoc remedium ab eis contra blattas fieri fertur. perperam autem amianton pro adianto legitur. Vpupa si uua esitata læsa fuerit, adiantum ori inferens circumambulat, Orus. ¶ Cum aliquando in parietis diruti & deserti rima uetustate acta periisset upupa, id ipsum q; parietis curator animaduertisset, luto rimam expleuit & obstruxit. Vpupa uero rediens ac uidens recessum ac latebram suam clausam, herbā attulit, qua ad lutum admota, dissolutum est lutum & defluxit. illa in cauum ad pullos suos ingressa est. & cum postea ad inquirenda cibaria rursus proficisceretur, homo ille iterum parietis cauernam oblinēs obstruxit. auis uero eadem ipsa herba rimam aperuit. quod ipsum tertio factum est. Cuius factum parietis curator intelligens, herba illa è luto sublata, non quidē ad eos usus, ad quos upupa, utebatur, sed ad resignan dos thesauros ad eum nihil pertinentes, Aelian. Idem alibi author est picum quoq; herba quadam allata foramen suum lapide aut ligno immisso obturatum aperire.

E.

Vpupa si canat ante uitium tempus (antequam uites germinent) insignem simul bonitatem ac copiam uini prænunciari aiunt, Orus.

F.

Vpupa quocunq; nomine Hebraico appelletur, auis impura haberi debet, uel eo nomine quod in stercore moretur: &, si uerum scribit Isidorus, etiam in sepulchris. Procopius inter aues noctis ac tenebrarum amicas ideoq; abdicandas mensis eam numerat. Auis est lugubris & luctum amans: quamobrem in lege prohibetur. quia seculi tristitia mortē operatur, Author Glossæ in Leuiticum. ¶ Vpupæ caro austera est, Rasis.

G.

Colum sanat cum pinnis upupa exusta, & ex uino cinis eius potui datus, Marcellus. In pulue re upupæ est remedium contra morsum cancri, (canis.) decollatur autem & scinditur, & fit cataplasma super locum, Rasis. ¶ Sanguis upupæ illitus homini dormienti dæmoniaca gignit phantasmata, Pythagoras in libro Romanorum, ut citat quidam obscurus. Pennæ uero positæ super caput hominis, sedant sodam, id est dolorem capitis, Idem. Pennarum upupæ suffitus uermes expellit, Rasis. ¶ Lingua eius suspensa super hominem nimis obliuiosum, prodest ei, Pythagoras in libro Rom. ¶ Vpupæ cor in lateris doloribus laudatur, Plinius.

H.

a. Vpupa Græcè dicta est (epops,) eo quòd stercora humana consideret, & fœtenti pascatur simo, Isidorus. Nobis probabilius est à uoce sua dictam, ut Varroni placet. ¶ Epops auis est multorum nominum, nam & σήτλω eam uocant, & ἀλεκτρυόνα, & γέλασον, Hesychius & Varin. Ἔποπα, ἀλεκτρυόνα ἄγριον, Idem non suo loco, nempe post Ἐπώνυμοι. Ἔρον, auis quædam, Idem. cōiicio autem uocem esse corruptā, & legendum uel μορόν, uel ἔπον, etsi ordo literarum apud illos neutrū admittat. Syluaticus alaudam auem cum upupa confundit, nimirū quoniam utraq; crista ta est. Idem habroch, (alij kambrah uel kanabir scribunt,) quæ uox Arabica alaudā significat, imperitè upupam interpretatur. Albertus alicubi ex Aristotele (de hist. anim. 6. 1.) pro epope picum marinum, uel picum uarium posuit.

¶ Epitheta. Epops est auis sordida & cristata, Textor. Obscœna pastu, Plin. ¶ Τελοφίλαν nominat eam Aristoph. quasi triplicem habeat in galea cristam, uti in scholijs habetur. forsitan ab insigni crista sic dicta fuerit, Vuottonus. Μακρεσίκραν ἔπον, & κορυθαίολος etiam à crista capitis cognominatur (à poetis,) Hesychius & Varin. Θρασὺν πετραῖον ὄρνιν, Aeschylus apud Aristotelem, id est, Audacem saxicolam auem. Videri autem potest audax & minax, quòd instar militis galeata siue cristata sit.

¶ Vpupa pro meretrice. Plautus Captiuis, Itidem huc mihi aduenienti upupa, quæ me delectet, data est. ¶ Aristophanes in Auibus Philoclem upupæ nomine traducit, tanquam ὀξυκέφαλον uel πτακίφαλον.

¶ Icones. Cucupha apud Aegyptios picta (propter gratitudinem huius auis in parentes, uide in D.) gratum animum significat. Diuinorum etiam sceptrorū apud eosdem insigne atq; ornamentum esse solet, Orus. Præsagium quoq; copiæ uini significātes, upupam pingunt. hæc enim si ante uitium tempus cecinerit, insignem uini bonitatem simul ac copiam prænunciat, Idem. Vuæ esu offensum & sese curantem notantes, hanc auem pingunt & adiantum. hæc enim si uua comesta læsa fuerit, adiantum ori inferens obambulat, Idem.

¶ b. Vpupa magnitudine coturnicem paululum excedit. in capite autem pennas habet cristarum instar insublime elatas, Pausanias. Τίς ἡ πτῆρωσις; τίς πρόσθεν ἡ πτελοφίλης; Euelpis de epope quærens apud Aristophanem in Auibus. ubi Scholiastes, Mirātur (inquit) tanquam peregrinam auem. pennis enim uestitur dēsis, & tres in crista apices habet. Vpupam Megaris, ubi Tereus sibi manus attulit, primum apparuisse asserunt, Pausanias.

¶ c. Nulla auis cum aut fame aut frigore, aut alia molestia afficitur, canit. ne ipsa luscinia quidem, aut hirundo & upupa, quam quidem aiunt præ dolore lugentem canere, Plato in Phædone. ¶ Fœtet ut upupa, dictum apud Italos uulgare. Lapis quirin, (aliâs, quiricia) ut scribunt Euax & Albertus,

Albertus, inuenitur in nido upupæ aliquando, quæ tota est auis præstigiosa & auguralis, (aliâs, & multa augurans,) ut ferunt magi & augures. Hunc lapidē aiunt secreta prodere, & phantasias promouere, impositum pectori dormientis, Syluaticus.

¶ e. Vpupæ adhuc uiuæ & palpitantis cor exemptum deglutito conuersus ad Solem, initio horæ primæ uel octauæ, die Saturni, Luna Orientali existente, & superbibito lac uaccæ nigræ cum modico melle ex compositione recitanda. Vide ut sanum & integrum deuores cor, & eris prescius eorum quæ in cœlo, & quæ in terra (fiunt:) & quid cogitent homines cognosces, & res quæ in locis remotis geruntur, & futuras. Deinde mellis compositionem recitat, quam meliorem esse ait si cor & iecur upupæ immittatur. sed inde periculum esse ait phthiriasis, id est pedicularis morbi, qui ne superueniat remedium subiungit, Harpocration ut citat author Kiranidum. Kiranus autē (inquit idem) partim conueniens, partim discrepans, addidit de upupæ gustu, præscientiam ex eo fieri omnium mundanarum rerum. Mox & magico cuidam gestamini upupæ cor & hepar & capitis coronam adiungi iubet, Hæc ille libro 1. elemento אזת: & rursus similia elemēto φ. de corde & sanguine upupæ. Et libro 2. in Talpa, In pelle upupæ auis (inquit) cum duobus oculis eiusdē auis si quis suspenderit uel ligauerit cor aspalacis, omnia præsciet, quandiu gestauerit eam castus. Quod si cor huius auis gestauerit interius, magnus & potens erit. Si Luna noua decollaueris upupam, & cor eius palpitans deglutiueris, scies omnia quæ fiunt, & mentes hominum, & multa cœlestia, Arnoldus Villan. Fertur si suspendatur dens hominis & ala upupæ dextra ad caput hominis dormientis, non expergisci illum donec auferantur, Rasis.

¶ g. Corium upupæ impositum dolenti caput, sedat dolorem, Rasis. Tempora inuncta sanguine upupæ quando dormiendum est, faciunt terribilia uideri somnia. Vpupam etiam ipsam, & eius membra, præcipuè cerebrum & linguam & cor multum quærunt incantatores, Albert. Lingua upupæ suspensa super obliuiosum, reducit ad memoriam ea quæ oblitus est, Rasis. Si oculus eius suspendatur supra leprosum, curatur lepra, Rasis.

¶ h. Tereum Thracum regem fabulantur mutatum in upupam, militaremq; adhuc in capite cristam gerere, & rostro oblongiore ensem referre, quo habitu uxorem (Procnen & Philomelam) insequebatur: & quasi adhuc filium quæritaret sonare πω πω. Vide copiosissimè in Hirundine. Indicam Vpupam duplo maiorem nostra & formosiorem Indorum rex amores & delicias suas circumgestat, & eius uenustatem summa admiratione frequenter intuens, magnam lætitiam uoluptatemq; capit. Brachmânes uerò fabulam huiusmodi de ea narrant. Regi Indorum (inquiunt) olim filius fuit minimus natu, quem fratres cæteri maiores cum planè improbi & iniqui essent, propter ætatem contempserunt. Cum uerò parentes quoq; iam senectute graues contumeliosè ab eis tractarentur, ut improbitatem eorū declinarent, assumpto filio minimo discedunt ac fugiunt: & propter laborem in itinere moriuntur. Defunctos filius in sui capitis uulnere, quod ense sibi inflixerat, sepelit. Insignem hanc eius pietatem cōspicatus admiratusq; Sol, puerum in auem formosam admodum & uiuacem conuertit, crista supra caput eius erecta, de sepultis ab eo parētibus eadem in parte monumento. Talia quædam de alauda etiam fabulantur Athenienses, ut in Auibus Aristophanis apparet, (uide in Alauda:) qui fortè hanc de upupa Indorum fabulam, non satis quænam auis esset intelligentes, ad alaudam (quæ & ipsa crista ta est) transtulerunt, Aelianus.

¶ Vpupa animal est sacrum, Kiranides. Aegyptij upupis honorem habent, quòd aduersus parentes existimentur piæ, Aelianus.

¶ PROVERBIVM, Vpupa cum cygnis certat, uide in Cygno H.c. in Cygnea cantione.

DE VVLTVRE.

A.

AIAH, איה, Hebraicè uulturem interpretātur, ut Hieronymi & Munsteri translatio habet, Deuteron. 14. & Leuit. 11. item daah uel daiah eiusdem linguæ uocabula, דאה, דיה, unde daioth Esaiæ 34. pluralis numerus, nonnulli similiter uulturem. nos de his omnibus plura diximus in Miluo A. Legitur & raah, ראה, Deuteron. 14. inter aues impuras, quæ uox ad daah proximè accedit. auem esse aiunt acuti uisus, (nimirum inde nomen sortitam. nam raah uidere est.) Munsterus uulturem reddit in translatione sua (ut & Septuaginta γύπα) in Dictionario uerò miluum. interpretatio communis ixon. obscurus quidam in historia animalium xyon scripsit. auis est (inquit) impura secundum Legem, cuius natura non satis est nobis nota. est autem, ut legitur & Albertus quoq; tradit, de genere uulturum, sed minor quàm uultur. Rachame uel rocham Arabicis scriptoribus uultur est, ut colligo ex interprete Auicennæ & Serapione. uide inter Aquilas in Gypæeto & in Ossifraga: item in Cygno. Auis quæ dicitur machame, (lego rachame,) uultur est, Auicennæ interpres. Inuenio & aradam (aliâs aridam) pro uultur apud Albertum, ubi aracham fortè scribendum. Kipoz quoq; Hebraicum nomen alij ericium, alij uulturem interpretantur. uide in Echino terrestri. Item chasida, upupam, uulturem, uel uulturem candidū, alij aliter, lege in Ciconia. Item anapha, uulturem, miluum, ardeam, &c. ut in Ardea scripsi. ¶ Rescheph, רשף, unde pluralis numerus reschaphim, Dauid Kimhi carbones intelligit, & filios (carbonū) scintillas.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 788 sur 825

Figura hæc est uulturis, quem in Heluetia aureum cognominari audio.



Abraham Esre Iob 5. & Deuteron. 32. auem sentit, ut & Moses Rambam Iob 5. Hieronymus Abacuc 3. Iudaicam fabulam exponit, dęmonem qnidecepit homines in paradiso auem & uolatile nuncupari. Septuaginta uertunt in Deuteron. ὀρνέων. Cant. 8. ἄνθρακες. Iob 5. γῦπα, Abacuc 3. πεδίον. Psalmo 76. κράτη. Psalm. 78. πυρί. Hieronymus quoq; mirè uariat interpretationem: diabolus, exterminator angelus, auis, uolucris, uolatilia, lampades, ignis. Propriè quidem (ut uir huius linguæ doctissimus nobis dictauit) hæc uox carbonem significat: sunt autem scintillæ filij carbonis: per tropum uerò iacula ignita, & morbos uehementissimi ardoris, atq; inflammationes pestilentes. ¶ Taui, uel tagi, uel taram, est auis habens dentes in palato, uultur secũdum aliquos, Syluaticus. Albertus (Auicennam nimirum secutus) pro phene, id est ossifraga, alicubi habet chym uel kym. alibi uerò kym ponit pro uulture. ¶ Aristoteles & alij quidam philosophi aquilam & uulturem ad idem genus auis referunt, Albertus; nos neq; apud Aristotelẽ nec alium ullius authoritatis scriptorem hoc legimus.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 789 sur 825

Vultur quem Germani uocant Aßgyr *uel* Haſengyr.



legimus. ſed ipſe Albertus & alij quidam recentiores indocti uulturem cum aquila confundunt, & pleraq; aquilæ propria uulturi adſcribunt, ita ut Albertus alicubi uulturem uerum pro aquila uera dicat. ¶ Vulturis nomen apud Græcos ueteres eſt γὺψ, apud recentiores γίπας. Lynx auis exponitur egips apud Kiranidem 1. 11. ego pro egips puto legendum gyps, uel ægypios. quanquam alijs lynx eſt iynx. ¶ Italicum auoltoio. ¶ Gallicum uautour, uel uaultour. Sabaudicum uauteur. ¶ Germanicũ Gyr/Geir. ¶ Anglicũ a geir. ¶ Illyricũ ſup. Polonicum ſemp, uel ſep.

¶ Harpe Oppiani (in H. elemento deſcripta) uidetur mihi genus uulturis illud, quod noſtri à pectore ruffo uocant ein Goldgyr, id eſt aureum uulturem: cuius figuram poſuimus. Zaucos uel Zeuocos, quidam zingion, alij harpen dicunt, ſpecies eſt uulturis alba deuorantis cadauera, Kiranid. 1. 6.

¶ Vulturum duo genera ſunt, alterũ paruum & albicantius: alterũ maius ac multiformius, Ariſtot. Quo in loco Albertus: Vulturis (inquit) genus unũ maius eſt, cinerei coloris, quod uocamus uulturem griſeum: alterum paruum, & hoc eſt albius, & ſæpe apparet ſedens in rupibus Rheni fluminis & Danubij, & ab incolis Germaniæ uocaẽ uultur albus. De genere albicante minore ſunt qui uocanẽ Fiſch geyer, Eberus & Peucerus. ſed quærendũ an ijdem rectius Aißgeir, id eſt albi uultures, nominẽtur, ut Albertus habet: quàm Fiſchgeir, id eſt piſcium uultures, ut illi album quidem & piſcis ſimilibus uocabulis apud Germanos, (præſertim inferiores, qui in pleriſq; u. conſonantem pro f. ponunt,) efferuntur. Vultures undiquaq; albos in nonnullis Heluetiorum montibus, ut circa Claronam, interdum reperiri audio. ¶ Vulturum præualent nigri, Plinius: uiribus ſcilicet & robore. nam alibi minus uirium eſſe nigris ſcribit, in uſu medico, ni fallor, intelligens, ut pennarum nidore ad abigendos ſerpentes. Vultures tum coloris Bætici tum nigri crebri ſunt in montibus Cretæ, Bellonius. ¶ Τόργος, genus eſt uulturis ſanguinem ſorbentis: & uultur ipſe apud Siculos, Heſychius & Varin. Τόργιον mons eſt in Sicilia, in quo nidificant uultures, à quo ipſi etiam torgi dicuntur, Varinus. Τόργος pro uulture ſanguinario (hæmatorrhopho, id eſt ſanguiſorbo) apud Lycophronẽ legitur. Aſtorgium pro aſture, id eſt accipitre maiore apud Pauſaniam legi Volaterranus annotat: quem ego Pauſaniæ locum hactenus non inueni.

¶ Ex oſsifragis uultures progenerantur minores, & ex ijs magni qui omnino non generant, Plin. uide in Aquila c.

¶ Auis apud Heluetios dicta Steinbziicchel, uidetur nonnullis genus eſſe uulturis. uide in Oſsifraga. ¶ Accipitrem fringillariũ Eberus & Peucerus interpretantur Rotelgeyer, id eſt uulturem rubicundum. ¶ Apud Saxones uulturis genus audio nominari ein Stoßgyr, id eſt uulturem ferientem, qui non perinde magnus ſit, ſed animoſus, & gallinam uno roſtri impetu feriens proſternat.

¶ Vulturis genus unum minus eſt, magisq; albicat, ut diximus: alterũ maius, & παραθαλασσόφυγον, (id eſt magis cinerei coloris,) ut Haſengeyer & Oſgeyer. ſagaciſsimè hi odorantur, & biduo triduóue antè circumuolitant loca, in quibus cadauera futura ſunt, Eberus & Peucerus. Ego hoc genus Germanicè Aßgyr, id eſt cadauerum uulturẽ rectè nominari puto: unde & Reibgyr dicitur, ab alijs Roſſzgyr, ab equis: nimirum quòd eorum cadauera appetat. ab alijs (ut circa Claronã Heluetiorum) Hotzgyr, neſcio qua ratione, niſi fortè deprauatum eſt nomen ab Aßgyr. alibi Steingyr, à rupibus in quibus nidificat. Agnos & hœdos rapit, ut audio: & nimirum lepores quoque, ut inde illi factum ſit nomen Haſengyr. uide infrà in c. Pectore non ita fuluo eſt hic ut uultur aureus noſter, magnitudine inferior, id quod mihi uidetur. ſunt enim qui hunc maiorem eſſe dicant. Agnos, hœdos, & in rupibus hinnulos rupicaprarum roſtro impetens ferit, & ſi collabantur, iacentium corpora depaſcitur. De hoc ſimplicíterne uultur ſit, quod magis puto: an ex uulture & aquila compoſitum genus, quale Græci gypæetum & ægypium, nomine ab utraq; alite compoſito, iudicent alij. Veterum quidem gypæetus, qui & oripelargus dicitur, cuius iconem inter aquilas poſui, multum ab hoc differt. Iconem eius Germaniæ noſtræ ornamentum Ge. Fabricius ad me miſit, hac etiam deſcriptione adiecta: Vultur, quem Germani ein Haſengeier appellant, roſtro eſt obunco nigro, fœdis oculis, corpore firmo & magno, alis latis, cauda longa & directa, colore in rutilo nigri-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 790 sur 825

cante, pedibus flauis. Stans aut ſedens criſtam quaſi cornutam in capite erigit: quæ in uolante non apparet. Alæ extenſæ menſuram orgyiæ excedunt: inceſſu, duorum palmorum ſpatio, gradū facit. Ex auibus perſequitur omne genus: ex feris uenatur lepores, cuniculos, uulpes, hinnulos: nec non piſcibus inſidiatur. Non manſuefcit feritate. Nec ſolum uolatu, ex præcipiti, uerum etiã curſu prædam inſequitur: uolat magno & ſonoro impetu. Nidificat in denſis & deſertis ſyluis, & in altiſsimis arboribus. Pedibus nõnulli utuntur, ut ijs imponant candelabra. Paſcitur carnibus & extis animalium, ne à cadaueribus quidem abſtinens: famem quatuordecim dierum ſpatio tolerat, quamuis uorax. Eiuſmodi uultures duo capti in Alſatia, M. D. XIII. menſe Ianuario, in ditione Gerolceckenſi: ſuperioribus annis unus Rotachi in Francis montanis: proximo & hoc ipſo anno, plures ex nido, in altiſsima quercu cõſtructo, inter arcem nouam Mauricij principis, & Miſenam oppidum. Vulgus opinatur eſſe aquilas, neq; aliter de Alſaticis in Chronicorum libris ſuſpicatur Hedio: cuius deſcriptio cum ijs uulturibus, quorum tres hic uidimus, maxima ex parte conuenit.

B.

De uulturum coloribus diuerſis: & de nonnullis eorum corporis partibus, ſuprà in A. nonnihil ſcripſimus: ubi etiam integram uulturis cadauerum ſiue leporarij à noſtris cognominati deſcriptionem reperies. Vergilius 6. Aeneid. uulturem roſtro obunco dixit. Mihi quidem uulturum genus ab aquilarum & accipitrum falconumq; genere, quod ad roſtri figuram, differre uidetur in hoc maximè, quòd nõ ſtatim ut illis in uncum flectatur, ſed rectum primò ad duos uel amplius digitos ſit, deinde curuetur deorſum, ut apparet in uulture aureo pariter & leporario, quorũ hîc picturas exhibuimus: & in gypæeto, quem inter aquilas poſuimus. nam cum uultures ferè cadauera tantum aggrediantur, non ſimiliter adunco & ita ualido roſtro fuit opus, ut rapacibus cæteris quæ uiuas plerunq; inuadunt & rapiunt animantes. Crura in aureo uulture ad pedes uſq; hirſuta ſunt, ut etiam in illo genere aquilæ, cuius iconem in Aquilæ ſimpliciter dictæ hiſtoria delineauimus: nimirum quod horum generum alites, in altioribus & niuoſis montium iugis ac rupibus degant: quare aduerſus tempeſtatum ac frigoris iniurias natura has in eis partes plumis induit, ut etiam in alijs quibuſdam montium aut ſaxorum incolis auibus, lagopode, gallinis mõtanis diuerſis, attagena noſtra, & nocturnis quibuſdam. ¶ Vultur eſt magnitudine & pondere inſigni, Albertus.

¶ Vulturis aurei pellem ad nos aliquando ex Rhætis Alpinis miſſam, roſtro adhuc & cruribus hærentibus cum contemplarer, hoc modo deſcripſi: Multa hic uultur communia habet cum genere aquilæ alpinæ, (cuius figuram ſuprà poſui in hiſtoria aquilæ, deſcriptionem daturus infrà inter Paralipomena:) ſed per omnia maior eſt. longus à roſtro ad extremam caudam ſex dodrãtes & paulò amplius: ad extremos ungues v. dodrantes aut paulò minus. longitudo ſuperioris roſtri, quantum eius aperitur, ſeptem ferè digiti tranſuerſi. Caudæ longitudo circiter tres dodrantes. Tota pars ſupina, id eſt collũ inferius, pectus & uenter & pedes quoq; ruſſo colore ſunt, dilutiore quidem caudam uerſus, rubentiore autem uerſus caput. Digiti pedum fuſco uel corneo colore ſunt. Alarum penna longiſsima iiij. ferè dodrãtes æquat. Subnigricant ſeu fuſcæ ſunt omnes alarum pennæ, uno ferè colore: paruulæ tamen ſupremæ in alis nigriores ſunt, & per mediũ aliæ ſubruſſis maculis, aliæ ſubalbidæ circa imum diſtinguuntur. eò nigriores autem ſunt, quo propiores dorſo, ubi præ nigredine ſplendent. Pennæ per medium dorſum nigræ ſunt, ſplendentq; in earũ medio caulículi albi, præſertim quæ circa medium dorſum ſunt & dimidia colli parte. reliqua enim colli pars pennas ex albido ruſſas habet. Caudæ pennis idem color eſt qui alarum, nempe fuſcus.

C.

Dum clangunt aquilę uultur pulpare probatur, Author Philomelæ. Clangorem aquilarum & uulturum Gillius ex Aeliano dixit.

¶ Vultur eſt auis rapax, utpote roſtro & pedibus uncis. Vultures carniuori ſunt, Ariſtoteles, ὄρνιθα σαρκοφάγα καὶ νεκροφάγα, Heſychius. hoc eſt, aues quæ carne uiuunt & cadauera ſectantur. Cadauera appetunt, & exercitus ſequuntur, futuram hominum ſtragem præſentiẽtes, (ut infra alicubi copioſius dicetur,) Aelianus. Vulture edacior, prouerbialiter uſurpari poteſt, ut Eraſmo placet. γῦπες καὶ πόρακες πόδες νεκρὸς νέμονται, Scholiaſtes Ariſtophanis. In hominum cadauera uultures infeſtiſsimi feruntur, in quæ incurrentes tanquam hoſtilia inuadunt, ac hominem uicinum ad morien-dum quando ſupremum uitæ diem agat, diligenter obſeruant, Aelianus. Herodotus Ponticus teſtis eſt, uultures eſſe omnium animalium innocentiſsimos, quia nihil prorſus attingant eorum, quæ ſerant homines, plantent, alant: animantium præterea nullam interimant: uolucribus quoq; uel mortuis abſtineant, (quodam cognationis intellectu,) Plutarchus in uita Romuli. Vultur etiam maiores aues rapaces, ut accipitrem, inſequitur, Obſcurus. Vultur infeſtiſsimo animo cætera perſequitur atq; interimit, Orus. Vultures crebri ſunt in montibus Cretæ, ubi rapiunt agnos, hœdos & lepores quos ſub dio deprehenderint, Bellonius. In altis etiam Heluetiæ montibus, ut in Ammano prope lacum Riuarium, agnos à uulturibus rapi audio: alibi etiam lepores (unde nimirum leporarij cognomen, ein Haſengyr,) hinnulos ceruorum & caprearum, & alia animalia infirma uel nõdum adulta. Vultur etiam uulpem prehendit, Obſcurus Ariſtotelem citans, qui de aquila hoc, non de uulture prodit. ſic & Albertus ineptè uulturem à meridie uſq; ad noctem uenari ſcribit, & à matutino tempore uſq; ad meridiem quieſcere, quum hoc etiam de aquila tantùm Ariſtoteles tradat. Seſelis uel

felis uel filis Cretici semen esse & uultures dicuntur, Plinius lib. 20. Demetrius Constantinopolitanus in libro de remedijs accipitrum, γυπονόμον herbam aliquoties nominat, & interpretatur σίλιν ὃ λεγόμενον, hoc est quod uulgo sil uel siler scribatur. utitur ea alicubi ad lumbricos, &c. & herbam gruis esse odoris insinuat. apparet primam per y. scribi oportere, & à uulturum pastu inditum esse nomen. ¶ Quædam cum æstate æuum degant in syluis, hyeme demigrant in finitimos locos apricos, montium recessus secutæ: sicuti uultures, milui, &c. Ge. Agricola.

¶ Vultur & ferè graviores, nisi ex procursu aut altiore tumulo immissæ, non euolant: cauda reguntur, Plin. Vultur à uolatu tardo nominatus putatur. propter magnitudinem quippe corporis præpetes uolatus non habet, Isidorus. Tardè uolat: sed cum à terra se eleuauerit, bene & altè uolat: & ideò docent quidam à uolando uulturem uocatum, Albertus. Auis est magna & grauis. quare tribus saltibus uel pluribus uix à terra eleuatur: & ideo antequam eleuetur, frequẽter capitur, Idem.

¶ Ex omnibus animantibus perspicacissimi uisus est uultur, ut qui oriente quidem Sole in occasum, occidente uerò in ortum prospiciat: atq; è longissimo interuallo quæ sibi usui sint comparet edulia. quamobrem Aegyptij aspectum significantes uulturem pingunt, Orus. Sedet uultur in altissimo loco, tum ut inde facilius prouolet, (à terra enim difficulter euolat:) tum ut loca remota circunspiciat. quamobrem fertur solum uulturem esse auem Dei, Obscurus.

¶ Vultures sagacius quàm homines odorantur, Plin. Nos aper auditu, lynx uisu, simia gustu, Vultur odoratu præcellit, aranea tactu, Distichon uulgare. Vultures, sicut & aquila, ultra maria cadauera sentiunt, altiùs quippe uolantes, quæ multa montium obscuritate celantur ex alto illi conspiciunt, Isidorus. Mellis apes quamuis longè ducuntur odore, Vulturijq; cadaueribus, Lucret. Vulturum odorandi uis mirifica ab auctoribus traditur classicis. nam & in Magia significat Apuleius: Si uerò (inquit) naribus nidorem domesticum præsensit, uincit idem sagacitate odorãdi canes & uulturios. Scribit diuus Thomas per quingẽta millia passuum ab uulturibus (addit Hieronymus etiam ab aquilis) præsentiri cadaueris putorem, sed & eo amplius. Illuc autem usq; odorem, uel corporalem euaporationem pertingere, prorsus absurdum, præsertim quum sensibile medium immuret undiq; secundum eandem distantiam, nisi præpediatur. neq; enim sufficeret ad tantum spatij occupandum, etiamsi in fumidam resolueretur euaporationem integrum cadauer, &c. Cælius. Vmbricius tradit uultures triduo aut biduo antè uolare, ubi cadauera futura sunt. uide infrà in h.

¶ Vultures dicuntur sine concubitu concipere & generare, Ambrosius. Inter uultures mas non est. gignuntur autem hunc in modum: Cum amore concipiendi fœmina exarserit, uuluam ad Boream uentum (ἄνεμον, lego ἄνεμον) aperiens, ab eo uelut comprimitur per dies quinq;, quibus nec cibum nec potum omnino capit, fœtus procreationi intenta. Sunt porrò & alia uulturum (γυπῶν, lego ὠδῶν, ut & Basilius uidetur legisse, cuius mox uerba recitabo) genera quæ ex uento concipiunt quidem, sed quorum oua ad esum duntaxat ipsorum, non item ad fœtum suscipiendum ac formandum sunt accommodata. At eorum uulturum quorum non est subuentaneus duntaxat & inefficax coitus, oua ad gignendam tollẽdamq; sobolem sunt imprimis idonea, Orus. Auctor est in Hexaẽmero Magnus Basilius, subuentanea oua in cæteris irrita esse ac uana, nec ex illis fouẽdo quicquam excuti. at uultures subuentanea ferè citra coitum progignere fertilitate insignia, Cælius. Ῥόγπι δ' ἡμῶρας πῶς πυγλὼ πεπόμενοι ἀνέμοις, (lego πῶς πνοιὼ πεπόμενοι ἀνέμοις,) Κυρίως συλλαμβάνεσι γονὴν ἐπίκτησιν μίαν, Io. Tzetzes 12. 439. Vulturem non nasci marem aiunt, sed fœminas omnes generari. quam rem non ignorantes hæ bestiæ, pullorumq; solitudinem ac inopiam timentes, ad gignendos pullos talia machinantur. Aduersæ Austro uolant: uel si Auster non spirat, ad Eurum uentum oris hiatu se pandunt. spiritus uenti influens, ipsas implet, Aelianus interprete Gillio. Græcè legitur, Ἀντιπρῶροι δὲ νότῳ πεπόμενοι, κεχήνασιν. hoc est, aduersus Austrum uolantes, hiant. ego utero potius quàm ore hiante & aperto, uentum eas concipere dixerim, ut Orus etiã sentit. In Geoponicis hæc tanquam Aristotelis uerba legimus, Τὰς γῦπας μὴ συγχίνεσθαι, ἀλλ' ἀντιπρώρους δὲ νότῳ πεπομένας ἐγκυμονεῖν, καὶ οὕτω τοιῶν ἐτῶν τίκτειν. Tertio à conceptu anno pariunt: nec nidum struunt, ut fertur. sed ægyptij mediæ inter uultures & aquilas naturæ, etiam mares sunt (utriusq; sexus) ut audio, & nigri colore: eorumq; nidi ostenduntur. uultures uero non parere oua, aiunt, sed statim pullos, eosq; mox à natiuitate uolucres, Idem ut nos uertimus, aliter quàm Gillius. Vultures triennio gerunt uterũ. nullus enim est mas inter eos: sed fœminæ ore aperto (uide ne in Græco χάσκοντες tantum sit) extensisq; alis, zephyrum, aut eius loco Eurum hauriunt, ac inde concipiunt materiam quandam, quæ ob sui tenuitatem plurimo tempore eget ad animalis perfectionem. animal enim non ouum pariunt, Simocatus. Aiunt eos sæpe sine coitu parere ex uẽto & calore ac radijs Solis, Varinus in οἰωνός. Vultures quidam temere dicunt animalia parere, & lac & mamillas habere, & cætera talia. ego uerò ut tigrides omnes mares esse inuenio, (apud authores:) sic & uulturum genus omne fœmineum, Io. Tzetzes. Annum significantes Aegyptij uulturem pingunt. quoniam animal hoc trecẽtos illos ac sexaginta quinq; dies quibus completur annus ita distribuit, ut centum quidem ac uiginti diebus prægnans (ἐγκυον, non ἔγγαιον ut Gillius legit: qui alia etiam huius loci nõ rectè transtulit) maneat, totidem pullos enutriat: reliquis uerò centum ac uiginti sui curam gerat, neq; uterum ferens, neq; alendis addictum liberis, sed seipsum duntaxat ad aliam parans conceptionem. Quinq; autem illos qui supersunt anni dies in uenti, ut iam dictum est, compressionem & coitũ insumit, Orus. Sed uarians non-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 792 sur 825

nihil Tzetzes Chiliade 12. cap. 439. Oua (inquit) subuentanea procreant centum & uiginti diebus: & totidem alijs excudunt ac pullos producunt: denicq; alijs totidem usq; ad uolandi facultatem eos educant, per quinq; uerò dies ex uento concipiunt. Halixeti suũ genus non habent, sed ex diuerso aquilarum coitu nascuntur. Id quidẽ quod ex ijs natum est, in ossifragis genus habet, è quibus uultures progenerantur minores: & ex ijs magni, qui omnino non generant, Plinius ex Aristot. in Mirabilibus, uide in Aquila c. ¶ Pariunt uultures oua bina, Aristot. Et alibi, Aedunt nõ plus quàm unum ouum, aut duo complurimum. Fœtus sæpe cernuntur ferè bini, Plinius. Et rursus, Vmbricius haruspicum in nostro æuo peritissimus, uulturem parere tradit oua tria: uno ex ijs reliqua oua nidumq; lustrare, mox abijcere. Immussulum aliqui uulturis pullum arbitrantur esse, Plinius. Plura de immussulo leges in Capite de Aquilis diuersis.

¶ Vultur nidificat in excelsissimis rupibus: unde fit, ut raro nidus & pulli uulturis cernantur. Quocirca Herodotus Brysonis rhetoris pater, uultures ex diuerso orbe nobis incognito aduolare putauit, argumento, quod nemo nidum uidisset uulturis, & quod multi exercitum sequentes repente appareant. sed quanquam difficile nidũ eius alitis uideris, tamen usus aliquando est, Aristot. Et rursus, Vulturis uel pullum uel nidum à nemine usum adhuc nonnulli aiunt. & nimirum ob eam rem Herodotus Brysonis rhetoris pater, aliunde situ eminentiore quodam uenire dixit: argumentumq; afferebat, quod breui tempore multi apparerent, & tamen unde, constaret nemini. Sed causa huius rei est, quod rupibus inaccessis pariat: neq; locorum plurium incola auis hæc est. Vulturum nidos nemo attigit, ideo etiam fuêre qui putarent illos ex aduerso orbe aduolare falsò. Nidificant enim in excelsissimis rupibus, fœtus quidem sæpe cernuntur, ferè bini, Plin. In montibus qui sunt inter ciuitatem Vangionum, quæ nunc Vuormacia uocatur, & Treuerim, singulis annis nidificant uultures, ita ut magnus undiquaq; fœtor ex cõgestis cadaueribus sentiatur. Quod autem fertur quosdam uultures non coire, falsum est. nam illic quoq; sępissimè permisceri uidentur, Albertus. Niphus etiam in Italia se uulturis nidum uidisse scribit. Vultures, aquilæ & falcones nidificant in Creta, non in arboribus ut cæteræ aues, sed in difficilibus rupium præcipitijs super mare propendentibus, ita ut uideri uix possint, nec pulli eorum nidis eximi, nisi quis fune à rupibus demittatur, Bellonius. Aiunt uultures non nidificare, Aelianus si bene memini. ¶ Ex Hieronymo compertum nobis est, uulturem quum cœperit oua ædere, quippiam ex Indico tractu afferre, quod est tanquam nux, intus habens quod moueatur, sonumq; subinde reddat. Id uerò sibi ut apposuerit, multos fœtus producere, sed unum tantum remanere, qui immusulus à plerisque dicitur. Masurius uerò pullum aquilæ eo nomine intellígit, priusquã albicet cauda, Cælius. Hoc quidem quod ex Indico tractu affert instar nucis, &c. aëtiten lapidem esse dixerim, quo aquila etiam ad partum promouendum utitur, ut quidam credunt: de quo copiosè suo loco scripsimus. Aquilę quidem & uulturis historiam recentiores ferè confundunt. ¶ De uulturibus apud Ambrosium comperi, nasci eos absq; coitu: & ita natos in multum superesse æui, adeò ut ad annum centesimum uitæ series producatur, Cælius. Vultur fertur penè usq; ad centum annos procedere, Isidorus. In extrema senecta quidam adeò rostrum eius incuruari scribunt, ut præ fame moriatur: sed hoc ueteres de aquila. ¶ Vultur hepatis dolore affectus uenatur aues magnas, & hepata earum uorat, Rasis & Albertus. ¶ Vultures & aliæ quædam aues mali punici grano pereunt, Aelianus. Animalia quædam ab his quæ nobis suauissimè olent perimuntur, ceu uultures ab unguentis, & canthari rosis, Theophrast. 6. 4. de caus. & Aristot. in Geoponicis. Et rursus in libro de odoribus, Animal nullum suaui odore per se delectari uidetur, sed tantum quatenus is cibo coniungitur: quædam etiam offenduntur, si uerum est quod de uulturibus & cantharis fertur. Vulturibus unguentum perniciem infert, Aelianus & Zoroastres. Odorum & unguentorum suauitas uulturibus mortẽ affert, Aelianus. Vultures unguento qui fugantur, alios appetunt odores: scarabei rosam, Plinius. sed locum à librarijs corruptum apparet. Hermolaus legit scarabei rosa, scilicet fugantur. Rosam interpretor unguentum rosaceum. uidetur autẽ ῥόδῳ in singulari numero, ut rosa apud Celsum, pro rhodino accipi, non item in plurali. etsi quidam scribant uultures interire τῇ ὀσμῇ τῶν ῥόδων, ut in Geoponicis Aristot. & Theophrastus, οἱ καύθαροι ὑπὸ τῶν ῥόδων ἀναιρῶνται. οἱ γῦπες καὶ καύθαροι ῥοδίνων χριδώντες μύρῳ τελευτᾶν λέγονται, Clemens 2. Pædagogi. Vultures aiunt odore unguentorum perire, si quis uel inunxerit, uel cibum unguento illitum obtulerit, Aristot. in Mirabilibus. Cadauerum fœtore gaudent, & tantopere auersantur unguẽta, ut ne armenta quidẽ mortua, quorum carnes unguento illitæ fuerint, attingant, Oppianus.

D.

Vultur prægrandis quidem auis est, sed pigra & ignobilis, Albert. Vultures soli uncunguium gregatim degunt, ita ut aliquando quinquaginta in uno grege appareant, ut in Aegypto se obseruasse scribit Bellonius. Vulturem animalium omnium innocentissimum, Hermodori (Herodori, uide etiam infrà inter Auguria ex uulture circa principium) Pontici sententia pronunciauit: quia nil prorsus attingat eorum quæ serant homines, plantent, alant. animantium præterea nullam interimat. uolucribus quoq; uel mortuis abstineat, quodam cognationis intellectu, Cælius. ¶ Misericordem significantes Aegyptij, uulturem pingunt, quod quibusdam forsan uidebitur alienissimum, præsertim quũ hoc animal infestissimo animo cætera persequatur atq; interimat. Sed ut hoc

pictura

pictura uulturis innuerẽt, eo impulsi sunt, quòd centum (& uiginti) illis diebus quibus suos educat, penè nunquam euolet, (ὡς πλέον ἢ πέντε,) sed omnem curam ac solicitudinem illis alẽdis adhibeat, quod si eo tempore cibus non suppetat, quo eos sustentet, proprio femore uulnerato sorbẽdum eis exhibet & impertitur sanguinem, ut ne cibi penuria atq; inedia cõficiantur, Orus. Hanc in pullos pietatem recentiores quidam pelecani non uulturi attribuunt. ¶ Vmbricius haruspex uulturem parere tradit oua tria: uno ex ijs relicto oua nidumq; lustrare, mox abijcere, Plinius.

¶ Vultur & æsalo inuicem inimici sunt. ungues enim utriq; unci habentur, Aristot. Vultures & aquilæ pugnant, Idem, Aelianus & Philes. Iustæ magnitudinis accipitres & integræ ætatis, sæpenumero etiam contra aquilas & uultures pugnare aiunt, Gillius. Clangorem quidem aut aquilarum aut uulturum facile columbæ spernunt, non item circi & marinæ aquilæ, Aelianus.

E.

Vultur propter sui corporis molem, uix tribus aut pluribus saltibus à terra eleuatur, & ideo antequam euolet frequenter capitur. & ipse aliquando unum persequendo cepi. sed is satur erat cadauere, & eò grauior, Albertus. Scythæ, & maximè inter eos qui carne humana uescuntur, & Melanchlæni & Arimaspi, aquilarum & uulturum ossibus pro tibijs utuntur, Pollux. Gratius describens retis genus quod pinnatum uocant, eò quòd pennæ ei ad terrendas feras imponantur: Sunt (inquit) quibus immundo decerptæ uulture plumæ, Instrumentum operis fuit, & non parua facultas: Tantum inter niuei iungantur uellera (id est pennæ) cygni, &c. Et mox, Ab uulture dirus auaro Turbat odor syluas, meliusq; alterna ualet res. Vultures in montibus Cretę à pastoribus capiuntur, tum quia agnos & hœdos eorum rapiunt: tum ut pennas eorum uenundent opificibus, qui illas sagittis accommodant: pelles uerò pellificibus, qui illas præparatas satis magno precio uendunt, Bellonius. Sic & aliarum magnarum alitum pelles præparãtur, tanquam uentriculo salubres, ut impositæ concoctionem promoueant. Vulturinæ pennæ literis etiam exarandis idoneæ sunt si aptè parentur. ¶ Penna uulturis si scalpantur dentes, acidum halitum faciunt, Plinius.

¶ Tradunt aliqui uultures duos aut tres, aut etiam septem dies, futuram hominũ in bellis præsentire stragem, & illuc aduolare ubi cadauera futura sunt, uide infrà in h.

F.

Vultur in lege Mosaica inter aues impuras censetur: nec immeritò, ut scribit author Glossæ, ut qui bellis & cadaueribus gaudeat. Vultur, aquila & similes aues prohibentur, quòd sublimi suo uolatu (humilia enim oderunt) superbiæ symbolum sint, Procopius. ¶ Vulturis caro neruosa, tardæ concoctionis est, & prauos humores gignit, Rasis.

G.

Vultur eadem omnia potest quæ aquila, sed inefficaciùs, ita & accipiter eadem quæ uultur, sed hic quoq; infirmiùs, Kiranides.

¶ Zaucos uel zeuocos, quidam zingion, alij harpen dicunt, species est uulturis alba deuorantis cadauera, Kiranides 1.6. remedia quæ ibidem illi adscribit recensuimus suprà in Harpe.

¶ Contra comitialem morbum uulturem in cibo dari iubent, & quidem satiatum humano cadauere, Plinius.

AD ELEPHANTIASI AFFECTOS, CARCINOMATA, PODAGRAM, ARticularem morbum, strumas, condylomata & conuulsiones neruorum, ex Aetij libro 13. cap. 124.

Vulturis cerebrum unà cum capitis ossiculis & plumis ac carnibus capitis accipito, & in uino dulci coquito, atq; excolata quidem illa proijcito: cum iusculo uerò ipso euphorbij, croci, atramenti Indici, piperis albi, castorij, zingiberis, cuiusq; sextantem coquito. & foliorum rubi, seminis satyrij, picis, cuiusq; quadrantem. succi mandragoræ, cedriæ, cuiusq; unciam unam, fel tauri aut capræ integrum, uermes ex lignis putrescentibus & marcidis numero tres addito. Hæc sanè omnia in uini dulcis sextarijs nouem simul coquito. Hoc iuramento adstrictus accepi, ne cuipiam reuelarem. Hic apparatus ad illitionem in nouem dies sufficit, & eminẽtias ipsas exterit. Cæterum cum penna uulturis etiam illinatur.

ALIVD (EX EODEM LOCO) AD ELEPHANTIASIN, ABSCESSVS, CONdylomata, strumas, eminentias corporis, steatomata, paronychias, bronchocelas, adq; omnes malignas eminentias quacunque corporis parte, multo experimento cognitum.

Vulturem uiuum accipito, eumq; in uini dulcis aut sapæ sextarijs nouem aut sex suffocato: aut uulturinum gallum eodem modo tractato, & à uespere usq; ad matutinum tempus ad uitis ligna coquito. Cæterum ægrum tenui uictu connutrito: sæpe etiam inediam perferre iubeto, & per subscriptum medicamentum purgato, perq; dies septem ex marina aqua lauato. Postquam uerò uultur coctus fuerit ac excolatus, ossa ipsius cõtrita cum ægri sudore, præsertim qui à Sole prolectus est, cani edenda proijcito. massas uerò septem inde formatas cani dato. Vulturem autem ipsum per triduum à uespere usq; ad matutinum tempus, ne ab aurora conspiciatur, coquito, atq; id similiter tertia die

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 794 sur 825

facito, probeq; contectum omni die mane in domo tenebricosa reponito. Atq; ubi tandem ita percoctum ac excolatum habueris, ad iusculum in nocte, minimè uerò in die sequentia addito. Salis fossilis marini in petris condensati trientem, (alij unciam j. habent.) atramenti sutorij, (chalcanthum legit interpres. alia lectio habet galbani) opopanacis, utriusq; sextantem. colophoniæ, picis, utriusq; quadrantem. euphorbij, castorij, sanguinis capræ, ammoniaci thymiamatis, cuiusq; trientem. foliorum semperuiui numero septem. catanancæ herbæ scrupulos tres. amianti scrup. j. polypodij herbę quæ per contrariam affectionem Luna desinente auxiliatur, lapidis gagatæ, cedriæ, singulorũ quadrantem. bituminis Iudaici sextarium j. artemisiæ herbæ, chamæmeli herbæ, cuiusq; sextantẽ. Hæc omnia cum iusculo, ut dictum est, apparato. probè trita committito & unito. Cæterũ uulturem primum unà cum pennis usq; ad pedes excoriato, atq; ita in sapam cõiectum suffocato. Pellem autem ipsam cum pennis myrrha conditam, & in fumum suspensam exiccari sinito. Pedes uerò in oleo coquito, & cum oleo podagricos, per uulturis etiam pennã, illinito. Neruos uerò ad pedes podagrici pro amuleto appendito, & ab affectione eum liberabis. Porrò purgatiuum cuius mentionem feci hocce est: Aloës unciæ dimidium, gari, aceti, parem mensuram unito, & octauam sextarij partem bibendam præbeto.

DE RELIQVIS E VVLTVRE REMEDIIS.

Vulturis ossa combusta & trita, insperſa, sanant omne ulcus, & contra dolorẽ prosunt cum uino perfusa, (colluta,) Kiranides. ¶ Ossa è capite uulturis adalligata (suspensa collo, Sextus) capitis dolorem sanãt, Plinius & Marcellus. Ossa capitis de pullo uulturis filo purpureo ad cubitũ suspensa cephalalgiam sanant & ueterem scotomiam, Kiranid. Ad hemicraniam: Aquilæ capitis os, simile simili, ut dextrum latus dextro, appende: perinde & uulturis, Galenus Euporiston 3.34. ¶ Ad pediculos & phthiriasin: Vulturis uiui excisam medullam contritam cum uino dabis bibere, prodesse dicimus, Sextus. ¶ Penna uulturina subiecta pedibus, adiuuat parturientes, Plinius: efficit ut sine labore partum ædant, Sextus. apud nos etiam uir quidam hac in re credulus, tantam uulturinæ pennæ pedibus subiectæ ad partum educendum uim esse, ut nisi tempestiuè auferatur, uteri etiam detrahendi periculum sit, mihi aliquando (qui minimũ huiusmodi remedijs tribuo) affirmauit. Penna uulturis si scalpantur dentes, acidum faciunt anhelitum, Plinius. Vulturis pennas si comburas fugabis serpentes, Sextus & Aesculap. & Samonicus. Ex uolucribus in auxilio contra serpentes primum uultur est. annotandum quoq;, minus uirium esse nigris. pennarum ex his nidore, si uranatur, fugari eas dicunt, Plinius. Pennæ uulturis suffitæ lethargum & suffocationem uteri, & phreniticos sanant, Kiranides. ¶ Aegrè concoquentes aliqui pellem uulturinam stomacho applicant, Alex. Benedictus. Super uulturis pelle bene calida desidere, salutare esse ferunt podagricis & qui defluxionibus aliquibus tentantur, Rasis. ¶ Adeps uulturis dissoluit, sicut adeps asini syluestris, Rasis. Adeps uulturinus cum uẽtre arefactus, contritusq; cum adipe suillo inueterato, neruorum dolores tollit & nodis medetur, Plinius. Si uerò occultus neruos dolor urit inertes, Vulturis excisos adipes, rutamq; remitte, Aut cerã, & tali recreabis lãguida fotu, Serenus. Adeps uulturis mixtus cum porcino adipe iuuat arthriticos, tremulos, refrigeratos, podagricos, stomachicos, paralyticos, & eos qui nimia euacuatione patiuntur spasmum, Kiranides. Vulturis adeps & uentriculus cum axungia contritus & perunctus, omnem neruorum dolorem tollit & articulorum emendat, Sextus. Adeps uult. dolorem oculorum (articulorum potiùs) sanat, & dolores neruorum euacuat, Aesculap. Neruis & arthritidi adeps uulturina cum felle eiusdem, & axungia uetere ac melle, ma lagmatis more adposita medetur, Marcellus. ¶ Sanguis (fel potius, uide infrà in Felle) uult. cum succo marrubij caliginem oculorum sanat, Aesculapius. Vulturinus sanguis cum chamæleonis albæ, quam herbam esse diximus, radice & cedria tritus, contectusq; brassica, lepras sanat, Plin. ¶ Medicamentum podagricum quod pedes & manus præseruat: Neruos uulturis ex cruribus ac summis pedibus collectos ad talos ægri alligato, curãs, ut neruos dextri pedis uulturis, dextro ægri pedis alliges, & sinistros sinistro. Similiter etiam cubitorum, manuum, & humerorũ neruos, alasq;, Trallianus lib. 11. ¶ Ad dolorem capitis: Cerebrum uulturis terens unge caput & tempora, Galenus Euporiston 2. 91. Cerebrum uulturis si cõmisceas cum oleo cedrino, & inde nares frequenter tangas, capitis dolorem aufert, Sextus & Plinius. Vulturis cerebro paululum cedri (cedriæ) si immiscueris, & nares inde intrinsecus caputq; perfricueris, omnes capitis dolores statim minues, Marcellus. Cerebrum eius cum cedria solutum & oleo uteri, & inunctum temporibus, omnem cephalalgiam sanat, Kiranides. Fama est uulturis cerebrum in cibo sumptũ, morbum comitialem discutere, cuius ego periculum non feci, Aretæus. Si uulturis cerebro mulieris uenter & uiri liniantur, sterilitas inducitur, Kiranides. ¶ Pulmonis uulturini dextræ partes Venerem cõcitant uiris adalligatæ gruis pelle, Plin. Sanguinem reijciẽtibus pulmo uulturinus uitigineis lignis combustus, adiecto flore mali punici ex parte dimidia, medetur, Idem. Obscurus quidã recentior aduersus epilepsiam commendat cor & pulmonem uulturis arida trita, in potu. ¶ Cor pulli uult. ligatum in pelle omnem fluxum sistit, Kiranides. Cor pulli uulturini adalligatum aduersus comitialem morbum prædicatur. quidam pectus eius bibẽdum censent, & in cerrino calice, Plin. Contra epilepsiam, Cor & pulmonem uulturis arida propina, Obscurus recentior. Ex posterioribus nonnulli de

nulli de corde uult,ſcribunt,ſi in corio lupi adallígetur,tædium Veneris afferre,Alex.Benedictus.
¶ Iecur uulturis tritum cum ſuo ſanguine ter ſeptenis diebus potum (per dies ſeptem, Sextus & Aeſculap.)aduerſus comitialem morbum prædicatur, Plinius. Luſcioſus ueſcatur beta, uulturis iecore aſſato,eiuſq; felle illinatur, Archigenes apud Galenum de compoſ. medic. Serenus ad iecoris dolorem,uulturis iecur commendat. Idem iecur(Plinius cor)exectum de uulture geſtari iubet ceu prophylacticum aduerſus ſerpentium morſus. Ex uentriculo uulturis remedium diximus in Adipe ſuperius.

¶ Luſcioſus ueſcatur beta, uulturis iecore aſſato, eiuſq; felle illinatur, Archigenes apud Galenum de compoſ.ſec.locos. Vulturis fel ex aqua dilutum,albugines ſanat oculorum,Plinius lib.19. ut quidam citant. Fellis gallinacei uel uulturini, quod longè magis prodeſt, ſcrupuium,& mellis optimi uncíam,bene trita coniunges,atq; in pyxide cuprea habebis,& opportunè ad inungendum utêris.hoc nihil potentius caliginem releuat, Marcellus. Ad caliginem oculorum proſunt uulturis atri Fella, chelidoniæ fuerint queis gramina miſta. Hæc etiam annoſis poterunt ſuccurrere morbis,Serenus. Nubeculæ & caligationes ſuffuſionesq; oculorũ, inunguntur aquilæ felle,quam diximus pullos ad contuendum Solem experiri,cum melle Attico, eadem uis & in uulturino felle eſt cum porri(melius,marrubij,ut alij etiam authores habẽt: & facilè Plinius praſon, id eſt porrum, pro praſio,id eſt marrubio,deceptus accipere potuit)ſucco & melle exiguo,Plin. Omnem oculorum obſcuritatem incipientemq; ſuffuſionem curat fel uult. cum marrubij ſucco & melle Attico:cuius ſi nulla ſit copia,tenero ac molli utere. eſto autẽ tum ſucci marrubij, tum mellis dupla ad ipſum fel portio,Galenus Euporiſton 1.44. Sanguis(Fel,potiùs)uult.cum ſucco marrubij,caliginẽ oculorum ſanat,Aeſculap. Vult.fel mixtum cum ſucco marrubij omnem caliginem diſcutit,incipientem ſuffuſionem pariter inſiſtit, Sextus. Fel pulli uult. cum melle & ſucco praſij ſuffuſionem oculorum ſanat,Kiranides. Et alibi, Vult.fel cum ſucco praſij,& opobalſamo & melle ſolutũ, omnem colliquationem(caligationem)oculorum & ſuffuſionem ſummè ſanat. Comitiali Prodeſt cum ueteri Baccho fel uulturis ampli, Sed cochlear plenum guſtu tibi ſufficit uno, Serenus. In Germanico quodam manuſcripto codice uulturis fel cum ſanguine eius è uino diebus decem potum,inter comitialis remedia inuenio. Neruis & arthritidi adeps uulturina cum felle eiuſdem,& cum axungia uetere ac melle,malagmatis modo adpoſita medetur, Marcellus.

¶ Tonſillis renes uulturini aridi in melle triti uel decocti,mirum remedium præſtant, ſi pro em plaſtro adponantur,Marcellus. ¶ Vulturini fimi nidore partus excuti produntur,Dioſcorides, Vt facile pariat mulier,ſtercus ſupponunt uulturis atri, Serenus.

H.

a. Vultur,auis,maſc.g.& Vulturis,uulturis.Ennius, Vulturis in ſyluis miſerum mandebat hõmonem.Et Vulturius,uulturij,apud Lucretium,Catullum,& alios.Crinitus fœm.gen. protulit ex Varrone. Cicero uulturiũ dixit,& Plautus in Curculione uulturios quatuor. Vultur à uolando quibuſdam dictus uidetur,Albertus:uel à uolatu tardo,ut alij. Propter corporis grauitatẽ in terra libentius ſedet quàm in arbore,niſi timeat:unde ab antiquis grapides (uox uidetur corrupta)uocabatur,Albert. Ales auida,pro uulture,Senecæ in Hercule Furente. Perperam Grammatici quidam uulturem & gryphem confundunt,Turnerus. ¶ γὺψ, παρὰ τὸ γυρδύειν τὰ φῦλα, Varinus. γῦπὸς prima producta effertur,admonente Euſtathio, ut in illo Homeri Iliad. Σ. Πολλὸς δὲ κώων καὶ γῦπὸς ἐδήσετε τρώων. Cipes,id eſt uultur, Syluaticus: ineptè, cum gyps uel gypes ſcribere debuiſſet. Orus in Hieroglyphicis fœmínino tantũ genere γλὼ γῦπα effert, quòd uultures omnes fœminas arbitretur:aliſ plericq; maſculino tantum utuntur. Οἰωνοὶ dicuntur omnes aues carniuoræ,ut uultures, coruí, Varinus. Οἰωνὸς dicitur uultur παρὰ τὸ οἰῶ τὸ μονῶ: eo quòd ſolitaria in ſuo ſexu & ſine coniuge auis ſit,aiunt enim aliqui eam abſq; coitu ſæpenumero ex uento & calore & Solis radijs concipere, Idem. Αὐαὸὺς δ' ἐλώρια (ἑλκύσματα,απαρσιγματα)τοῖς κύνεσσιν, οἰωνοῖσί τε πᾶσιν, Homerus Iliad.α. ubi Scholiaſtes annotat accipere eum per οἰωνὸς aues carniuoras, ut uultures, coruos. Οἰωνοῖσί τε δαῖτα, Idem alibi. Non tibi parentes claudent oculos mortuo, ἀλλ' οἰωνοὶ ὠμησταὶ ὀρύσσι ποδὶ πτόρθα πυκνὰ βαλόντες,Iliad.λ. Ἀλλ' ἄρα τόν γε κύνες τε καὶ οἰωνοὶ κατέδοιαν, Odyſſ.γ. Μήθ' ὑπ' ὠμηστῶν κυνῶν Εἴασ' ὀλέσθαι, μήθ' ὑπ' οἰωνῶν τινός, Sophocles Antigone. Οἰωνοὶ δὲ ποδὶ πλέον, ἢ γυναῖκον, Iliad. λ. Memorabile eſt quod tomo De ideis primo,ubi περὶ σεμνότητ& λόγ& diſſeritur,Hermogenes adnotauit, quoſdam appellare ſolitos uultures, τάφους ἐμψύχους, id eſt animata ſepulchra. Παρὰ δὲ τοῖς ὑποξύλοις τόποις συρίσσας πάμπολλα εὕροις ἄν. τάφος τε γὰρ ἔμψυχος οὗς γύπας λέγουσιν, ὧν πρὸ εἰσὶ μάλιστα ἄξιοι, καὶ ἄλλα τοιαῦτα ψυχρόνοτατα πάμπολλα. id eſt, Apud ſubligneos uerò hoſce ſophiſtas plura inuenias utiq;. quippe uultures dicunt ſepulchra eſſe animata,quibus digni ſunt ipſi maximè:& frigidiora his alia non pauca, Cælius. Mari ſepeliri dicitur,qui in id demerſus fuerit:& uentribus belluarum,ab eis deuoratus. ſic & uultures illum quos laniarint deuorarintq;,uentribus ſuis tanquam ſepulchris cõdunt. quare etiam ſepulchra uiua nonnulli eos appellare auſi ſunt, Varinus in Τυμβύσσα: in cuius uerbis pro ὅσα καὶ πνοὴ τοῦρον, lego ὡς καὶ πνοὴ τάφον.

¶ Epitheta. Vulturem amplum Samonicus cognominat. Atrum, idem & Iuuenalis. Ab uulture dirus auaro Turbat odor ſyluas, Gratius. Auido uulturio, Catullus. Ales auida pro uulture,Seneca in Herc.furẽte. Dirus uultur,Samonicus,& Valerius 4. Argonaut. Edax, Ouid.2.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 796 sur 825

Amorum. Immanis obunco roſtro, Verg. 6. Aeneid. Immundus, Gratio. Tardus, Samonico. Et præterea apud Textorem, Auidus, Caucaſeus, Cupidus, Montanus, Niger, Obſcœnus, Palatínus, Palpãs, Promethæus, Rapax. ¶ γῦπες θηλύγονοι, id eſt è fœminis tantũ procreati, Io. Tzetzes. γαμψώνυχες, ἀγκυλοχεῖλαι, epitheta ſunt ægypíj, ſed quæ etiam uulturi conueniant.

¶ Vulturius homo per translationem pro rapace. Cicero in Piſonem, Appellatus eſt hic uulturius illius prouinciæ, ſi diis placet, imperator. Quoniam hæc ales cadauera iam tabida ſummè affectat & rapit auidiſsimè, propterea quodam loco Apuleius cauſidicos & oratores forenſes probroſis increſſens uerbis, quòd eis (ut Columella dixit grauiſsimè) conceſſum ſit in medio foro latrocinium, togatos nominauit uulturios, ſicut M. Tullius pro Sextio uulturios paludatos appellauit Gabiniũ & Piſonem imperatores, qui pretio nundinarentur omnia. Porrò & ratione eadẽ ſalibus ſuis Plautus inſeruit uulturios pro talis in Curculione. ut enim uultures carniuori ſunt & rapto uiuunt, compari modo & tali uoratores ita ſunt, ut diſpolient ex toto aleatorem, Cælius. Captatores quoq; dici uulturios, non Seneca modò, ſed indicauit Catullus item illo uerſiculo, Suſcitat à cano uulturium capite, Idem. ¶ Vulturnus, uentus qui ab Oriente hyberno ſpirat, ut ait Plinius 2. 47. dictus à uulturis uolatu, ut quidam aiunt, quoniam altè reſonat. Græci Euronotum uocant, quòd inter Notum & Eurum ſit. Hi igitur ſunt tres uenti Orientales, Aquilo, Vulturnus, Eurus: quorum medius Eurus eſt, Gellius 2. 22. Vulturnalia celebrabantur ſexto Calendas Septembris, Varro. Vulturinus, quod eſt uulturis, adiectiuum apud Plinium. Eſt & ſubuulturius adiectiuum. Eia corpus cuiuſmodi, Subuulturium: illud quidem ſubaquilum uoluí dicere. Plautus Rud. Grammatici interpretantur, rapiens ad ſe homines. ſubaquilũ uerò, ſubfuſcum. ¶ Plautus ſalibus ſuis inſeruit uulturios pro talis in Curculione. ut enim uultures carniuori ſunt, & rapto uiuunt, cõpari modo & tali uoratores ita ſunt, ut diſpoliẽt ex toto aleatorem, Cælius Rhod. Plauti uerba hæc ſunt: Iace (inquit) parumper. Iacit uulturios quatuor. talos arripio, inuoco almam meam nutricem, (Venerem nimirum,) Herculem iacto baſilicum. Vulturij autem (inquit Cælius Calcagninus) uidentur appellati, uel à rapacitate, uel à fœcunditate, quòd id animal foret naturæ ſymbolum Aegyptijs.

¶ Gyponomum herbam ſil uel ſeſeli Creticum interpretor, à uulturum paſtu. uide ſuprà in C. γυπὸν, μακρὸν, Varinus & Heſychius. γυπαὶ, uel γυπαὶ, (quod magis placet,) nidi uulturum, Idem. γύπας (oxytonum malim) interpretantur tuguria & latebras (καλύβας καὶ θαλάμας) uel uulturũ nidos: uel uias ad uias (ὁδοὺς εἰς ὁδούς,) uel habitationes ſubterraneas, uel ſpeluncas, καὶ ὑπόγεια τὰ αὐτὰ. (lego γυπόγεια, ut idem ſit γυπιὰ, & diminutiuum γυπόγειον.) οἱ δὲ ἀζώστους, ἀνασεσυρμένους, Heſych. & Varinus. γύπη, (ultima uidetur acuenda,) κοίλωμα γῆ, (lego γῆς,) θαλαμεῖον, γωνία, Idem. Καὶ πῶς σὺ φιλεῖς; ὃς οὔπω ὁρῶν οἰκοῦντ' ἐν ταῖσι πιθάκναισι, Καὶ γυπαρείοις, καὶ πυργιδίοις, ἔτ' ὀγδοήκοντ' ἐκ ἐλεαίρας, Ariſtoph. in Equitibus. Vbi Scholiaſtes, γύπαι (inquit) aues ſunt. luſit autem Comicus propter ſimilitudinem ſequentis uocabuli πυργιδίοις. uel quia hæ aues maximè ſolent inſidêre in turribus & mœnijs, in quibus Athenienſes etiam cubabant tempore belli ad cuſtodiendam ciuitatem. debuit autem dicere in latebris, ſpecubus uel locis anguſtis. nam ſecundum Cratinum omnem locum anguſtum uel latibulum ita nominabant. ¶ Pediculi uulturis mentio fit apud Auicennam 4. 6. 5. 12. inſectum eſſe aiunt uenenoſum, ſimile pediculo paruo, uel pediculo naſcenti in inguine. nomen eius Perſicum faciunt pedi, uel potius dedi, inuenio & dede, dedey, & declin apud Syluaticum: item meluke, tagomus, uel ragarius Indicè, tafaris uel tafatis pro eodem animali. Eſt ſicut paruus altadan, (aliâs alcandan) Syluaticus. Altamula (Althabuha) eſt animal multipes, acuti ueneni, de quo idem iudicãdum quod de pediculo uulturis & ueſpis, Auicenna 4. 6. 5. 13. ego ſcolopendram eſſe conijcio. de pediculo autem uulturis diuinare nihil poſſum. Auicennæ de ipſo uerba, referam in Hiſtoria inſectorum.

¶ Aegypij, Αἰγυπιοὶ, mediæ inter aquilas & uultures naturæ ſunt, utriuſq; ſexus, (cum uultures omnes fœminæ exiſtimentur,) colore nigro. harum nidos & oua oſtendi audio: uultures uerò non oua, ſed ſtatim pullos parere, Aelianus. Aegypiòn Grammaticorum alij genus aquilæ, alij uulturem interpretantur, ἀπὸ τοῦ ἀίσσω. ego potius nomen compoſitum dixerim, ἀπὸ τοῦ αἴνυτοῦ καὶ γυπὸς. Hi fortè fuerint quos Plinius uultures nigros appellat: niſi gypæetũ eſſe placeat, cui caput albicat, &c. Plura de ægypio leges ſuprà in Capite de aquilis diuerſis, quarũ ueteres meminerunt. Nicander à uulture diſtinguit hoc uerſu, Αἰγυπιοί, γῦπές τε, κόραξ τ' ὀμβρίρεα κρώζων.

¶ Icones. Cánathra, uehiculi genus plegmata habens, in quibus uirgines per pompam ad Helenæ templum uehebantur, ſimulachris (ut quidam tradunt) ceruorum aut uulturum ornata, Varin.

EX ORI HIEROGLYPHICIS.

Annum ſignificantes Aegyptij uulturem pingunt, quoniã hæc ales annum ita partitur, ut tertia ferè eius parte prægnans ſit, altera incubet & excudat oua, altera educet, ut in C. retuli. ¶ Aſpectum quoq; indicaturi eundem pingunt, quòd ex omnibus animantibus perſpicaciſsimi uiſus ſit. uide in C. ¶ Miſericordem quoq; pictus illis denotat uultur, propter peculiarem eius in ſobolem ſuam affectum & amorem. lege in D. ¶ Item ſignificantes limitem: quòd cum belli conficiendi tempus inſtat, locum ubi pugna committenda ſit, ſeptem ante diebus ad eum accedens præfiniat & circunſcribat. Item præſagium cum eandem ob cauſam, tum etiam quòd ad eam exercitus partem ſeſe conuertere ſoleat, ubi maior ſit futura clades. uide infrà in h. Præterea matrẽ, quòd in hoc animantium

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 797 sur 825

mantium genere mas non sit. Aegyptij in uulture naturæ genium ac maiestatem indicabãt, quòd inter has uolucres fœminæ duntaxat inueniantur: de quo & Marcellinus Ammianus in Rom. historia scribit, & Plutarchus item Chæroneus, Crinitus. Mineruam quoq; ac Iunonẽ uulturis pictura eis significat: quoniam uidetur apud Aegyptios Minerua quidem superius cœli hemisphærium occupasse, Iuno uerò inferius. Quæ & causa est ut absurdum censeant cœlum masculino genere efferre: quippe cum & Solis & Lunæ cæterorumq; siderũ genitura in eo perfecta sit, qui nimirum fœminæ actus est. Complectitur autem uulturum quoq; genus fœminas tantum. Quam ob causam & cuiuis fœminei sexus animanti Aegyptij uulturem, ut in eo sexu principem ac primarium, appo nunt. ex quo & deam omnem, ne singillatim unamquanque percurrens prolixior sim, significant Aegyptij. Similiter etiam innuentes ἐρανίαν, hoc est cœlum (neq; enim placet ipsis, ut dixi, masculino genere ἐρανὸν dicere) quoniam horum omnium generatio inde est. Duas deniq; drachmas uulture picto denotant, quod apud Aegyptios duæ lineæ unitas est. Vnitas uerò cuiuslibet numeri ortus est ac principium. Optima itaq; ratione duas drachmas indicare uolentes, uulturem pingunt, quòd generationis ipse sibi autor materq; ac principium, quemadmodum & unitas, esse uideatur. Postremò Vulcanum indicantes, scarabæum & uulturem pingunt: Mineruam uerò, uulturem & scarabæum. solis enim his, nõ etiam masculis, mundus uidetur consistere. Vulturem autem pro Minerua pingunt, quòd hi soli ex diis apud ipsos mares sint simul ac fœminæ.

¶ Propria. Vultur mons est in Apulia, ut quidam annotant. ¶ Vulturnum, Βόλτορνον, Campaniæ oppidum est, cum fluuio eiusdem nominis, ut scribit Plinius lib. 3. cap. 5. Pomponius Mela lib. 2. Fluctuq; sonorum Vulturnum, Silius lib. 8. Fluuius quidẽ non neutro gen. ut oppidum, sed masculino Vulturnus dicitur. hic per Campaniã labens, haud longè ab Cumis mergitur. Amnisq; uadosi Accola Vulturni, Verg. 7. Aeneid. Seruius fluuium esse scribit qui iuxta Cumas cadit in mare. Delabitur inde Vulturnusq; celer, &c. Lucanus lib. 2. Meminit eius etiam Strabo. ¶ Est & Vulturnum Hetruscorum oppidum, teste Liuio lib. 4. ab Vrbe. ¶ De Vulturno uento scripsi suprà inter deriuata. ¶ Vulturna uel Voltunna celebris Hetruscorum dea fuit, cuius non semel meminit T. Liuius, &c. Gyraldus.

¶ b. Decet tetraones suus nitor absolutaq; nigritia, alterum eorum genus uulturum magnitudinem excedit, quorum & colorem reddit, Plinius. Porus Indorũ rex Augusto inter cætera dona misit perdicem uulture maiorem, Strabo. Percnopterus aquila uulturina specie est, &c. Plinius & Aristoteles. Phlegyam apud Hesiodum aliqui interpretantur auem uulturi similem. Harpyiæ in Thracia habent uulturum corpora, aures ursinas, & facies κύρκων, (lego κορῶν, id est uirginum,) Varinus in Scylla. ¶ Lapis quandros aliquando inuenitur in cerebro uulturis, (coloris candidi, ut quidam addit,) cui uis tribuitur contra quoslibet noxios casus, & replet mamillas lacte: authores, Euax, Albertus, Syluaticus.

¶ c. In cane requiritur uulturina sagacitas, Budæus. ¶ Et qui uulturibus seruabat uiscera Dacis Fuscus, Iuuenalis Sat. 4. Lingua exerta auido sit data uulturio, Catullus. ¶ Δρύτροον Græcè aliqui rostrum interpretantur. eo autem quæcunq; ederint lancinant uultures. τότῳ δὲ δρυπόσσιν ὃ ὧν ἐδίσσιν οἱ γῦπες, τῇ κρύσει τοῦ βάμφους, Varinus. οἱ δ' ἀνεισὰς ὧν χρεώστας γυπῶν δίκλιν ἔδοσι καὶ ὑποκείρσιν κἀνδὸς δ' ἀρύτροον εἴσω δωόντες, Plutarchus in libro de nõ accipiendo mutuo pro fœnore. τῦπε δ' ἐμὲ μὴν ἑκάστοθε παρημένω ἤπαρ ἔκειρον Δρύτροον ἔσω δωόντες, Homerus de Tityo. οἱ δ' ὣς γαίῃ Κέατο γύπεσσιν ποτὶ φίλτροι ἢ ἀλόχοισιν, Iliad. λ. Πολλὸς δὲ κώων καὶ γῦπες ἔδοντες Τρώων, Iliad. σ. Τοὶ μὲν κύν' ἐ κώων καὶ γῦπες ἔδοντες, Iliad. χ. Τῷ σ' ὣδάδε γῦπες ἔδοντες, Odyss. χ. Ἐπὶ ποῖον ἱερῶν καλεῖς Ἁλιαίετος καὶ γῦπας; οὐχ ὁρᾷς ὅπη Ἴκλινθ' εἰς αὖ ξύρ οἰχνεῖ ἁρπάσας; Aristophanes in Auibus. Μηδὲ πικάσσα κυσὶ ῥίψῃς γυψὶν ἕλωρα, Phocylides. Τῷ σε χρὴ παρὰ δαῖτα δεδεγμένον δύφρονι θυμῷ Πίνειν; μηδὲ βορὴ κεκαπνωμένον ἠΰτε γῦπα Ἥδαι πλημμύροντα λελασμένον δύφροσυνάων, Panyasis apud Stobæum. Vulturem aliqui sepulchrum uiuum dixerunt. uide suprà in a.

¶ e. Oculum uulturis si quis manu dextra gestet, gratiam & fauorem omniũ quibus cum uersabitur, sibi conciliabit, Obscurus. ¶ Os eius uel rostrum cum lingua gestatum facit ad itinera nocturna. fugat enim dæmones & feras & omne reptile, & cuncta animalia. & uiriliter dicamus omnem uictoriam, & rerum abundantiam, sermonum facundias, & causas, & gloriam ac honorẽ portanti acquirit. Porta ergo cum lingua & oculos, & seruabis corpus tuum ab omni castitate, Kiranid. ¶ Cor uulturis habentes, tutos esse ferunt ab impetu non solum serpentium, sed etiam ferarum latronumq;, ac regum ira, Plin. Cor uulturis ligatũ in pelle lupina, si circa brachium habeas, nullum medicamentum nocere tibi poterit, nec serpens, nec latro, nec ulla malicia, nec quidem phantasma senties, Sextus. Eum qui gestauerit cor pulli uulturis, omnia dæmonia fugient, & maximæ feræ, habebit autem is quoq; gratiã cum apud omnes homines, tum mulieres, & locuples uiuet. idem gestatum rebus in omnibus uictoriæ cõpotem reddit, Kiranid. Adulti uulturis cor elixum & datũ in cibo latenter, aut siccum datum in potu mulieri, magnam amicitiam & desiderium lasciuum eius facit, Idem. ¶ Eiusdem pedes gestati ad facundiam sermonum, & lucrum, & taciturnitatem inimicorum, & uictoriam ab aduersariis summè faciunt, Idem. ¶ Vngues eius combusti, & cum uino uetere soluti, totiq; corpori inuncti, & poti, ad uictoriam de inimicis summè faciunt, Kiranid. Qui pedem uult, in mensa habuerit, tutus est à ueneno, Obscurus. Sunt qui hac spe ducti candelabra è

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 798 sur 825

uulturinis pedibus conficiant, arbitrantur enim si uenenum in mensa superuenerit, extinctum iri candelam quæ inserta fuerit tali candelabro, ita ut infima cãdelæ pars uulturis pedem attingat, nam pars (sinus) superior cui inseritur candela ex metallo additur. ¶ Si quis cum modico uerbenacæ herbæ & fimo uulturis fumum fecerit super siccario (sic habet codex nosterm anuscriptus) decident folia, Kiranides 1.10.

¶ g. Si mulier cerebro uulturis liquefacto inunxerit uentrem suum per 7. dies, & uiri etiam uentrem inunxerit, non concipiet omnino, Kiranides. Vulturis crus si ablata carne suspendatur supra eius excoriatum, auferetur dolor, & sanabitur, Rasis. Corium cauillæ eius si applicetur podagrico, dextrum lateri dextro, sinistrum sinistro, prodest manifestè, Idem.

¶ h. Inimicus si quid delinquas inhæret affixus scrutaturq́. & profectò uulturum exprimere uidetur mores, hi quippe tabida tantum consectantur cadauera, nam pura beneq́ habentia ne sentiunt quidem. Consimiliter inimicum uitæ modo labes mouet, ægra illum excitant ac quæ computruerint, Cælius ex commentariolo Plutarchi de utilitate ab inimico capienda. Creditores in foro debitores tanquam loco miseris assignato uulturum instar exedunt & arrodunt, rostro in eorũ corpus inserto, δ' ὀρτηρον ἔσω δωόντες, Plutarchus in libello de non accipiendo mutuo pro fœnore. De uulturijs scitus admodum narratur apologus aduersum fœnore sese illaqueãtes: Vulturius quidam uehementer agitatus uomere amplius cœpit, simulq́ etiam queri, ac sese affligere, quòd intestina eiectare uideretur. Pax sit rebus, inquit alter: non est quòd ægro sis animo. neque enim tui euomis quippiam, sed cadaueris portiones, quod nuper conscidimus. Eadem ratione fœnore adobruti non agros euomunt distrahuntq́ proprios, sed fœneratoris, quem ijs dominum præfecerunt, Cælius.

¶ Fulgentius in Mythologico Promethei iecur apud inferos non ab aquila, sed à uulture corrodi tradit, & perbellè interpretatur, cui & Petronius Arbiter in his hendecasyllabis congruit: Cui uultur iecur ultimum pererrat, Et pectus trahit, intimasq́ fibras, Non est, quem tepidi uocant poetæ, Sed cordis mala, liuor atque luxus. Vide in Aquila h. ¶ Ales auida, pro uulture iecur Tityi iugiter exedente, Seneca in Herc. furente.

Vulturis atri pœna, Iuuenalis Sat. 13.

Nec non & Tityon terrę omniparentis alũnum
Porrigitur, rostroq́ immanis uultur obunco
Viscera rimaturq́ epulis, habitatq́ sub alto

Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Immortale iecur tondens, fœcundaq́ pœnis
Pectore, nec fibris requies daꝛ ulla renatis, Vergilius 6. Aeneid. ubi Seruius, Tityus (inquit) secundum aliquos filius Terræ fuit, secundum alios à terra nutritus. unde elegit sermonem poeta quo utrunq́ significaret: nam alumnum dixit. Hic amauit Latonam, propter quod Apollinis telis cõfixus est. Damnatus est autem hac lege apud inferos, ut eius iecur uultur exedat. Quanquam Homerus uicissim dicat duos uultures sibi in eius pœnam succedere: unde hæc canit de Tityo:

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐεικυῖ' ἐϑ' υἱόν,
Τὸν τε δύ' μὲν μιν ἐκάτερϑε παρημένω ἧπαρ ἐκειρον,

Κάμπυον ὃν δ' Ἀπέλλω, ὁ δ' ἐπ' ἰφθίμα κοῦτο πέλεθρα.
Δρ' ὀρτηρον ἔσω δωόντες. Per hoc quod porrigi eum canit ad nouem iugera, quantum ad publicam (primam) faciem, magnitudinem ostendit corporis: sed illud (aliud) significat, quia de amatore loquitur, libidinem latè patêre. Sanè de his omnibus rebus mirè reddidit rationem Lucretius, & confirmat in nostra uita esse omnia, quæ finguntur de inferis. dicit enim Tityon amorem esse, hoc est libidinem: quæ secundũ physicos & medicos in iecore est, ut risus in splene, iracundia in felle. Vnde etiã exesum à uulture, dicitur in pœnam renasci. etenim libidini non satisfit re semel peracta, sed recrudescit semper: unde ait Horatius, Incontinentis aut Tityi iecur, Hæc Seruius. Cui uacat, adeat etiam Eustathium. ¶ Eurynomus dæmon, quẽ mortuorum carnes arrodere fingunt, ita ut nihil præter ossa relinquat, colore pingitur inter cœruleum & nigrum, qualis est muscarum quæ carnibus insident: & dentes exerit, & pellis uulturis ei substernitur, Pausanias.

¶ In Onirocriticis scribit Artemidorus in Italia ueteri lege uultures à nemine solitos necari: quin & illis insidias cõcinnantes ἀσεβεῖς (inquit) opinabantur, Cælius. Marti sacros censuit uultures ueterum auctoritas, uti scribit Phurnutus, quoniã plurimi uisantur ubi sint πτώματα πολλὰ ἀρίφατα, Cælius. Easdem uolucres Iunoni sacras Aegyptij ducunt, atq́ earum pennis Isidis caput, & uestibulorum fastigia ornant, Aelianus. in Græco manuscripto codice nostro legitur, ὅτι τῶν πτερυλαίων ὀρόφοις ἐκπεπόνηται γυπῶν πτέρυγας. hoc est, sub fastigijs uestibulorum alas uulturum eos insculpsisse. Vultur pictus Mineruam & Iunonem significat Aegyptijs, imò deam omnem, Orus. uide suprà in a. inter Icones. Vulcanum indicantes Aegyptij, scarabæum & uulturem pingunt: pro Minerua uerò uulturem & scarabæum, ut suprà inter icones docuimus. ¶ Quòd si animantiũ cruore affici untur superi, cur non mactatis illis canes, uulturios? &c. Arnobius contra gentes.

¶ Accolæ Phasidis fluminis homines quosdam facinorosos in uoraginem impiorum dictam (εἰς τὸ καλούμενον βόμον τῶν ἀσεβῶν) iniijciunt, ea ferè rotunda est, & puteo consimilis: & quod iniectum fuerit post trigesimum diem in Mæotin paludem uermibus iam refertũ eructat. ubi uultures subito & ex improuiso inuolantes dilaniant, authore Ctesippo in Scythicis, Plutarchus in libro de fluuijs. ¶ Barcæi gens Hesperia ex aliquo morbo mortuos, ut muliebriter & ignauiter defunctos, ad notandam mortis ignominiam igni cremant: eos uero qui in bello morte occubuerint, ut summa uirtute ornatos, uulturibus deuorandos obijciunt: quòd eas aues sacras existiment, Aelian. Diogenes dicebat, si mortui ipsius corpus à canibus lacerari contingeret, Hyrcaniam fore sepulturam: sin uultures,

tures, ἀετῆιον, ut Stobæus annotauit, ubi pro ἀετῆιον uoce deprauata, fortè βαρκαίων legendum fuerit, quanquam non hos ſolum, ſed Indos etiam & Iberos & Caſpios corpora defunctorum uulturibus lancinanda propoſuiſſe legimus.

¶ Auguria ex uulturibus. Quid eſt quòd Romani uulturibus ad auguria maximè utuntur? An quia etiam Romulo urbem condenti uultures duodecim apparuerunt? Vel quoniam auium omnium hæc minimè frequens & cõſueta homini eſt, neq; enim facilè quiſquam in uulturis nidum inciderit, derepente enim & inopinatò aduolant alicunde è longinquo. quo fit ut eorum aſpectus ſemper aliquid ſignificet. Vel hoc etiam ab Hercule didicerunt, ſiquidem omnium maximè, ſi uerè dicit Herodorus, (aliâs Herodotus Ponticus, ut legitur in uita Romuli,) uulturibus gaudebat Hercules qui circa rerum gerendarum principia comparuiſſent: ut qui uulturem inter cunctas carnificioras aues iuſtiſsimum exiſtimaret. Primum enim nullum animal uiuum attingit, neq; animatum ullum interimit, quod aquilæ, accipitres & nocturnæ aues faciunt, ſed extinctis tantum corporibus paſcitur: & inter ea etiam ſuo generi parcit. nunquam enim uolucrem aliquam guſtare uiſus eſt uultur, cum aquilæ & accipitres cognatas maximè aues perſequantur & feriant. atqui iuxta Aeſchylum auis auem deuorans pura eſſe non poteſt. Deinde hominibus etiam ferè minimè nocet, cum neq; fruges conſumat aut uaſtet, neq; ſtirpes nec animantes manſuetas lædat. Quòd ſi, ut Aegyptij fabulantur, omne genus eorum fœmineum eſt & hauſto ſubſolani flatu concipiunt, ut arbores fauonio, prorſus firma certaq; ab eis ſigna colligi probabile fuerit: cum in cæteris auibus ex libidinis motu, rapinis, fugis & perſecutionibus, magnam turbationem & inconſtantiam oboriri neceſſe ſit, Plutarchus in Quæſtionibus rerum Romanarũ 89. & partim in uita Romuli. Vulturius à Feſto numeratur inter alites uolatu auſpicia facientes. Vulturum conſpectum Ariſtoteles & Plinius ſemper in malum retulerunt, Niphus. Hîc uultur, hîc luctifer bubo gemit, Seneca de palude Cocyti. Vulturem auem in augurio infœliciſsimam: id eſt, innocuos (an quia uultur nõ nocet uiuis?) homines facilè eſſe infelices, Plutarchus in Symbolis Pythagoricis. Vulturemq; frequenti foro in tabernaculum deuolaſſe, Liuius 7. belli Punici. Sæpe uulturem in ædem Iouis aut deorũ uolaſſe prodigij loco receptum, ideo uelut portentum maliq; auſpicij procuratum fuit, Alexander ab Alexandro. P. Craſſo, Q. Scæuola coſſ. uultures canem mortuum laniantes occiſi ab alijs & comeſi uulturibus, Iulius Obſequens. L. Sylla, Q. Pompeio COSS. Stratopedo, ubi ſenatus haberi ſolet, corui uulturem tundendo roſtris occiderunt, Idem. Dareio accipitrum uiſio duo uulturum paria uellicantium, omen fuit quòd è coniuratis ſumpto ſupplicio, haud multò pòſt Perſarum regno potiretur, Alex. ab Alexandro. ¶ Romulus & Remus urbem condituri, conuento inter ſe ſequundis auibus dijudicare litem (de loco urbis,) diuerſa loca ad inaugurãdum capiunt. Priori Remo augurio ueniſſe ferunt ſex uultures, cum duplex numerus Romulo ſe oſtendiſſet. Sed dicitur à quibuſdam uerè Remum uidiſſe, Romulum uerò eſſe ementitũ: ſed cum acceſsiſſet Remus, tunc Romulo duodecim apparuiſſe: inde manſiſſe morem Romanis ex uulture augurãdi. Meminit etiam Plinius de uiris illuſtribus cap. 1. Scripſit Varro Terentius in libris Antiquitatum (inquit Petrus Crinitus in opere de honeſta diſciplina 16. 5.) fuiſſe Romæ Vectium in augurandi diſciplina nobilem, eumq; affirmaſſe futurum Rom. imperij terminum, poſt M. & CC. annos: ſi modò, inquit, uerum foret quod in hiſtorijs annalibusq; Romanis traditur de XII. uulturibus, quas poeta Ennius corpora ſancta appellat. Sic autem Varro, Si uerum eſt quod de Romuli augurio traditur in condenda urbe, deq; XII. uulturibus, ad M. & CC. annos Romanus populus perueniet, cum CXX. annos incolumis præteriſſet. Qua in re factum eſt quidem iudicium ex numero alitum, ut ſingulæ uultures centenos annos portenderent. Cenſorinus uerò in perquirendis ueterum monumentis uir diligens, & qui M. annos ab urbe condita uixit, minimè ad ſuum iudicium pertinere aſſeruit hoc ipſum dijudicare, ne in re parum comperta minus prudenter poſteritati faceret impoſturam: quod his ferè hominibus accidit, qui maiore ſtudio quàm conſilio fortunæ aleam penſant, temporumq; uarietatem conſiderant. Cæterum tali ſententiæ Vectij uidetur annorum numerus conuenire. ſiquidem CC. annis poſt authorem Cenſorinum adiectis, imperantibus Cæſaribus Conſtantijs, Romana illa dignitas conſumpta eſt, quæ Italiæ fines egreſſa Byzantium urbem ſe recepit. Nam ingruentibus in Italiam Vnnis, Vandalisq; & Gothis, tum maximè Rom. imperium cladibus multis affectum eſt atq; deletum. Quòd autem XII. uultures auſpicij fœlicitatem Romulo prænotaſſent, cum hiſtoriæ multorum teſtantur, tum Q. Ennius in annalibus: qui Romulum inquit ipſum in Auentino monte ſeceſsiſſe, ad auſpicium capiendum de urbe condenda & nomine imponendo. itaque ſtudijs ſummis de hoc inter eos peractum refert. Certabant urbem Romámne Remámue uocarent. Omnibus cura uiris uter eſſet induperator, Hæc omnia Crinitus. Eadem partim Cælius Rhod. repetit Lectionum antiquarum 27. 8. & inſuper, Scribit (inquit) libro 16. Paulus Diaconus, Adouacrem cum fortiſsima Herulorum manu Italiam irrupiſſe, quo percuſſus terrore Auguſtulus purpuram ſponte depoſuit: ac ita cõditæ urbis anno milleſimo ducenteſimo uigeſimo nono, Occidentis imperium finem eſt aſſequutum, anno ab incarnatione Verbi quadringenteſimoquinto. Cæterum quod uultur unus, ut Crinitus tradit, annos centum ſignificaſſe exiſtimetur in auſpicio Romuli, inde forſitan ſumptum eſt, quòd uita ſingulorum centeſimum ferè annum attingere putatur. quanquam Aegyptij uulture picto annum unum duntaxat ſignificarint, propter cauſam in C. expoſitam: nempe quia annum totum hæc ales in conceptu, in partu & incubitu ouorum,

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 800 sur 825

& pullorum educatione consumat. In somnis apparens uultur annum significat, Io. Zzetzes. Romulus in Palatino colle ex duodecim uulturibus optima auguria egit. Nam ex auium numero commutatione in duodecim homines facta, principes totidem Romanos, quot aues perspexisset, uirgis antecedere iussit, Aelianus. Cæsar quum in campum Martium exercitum deduceret, sex uultures apparuerunt, conscendenti deinde rostra, creato consuli, iterum sex uultures conspecti, ue luti Romuli auspicijs nouam Vrbem condituro signum dederunt, Iul. Obsequens. Octauio Augusto primo consulatu augurium capienti, duodecim se uultures, ut Romulo ostenderunt, Suetonius. Auctor est historicus Dion post Cæsaris cædem Octauio in campum Martium descendenti uultures sex augurium fecisse, mox uerò apud milites concionanti duodecim: unde ab eo coniectatum Romuli monarchico se principatu constanter potiturum, Cælius.

¶ Quòd stragem designent exercitus quem sequuntur. Vultures tradunt futurã stragem præsensione quadam mirè percipere: & comprobat in Hexaëmero magnus Basilius, Celius. Expeditos in bellum exercitus præsensione quadam consequuntur, planè scientes & quòd ad bellum proficiscuntur, & quòd omnis pugna strages edere solet, Aelianus. Traditur ingruentis mali certissimum haberi præsagium, ubi exercitum uultures insequantur, Cælius. Si uultures, corui, & (aut) aquilæ in unum coirent, eædem haud dubiam interpretabantur, Alexander ab Alexandro. Huius quidem (ex uulturum præsensione) augurij rationem scrutari difficillimum censuit Albertus, ni fiel larum potestate occultiore fieri, collibeat credere, Cælius. Auium quarumuis quæ cadaueribus uescuntur, (ut sunt uultures, aquilæ, cornices, gracculi, milui,) agmẽ cum in aliqua regione apparuerit, ac per aliquot dies ibi sederit, esse futuri excidij signum, cõsentiunt omnes, Niphus. Solent uultures mortem hominis quibusdam signis annunciare, cum enim lachrymabile bellum acies inter se instruunt, multo uultures sequuntur agmine, & eo significant, quòd multa hominum multitudo bello casura sit, futura præda uulturibus, Ambrosius. Communis hominum opinio est uultures in exercitibus gregatim uolantes esse futuri excidij præsagium. Vultures enim & aquilæ ultra maria cadauera sentiunt, altius enim uolantes, quæ multa montium obscuritate cælantur, ex alto conspiciunt: & non modo præsentia, uerùm etiam (ut Plinius inquit) biduo aut triduo futura, Niphus. Vmbricius haruspex uultures tradit triduo ante aut biduo uolare eò, ubi cadauera futura sunt, Plinius. Hoc quidem (inquit Niphus) experientia cõstat: & in excidio Troianorum ita accidisse meminit Aristoteles in augurijs. Iam quasi uulturij triduo prius prædiuinabãt, quo die esurituri sient, Plautus Trucul. Limitem significantes Aegyptij uulturem pingunt, quòd cum belli conficiendi tempus instat, locum ubi pugna committenda sit, septem antè diebus ad eum accedens præfiniat & circunscribat, Orus. Et mox, Præsagium quoq; eodem picto repræsentant, tum eandem ob causam, tum etiam quòd ad eam exercitus partem se conuertere soleat, ubi maior sit futura clades, sibi ex cadaueribus alimentum seponens, ac in futurum prouidè reseruans. Vnde & prisci reges exploratores mittebant, per quos in utram aciei partem respexissent uultures, cognoscerent, indeq; uincendos ac internecina strage delendos colligerent, Idem & Aelianus. Vulturũ, & aliarum alitum quibus strages cadauerum pabulo est, ingens uis, exercitum aduolauit, Iul. Obsequens.

¶ PROVERBIA. Si uultur es, cadauer expecta, prouerbium usurpatum à Seneca in Epistolis 15. 96. Captatores testamentorum (inquit Erasmus) & hæredipetæ, uulgata metaphora uultures appellantur, quòd senibus orbis ceu cadaueribus inhient. Nam huic aui propriũ, cadaueribus tantum uiuere eorum quæ sponte interierunt uel ab alijs relicta sunt: non fruges, nõ uiuum quicquam attingere, & à sui generis, hoc est auium cadaueribus abstinere: hoc minùs nocens, quàm sint homines isti diuitum funeribus imminentes. Vnde mirum est hanc auem innocentissimam apud homines tam malè audire. Proinde qui diuites audent aut accusare, aut ueneno tollere è medio miluij uocantur: qui uerò duntaxat obsequijs & adulationibus aucupantur, ut misceantur testamento, uultures prouerbio dicuntur. Martialis lib. 6. Amisit pater unicum Silanus. Cessas mittere munera Oppiane? Heu crudele nephas, malæq; Parcę, Cuius uulturis hoc erit cadauer? Diogenianus in Collectaneis meminit huius adagij, sed alia figura, Ἀπὸ γύπου, id est uulturum ritu, admonet aũt dictum de ijs, qui uel ob hæreditatis, uel alterius alicuius emolumenti spẽ insidiantur cuipiam. ¶ Vulturis umbra, γυπὸς σκιὰ, de nullius precij homine dicebat. Refertur à Diogeniano. Mihi magis quadrare uidetur in hæredipetas, aut alioqui rapaces inhiantesq; prædæ, Respondet illi, Si uultur es, cadauer expecta, Erasmus. γυπὸς σκιὰ, παροιμία ἐπὶ τοῦ μηδὲν λόγου ἄξιον ὑπὸ φθόνου πραττόντων, Hesych. & Varin. Suidas uerò simpliciter, ἐπὶ τοῦ μηδενὸς λόγου ἀξίου. ¶ Profert iam cornua uultur, Claudian. lib. 1. in Eutropium de re minimè uerisimili. Sola quidem auium tragopanas cornuta scribitur à Plinio, sed fabulosa ut arbitratur. ¶ Vulture edacior, tanquam prouerbiale memoratur Erasmo, idem Germani sic efferunt, **Fräſſig wie ein Gyr.**

¶ Leæna & aper dum certant, uultur spectator prandia captat, Alciatus in Emblematis.

¶ Emblema eiusdem quod inscribitur Opulenti hæreditas:

Patroclum falsis rapiunt hinc Trões in armis,
Obtinet exuuias Hector, Græciq; cadauer:
Maxima rixa oritur, tandem sed transigit hæres,
Hinc socij atq; omnis turba Pelasga uetat.
Hæc fabella agitur cum uir opimus obit.
Et coruis aliquid uulturijsq; sinit.

FINIS.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 801 sur 825

APPENDIX DE AVIBVS NONNVLLIS IGNOTIS, VEL INNOMINATIS, VEL QVARVM NOMINA IN DIVERSIS LINGVIS EXTRA GRAECAM & Latinam reperimus: & de quibus, an ulli auium suprà à nobis descriptarum ceu cognatæ adiungi possent, incerti eramus.

Ξάνθοισιν, ὀρνέοις, Suidas.

¶ Τράπιν, genus auis, & cicadæ uel serpentis exuuium, Hesychius & Varinus. Poterant quidem hæc duo auium nomina, in præcedenti uolumine ordine literarum suo collocari, sicut & alia non pauca posuimus, ordinis literarum duntaxat respectu habito, etsi ad quod genus quámue cognationem referri deberent, incertũ esset. Eæ uerò quæ sequuntur uolucres, cum & innominatæ sint, & genere etiam suo nobis ignotæ, non alio quàm hoc loco memorari potuerunt.

¶ Eumeliq; domum lugentis in aëre natam Respicit, Ouidius 7. Metam. sentiens de Eumeli filia in uolucrem innominatam mutata.

¶ Aspilatem gemmam Democritus in Arabia gigni tradit, ignei coloris. eam oportere cameli pilo spleneticis alligari, inueniriq; in nido Arabicarum alitum, Plinius.

¶ In insula Sylan aues sunt bicipites, magnitudine anserum, Odoricus de Foro Iulij.

¶ In insula Ascẽsionis dicta uidimus complures aues, anatum nostrarum magnitudine: uerùm adeò simplices doliq; expertes, ut quo minus (ut comminus) manibus eas corripere liceret nauim circumuectas. Sed ubi corripueris, ferociam præ se ferunt incredibilem, cum prius quàm caperentur ueluti stupidi ad omnem conspectum nos instar miraculi cuiuspiam contuerentur, unde conijciebamus hominum aspectum eis planè insolitum esse. insula enim inhabitabilis est, Ludouicus Romanus Nauigationum suarum lib. 7. cap. ultimo.

¶ In tabula Regionum Septentrionalium Olai Magni circa B. literam in lacu quodam auis pingitur, magna, ut uidetur, rostro oblongo serpentem tenens, capite cristato. Sed neq; nomen eius neque historiam ullam in Tabulæ explicationibus reperio.

DE AVIBVS QVARVM NOMINA ITALICA tantum audiui.

ARZAVOLA, *Chorchalone* maior & minor, *Cholanze*: *Chorchalle* diuersorũm generum, albæ & nigræ: *Chouaduri*, *Fangarolla*, *Felizete* aut *Souige*, *Giuara*, *Guachi* albi & nigri, *Lagan*, *Penazi*, *Piueri*, *Sporzana*, & *Strapocino*, omnes circa Ferrariam reperiuntur & piscibus uiuunt. Inter has corcallæ fortè cepphorum siue larorum generis sunt. Cochalli ab alijs uocantur aues, gallina maiores, albissimę, qua piscibus uictitare uidentur. assiduè enim circa aquas tum marinas tum fluuiorũ (Padi, Ticini & aliorum magnorum) uolitant. In cibum ueniunt tum ipsi, tum oua eorum, quibus magnitudo quæ anserinis. Vide suprà in Capite de larorũ generibus diuersis apud recentiores. *Piuero* forsitan ea est auis quam Galli & Germani quidam pluuialem uocant.

¶ BARELLO auis ad prædam in manu gestatur.

¶ Vermibus & muscis & alijs insectis uescuntur *el chullo biancho* (quasi albicillam dicas à cauda alba, uide suprà in Oenanthe) auis quæ degit in agris aratro proscissis, œnãthe forsan: *la rezestolla* alba & cinerea & ruffa: item *Pendolina*, omnes circa Ferrariam sic dictæ. ¶ Ibidem *Spargadollo* & *Langanino* aues granis & seminibus uescuntur.

¶ FORSANELLI uulgò Patauij dicuntur aues turdorum magnitudine, rostro duos digitos longo rubroq;, pectore cinereo, palustres, ut suspicabatur qui nobis retulit.

¶ GARDE, auis sic uocata, Syluaticus. ardea fortassis.

¶ NITORAN auiculę inescantur melle & scaiola: quod granum esse aiunt panico æquale, oblongius, cortice similiter tectum ut panicum, ex Hispania uehi.

¶ PAIPO de ualle, paruus & magnus, circa Ferrariam.

¶ PAIPO, auis cauda bifurcata, parua, ibidem.

¶ PANEDRA piscibus uiuit.

¶ QVARO, albus & niger, qui uolat per campos, circa Ferrariam.

¶ TOTONE Patauij dicitur auis à uoce quam ædit, & Ferrariæ rundine di mare, id est hirundo marina. est enim hirundini similis, sed duplò maior, plumis in capite nigris ut audio. Quærendum an cepphi aliquod genus sit. Nos inter gallinas aquaticas totani Italicè dicti auis diuersæ iconem dedimus.

¶ Auis quædam habetur circa Patauium magnitudine gallinæ, rostro tenui, palmum lõgo: tota ferè ex cinereo coloris ferruginei, uentre albo, tibijs longis, lacustris, ut quidã ex Italia reuersus nobis dictauit. Hanc equidem inter gallinas aquaticas numerârim cum totano & limosa uulgò dictis.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 802 sur 825

DE AVIBVS QVARVM GALLICA TANTVM nomina ad nos peruenerunt.

AIGRETTE nominatur à Bellonio.

BIIEN auis quædam Sabaudis.

BLEREAV auis apud Gallos, ut quidam nobis retulit, cum melem alioqui, id est taxum, sic appellent Galli.

BVBO auicula cantillatrix, quæ Chamberiaci in cauea nutriri solet, & singulæ denario aureo uæneunt, à bubone nocturno toto genere diuersa.

CANNE grigne, genus anatis minoris puto.

CANNE petiere Bellonio auis est, cui circulus ambit pectus sicut in merula torquata & perdice Damascena. Vide mox in aue Guillemot.

CHARGAIS auis apud Sabaudos fusca & alba, quaterna parit oua. Eadem, ni fallor, alio nomine torcu appellatur, auis uulgò maledicta, & minimè musica. uide an iynx.

CHEVALIER, id est eques, cuius meminit Bellonius in Singularibus.

CRIBLETTAE dictæ Sabaudis aliæ albæ sunt, aliæ cœrulei coloris & criblettæ marinæ cognominantur.

CROCHERANT per onomatopœiam Sabaudicè dicta est à uoce crot crot.

GROLLE auis similiter nomen meruit à uoce grol grol, apud Sabaudos; rostro ruffo, & pennis pellucidis.

GVILLEMOT Gallicè dicta ternas tantũ in pedibus digitos habet, ut pluuialis etiam, et canne petiere, (quod genus est lagopodis attageni simile,) & pica marina uulgò Gallis dicta, Bellonius in Singularibus.

MARGAIRES à Sabaudis uocatæ aues albæ sunt, aliæ ruffæ, aliæ nigræ.

PEREGRINAS quasdam auiculas uulgò appellant, Budæus in Pandectis.

QVINSON auicula est Sabaudis, magnitudine passeris.

TORCOL auis quædam ijsdem: iynx forte, quæ collum torquet.

DE AVIVM QVARVNDAM NOMINIbus Germanicis.

Büchbisser.

Flügelschlapp.

Gickerlin uel Guckerlin, uel Grienvögelin, auicula muscis uictitat: quamobrem circa pecora & armenta uersari solet, quòd muscæ circa ipsa abundẽt. Ante hyemem plurimæ collectæ auolant. Color per dorsum fuscus, (ut pictura indicat) partim ex fusco subuiridis, ut in lateribus quoque & parte alarum. pectus nigris maculis distinguitur in albo, uenter sine maculis albicat. in cauda superius, & maiores alarum pennæ nigricant. crurum color roseus. rostrum rectum, & reliqua species, ut in icone apparet, quam ut à pictore Argentoratensi accepi hîc apposui. Milio quoq; pinguescit, ut audio.



Hünckel nescio quæ auis memoratur ab Hier. Trago.

Oefener Francfordiæ ad Mœnum auicula quædam minima, & suauiter canora ni fallor.

Wamber, si bene memini, alicubi nescio cuius auis nomen est.

Wegfleckli

Wegfleckẽlin, auis circa Argentoratum dicta, magnitudine & specie phœnicurũ seu ruticillam refert, collo & pectore cœrulei coloris diluti, maculis distincti nigris: capite, cauda superiùs & maioribus alarum pennis nigricat, reliqua pars prona fusca est. sed circa orrhopygium, & in cauda supina & uentris superiorè parte color ruffus est, reliqua pars supina albicat. rostrum fuscum, longiusculum: crura rubicunda, ut ex pictura Argentorati expressa descripsi, quam hîc exhibeo. Vidi &



ipse aliquãdo apud nos (raram alioqui) Septembri mense captam hanc auem, pectore cœruleo, parte inter pectus & uentrem media ex flauo subrussa: qui color etiam in pennis caudæ (supinis) non usq; ad extremum tamen, & circa orrhopygium ei erat. rostrum paulò breuius quàm hîc exprimitur. uenter cinereus, non albus ut in Argentoratensi pictura. crura fusca, non russã ut in eadem: & plumæ sub rostro statim non cœruleæ, ut in eadem, sed fuscæ & uariæ. Quærendum autem an hæc differentia ad sexum, aut ætatem, aut speciem forte eiusdem generis diuersam referenda sit. Germanicum nomen partim à uijs ei impositum est, nam circa uias, itinera & agros uersatur: & inde, ut conijcimus, uermiculos & alia in terra obuia (semina) ad cibum legit, partim à cœrulea pectoris macula, quantum coniectura assequor.

Wydengückerlin, circa Argentoratum auicula est minima, colore partim fusco, ut parte prona, partim subflauo ut supina, partim albicante, ut per latera & iuxta collum, cruscu-



lis subruffis, cuius hæc figura est, Argentorato ad nos missa. Capitur apud nos etiã interdum, & alijs noĩbus uocatur **Wyderle**, à salicibus, quas amat, ut ferunt, quãuis aquatica non sit: & **Zilzepfle** à frequẽti uoce **zilzel**/ uel **tiltapp**. muscis & araneis, alijsq; circa salices (uermiculis) uescitur: quibus ut fruatur, alias auiculas abigit. Vidi captam Iulio mense, rostro gracili, recto, &c.

Wiggügel, auis circa Francfordiam ad Mœnũ, pulcherrimis est coloribus, ut audio.

Wißkern, circa Francfordiam, si bene memini, auis, coccothraustæ nostro similis, colore fusco: cantu ut auis **Gerle** uulgò dicta.

Zierolf ibidem uocatur auis coloribus uaria, magnitudine fringillæ.

AVICVLA parua aliquando circa urbem nostram capitur, rostro tenui, recto, acuto, nigricante: minor paro, colore fusco, alis, cauda & cruribus nigricantibus, in alis tamẽ mediis maculæ transuersæ albæ sunt. species tota huiusmodi. Aucupes quidam nostrates nominant eam **Todtenvögele**, fortè quòd imminente pestilẽtia frequentiores & propius ciuitates appareãt: & **Fliigenstecherlin**, id est, muscipetam. solis enim muscis uictitat ut hirundines, quibus etiam rostrum simile gerit. Solitaria semper est: & alas subinde motitat, per arbores semper irrequieta uolitans.

QVAE circa Argentinam **Gyntel** nominatur auicula, seminibus uescitur, ut linaria, papaueris alijsq;. Gregatim uolat. Oua terna aut quater



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 804 sur 825



na parit, eo colore quo linaria. Per dorsum, caudam & caput fusca est, cruribus rubicundis: pectore ruffo, fuscis distincto maculis: uētre inferiore albicat, ut pictura præ se fert.

CIVIS quidā noster aliquando mihi narrauit, Tiguri sibi uisas aues à rusticis allatas omnibus ignotas, multis & uarijs coloribus insignes: in quibus cornei quidam processus flammeo colore rubentes digiti ferè transuersi longitudine, craſſitie pennæ anseris qua scribimus, eminuerint nescio qua parte alarum. Hæ fortè aues illæ fuerint quæ in Hercynia sylua noctu igniū modo collucent, si uerè ueteres quidā prodiderunt: nam nostro tempore nihil tale audimus, ne ab ijs quidem qui circa eam syluam habitant. Quærendum an hic sit garrulus Bohemicus, quem inter picas descripsimus, adiuncta etiam icone.

¶ A NOPE in Anglia auis est magnitudine ferè passeris, magno capite, in cuius summitate pili nigri sunt, utrinq; sub oculis maculis nigris: pectore flauo, pertranseunte nigra linea ab ingluuie usq; ad caudam. In collo plumis uirentibus, in tergo ex albo purpurascentibus. cauda, alisq; passeri similib. cæruleis: rostro nigro: per arbores repit, ibiq; uictum querit, easq; excauat: cibus est, glandes, nuces & cerasa. Dicunt eam noxiam esse aluearijs. Hæc Anglus quidam amicus noster ad nos perscripsit. uideri autem potest hæc auis picorum generis, illi præsertim cognata quem cinereū uel cæruleum picum nominauimus.

ABENAGI, auis quædam, Vetus glossographus Auicennæ.

DE NOMINIBVS QVIBVSDAM AVIVM ARAbicæ, Persicæue, aut aliarum fortè barbararum linguarum.

ADORAM nomen loci, & auis ab eodem sic dicta, quæ non reperitur in nostris regionibus, Syluaticus.

AFABYHVC auis confirmat uim retinendi, Rasis.

ALBASACH, uel basich, auis rapax ingnota nominatur ab Auicēna 2, 614. Eadem fortè est basi Hebraicè, albasi Arabicè dicta auis.

ALBEGATH, sunt aues magnæ, quæ semper uolant iuxta terrā, Andreas Bellunensis: haud scio quasuisne aues magnas & puluerātrices intelligens, an genus aliquod peculiare.

ALKALKAN, apud Rasim in libro de 60. animalibus auis esse uidetur. nam fimo eius eadem uires esse scribit, quæ sunt columbino. Caro eius (inquit) frigida est, austera, & meatus corporis obstruit. cibus ex ea lepram inducit: quinetiam ex odore iuris in quo decocta fuerit periculum est ne lepra contrahatur. Cerebrum eius, ut philosophus quidam tradidit, pondere trium aureorum in cibo datum, hominem stupidum reddit. Carnes eius & melangias quæ semen habent si pariter subacta dederis mulieri cum micis panis uel iure calido, uterum eius corrumpes. Folliculus fellis eius supra oculū suspensus salutaris est. Item pellis citrina de iecore eius mouet partum: & fimo eædem sunt uires quæ columbino.

ALKARAVEN, uide Aztor paulò inferiùs.

ALMELIKI, est auis magna aquatica, Andreas Bellunensis.

ANACANATI, id est auis mouens caput, Syluaticus.

ASSIKAKAK, multum sunt citrini, in cibo sumpti assi, & frangunt lapidem in renibus. idem facit cinis eorum, si crementur, potus, Rasis.

AZEDARAZ, auis quædam, Vetus glossographus Auicennæ.

AZTOR, uel ALKARAVEN apud Rasin de 60. animalibus cap. 42. auis (inquit) multam habet carnem, modicum habentem abominationis, temperamenti calidi: & cibus ex ea non est ualidus, Venerem tamen confirmat. Adeps eius calefacit renes, & mouet libidinem: quam ob causam reges eam inquirunt. Cerebrum eius cum æquali pondere piscis sagittæ (scinci) misceatur, & melle colato excipiatur: adiecto butyro uaccino ad pondus omnium. hoc remedium est Veneris incitatiuum. Aues omnes uenaticæ, ut aztor, aquila & similes, carnes habent crassas, neruosas & duras: & adipem sicciorem calidioremq; quàm aliarum auium uel etiam quadrupedum: & similiter fel. Sunt qui tradant carnem aztor mederi aduersus morbum capitis quem ouum appellant. Fel eius prodest contra uehemētem hemicraneam naribus immissum pōdere unius uel alterius grani cum lacte mulieris masculum nutrientis. Cum contigerit aztori tela in oculo, præpara ei lac muliebre, Hæc ille. Nomen quidem aztor accedit ad nomen astur, quod accipitrem maiorem significat, & similiter

similiter auis rapax est, sed accipitri ea remedia non tribuuntur ab alijs authoribus, quæ Rasis huic aui adscribit.

CAPTIVVS, id est auis quam uenatur draco cum debilior est quàm ut hœdos & arietes uenari possit: & hepate eius deuorato uires ac appetitum recuperat, Syluaticus.

CHERVBIM, כרובים, à singulari cherub, כרוב, formæ quibus angelorum figura in tabernaculo repræsentabatur. Hebræi animalia quædam uolucria esse suspicantur, Iosephum & ueteres illos synagogæ magistros secuti. Hieronymus ad Marcellam, In Exodo cæterisq; locis ubi describūtur uestes arte plumaria contextæ, opus Cherubim, id est uarium atq; depictum esse factum describitur: ita tamen ut uau literam cherubim non habeat. quia ubicunq; cum hac litera scribitur, animalia magis quàm opera significat. Quid si (ut eruditus quidam apud nos coniecit) uehiculum & currus triumphales eo nomine significētur: quoniam in laudibus diuinis celebratur & hoc, quòd Dominus sedeat super cherubim.

CVMEN dictæ auis caro humidiorem gignit sanguinem & subtiliorem quàm perdix, Rasis.

FETIX, auis bis per æstatem parit, & plurimos pullos æstate educat. est enim corpore parua, & breuis uitæ: cuiusmodi animalia fœcunda esse solent, & semen copiosum emittere, Albertus.

GENGES auis caro uentrem astringit, Rasis.

HABERI auis membrana interior uentriculi arida peculiari ui prodest aduersus aquam in oculum descendentem, (suffusionem,) admixto antimonio, R. Moses.

KOMOR auis quinquies uel sexies anno parit.

MADION, id est auis diuersorum colorum, Vetus glossographus Auicennæ.

SARSAR, auis est, Syluaticus. Vetus interpres apud Auicennā libro 2. cap. 660. sarsar ferrum interpretatur: Andreas Bellunensis gryllū insectum, quod probo. Scribit enim Auicenna, si oleum cui sarsar incoctus fuerit destilletur in aurem, dolorem & pulsationē eius remoueri, nisi quis malit asellos seu multipedes interpretari.

SPVMOS, id est stringulus auis, Syluaticus.

FINIS.



PARALIPOMENA QVAE CONTINENT AVIVM ALIQVOT FIGVRAS ET DESCRIPTIONES IN PRAECEDENTIBVS suis locis omissas.

ACCIPITER MINOR MAS, QVEM VVLGO NISVM VEL sperverium appellant. Sperwer.



ANAS CICVR MAS. Zamer Entrach.



HANC iconem supra pag. 95. cum eius historia posuisse oportebat: sed errore factũ est ut anatis cuiusdam marinæ icon illic poneretur, quæ Germanicè Seeuogel, id est auis marina nominatur: cuius corporis partes & colores descripsi suprà in cap. de anatib. platyrhynchis, id est latirostris, pag. 117.

DE ANA-

DE ANATE INDICA MARE, CVIVS FIGVRAM SEQVENS PAGINA continet: quæ uerò hîc exhibetur pica marina est.



EST apud nos (inquit Io. Caius, qui figuram huius auis & descriptionem ex Anglia ad nos misit) ex India anas, eadem planè corporis figura, eodem rostro & pede, quo uulgaris, sed ex dimidio maior ea & grauior. Caput illi rubescit ut sanguis, & bona pars coniuncti colli à posteriore parte. Id totum callosa caro est & incisuris distincta: quaq; ad nares finit, carunculã demittit à reliqua carne figura separatam, qualis cygnis est, rostro cõiunctam. Nudum plumis caput est, & ea colli pars quæ rubescit, nisi quòd in summo capite crista est plumea atq; candida per totam capitis longitudinem: quam, cum excandescit, erigit. Sub oculis ad rostri initium per inferna, inordinatæ maculæ nigræ carni sunt inductæ: & una atq; altera à summo oculo ad superna eleuatæ. Oculus flauescit, separatus à reliquo capite circulo nigro. Sub extremo oculo in auersum macula est singularis, separata à cæteris. Rostrum totum est cœruleum, nisi quòd in extremo macula nigrescit una. Pluma illi per totum colli processum reliquum, alba. Qua corpori collum iungitur, circulus est plumeus, niger, rara pluma alba maculosus & inęqualis, per ima angustior, sed summa latior. Post eum per totum imum uentrem pluma alba est: per summum corpus, fusca: sed ab circulo illo nigro pluma alba in summo diuisa. Extremæ alæ atq; cauda cum splendore uirescunt, ut cantharides. Tibiarum cutis fusca est, incisuris leuibus per circuitus ducta. Membrana per interualla digitorũ pedis pallescit magis, una atq; altera respersa macula fusca, incerta lege disposita, nisi in interuallo sinistri pedis, ubi sex per digiti extremi longitudinem ordine disponuntur. Tardo gradu incedit propter corporis grauitatem. Vox illi non qualis cæteris anatibus, sed rauca, qualis faucibus humanis catarrho obsessis. Maior mas est fœmina. Ea similis mari est, nisi quòd non ita uariegato corporis colore est. Viuit ex cœnosis aquis, & alijs quibus cætera uulgaris anas gaudet. ¶ De hoc anatum genere forsan intellexit Christophorus Colũbus ubi scribit, In Hispana insula turtures syluestres & anates nostris proceriores inuenimus, anseresq; oloribus candidiores, capite tantum rubeo.

DE MERGO MARINO.

MERGVS marinus Venetijs uulgò dictus mergo di mare, magnitudine anserem syluestrem æquat, palmipes, tergo plumis tecto cinereis, cum maculis nigris inspersis: uentre candido: rostro tres digitos longo & tenui, ut amicus quidam ad nos scripsit.

ANAS QVADRVPES, CVIVS HISTORIAM HABES SVPRA CIRCA finem paginæ 117, in Capite de anatibus, quas Ge. Fabricius apud Misenos nobis descripsit.



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 808 sur 825

DE PICA MARINA PALMIPEDE.



AVIS quædam marina eſt (inquit Io. Caius Anglus, qui pariter etiam iconem miſit) anatis magnitudine & figura corporis, pedibus palmatis & rubeſcentibus, ad poſteriora magis poſitis quàm ceteris palmipedibus: roſtro tenuiore magis latitudine ſe demittẽte, quàm longiore proceſſu ſe extendente, quatuor inciſuris rubris à ſumma, duabus ab ima parte ſulcato, in colore pallentis ochræ. Quod inter has & caput eſt, ſubcœruleum eſt, & ea figura, qua luna eſt, cum exacti dies decem ſunt à coitu. per ſumma corporis totius nigreſcit, niſi qua oculi ſunt, qui in albo conſtituti ſunt: per ima exalbeſcit tota, niſi ſummo pectore, qua nigricat. uiuit ex mari. Latitat in cauernis, ut charadrius. eam ob rem educta è cuniculi cauea auis eſt, loco non procul à mari poſita, à uenatore quodam immiſſa uiuerra. Si animo conceperis totam hanc auem albam eſſe, ac dein ſuperinductam illi ueſtem nigram cucullatam, tum ſi aliud nomen deſit, fratercula marina rectè ex argumento dici poſſet. Et rurſus, Hanc auem ioco fraterculam uocaui: ſeriò forſan pica marina nominari poteſt, donec aptius nomen occurrat.

DE AQVILAE GENERE QVOD IN ALTISSIMIS RHAETORVM ET Heluetiorum montibus reperitur: cuius iconem dedimus cum aquilæ hiſtoria pagina 163.

HAEC auis extenſa à roſtro ad extremos ungues, quinq; dodrantum longitudinem habet: ad caudam uerò extremam, quinq; dodrantum & palmi unius. Alæ ſunt ingentes, in quibus longiſſima penna longa eſt dodrantes tres. Collum cum roſtro duos habet dodrantes. Colorem non unum habet, ſed plumas, alibi fuſcas, nigricantes, alibi charopas rufas: quemadmodum & in alis: pennæ in alis quo maiores ſunt, eò magis nigricant: quo minores, eò plus rufi habent. pedes denſi ſunt plumis ad digitos uſque pedum, qui perquam craſsi, ſquamoſi, & flauo colore ſunt. Vngulæ aduncæ, robuſtæ, nigræ. digitus craſsior, alioqui breuior, ſed ungue longiſsimo, inſtar pollicis tribus reliquis opponitur, qui longiores quidem ſed minus craſsi ſunt, & breuioribus unguibus. Callum in medio manus carnoſum & amplum ueluti uolam habet. Medius digitus humani medij longitudine eſt. Roſtrum tribus aut quatuor digitis lõgum, aduncum, nigrum: inferius, quod cauum, canaliculatum & rectum ferè eſt, ſubit cauitatem ſuperioris. In collo prono pennulæ ſunt uario colore rufo & albido ſplendentes, ueluti in gallinaceo.

DE OENA-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 809 sur 825

DE OENADE, CVIVS ICONEM EX MONTE peſſulo Guil. Rondeletius ad nos miſit.



OENAS, columbacei generis eſt, columbo maior, palumbe minor, ἐλάττων φαβὸς, Ariſtot. eſt autem phaps palumbus minor, phatta palumbus maior, ut in Palumbis hiſtoria docuimus. nec plura de hac aue quiſquam ueterum. Scribitur autem Græcè οἶνας apud Ariſtotelem, (ut Gaza quoq; legit, qui uertit uinago,) Athenæum & Euſtathium. Rondeletius tamen uir doctrina & iudicio præſtantiſſimus ἴνας per ἰῶτα tantum in prima legendum cenſet, ut ita dicatur hæc auis ἀπὸ τῶν ἰνῶν, hoc eſt à fibris carnis. ita enim fibroſa & dura eſt, ut neq; edi neq; ad cibum parari niſi detracto tergore commodè poſſit. Auis eſt gregalis, & circa Monſpeſſulum uulgò angelus (un angel) uocatur: ſimillima perdici, ſed roſtro & pedibus nigris. plumis ex fuſco colore in nigrum uergentibus, & luteis in ruffum. cætera, magnitudine præſertim, perdici perſimilis, ut Io. Culmannus noſter pereruditus ac diligens iuuenis ad nos perſcripſit. ¶ Ego eandem auem eſſe conijcio quæ apud Arabes ſcriptores alchata, uel alſuachat, & ſilacotona nominatur: uide ſupra in Capite de Palumbe, A. circa finem. hoc unum fortè obſtiterit quòd pedes alchatæ perbreues tribuit Belluneñ. hoc tamen non impediet quin ſaltem eiuſdem generis proximi ſpecies ſint diuerſæ. & ſanè angelo etiam Monſpeſſuli dicto, ut pictura oſtẽdit, pes propriè dictus, hoc eſt inferior & digitatus, breuis eſt proportione, & poſtremus digitus minimus. ¶ Cognata omnino auis eſt etiam quæ à Bellonio perdix Damaſci uocat̃, & deſcribitur ab eo in Singularibus obſeruationibus quas Gallicè ædidit, libro 2. cap. 93. niſi quòd minor eſt & cauda breuiore. Perdix Damaſci (inquit) minor eſt tum maiore tum minore perdice noſtrarũ regionum. Color ei in dorſo & collo ſuperiùs qui becaſſæ, id eſt gallinagínio. Alarum pars propior corpori pennas habet albas, fuſcas & fuluas: pennæ uerò maiores decem cinereæ ſunt. Venter & alarũ pars interior albent. circulus pectus ambit ſicut in merula torquata (uel in aue quam Galli uulgò canne petiere uocitãt) coloris mixti ex rubeo, flauo, & fuluo. Et ſanè credidiſſem hanc auem eſſe de genere pluuialis, uel illius quam rasle de genet Galli uulgò appellant, niſi crura ei plumis integerentur ut perdici albæ Sabaudicæ, (lagopodi,) uel columbæ daſypodi.

TVRTVR. Turteltaub.



Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 810 sur 825

CORNIX VARIA, MARINA, HYBERNA: CVIVS HISTOriam habes pagina 319. Nåbelkrae.



CORNIX COERVLEA, CVIVS ICONEM IO. KENTmannus, historiam uerò Ge. Fabricius miserunt è Misnia.



HAEC auis planè syluestris & immansueta à Misenis ein wilde Holtzkrae, ab alijs Galgenregel, uel Galckregel appellatur. Trans Albim in saltu Luchouiano & in syluis finitimis reperitur, uersatur in locis non frequentatis. Nidum ut upupa ex oleto construit; & præter cætera à proiectis cadaueribus uictitat. A colore quidam eam nominant ein Teütschen Pappagey, id est Psittacum Germanicum. Deportatur hinc in alias nationes, nulla alia commendatione nisi coloris. Hæc G. Fabricius. Rostrum, ut pictura ostendit, nigrum est: crura fusca & pro portione corporis parua. Cœruleo colore passim nitet, in capite, alis, cauda, circa orrhopygium & tota parte supina: alibi syncériore, alibi admixto uiridi. Dorsi & colli proni color fuscus est. maiores alarum pennæ nigræ. ¶ Quærendum an hæc sit pica illa syluestris quam Eberus & Peucerus Germanicè uocant Heidenelster/Krigelster. uide supra in Pica A.

CVCVLI

CVCVLI FIGVRA VERIOR QVAM QVAE SVPRA cum eius hiſtoria ponitur. Guggauch.



CVRRVCAE quoddam genus inueniri audio capite (uertice) flauo uel croceo.

DE DIOMEDEIS AVIBVS.

IN Diomedeis inſulis, quæ hodie Tremiti uocantur, ſub imperio Venetorũ in Adriatico mari, Canonici regulares ſunt D. Auguſtini Lateranenſis inſtitutionis. In eiſdẽ aues quædam raræ uulgò artenæ dictæ (tanquam ardeæ) nec alibi reperiuntur: ut amicus quidam, qui in illis aliquandiu habitauit, quantum meminiſſe poterat, nobis per literas ſignificauit. Fatebatur autem non omnium exactè ſe meminiſſe. Magnitudine (inquit) ſunt qua gallinæ ſatis corpulentæ: ſed collo & cruribus longiuſculis. Color eis fuſcus uel cinereus obſcurus. & (niſi fallor) nonnihil albi habent ſub uentre, ut columbi ſyluestres quandoq;. Roſtrum prædurum, & aduncum ut aquilæ ferè, non adeò tamen: colore egregiè rubrum, ſi bene memini. Oculi formoſi, igneo colore, non admodum magni. Vidi enim aliquando unam, quæ uirga percuſſa in capite oculos aperiebat, & clamabat: ſed mox recludebat, cum lucem Solis ferre non poſſet. Piſcibus uiuũt, quos noctibus tantum uenantur. Digitos habent uncos, ferè ut accipiter minor. Non longè à ſcopulis inſularum Diomedis prouolant. Incolæ in cauernis ſcopulorum & in terra eas nidificare affirmabant. Fœcundiſſimas equidẽ eſſe ſcio. In cauis autem degunt, ut lucem Solis declinent: qua ne offendantur, interdiu latent: noctu uerò circa ſcopulos non longè ſupra aquam uolitant. Carnes earum in cibum non ueniunt, propter uirus piſcium quod reſipiunt. Euadunt autem immodicè pingues, ita ut uiſa à me ſit huius generis auis quæ præ pinguedine pedibus ſe ſuſtinere non poterat. Ex hoc pingui unguentum fit, colore croceum, odore grauiſsimo, neruorum morbis ſalubre, conuulſioni, arthritidi, iſchiadi, defluxionibus frigidis, & multis alijs malis quæ humores frigidi crearint, quod experientia mihi conſtat. Egregiè enim calfacit: & omnino lędit affectus calidos, in uulneribus, rupturis, aut alijs morbis calidis. Canonicũ quendam eius loci olim quotidie hoc unguento uentriculum ſibi inungere ſolitũ audiui, ut melius concoqueret & plura appeteret. Deplumatas exenteratasq; aues in Sole ſuſpendunt, & adipem deſtillantem colligunt. Vocẽ ædunt ſimilem uagitui infantiũ. Et aiunt olim ducem Vrbini Franciſcum Mariam Guidonis Vbaldi noſtro tempore ducis patrem, cum fortè ad illas inſulas appuliſſet, ac noctu harum auium uocem audiuiſſet, infantium eſſe uagitus putauiſſe, & canonicos ſcortatores: donec aue ab illis allata & preſentis audito clamore ſe deceptum intellexit. Falſum eſt quod Plinius & ſequutus eum Auguſtinus in libris De ciuitate Dei referunt, aduenas barbaros has aues clangore infeſtare, Græcis adulari. Nec illud uerum, quod ab eodem Plinio traditur, ædem Diomedis (cuius adhuc ueſtigia extant, ſacello ibidem extructo) quotidie eas pleno gutture & madentibus pennis perluere atq; purificare. Color quoq; earum non ſimpliciter albus eſt, ut Plinius ſcribit, ſed ad cinereum uergens, ut in fulicis (larorum generis) etiam, quibus eas comparat. Dentatæ an ſint, non obſeruaui. roſtrum ſanè habent ualidum & longiuſculum, (ſupra etiam aduncum dixit, quod ardearũ generi non cõuenit.) Scrobes eas roſtro cauare, inq; eis fœtificare, incolæ teſtantur. Verè etiam

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 812 sur 825

ſcriptum puto, omnium ſcrobibus fores binas eſſe, unas orientem uerſus, quibus exeant in paſcua: alteras ad occaſum, quibus redeant. Mordent crudeliter, & unguibus aduncis quod uolunt ſicut accipitres arripiunt, Hæc ille.

¶ IN capite de fringilla, & mox in ſequente de fringillis diuerſis, dixi me dubitare an fringilla ſit eadem auis quæ noſtris uulgò Finck, Gallis pinſon dicitur: quod ſpizam Ariſtoteles, Gaza fringillam uertit, inter uermiuoras aues numeret, finca uerò noſtra ſeminibus uictitet. ſed poſtea intellexi præter ſemina uermiculis quoq; eam ueſci: & cuculi etiam pullum (qui uermiculis tantũ paſcitur) in eius nido quandoq; reperiri. Quare iam minus dubito fincam noſtram eſſe fringillam, præſertim cum Bellonio quoq; & alijs eruditis uiris ſic uideatur.

DE MELEAGRIDE, VEL GALLO NVMIDICO AVT MAVRITANO ſyluestri, cuius iconem & deſcriptionem à Io. Caio Britanno accepi: qui gallinam domeſticam quoq; à noſtra diuerſam eiuſdem regionis, ſe miſſurum promiſit.



GALLVS Mauritanus pulcherrima auis eſt, magnitudine corporis, figura, roſtro, & pede phaſiano ſimilis: uertice corneo, in apicem corneum à poſteriori parte præcipitem, in anteriori leniter accliuem eleuato, armatus. Eum natura uoluiſſe uidetur inferiori capitis parti tribus uelut lacinijs ſe promittentibus committere atq; deligare: inter oculum & aurem utrinq; una, & in fronte media item una: omnibus eiuſdem cum uertice coloris: ita ut inſideat capiti eo modo, quo ducalis pileus illuſtriſsimo Duci Veneto, ſi quod iam aduerſum eſt, auerſum fieret. Rugoſus is eſt inferius, per circuitum: qua ſe attollit, in directum. In ſummo collo ad occipitium, naſcuntur erecti quidam atq; nigri pili (non plumæ) in contrarium uerſi. Oculi toti nigri, æquè & in orbem palpebræ atq; cilia, ſi maculam in ſumma & poſteriori parte ſupercilij utriuſque demas. Imum caput per longitudinem utrinq; caro quædam calloſa colore ſanguineo occupat, quæ ne propendeat ueluti palea, ut replicaretur na-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 813 sur 825

retur natura uoluit, & auerso ductu in duos processus acutos à capite liberos finiret. Ex hac carne attollunt se utrinq; carunculæ, quibus mares in ambitu uestiuntur, & caput in anteriori parte à cætero rostro pallido separatur. Harum ad rostrum margines inferiores, replicantur etiam leniter sub utroq; nare. Quod inter uerticem & carnem est à dextra & sinistra parte, album deplume est, leui cœruleo mixtum. Color uertícis atq; apicis, idem prorsus est cum colore dactyli. Tibiæ nigræ sunt, & in anteriori parte, squamosa incisura duplici notatæ: in posteriori, nulla, sed læues, & uelutí punctis quibusdam sui coloris respersæ. Color illi sub faucibus exquisitè est purpureus: in collo obscurè purpureus: in cætero corpore per summa contuenti qualis consurgit si album & nigrum pollinẽ utcunq; tenuiter tritum, colori fusco rariùs aspergas, nec tamen commisceas. Tali colori maculæ albæ ouales aut rotundæ per totum corpus ineſſe uisuntur, per summa minores, per ima maiores, comprehensæ interuallis linearum, ut apparet in plumarum compositione naturali, quæ se mutuò intersecant obliquo hinc inde ductu per summa tantum corporis, non item per ima. Id non ex toto corpore solum deprehendes, sed ex singulis auulsis plumis. Superiores enim, obliquis lineis se mutuo intersecantibus, aut, si mauis, orbiculis quibusdam ex albo & nigro (ut dixi) polline cõfectis, & per extremitates coniunctis, ut in fauis aut retibus, maculas ouales aut rotundas in spatijs fuscis comprehendunt: inferiores non item. Vtraq; tamen simili lege positæ sunt. Nam in alijs plumis, ordine ita iunctæ sunt, ut ferè triangulos acutos faciant. in alijs, ut oualem figuram repræsentent. Huius generis ordines tres aut quatuor in singulis suis plumis sunt, ita ut minores in maiorum complexu reponantur. In extremis alis & in cauda, rectis lineis æquidistantibus procedunt per longitudinem maculæ. Inter gallum & gallinam uix discernes, tanta est similitudo, nisi quòd gallinæ caput totum nigrum est. Vox illi est diuisus sibilus, non sonorior, non maior uoce coturnicis, sed similior uoci perdicis, nisi quòd submissior ea est, nec ita clara. Hæc oĩa Caius. ¶ Ego omnino Meleagridem hanc auem, uel Numidicam gallinam appellârim, de qua suo loco inter Gallinas scripsimus. Eadem nimirũ fuerit Afra auis in uersu Horatiano, Non Afra auis descendat in uentrem meum, &c. uide in Struthocamelo h. in prouerbio Afra auis.

FERRARIAE in horto ducis, quem Montagna uulgò nominant, duas aues uidi, gallinis paulò maiores, totas cinereo colore, eoq; albicante, cum nigris rotundisq; maculis insperſis: capite pauoníbus simillimas, & cristatas plumis instar pauonum. GALLINAS INDICAS uocabant, Io. Fauconerus in epistola ad nos.

GALLINAGINIS VEL GALLINVLAE GENVS nomine ignoto.



GALLINVLARVM sylueſtrium, præsertim aquaticarum genus, multiplex est. inter cæteras ea quam hic pictam exhibeo rara & insignis est, colore atro & ruffo per totum ferè corpus, (quantum memoria teneo,) nisi quod uenter albet, pulcherrimè distincta. Et quoniam color ater in ea holoserici instar splendet, Germanicum eius nomen fingere libuit ein Sametḫünle. crura alta & fu-

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 814 sur 825

ſca ſunt, digiti prælongi, ſed poſtremus breuis: roſtrum oblongum.

SVB Aequatore ad orientem & meridiem uerſus reperiuntur uariæ punctiſq; diſtinctæ aues, quas quidam GARAMANTIDAS uocant: nomine à gente, unde plurimæ afferuntur, eis impoſito, Nicephorus Calliſtus.

HORTVLANA, VT VVLGO IN ITALIA uocant, circa Bononiam.



HVIVS auis effigiem Vlyſſes Aldrouandus, uir cum in re medica tum ſtirpium hiſtoria præſtantiſsimus, ad nos miſit. Eſt autem, ut pictura præ ſe fert, huiuſmodi: Magnitudine alaudæ, roſtro & cruribus rubicundis: iride oculorum alba, exteriore ambitu flauo, in collo & pectore partim flauus, partim uiridis color eſt, diſcretus utercq;. Venter croceus maculis diſtinctus cinereis: quo colore maculæ alibi etiam paſſim in eo uidentur. Alarum & caudæ pennæ nigræ ſunt, eſt tamen & ruſſi & cinerei nonnihil in eiſdem. Vide etiam ſupra in Hortulana & in Miliaria.

LAGOPVS

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 815 sur 825

LAGOPVS VARIA. Steinhün. HISTORIAM EIVS
ſupra poſuimus, poſt Lagopodem candidam.



VIDIMVS nuper tertiam quoq; huius generis ſpeciem, initio Septembris captam, uario prorſus & maculoſo colore inſignem, albido & nigricante ferè paſſim diſtinctam, uentre tantum & maioribus alarum pennis candidis, magnitudine qua gallina ſex menſium. Hæc fortè attagen eſt Bellonij, aut ei proxima auis. hic enim attagenem lagopodis ſpeciem facit, eſt autem hæc inter lagopodes quod ſciam maximè uaria & maculoſa.

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 816 sur 825

PORPHYRIO.



PORPHYRIONEM pictũ Io. Culmannus, amiciſsimus meus, è Montepeſſulo miſit, uiri in uniuerſa rerum naturaliũ hiſtoria doctiſsimi Gulielmi Rondeletij beneficio. Cæruleus ei toto corpore color. media caudæ extremæ pars in cinereo albicat. oculi nigri ſunt. roſtrum & crura purpureo rubore ſplendent. Digitos quaternos tantum pictura oſtendit, ita diſpoſitos ut in picorum genere, non quinos, ut ueterum quidam ſcripſerunt. Rara eſt auis, ni fallor, in Narbonenſi Prouincia, frequentior Hiſpaniæ.

LANIVS

LANIVS CINEREVS. Thornträer/Nünmörder.



LANIOS aues appellare uolui, cum aliud uetus nomen non inuenirem, eò quòd aues alias inuadere & laniare ſoleant, falconum uel accipitrum inſtar: unde ab Italis genus unum eorum regeſtola (fortè quaſi regazula uoce diminutiua, nam gaza & regaza iiſdem pica eſt) falconiera, uel gaza ſperuiera dicitur. Eandem alibi in Italia falconellum uocari audio.

FINIS.

EMENDANDA VEL ADDENDA PASSIM

TOTO OPERE. PRIOR NVMERVS PAGINAM, SECVNdus uersum denotat. L. id est, lege.

PAG. 3. in fine uersus 13. adde, Vide plura infrà in Fringilla. Belloníus acanthidē Græcorum ueterum, Gallis uulgò serin dictam, Græcis hodie spínidia uocari docet. 45. 60. L. Italicè buzza uocatur: & fortè etiam poyana, quasi pagana. 51. 40. L. maiorem & minorem, nimirum propter sexum magnitudine differentem. Aliqui, &c. 66. 30. L. dictus, Quidam. 76. 57. πρωλίης, adde, sed hæc dictio potiùs trogliten, id est passerem domesticū significare uidetur. 85. 13. Sed quid si legamus, &c. usq; ad dorsum utriq; cœruleum. hæc omnia tanquam superuacua inducantur. 95. 1. pappos, adde: de qua uoce plura leges in Anſere A. In eadē pagina anatis cicuris effigies poni debuerat, quam in Paralipomenis requires. huius autem auis quæ hîc non suo loco posita est, hoc est anatis feræ marinæ, descriptionem reperies infrà pag. 117. uersu. 7. quæ incipit, His aliam speciem, &c. 111. 45. in fine uersus adde, Vide infrà etiam in Anate muscaria.

¶ 115. 9. Hæc uerba, Georg. Fabricius aliam nobis, &c. usq; ad finem illius historiæ per sex uersus, omnia delenda sunt. 117. 7. His aliam speciem, &c. hæc anas fera marina est, cuius figura superiùs loco anatis cicuris per errorem posita est. 117. 57. L. ad nos misit, quam inter Paralipomena habes, Vidi ego, &c. 118. 12. in fine uersus adde, Hæ forsan anates Indicæ fuerint, de quibus leges in Paralipomenis. 121. 14. peculiari proprietate, adde, ¶ Fama est crudæ æthyiæ (quidam transtulit fulicę) cor comesum comitialem morbum discutere. ipse quidem periculū non feci, Aretæus. 124. 37. piscibus quidem uiuit, adde, ni fallor. 129. 52. anseri similis, adde (unde nos merganserem appellauimus. 133. 52. pro chenalópeca L. hípparion. 160. 2. interpretantur, adde. Sed aliæ sunt merops aues quæ φλῶρος quoq; dicūtur teste Varino. 160. 58. Murspyren. adde, sed hoc nomen puto rectiùs cōuenire ijs quas Turnerus apodes minores nominat, den Münſterſchwalmen. 161. 5. L. in Elemento H. 189. 37. astipulatur, adde, & Aelianus, ut uidetur. lege infrà in Vulture H. a. inter deriuata. 190. 28. L. seu plangam, & percnum, & morphnum. 199. 15. L. colore ex eo qui castaneę est nigricante. 200. uersum 28. cuius initium, In India referunt, &c. cum quatuor sequētibus dele. 200. 41. in fine uersus, adde. Talem auem super trium arborum ramis nidificantem Olaus Magnus in Tabula Septentrionali depinxit: quam nos picturam in Paralipomenis posuimus.

¶ 205. 65. aíron negro, adde (sic & falcinellum aliqui uocant.) 210. 17. aut fuser, delenda hæc. 216. 56. L. pareudistas. 218. 8. L. Italicas uocant. Ibidem L. uel zus, uel chió. 227. 40. cucubas nominent. adde, Plura de Chaldaica uoce kiphupha leges in Vpupa.) 229. 7. L. Alūnus. Ibidem in fine uersus 8. adde, Barbaianum alij nuncupant genus ululæ quod flammeatum Germani cognominant. 230. 62. L. commendat ad neruorum dolores & nodos, cum lilij, &c. 234. 60. in fine uersus, adde. Oppianus etiam lib. 3. de aucupio ægithalū pro caprimulgo accipit: cuius uerba inferiùs in Paro h. quo modo capiatur à nobis recitata, hoc potiùs in loco recitari debuerant. 237. 57. L. alpina (quod nomen merulæ alpinæ suo loco describendæ potiùs conuenit.) sed, &c. 243. 34. G. cum duobus sequentibus uersibus deleantur tanquam nō huius loci. 244. 44. L. carduele. Ibid. 46. L. Chloridis. Ibid. 47. Baumheckel. adde (picum cinereū etiam Saxonicè Baumhecker uocant.) Ibid. in fine uersus 44. adde, Vide ne potiùs dici debeat Rindenklåber, quòd corticibus arborum adhæreat. 265. 36. L. fortè, ubi si ossa ceraſorū desint, seminibus cannabis ali potest. Nam nuper, &c. 279. 52. L. repere possit, Crescentiensis. 295. 7. medicis dicta, adde. Plura de Oenanthe aue leges infrà in Elemento O. 296. inter uersum 25. & 26. H. litera signum Philologiæ notetur.

¶ 302. 38. L. Verg. Buc. Aliquando masc. Macros q;, &c. 310. 30. L. perfringere ualeant, Plín. Imitantur, &c. 320. 16. L. appellat: nisi hoc genus gracculi potius est, rostro & pedibus rutilis. pyrrhocoraci enim rostrum luteum est. 336. 9. L. Cum uir opimus. Ibid. uersu 37. appellant, adde, & recentiores de porphyrione & auriphrygio. 338. 12. ut cōiicio, adde, è gryllorum genere. 348. 36. L. P. Fagius. Quidam kore Hebraicum nomen interpretantur cuculum. uide in Perdice A. 349. Cuculi figura uerior in Paralipomenis ponitur. 369. 38. in fine uersus adde. ¶ Eleam seu uelíam Eberus & Peucerus auem inquiunt esse paruam, colore pulchro, infernè croceo, ualentem uoce: quæ æstate umbrosa, hyeme aprica loca petat. & Germanicè interpretantur Zigelhempfling. Scio Germanos aliquos linariam nostram Hempfling uocare: cuius ego nullam speciem uelíam esse, aut circa paludes uersari arbitror. 370. 59. nomē debetur: ut & alias, & galbulam, &c. Ibidem 60. & galbulæ non multum, &c. usq; ad finem paginæ, dele. 371. 14. L. hanc potius erithaco cognatam quàm fic. 378. 33. putaui cum ista scriberem, Italorum auem quam uocant galberio, galbedro, &c. aliam esse ab oriolo seu pico nidum suspendente, nunc dubito, uel potiùs eandem esse puto. 379. Gallinæ figura pro gallinaceo hîc posita est, ut contra gallinacei infrà pro gallina. 380. 23. Et primum, dele. 386. 13. omitte parenthesim, & L. similes brachij alæ, tum proceriſsimæ caudæ duplici ordine, &c. 386. inter uersum 47. & 48. insere uersus circiter nouem, qui habentur circa finem in Gallina E. infrà, nempe de usu pennarum & echini in genere gallinaceo: & ne gallinæ ad præsepia boum accedant; & prognosticum tempestatis. 395. uersu 49. & 50. L. Pullinum (de gallinaceo genere in-

nere intelligo. uide infrà in Gallina H. a.) sanguinem, &c.

¶ 409.48.L. purissimè (fortè legendum purissimi, ut clarior sit interpretatio. albus enim color puritatem significat) fauendum, Plutarchus in Symb. &c. 411.58. uocauerim, adde. Atqui Martialis quoq; caponem dixit. 434. Versus 23. cum octo sequentibus, referri debet ad Gallinaceum E. pag. 386. ut suprà monui. 463.25. & fieri potest, &c. usq; ad accedat, dele hæc uerba. nam uera Meleagris in Paralipomenis ponitur. 479.46. L. sed nō propriè aquatica dici posse uidetur. 418.15. in titulo, L. Brachhůn: uel de phæopode duplici, quarum, &c.

¶ 503.27. appellatur, adde, in Athesina regione Steinkräe, id est cornix saxatilis. 516.2. mutilus, adde, pro apta fortè legendū aperta.) 521.42. in nostro codice. adde, uidetur κατάπυρον legendum. 527.3. L. aduolat, uictum ex piscibus quærens, Athenęus. 227.17. in fine uersus adde. Vide infrà in Garrulo Bohemico post picas. 535.54. L. ubi Fuchsius κοιλίαν, id est uētrem, quàm καλιὰν, id est nidum, legere mauult. 544.8. In quodam Mauritaniæ flumine, &c. hęc uerba delenda sunt, usq; ad interprete Gillio. omnino enim hirudines, nō hirundines legi debet, ex Strabone. 546.34. expunge hæc uerba, alaudis (ni fallor) congenerem. 553.44. θέλκοιν, adde, (fortè θέλξιν, id est mulcimentum.) 566.22. L. quæ fortè alia quàm, &c. 567.51. Anglorum buntinga, adde (Germanorum gersthammera.) 568.18. in fine uersus, adscribe. Lege infrà in Salo. 582.49. L. πολλὴν. in fine eiusdem uersus adde, Extat hoc libro 1. Anthologij, ubi etiam aliud Pauli Silentiarij eiusdem argumēti legitur. 594.41. in fine uersus adde, Figuram habes inter Paralipomena. 595.27. in fine uersus adscribe. Quærendum an hic sit Schœniclus, id est iunco Aristotelis: uel tryngas, cui turdi magnitudo tribuitur. 597. iconi exhibitæ inscribendum, Noctua saxatilis, de qua leges præcedente pagina, uersu 45.

¶ 602.25. pro his uerbis, mihi quidem sensus obscurus est, lege. hoc est, Et prouerbio dicitur, & reuera Phædrus in arce noctuam consecrauerat. 603. Addatur figuræ inscriptio hæc, Nycticorax, non ueterum, sed uulgò sic dictus circa Argentinā, auis pisciuora. 604. uersu ultimo, audio. adde, Inter condensa fruticum degit, infrequens alioqui. oua ferè ut curuca humi fouet. 651.55. baccas, adde, (fortè myrti baccas,) 668.51. L. opificij. 670.26. Cælius. adde, Apud Theophrastum 5.3. de causis legitur κρείττωσις & κρειττοῦσθαι. Gaza exuperantiā uertit, malim uarices. 682.19. in fine uersus, adde, Hæc dum scriberem inspectus mihi picus uiridis, mas an fœmina nescio, huiusmodi erat. In uertice rubor cocci. Collum ac dorsum uiride. Alæ etiam uirides: sed maiores in eis pennæ fuscæ, albis per interualla distinguentibus maculis. latus earundem angustius, subuiridi colore. Pectus & uenter è subuiridi albicabant. Circa orrhopygium tantum croceus color. Cauda pennis denis condita fuscis: ex quibus quatuor mediæ per interualla maculosæ erant, maculis minus fuscis: in fine in mucronem ferè tendebāt. 687. Porphyrionis figuram & descriptionem in Paralipomenis requires. 688.10. digitos quinq;, adde (quatuor, ut pictura nostra ostendit, sed aptos apprehensioni, cum bini ante ac totidem retro sint, ut in psittaco & picorum genere.) 691.29. L. Psittaci. 696.24. Angli wren, dele hæc uerba. nam wren Anglorum troglodytes est. 697.2. regulum, adde, (legendum puto regalbulum. sic enim charadrium aliqui interpretantur.) 697.50. per æstatem. adde, hæc uerba ex Nipho fortè aut alio recentiore nobis descripta sunt. Gaza nusquam nominat syluiam, quod sciam, sed hist. anim. 8.3. siluiam [per i. scribens] cum rubecula nominat inter aues quæ uermiculos petunt, ubi Græcus codex noster nomen quod siluiæ respondeat nullum habet.

¶ 729.38. uocatur, adde, Albertus.

Mallet

F I N I S.

ÉCOLE SUPÉRIEURE DE PHARMACIE DE PARIS BIBLIOTHÈQUE

Historiae animalium Liber III qui est de avium natura. Adjecti sunt ab initio ... - page 820 sur 825

